BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
6
D
48
NAPOLI

6
D
48



ROBERTI
BELLARMINI
POLITIANI
S. R. E. CARDINALIS
Solida Chriſtianæ Fidei
DEMONSTRATIO.

OPERA
V. P. F. BALDVINI IVNII
Ordinis Minorum,
Ex eius operibus controuerſiarum desumpta.

ANTVERPIÆ,
Sumptibus Hæredum MARTINI NVTII.
M. DC. XI.
Cum gratia, et Priuilegio.

REV.^mo ET ILL.^mo D.^no

MATHIAE HOVIO ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI

S. D.

F. BALDVINVS IVNIVS.

QVAM turpe vitium ingratitudo ſit, Illuſtriſſime Præſul, patet Athenienſium exemplis. Detrahe illis Theſea, nullæ, aut non tam claræ Athenæ erũt. Siquidem ille vicatim diſperſos ciues ſuos in vnam contraxit vrbem, ſeparatimq́, & agreſti more viuenti populo ampliſſimæ ciuitatis formam, atque imaginem impoſuit. Idem ſæua potẽtiſſimi Regis Minois imperia vixdum ætate pubeſcente repulit. Idem effrenatam Thebarum inſolẽtiam domuit. Idem opem liberis Herculis tulit, & quidquid vbique monſtri, aut ſceleris fuit, virtute animi, ac robore dexteræ comminuit. Huius tamen ſummoti ab Athenienſibus Scyros, exule minor inſula, oſſa mortui cepit. Iam Solon,

lon, qui tam præclaras, tamq́ vtiles Athenienſibus leges tulit, vt ſi his perpetuò vti voluiſſent, ſempiternum habituri fuerint imperium: qui Salamina velut hoſtilem arcem ex propinquo ſaluti eorum imminentem recuperauit, qui Piſiſtrati tyrannidem primus vidit orietem, & ſolus armis opprimi debere, palam dictitare auſus eſt; ſenectutem Cypri profugus exegit: neque ei in patria, de qua optimè meritus erat, humari contigit.

Ego etiam præclara ab Illuſtriſſima D. V. accepi beneficia: nam ſeptem Ordinibus ſacris à ſacratis veſtris manibus aliquando inſignitus ſum. De quorum diſtinctione audiamus D. Thomam in Supplemento partis 3. quæſt. 37. artic. 2. *Poteſtas, inquit, Ordinis aut eſt ad conſecrationem ipſius Euchariſtiæ, aut ad aliquod miniſterium ordinatum ad hoc Sacramentum Euchariſtiæ. Si primo modo, ſic eſt Ordo Sacerdotum: & ideò cùm ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane; accipientes poteſtatem conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti. Cooperatio autem miniſtrorum eſt vel in ordine ad ipſum Sacramentum, vel in ordine ad ſuſcipientes. Si primo modo, ſic eſt tripliciter. Primò enim eſt miniſterium, quo mi-*

niſter cooperatur Sacerdoti in ipſo Sacramento, quantùm ad diſpenſationem, ſed non quantum ad conſecrationem, quam ſolus Sacerdos facit: & hoc pertinet ad Diaconum. Secundò, eſt miniſterium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in ſacris vaſis ipſius Sacramenti: & hoc pertinet ad Subdiaconum; & ideò accipit calicem de manu Epiſcopi, ſed vacuum, cùm ordinatur. Tertiò, eſt miniſterium ordinatum ad præſentandam materiam Sacramenti: & hoc competit Acolyto: vnde accipit vrceolum vacuum. Sed miniſterium ad præparationem recipientium ordinatum non poteſt eſſe, niſi ſuper immundos, quia qui mundi ſunt, iam ſunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex autem eſt genus immundorum. Quidam enim ſunt omninò infideles, & credere nolentes: & hi totaliter etiam à viſione diuinorum, & à cætu fidelium arcendi ſunt: & hoc pertinet ad Oſtiarios. Quidam autem ſunt volentes credere, ſed nondum inſtructi, ſcilicet Catechumeni: & ad horum inſtructionem ordinatur Ordo Lectorum; & ideò prima rudimenta doctrinæ fidei, ſcilicet vetus Teſtamentum, eis legendùm committitur. Quidam verò ſunt fideles, & inſtructi, ſed impedimentum haben-

tes ex dæmonis poteſtate, ſcilicet Energumeni: & ad hoc miniſterium eſt Ordo Exorciſtarum. Hactenus ille.

His omnibus muneribus ſacris in Eccleſia Dei Illuſtriſſima D. V. me fulgere voluit: & ad gratias agendas, ſi referre nequeam, tardus ero? Non ero. Videmus (eheu!) Belgium noſtrum, varijs errorum ab annis aliquot circumfuſum tenebris, & turbidis hæreſum agitari fluctibus. Multi etiam in Hollandiæ partibus mihi conſanguinei, & amici, qui in antiqua Romanæ Eccleſiæ fide fortiſſimè hactenus perſiſtentes, in gratiam eorum aliquid conſcribi à me voluerunt, & coëgerunt. Quid facerem? Statim Controuerſias Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini ab Eccleſia probatas, & laudatas arripui, & ex eis Demonſtrationem fidei Chriſtianæ, allegatis potiſſimum Scripturis, & rationibus, breuiter deduxi, vt fluctuantibus ſuccurrerem Belgis, & expectantibus ſatisfacerem amicis. Nonne alienis veſtigijs humiliter inſiſtere melius fuit, quàm proprium ſequendo iudicium, aberrandi fortè periculum incurrere?

Itaque gratitudinis ergo hunc laborem noſtrum Reuerendiſſimæ & Illuſtriſſimæ D. V. offero, vt illum ani-

animare dignetur, fouere, tueri: rogans etiam Deum Opt. Max. vt Illuſtriſſimam D. V. Eccleſiæ ſuæ, Belgio noſtro, nobis, quàm diutiſſimè, & feliciſſimè ſeruet incolumem. Vale. Antuerpiæ VII. Idus Iulias. 1611.

Reuerendiſsimæ, & Illuſtriſsimæ
D. V. Obſequentiſsimus
F. Balduinus Iunius.

DE VERBO DEI.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De Numero, & auctoritate Sacrorum Librorum.

INSTITVENTI mihi de libris ſacris diſſerere, prima ſe
offert queſtio:

Sitne Scriptura Prophetica, & Apoſtolica vt verbum Dei recipien- Quaeſt. 1.
da: an id ſolùm pro verbo Dei habendum ſit, quod Spiritusſanctus pri-
uatim, vnicuiq; in corde loquitur? Statuendum eſt inprimis libros Reſp.
Propheticos, & Apoſtolicos iuxta mentem Eccleſię Catho-
licæ verum eſſe verbum Dei, & certam ac ſtabilem regulam fidei.

Principio Moyſes, Prophetæ, Chriſtus ipſe, Ioannes, Apoſtoli, vel diuina Prob. 1.
dogmata ex Scripturis confirmabant, vel certè ad Scripturas legendas alios
hortabantur; nec vllum vnquam ad interni Spiritus iudicium, Scripturis ne-
glectis remiſerunt.

Moyſes: *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris*, &c. *Facies, quod-* Deut 17.
cunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerunt te iuxta legem eius.
Ad eundem modum & Iſaias clamat: *Ad legem magis, & ad teſtimonium.* Et Ma- Iſaiæ 8.
lachias: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Ange-* Malach. 2.
lus Domini exercituum eſt. Dauid: *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius.* Chriſtus verò Pſalm 118.
primùm legationem ſuam Scripturæ teſtimonio confirmat illis Prophetę
verbis allatis: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me.* Deinde, Saducæos ex Lucæ 4.
diuinis litteris confutat, dicens: *Nónne ideò erratis, neſcientes Scripturas?* Et infrà: Marc. 12.
De mortuis autem, quòd reſurgant, non legiſtis in libro Moyſis, &c.

Porrò Phariſæis quo alio argumento ſilentium impoſuit, quàm illo, quod Matth. 22.
ex Dauide deprompſit? Et rurſus illos non ad ſpiritum aliquem internum, ſed
ad Scripturas diuinas reijcit, dicens: *Scrutamini Scripturas.* Iam verò Ioannes Ioan. 5.
Baptiſta teſtem legationis ſuæ non ſpiritus interni iudicium, ſed Iſaiam Pro-
phetam adhibuit. Siquïdem interrogatus, quis eſſet: *Ego*, ait, *vox clamantis in de-* Ioan. 1.
ſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias Propheta. De Beroeēnſibus illud nō ſi-
ne laude commemoratur, quòd cum Paulum Apoſtolum audiuiſſent, ſcruta- Act. 17.
bantur quotidie ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.

Ipſi verò Apoſtoli Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus, Iudas non modò in
ſingulis epiſtolis frequenter adhibent teſtimonia legis, & Prophet. ſed in-
terdum etiam Scriptur. auctoritatem vniuersè prædicant: *Habemus* inquit S. 2. Pet. 1.
Petrus, *firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ*
lucenti in caliginoſo loco. Et S. Paulus: *Ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt* 2. Timot. 3.

inſtruere ad ſalutem. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus
Ioſue 1. *bonum inſtructus.* Denique Deus ipſe ad Ioſue: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, &c.*

Prob. 2. Deinde, Regula Catholicæ fidei certa, notaque eſſe debet: nam, ſi nota non ſit, regula non erit nobis; ſi certa non ſit, ne regula quidem erit. At Scripturæ ſacræ, quæ Propheticis, & Apoſtolicis litteris continentur, notiſsimæ ſunt, vt probat conſenſio omnium gentium, apud quas multis iam ſæculis ſummam ſemper auctoritatem obtinuerunt.

Certiſsimæ etiam ſunt, & veriſsimæ, vt teſtis eſt Primò, incredibilis quædam, & planè diuina conſpiratio tot virorum, qui diuerſis locis, temporibus, linguis, occaſionibus ſacra volumina conſcripſerunt; vt non tam ipſi ſcriptores diuerſi, quàm vnius ſcriptoris diuerſi calami fuiſſe videantur.

Deinde, teſtis eſt ipſe Deus, qui aliquando cœleſti animaduerſione Scripturam hanc ſuam ab humana prophanatione defendit. Miranti ſiquidem Ptolomæo Regi, cur diuinorum librorum nulli, neque hiſtorici, neque Poëtæ veteres meminiſſent; Demetrius Phalerius reſpondit, (vt refert Ioſephus, & Euſebius) diuinam hanc Scripturam eſſe, & à Deo datam: propterea ſiqui prophanorum hominum eam attingere voluerunt, eos à Deo percuſſos continuò reſilijſſe. Affirmauitque Theopompum quendam, quòd aliquid diuinorum librorum Græca oratione ornare voluiſſet, ſubitò mentis quādam agitatione diuinitus immiſſa vehementer perturbatum, & ab incepto opere coactum eſſe deſiſtere: Theodorum verò Tragædiarum ſcriptorem, quòd neſcio quid è diuina ſcriptura ad fabulam quandam transferre decreuiſſet, luminibus captum, orbatumque eſſe: ita repentina calamitate inſignem temeritatem continuò eſſe repreſſam.

Lib. 12. Antiq. c. 2. L. 8. præpar. Euang. c. 1.

Teſtis etiam eſt ipſa Scriptura, cuius ſi veræ fuerint prædictiones rerum futurarum, vt euentus poſtea comprobauit; cur vera non ſint rerum præſentium teſtimonia? Verum igitur eſt, quod ait Dauid: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.* Verum quòd Zacharias: *Benedictus Dominus Deus Iſraël,* &c. *ſicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo ſunt, Prophetarum eius.* Verum quod ait Petrus: *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Et Paulus: *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata eſt.* Verum denique, quod Prophetæ identidem repetunt: *Hæc dicit Dominus.*

2. Reg. 23. Luca 1. 2. Petri 1. 2. Tim. 3.

Sanè non omnes vulgò Dominus per internum afflatum docet, quid de ſe credi, quidve à ſuis agi velit, ſed per corporales litteras, quas & cerneremus, & legeremus erudire nos voluit, vt per ea, quæ ſenſibus corporis percipiuntur, quaſi per gradus, ad ſpiritualia deducamur. Neque verò ſi Dauid, Moyſes, Iſaias, Petrus, Paulus, Ioannes, & alij quidam pauci, in cætum quodammodò Angelorum admiſsi, ab illo fonte veritatis per ſe ſapientiam hauſerunt, continuo cæteri etiam homines neque diuinis litteris, neque vllis doctoribus opus habebūt. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes fundamenta? nunquid omnes montes? Et ſi omnes montes, vbi colles? Et ſi omnes fundamenta; vbi domus? ſi omnes Apoſtoli, & Prophetæ; vbi Synagoga
Pſalm. 7. populorum? De quā ſcriptum eſt; *Synagoga populorum circumdabit te.* Nos

itaque

itaque *ſuperædificamur* (vt Apoſtolus ait) *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, quorum prædicatione, & litteris erudimur: illi verò, qui ipſi viderunt, & miniſtri fuerūt ſermonis, ſuſtentantur, & nituntur *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Poſtremò; Si in quâuis humanâ Rep. ſublatis legibus, inſtitutiſq; Maiorū, id vnicuiq; liceret, quod naturali ſuâ prudentiâ æquum, ac iuſtū cenſeret; quanta perturbatio rerum omniū, quanta confuſio ſequeretur! Quàm breui tempore tota ea Reſp. funditus interiret! Et nemo tamē eſt, qui non aliquid ſapiat in rebus humanis, quique omni prorſus iudicio careat. Quid igitur fieret, ſi in eâ Rep. quæ diuina potiùs, quā humana eſt, & in quâ multa neceſſariò ſupra rationē naturalē credenda, multa ſupra humanas vires agenda ſunt, ſacra eloquia diuinitus inſpirata tollerentur è medio, & ſolus internus afflatus expectandus, & ſequendus eſſet? Quid, quòd maxima pars hominum ex rudibus, & imperitis conſtat, qui nihil ſibi diuinitùs inſpirari, ne per ſomnium quidem vnquam ſenſerunt? Quid igitur iſti? expectabunt ſemper? Nihil interim credent? In omnem æternitatem peribunt? An aſſequentur ſine fide iuſtitiam? vel beatitudinem ſine iuſtitia? *Epheſ. 2.* *Prob. 3.*

Altera quæſtio eſt: *Qui ſint verè Prophetici, aut Apoſtolici libri?* Quidam Scripturæ libri ſunt, de quorum auctoritate nulla vnquam fuit inter Catholicos diſceptatio: vt ſunt. *Quæſt.* *Reſp.*

Pentateuchus Moyſis,	*Iob, Pſalterium 150. Pſalmorum,*
Liber Ioſue, Iudicum,	*Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica,*
Ruth, Regum. 4.	*Propheta maiores. 4. Minores. 12.*
Paralipomenon. 2.	*Euangelia. 4. Acta Apoſtolorum,*
Eſdra, & Nehemia, 2.	*Epiſtolæ Pauli. 13. Epiſtolæ Canonicæ duæ:*
	Petri vna, Ioannis altera.

Quidam autem tametſi verè Prophetici & Apoſtolici ſint, non tamen ſemper æquè certa, & explorata fuit eorum auctoritas: vt ſunt:

Heſter, Baruch, Danielis pars,	*Poſterior Petri.*
Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus,	*1. Ioannis particula.*
Macbab. primus & ſecundus, Marci, Luc.	*2. & 3. Ioannis.*
Ioannis partes quædam.	*Epiſtola Iudæ,*
Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Iacobi.	*Apocalypſis.*

Quidam denique, qui, quanquam à nonnullis clariſsimis, & doctiſsimis viris aliquando in numero diuinorum voluminum haberentur; publico tamen totius Eccleſiæ iudicio nunquam approbati ſunt: vt:

Oratio Manaſſæ,	*Pſalmus 151.*
Tertius & quartus Eſdræ.	*Appendix libri Iob,*
Tertius & quartus Macbab.	*Liber Hermetis, inſcriptus, Paſtor.*

Ac primi quidem ordinis libros in Eccleſia Catholicâ diuinam auctoritatem ſemper habuiſſe, teſtes ſunt omnes ſummi Pontif. omnia Concilia, *Libri. 1. ordinis.*

 omnes

Lib. Eſther. omnes Patres, qui quâcunque de cauſa libros enumerare ſtuduerũt. De libris ſecundi ordinis maior difficultas eſt. Primus ſe offert liber *Eſther*, quem librũ ſacrum, & diuinum eſſe, ſatis probant omnia Pontificũ & Conciliorum decreta; nec non tam multa Patrum Hebræorum, Græcorum, & Latinorum teſtimonia. Nam, ſi Melitonem Aſianum, Athanaſium, & Gregorium Nazianzen. detrahas, reliqui omnes de libri huius diuinâ auctoritate conſentiunt. Quod verò attinet ad ſeptem poſtrema capita, quæ in Hebraicis codicibus non habentur, ea quoque ad ſacrum Canonem pertinere, his rationibus
Cap. 59. confirmatur. Primùm enim negari non poteſt, quin vetera Concilia, Lao-
Cap. 47. dicenum, & Carthaginenſe III. Vetereſque Patres Græci, & Latini, cùm inter ſacros libros volumen Heſter numerant, de eo volumine ſint locuti, quo tum ipſi, tum Eccleſia vniuerſa eo tempore vtebatur. Vtebatur autem eo
Præfat. in tempore vniuerſa Eccleſia libris ſacris iuxta eam editionem, quam S. Hie-
Eſt. & alibi. ron. Vulgarem appellare ſolet, quæ Græcorum linguâ, vt ipſe ait, & litteris continetur. In quâ editione ſeptem illa capita non defuiſſe, teſtes ſunt inprimis ipſi Græci textus, qui nomine LXXII. interpretum circumferuntur; teſtis eſt S. Athanaſius in Synopſi, vbi ſummam, & primas ſententias ſingulorum librorum adſcribit; teſtis denique S. Hierony. qui in ſua tranſlatione aliquot locis admonet, ſeptem illa capita in Hebraicis textibus non haberi, ſed ex vulgata editione à ſe eſſe deprompta. Quid quod Patres non modò librum ipſum inter ſacros numerant, ſed etiam ex poſtremis ſeptem capitibus
Seſſ. 4. teſtimonia non rarò petant? Accedit poſtremò decretum Concilij Trident. quo libri omnes in ipſo decreto paulò antè numerati cum omnibus ſuis partibus approbantur, prout in Eccleſia legi conſueuerunt, & in Latina vulgata editione habentur. Quis autem neſcit feria 4. poſt Dominicam 2. quadrageſimæ, publicè in Eccleſia inter ipſa ſacrorum ſolemnia lectionem decantari ex capite 13. Eſther? Et rurſum ex eodem capite lectionem decantari in Miſſa, quæ legi ſolet aduerſus Paganos? Ac demum orationem Eſther recitari ex cap. 14. Dominica 21. poſt Pentecoſt. Euangelio, ac Symbolo decanta-
Liber Baruch. to? De libro *Baruch* controuerſia eſt, tum, quia non inuenitur in Hebræis codicibus; tum quia nec Concilia antiqua; neque Pontif. neque Patres, qui catalogũ librorum ſacrorum texunt, Prophetæ huius diſertis verbis meminerunt. Sed nobis certum perſuadet Concilij Trident. au-
Seſſ. 4. ctoritas, quod Prophetã Baruch inter ſacros libros numerat, & in profeſto Pentecoſtes palam lectionem ex libro Baruch cum lectionibus aliorum librorum ſacrorum legi iubet. Nec deſunt etiam veterum Patrum teſtimonia: ſed veteres paſſim allegant hunc librum ſub nomine Ieremiæ, vt patet
Ierem. 36. ex Ieremia. Quæ cauſa fuit, cur Concilia antiqua, & Patres non poſuerint Baruch nominatim in Canone, quia nimirum hunc librum partem eſſe iudi-
Danielis cabant Ieremiæ vaticiniorum. De quibuſdam capitibus *Danielis* etiam con-
part. trouerſia eſt; nimirum de Hymno trium puerorum, de Suſannæ hiſtoria, de
Dan. 3. hiſtoria Draconis, quem Daniel interfecit. Nihilominus certum eſt, has om-
Dan. 3. nes partes Danielis eſſe verè canonicas.
Dan. 14.
Prob. 1. Prob. I. ex Concilio Trident. & vſu Eccleſiæ. Iubet enim Concilium
Seſſ. 4. recipi libros cum omnibus partibus ſuis, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt.

conſueuerunt. Hymnus autem trium puerorum legitur cùm in Miſſa in Sabbatho quatuor temporum; tum omnibus diebus feſtis in precibus officij matutini. Hiſtoria Suſannę legitur tota in Miſſa in Sabbatho ante Dominicam quartam Quadrageſimæ. Denique, Hiſtoria Draconis interfecti legitur in Miſſa feriæ tertiæ poſt Dominicam quintam Quadrageſimæ. Neque ſolùm hoc tempore, ſed etiam ante annos M C C. legebantur in Eccleſia iſtæ omnes partes Danielis.

Prob. II. Teſtimonijs veterum. *Prob. 2. & 3.*

Prob. III. Nam credibile eſt, Concilia vetera, vt Laodicenum, & Carthaginenſe III. & priſcos Patres, qui Græca editione vtebantur, cùm Danielem in numerum ſanctarum Script. retulerunt, locutos eſſe de eo libro Danielis, qui in Græcis vulgatis codicibus habebatur. In iſtis autem ſine dubio omnes illæ partes habebantur.

Libros *Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici*, & *Machabæorum*, Eccleſia Catholica pro ſacris, & canonicis, vt ceteros, habet. Nam vnà cum ceteris in Canone ponunt Concilia, Carthag. III. Trident. Pontifices, Innocent. I. Gelazius I. cum L X X. Epiſcopis. Denique Patres. Poni autem in his locis vt libros infallibilis veritatis, inde colligitur, quòd numerantur, & ponuntur in eodem ordine cum alijs, qui ſunt infallibilis veritatis. *Libri Tobiæ, Iudith, Sap. Eccl. Mach. Can. 49. ſeſſ. 4. Epiſ. ad Exuper. in decret. de libris ſacris.*

Præterea, quòd Concilium Carthaginenſe, ex quo cetera Concilia iſtum canonem deſumpſerunt, vocat hos libros non ſolùm canonicos, ſed etiam diuinos. Librum autem diuinum eſſe, quid aliud eſt, quàm diuinam auctoritatem habere? Librum autem canonicum eſſe, eſt eſſe infallibilis veritatis. Habent etiam ſinguli illi libri ſeorſim inſignia teſtimonia Conciliorum, & Patrum. De quibuſdam etiam partibus *Marci, Lucæ*, & *Ioannis* controuerſia eſt. Ac quidē de vltimo cap. Marci dubitare non licet: nam legitur caput hoc in diebus celeberrimis Reſurrectionis, & Aſcenſionis, & à Patribus exponitur. Deinde; Incredibile eſſet Marci Euangelium ita mutilum, & truncum eſſe, vt nihil de reſurrectione contineat. *Partes Mar. Luca, Ioan. Marc. vlt.*

Ex capit. Luc. 22. quidam in dubium reuocant hiſtoriam illam de ſudore Chriſti ſanguineo, & angelica apparitione, & conſolatione. Cauſa fuit, ne Chriſto infirmitatem, & animi dolorem tribuerē viderentur. At certè illi timuerunt, vbi non fuit timor. Si enim Chriſtus, vt homo, potuit imminente paſsione pauere, & tædere, vt etiam Matthæus & Marcus teſtantur; cur non potuit eadem ratione ſudare, & Angelicam conſolationem admittere: &, ſi corpus habuit paſsibile, & animam ſentientem; cur non potuit dolere, & flere? Itaque Patres etiam hunc locum agnoſcunt. Initium cap. 8. Ioannis, quo adulteræ hiſtoria continetur, non fuit olim certæ fidei: nihilominus dubium eſſe non debet, quin ea hiſtoria ſit, & Euangelica, cùm legatur in Eccleſia Sabbatho poſt Dominic. III. Quadrageſ. & eam agnoſcant grauiſsimi Patres, Græci, & Latini. De verbis illis: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt:* dubium aliquando extitit. At certè in Eccleſia publicè leguntur hæc verba in Dominica in Albis: & Patres locum illum agnoſcunt. Epiſtolam *ad Hebræos* canonicam eſſe, & Pauli Apoſtoli, facilè probari poteſt. *Luca 22. Matt. 26. Marc. 14. Ioan. 8. 1. Ioan. vlt. Epiſt. ad Hebræos.*

1. Quia nomine Pauli Apoſtoli legitur in Eccleſia in die Natalis Domini, & aliàs frequenter.
2. Quia in teſtimonium producta, & recepta eſt, vt Pauli, à multis antiquiſsimis Pontif. vt Clemente I. Innocent. I. Gelazio I.
3. Quia ponitur in canone ſacrarum Script. nomine Pauli à Concilio Laodiceno, Carthaginenſi III. Trident. & agnoſcitur etiam vt Pauli à Nicæno I. & Chalcedonenſi, & Arauſicano II.
4. Quoniam recepta fuit ſemper ab omnibus Græcis Patribus: vt patet, tum quia omnes eam, vt Apoſtoli, citant; tum etiam, quia omnes, qui canonem exponunt, hanc epiſtolam cum ceteris Paulinis numerant.
5. Recepta etiam fuit ab omnibus Latinis poſt Lactant. Soli enim Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius hanc epiſtolam non videntur agnoſcere, nec enim eam vnquam citant, quòd ſciam.
6. Videtur S. Petrus huius epiſtolæ mentionem facere. Scripſit enim Petrus priorem epiſt. ad Hebræos inter Gentes diſperſos, vt patet ex titulo: poſteriorem ad eoſdem ſcripſit, vt patet ex illis verbis: *Hanc vobis, chariſsimi, ſecundam ſcribo epiſtolam.* In eodem autem capite poſtea ſubiungit: *Sicut & chariſsimus frater noſter Paulus ſcripſit vobis.* Scripſit igitur Paulus, teſte Petro, epiſtolam aliquam ad Hebræos. *2. Petri 3.*

Poſtremò; Epiſtola hæc Catholicorum omnium conſenſu, vel eſt Pauli, vel Lucæ, vel Barnabæ, vel Clementis Rom. vel certè Tertulliani. Sed Tertulliani eſſe non poteſt, cùm Clemens Alexandr. qui aliquantò antiquior Tertulliano fuit, affirmet hanc epiſtolam eſſe Pauli. Quid, quòd ipſe Tertullianus putauerit eſſe Barnabæ? Neque etiam poteſt eſſe Clementis Roman. cùm ipſe Clemens eam citauerit tanquam Apoſtoli Pauli: & eam tribuat Paulo in canonibus Apoſtolorum: ac demum cùm in fine eius Apoſtolus dicat: *Ampliùs autem deprecor vos hoc facere, quò celeriùs reſtituar vobis.* Iſta enim verba nullo modo Clementi conuenire poſſunt, qui, cùm eſſet Epiſcopus Rom. non in Iudæa, ſed Romæ habitaturus erat. Denique; nec Lucæ, nec Barnabæ eſſe, nec alterius omninò, quàm Pauli, ſatis probant argumenta iam allata. Sed quando etiam aut Lucæ, aut Barnabæ eſſet, Apoſtolici viri eſſet, nec Apoſtolica auctoritate carere deberet. *Hebr. 13.*

Epiſt. Iacobi, Iudæ, 2. Pet. 2. & 3. Ioan. De epiſtola *Iacobi, Iudæ, ſecunda Petri, ſecunda & tertia Ioannis* quidam olim dubitarunt: nobis autem non licet aliud ſentire, quàm eſſe has epiſtolas Apoſtolicas, & diuinas. Prob. de omnibus ſimul, quia ponuntur in catalogo nomine Apoſtolorum Petri, Iacobi, Ioannis, & Iudæ, à Concilio Laodicenſi, Carthaginenſi III. Florent. & Trident. ab Innocent. I. & Gelazio, & Patribus. Habent etiam ſingulæ ſua teſtimonia. 2. Petri etiam legitur ab Eccleſia in feſto Transfigurationis.

Præterea; vel oportet confiteri hanc epiſtolam eſſe Petri, vel continere intolerabilem errorem: quod nullus hactenus dicere auſus eſt. Nam auctor dicit: *Hanc vocem nos audiuimus, cùm eſſemus cum illo in monte ſancto,* &c. At certè in monte ſancto, cùm Dominus transfiguratus eſt, ſoli cum Domino fuerunt Petrus, Iacobus, & Ioannes, vt Euangelium loquitur. Igitur epiſtolæ huius auctor aut inſignis aliquis impoſtor fuit, aut eſt vnus è tribus Apoſtolis *2. Petri 1.* *Matt. 17.*

Chriſti

Chriſti primarijs. Et quamuis parum refert, cuius ſit è tribus, quātum attinet ad auctoritatem; tamen ſatis conſtat, non eſſe Iacobi, aut Ioannis; tum quia nemo hoc vnquam dixit; tum etiam quia auctor initio epiſtolæ vocat ſe apertè *Simonem Petrum Apoſt. Ieſu Chriſti.*

Apocalypſim tum Ioannis Apoſtoli verum eſſe fœtum, tum librum admirabilem & diuiniſsimum eſſe prob. I: ex Concilijs, Ancyrano ante annos M. C C. Carthaginenſi III. Romano ſub Gelazio I. & Toletano IV. Deinde, ex Patribus Græcis, & Latinis. *2. Pet. 1.* *Apocalypſis.*

Tertij ordinis libri ſunt *Apocryphi.* Eſt autem *Apocryphus* vox Græca. Et rem occultam, ac reconditam ſignificat: ſiquidem ἀποκρύπτειν celare eſt; ἀποκρυφὴ, latibulum. Porro Eccleſiaſtici ſcriptores non ſemper eodem modo hanc vocem vſurpant. Interdum enim vocant ſcripturas apocryphas, quas non eſt certum, an ſint canonicæ, & diuinæ, etiamſi ſatis conſtet nullos in eis errores inueniri. Interdum autem vocant Apocryphos eos, qui errores admixtos habent. Numerantur autem plurimi Apocryphi, ſed magna ex parte non extant, niſi ſuperiùs numerati, qui non ponuntur in canone ab aliquo Concilio, vel Pont. vel Patre. *Libri Apocryphi.*

CAPVT II.

De varijs editionibuus librorum ſacrorum.

PArum prodeſſet librorum diuinorum numerum non ignorare, ſi, cui editioni ex tam varijs, quæ nunc extant, auctoritas tribuenda ſit, ignoraremus. Et quidem de *editione Hebraicâ* duo ſunt, quæ veniunt in quæſtionem. Vnum: *An Scriptura illa ipſa, quæ à Moyſe, & Prophetis condita eſt, ad nos vſque peruenerit?* *De editione Hebraica Quæſt.*

Alterum: *An ea Scriptura, quæ Hebraicis codicibus continetur, peruerſo ſtudio Hebræorum ita corrupta ſit, vt auctoritatem nullam in Eccleſiâ mereatur?* *Quæſt. 2.*

De priore quæſtione duplex eſt ſententia. Vna eorum, qui docent Scripturam ſacram vniuerſam perijſſe tempore captiuitatis Babylonicæ, quando ciuitas euerſa, & templum incenſum fuit: ac deinde ab Eſdra fuiſſe rurſum reparatū Spiritu ſancto ei ſuggerente, & dictante omnia, ſicut antea fuerant. Ita Baſilius. *Reſp. vna ad 1.*

Hæc opinio videtur nobis improbabilis. Non enim alio fundamento nititur, quam teſtimonio libri Apocryphi. Vbi diſertis verbis ſcribitur, Eſdram totis 40. diebus diuino ſpiritu afflatum dictaſſe 5. viris, qui ſumma celeritate dicta excipiebant. Quod autem quidam dicant id colligi ex libro 2. Eſdræ, tantum abeſt, vt ſit verum, vt potius inde contrarium colligatur. Sic enim habemus: *Dixerunt Eſdræ Scribæ, vt adferret librum legis Moyſi: attulit ergò Eſdras,* &c. non dixerunt, vt iterum componeret librum legis, ſed vt adferret, quia ſciebant adhuc inueniri. *Refutat.* *4. Eſd. 14.* *2. Eſd. 8.*

Præterea

Præterea; & ſi Scriptura, quæ publicè ſeruabatur, in templo fuerit incenſa, & perierit; tamen incredibile eſt, non fuiſſe etiam aliqua exempla, vel certè partes eorum apud priuatos homines, maximè Ezech. Danielem, Hierem. Aggæum, Zachariam, Mardochæum, & ipſum Eſdram, qui tunc viuebant, & quibus lex Domini curæ erat.

Reſp. vera. Eſt ergò altera ſententia, fuiſſe quidem Eſdram librorum ſacrorum inſtauratorem, non omnia iterum dictando, ſed colligendo, & ordinando Script. in vnum corpus, quarum partes in varijs locis inuenerat; & etiam emēdando, ſi quę deprauata eſſent negligentia ſcribarum, cùm toto tempore captiuitatis lex negligenter ſeruata ſit, cùm non haberent Iudæi templum, & tabernaculum. Ita ſenſiſſe videntur grauiſsimi auctores. *Prob.* Nam ſi Eſdras libros ſanctos iterum dictaſſet, veriſimile eſt, id facturū fuiſſe non lingua Hebraica, ſed Chaldæa, vel mixta ex Hebraica, & Chaldæa, quæ tunc in vſu erat, & qua ſcripti ſunt libri Eſdræ, & Dani. At certum eſt, ſanctos libros, præter illos, lingua Hebraica eſſe ſcriptos, & illa ipſa, qua Adam & Eua, & Patriarchæ omnes locuti ſunt. Quod manifeſtè colligitur ex nominum propriorum etymologia, quæ ſæpe non inuenitur in alia lingua. Porro lingua Hebraica ante diuiſionem linguarum communis erat omnibus hominibus, & ideò non habebat certum nomen: at tempore Heber, cùm multæ linguæ eſſe cæpiſſent, illa communis ad diſtinctionem aliarum dicta eſt Hebræa, quia manſit in domô Heber: vnde *Hebræi.*

Reſp. ad 2. l. 8. in Iſaia. De ſecunda quæſtione ſic argumentatur Origenes: Si Scripturas Hebræi aliquando corruperunt, vel id fecerunt ante Chriſti aduentum, vel poſteà. Si anteà, quare Chriſtus, & Apoſtoli nunquam eos de tam inſigni crimine reprehenderunt, præſertim cùm leuiora non tacuerint? Quare Dominus ait: *Scrutamini Scripturas?* Et: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi; quæcunq; ergò dixerint vobis, ſeruate, & facite?* *Ioan. 5. Matth. 23.* Sin autem poſt Chriſti aduentum, quo pacto teſtimonia, quæ à Chriſto, & Apoſtolis citantur, omnia ferè inueniuntur nunc in Moyſe, & Prophetis, vt ab illis citata ſunt?

Argumentum alterum ſumitur ab incredibili religione Iudæorum ergà ſacros libros. Quilibet enim Iudæus centies potius moreretur, quàm pateretur legem in aliquo mutari.

Tertium: Si Iudæi falſare voluiſſent ſacros libros, ſine dubio in odium Chriſtianorum præcipua vaticinia ſuſtuliſſent. Id autem minime fecerunt: ſiquidem ea in quibus diſcrepant Hebræa à Græcis, & Latinis, ſæpe nullius momenti ſunt, quantum ad fidem, & religionem: ſed partim negligentia, vel ignorantia librariorum, partim ex ignorantia Rabbinorum, qui puncta addiderunt, irrepſerunt errores.

Quartum ducitur à prouidentia, qua Deus Eccleſiæ ſuæ ſemper proſpicit. non enim eſt veriſimile, paſſurum Deum, vt verba illuſtrium tot Prophetarū falſarentur.

De Chaldaica editione. *Chaldaicâ linguâ* editi ſunt libri Tobiæ & Iudith, & ex parte libri Eſdræ & Danielis. Tota etiam Scriptura vetus tranſlata eſt paraphraſticè ex Hebræo in Chaldęum. Quæ paraphraſticæ tranſlationes magnæ ſunt apud Hebræos auctoritatis, & ideò nobis etiam vtiles, vt ex ijs Hebræos conuincamus: ab

Eccleſia

Eccleſia autem non ita magni fiunt, qui à Iudaicis fabulis conſperſę ſunt.

De *editione Syriaca* tria dicenda ſunt: *De Syriaca quæſt. tres.*

Primùm; *Quid interſit inter linguam Syriacam, & Chaldaicam?*

Deinde; *Qui libri illa lingua ſcripti ſint?*

Tertiò; *Quanta ſit eius auctoritas?*

Quoad primùm: Syriaca lingua quaſi proles quædam eſt Hebraicæ, & Chaldaicæ. Hebræi ſiquidem vſque ad captiuitatem Babylonicam Hebraicè ſolùm loqui conſueuerant: ſed cùm abducti eſſent in Babylonem, cęperunt obliuiſci linguam propriam, & addiſcere alienam: quia tamen non perfectè Chaldaicam pronunciare poterant, & ſemper aliquid ex Hebręo retinebant, factum eſt, vt lingua quædam tertia naſceretur mixta ex Hebraica, & Chaldaica, quam pro vulgari, ac materna deinceps Hebræi habuerunt. Diſtinguuntur autem hæ linguæ characteribus, verborum coniugationibus affixis, punctorum notis, ſono vocalium idiotiſmis, ac tota ferè linguæ ſtructura, & multis etiam proprijs dictionibus. *Reſp. ad 1.*

Quoad ſecundùm: Certum eſt, nullum librum veteris Teſtam. ſcriptum eſſe hâc linguâ à primo auctore, niſi fortaſsis liber primus Machab. & Eccleſiaſticus: qui tamen non extant hoc tempore, niſi Græcè. De Teſtamento nouo maior eſt dubitatio. Et quidem valdè probabile eſt, Euangelium S. Matthęi, & epiſtolam ad Hebręos Syriaca lingua eſſe ſcriptos. Neque his repugnant veteres ſcriptores, qui hos libros, maximè Euangelium S. Matthæi, fuiſſe Hebraicè ſcriptos dicunt: loquuntur enim de lingua Hebraica, quę Apoſtolorum tempore vulgaris erat: quia paſsim in Euangelio legimus dictum aliquid Hebraicè, quod tamen conſtat Syriacè dictum. Vt: *Exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem, Golgotha.* *Reſp. ad 2.* *Ioan 19.*

De 3. quęſtione: Quòd ſi editio Syriaca ętate Clementis, Origen. Euſebij, Athanaſij, Theophili, Epiphanij, Hierony. &c. Poſterior ſit, vt certò mihi perſuadeo, cùm ipſi vel in Syria, vel in Ægypto, aut Epiſc. aut Presbyteri fuerint, & vel de varijs Script. editionibus accuratè diſputarint, vel certè multa de ſcripturis ſanctis poſteritati ſcripta reliquerint; & tamen eius editionis nullam prorſus mentionem faciant; non poteſt eius auctoritas tanta eſſe, vt cum editione Græca, aut Latina poteſt comparari. *Reſp. ad 3.*

Editiones Græcæ Teſtament. veteris nouem omninò ſunt, præter eum, cuius meminit Clemens Alexan. quæ, antequam rerum potiretur Alexander Magnus, incertum quo auctore, prodijt, & ex qua Plato, cæterique Philoſophi non pauca hauſerunt. Sed ſuccedente poſteà tranſlatione illa celeberrima 70. Seniorum, primùm negligi; deinde etiam amitti cępit, ita vt longo iam tempore vix memoria eius ſeruata ſit. *De Græcis editionibus.* *Li. 1. Strom.*

De interpretatione 70. Seniorum, quæ prima inter Græcas, ſunt 5. quæſt. *De interpretatione LXX. qu. 5.*

Prima, *de tempore quo ſit facta.*

Secunda, *Quorum librorum ſit?*

Tertia, *Quomodo facta.*

Quarta, *Quantæ auctoritatis?*

Quinta, *Num hoc tempore germanam illam interpretationem habeamus?* *Reſp. ad 1.* *lib 3. c. 25.*

Quoad primum, Irenæus, & Clemens Alex. ſcribunt, Ptolomæo Lagi filio *l. 1. Strom.*

regnante id factum: alij tamen omnes ſcriptores Ptolomæum Philadelphum nominant. Interuallum autem non eſt vſque adeò magnum, cùm hic alteri proximè ſucceſſerit. Scribit etiam Epiphanius anno 17. Philadelphi factum eſſe: atque ab eo tempore vſque ad Chriſti natalem diem effluxiſſe annos 291. Eſt autem poſterior ſententia multò probabilior, tum quòd plures, tum quòd antiquiores teſtes habet.

De menſuris, & ponderibus.

Reſp. ad 2. Quoad ſecundum, videtur velle Hieronym. quòd ſolum Pentateuchum verterint: omnia tamen vertiſſe ſcribunt alij. Nam Apoſtoli vſi ſunt Græca verſione in teſtimonijs Prophet. citandis, quo tempore nulla alia verſio Græca extabat. Deinde, non eſt veriſimile Regem illum, qui ex toto orbe terrarum libros adducebat in ſuam bibliothecam, noluiſſe etiam Prophet. oracula, & alios antiquiſſimos Iudæorum libros. Præterea, quomodo mirabile fuiſſet ſpacio 72. dierum potuiſſe abſolui verſionem Pentateuchi? Neque Ariſtæus (ex quo probat Hieronym.) ſolum Pentateuchum intelligebat nomine legis, ſed omnes libros ſacros. Hinc Dominus dicit, in lege Iudæorum ſcriptum eſſe id, quod in Pſalmis ſcriptum eſt. Et Paulus in lege ſcriptum dicit, quod habetur in Iſaia.

Ioan 10. & 15. 1. Cor. 14.

Reſp. ad 3. De 3. illud videtur certum, quod omnium conſenſu celebratur, 72. viros Hebræos, ſenes, ſcilicet ex qualibet tribu filiorum Iſraël vtriuſque linguæ peritiſſimos, ſpacio dierum 72. mirabili conſenſione diuinas litteras apud Pharum Ægypti ex Hebræo ſermone in Græcum idioma tranſtuliſſe. Vtrum autem ſinguli ſeparatim, an bini, & bini; aut potiùs omnes ſimul inter ſe conferentes interpretationem fecerint, eſt incertum. Poſtremum tamen probabilius videtur.

Reſp. ad 4. Quoad 4. certiſsimum eſſe debet 70. interpret. optimè tranſtuliſſe, & peculiari modo Spiritum ſanctum aſsiſtentem habuiſſe, ne qua in re errarent, vt non tam interpret. quàm Prophetæ fuiſſe videantur. Apoſtoli etiam hac verſione frequenter vtuntur: & poſtmodum Eccleſia Catholica multis ſæculis eandem interpretationem ſecuta eſt. Accedit, quòd non ſine miraculo fieri potuerit, vt tanta celeritate, tantaque conſenſione tantum opus conficeretur. Quò factum eſt, vt Philo ſcribit de vita Moyſis, vt ſingulis annis feſtus dies in loco, vbi facta eſt interpretatio, multis temporibus ageretur.

Reſp. ad 5. Quoad 5. probabilius cenſeo, illam verſionem adhuc ſupereſſe, ſed adeò corruptam, & vitiatam vt omnino alia eſſe videatur. Quòd namque adhuc ſuperſit, fidem faciunt plurima teſtimonia ex verſione ſeptuaginta, quæ eadem nunc in noſtris codicibus inueniuntur. Deinde, cùm hæc fuerit ſemper celeberrima & communiſsima, quis credere poterit hâc abolita, vel neglecta aliam aliquam eſſe conſeruatam?

De Græco Teſtamen. nouo. Conſtat etiam Teſtamentum nouum Græcè ſcriptum eſſe ab ijs Apoſtolis, vel Euangeliſtis, quorum nomina in ſingulis librorum titulis præferuntur: excepto dumtaxat Euangelio Matth. & Marc. & Epiſtola ad Hebr. Matthæus namque ſcripſit ſermone Hebraico, & Athanaſ. exiſtimat ab Apoſtolo Iacobo in Græcam linguam eſſe tranſlatum; Alij Ioanni Apoſtolo, alij ipſi Matth. illam tranſlationem tribuunt. Sed cuiuſcunque ſit, ita recepta eſt ab Eccleſia illa translatio, ac ſi ea lingua primùm ſcriptum fuiſſet Euangelium.

Marci liber Latinè ab ipſo Marco Romæ ſcriptus eſt, ac deinde ab eodem Aquileiæ in Græcam linguam conuerſus. Epiſtola ad Hebręos, vel ab ipſo Paulo Græcè ſcripta eſt, vel certè ab Apoſtolico aliquo viro ex Hebraico ſermone in Græcum tranſlata eſt. Itaque Gręca editio Teſtamenti noui vniuerſa Apoſtolos, & Euangeliſtas auctores habet.

Quare dubium non eſt, quin ſummę ſit auctoritatis, niſi fortè conſtet eam eſſe corruptam. De qua re ita ſentiendum cenſeo, vt de Hebraicis, non eſſe Gręcos codices corruptos generaliter: nec tamen eſſe fontes puriſsimos, vt neceſſario, quidquid ab eis diſſentit, corrigendum ſit.

De Latinis editionibus.

Editiones Latinæ Teſtam. veteris ex Gręca verſione ſeptuaginta, & Teſtam. noui ex Gręco fonte propè innumerabiles fuerunt ante tempora Hieronymi. Vna tamen erat communior, quę vetus, & vulgata editio dicebatur. At S. Hieronymus bis Teſtamentum vetus in Latinum conuertit. Primum ex Gręco ſeptuaginta. Et rurſum ex Hebręo. Nouum verò Teſtamentum non conuertit de Gręco in Latinum, ſed ſolùm à multis erroribus emendauit. Porrò verſio eius ex Hebręo in Latinum mox cępit à quibuſdam Eccleſijs recipi, & publicè legi. Poſt tempora autem B. Gregor. videntur omnes Latinæ editiones euanuiſſe præter vnam iſtam, quam nunc veterem, & vulgarem vocamus.

Quæſt. de vulgata Latina.

Non parua quæſtio eſt de hac noſtra vulgata Latina editione; *Sitne illa antiqua, quæ erat ante Hieronymum; an verò ipſius Hierony. an mixta ex vtraque?*

Propoſitio prima:

Propoſitio 1.

Teſtamentum nouum Latinum editionis vulgatæ ex antiquâ verſione habemus, quam tamen B. Hierony. emendauit.

Prob.

Id probamus potiſsimum, quòd multa loca, quæ B. Hierony. reprehendit in antiqua verſione, nos in noſtra ita correcta inuenimus, vt ipſe affirmat corrigenda. Verbi gratia dicit illud; *In Bethlehem Iudeæ*, debere eſſe, *Iudæ*.

In comment. Matth. c. 2.

Præterea; Conſtat Hieronymum emendaſſe nouum Teſtamentum iuſſu Damaſi Pontif. Conſtat etiam, eius emendationem fuiſſe receptam, & valdè placuiſſe hominibus eius temporis. Non eſt igitur veriſimile poſteà fuiſſe reiectam, ſed potiùs retentam, & conſeruatam.

Propoſitio ſecunda:

Propoſitio 2.

Pſalterium vulgatæ editionis Latinæ non eſt illud, quod D. Hieron. tranſtulit ex Hebræo; neque illud, quod tranſtulit ex verſione Græcâ L X X. interpretum: ſed illud, quod ipſe emendauit, tranſlatum ab antiquo interprete ex editione S. Luciani Mart.

Siquidem S. Hierony. quater circa Pſalterium laborauit. Tranſtulit enim illud ex Hebræo in Latinum; item ex Græco in Latinum, ex pura editione L X X: Denique, bis emendauit antiquam editionem, quæ tranſlata erat ex Græca communi, & vulgata. Dicimus igitur noſtrum non eſſe illud, quod ipſe tranſtulit ex Hebræo: nam illud extat in operibus S. Hierony. & ferè vbique diſſentit à noſtro, ſaltem quoad verba. Addimus, neque eſſe illud, quod ipſe vertit ex Origenis exemplis; ſed illud commune, quod bis emendauit. Nam in tota epiſt. ad Suniam, & Fretellam ſæpiſsimè ponit verba Latini Pſalterij, vt tunc erat in communi vſu, & Eccleſijs cantabatur. At illa omnia in noſtro inuenimus. Porrò commune ab Hierony. vocatur *Prob.*

illud, quod Origenes, & poſteà Lucianus emendauit.

Propoſitio tertia:

Propoſitio 3. *Probabile nobis eſt, librum Sapientiæ, Eccli. & Machabæorum nos non habere ex verſione Hieronymi; ſed ex antiqua tranſlatione cuius auctor ignoratur.*

Prob. Prob. I. quia nuſquam affirmat ſe tranſtuliſſe hos libros, neque vllæ extant præfationes eius in hos libros, cùm tamen dicat ſe ſingulis libris præfatiunculas præfixiſſe. Epiſt ad Auguſtin.

II. Quia S. Hieronym. hos libros arbitratur Apocryphos: proinde veriſimile eſt eum neglexiſſe horum librorum interpretationem.

III. Quia multa citantur ex his libris à B. Cypriano, & alijs Patribus S. Hieronymo antiquioribus, eo prorſus modo, vt nos in noſtra vulgata editione habemus.

Propoſitio quarta:

Propoſitio 4. *Reliqua omnia ex Hieron. verſione ex Hebræo habemus in editione vulgatâ.*

Prob. Prob. I. Quia conſtat S. Hieronym. primum, & ſolum ex antiquis, tranſtuliſſe ex Hebræo in Latinum Teſtamentum vetus: & rurſus conſtat, noſtram editionem translationem eſſe ex Hebræo in Latinum, exceptis Pſalmis, Sapientia, Eccleſiaſtico, & Machabæis.

Præfat. in Penstateuc. II. Quia illa omnia, quæ B. Hieronym. dicit, non haberi in editione LXX. & ſe addidiſſe ex ſua translatione ex Hebræo, in noſtra vulgata editione inuenimus.

III. Prob. ijs locis, quæ S. Hierony. monet, ſe aliter vertiſſe, quàm LXX. verterint; quæ in noſtra editione inuenimus, vt ipſe ſe vertiſſe dicit.

Epiſt. ad Auguſt. IV. Prob. ex præfationibus: nam teſtatur, ſe editioni ex Hebræo ſingulis pęnè libris præfatiunculas præfixiſſe, quas etiam nunc videmus in Biblijs vulgatæ editionis, nec vllus vnquam negauit, eas eſſe Hieronymi. At certè non eſt credibile, totum opus perijſſe, præter ſolas præfatiunculas.

Prob. 1 auctoritas Latinæ editionis vulgatæ. Porrò auctoritas Latinæ editionis vulgatæ Prob. I. argumento ipſius Concilij Trident. Ait enim Synodus Tridentina eam à ſe probari ſacrorum librorum Latinam editionem, quæ longo tot ſæculorum vſu in Eccleſia ipſa probata eſt. Nec enim temerè per annos ferè mille, id eſt, à tempore ſancti Gregorij, omnis Eccleſia Latina hac vna editione vſa eſt, omnes concionatores hanc explanauerunt, & populis propoſuerunt, omnia Concilia ex hac editione teſtimonia protulerunt ad confirmanda dogmata fidei. Eccleſiam autem totis octingentis annis, vel nongentis, germana Script. editione caruiſſe; atque in ijs, quæ ad fidem, & religionem pertinent, errores interpretis, neſcio cuius, pro verbo Dei coluiſſe, mirum eſt, ſi cui mirum, & abſurdum eſſe non videatur; præſertim ſi ex Apoſtolo didicerit, eam eſſe *columnam, & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3.

Prob 2. & 3. Prob. II. Teſtimonijs veterum.

Prob. III. Habuerunt Hebræi ſua lingua authenticam Scripturã Græci quoque habuerunt Gręcè authenticam Script. id eſt, Teſtamentum vetus ex verſione LXX. & Teſtam. noui ipſos fontes primos. Igitur æquum fuit, vt Latina Eccleſia, in qua ſedes Petri eſt, & in qua perpetuò fides Chriſtiana erat manſura, haberet ſua lingua authenticam Scripturam.

Prob.

Prob.4. In Concilijs generalibus Eccleſiæ, aut paucisſimi, aut interdum *Prob.4.*
nulli inueniuntur linguę Hebraicę periti. Malè igitur prouiſum eſſet Eccle-
ſię, ſi in rebus grauisſimis non poſſet fidere Latinæ editioni, ſed deberet re-
currere ad Hebraicos codices,& mendicare à Rabbinis,hoſtibus ſuis,verita-
tem. Idem dicere poſſumus de Gręca lingua. Nam,& ſi nunc vtcunque inue- *Lib.10.hiſt.*
niuntur, qui Græcè nouerint, tamen non ſemper ita fuit. Nam, ſi Ruffino *c.21.*
credimus,ex ſexcentis Epiſcop.qui ad Concilium Ariminenſe conuenerunt,
nemo fuit,qui ſciret,quid ſibi vellet, ὁμόουσιος. Et propterea,cùm callidi qui-
dam hęretici Arriani propoſuerent Synodo, an vellet Chriſtum colere, an
ὁμόουσιον,omnes clamauerunt ſe nolle ὁμόουσιον,ſed Chriſtum. Quęſtio eſt inter *Quæſt.*
Catholicos & hæreticos: *An oporteat, vel certè expediat diuinarum Scriptur. vſum* *Reſp.*
communem eſſe in lingua vulgari, & propria vniuſcuiuſque regionis? At Catholica
Chriſti Eccleſia non quidem prohibet omninò vulgares translationes: nam
in indice librorum prohibitorum à Pio IV. edito,videmus concedi lectio-
nem eiuſmodi librorum ijs, qui vtiliter, & cum fructu ea vti poſſunt, id eſt,
ijs,qui facultatem ab ordinario obtinuerunt: prohibet tamen,ne paſsim om-
nibus ſine diſcrimine concedatur eiuſmodi lectio, & ne in publico, & com-
muni vſu Eccleſię Script. legantur, vel canantur vulgaribus linguis, vt in *Seſſ.22. c.8.*
Concilio Trident. ſtatuitur: ſed contenti ſimus illis tribus linguis, quas Do- *& 9.*
minus titulo crucis ſuę honorauit; & quę omnium conſenſu antiquitate, *Ioan.19.*
amplitudine,& grauitate omnibus alijs pręſtant;ac demum, quibus ipſi libri
diuini ab auctoribus ſuis initio ſcripti fuerunt, hoc eſt, Hebræa, Gręca, &
Latina.

Prob. I. Hęc conſuetudo Catholicę Eccleſię, ex vſu Eccleſię veteris Te- *Prob. 1.*
ſtamenti, qui fuit à tempore Eſdrę vſque ad Chriſtum. Nam à temporibus
Eſdrę deſijt in populo Dei lingua Hebraica eſſe vulgaris. Siquidem in illis
LXX. annis,quibus Hebręi fuerunt inter Chaldęos in Babylone,obliti ſunt
linguam propriam, & Chaldaicam didicerunt, & deinceps Chaldaica, ſeu
Syriaca fuit illis materna. Quocirca habemus,quòd, cùm legeretur liber legis
Domini vniuerſo pop. Nehemias,& Eſdras,& Leuitę interpretabantur,quia *2.Eſd.8.*
alioqui nihil pop. intelligebat. Itaque propterea facta eſt lętitia magna in
pop. quia intellexerant verba legis,Eſdra interpretante.

Prętera; Id apertisſimè colligitur ex verbis Chriſti, & Euangeliſtarum.
Nam verba illa, *Talitha cumi, Abba, Haceldema, Golgotha* Syriaca ſunt: & apud *Marc.5.*
omnes Euangeliſtas habemus *Paſcha*, quod non eſt Gręcum, nec Hebręum. *Marc 14.*
Itaque dubium eſſe non poteſt, quin eo tempore lingua vulgaris non eſſet *Math.27.*
Hebręa, & tamen Hebraicè ſolùm Script. in templo, aut Synagogis publicè
legebant,aut canebant. Huc etiam pertinet illud: *Turba hæc, quæ non nouit legem.* *Ioan.7.*
Denique; vſque ad hanc diem in Synagogis Iudęi Script. Hebraicè legunt,cũ
tamen nulli nationi hoc tempore lingua Hebraica vulgaris ſit.

Prob.2. ex vſu Apoſtolorum. Nam Apoſtoli per totum orbem terrarum *Prob.2.*
Euangelium prędicarunt, & Eccleſias conſtituerunt; vt patet ex Paulo, & *Rom.10.*
Marco: & tamen non ſcripſerunt Euangelia aut epiſtolas linguis earum *Coloſſ.1.*
Gentium,quibus prędicabant. Quòd prob. quia nullum extat veſtigium vl- *Marc.vlt.*
lius ſcripti Apoſtolici,niſi Hebraicè, aut Gręcè,aut Latinè.

Præterea; Paulus Rom. Græcè ſcripſit, cùm tamen Rom. non Græca, ſed Latina eſſet vulgaris. Petrus etiam, & Iacobus ſcripſerunt Gręcè Iudæis per orbem terrarum diſperſis; quibus tamen non Gręca erat materna, nec Hebræa; ſed lingua eius regionis, in quâ habitabant. *Nónne iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? & ecce nos audiuimus eos loquentes noſtris linguis*, &c. Iſta dicuntur à Iudęis, qui ex varijs regionibus conuenerant ad Vrbem Hieroſolymę. Et: *Erant autem in Hieruſalem Iudæi, viri religioſi, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.* Item, Ioannes Græcè ſcripſit primam epiſtolam Parthis, cùm tamen Gręca non eſſet illis materna.

Act. 2. *Ibidem.*

Prob. 3. Prob. 3. Ex vſu vniuerſalis Eccleſiæ, contra quem diſputare inſolentiſſimæ inſanię eſt. Vniuerſa autem Eccleſia ſemper his tantum linguis, Hebræa, Græca, & Latina, vſa eſt in communi, & publico vſu Script. cùm tamen iam dudum deſierint eſſe vulgares. Porrò, quod in vniuerſa Eccleſia ſeruatur, ſi non poſsit eius aſsignari initium, de Apoſtolica traditione deſcendere, & ſic ſemper fuiſſe meritò creditur.

Prob. 4. Prob. 4. Nam conuenit omninò ad vnitatem Eccleſię ſeruandam, vt publicus vſus Script. ſit in aliquâ linguâ communiſsimâ: nam alioqui tolleretur communicatio Eccleſiarum: nemo enim, doctus, aut indoctus, frequentabit Eccleſiam, niſi in ſuâ patriâ.

Præterea, non poterunt fieri generalia vlla Concilia: nec enim Patres omnes, qui ad Concilium conueniunt, habent donum linguarum. Et hęc eſt ratio à priori, cur Apoſtoli ferè omnia Gręcè ſcripſerint, quia tunc lingua Gręca erat omnium communiſsima. Deinde autem conuerſę ſunt Script. in linguam Latinam, quia paulò pòſt creſcente Imperio Rom. deſijt Gręca lingua eſſe communis in Occidente, & cœpit Latina eſſe communis, ſaltem apud eruditos, in tota Italia, Gallia, Hiſpania, Africa, alijſque regionibus. Cùm igitur etiam nunc nulla ſit communis toti Occidenti, niſi Latina, certè in eâ Script. diuinæ legendę ſunt.

Prob. 5. Prob. 5. Si vlla ratio eſſet, cur Script. lingua vulgari in cœtu fidelium legi deberent, ea certè eſſet potiſsima, vt omnes intelligerēt. At certè populus non intelligeret Prophetas, & Pſalmos, & alia, quę in Eccleſijs leguntur, etiamſi linguâ maternâ legerentur. Quid, quod pop. etiam caperet detrimentum ex Script. Acciperet enim facillimè occaſionem errandi, tum in doctrinâ fidei, tum in pręceptis vitæ, & morum: nam ex Script. non intellectâ natæ ſunt omnes hęreſes.

Cant. 1. *Cant. 2.* *Oſea 1.* Præterea; Si pop. rudis audiret linguâ ſuâ vulgari legi ex Cant. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Et: *Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Et illud Oſeæ: *Vade, & fac tibi filios fornicationum.* Nec non adulterium Dauidis, inceſtum Thamar, mendacia Iudith, & quemadmodum Ioſeph fratres ſuos inebriauit, Sara, Lia, & Rachel dederunt ancillas viris ſuis in concubinas, & multa alia eorum, qui in Script. magna cum laude commemorantur; vel prouocaretur ad eiuſmodi imitanda, vel contemneret SS. Patriarchas, vel putaret mendacia eſſe in Script. Et, cùm tam multas apparentes contradictiones in Script. eſſe videret, & ſoluere non poſſet, periculum eſſet, ne tandem nihil crederet.

6. Si

6. Si oporteret vulgari lingua Scriptur. ſacras publicè legere, oporteret etiam ſingulis ætatibus mutare translationes. Nam linguæ vulgares ſingulis ſęculis magna ex parte mutantur, vt docet experientia. Tot verò translationum mutationes, non ſine grauiſsimo periculo, & incommodo fierent. Nam non ſemper inueniuntur idonei interpretes, atque ita multi errores committerentur, qui non poſſent poſteà facilè tolli, cùm neque Pont. neque Concilia de tot linguis iudicare poſſent. *Prob. 6.*

7. Videtur omnino maieſtas diuinorum officiorum requirere linguam magis grauem, & venerandam, quàm ſint illę, quibus vulgo vtimur, ſi id commodè fieri poſsit: prętertim cùm in ſacris myſterijs multa ſint, quę ſecreta eſſe debent; vt etiam veteres docent. *Prob. 7.*

CAPVT III.

De Verbi Dei interpretatione.

PRIMA Quęſtio eſt: *Sintne Script. Sacræ per ſe facillimæ, atque apertiſſimæ; an verò interpretatione indigeant?* Script. ipſa de ſua difficultate, atque obſcuritate teſtimonium perhibet. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam.* Ibidem: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Ibidem: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.* Et certè Dauid nouerat totam Script. quę tunc erat, & nouerat phraſes linguę Hebraicæ, nec erat ſuperbus, aut infidelis. *Quæſt. 1. Reſp. Prob. 1. Pſalm 118.*

Præterea; Dominus interpretatur Script. Diſcipulis ſuis, qui certè nouerant phraſes Hebraicas, cùm eſſent Hebræi; nec erant ſuperbi, aut infideles. *Luc. vlt.* Eunuchus Reginæ Æthiopum verſabatur in Script. eaſque diligenter legebat, & ſanctus, pius, & humilis erat; & tamen interrogatus à Philippo: *Putas, intelligis, quæ legis?* Reſpondit: *Et quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?* *Act. 8.* Denique; Apoſtolus Petrus aſſerit, in epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu, quę indocti, & inſtabiles deprauant. *2. Pet. vlt.* Vbi notandum, Apoſtolum Petrum non dixiſſe, eſſe quędam difficilia indoctis, & inſtabilibus, vt hęretici exponunt; ſed difficilia abſolutè. Nam S. Auguſtinus, qui certè indoctus, & inſtabilis non erat, fatetur ſibi difficillimum eſſe intellectu locum illum: *Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum*, &c. Et dicit, hunc eſſe vnum ex illis locis, quę S. Petrus monuit, eſſe difficilia intellectu. *Lib. de fide, & oper. c. 15 & 16. 1. Cor. 3.*

Prob. 2. Difficultas Script. ex communi conſenſu veterum Patrum. *Prob 2.*

Prob. 3 ratione. Nam in Script. duo conſiderari poſſunt: res, quę dicuntur; & modus, quo dicuntur. Si res conſideres, neceſſario fatendum eſt, Script. eſſe obſcuriſsimas: ſiquidem tradunt ſumma myſteria de diuina Trinitate, de incarnatione Verbi, de Sacramentis cœleſtibus, de natura Angelorum, de operatione Dei in mentibus humanis, de æterna prędeſtinatione, ac reprobatione, deque alijs rebus arcanis, & ſupernaturalibus, quæ non ſine *3.*

magno

magno ſtudio, & labore, nec ſine grauiſsimi erroris periculo, inueſtigantur. Certè, ſi ſcientia Metaphyſicorum difficilior, atque obſcurior eſt omnibus alijs naturalibus diſciplinis, quia cauſas altiſsimas tractat; quomodo non obſcuriſsima erit Script. ſacra, quæ de rebus longè altioribus agit? Quid, quòd magna pars Script. vaticinia continet de rebus futuris, & vaticinia carmine ſcripta, quibus certè nihil difficilius, nihil obſcurius. Si verò modum dicendi conſideremus, inueniemus innumerabiles rationes difficultatis.

I. Sunt in Script. plurima, quæ primâ fronte videntur contraria. Vt illud:
Exod. 20. *Ego Deus zelotes, viſitans peccata Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.*
Ezech 18. Et illud: *Filius non portabit iniquitatem Patris; ſed anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.*

II. Sunt verba, & orationes ambiguæ. Vt, petentibus Iudæis: *Tu, quis es?*
Ioan. 8. Reſpondit Ieſus: *Principium, qui & loquor vobis.* Mirè enim torquent ſe hic omnes interpretes: nec adhuc ſcitur, quid illud ſit: *Principium, qui:* Et in Græco res eſt adhuc obſcurior, vbi, *Principium*, eſt accuſatiui caſus Τὴν ἀρχὴν.

Rom. 5. III. Sunt orationes imperfectæ: *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt,* & quæ ſequuntur. Vbi in tota periodo non eſt verbum principale.

Gen. 10. IV. Sunt orationes præpoſteræ. Vt: *Iſti ſunt filij Sem ſecundum cognationes, &*
Gen. 11. *linguas, & regiones in Gentibus ſuis.* Nam continuò ſequitur: *Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorundem.*

Pſalm. 88. V. Sunt Phraſes propriæ Hebræorum. Vt: *Thronus eius, ſicut dies cœli.* Et: *Ani-*
Pſal. 118. *ma mea in manibus meis ſemper.* Et aliæ permultæ.

VI. Sunt orationes figuratæ plurimæ, Tropi, Metaphoræ, Allegoriæ, Hyperbata, Ironiæ, & aliæ id genus ſine numero.

Accedat poſtremò teſtimonium aduerſariorum, quod, velint, nolint, huic veritati perhibere coguntur. Nam, ſi Script. eſſet tam clara, vt ipſi dicunt, cur tot commentaria Lutherus, & Lutherani ederent? Cur tam diuerſas Script. verſiones? Cur tam variè Script. explicarent?

Quæſt. 2. Quæſtio II. *Num Scripturæ interpretatio ab vno aliquo viſibili, & communi indice petenda ſit; An vniuſcuiuſque arbitrio relinquenda?*

Script. duplex ſenſus eſt; Litteralis, ſeu Hiſtoricus; Spiritualis, ſeu Myſticus.

Senſus litteralis. *Litteralis*, quem verba immediate præſeferunt.

Spiritualis. *Spiritualis*, qui aliò refertur, quàm ad id, quod verba immediatè ſignificant.
1. Cor. 10. Quæ partitio ex Apoſtolo colligitur, vbi dicit omnia accidiſſe Iudæis in *figurâ ad correctionem noſtram.* Et quæ ad litteram dicuntur de egreſſu Iudæorum ex Ægypto, de tranſitu maris rubri, de mannâ, de aquâ quæ fluxit è petrâ, ſpiritualiter accommodat Chriſtianis.

Quos etiam duos ſenſus ſignificatos per librum ſcriptum intus, & foris,
Apoc 5. de quo agitur in Apocalypſi, & apud Ezechielem, docet Hieronymus Na-
Ezech. 2. zianzenus ad Nemeſium, litteralem comparat corpori, ſpiritualem animæ: & ſicut Verbum Dei genitum habet naturam diuinam inuiſibilem, & humanam viſibilem: ita verbum Dei ſcriptum habet ſenſum externum & internum.

Litteralis

Litteralis duplex eſt: Simplex. & Figuratus.

Simplex, qui conſiſtit in proprietate verborum.

Figuratus, quo verba transferuntur à naturali ſignificatione ad alienam. Et huius tot ſunt genera, quot ſunt genera figurarum. Cùm Dominus dicit: *Alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili.* Senſus litteralis eſt, ſed figuratus, alios homines, præter Iudęos, congregandos in Eccleſiam ſignificans, quod propriè dictum eſt, *vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum.* *Simplex.* *Figuratus.* *Ioan. 10.* *Ioan. 11.*

Spiritualis ſenſus triplex eſt:

Allegoricus. Tropologicus. Anagogicus.

Allegoricus, cùm verba Script. præter litteralem ſenſum ſignificant aliquid in nouo Teſtam. quod ad Chriſtum, vel Eccleſiam pertineat. Quomodo Abraham, qui reuerà ad litteram habuit duas vxores, liberam, & ancillam; duos filios, Iſaac, & Iſmaël, Deum auctorem duorum Teſtamentorum, & Patrem duorum pop. ſignificauit, vt Apoſtolus explicat. *Allegoricus.* *Gal. 4.*

Tropologicum appellant, cùm verba, aut facta, referuntur ad aliquid ſignificandum, quod pertineat ad mores. Quomodò, *Non alligabis os boui trituranti*, quod ad litteram de bobus veris intelligitur, ſignificat ſpiritualiter, non debere prohiberi concionatores, quin victum accipiant à populo; vt Apoſtolus explicat. *Tropologicus.* *Deut. 25.* *1. Cor. 9.*

Anagogicus, cùm verba, aut facta referuntur ad ſignificandam vitam æternam. Quomodo illud: *Quibus iuraui in irâ meâ, ſi introibunt in requiem meam*; quoad litteram, de terrâ promiſsionis; ſpiritualiter etiam refertur ad vitam æternam. *Anagogicus.* *Pſal. 94.* *Heb. 4.*

Ex his ſenſibus litteralis inuenitur in omni ſententia tam veteris, quàm noui Teſtam. Nec eſt improbabile, plures interdum litterales in eadem ſententia reperiri. At ſpiritualis inuenitur quidem in vtroque Teſtamento: Nam de veteri nemo dubitat: idem ſentiunt permulti, & meritò de nouo. Nam allegoricè exponit Auguſt. illam capturam piſcium, quando ſcindebatur rete. Anagogicè autem illam, quando rete non ſcindebatur. Et ſimiliter allegoricè exponit, quod dictum eſt Petro; *Sequere me:* & anagogicè, quod dictum eſt de Ioanne: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Tropologicè autem exponit ipſe Dominus illam ſuam humilitatem, quâ diſcipulorum pedes lauit. Non tamen inuenitur ſenſus ſpiritualis in omni ſententia Script. nec in Teſtam. veteri, nec in nouo. Illud enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; & ſimilia præcepta, non habent niſi vnum ſenſum, id eſt, litteralem. *Tract. 122. in Ioannem.* *Luc. 5.* *Ioan. 21.* *Tract. 124. in Ioan.* *Ibid.* *Ioan. 13.* *Deut. 6.* *Matt. 22.*

Ex ſolo itaque litterali ſenſu peti debent argumenta efficacia; nam eum ſenſum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum eſt, ſenſum eſſe Spiritus ſancti. At ſenſus myſtici, & ſpirituales, varij ſunt, & licet ædificent, cùm non ſunt contra fidem, aut bonos mores, tamen non ſemper conſtat, an ſint à Spiritu ſancto intenti. Quocirca B. Auguſt. merito ridet Donatiſtas, qui ex illis verbis myſticè explicatis; *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*; colligebant, Eccleſiam Chriſti in ſolâ Africâ remanſiſſe. *Epiſt. 48. ad Vincent.* *Cant. 1.*

De ſenſu autem litterali duabus de cauſis interdum dubia oriuntur. Prior eſt, verborum ambiguitas. Vt: *Bibite ex hoc omnes.* Illud, *omnes*, eſt ambiguum: neſcitur enim an omnes homines abſolute ſignificent, an omnes fide- *Matt. 26.*

les tantùm, an omnes Apoſtolos. Poſterior, & grauior eſt, verborum proprietas. Cùm enim litteralis ſenſus modò ſit ſimplex, modò figuratus, dubium eſt in multis locis, an ſenſus verus ſit ſimplex, an figuratus. Illud enim;

Ibid. *Hoc eſt corpus meum*, Catholici volunt accipi ſimpliciter ſecundum verborum proprietatem: Swingliani autem per figuram Metonymiam. Et ex hâc cauſa in grauiſsimos errores nonnulli inciderunt.

Reſp. ad quæſt. Quæſtio autem tota poſita eſt in eo: Vbi ſit iſtę Spiritus? Nos exiſtimamus hunc ſpiritum, & ſi multis priuatis hominibus ſæpe concedatur, tamen certè inueniri in Eccleſia, id eſt Concilio Epiſcop. confirmato à ſummo Eccleſiæ totius Paſtore: ſiue à ſummo Paſtore cum Concilio aliorum Paſtorũ.

Seſſ. 4. Vt habetur expreſsè in Concil. Trident.

Prob 1. *Exod. 18.* Prob. I. ex Teſtam. veteri. Nã habemus I. quòd cùm cępiſſet populus Dei redigi ad quandam formam Eccleſiaſticæ Reip. ſedebat Moyſes, tanquam princeps, & caput illius Eccleſiæ, & ad omnia dubia circa Dei legem exorta

Ibid. reſpondebat, nec homines remittebat ad ſpiritum aliquem reuelantem. Cùm conſtituiſſet, iuxta conſilium ſoceri ſui, minores magiſtratus, qui populo iudicarent, ſemper tamen ſibi reſeruabat dubia circa religionem, vt ſcilicet intelligeremus, vnum debere eſſe tribunal commune, à quo omnes petant diuinæ legis interpretationem, & cui omnes acquieſcant.

Obiect. Hoc argum. à quibuſdam eludi ſolet, quod dicant, Moyſen fuiſſe Principem politicum, non Pontificem, aut Sacerdotem, cùm Aaron eſſet ſummus

Solut. Pont. Reſp. Moyſen fuiſſe Pont. & quidem ſummum, & Aarone maiorem; non quidem ordinarium, cui ſuccederetur, (is enim vnus tantùm eſſe poterat, & ille erat Aaron) ſed extraordinarium à Deo ſpecialiter conſtitutum. Sicut in nouo Teſtam. Apoſtoli omnes non quidem maiores, nec omninò pares, ſed tamen aliquo modo æquales erant Petro in Eccleſiaſtica poteſtate: cum hoc tamen diſcrimine; quod Petrus ordinarius erat Paſtor totius Eccleſiæ, cui ſoli ſuccedi debebant; reliqui extraordinarij, quibus non erat in illa poteſtate ſuccedendum. Quòd autem Moyſes fuerit Sacerdos, teſtatur Da-

Pſal. 98. uid: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocant nomen Domini.* Sed, inquiunt, Sacerdos Moyſes dicitur, quia fuit vir primarius, quo-

Obiect *2. Reg. 8.* modo filij Dauid Sacerdotes dicuntur.

Solut. At contrà, ſic etiam Samuel, qui erat vir primarius, fuiſſet vocatus Sacerdos. Quod Dauid non fecit, quia ſciebat eum non eſſe Sacerdotem, ſed iudi-

1. Paral 6. cem tantùm: non enim deſcendit ex familiâ Aaron, ſed Core conſobrini eius.

Exo. 28. 29. Verè autem & propriè Moyſen fuiſſe ſacerd. patet, quia exercuit omnia munera ſacerdotalia; vt ſacrificare, docere, conſecrare veſtes: &, quod maius eſt, Pontificem, & Sacerdotes inunxit, & initiauit.

Deut. 17. 2. *Si difficile, atque ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris*, &c. *Veniéſque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore*, &c.

Obiect. Obijcit Brentius, ad iudicem etiam remitti eos, qui dubitant: iudicem autem fuiſſe Principem politicum.

Reſp. nomine iudicis poſſe etiam intelligi Principem ſacerd. Nam in Hebr. eſt: Aſcende ad ſacerdotes, & ad iudicem. Deinde, etiamſi Principem politicum intelligamus, ſunt diſtincta officia: nam ſacerdoti tribuitur ſententia

tentia definitiua, iudici autem executio in contumaces: *Qui ſuperbierit*, inquit, *nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis moriatur.*
3. *Verba Sapientum, ſicut ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno. His amplius fili mi, ne requiras.* Eccle. 12.

Quòd ſi hæc dicuntur de Sacerdote veteris Teſtam. quanto magis poſſunt dici de Sacerdote noui Teſtam. qui longè maiores promiſsiones à Deo accepit?

4. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum; interroga Sacerdotes legem.* Item: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Aggæi 2. Malac. 2.

5. Nam ſic loquitur ad Sacerd. Rex optimus Ioſaphat: *Omnem cauſam, quæ venerit ad vos*, &c. *Oſtendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarias autem Sacerdos, & Pont. veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias, filius Iſmaël, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Vides, quàm clarè Rex diſtinguat officium Pont. ab officio Regis, & ſoli Pont. tribuat iudicium de dubijs rebus. 2.Par 19.

Prob. 2. ex nouo Teſtam. I. teſtimonium: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Per *claues* illas non ſolùm intelligitur poteſtas ſoluendi à peccatis, ſed etiam ab omnibus alijs vinculis, & impedimentis, quæ niſi tollantur, non poteſt intrari in regnum cœlorum. Nec dicitur, quemcunque ſoluetis, ſed, *quodcunque*: vt intelligamus [illegible]odos omnes, ſeu legum diſpenſando: ſeu peccatorum & pœnarum, [illegible]ndo; ſeu dogmatum, & controuerſiarum, explicando, à Petro, eiuſque ſucceſſoribus, ſolui poſſe. Prob. 2. Matt. 16.

2. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Non poteſt fieri, vt deferatur talis ad congregationem omnium fidelium: ergò nomine Eccleſiæ intelligi debet Prælatus, vel Prælatorum congregatio. Si ergò, qui Eccleſiam, id eſt Eccleſię Paſtores, non audit, debet eſſe, vt ethnicus, & publicanus, ſequitur, Paſtorum eſſe vltimum iudicium. Matt 18.

3. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum opera eorum nolite facere.* Matt. 23.

Nota I. toto illo cap. Dominum reprehendere vitia Scribarum, & Phariſæorum: &, quia poterant infirmi ex eo colligere, non eſſe credendum Prælatis, qui malè viuunt, ideò initio cap. apertè docere voluit, non obſtante mala vita Prędatorum, ſequendam eſſe eorum doctrinam.

Nota II. nunquam Dominum, neque Apoſtolos, in totâ Scriptura reprehendiſſe Pontif. & Sacerd. Iudæorum, nominando eos, Pontif. & Sacerd. ſed ſolùm ſub nomine Scribarum, & Phariſęorum, vt intelligamus, honorem deberi ſacerdotio, & Pontificatui, etiamſi fortè perſona, quæ in cathedrâ ſedet, ſit minùs idonea.

Tertio nota: quod Dominus de cathedrâ Moyſis dicit, intelligi à fortiori de cathedrâ Petri. Sic enim veteres intellexerunt.

4. *Simon Petre, paſce oues meas.* Ioan vlt.

Quòd Petro dicitur, etiam ſucceſſoribus dicitur: neque enim voluit Chriſtus Eccleſiæ prouidere 25. annis, ſed quouſque mundus duraret. Illud, *paſce*, præcipuè de doctrina intelligitur; ſic enim paſcuntur oues rationales, iuxta

 illud:

Ier. 3. illud: *Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ, & doctrinâ.* Illud (*oues*) etiam ſignificat omnes Chriſtianos: qui enim non vult paſci à Petro, non eſt ouis Chriſti. Docere ergò debent Petrus, & ſucceſſores, quid circa doctrinam fidei tenendum ſit. Nam, ſi de concionibus intelligamus tantùm, nunquam hoc præceptum implebitur: nec enim Pont. poteſt omnibus hominibus concionari, nec opus eſt. Si etiam intelligamus de concione, & cõmentarijs in ſacras litteras, reprehendemus plurimos ſanctiſsimos Pont. qui nihil tale fecerunt.

Luc. 22. 5. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Ex hoc loco deducunt Patres, Romanum Pont. ex cathedrâ docentem non poſſe errare: cuius iudicio ergò meritò eſt acquieſcendum.

Act. 15. 6. Legimus, cùm orta eſſet quæſtio grauis de fide, an ſeruanda eſſet lex Moyſis à Gentibus conuerſis, non fuiſſe remiſſos vnumquemque ad ſpiritum ſuum, ſed ad Concilium Ieroſolymæ habitum, cui Petrus præerat: & Petrum omnium primum in Concilio eſſe locutum: deinde Iacobum ſententiâ Petri confirmaſſe, & ſic quæſtionem ſolutam illis verbis: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.*

Gal. 2. 7. *Aſcendi*, inquit, Paulus, *Ieroſolymam cum Barnabâ, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus*, &c. Quinam autem eſſent illi, inferiùs explicat, dicens, fuiſſe Petrum, Iacobum, & Ioannem. Vbi Patres docent, non credituram eſſe Eccleſiam Paulo, niſi eius Euangeliũ eſſet à Petro confirmatum.

1. Cor. 12. 8. *Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij interpretatio ſermonum, alij prophetia*, &c. Ergò non omnibus fidelibus datur ſpiritus interpretandi, Script. Et præterea conſtat ex illo: *Omnis Prophetia Scripturæ propria*
2. Pet. 1. *interpretatione non fit*, non poſſe ſine ſpiritu interpretandi benè Scripturam exponi. Ergò vllus homo priuatus non eſt iudex veri ſenſus Script. Quid enim faciet, qui ſpiritum non habet? Imò quis erit certus, ſe habere hunc ſpiritum, cùm ſciamus, non dari omnibus; & non ſciamus, quibus detur? At, inquiunt,
Obiec. Luc. 11. ſcriptum eſt: *Quantò magis Pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Et: *Si-*
Iacob 1. *quis veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus abundanter.* Reſp. in his,
Solut. & ſimilibus locis Dominum loqui, non de ſpiritu interpretandi, qui eſt gratia quædam gratis data; ſed de ſpiritu fidei, ſpei, & charitatis, & ſapientiæ neceſſariæ ad ſalutem. Deinde, petens adhuc certus non eſt, quia neſcit, an be-
Iac. 4. nè petat: ſcriptum eſt enim: *Petitis, & non accipitis, eò quod malè petatis.*

1. Ioan 4. 9. *Chariſsimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt. Multi enim Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Spiritus hominum priuatorum probandi ſunt, ſi ex Deo ſint; multi enim iactant Spiritum Sanctum, qui agitantur ſpiritu vertiginis, & mendacij, vt dicitur 3. Reg. vlt. 2. Paral. 18. Iſa. 19. & 29.

Prob. 3. Prob. 3. veritas ex praxi Eccleſiæ: nam omnibus ſeculis in Eccleſia exorta ſunt noua dubia, & ſemper terminata ſunt iudicio Pontif. Rom. & Epiſc.

Prob. 4. teſtimonijs Pontificum, Imperat. & Patrum.

Prob. 4. 5. Prob. 5. ratione.

I. Ratio: Non ignorabat Deus, multas in Eccleſiâ exorituras difficultates circa fidem: debuit ergò iudicem aliquem prouidere Eccleſiæ. At iſte iudex

dex non poteſt eſſe Scriptura, neque ſpiritus reuelans priuatus, neque princeps ſæcularis. Ergò princeps Eccleſiaſticus, vel ſolus, vel cum concilio, & conſenſu Coëpiſcoporum. Neque enim aliquid aliud, ad quod hoc iudicium pertinere videatur, fingi poteſt.

Non Scriptura, quia varios ſenſus recipit, nec poteſt ipſa dicere, quis ſit verus. Deinde, in omni Rep. bene inſtituta, lex, & Iudex, diſtinctæ res ſunt. Lex enim docet, quid agendum ſit; & Iudex legē interpretatur. Denique, de ſcripturæ interpretatione quæſtio eſt; non autem, ſe ipſa poteſt interpretari.

Non ſpiritus reuelans vnicuique priuato homini, quia ille, qui eſt in te, à me videri non poteſt, nec audiri. Iudex autem videri debet, & audiri ab vtraque parte litigante. Si autem ſpiritus eſſemus fortè ſufficeret iudicium ſpiritus. Deinde, in Rep. temporali omnes homines habent verum lumen naturale, quo lex condita eſt, & quod ſufficit ad legem exponendam, & tamen nunquam permittitur legis interpretatio priuato iudicio vniuſcuiuſque, alioqui Reſp. diu ſtare non poſſet: quantò minùs interpretatio Script. cū non habeant omnes verum illud ſupernaturale lumen, quo Script. condita eſt. Præterea, Iudex debet habere auctoritatem coactiuam, alioquin nihil prodeſſet eius iudicium. At priuati homines nullam habent talem auctoritatem. Deinde plurimi ſunt adeò rudes, vt ipſimet fateantur ſe nullo modo poſſe iudicare de quæſt. fidei: & tamen etiam illi ſaluari poſſunt. Adde, quòd nemo ſit hæreticorum, qui ſpiritum non iactet, & qui ſpiritum ſuum non præponat ſpiritibus aliorum: ſicut cum Michæas diceret ſe loqui in nomine Domini; Pſeudoprophetas autem agitari ſpiritu mendacij. Reſpondit ei Sedechias Pſeudoproph. *Et per quam viam pertranſiuit ſpiritus Domini à me, vt loqueretur tibi?* 2. Par. 18.

Nec etiam Princeps ſæcularis: Nam nihil poteſt vltra virtutem à cauſis ſuis acceptam. Cauſæ autem principatus ſæcularis, humanæ, & naturales ſunt. Efficiens namque eſt electio pop. finis eſt pax, & tranquillitas temporalis Reip.

Neque obſtat, quod dicitur: *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Et: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Nā illa intelligi debent, mediatè: quia Deus inſtinctū illū naturalem poſuit in hominibus, vt crearent ſibi Regem: ſicut etiam leges humanę dici poſſunt à Deo, quia fiunt lumine naturali, quod Deus in mente humanâ in creatione impreſsit. *Obiect.* *Rom. 13.* *Solut.*

At principatus Eccleſiaſticus cauſas habet & diuinas, & ſupernaturales: nam efficiens immediatè eſt Deus: neque enim Pont. ab Eccleſia auctoritatem habet, ſed à Chriſto, qui dixit ei: *Paſce oues meas.* Et: *Tibi dabo claues regni cælorum.* Finis autem eſt æterna beatitudo. *Ioan. vlt.* *Matt. 16.*

CAPVT IIII.

De Verbo Dei non ſcripto.

ANTEQVAM ad rem accedamus, videndum quid, & quotuplex ſit Traditio.

Nomen Traditionis. *Exod. 17.* Nomen *Traditionis*, generale eſt, & ſignificat omnem doctrinam, ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam, quæ ab vno alteri communicatur: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade in auribus Ioſue.* Et lex Moyſis ſcripta vocatur traditio: *Act. 6.* *Audiuimus eum dicentem, quoniam Ieſus deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones,* *1. Cor. 11.* *quas tradidit nobis Moyſes.* At ibi: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Traditio, vocatur doctrina viua voce expreſſa. Et ibi: *2. Theſſ. 2.* *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Tamen hoc ipſum nomen accommodatum eſt à Theologis ad ſignificandum tantùm doctrinam non ſcriptã. Vocatur autem doctrina non ſcripta, non ea, quæ nuſquam eſt ſcripta; ſed quæ non eſt ſcripta à primo auctore. Paruulos baptizandos namque, non inuenitur ſcriptum in vllo Apoſtolico libro, tametſi ſcriptum ſit in libris ferè omnium veterum Patrum.

Prima Traditionum diuiſio eſt penes auctores traditionum.

1. Diuiſio Traditionũ. Traditiones, aliæ ſunt. { Diuinæ. Apoſtolicæ. Eccleſiaſticæ.

Diuina. *Diuinæ* dicuntur, quæ acceptæ ſunt ab ipſo Chriſto, Apoſtolos docente, & nuſquam in diuinis litteris inueniuntur. Talia ſunt, quæ ad materiam, & formam Sacram. pertinent: pauca enim de his habemus in diuinis litteris, & tamen certum eſt Sacramenti eſſentiam non potuiſſe, niſi à Chriſto inſtitui. *1. Cor. 11.* Propterea Apoſtolus, loquens de Sacram. Euchariſt. dicebat: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

Apoſtolica. *Apoſtolicæ* ſunt, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, non tamen ſine aſsiſtentia Spiritus ſancti, & nihilominus non extant ſcriptę in eorum Epiſtolis; vt eſt ieiunium Quadrageſimę, & 4. temporum, &c. Solent tamen diuinæ traditiones dici Apoſtolicæ, & Apoſtolicę diuinę. Quomodo omnes epiſtolę Apoſtolorum dicuntur diuina, & Apoſtolica ſcripta, etiamſi quędam ſint in eis pręcepta diuina, & quędam propriè Apoſtolica. Vt patet ex illo: *1. Cor. 7.* *Præcipio non ego, ſed Dominus.* Et poſteà: *Dico ego, non Dominus.*

Eccleſiaſtica. *Eccleſiaſticæ* propriè dicuntur, conſuetudines quędam antiquę, vel à Prælatis, vel à populo inchoatę, quę paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuerunt. Et quidem Traditiones diuinę eandem vim habent, quam diuina pręcepta, ſiue diuina doctrina ſcripta in Euangelijs. Apoſtolicæ traditiones non ſcriptæ eandem vim habent quàm Apoſtolicæ traditiones ſcrip- *Seſſ. 4.* tæ. Vt in Concil. Trident. aſſeritur. Nam verbum non eſt tale, nec habet vllam

lam auctoritatem, quia ſcriptum eſt in membranis; ſed quia à Deo profectum eſt, vel immediatè, vt ſunt ſermones Domini; vel mediantibus Apoſtolis, vt eſt decretum Apoſtolorum. Eccleſiaſticę traditiones eandem vim habent, quam decreta, & conſtitutiones Eccleſię ſcriptæ: nam etiam in Rep. ciuili eadem eſt vis conſuetudinem approbatarum, & legum ſcriptarum. Altera diuiſio eſt penes materiam. *Act. 15.* *Diſt. 1. can. conſuetudo l. diuturna, ff de legibus.*

Traditiones, aliæ ſunt.	De fide. De moribus.	Perpetuæ, Temporales,	Vniuerſales, Particulares,	Neceſſariæ. Liberæ.

2. Diuiſio.

Traditio de fide eſt, quod B. Maria ſemper fuerit virgo, quòd quatuor tantùm ſint Euangeliſtæ: *Traditio ed fide.*

Traditio de moribus eſt, quòd ſignum crucis in fronte pingendum ſit; quod certis diebus ieiunia, aut feſta celebranda. *De moribus.*

Traditio Perpetua, quæ inſtituitur, vt ſemper ſeruetur, vſque ad mundi conſummationem. Vt prędicta exempla. *Perpetua.*

Temporalis eſt, quæ inſtituitur ad certum tempus. Vt obſeruatio legalium quarundam cęremoniarum, quæ ſeruanda erant vſque ad plenam Euangelij promulgationem. *Temporalis.*

Traditio Vniuerſalis eſt, quæ toti Eccleſiæ ſeruanda traditur; qualis eſt Paſchatis, Pentecoſtes, &c. *Vniuerſalis.*

Particularis, quę vni tãtùm Eccleſiæ traditur, aut pluribus. Qualis erat tempore Auguſtini Ieiunium Sabbathi, quod Petrus Roman. Eccleſiæ tradiderat, & ab eâ ſolâ, & quibuſdam alijs ſeruabatur. *Particularis.*

Traditio neceſſaria, quæ traditur in formâ præcepti, vt celebratio Paſchæ die Dominico poſt 14. lunam Martij. *Neceſſaria.*

Libera, quæ traditur in formâ conſilij; vt aſperſio aquæ luſtralis, &c. *Libera.*

Cõtrouerſia igitur inter nos, & hęreticos in his conſiſtit: I. quòd nos aſſeramus, in Script. non contineri expreſsè totam doctrinam neceſſariam ſiue de fide, ſiue de moribus: & proinde pręter verbum Dei ſcriptum, requiri etiam verbum Dei non ſcriptum, id eſt, diuinas, & Apoſtolicas traditiones. At ipſi docent, in Script. omnia contineri ad fidem neceſſaria, & mores; & proinde non eſſe opus vllo verbo non ſcripto.

Deinde: Illi exiſtimant, Apoſtolos quidem quędã inſtituiſſe pręter Script. quæ ad ritus, & ordinem Eccleſiæ pertinent; quæ tamen non ſint neceſſaria, nec pręcepta: ſed libera. Nos autem agnoſcimus traditiones Apoſtol. omnium generum.

Denique; Illi putant, traditiones Apoſtolicas, ſi quæ fuerint, nunc non extare, id eſt, non poſſe certo demonſtrari aliquam Apoſtolicam traditionẽ. Nos aſſerimus, non deeſſe certas vias, & rationes, quibus Apoſtolicæ traditiones oſtendantur. Nos Itaque tria demonſtrare conabimur. Primum, Script. ſine traditionibus nec fuiſſe ſimpliciter neceſſaria, nec ſufficientes.

Neceſsitas igitur traditionum prob. I. ex varijs ætatibus Eccleſiæ. Nam ab Adam vſque ad Moyſen fuit Eccleſia Dei aliqua in mundo, & colebant homines Deum fide, ſpe, & charitate, & externis ritibus: vt patet ex Gen. *Prob. Neceſſitas Traditionũ.*

ybi

vbi introducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noë, Abraham, Melchiſedech, & alij iuſti; At nulla fuit Scriptura diuina ante Moyſen: tum, quia omnium conſenſu Moyſes & primus ſcriptor ſacer; tum, quia in Gen. non fit mentio

Gen. 18. doctrinæ ſcriptæ, ſed ſolùm traditæ. *Scio*, inquit Deus, *quòd Abraham præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini.* Ergò annis bis mille conſeruata eſt religio ſolâ traditione.

Deinde; à Moyſe vſque ad Chriſtum, per alia duo annorum millia, extiterunt quidem Scripturæ; tamen ex ſolæ erant Iudęorum: reliquæ autem Gentes, in quibus etiam erat apud aliquos vera religio, & fides, ſolâ traditione non ſcriptâ viuebant. Nam pręter Iudęos multi alij ad Eccleſiam pertinebant, vt patet ex Iob, & amicis eius. Et in ipſo populo Dei & ſi Script. extarent, tamen magis vtebantur Iudęi traditione, quam Script. vt patet ex

Exod. 13. illo: *Narrabis filio tuo in illo die, dicens; hoc eſt, quod fecit Dominus*, &c. Et: *Interroga*

Deut. 32. *patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Et *Interroga genera-*

Iob. 8. *tionem priſtinam, & diligenter inueſtiga patrum memoriam.* Et: *Vbi ſunt mirabilia,*

Iud. 6. *quæ narrauerunt Patres noſtri?* Et: *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annun-*

Pſal. 43. *ciauerunt nobis*, &c. Et: *Quanta mandauit Patribus noſtris nota ea facere filijs ſuis, vt*

Pſal. 77. Eccli. 8. *cognoſcat generatio altera: filij, qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt ea filijs ſuis.* Et: *Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt à patribus ſuis.* Et tamen fuit Eccleſiaſticus ex vltimis ſcriptoribus Teſtamenti veteris. Cauſa autem cur vterentur Iudęi magis traditione, quàm Scriptura, eſt quia vſque ad tempora Eſdrę, Script. non erant redactæ ad formam librorum, vt facilè, & commodè haberi poſſent; ſed erant diſperſæ in varijs annalibus, & chartis; & interdum ex negligentiâ Sacerd. longo tempore non inueniebantur vt patet

4. Reg. 22. ex eo, quòd narretur tanquam nouum quid, quod in diebus Ioſiæ fuerit inuentum vnum volumen legis Domini in templo: Eſdras autem poſt captiuitatem omnia collegit, & ſimul in vnum corpus redegit, addens in Deut. vltimum cap. de vitâ Moyſis, & quędam alia hinc inde ad hiſtoriæ continuationem.

Porrò à Chriſti aduentu per annos multos fuit Eccleſia ſine Script. ita vt

Lib. 3. ca. 4. adhuc ſuo tempore ſcribat Irenęus, fuiſſe gentes Chriſtianas, quæ ſolis traditionibus ſine Script. optimè viuerent.

Hęretici autem apertè dicunt, totum canonem Script. eſſe neceſſarium ad hoc, vt ſufficiens doctrina habeatur. Contrà. Multi libri verè ſacri, & canonici perierunt. Ergò non habuimus à 1600. annis ſufficientem doctrinam, ſi tota ſita ſit in Script. Eſdras namque non reparauit libros perditos, ſed emendauit, & collegit eos, qui extabant. *Geſta autem Dauid*, inquit, *priora, &*

1. Paral. vlt. *nouiſsima, ſcripta ſunt in libro Samuel videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad videntis.* Et: *Reliqua autē opera Salomonis ſcripta ſunt in verbis Nathā Pro-*

2. Paral. 9. *phetæ, & in libris Abiæ Silonitis, in viſione quoque Addo videntis.* Et: *Locutus eſt Salomon*

3. Reg. 4. *tria millia parabolarū, & fuerunt carmina eius quinque & mille.* Vbi nā ſunt hęc omnia? Ex Teſtam. nouo certum eſt periiſſe Epiſtolā Pauli ad Laodicenſes, cuius

Coloſſ. vlt. ipſe meminit. Et fortè aliam ad Corinth. cuius mentio fieri videtur in illis

1. Cor. 5. verbis: *Scripſi vobis in Epiſtola.* Et facilè poteſt fieri adhuc aliqua alia perijſſe.

Prob. 2. Secundò prob. ex diſcrimine inter Prędicationem, & Script. Apoſtolorū:

Nam, ſi Chriſto, & Apoſtolis fuiſſet propoſitum verbum Dei coarctandi, & reſtringendi ad Script. in primis rem tanti momenti Chriſtus apertè præcepiſſet, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex Domini mandato ſcribere: quemadmodum ex eius mandato in toto orbe docuerũt. Deinde; ad prędicandum viuâ voce non expectarunt Apoſtoli occaſionem, vel neceſsitatem, ſed ſponte ſua, & ex proprio inſtituto perrexerunt: at ad ſcribendum non niſi neceſſitate quâdam coacti animum applicuerunt. Matthęum ſcribit Euſeb. eâ occaſione ſcripſiſſe, quia, cùm prædicaſſet Hebræis & ad Gentes ire pararet, vtile iudicauit, ſi eis, quos corpore deſerebat, aliquod memoriale doctrinæ ſuæ, & prędicationis relinqueret. Marcum refert idem nec ſua ſponte, nec à Petro (cuius diſcipulus erat) iuſſum, ſed compulſum precibus Rom. ſcripſiſſe Euangelium. Lucam idem tradit ideò ſolùm ſcripſiſſe, quia viderat multos alios temerè præſumpſiſſe ea litteris mandare, quæ non perfectè nouerant; vt nimirum eos abſtraheret ab incertis aliorum narrationibus. Ioannem ſcribit ibidem vſque ad extremam ſenectutem ſine vllâ ſcripturâ Euang. prędicaſſe: & addit Hieron. tandem eum compulſum fuiſſe ab Aſiæ Epiſcopis Euangelium ſcribere, propter Ebionitarum hęreſim tunc exorientem.

Lib. 3. hiſt. cap. 24.
Lib. 2. c. 15.
Li. 3 ca. 24.
Li. de Scriptoribus eccleſ.

Preterea; Si libros ſuos ex profeſſo litteris conſignare voluiſſent, certè Catechiſmum, aut ſimilem librum confeciſſent. Denique vel ſinguli Apoſtoli edidiſſent ſcriptam doctrinam Euangelicam, cùm ſinguli haberent curam alicuius Prouinciæ; vel certe omnes ſimul congregati, antequam diſcederẽt in ſuas Prouincias, communem aliquem librum edidiſſent, ſicut conſtat eos communiter Symbolum fidei compoſuiſſe, quod tamen non ſcripſerunt, ſed viuâ voce tradiderat.

Prob. 3.

Prob. tertio ex multis, quæ ignorari non poſſunt, & tamen in Script. nõ continentur. Primum, tempore Teſtam. veteris ſine dubio non minus fœminę, quàm viri remedium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur; & tantum pro maſculis inſtituta erat Circumciſio, ſecundum multorum opinionem: quid autem eſſet pro fœminis, nuſquam habet Script. Deinde, eo tempore non eſſe vllo modo credibile, non fuiſſe remedium vllum pro maſculis morientibus ante octauum diem, quem ſolo poterant circumcidi, & tamen nihil extat de hâc re in Scriptura. Tertiò, multi Gentiles ſaluari pôterant, & ſaluabantur temp. Teſtam. veteris, & verè ad Eccleſiam pertinebant: & tamen nihil de eorum iuſtificatione à peccato Script. habet. Quartò, neceſſe eſt noſſe, extare libros aliquos verè diuinos: quod ex Script. haberi non poteſt. Nam etiamſi Script. dicat, libros Prophet. & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non certò id credam, niſi priùs credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, eſſe diuinam. Quinto, neceſſe eſt, non ſolùm Script. poſſe legere, ſed etiam intelligere. At ſępiſsimè Script. eſt ambigua, & perplexa, & niſi ab aliquo, qui errare non poſsit, explicetur, non poſſet intelligi. Nam ęqualitas Perſonarum diuinarum; proceſsio Spiritus Sancti à Patre, & filio, & ab vno principio, peccatum originis; deſcenſus Chriſti ad inferos; & multa ſimilia deducuntur quidem ex ſacris litteris, ſed non adeò facilè, vt ſi ſolis pugnandum ſit Script. teſtimonijs, nunquam lites cum pro-

teruis finiri poſsint. Sextò, credendum eſt, B. Mariam ſemper fuiſſe virginem contra errorem Heluidij, vt ſemper tota Eccleſia credidit: & tamen nullum de hâc re in Script. eſt teſtimonium. Septimò, credendum eſt, in nouo Teſtam. Paſcha eſſe celebrandum die Dominico: nam hęretici habiti ſunt ab Eccleſia antiquâ Quartadecimani. Octauò, credere oportet, Baptiſmum paruulorum eſſe ratum. Quæ omnia non habentur è Script. Sicut eſſe purgatorium aſſerit Lutherus non poſſe probari ex ſacris litteris: quod tamen eſſe credit. Credũt omnes Hęretici huius temporis, nullum eſſe verbum Dei, niſi ſcriptum: at hoc certè in Script. totâ nuſquam inuenitur. Neque ibi: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo:* Moyſes, ex verbo ſcripto, dicit; ſed, ex verbo, quod loquor. Secundò demonſtrare conabimur Traditiones Apoſtolicas non ſolùm de fide, ſed etiam de ritibus reperiri.

Deut. 4.

Prob. 1. eſſe aliquas veras Traditiones.

Itaque eſſe aliquas veras traditiones oſtendi poteſt, primò. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Et: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus: quæ, ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Illa, quæ promittebat Dominus priore loco, dixit haud dubiè poſt reſurrectionem ſuam, vt Lucas teſtatur: *Per dies 40. apparens eis, & loquens de regno* Dei. De geſtis autem poſt reſurrect. paucisſima ſcripſerunt Euangeliſtæ. Conſtat igitur multa Dominum fecisſe, & dixiſſe, quæ non ſunt ſcripta. Secundò; Paulus duas quęſtiones tractat: vnam de modo orandi in Eccleſia, alteram de modo ſumendi Euchariſtiam; primam exorditur à traditione: *Laudo*, inquit, *vos, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Iſta pręcepta nuſquam ſcripta inueniuntur. Deinde, quia adhuc aliquid deerat pręceptis traditis, addit, vt etiam hoc ſeruent, vt viri in Eccleſiâ orent capite aperto, mulieres capite velato. Et concludit: *Siquis autem videtur contentioſus eſſe, non talem conſuetudinem nos habemus, nec Eccleſiam* Dei. vbi reprimit contentioſos ex Eccleſiæ conſuetudine.

Ioan 16.
Ioan. vlt.
Act. 1.
1. Corint 11

Alteram quęſtionem exorditur etiam à traditione: *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et concludit: *Cætera, cùm venero, diſponam.* Quid autem diſpoſuerit, nuſquam ſcriptum inuenitur. Tertiò; *Itaque, fratres tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Ad hunc locum reſpondent Kemhitius, & Hermannus. Primò dicunt, Apoſtolum eadem tradidiſſe, priùs ſermone: deinde epiſtolâ, & idcircò non loqui de traditione non ſcriptâ. At ridicula eſt expoſitio. Primò, quia illa particula disiunctiua, *ſiue*, apertè indicat, diuerſa eſſe, quæ tradiderat, & quæ ſcripſerat. Secundò, quòd ſi ita eſſet, deberet Epiſtola vna ad Teſſal. continere omnem doctrinam, quam illis Apoſtolus pr ędicauerat. Sine dubio autem totum Euangel. plenè illis pręcauerat, vt colligitur ex cap. 1. & 2. prioris epiſtolæ. Deberet igitur complecti totum Euang. At non complectitur centeſimam partem. Secundò reſpondent, Apoſtolum hic loqui de ſermone, quem ore pronunciauerat, & quem ipſe non ſcripſerat, ſed qui tum ſcriptus erat, vel fuit poſteà ab Euangeliſtis. At contra. Primo in hoc ipſo cap. Apoſtolus dicit, ſe illis pręcaſſe de Antechriſto, & pręter alia docuiſſe, quando eſſet venturus; *Et nunc*, inquit, *quid detineat, ſcitis.* Et: *Num retinetis, quia, cùm*

2. Teſſa. 2.

eſſem vobiſcum, hæc dicebam vobis? Hoc autem nuſquam ſcriptum eſt, quando ſcilicet Antichriſtus eſſet venturus.

Præterea; ſiue ſcripta poſteà fuerint, ſiue non, quæ Apoſtolus docuerat, non multum refert, quantum ad argumentum noſtrum: nam Apoſtolus non promittit ſe, vel alium ea ſcripturum, quæ ore tradiderat, ſed ſimpliciter præcipit, vt non minùs obſeruent, quæ acceperant ſine ſcripto, quàm, quæ per epiſtolam. Et hoc modo hunc locum veteres intellexerunt. Quartò, *O Timothee, depoſitum cuſtodi.* Et: *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.* Et: *Tu ergò fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* In his locis nomine *Depoſiti* non poteſt intelligi Script. ſed theſaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum diuinorum, id eſt tam ſenſus Script. quam aliorum dogmatum, quã totam doctrinam propagari volebat per traditionem, vt explicant Chryſoſt. & Theophilactus. Et facilè ex verbis ipſis colligitur. Nam, ſi loqueretur de verbis ſcriptis, non tam anxiè commendaret depoſitum. Script. enim facilè conſeruantur in thecis, & à librarijs: Apoſtolus autem vult ſeruari in pectore Timothæi per Spiritum ſanctum. Et deinde, non adderet; *Hæc commenda fidelibus,* &c. ſed diceret: commenda librarijs, vt alia multa exempla transſcribant. Nec diceret: *Quæ audiſti à me per multos teſtes*: ſed, quæ ſcripſi tibi. Itaque non verba ſolùm, ſed etiam ſenſum commendat, ac, vt per manus tradat ſucceſſoribus ſuis, iubet. Vltimò; *Multa habens ſcribere vobis, nolui per chartam, & atramentum,* &c. Ex his intelligimus, multa ab Apoſtolo dicta eſſe diſcipulis, & per diſcipulos Eccleſiæ vniuerſæ, quæ tamen non ſunt ſcripta. Idem oſtenditur teſtimonijs Pont. & Conciliorum, & Patrum.

1. Tim. vlt. *2. Tim. 1.* *2. Tim. 2.* *2. Ioan.*

Prob. etiam argumentis alijs. Nam id ipſum etiam ſuadet conſenſus hæreticorum in traditionibus contemnendis. Vt enim ex communi conſenſu SS. Patrum, omnium ætatum, recipientium traditiones colligimus, eas eſſe recipiendas: ita ex communi conſenſu hæreticorum, omnium ætatum, reijcientium traditiones, colligimus, eas non eſſe reijciendas. His adde morem omnium gentium. Nam Iudæos habuiſſe aliquas traditiones extra Script. docent aliqui Patrum: non enim omnia ſufficienter continuit lex vetus ſcripta, & multo tempore populus ille, etiam poſt Moyſen natum, ſine lege ſcriptâ vixit. Deinde; Omnes profanæ Reſp. magnâ ex parte legibus non ſcriptis reguntur.

Prob. 2. & 3.

Pericles apud Thucydidem partitur ius Athenarum, in ſcriptum, & non ſcriptum. Ariſtoteles partim optimis legibus, partim arbitrio optimi viri, ciuitatem regendam eſſe ſtatuit: & iudicem, ſiue arbitrum, ius animatum vocat, quòd videlicet aliud quoddam extet ius ſcriptum, veluti mortuum.

Lib. 3. Polit. c. 11. *Li. 5. de moribus, c. 4.*

Præterea; Lacedæmonijs Licurgus nullam legem ſcriptam dare voluit, ſed ſolis traditionibus viuere, quo eſſent in agendo, quàm in legendo, diligentiores. Idem placuiſſe Ciceroni, ſatis apparet ex libro primo de legibus. Et idem de Sapientibus Gallorum ſcribit Cæſar. Nobiliſsimi Philoſophorum, Pythagoras, & Socrates, cùm plurima docuerint, nihil tamen ſcripſêrunt: niſi quòd Socrates fabulas ab Æſopo ſcriptas verſibus proſecutus ſit.

Li. 6 de bello Gallico.

Deni-

L. diuturna. ff de legibus. Diſt. 1. can conſuetudo Denique; in Iure ciuili, & canonico, eadē auctoritas tribuitur legi ſcriptæ, & conſuetudini non ſcriptæ. Itaque natura ipſa quodammodo clamare videtur, traditiones non ſcriptas, vel neceſſarias, vel certè vtiliſsimas eſſe. Accedat Eccleſiæ Catholicæ dignitas. Nam, vt olim Iudæi excellebant omnibus nationibus, quia credita illis erant eloquia Dei: ita nunc præſtat Rom. 3. Eccleſia Chriſti omnibus ſectis, quòd ipſa ſola, quippe quæ ſponſa Chriſti eſt, nouerit omnia myſteria veræ religionis, & conſcia ſit ſecretorum ſponſi, & 1. Tim. 3. propterea appelletur *Columna, & firmamentum veritatis*. At, ſi omnia eſſent ſcripta, & apertiſsima, vt hæret. dicunt, nullum eſſet priuilegium Eccleſiæ: nam nihil minùs ſcirent hæretici, & Pagani, & Iudæi de myſterijs fidei noſtræ, quàm nos ipſi, atque Antiſtites noſtri ſciunt. Accedat poſtremò dignitas myſteriorum multorum, quæ ſilentium requirunt, nec decet, vt in Script. quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda myſteria Miſſæ non licet admittere vllos non baptizatos, quomodo eis licebit eadem ſcripta tradere? Hinc Dominus ſeorſim diſcipulis interpretabatur para-
Luc. 8. bolas, quas populo locutus erat. Et Apoſtolus ait: *Sapientiam loquimur inter per-*
1. Cor. 2. *fectos*. Et paſsim veteres, cùm de Sacram. Euchariſtiæ loquuntur, dicere ſolent: *Norunt fideles, norunt initiati.*

Tertiò, demonſtrare conabimur non deeſſe certas vias, & rationes, quibus Apoſtolicæ traditiones demonſtrentur.

1. Regula cognoſcendi traditiones Apoſtolicas. I. Regula eſt: *Quando vniuerſa Eccleſia aliquid, tanquam fidei dogma, amplectitur, quod non inuenitur in diuinis litteris, neceſſe eſt dicere, ex Apoſtolorum traditione id deſcendiſſe.*

Ratio. Ratio eſt, quia, cùm Eccleſia vniuerſa errare non poſsit, cùm ſit *Columna,*
1 Tim. 3. *& firmamentum veritatis*, & cùm de eâ dictum ſit à Domino: *Portæ inferi non præ-*
Matt. 16. *ualebunt aduerſus eam*: Certè, quod Eccleſia de fide eſſe credit, ſine dubio eſt de fide. At nihil eſt de fide, niſi quod Deus per Apoſtolos, aut Prophetas reuelauit, aut quod euidenter inde deducitur. Non enim nouis reuelationibus nūc regitur Eccleſia, ſed in ijs permanet, quæ tradiderunt illi, qui miniſtri fuerunt
Epheſ 2. ſermonis: & propterea dicitur: *Ædificata eſt ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Igitur illa omnia, quæ Eccleſia fide tenet, tradita ſunt ab Apoſtolis, aut Prophetis, aut ſcripto, aut verbo. Talis eſt perpetua virginitas B. Mariæ, numerus librorum Canonicorum, & ſimilia.

2 Regula. II. Regula: *Quando vniuerſa Eccleſia aliquid ſeruat, quod conſtituere nemo potuit, niſi Deus, quod tamen nuſquam inuenitur ſcriptum, neceſſe eſt dicere, ab ipſo Chriſto, & Apoſtolis eius traditum.*

Ratio. Ratio eſt ſimilis ſuperiori. Nam Eccleſia vniuerſa non ſolùm non poteſt errare in credendo, ſed nec in operando, ac præſertim in ritu, & cultu diuino:
Epiſt. 118. rectèque S. Auguſtinus docet, inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe, exiſtimare non rectè fieri, quod ab vniuerſa Eccleſia fit. Ergò ea, quæ Eccleſia non poteſt rectè ſeruare, niſi à Deo ſint inſtituta, & tamen ſeruat, neceſſe eſt dicere, à Deo inſtituta, etiamſi nuſquam id legatur. Tale eſt Baptiſmus paruulorum; & Baptiſmum hæreticorum ratum eſſe. Nec enim poteſt Eccleſia Baptiſmo dare auctoritatem, ſi eam à Chriſto non habet.

3. Regula. III. Regula eſt: *Id, quod in vniuerſa Eccleſia, & omnibus retro temporibus ſeruatum*

eſt

eſt, meritò ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiamſi illud tale ſit, vt potuerit ab Eccleſia inſtitui. Tale eſt ieiunium Quadrageſimæ.

IV. Regula: *Cùm omnes Doct. Eccleſiæ communi conſenſu docent, aliquid ex Apoſtolica traditione deſcendere, ſiue in Concilio generali congregati, ſiue ſcribentes ſeorſim in libris, illud credendum eſt, Apoſtolicam eſſe traditionem.* *4. Regula.*

Ratio eſt, quia, ſi omnes Doct. Eccleſiæ, cùm in aliquâ ſententia conueniunt, errare poſſent, tota Eccleſia erraret, quippe quæ Doctores ſuos ſequi tenetur, & ſequitur. Exemplum primi eſt imaginum veneratio, quam eſſe ex Apoſtolica traditione, aſſeruerunt Doct. Eccleſiæ congregati in Concilio Niceno II. generali. Exemplum ſecundi vix inuenitur, ſi debeant omnes penitus Patres, qui ſcripſerunt, expreſsè aliquid dicere: tamen videtur ſufficere, ſi aliquot Patres magni momenti id aſſerant, & ceteri non contradicant, cum tamen eius rei meminerint: tunc enim illa eſſe omnium ſententia non temerè dici poterit. Quando enim in re graui aliquis veterum errauit, ſemper multi inueniuntur, qui contradicunt. *Ratio.* *Act. vlt.*

Hâc regulâ probamus Apoſtolicam traditionem eſſe, ritus, qui ſeruantur in Baptiſmo: quòd nimirum, qui baptizatur, baptizetur aqua priùs à Sacerdote benedicta; quòd iubeatur abrenunciare Satanę, & pompis eius; quòd ſignetur ſigno crucis; quòd vngatur oleo benedicto, &c. Item, Quadrageſimam diuinam eſſe, vel Apoſtolicam traditionem.

V. Regula: *Id ſine dubio credendum eſt ex Apoſtolica traditione deſcendere, quod pro tali habetur in illis Eccleſiis, vbi eſt integra, & continua ſucceſſio ab Apoſtolis.* *5. Regula.*

Ratio eſt, quia Apoſtoli tradiderunt ſucceſſoribus ſuis cum officio Epiſcopatus etiam doctrinam religionis. Si ergò in aliqua Eccleſia, aſcendendo per Epiſcopos ſibi inuicem ſuccedentes, perueniamus ad Apoſtolum aliquē, & non poſsit oſtendi, quòd vllus eorum Epiſcoporum introduxerit nouam doctrinam, certi ſumus, ibi conſeruari Apoſtolicas traditiones. Et quidem olim inueniebatur ſucceſsio non interrupta, non ſolùm Romæ, ſed etiam Epheſi, Corinthi, Antiochię, Alexandrię, Ieroſolymę, & alibi. At nunc defecit certa ſucceſsio in omnibus Eccleſijs Apoſtolicis, præterquam in Romana: & ideò ex teſtimonio huius Eccleſię ſolius ſumi poteſt certum argumentum ad Apoſtolicas traditiones; ac tum potiſsimum, cùm doctrina, vel ritus earum Eccleſiarum à doctrina, & ritibus Eccleſię Rom. diſſentiunt. *Ratio.*

FINIS.

DE CHRISTO, CAPITE TOTIVS ECCLESIAE.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De Diuinitate Chriſti.

TRIA Nobis hic probanda ſunt.
I. Vnam eſſe numero veram diuinitatem, ſiue vnum tantum eſſe verum Deum.
II. Chriſtum eſſe illum ipſum verum Deum.
III. Spiritum ſanctum eſſe illum eundem verum Deum.
Hinc enim ſequitur, Chriſtum eſſe vnum numero Deum cum Patre, & Spiritu ſancto. Nam, quòd Pater ſit verus Deus, omnes fatentur.

Prob. 1. vnum eſſe verum Deū. Quantum ad primum, prob. vnitas numerica Dei primo ex Script. In lege: *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter vnum*. Et paulò pòſt: *Scito ergò hodie,*
Deut. 4. *& cogitato in corde tuo, quòd Dominus eſt Deus ſurſum, & in terrâ deorſum, & non ſit*
Deut. 6. *alius*. Et: *Audi Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt*. Et: *Videte, quòd ego ſim*
Deut. 32. *ſolus, & non eſt alius præter me.* Nec poſſunt hæc referri ad vnitatem ſpecificam: nam qui loquitur in Script. non eſt Deus vniuerſalis, neque ipſa ſpecies Dei: ſed eſt Deus quidam ſingularis, vt patet, cùm ſola ſingularia ſint in re, & lo-
1. Reg. 2. quantur, atque agant. Item, ex libris hiſtorialibus: *Non eſt ſanctus, vt eſt Domi-*
3. Reg. 8. *nus. neque enim eſt alius extra te*. Et: *Deus Iſraël, non eſt ſimilis tui, Deus, in cœlo deſuper, neque in terra deorſum*. At, quare Deus Iſraël non habet ſibi ſimilem, ſi ſint duæ
Iſa. 43. aliæ indiuiduæ naturæ ſub eadem ſpecie? Item, ex Prophetis: *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, & abſque me non eſt ſal-*
Iſa. 45. *uator*. Et: *Ego Dominus, & non eſt amplius, extra me non eſt Deus*. Et infrà: *Nunquid*
Pſal. 17. *non ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque me? Deus iuſtus, & ſaluans non eſt præter*
Pſal. 82. *me.* Similia paſsim docent omnes Prophetæ.
Pſal. 85. Idem prob. ex Pſalmis: *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum*
Sap. 12. *noſtrum?* Et: *Tu ſolus altiſsimus in omni terrâ*. Et: *Tu es Deus ſolus*. Item ex Sapien-
Eccli. 1. tialibus: *Non enim eſt alius Deus, quàm tu*. Et: *Vnus eſt altiſsimus*. Idem patet ex
Math. 4. Euangelio: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Et: *Vnus eſt Deus, & non*
Marc. 12. Ioan. 17. *eſt alius præter eum*. Et: *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum*. Eſt enim ſenſus: Tu habes

habes Deitatem, quæ ſola eſt vera Deitas: non ergò inuenitur alia Deitas. 1.Cor.8.
Deniqueex Apoſtolo: *Scimus, quod nullus eſt Deus, niſi vnus.* Ibidem: *Nobis vnus* Gal.3.
eſt Deus, Et: *Mediator vnius non eſt; Deus autem vnus eſt.* Et: *Vnus Deus, & Pater* Epheſ.4.
omnium. Et: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum.* Et: *Qui ſolus eſt potens,* 1.Tim. 2.
Rex Regum, & Dominus dominantium. Porrò ex his omnibus, & ſingulis locis 1.Tim. 6.
apertè colligi, vnum numero eſſe verum Deum, non vnum ſpecie, ex ſimilibus locutionibus poteſt intelligi. Non enim de vno aliquo homine rectè diceremus: Iſte eſt ſolus homo; iſte eſt ſolus verus homo; aut, pręter iſtum nullus eſt homo; aut, iſte eſt homo, & nemo alius. Cuius rei non poteſt reddi alia cauſa, niſi quia natura humana non eſt in vno ſolùm indiuiduo, ſed in multis. Rectiſsimè autem de Sole, cui vna tantùm natura indiuidua eſt, dicimus: Iſte ſolus eſt verus Sol; Vnus eſt in mundo Sol; Pręter eum non eſt alius Sol.

Prob. 2. veritas ex Patribus. Ac primùm omnes Patres paſsim dicũt, eſſe vnum Deum. Sed quia poſset reſponderi, eos loqui de vnitate ſpecificã, adeò oſtendemus ex ijs, vnum eſſe numero Deum. Prob. 2.

1. Si multa eſsent indiuidua diuina, poſsent quidem illa dici vnus Deus, id eſt, vna ſpecies diuina; ſicut Porphyrius dicit: *Plures homines ſunt vnus homo*, id eſt, vna ſpecies humana. At non poſset tamen negari, quin etiam rectè dicerentur plures dij, ſicut rectè dicimus: Adam, Abel, & Cain ſunt tres homines. At Patres perpetuò negant tres perſonas eſſe tres Deos: vnum igitur numero Deum eſſe volunt. Cap. 2.

2. Patres negant numerum inueniri in diuinitate, & ſolùm in proprietatibus perſonalibus eum admittunt. At certè, non poſse diuinitatem numerari, eſſet falſum, ſi diuinitas non eſſet vna numero.

3. Patres ſæpe vocant Deum ſingularem, aut naturam eius indiuiduam.

4. Patres non ſemel negant, Deum eſſe vnum ſpecie.

5. Patres dicunt, eſſe myſterium ineffabile, quomodo tres perſonæ ſint vnus Deus: at, ſi eſſet vnus Deus ſpecie, nullum eſſet myſterium.

6. Patres dicunt, Sabellium ad Iudęos, Arium ad Paganos pertinere; Eccleſiam verò mediam viam tenere, quæ nimirum nec vnam perſonam credat cum Iudęis, nec plures naturas cum Gentilibus. Adde, quòd Patres docent, Gentiles, etſi vulgò plures Deos colerent, tamen naturaliter vnum Deum cognoſcere potuiſse; ſicut reipſa Philoſophi vnum Deum cognouerunt, & eã ex parte quaſi naturaliter Chriſtiani fuerunt.

Prob. 3. Rationibus. I. Ratio: Deus eſt ſummum eius: *Ego ſum, qui ſum.* Igitur eſt ſummè vnus. Nam vnum eſt paſsio entis, & proinde, quo aliquid eſt magis ens, eſt magis vnum. Item; Quò aliquid perfectiùs habet eſſe, eò longiùs abeſt à non eſſe, & proinde à diuiſione, quæ eſt via ad non eſſe. Ergò Deus eſt ſummè vnus non ſpecie, ſed numero. Nam hęc eſt maxima vnitas, quæ non eſt vlteriùs diuiſibilis. Prob. 3. 1. Ratio. Exod. 3.

2. Ratio: Deus eſt ſuum eſſe, vt patet, tum ex eodem textu; tum etiam, quia Deus omnium cõſenſu caret omni compoſitione. Ergò in Deo idem eſt, eſſe, & eſsentia. Ergò Dei natura non eſt multiplicabilis, & diuiſibilis in plura indiuidua. Nam eſſe proprium vnius non poteſt vllo modo diuidi, vt con- 2. Ratio.

ueniat pluribus: ſed eſse huius Dei eſt ipſa eſsentia Dei: ergò nec eſsentia Dei
Obiect. eſt vllo modo diuiſibilis in plures. Dices, argumento hoc tantùm probari non poſse eſsentiam huius Dei multiplicari. Reſp. probari etiam de eſsentiâ
Sol. Dei in communi. Pro quo nota, eſſe, ſiue exiſtentiam, non eſſe aliquid abſtrahibile ab inferioribus, vt eſt natura; nec eſſe aliquid contrahibile per differentias, aut contrahens inſtar differentiæ; ſed eſſe ipſam actualitatem omnium, quæ ſunt in re. Ex quo fit, vt in creaturis, in quibus non eſt idem omnino eſſe, & eſsentia, poſsit multiplicari vnum ſine altero: poteſt enim abſtrahi à ſingularibus natura communis, remanente vnicuique ſingulari ſuâ exiſtentiâ. At in Deo, vbi eſt omninò idem, eſſe, & eſsentia, ſicut eſt propriũ huius Dei, eſſe hunc Deum, ita eſt proprium eſſe Deum, nec poteſt abſtrahi natura communis.

3. Ratio. Pſal. 82. Eccli. 1. 3. Ratio: Deus eſt altiſsimus, vt Script. paſsim docent. *Tu ſolus altiſſimus.* Et: *Vnus eſt altiſsimus.* Ergò vnus tantùm. Nam, ſi plures eſſent, vel eſſent æquè alti; & ſic nullus, qui ſupra omnes: vel vnus altior cæteris; & ſic ille ſolus eſſet vnus Deus verus.

4. Ratio. Prou. 16. Apoc. 1. 4. Deus eſt vltimus finis omnium rerum, vt: *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Et: *Ego ſum α, & ω, principium, & finis.* Ergò, &c. Nam, ſi plures eſſent, vel referrentur omnes ad vnum, & ille tantùm eſſet verus Deus; vel non, & tum nullus eſſet finis vltimus omnium.

5. Ratio. Pſal. 144. 5. Deus eſt infinitus eſsentiâ, potentiâ, ſapientiâ, &c. Ergo, &c. Nam infinitum omnia comprehendit: *Et magnitudinis eius non eſt numerus.*

6. Ratio. 6. Si plures eſſent dij, vel ſine principio ſunt omnes, vel vnus ab alio. Primum eſt impoſsibile: quia tunc eſſent multa principia prima diſparata & in varias partes mundum diſtraherent, ſaltem, quia non neceſsario conuenirent in vnam, eandemque voluntatem; ſed poſsent vnus, vnum, alius aliud velle. Vnde & Ethnici vocabant Iouem deorum parentem. Si vnus eſt ab alio, vel creatione, vel generatione. Si primũ; ergò Deus eſt creatura: ergò nec Deus. Si ſecundum, vel dedit totam ſubſtantiam, vel partem. Si partem; ergò partibilis eſt Deus. Si totum; ergò habent eandem deitatem numero.

7. Ratio. Sap. 14. 7. Deus eſt rector mundi. Vt: *Tua autem Pater, prouidentia cuncta gubernat.* At ſimplex monarchia optimum eſt regimen, quando inueniri poteſt Princeps bonus, & ſapiens.

Prob. 1. Chriſtum eſſe Deorum Deum. Ioan. 17. Probandum eſt 2. Filium Dei eſſe verum Deum, & proinde vnum numero Deum cum Patre. Nam Patrem eſſe verum Deum nemo negat: vt patet ex eo. *Vt cognoſcant te ſolum Deum verum.* Prob. I. ijs teſtimonijs, quæ in Teſtamento veteri habentur de vnico, & vero Deo Iſraël, & in nouo exponuntur de Chriſto.

Num. 21. 1. *Locutus eſt pop. contra Dominum, & Moyſen, & ait: Cur eduxiſti nos de AEgypto?* &c. *Quamobrem Dominus immiſit in pop. ignitos ſerpentes.* Hîc omnium conſenſu de Deo vero & ſummo Deo agitur, quem ſoli Iudęi nouerant. At Paulus
1. Cor. 10. ait illum Deum eſſe Chriſtum: *Neque tentemus,* inquit, *Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt.*

Exod. 20. Deut. 32. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ AEgypti,* Et: *Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* At Iudas ait: *Ieſus pop. de AEgypto ſaluans,*
ſecundo

ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit; Angelos autem, &c.

3. Dicitur de Deo Iſraël: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis, in Sinai, in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.* Psal. 67. Hoc idem Paul. tribuit Chriſto: *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dixit; Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ephes. 4.

4. *Adorate Deum omnes angeli eius.* Psal 96. Et: *Tu Domine initiò terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt; tu autem permanes,* &c. Psal. 101. Hebr. 1. Vtrumque locum Paulus Chriſto applicat, vbi probat illum maiorem Angelis, quia Angeli iubentur Chriſtum adorare, & quia Chriſtus dicitur creator cæli, & terræ, quod Angelis non conuenit.

5. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum,* &c. *Plena eſt omnis terra gloriâ eius.* Isa. 6. Et infrà: *Et dixit Dominus ad me, dic populo huic, excæca oculos ipſorum, & cor eorum aggraua,* &c. Et quamuis aduerſarij ſoli Patri hoc tribuant, tamen Ioannes exponit de Chriſto. Ioan 12. Nam poſteaquam poſuit verba illa: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis,* &c. ſubiungit: *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Quare idem Ioannes dicit ſe audiuiſſe clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Apoc. 4. At quis venturus eſt, niſi Chriſtus?

6. *Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter: & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël; in laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalem & offendent plurimi, & cadent, & conterentur.* Isa 8. Hic apertiſsimè, etiam Iudęis omnibus conſentientibus, vocatur ſummus Deus, & Dominus omnipotens, quibuſdam ſanctificatio, quibuſdam lapis offenſionis, petra ſcandali, laqueus, & ruina. At hoc ipſum tribuunt Chriſto Lucas, Petrus, Paulus. Nam Simeon de Chriſto Luc 2. dicit: *Poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum.* Et Paulus: Rom. 9. *Quid ergò dicemus? quòd Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem quæ ex fide eſt, Iſraël vero ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Syon lapidem offenſionis, & petram ſcandali.* Petrus autē: 1. Pet. 2. *Vobis honor credentibus; non credentibus autem lapis offenſionis, & petra ſcandali.*

7. *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.* Isa. 40. Matth. 3. Mar. 1. Luc 1. Hæc de Deo Iſraël dicuntur ab Iſaiâ: & tamen hanc vocem eſſe Ioannem, qui parauit viam Chriſto, teſtantur omnes Euangeliſtæ.

8. *Ego Deus, & non eſt alius: in memeipſo iuraui, quia mihi curuabitur omne genu.* Ioan. 1. Isa. 45. Et Apoſtolus: *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Viuo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.* Rom 14.

9. *Ego ſum primus, ego nouiſſimus.* Isa. 41. 144. 48. Hęc paſsim dicuntur de Deo Iſraël. At de Chriſto: *Ego ſum α, & ω.* Apoc. 1. Et infrà: *Ego ſum primus, & nouiſsimus, & viuens, & fui mortuus,* &c.

10. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Mala. 3. Matth. 11. Et Chriſtus Angelum hunc eſſe ait Ioannem Bap. qui pręparauit viam ante faciem Luc. 1. Chriſti. Et Zachar. ait: *Præibis ante faciem Domini parare vias eius.*

Prob. 2. Ex veteri Teſtamento. Primò. *Filius meus es tu, ego hodie genuite.* Prob 2. Psal. 2.

Qui Pſalmus de Chriſto intelligitur, tum quia Rabbi Salomon, & cæteri
Act. 4. & 13. Rabbini de Chriſto exponunt; tum etiam, quia de Chriſto intelligitur alibi.
Hebr. 1. Ac, ne putemus Meſsiam eſſe Dei filium per adoptionem, ſubiungit: *Et nunc*
Pſal. 2. *Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: apprehendite diſciplinam*, &c. Vbi nota in Hebræo eſſe: oſculamini filium, id eſt, in ſignum ſubiectionis oſculamini manum filij, aut pedem. Neque obſtat, quod L X X. verterint; *Apprehendite diſciplinam*. Illi enim ad ſenſum, non ad verba, reſpexerunt. Tunc enim verè adoramus Chriſtum, cum eius doctrinam recipimus. Hinc argumentum eſt. Meſsias eſt filius Dei, adorandus ab omnibus Regibus; & quibus ille iraſcitur, ij omninò peribunt; & qui in illo confidunt, ij beati erunt: Ergò
1. Reg. 3. Meſsias eſt verus Deus. Nam ſolus verus Deus habet imperium vitæ, & mortis. Item, in Script. paſsim in ſolo Deo confidendum dicitur. Vt: *Ma-*
Hier. 17. *ledictus homo, qui confidit in homine.* Et infrà: *Benedictus vir, qui confidit in Domino.*

Iſa. 48. Secundò: *Audi me Iacob, & Iſraël, quem ego voco. Ego ipſe, & ego primus, & ego nouiſſimus: manus quoque mea fundauit terram, dextera mea menſa eſt cœlos.* Et infrà: *Accedite ad me, & audite hoc. Non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore, antequam fierent, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius.* Certum eſt hunc miſſum non eſſe Patrem; tum, quia Pater non habet, à quo mitti poſ-
Ioan. 8. ſet; tum etiam, quia filius teſtatur ſe eſse miſſum à Patre: & à Spiritu ſancto.
Luca 4. Et tamen videmus hunc ipſum miſſum eſse illum Dominum Deum, qui fecit cœlum, & terram, & qui eſt primus, & nouiſsimus. Deinde, ſic exponunt Patres.

Iſa. 35. Tertiò: *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.*

Hunc locum de Chriſto intelligi patet primo, quia Dominus reſpondit
Matt. 11. diſcipulis Ioannis? *Euntes nunciate Ioanni*, &c. *Cæci vident, ſurdi audiunt claudi ambulant*, &c.

Secundò, quia nunquam Deus per illum Prophetam hæc ſigna fecit. Qui enim tempore Teſtam. veteris miracula fecerunt, ſunt Moyſes, Ioſue, Elias, Elizęus, & ipſe Iſaias. At nulli eorum curarunt cæcos, &c. Præterea; dicit Iſaias in futuro: *Deus ipſe veniet*: at omnes alij Prophetæ ante tempora Iſaiæ
Ioan. 15. fuerunt. Vnde Dominus: *Si opera non feciſſem, quæ nemo alius fecit*, &c.

Tertiò, Patres ſic exponunt. Quòd autem Dominus Deus, de quo hic eſt ſermo, ſit Deus Iſraël, patet quia Deos falſos, & metaphoricos nunquam Prophetæ abſolutè appellant Deos: & præſertim illud prænomen, *Ipſe*, indicat verum Deum, non autem miniſtrum aliquem loco eius venturum.

Iſa. 52. Quartò, dicit Dominus; *Iugiter tota die nomen meum blaſphematur: propter hoc ſciet populus meus nomen meum in illa die, quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum.* Quod is, qui initio loquitur, ſit Dominus Deus, certum eſt, nam vtitur nomine ineffabili, & conqueritur, quod blaſphemetur nomen ſuum, & nominat ſe Deum Iſraël, & vocat Iudæos pop. ſuum; ac denique dicit ſe eſse, qui per Prophetas loquebatur. Quod autem idem ipſe ſit Chriſtus, probatur, nam dicit: *Ego, qui loquebar, ecce adſum*, ſcilicet cùm natus eſt Chriſtus. Vnde hæc prophetia legitur in nocte Natalis Domini, & ſtatim Propheta, quaſi videret Chriſtum

iam

iam perambulantem montes Iudææ, & euangelizantem, ſubiungit: *Quàm pulchri ſuper montes pedes euangelizantis pacem, prædicantis bonum?* Et infrà explicans fructus huius aduentus: *Conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem, parauit brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Et infrà: *Præcedet vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſraël.* Denique ſic exponunt Patres.

Quinto, *Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negociatio Æthiopiæ, & Sabaim, viri ſublimes, ad te tranſibunt, & tui erunt; poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teq́ deprecabuntur: tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël Saluator.* Hæc manifeſtè dicuntur à Domino de filio ſuo incarnando. Nam etſi in ſuperioribus loquebatur de Cyro, tamen, quia Cyro non conuenit illud; *Non eſt abſque te Deus*, oportet vel hæc dici de Cyro, vt Chriſtum referebat; vel ſimpliciter de Chriſto. Nec de Patre poſſunt intelligi, cùm ipſe Pater ſit, qui dicit de alia perſona: *Te adorabunt, teq́ deprecabuntur.* Et ſubiungit verba deprecantium: *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus.* Adde, quod Patri non rectè diceretur: *In te eſt Deus.* Chriſto autem omnia rectiſsimè conueniunt: nam & in ipſo eſt Deus, cùm ſit eius humanitas quaſi templum diuinitatis: & abſque ipſo non eſt Deus, quia ipſe ſolus cum Patre, & Spiritu ſancto eſt verus Deus. Iſa. 45.

Sexto, *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit eam Iacob dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Hic de Deo Iſraël clariſsimè agitur, qui ſolus ſimilem non habet, & qui, poſtquam tradidit legem in monte Syna, tandem homo factus, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Baruch 3.

Septimo, *Hæc dicit Dominus exercituum; Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos, qui enim tangit vos, tangit pupillam oculi mei,* &c. *Lauda, & lætare, filia Sion, quia ego ecce venio, & habitabo in medio tui,* &c. *Et ſcies, quia Dominus exercituum miſit me ad te.* Hic locus efficaciſsimus eſt. Nam verè Dominus exercituum dicitur miſſus à Domino exercituum, idque frequenter repetitur. Zach. 2.

Octauo, *Oſtendit mihi Dominus Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini, & diabolus ſtabat à dextris eius, vt aduerſaretur ei, & dixit Dominus ad diabolum: Increpet te Dominus, Satan, Dominus, qui elegit Ieruſalem.* Hic apertiſsimè videmus Dominum dicere diabolo: *Increpet te Dominus.* Ex quo ſequitur Dominum non eſſe vnam perſonam, ſed plures. Quod autem altera harum ſit Chriſtus, docent Patres. Et rationem reddit Theodoretus, cur filius potiùs ſit, quàm Spiritus S. qui ait: *Increpet te Dominus*, quia nimirum Satan aduerſabatur Ieſu filio Ioſedech, qui gerebat figuram Chriſti: vnde, cùm non poſset ille Ieſus per ſe Satanæ reſiſtere, filius Dei, qui etiam Ieſus dicendus erat, increpauit pro illo Satanam: & ſimul hâc increpatione ſignificauit, ſe, cum carnem acciperet, diabolum increpaturum, quod fecit, quando ait: *Vade, Satana.* Zach 3. In hunc locum. Matth. 4.

Nonò, *Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Hic locus intelligitur de Chriſto confixo in cruce, & tamen loquitur Deus Iſraël, qui ſolus poteſt effundere in homines ſpiritum gratiæ, & precum. Et Ioannes dicit hoc impletum, quando Chriſtus crucifixus eſt, & lancea perforatus. Zach. 12. Ioan. 19.

Prob. 3. Math. 16. Prob. 3. ex nouo Teſtam. Primo ex cõfeſsione Petri per reuelationem Patris: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Vbi nota, hic Petrum aſſerere Chriſtum eſſe filium verum, & naturalem Dei. Ideò enim addidit: *viui*, quia proprium eſt viuentium gignere ſibi ſimile in naturâ. Et cõfirmatur ex alijs locis. Nam dicitur Chriſtus filius vnigenitus, filius proprius, filius verus, filius naturalis: nam dicitur imago, ſeu character hypoſtaſis paternæ, quod nõ cõuenit adoptiuis. Item, ibidem dicitur talis filius, vt reſpectu illius Angeli ſerui dicantur qui tamen alioqui filij Dei ſunt adoptiui, & quidem pręcipui. Denique Chriſtus accuſatus fuit, quòd ſe prędicaſset filium Dei: *Nos legem habemus, & ſecundũ legẽ noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Et certum eſt, non fuiſse accuſatum, quod ſe feciſset filium Dei adoptiuum, aut metaphoricum. Nam etiam Iudęi dicebant: *Vnum Patrem habemus Deum.* Et tamen Chriſtus non diluit hãc accuſationem, ſed tamquam veram admiſit, & in confeſsione illâ mori voluit.

Ioan 3. Rom. 8. 1. Ioan 5. Coloſſ. 1. Heb 1. Ioan 19. Ioan 8.

Luc. 1. 2. *Multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Conſtat autem Ioannem præceſsiſſe ante Chriſtum, non ante Deum Patrem. Paulus ait: *Eduxit Deus Iſraël Saluatorem Ieſum, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius Baptiſmum pœnitentiæ.* Ioannes namque non conabatur niſi conuertere homines ad Chriſtum: illum enim aſsiduè pręedicabat. Vnde, cùm vidiſset Ioannes Ieſum ait: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Et continuò ad illa verba, Andreas qui Ioannis diſcipulus erat, conuerſus eſt ad Chriſtum, & ſecutus eſt eum.

Act. 13. Ioan 1.

Ioan. 5. 3. *Magis quærebant Iudæi illum interficere, quia non ſolùm ſoluebat Sabbathum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.*

Ioan. 10. 4. *Ego, & Pater vnum ſumus.* Hoc teſtimonio vtuntur omnes Patres contra Arianos, vt probent vnam eſſentiam Patris, & filij.

De vnitate eſſentiæ autem debere intelligi, prob. primo, cum Baſil. & Chryſoſt. Nam Chriſtus, vt probet non perituras ſuas oues, facit hoc argumentum: Nemo poteſt eripere oues de manibus Patris mei: quia ipſe maior omnibus eſt. Ergo nec de manibus meis. *Ego enim, & Pater vnum ſumus.* Quod non concluderet, niſi ſignificaretur vna & eadem eſſe manus Patris, & Filij, id eſt potentia. Quod ſi eadem potentia, certè etiam eadem eſſentia; quæ in Deo non diſtinguuntur.

Ibid. Prob. 2. cum Auguſt. & Chryſoſt. in hunc locum quia audito hoc verbo Iudæi ſuſtulerunt lapides, vt iacerent in eum. Ergò intellexerunt Chriſtum ſe verè Deum vnum cum Patre prædicare: ſi enim de concordiâ voluntatum intellexiſsent, non ſuſtuliſsent lapides: Nec tamen Chriſtus eorum ſententiam correxit.

Prob. 3. quia Chriſtus ſic expoſuit. Nam, cum Iudæi eum propter hoc vellent lapidare, dixit: *Vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi. Filius Dei ſum.*

Ioan 14. 5. *Creditis in Deum, & in me credite.* Si non eſset ille verus Deus, non poſset ſibi arrogare fidẽ, quæ illi ſoli debetur. Nec mouere debet particula (*&*) quaſi Chriſtus faciat ſe alterum Deum: nam addita eſt propter naturam humanam, quâ diſtinguitur à Deo. Sic ibidem: *Si cognouiſſetis me, & Patrem vtique cognouiſſetis.* Et: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Nouerant autem benè Apo-

Ibid. ſtoli

ſtoli Ieſum eſſe hominem bonum, ſapientem, Prophetam, Chriſtum, & tamen audiunt: *Si cognouiſſetis me.* Et rurſum: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me?* Reſtabat ergò, vt cognoſcerent illum eſſe Deum verũ, & vnum cum Patre.

6. *Omnia, quæ Pater habet mea ſunt.* Ergò eſsentiam Patris habet Filius. Ac ne quis dicat hoc intelligi de rebus, quæ ſunt extra Deum, prçceſsit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Illud ergo eſt commune Patri, & Filio, quòd accipit Spiritus S. ab vtroque. Et quid accipit à Filio? Scientiam ſine dubio. Nam dicit: *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Et ſuprà: *Non loquetur à ſe, ſed quæcumque audiet, loquetur.* Scientia ergò eadem eſt Patris, & Filij: ſed ſcientia Deo, & eſſentia ſunt idem. Ergò, &c. *Ioan.16.*

7. *Dominus meus, & Deus meus.* Certum eſt hic Dominum Deum ſignificare verum Deum Iſraël, quia Thomas Iſraëlita non nouerat alium Deum. Addit Chryſoſt. Thomam tunc impleuiſse illud: *Manibus meis Deum quæſiui, & non ſum deceptus.* Vbi non eſt dubium, quin de vero Deo ſit ſermo. *Ioan. 20.* *Hom. de Trin. 3.*

8. *Ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* *Pſal. 76.* *Rom. 9.*

9. *Notum vobis facio Euangelium, quod prædicatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem Ieſu Chriſti.* Et initio Epiſtolæ: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, ac Deum Patrem*, &c. Vbi B. Paulus opponit Chriſtum hominibus, ac proinde docet eum non eſſe purum hominem, ſed etiam Deum, vt eſt Deus Pater. Nec ſolum hominibus, ſed etiam Angelis opponit, ac proinde omnibus creaturis. Addit enim: *Si nos, aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* *Gal. 1.* *Ibid.*

10. *Qui, cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.* Hic clariſsimè explicatur Chriſtum eſſe verum Deum, cùm habeat formam, id eſt naturâ Dei, & ſecundum illam non ſit rapina, ſed natura æqualis Deo Patri. *Philip. 2.*

11. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum ſunt: & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terrâ ſpiritus, aqua, & ſanguis.* Per teſtes, qui ſunt in cælo, intelliguntur teſtes diuini, vt diſtinguantur à teſtibus humanis, & creatis: ideoque paulò pòſt ait: *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt.* Alioqui etiam Angeli ſunt in cælo, & teſtimonium Chriſto non ſemel dederunt. Sicut igitur ſpiritus, aqua, & ſanguis ſunt teſtimonia terrena, & comprobarunt Chriſti veram humanitatem quando ſcilicit in morte Chriſti ex ore ipſius ſpiritus, ex latere aqua, & ſanguis fluxerunt; ita quoque Pater, Verbum, & Spiritus S. ſunt perſonæ diuinæ, & teſtimoniũ diuinam perhibuerunt de verâ Chriſti diuinitate, tum alibi ſæpe, tum etiam in Baptiſmo, & transfiguratione. *Ioan. 5.*

12. *Vt ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* At vnus ſolus eſt verus Deus: *Te ſolum verum Deum.* Ergò, &c. *Ibid.*

13. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Item: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Tria hinc ſumuntur argumenta. I. Verbum ſeu *Ioan. 17.* *Ioan. 1.*

λόγος eſt mentis proles, ſeu notitia, & conceptus. Et quamuis conceptus mentis in nobis nō dicatur filius, quia eſt accidens, tamē eſt valdè ſimilis generationi eius productio. Nā mens intelligens vices patris gerit; obiectum verò matris; ſpecies eſt quaſi materia generationis, quam mater ſuppeditat; inde ex complexu mentis, & obiecti, mediante ſpecie prodit notitia, ſeu verbum. Eſt autem notandum, in Deo idem eſſe, vt etiam docet Ariſtot. intelligentē intellectum, intellectionem, & ſpeciem intelligibilem, exceptis tamen relationibus mutuis producentis, & producti. Ex quo ſequitur, Verbum Dei neceſſario idem eſſe cum Deo id eſt eiuſdem numero ſubſtantiæ, & naturæ.

Ibid. Sed Chriſtus eſt verbum Dei: Nam. *Verbum caro factum eſt.* Ergò, &c. 2. Nā hoc loco Verbum Dei, quod eſt Chriſtus, expreſſè nominatur Deus, & ſine dubio idem Deus, qui eſt etiam Pater. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Hinc enim ſequitur, vt rectè colligit Auguſt. Verbum non eſſe factum, & proinde non eſſe creaturam, & proinde eſſe vnum Deum cum Patre.

Li 1 de Trin cap. 6.

Coloſſ 1. 14. *In ipſo condita ſunt vniuerſa in cælu. & in terrá, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. Et ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Hic explicatur, quæ ſint illa omnia, quæ Chriſtus creauit, & conſeruat, & dicuntur eſſe omnia terreſtria omnino, & cæleſtia vſque ad ſummos Angelos.

Heb. 1. 15. De Filio dicitur: *Per quem fecit & ſæcula.* Et infrà: *Et tu Domine, initio terrā fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.* Vbi clariſſimè habemus Chriſtum feciſſe cælum, & terram.

Prob. 4. 1. Nomen. Prob. 4. Ex nominibus veri Dei. I. Nomen eſt *Deus.* Scriptura autem non ſolet abſolutè vocare Deum, niſi Deum verum. Hoc autem nomen tribuitur abſolutè Chriſto. Et: *Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus, fortis,* &c.

Iſa. 9. Ioan. 20. Act. 20. Rom. 9. Apoc. 4. 1. Ioan 3. Exod 20. 1. Cor. 8. Exod. 15. Ier 23.

Et: *Dominus meus, & Deus meus,* Et: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo,* Et: *Qui eſt ſuper omnia Deus.* Et: *Domine Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Et: *In hoc cognouimus charitatem Dei quia ille pro nobis animam ſuam poſuit.* Si Chriſtus non eſt vnus cum Patre Deus, quomodo cohærent hęc cum illis: *Non habebis Deos alienos coram me.* Et: *Nobis vnus eſt Deus?* Alterum eſt nomen Dei tetragrammatum, quod noſter interpres vertit. *Omnipotens nomen eius*; in Græco autem non eſt propriè Omnipotens, ſed ineffabile illud nomen. Hoc autem Deo proprium etiam conuenire Chriſto, patet. *Et ſuſcitabo Dauid germē iuſtum, & regnabit rex & ſapiens erit.* Et infrà: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter,* ſeu iuſtitia noſtra. Vbi eſt illud nomen in Hebræo. Huic etiam nomini in verſione 70. ſemper reſpondet κύριος, & in verſione Hieron. Dominus: Porrò Euangeliſtæ Chriſtum paſſim vocant Dominum.

Matt 21. Ioan. 13. vt: *Quia Dominus his opus habet.* Et: *Vos vocatis me, Magiſter, & Domine, & benè dicitis: ſum etenim.*

Altiſſimus, etiam nomen eſt ſolius veri Dei: *Tu ſolus altiſſimus in omni terrā.* Hoc autem Chriſto conuenit: *Homo natus eſt in eá, & ipſe fundauit eam altiſſimus.* Et: *Tu puer propheta altiſſimi vocaberis, præibis,* &c. Paulus etiam ait, Chriſto datum. *Nomen ſuper omne nomen.* Et: *Ex quibus eſt Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus.*

Pſal 82. Pſal. 86. Luc. 1. Philip 2. Rom. 9.

Inui-

Inuiſibilis nomen eſt ferè proprium veri Dei. Paulus: *Inuiſibili ſoli Deo honor,* 1. Tim. 1.
& gloria. Et: *Qui lucem inhabitat inacceßibilem.* Solus autem Deus eſt verè inui- 1. Tim. 6.
ſibilis, quia non poteſt videri, niſi ſeipſum manifeſtet. Angeli enim licet no-
bis ſint inuiſibiles, tamen alijs angelis, & ipſi Deo non poſſunt ſe abſcondere.
At filius ſimpliciter inuiſibilis eſt, ſicut & Pater. Dicitur enim: *Nemo nouit fi-* Matt. 11.
lium, niſi Pater, nec Patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Et dici- Coloſſ. 1.
tur imago Dei inuiſibilis: quia ſcilicet ipſa imago etiã eſt inuiſibilis; eſt enim
ſimillima exemplari, & proinde talis, qualis ipſum. Et: *Et nomen habet ſcrip-* Apoc. 19.
tum, quod nemo nouit, niſi ipſe, & nomen eius eſt, Verbum Dei.

Aliud nomen Deo vero proprium eſt, Deus gloriæ, ſiue Rex gloriæ. Vt:
Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ. At de filio dicitur: *Si cognouiſſent, nunquam* Act. 7.
Dominum gloriæ crucifixiſſent. Et: *Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ* 1. Cor. 2.
æternales, & introibit Rex gloriæ. Pſal. 23.

Aliud nomen eſt, Rex Regum, & Dominus Dominantium. Vt: *Qui ſolus eſt* 1. Tim. 6.
potens Rex Regum, & Dominus Dominantium. At de filio dicitur: *Agnus vincet illos,* Apoc. 17.
quoniam Rex Regum eſt, & Dominus Dominantium. Et: *In femore ſcriptum habet, Rex* Apoc. 19.
Regum, & Dominus Dominantium.

Denique; Deo Patri tribuunt Tranſyluani, quod dicatur vnus, verus, ſo-
lus, magnus, Pater omnium. Vt: *Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt.* Et: *Vt cog-* Deut. 6.
noſcant te ſolum Deum verum. Et: *Videte, quòd ego ſim ſolus,* ſcilicet Dominus. Et: Ioan. 17.
Ecce Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram. Et: *Nónne Deus Pater vnus omnium no-* Deut. 32.
ſtrum? At hæc omnia dicuntur de filio. *Nobis eſt vnus Dominus, Ieſus Chriſtus.* Et: Iob 36.
Hic eſt verus Deus. Et: *Solum dominatorem, & Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum ne-* Malac. 2.
gantes. Et: *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri* 1. Cor. 8.
Ieſu Chriſti. Et: *Paruulus natus eſt nobis,* &c. *Et vocabitur Admirabilis, Conſiliarius,* 1. Ioan. 5.
&c. *Pater futuri ſæculi.* Ergò Chriſtus eſt Pater omnium noſtrum. Vnde dicit: Epiſt. Iud.
Non relinquam vos orphanos. Et filiolos Apoſtolos vocat. Tit. 2.
Iſa. 9.
Ioan. 14.
Matth. 10.

Prob. etiam ex attributis Dei. Vt ſunt: Æternitas: *Inuocauit ibi nomen Dei* Ioan. 13.
æterni. Et: *Secundum præceptum æterni Dei.* Et: *Qui ſolus habet immortalitatem.* Im- Prob. 5.
menſitas. Vt: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.* Gen. 21.
Cœlum, & terram ego impleo. Potentia. Vt: *Qui ſolus eſt potens,* &c. Sapientia. Rom. 16.
Vt: *Soli ſapienti Deo.* Bonitas. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Maieſtas digna ſummo 1. Tim. 6.
cultu. Vt: *Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Atque Æternitas filio tri- Pſal. 144.
buitur. Vt: *Ab æterno ordinata ſum.* Hîc ſapientia loquitur, non autem ſapientia Ier. 23.
eſſentialis, quæ eſt omninò idem cum eſſentia Dei: nam illa non gignitur, hæc 1. Tim. 6.
autem dicit: *Ante omnes colles ego parturiebar.* Nec eſt ſapientia creata, nam nihil Rom. 16.
creatum eſt ab æterno. Luca 18.
Deut. 6.
Matt. 4.

Præterea, diſtinguit ſe hæc à creaturis, dicens: *Dominus poſſedit me ab initio,* Prou. 8.
antequam quidquam faceret à principio. Ergò neceſſariò eſt ſapientia genita, id eſt
filius, de quâ Apoſtolus: *Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.* Hunc locum 1. Cor. 1.
etiam habemus apud Michæam. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus* Mich. 5.
Iuda, &c. *Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quem locum etiam Scribæ Matt. 2.
Iudæorum intellexerunt de Chriſto.

Præterea: *In principio erat Verbum.* Quid eſt enim hoc, niſi, Verbum non cœpit Ioan. 1.
eſſe, ſed fuit ſemper? Tertiò, *Antequam Abraham fieret, ego ſum,* id eſt, vidi Ioan. 8.

Abraham,

Ioan. 17. Abraham, quia antequam ille naſceretur, ego eram. Quartò: *Clarifica me*
Epheſ. 1. *tu, Pater apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet apud te.* So-
Ioan 17. let autem Script. deſcribere æternitatem per illud, *antequam mundus fieret*, ſiue,
1. Pet. 1. *ante mundi conſtitutionem.* Vt: *Elegit nos ante mundi conſtitutionem.* Et: *Dilexiſti me*
Heb. 7. Heb. 13. *ante mundi conſtitutionem.* Et: *Præcogniti ante mundi conſtitutionem.* Quintò: *Ne-que initium dierum, neque finem vitæ habens.* Sextò: *Ieſus Chriſtus heri, & hodie, &*
Apoc. 1. 4. 11 *in ſecula.* Id eſt ſemper fuit, ſemper eſt, ſemper erit. Quod in Apoc. ſępiſsimè repetatur, *Qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Septimò: *Hic eſt verus Deus, & vi-*
Ioan. 5. *ta æterna.* Immenſitas tribuitur Filio. Vt: *Magnus eſt, & non habens finem, ex-*
Baruch. 3. *celſus, & immenſus.* Et paulò pòſt: *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad*
Obiect. *eum.* Nec obſtat, quod videatur Proph. loqui de loco magno Dei, quia prę-cedit: *O Iſraël, quam magna eſt domus Dei, & quàm ingens locus poſſeſsionis eius!*

Solut. Nam, vt notat Theodoretus in commentar. Non loquitur de loco materiali, ſed ſpirituali Sanctorum qui eſt ipſe idem Deus: nec de finitâ aliqua poſſeſsione, ſed de infiniti boni poſſeſsione, quæ eſt ipſe Deus.

Ioan 3. Secundò: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo.* Ergò cælum ſimul, & terram replet, ſi in cælo erat, quando loquebatur in terris: non autem corpore tunc erat in cælo, cùm diceret ſe aſcenſurum in cælum. Ergò alia in eo erat natura.

Matth. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Nam in cęlo, & in terrâ, & in omnibus prouincijs, ac regionibus ſimul neceſſe eſt eum eſſe qui pręſens adſit, vbicumque ſunt aliqui cõgregati in nomine Chri-
Apoc. 1. ſti. Potentia ſæpe tribuitur Filio Dei in Apoc. vt: *Ego ſum α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt, omnipotens.* Et:
Apoc. 4. Apoc. 11. *Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.* Et: *Gratias tibi agimus Domine Deus Omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es.*

Sapientia tribuitur Filio adeò frequenter vt à Theologis Sapientia voce-
1 Cor. 1. tur appropriatum eius. *Chriſtum Dei ſapientiam.* Et: *In Chriſto ſunt omnes the-*
Coloſ. 2. *ſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Et: *Domine, tu omnia noſti.* Bonitas tribuitur
Ioan. vlt. Sap. 7. Filio. Vt: *Omnibus mobilibus mobilior eſt Sapientia: attingit autem vbique propter ſuam munditiam. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentis ſincera, & nihil inquinatum in eum occurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ maieſtatis Dei, & imago bonitatis illius, & cùm ſit vna, omnia poteſt,* &c. Et:
Matth. 20. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Maieſtas adoranda tribuitur Chri-
Heb. 1. Pſal. 96. ſto. Vt: *Adorent eum omnes Angeli eius.* Hęc verba allegantur à Paulo ex Pſal. vbi agitur de adoratione latriæ ſoli Deo propriâ. Nam præceſsit: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia,* &c. Vbi opponitur idololatria cultui Dei. De-
Malach. 3. inde; Chriſtus habet templum, quod eſt proprium latriæ ſignum. Vt: *Tunc veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti,*
Ioan. 14. *quem vos vultis.* Item, inuocatur. Vt: *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.*
Act. 7. Act. 9. Et: *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum.* Et Ananias Chriſto: *Hic habet poteſta-*
2. Cor. 12. *tem alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum.* Et: *Ter Dominum rogaui, & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea.* Dominum ibi appellari Chriſtum, patet ex ſe-
1. Cor. 1. quentibus: *Libenter igitur, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Denique: *Gratia vobis, & pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.*

Chriſto. Ac in omnibus fere epiſtolis ita Paulus ſalutat Chriſtianos. Omnes etiam ferè Prophetæ prædixerunt poſt aduentum Meſsiæ exterminandā idololatriam; Eccleſia autem ſemper in toto orbe terrarum Chriſtū coluit templis, aris, inuocationibus, Feſtis diebus. Quòd ſi Chriſtus nō eſt verus Deus, nunquam fuit tam inſigne idolum in mundo, nec tam floruit idololatria, quā
poſt Chriſti aduentum. Et tamen clamat Spiritus Sanctus. *Eleuabitur Domi-* Iſa 2.
nus ſolus in die illâ, & idola penitus conterentur. Et: *In die illâ erit fons patens domui* Zach. 13.
Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in abſolutionem peccatoris, & menſtruatæ; & erit in die illâ, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terrâ. & non memorabuntur vltra. Vide etiam Iſa. 31. Ezech. 6. & 30. Oſe. 10. & Mich. 1.

Prob. etiam ex operibus ſoli Deo proprijs. I. eſt, Creatio. *Ego ſum Dominus* Prob 6.
extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum. Et: *Qui extendit cælos ſolus.* Iſa. 44.
Vnde per hoc opus Deus vult diſtingui à non veris dijs: Vt: *Dij, gentium dæmo-* Iob. 9. Pſal. 95.
nia, Dominus autem cælos fecit. Et: *Dij, qui cælum, & terram non fecerunt, pereant de* Hier. 10.
terrâ, & de ſub cælo. Hoc autem tribuitur Chriſto. Vt: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ioan. 1.
Ibid: *Et mundus per ipſum factus eſt.* Et: *Omnia per ipſum creata ſunt.* Et: *Et tu,* Coloſſ. 1.
Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarū ſunt cæli. Et: *Quando appen-* Heb. 1.
debat fundamenta terræ, &c. *Cum eo eram cuncta componens.* Qui locus non poteſt Prou. 8.
intelligi de ſapientiâ eſsentiali, quia illa non gignitur: hæc autem dicit: *Ante*
omnes colles ego parturiebar. Nec de ſapientiâ creatâ, quia illa non fuit ante mun- Ioan. 5.
dum. Et: *Quæcunque Pater facit, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Alterum opus eſt, Conſeruatio totius mundi. *In ipſo viuimus, mouemur, &* Act. 17.
ſumus At hoc idem conuenit Filio: Vt. *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Et. Heb 1.
Omnia in ipſo conſtant. Id eſt, Omnium ſubſiſtentia pendet à Filio Dei, ita vt ſi Eccleſ. 1.
ab ipſo conſeruetur, conſiſtat; ſin minùs, continuò intereat.

3\. Opus eſt, Saluatio. *Egò ſum Dominus & non eſt abſque me Saluator.* Et: *Deus iu-* Iſa 43.
ſtus, & ſaluans non eſt præter me. Et. *Ego ſum Dominus Deus, & Saluator non eſt præ-* Iſa. 45. Oſe. 13.
ter me. At quid magis conuenit Chriſto, quàm ſaluare? *Vocabis nomen eius Ie-* Matth. 1.
ſus, ipſe enim ſaluum faciet pop. ſuum. Ac ne dicas, eum ſaluare miniſtrando, audi
Paulum: *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, per ſemetipſum purgationem peccatorum* Heb 1.
faciens. Item: *Deus ipſe,* per ſe, non per legatos, *veniet, & ſaluabit nos.* Iſa 35.
Item Apoſtoli ſe Chriſti miniſtros dicebant, non comminiſtros. Vt: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti.* Et in nomine eius baptizabant, reconciliabant, miracula faciebant, &c.

4\. Opus eſt Prędictio futurorum, & ſcrutatio cordium. Vt: *Annunciate, quæ* Iſa. 41.
futura ſunt, & ſciemus, quia dij eſtis. Et: *Tu ſolus noſti omnia cor filiorum hominum.* 3. Reg 8.
Et: *Prauum eſt cor hominis,* &c. *Ego Dominus ſcrutans corda, & probans renes.* At Hier. 17.
hæc omnia Chriſto conueniunt. *Hoc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cùm factum* Ioan 13.
fuerit, credatis, quia ego ſum. Et: *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis* 1. Pet. 1.
Spiritus Chriſti prænuncians eas, quæ in Chriſto paſsiones, & poſteriores glorias. Et: *Ipſe* Ioan. 2.
ſciebat, quid eſſet in homine. Item: *Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans cor-* Apoc. 2.
da, & probans renes.

5\. Opus eſt Patratio miraculorum. *Qui facit mirabilia ſolus.* Et: *Faciens mi-* Pſal. 71.
rabilia tu es Deus ſolus. Et: *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Quod tamen intelli- Pſal. 85. Pſal. 135.
gitur, propriâ auctoritate. At ita faciebat Chriſtus miracula, tum quia im-

Marc. 4. imperabat: Vt, *Dixit mari, tace, & obmuteſce.* Et: *Surde, & mute ſpiritus, ego præcipio*
Matth. 8 & *tibi, exi ab eo.* Tum quia ſola voluntate etiam abſens curabat. Tum denique, vt
Ioan 4. verus Dominus totius naturæ conceſsit etiam alijs poteſtatem faciendi mi-
Matt 10. racula. Et ad inuocationem eius Apoſtoli miracula faciebant: *In nomine Ieſu*
Act. 3. *Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.*

Prob. 7. Prob. 7. veritas ex Patribus omnium ætatum.

8. & 9. Prob. 8. ex Sibyllis, quæ multò clariùs hoc prædixerunt, quàm vlli Prophetarum.

Prob. 9. ex diuinis teſtimonijs viſionum, & miraculorum. Præuidens enim Spiritus S. Arianam hæreſin ſæpiùs renouandam, & plurimùm Eccleſiæ nocituram, teſtatiſsimum eſſe voluit, eam veriſsimam eſſe hæreſin.

I. Igitur annis circiter 50. ante exortam Arij hæreſin, apparuit S. Gregorio Thaumaturgo Virgo Maria, & cum eâ S. Ioannes Euangeliſta, & Virgine imperante Ioannes tradidit S. Gregorio eam fidei confeſsionem, in quâ prædicatur Verbum Deus verùs, æternus, inuiſibilis, increatus, & Trinitas conſubſtantialis.

II. Paulò ante Arianam hæreſim reuelauit Deus S. Antonio horribilia illa mala, quæ Arius in Eccleſiam inuecturus erat. Ex quo factum eſt, vt Antonius nullum Arianum ad montem ſuum aſcendere pateretur, ſed vt peſtem quandam ex toto illo monte fugaret.

III. Circa idem tempus S. Petro Martyri, Epiſcopo Alexandrino cùm iam prima ſemina Arianæ hęreſis apparere cœpiſſent, apparuit in carcere Chriſtus veſte ſciſſâ à ſummo vſque deorſum: & cùm S. Petrus rogaret, quid hoc ſibi vellet, reſponſum accepit; Arius hoc fecit, quia populum meum à me ſeparauit.

IV. Arius ipſe Conſtantinopoli in publicis latrinis, ſubita ventris ſolutione occupatus, inteſtina omnia cum vita profudit. Antequam autem hoc fieret, Conſtantino Arius iureiurando affirmauit, ſe Catholicam fidem colere: à Conſtantino verò audiuit: *Si recta eſt fides tua, bene iuraſti: ſi autem impia eſt, & tamen iuraſti, Deus te pro iuramento condemnet.* Deinde, cum vellet Arius vi in Eccleſiam intrare, S. Alexander Epiſcopus Conſtant. orauit Deum, vt, ſi permitteret Arium ingredi in Eccleſiam, tolleret ſe de hoc mundo: ſin autem Eccleſiæ parceret, tolleret Arium. Ex quo intelligimus, non caſu factum, vt tam fœda morte Arius extingueretur, ſed planè Dei prouidentia ſingulari, qui ea ratione implere voluit & pij Principis comminationem, & S. Pontificis orationem.

V. Cum Lucius Epiſc. Arianus Catholicos vbique perſequeretur, his verbis Monachi miracula faciebant: *In nomine Ieſu, quem Lucius perſequitur, ſurge, & ambula.*

VI. S. Hilarius ab Arianis in exilium relegatus, inſulam quandam ſolo imperio, & præſentia ſua à ſerpentibus liberauit, & poſtmodum etiam mortuum ad vitam reuocauit.

VII. S. Martinus vehementer adeò Arianis reſiſtebat, vt publicè virgis cæſus, & à patria expulſus fuerit, cum interim innumerabilibus quotidie miraculis coruſcaret.

VIII.

VIII. S. Baſil. cum quęſtio eſſet de quadam Eccleſia, vtrum eam Catholici, an Ariani poſsidere deberent, conditionem illis obtulit, vt Eccleſia firmiſsimis repagulis reclauderetur, & eorum eſſet, qui iuxta ſuam fidem orantes, ſolo verbo, nulla vi alia externa adhibita, eam aperirent. Accepta conditione, priores Ariani diu orantes, iuxta fidem ſuam nihil efficere potuerunt. Deinde, Baſilio cum Catholicis orante, tanta vi continuò fores Eccleſiæ apertæ ſunt, ac ſi verba illa tonitrua quædam fuiſſent.

IX. Cum Iuſtina Imperatrix Ariana cum ſuis, Ambroſium, & Catholicos perſequeretur, reuelauit Deus eidem Ambroſio corpora incorrupta S. Geruaſij, & Prothaſij, & per ea cęcum illuminauit, multaque alia edidit miracula, quę ſanè ad Arianorum confuſionem erant, vt patet ex eo, quod ipſi, quãtum poterant, ea miracula calumniabantur.

X. Cùm S. Martyres pro fide Catholica ab Arianis flagellarentur vſque ad oſsium denudationem, ſæpe accidit, vt ſequenti die diuino miraculo incolumes conſpicerentur. Item, à S. Eugenio cęcus illuminatus fuit eo tempore, quo Ariani Catholicos maximè vexabant. Denique, aliquot Catholicis iuſſu Regis Ariani linguę radicitus euulſæ fuerunt, qui tamen ſemper optimè locuti ſunt, donec vixerunt.

XI. S. Gregor. tria mirabilia narrat, quę acciderant ſuo tempore.

1. Accidit in vrbe Spoletana. Cùm enim Arianus Epiſcopus in Eccleſiam S. Pauli intrare, & ſuo errori eam Eccleſiam dedicare vellet, Catholici metuentes, Eccleſiam lampadibus omnibus extinctis, diligentiſsimè clauſerunt: ſed cùm accederet Arianus cum ſuorum grege impetum facturus, continuò omnes portæ ſimul magno fragore edito per ſe patuerunt, & effuſo cœlitus lumine lampades omnes ſunt accenſæ, & ſimul cęcitate Epiſcopus percuſſus eſt, tantoque terrore omnes affecti, vt intrare auſi non fuerint, ſed Epiſcopum ſuum cęcitate affectum in domum ſuam confuſi retulerint. *Lib. 3. Dial. c. 29. 30. 31.*

2. Romæ accidit: nam, cùm Eccleſiam quandam, quę Arianorum fuerat, ipſe B. Gregorius, introductis Sanctorum reliquijs, reconciliaſſet, diabolus in ſpecie horrendę ſuis exiuit. Item, nubes lucidiſsima ſuper altare deſcendit, & ingens ſimul ſuauitas odoris in eum locum effuſa eſt, lampadeſque omnes accenſę diuinitus.

3. In Hiſpaniâ, vbi, cùm Herminigildus Regis filius à Patre Ariano propter fidem necatus eſſet, viſę ſunt nocte circa eum lampades accenſę, & Angelorũ cantus à multis eſt auditus.

XII. Cùm in Africâ Cirola quidam, Patriarcha Arianorum, Catholicos perſequeretur, & eodem tempore tres S. Epiſcopi, Eugenius, Vindemialis, & Longinus, qui pręter ceteros ei reſiſtebant, omnes miraculis coruſcarent, voluit etiam hęreticus miraculum facere. Itaque cuidam 50. aureos numerauit, vt ſe cęcum fingeret. Sed dum tranſeunte per viam Cirola, ille auxilium eius poſtularet, acceſsit Cirola, & oculos eius tetigit, imperans, vt videret in ſignum veritatis, quam prędicabat: repentè verò tantus ardor oculos illius miſeri occupauit, vt coactus fuerit manibus eos comprimere, ne è fronte exilirent: tum verò detexit dolum, & fidem Catholicam altâ voce confeſſus, à S. Eugenio ſigno crucis repentè curatus eſt.

Prob. 1. Spiritum S. eſſe verum Deũ. Probandum tertio Spiritum S. eſſe verum Deum. I. claſsis argumentorũ ſumitur ex Teſtam. veteri, ex quo vnus locus è multis ſufficiat. Hæc ſunt verba nouiſsima, quæ dixit Dauid: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſraël, qui mihi locutus eſt fortis Iſraël, dominator hominum.* Vbi apertè vides, illum ipſum, qui dicitur ſpiritus Domini, eumdem dici Deum Iſraël: ex quo ſequitur, vt ſit Deus verus. *2. Reg. 23.*

Prob. 2. 2. Claſsis eſt ex nouo Teſtam. ex quo etiam vnus locus ſufficiat. *Euntes baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Non enim Dominus copularet cum Patre, & Filio Spiritum S. ſi creatura eſſet. Deinde; Quomodo poſset Spiritus S. per Baptiſmum nos regenerare, & Deos quoſdam facere, niſi eſset ipſe verus Deus? nam *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* *Matth. vlt.* *Pſal. 83.*

Prob. 3. 3. Claſsis ex vtroque ſimul Teſtam. clariſsimum nobis teſtimonium præbet. Nam illum ipſum, quem Iſaias vocat Dominum exercituum, quemque omnes fatentur eſſe Deum verum; illum, inquam, ipſum Apoſtolus dicit eſſe Spiritum S. *Dicit Dominus exercituum Iſaiæ. Vade, dic populo huic, audite audientes, & nolite intelligere.* Et: *Benè Spiritus S. locutus eſt per Iſaiam dicens: Vade ad populum iſtum, & dic eis: aure audietis, & non intelligetis,* &c. Præterea; Omnes Prophetæ, cùm ſermones ſuos ad pop. explicarent, nónne identidem repetebant: *Hæc dicit Dominus Deus?* At: *Spiritu S. inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Igitur ille Dominus Deus erat Spiritus Sanctus. Quare Zacharias ait: *Benedictus Dominus Deus Iſraël.* Et mox: *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum eius.* Quibus verbis non potuit clariùs Zacharias exprimere, Spiritum S. eſſe ipſum Dominum Deum Iſraël. *Iſa. 6.* *Act. vlt.* *2. Pet. 1.* *Luc. 1.*

Prob. 4. 4. Claſsis eſt ex nominibus. Et quidem ex hâc claſſe tria ſumuntur argumenta. Primũ negatiuum, quia nuſquã in Script. Spiritus S. dicitur creatus, & factus, cũ tamen multis in locis enumerentur omnes præcipuæ creaturæ. Nam apud Daniëlem, & in Pſalmis omnes creaturæ excitantur ad laudem Dei, & nominatim Angeli, cœli, aquæ, homines, beſtiæ, &c. Spiritus verò S. nulla mentio fit. Sic etiam apud Apoſtolum enumerantur nobiliſsimæ creaturæ, throni, dominationes, principatus, poteſtates. Et apud S. Petrum Angeli, poteſtates, virtutes, vt illis omnibus Chriſtus maior eſſe demonſtretur. At nuſquam cum creaturis, ſed ſemper cum Patre, & Filio Spiritum S. nominari videmus. Secundùm argumentum ſumitur ab ipſo nomine Dei. Nam ſolus Deus verus in Script. dicitur abſolutè Deus. At Spiritus S. vocatur abſolutè Deus. *Anania, cur tentauit Satanas cor tuũ, mentiri te Spiritui Sancto? Nõ es mentitus hominibus, ſed Deo.* Tertium ex confeſsione aduerſariorum. Nam Ariani eraſerant è ſuis codicibus illa verba: *Spiritus eſt Deus:* ergò putauerunt Spiritum S. in Script. Deum appellari. Si enim putabãt, ſenſum eſſe, Deus eſt ſpiritualis naturæ, quare deleuerunt illa verba? Sed magis eis nocuit litura ſua, quàm litera Dei: ſiquidem illa verba Dei non neceſſariò de Spiritus S. perſonâ intelligenda ſunt. At litura illa clamat, hæreticos Arianos in reprobum ſenſum datos eſſe, & in Spiritum ſanctum peccare, cùm malint Script. ſanctas delere, quàm errores ſuos deponere. *Dan. 3.* *Pſalm. 102. & 148.* *Coloſſ. 1.* *1. Pet. 3.* *Act. 5.* *Ioan. 4.*

Prob. 5. Quinta claſsis conſtat ex attributis. Solus Deus eſt immenſus, & vbique. At de Spiritu ſancto legimus: *Quò ibo à Spiritu tuo?* Et: *Spiritus Domini repleuit orbem* *Pſal. 138.* *Sap. 1.*

orbem terrarum. Item, ſolus Deus eſt omnipotens. At de Spiritu ſancto legi-
mus: *Omnem habens virtutem.* Item, ſolus Deus cognoſcit ſeipſum perfectè. At Sap. 7.
de Spiritu ſancto legimus: *Nemo ſcit, quid ſit in Deo, niſi Spiritus Dei.* Et rurſum: 1. Cor. 2.
Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei Denique, ſolus Deus habet templum.
At de Spiritu ſancto legimus: *Membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti.* Et ita: 1. Cor. 6.
Portate, & glorificate Deum in corpore veſtro.

Sexta claſsis ex operibus ſumitur. Primò ſolius Dei opus eſt creatio: & Prob. 6.
tamen legis: *Spiritus Dei fecit me.* Et: *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris* Iob 33.
eius omnis virtus eorum. Et: *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur.* Secundò ſolius Pſal. 32.
Dei eſt conſeruare: & tamen legis: *Spiritus Domini replenit orbem terrarum, & hoc* Pſal. 103.
πνεῦμα, quod continet omnia, &c. Tertiò ſolius Dei eſt ſaluare: & tamen legis: Sap. 1.
Iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu Christi, & in Spiritu Dei noſtri. Quartò ſolius 1. Cor. 6.
Dei eſt futura prædicere, & ſcrutari corda: & tamen legis: *Spiritu ſancto inſpira-* 2. Pet. 1.
ti, locuti ſunt ſancti Dei homines. Et: *Renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator* Sap. 1.
eſt verus, quoniam Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc, quod continet omnia,
ſcientiam habet vocis. Id eſt; Ideò Deus ſcrutatur corda, quia Spiritus eius eſt
vbique, omnia penetrat, omnia nouit genera linguarum, etiam quæ in inti-
mo corde ſunt. Quintò ſolius Dei eſt miracula facere: at Chriſtus ipſe *in Spi-* Matt 12.
ritu Dei eijciebat dæmonia. Et Paulus facit auctorem doni linguarum, ſanita- 1. Cor. 12.
tum, &c. Spiritum ſanctum. Et omnia miracula, quæ per Apoſtolos fiebant,
vocat *Spiritus ſancti diſtributiones.* Sextò ſolius Dei eſt Eccleſiam regere abſolu- Heb. 2.
tâ poteſtate. At Spiritus ſanctus gubernat Eccleſiam, quæ eſt regnum Chri-
ſti, planè vt Dominus abſolutus, & non minùs, quàm Pater, & filius. *Dixit* Act. 10.
Spiritus Petro: vade ad eos nihil hæſitans, quia ego miſi eos. Et: *Ait Spiritus ſanctus, Se-* Act. 13.
gregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos. Ibidem: *Et ipſi miſſi à* Act. 15.
Spiritu ſancto. Et: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris.* Et: Act. 16.
Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia. Et: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi,* Act. 20.
in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Et: *Omnia operatur* 1. Cor 12.
vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis, prout vult.

Septima claſsis conſtabit ex comparatione Spiritus ſancti ad Chriſtum. Prob. 7.
Nam, ſi probemus, Spiritum ſanctum maiorem Chriſto eſſe, quatenus Chri-
ſtus homo eſt, probatum quoque erit, Spiritum ſanctum vnum eſſe Deum
cum Patre. Siquidem aduerſarij nihil omninò eſſe volunt Chriſto, quem nu-
dum hominem faciunt, maius, præter Deum Patrem. Eſſe igitur Spiritum
ſanctum homine Chriſto maiorem, demonſtratur illis omnibus argumentis,
quibus aduerſarij probant, Deum Patrem eſſe Chriſto maiorem. Maior eſt
Pater homine Chriſto, quia eum miſit. At eundem miſit Spiritus ſanctus. *Et* Ioan. 8.
nunc Dominus meus miſit me, & Spiritus eius. Pater ſanctificauit filium. *Quem Pater* Iſa. 48.
ſanctificauit, & miſit in mundum. Sanctificauit etiam Spiritus ſanctus. *Spiritus* Ioan. 10.
Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me, euangelizare pauperibus miſit me. Item; Pater Iſa. 61.
filij incarnationem operatus eſt: *Miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati.* Luca 4.
Idem operatus eſt Spiritus ſanctus. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.* Item, Rom 8.
in virtute Patris filius faciebat miracula: *Pater in me manens ipſe facit opera.* At Matt. 1.
de Spiritu dicit: *Si ego in virtute Dei eijcio dæmonia.* Item, Pater filium obtulit ad Ioan. 14.
mortem, *Proprio filio non pepercit,* &c. Idem Spiritus ſanctus fecit: *Per Spiritum* Matth. 12. Rom. 8. Act. 2.

 ſanctum

ſanctum obtulit ſemetipſum. Denique; Pater Filium ſuſcitauit. Idem Paulus dicit
Rom. 8. de Spiritu ſancto. *Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis, habitat in nobis.* Acce-
Matth. 12. dit, quòd grauius ſit peccare in Spiritum ſanctum, quàm in Chriſtum ho-
Prou. 8. minem.
& 9. 8. claſsis ſumitur ex Patribus. Nam, qui pro Chriſti diuinitate loquun-
tur, ijdem ferè omnes de Spiritu ſancto agunt.

9. Claſsis conſtat ex miraculis, nam miracula quę facta ſunt ad confirman-
dā Chriſti diuinitatē, eadem confirmant etiam diuinitatem Spiritus Sancti.

CAPVT II.

De vocibus quibuſdam in diuinis.

Eſſentia. PRIMA vox eſt *Eſſentia*, Græcè οὐσία, quæ in Script. inuenitur. Vbi enim
Luc 15. adoleſcentior filius petit à Patre portionem ſubſtantiæ, in Græco eſt,
μέρος τῆς οὐσίας. Vbi οὐσία opes paternas ſignificat. Quæ ſunt autem Dei opes,
niſi ipſius diuinitas, quæ eſt ſummum, & infinitum bonum? Quia tamen non
expreſsè hoc loco Dei natura vocatur οὐσία, meritò dicere potuit Epiphanius:
Hæreſ. 73. *Eſſentiæ nomen nudo modo in veteri, ac nouo Teſtam. non habetur: ſenſus autem, & ſigni-
ficatio vbique habetur.* Itaque etſi hęc vox non habetur in Script. tamen haben-
Rom. 1. tur eius ſynonima. Nā de Deo dicitur: *Sempiterna quoque virtus eius, ac diuinitas,*
Græcè θειότης. Quid eſt autem θειότης, niſi οὐσία τοῦ θεοῦ? Item, μορφὴ τοῦ θεοῦ,
Philip. 2. *Forma Dei.* Certè non minùs philoſophicum eſt forma, quàm eſſentia. Et: *Di-
2. Pet. 1. uinæ conſortes naturæ*; Græcè θείας φύσεως. At idem omninò ſunt, eſſentia, &
natura. Denique, habetur nomen Eſſentiæ in ſuâ radice: nam Eſſentia dici-
tur ab eſſe, & eſt abſtractum eius nominis, quod in cōcreto dicitur Ens. Por-
Exod. 3. rò ens, & eſſe in Script. de Deo dicitur: *Ego ſum, qui ſum: qui eſt, miſit me ad vos;*
Græcè ὁ ὤν. Si igitur Deus dicitur ens ſecundum Script. cur eius natura non
poterit dici eſſentia?

ὁμοούσιος. Ex hoc nomine fit ὁμοούσιος, id eſt, eiuſdem eſſentiæ: quod nomen Ariani,
& veteres, & noui, maximè oderant, tum quia extra Script. tum quia nouū
illis videbatur. Et tamen vtebantur ipſi nominibus multò magis nouis, & qui
in nullâ Script. reperiuntur, vt ἑτερούσιος, id eſt, alterius eſſentiæ. Sed primam
calumniam Patres duobus modis refutarunt. I. Demonſtrarunt nomen hoc
non eſſe ideò reijciendum, quòd in Script. non ſit, cùm conſtet in Script. ſen-
Ioan. 10. ſum huius nominis reperiri, dicente Domino: *Ego, & Pater vnum ſumus.*

Secundo oſtendere conati ſunt, non eſſe nomen hoc alienum à Script. quia
ſimilibus vocibus vtitur Script. Dominus enim: τὸν ἄρτον ὑμῶν ἐπιούσιον. dixit
Luc. 6. Et Moyſes vocat filios Iſraël, λαὸν περιούσιον. Sunt autē planè ſimilia ἐπιούσιος,
Deut. 7. 14. ὁμοούσιος, & περιούσιος: vt etiam Latina, Superſubſtantialis, & Conſubſtan-
16. tialis. Alteram calumniam Patres apertiſsimè confutarunt, atque oſtende-
runt, non fuiſse inuentum hoc nomen in Nicæno Concilio, ſed fuiſse etiam
antea

antea in vſu Patrum. Nam Dionyſius Rom. & Alexand. Theognoſtus, & Origenes hoc nomine vſi ſunt. Videtur autem hoc nomen diuinitus inuentum: ſiquidem deſtruit ſimul contrarias hæreſes Arij, & Sabellij. Nam non dicitur *ὁμοούσιος* de ijs, quæ quomodocunque habent ſimilem eſſentiam, ſed de ijs tantùm, quorum vnum eſt ab altero, & ab illo recipit eandem eſſentiam. Sabellius fatebatur Patrem, & filium habere eandem eſſentiam, ſed negabat vnum eſſe ab alio: Ariani fatebantur filium eſſe à Patre, ſed negabant accepiſſe eandem eſſentiam.

Hypoſtaſis ſignificat primam ſubſtantiam, quam vniuersè dicimus ſuppoſitum, & in natura intelligente perſonam. Diſtinguitur autem ab eſſentia, quòd hæc ſignificatur per modum formæ totalis exiſtentis in alio: Hypoſtaſis autem ſignificatur per modum totius, quod non in alio, ſed in ſe, & per ſe exiſtit. Ex quo ſequitur, Hypoſtaſin non addere ad eſſentiam aliquem gradum naturæ, aut actum, ſed ſolùm modum eſſendi. Ipſa enim eſſentia, ſi re ipſa exiſtat, & non ſit in alio, vt pars in toto, vel vt forma in ſubiecto, dicitur Hypoſtaſis. Ex quo iterum ſequitur, eſſentiam eſſe communicabilem; Hypoſtaſin incommunicabilem: repugnat enim, vt, quod eſt in ſe, ſit in alio. Nam eſſe in alio, eſt non eſſe in ſe: ex quo vltimo ſequitur, Hypoſtaſin ſuperaddere eſſentiæ proprietatem aliquam, id eſt, aliquid, ſeu aliquem modum, ratione cuius incommunicabilis fiat. Hæc igitur vox, licet quibuſdam ſuſpecta videretur, vt quæ ad ſignificationem ſubſtantiæ, id eſt, eſſentiæ, trahi poſſet: tamen omninò recipienda eſt, & tutò dici poſſunt in Deo tres Hypoſtaſes. Et prob. 1. ex Apoſtolo, vbi dicit de filio: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius:* Græcè *Χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*. Vbi nomine Hypoſtaſeos, licet aliqui eſſentiam intellexerint, tamen alij rectiùs acceperunt perſonam paternam: non enim filius eſt imago eſſentiæ, ſed perſonæ. Illius enim eſt imago, cuius eſt filius: imago enim diſtinguitur ab exemplari vt res producta à producente. Prob. 2. ex vſu Eccleſiæ, & Patrum. — *Hypoſtaſis.* *Hebr. 1.*

Subſtantiæ nomen ambiguum eſt. Nunc enim Hypoſtaſin, nunc eſſentiam ſignificat. Quocirca in rigore dici poſſent in Deo tres ſubſtantiæ, præſertim cum hoc vocabulo vſus ſit vulgatus interpres epiſt. ad Hebræos: tamen abſolutè negandæ ſunt in Deo tres ſubſtantiæ, & vna aſſerenda, quia communis vſus Latinorum accipit ſubſtantiam pro eſſentia: nam ſemper Ariſtoteles in prædicamento ſubſtantiæ *οὐσίαν* vocat, quam nos dicimus ſubſtantiam. — *Subſtantia.* *Hebr. 1. 3. & 11.*

Perſona nomen, quamuis ſæpe pro qualitate, & larua hiſtrionum accipiatur; tamen etiam pro ſubſtantia prima à Script. & Patribus accipi, non ignoramus. Nam & in Script. paſſim legimus, Deum non eſſe acceptorem perſonarum, in quibus locis perſona ſignificat ipſam hypoſtaſin humanam. Nam tunc eſt acceptio perſonarum in diſtributione præmiorum, quando, qui diſtribuit, non reſpicit merita hominum, ſed ipſos homines, id eſt, tribuit plus vni, quàm alteri, non quia ille plus meretur, ſed quia illam perſonam plus diligit. Præterea, Patrem, Filium, & ſpiritum ſanctum, tres perſonas vocant Patres. Imò & Grammatici hoc modo accipiunt nomen perſonæ. — *Perſona.* *Act. 10.* *Rom. 2.* *& alibi.*

Proprietas, Relatio, Notio non ſunt nomina Script. tamen ex ſcript. colliguntur per euidentem conſequentiam. Nam ſi filius eſt *vnigenitus*: ergò proprium — *Proprietas.* *Relatio.* *Notio.* *Ioan. 1.*

eſt

re diſtincta, ſunt tria ſubſiſtentia. & proinde tres Hypoſtaſes, ſeu perſonæ. Probanda eſt aſſumpt. primi argumenti ex ſcript. nam per ſe cetera ſunt euidentia. Ac Filium habere ſuum eſſe à Patre, prob. I. ex illo: *Dominus poſſedit me*; id eſt, per generationem acquiſiuit. Id enim ſignificat vox Hebræa. Ac ne dicant hoc intelligi de Chriſto homine in prædeſtinatione, ſeu præuiſione generato ante colles, ibidem dicitur: *Cum eo eram cuncta componens*. Nec enim is, qui ſolùm habebat eſſe in prædeſtinatione, poterat cum Patre mundum creare: quod enim habet eſſe ſolùm in prædeſtinatione, non eſt, ſed futurum eſt: quod autem non eſt, operari non poteſt. Igitur Filius Dei, qui cum Patre cuncta compoſuit, in principio mundi iam erat, & tamen per generationem à Patre acceperat eſſe. Prou. 8.

Præterea; *Sapientia primogenita* dicitur *ante omnem creaturam*. Item; *Dedit Filio vitam habere in ſemetipſo*. Nec dici poteſt, hoc eſſe intelligendum de Chriſto homine: repugnat enim illud: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo*. Vbi docemur, vitam datam eſſe Filio à Patre, non quomodo vitam habent creaturæ, ſed quomodo ipſe Pater habet. Item; *Filius* dicitur *primogenitus Dei, & imago eius*. Vtrumque autem nomen includit neceſſariò diſtinctionem, & proceſsionem. Nec poteſt intelligi de Chriſto homine, quia ibidem dicitur de hoc primogenito: *In ipſo, & per ipſum condita ſunt vniuerſa*. Item, vocatur filius ſplendor, & imago paternæ hypoſtaſis: quæ omnia dicunt proceſsionem. Et, ne hæc trahantur ad humanitatem, additur ibidem: *Per quem fecit & ſecula*. Denique legimus: *Vt ſimus in vero filio eius*. Certè verus Filius à Patre eſt natus verè. Et, ne dicant hoc pertinere ad ſolum hominem Chriſtum, ſubditur: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. Itaque de Filio res eſt certiſsima, habere illum eſſe à Patre, ac propterea diſtingui re ipſa à Patre. De Spiritu S. probabitur poſteà in quæſtione propria. Interim ſufficiat illud: *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Hic enim expreſsè dicitur Spiritus S. à Patre procedere, & proinde ab illo diſtingui. Dicitur etiam mitti à Filio, & proinde etiam ab illo diſtingui. Miſsio enim in diuinis non poteſt intelligi, niſi ſecundum proceſsionem. Eccl. 24. Ioan. 5. Col. 1. Hebr. 1. 1. Ioan. 5. Ioan. 15.

2. Argumentum ſumitur à voce, *Alius*. Script. ſiquidem vocat Patrem alium à Filio, & Spiritum ſanctum alium ab vtroque: quod apertam diſtinctionem, & quidem realem indicat. Filius de Patre loquens: *Alius*, inquit, *eſt, qui teſtimonium perhibet de me*. Et de Spiritu ſancto. *Alium paracletum dabit vobis*. Non autem diceremus de vna perſona: Alius eſt Marcus, alius Tullius, alius Cicero: nec de eodem; Alius eſt Orator, alius Conſul, alius Imp. Prob. 2. Ioan. 15. Ioan. 14.

3. Argumentum ſumitur ex particulis quibuſdam denotantibus diſtinctionem; vt, *apud, cum, in*. Prob. 3.

Cum illo eram cuncta componens. Item: *Et Verbum erat apud Deum*. Ibidem: *Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris*. Et: *Ego ſum in Patre, & Pater in me eſt*. Et: *Baptizate omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. Et: *Dominus Deus miſit me, & Spiritus eius*. Et: *Per ipſum* (Filium) *habemus acceſſum ad Patrem in vno Spiritu*. Nam, ſi Pater, & Filius, & ſpiritus ſanctus, eſſent ſola nomina, & non res, eſſent omninò ſynonyma; quomodo M. T. Cicero. At quis diceret: Marcus erat cum Tullio, vel apud Tullium; & ſimilia? Prou. 8. Ioan 1. Ioan. 14. Matth. vlt. Iſa. 48. Epheſ. 2.

G 4. Argu-

Prob. 2. 4. Argumentum ex eo ſumitur, quòd Script. inducit Deum loquentem in numero multitudinis, vel loquentem de Deo; tanquam de aliâ perſonâ. *Gen. 1.* *Dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* *Gen. 3.* Et: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt.* *Gen. 11.* Et: *Venite, deſcendamus, & confundamus linguam eorum.* *Gen. 19.* Et: *Pluit Dominus à Domino.* *Oſe. 1.* Et: *Dicit Dominus: ſaluabo eos in Domino Deo ſuo.* *Zach. 3.* Et: *Dixit Dominus ad Satan: Increpet te Dominus, ô Satan.* Et licet Rabbini hæc omnia eludant, dicentes eſſe phraſes linguæ, & difficile ſit eos conuincere; tamen apud Catholicos habent ſuam auctoritatem, quia Patres paſsim his argumentis vtuntur, *Apud Hilar. l. de Synodis.* & Concilium Syrmienſe dicit anathema ijs, qui aliter explicant loca citata ex Gen.

Præterea; habemus alia loca in Teſtam. nouo, quæ nullâ ratione poſſunt eludi. *Ioan. 10.* *Ego, & Pater vnum ſumus.* *Ioan. 14.* Et: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Nec enim vna, & eadem perſona, quæ plura nomina, vel officia habeat, verè dicere poteſt, ratione eorum nominum, vel officiorum: Nos faciemus; aut; Nos veniemus.

Prob. 5. V. Argumentum ſumitur ex eo, quòd Script. ſæpe de Deo loquens, vtitur numero ternario: *Exod. 3.* *Ego ſum, qui ſum, qui eſt, miſit me ad vos.* Ibidem: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* *Num. 6.* Et: *Sic benedicetis filijs Iſraël: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem.* *Deut. 6.* Et: *Dominus Deus, Dominus vnus eſt.* *Pſal. 66.* Et: *Benedicat nos Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* *Pſal. 135.* Et: *Confitemini Domino, quoniam bonus, confitemini Deo Deorum, confitemini Domino Dominorum.* *Iſa. 6.* Et: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus.* Vbi notandum, Deum in Teſtam. veteri noluiſſe proponere myſterium Trinitatis expreſsè, quia Iudæi incapaces erant, & quia recens exierant de Ægypto, vbi colebantur multi Dij, & intraturi erant in terram Chanaan, vbi etiam multi habebantur Dij, ne videlicet putarent, ſibi etiam tres Deos fore colendos: voluiſſe tamen Deum adumbrare hoc myſterium, idque multis modis, vt, cùm in Teſtam. nouo prędicaretur, non videretur omnino nouum, vel repugnans Teſtam. veteri.

Prob. 6. VI. Argumentũ ſumitur ex numeris binario, & ternario in Script. expreſsis. *Ioan. 8.* *In lege veſtrâ ſcriptum eſt, quia duorum hominũ teſtimonium verum eſt, ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* Vbi apertè ſe, & Patrem, duos teſtes facit. Et de Spiritu S. addit: *Ioan. 15.* *Ille teſtimonium perhibebit de me.* *1. Ioan. 5.* Et: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus S.* *Prob. 7.* Vltimò, addi poſſunt congruentiæ naturales, quæ non demonſtrant fidem, ſed eâ ſuppoſitâ oſtendunt id, quod aſſerimus, non eſſe contra rationem.

I. Eſt: Summi & infiniti boni eſt, ſe ſummè, & infinitè communicare. Non autem Deus ſe ſummo, ac infinito modo communicat in productione creaturarum.

II. Eſt: Perfecta beatitudo comprehendit omnia bona: & vnum, & quidē inſigne bonum eſt conſortium æqualium perſonarum.

III. Generare ſibi ſimile eſt perfectio, quæ non debet abeſſe à Deo, qui eſt vndequaque perfectus.

IV. Melius eſt, ab æterno Deum aliquid produxiſse, quàm otioſum fuiſse.
V. Quia inuenitur vna natura in hypoſtaſi, vt in quolibet Angelo; plures in pluribus., vt in multis Angelis; plures in vnâ, vt in homine, vbi duæ naturæ, anima, & caro, vna ſpiritualis, altera corporalis, in vnam hypoſtaſim humanam conueniunt; credibile eſt, eſſe quoque vnam naturam, id eſt, diuinã in pluribus hypoſtaſibus; hoc eſt, in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto.
VI. Ratio ſumitur ex veſtigijs, quæ Deus impreſsit quodammodo in creaturas. Nam res omnes ita affectant numerum ternarium, vt planè omnia clamare videantur, auctorem ſuum eſſe Trinitatem, quæ omnia fecit in pondere, numero, & menſurâ. Primo tres ſolùm ſunt paſsiones omnibus rebus communes, vnum, verum, bonum. Deinde; Tota rerum vniuerſitas diſtribuitur in tres partes: quidquid enim eſt, aut ſpirituale eſt, aut corporale, aut mixtum ex vtroque. Res ſpirituales in tres Hierarchias diuiduntur: ſingulæ Hierarchiæ in tres ordines: ſinguli verò ſpiritus Angelici, non tam veſtigium, quàm imaginem Trinitatis referunt, cùm tribus ſint præditi facultatibus, memoriâ, intelligentiâ, voluntate; atque in eis ex mente naſcatur notitia, ex notitiâ amor procedat. Porrò in rebus corporalibus penè innumerabilia reperiuntur veſtigia Trinitatis.

Probandum ſecundo eſt in particulari, Filium diſtingui à Patre, propter eos, qui Filium ἀυτόθεον eſſe dicunt, id eſt, Deum à ſeipſo eſſe, non à Patre. Nã is modus loquendi Caluini, Filium habere à ſe eſſentiam, ſimpliciter eſt repudiandus, & contrario modo loquendum eſt. *Prob 1. filiũ diſtingui à Patre.*

Primo repugnat is modus loquendi cum verbo Dei. Legimus enim: *Pater dedit Filio vitam habere in ſemetipſo.* Et: *Ego viuo propter Patrem.* At, ſi vitam dedit Pater Filio, certè & eſſentiã. Idem enim in Deo eſt, eſſe, & viuere, Item; *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Cur nõ & eſſentia? Et: *Ego ſcio eum, quia ab eo ſum.* Et: *Sicut docuit me Pater, loquor in mundo. & quæ audiui à Patre meo,* &c. At non poteſt intelligi, quomodo Pater tradiderit Filio ſcientiam, niſi tradendo eſsentiam. *Ioan. 5. Ioan. 6. Matth. 11. Ioan 7. Ioan. 8.*

Pugnat etiam cum Concilijs. Nam omnia ferè Concilia, poſt Nicænum, receperunt Symbolum Nicęnum cum illis verbis: *Deum de Deo, lumen de lumine*; vt Sardicenſe, Conſtantinop. I. Epheſinum I. & omnia alia. *Prob. 2.*

Pugnat tertio cum doctrinâ Patrum. Pugnat denique cum ratione, & cum ipſâ Caluini ſententiâ. Nam, ſi ipſe aſſerit, Patrem communicaſse Filio eſſentiam, quomodo poteſt verè dicere, Filium habere à ſe eſſentiã? Item, ſi dicat, Filium eſſe productum à Patre, quomodo poteſt negare, eſſentiam, & vitam in Filio eſſe à Patre? Nec enim Filius dicitur ſola proprietas, ſed integra Hypoſtaſis. *Prob 3. & 4.*

Probandum eſt tertio in particulari Spiritum S. procedere à Patre. Prob. primo ex Script. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt.* Et: *Omnia tua mea ſunt.* Ex quibus verbis ita concludi poteſt argumentum. Quidquid Pater habet, etiam & Filius, exceptâ ſolâ relatione paternitatis: ſed Pater habet eſſe principium Spiritus ſancti. Ergò & Filius id ipſum habet. Ex quo manifeſtè ſequitur, eſſe etiam Filium ſpiratorem Spiritus ſancti. Nam hoc non eſt eſſe Patrem; & tamen habet hoc Pater, vt ſit ſpirator. *Prob. 1. Spiritum S. à Patre procedere. Ioan. 16. Ioan. 17.*

Deinde; Si Pater, & Filius non haberent omnia communia, excepta rela-

 tione

tione oppoſita, diſtinguerentur pluſquam relatione; & proinde diſtinguerentur ſubſtantia. Nam Pater, vt ſpirator, non eſt relatiuum ad Filium: ergò, ſi, vt ſpirator, diſtinguitur à Filio, diſtinguitur per ſpirationem, non vt eſt relatio, ſed vt eſt forma quædam in Patre ſubſiſtens; proinde Pater, & Filius in ſubſtantia differrent, quæ eſt hæreſis Ariana.

Ioan. 16. Item: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quid, quæſo, accipiet in Filio ſpiritus, niſi ſcientiam? Nam paulò antè dixit: *Non enim à ſeipſo loquetur, ſed quæcunque audiet, loquetur:* Et de ſcientia exponunt Patres. Quomodo autem poteſt ſpiritus accipere à Filio ſcientiam, niſi accipiendo ab illo eſſentiam? Quidquid enim aliud dicatur, fiet ſpiritus ſanctus creatura.

Ioan. 16. Item: *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.*
Ioan. 15. Et: *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Omnis miſsio, aut eſt per imperium, quomodo mittuntur ſerui à Dominis; aut per conſilium, quomodo mitti dicuntur, qui inſtruuntur à ſapientioribus; vt, cùm mittuntur ægroti à medico ad capiendam medicinam: aut per naturalem productionem; quomodo arbores mittere dicuntur radices, emittere flores, &c. Certum eſt autem, ſpiritum ſanctum non poſſe mitti, vt ſeruum, vel ignorantem à potentiore, vel ſapientiore: conſtat enim inter nos, & Græcos, ſpiritum ſanctum eſſe Deum. Ergò miſsio eius erit intelligenda ſecundum productionem.

Ioan. 20. Item: *Inſufflauit, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum.* Hâc enim cæremoniâ, vt exponunt Patres, ſignificare voluit Chriſtus, à ſe procedere ſpiritum ſanctū.
Rom. 8. Item: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Et: *Quoniam eſtis Filij Dei, miſit*
Gal. 4. *Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba Pater.* Cur enim dicitur ſpiritus ſanctus ſpiritus Filij? Certè non quia eſt ſeruus eius, vel quia eſt frater eius; ſed quia ſpiratur ab eo: quomodo etiam dicitur ſpiritus Patris. *Si*
Rom. 8. Matth. 10. *Spiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum, &c. Et Spiritus Patris veſtri loquitur in vobis.*

Prob. 2. & 3. Prob. II. Teſtimonijs Conciliorum, & Patrum Latinorum, & Græcorum.

Prob. denique ratione. Præcipua autem S. Thomæ eſt hæc: ſi ſpiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo: hoc autem eſt contra fidem, quia tunc eſſet dualitas, non Trinitas. Igitur procedit à Filio ſpiritus ſanctus.

Propoſitio prob. Omnis diſtinctio in Deo naſcitur ex relationibus originis: at, ſi ſpiritus non procederet à Filio, non eſſet inter eos relatio originis. Ergò, ſi ſpiritus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab eo.

Huius argumenti prob. iterum propoſitio. Nam in Deo nihil eſt, niſi eſſentia, & relatio, ſiue abſolutum, & relatiuum: ſed eſſentia, & omnia abſoluta
C. 1. ſunt communia: ergò ſola relatio diſtinguit. Vnde in Concilio Toletano XI. dicitur, in ſolis relationibus numerum cerni: proinde omnem diſtinctionem ex relationibus ortum ducere: vbi enim non eſt diſtinctio, nec numerus eſſe poteſt.

Præterea; ſi non eſſent communia tribus perſonis omnia abſoluta, non
C. 2. eſſent tres perſonæ vna res, vt docet Concilium Lateran. Item, non poſſemus defendere Dei ſimplicitatem; nec poſſemus oſtendere, nullam perfectionem

nem eſſe in vna perſona, quæ non ſit in alia. Quare dubitari non debet, quin ſola relatio diſtinguat Trinitatem. Ruſum; Non qualibet relatio ſufficit ad diſtinctionem faciendam: nam relationes non oppoſitæ non diſtinguunt, vt patet, quia in vno Patre ſunt duæ relationes, paternitas, & ſpiratio actiua; & tamen non diſtinguunt duas perſonas. Rurſum; Non qualibet oppoſitæ diſtinguunt, ſed reales eſſe debent. Nam relatio identitatis dicit oppoſitionem, ſed non diſtinguit, quia non dicit oppoſitionem realem. Rurſus; Relationes oppoſitæ, & reales, vel fundantur ſuper quantitate, vt æqualitas; vel ſuper qualitate, vt ſimilitudo; vel ſuper actione, vt paternitas, & filiatio: ſed in Deo non ſunt relationes reales fundatæ in quantitate, aut qualitate. Ergò ſolum remanent relationes fundatæ in actione, quę dicuntur relationes originis, quæ diſtinguere poſſunt perſonas. Prob. aſſumpt. Nam in Deo eſt quidem æqualitas, & ſimilitudo, ſed quia fundamentum omnium horum eſt ſola eſſentia, quę eſt vna numero, ideò iſtę relationęs rationis ſunt, non reales. Non enim poſſunt eſſe relationes reales, vbi non ſunt fundamenta proxima diſtincta realiter. Et licet ęqualitas, & ſimilitudo in Deo eſſent relationes reales, vt vult Scotus; tamen adhuc non poſſet inde ſumi diſtinctio perſonarum. Nam Scotus putat, ad hoc, vt ſint relationes reales, non requiri diſtincta fundamenta, ſed ſufficere diſtincta relationum ſubiecta: & quoniam Pater, & Filius ſunt extrema realia, ideò putat, eorum ęqualitatem, & ſimilitudinem eſſe relationes reales. Itaque ſecundum hanc ſententiam non ſunt diſtinctæ perſonę, quia ęquales, aut ſimiles ſunt reali relatione ęqualitatis, vel ſimilitudinis; ſed è contrario, ideò reali relatione ſunt æquales, aut ſimiles, quia diſtinctę perſonę ſunt. Solę igitur relationes originis diſtinguunt: & inde ſequitur, vt iam probatum eſt, aut Spiritus S. originem ducere à Filio, & ad eum referri relatione originis, quod eſt ab ipſo procedere; aut certè ab eo non diſtingui, quod ne Gręci quidem vnquam docuerunt.

Probandum 4. rectè additionem factam in ſymbolo, *Filioq́;*. Ac primùm debuiſſe Latinos explicare ſymbolum, prob. Nam neceſſarium eſt ad ſalutem, non credere, ſpiritum S. à ſolo Patre procedere: ergò ortâ hæreſi, quæ docebat, ſpiritum à ſolo Patre procedere, debuit adhiberi remedium per explicationem, quia debent tolli occaſiones errandi. Prob. Antec. Nam Athanaſius, vbi poſuerat, *à Patre, & Filio*, &c. dicit: *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque integram, inuiolatamq́; ſeruauerit, in æternum peribit.* *Prob. 1. debuiſſe Latinos explicare Symbolum.* *In Symbolo.*

Prob. etiam ex decreto Concilij Florent. Denique ratione. Nam credere, ſpiritum non eſſe à Filio, eſt, vt demonſtrauimus, error contra Script. Ergò neceſſariò eſt vitandus. Eſt tamen obſeruandum, non ſemper neceſſarium fuiſſe, non credere, non eſſe à Filio Spiritum ſanctum. Nam antequam oriretur, & definiretur quæſtio, ſatis erat credere, Spiritum à Patre procedere, in quod includebatur etiam, quòd procederet à Filio: nec erat opus quærere, an à Filio procederet, nec ne; non enim tenemur omnia ſcire, ſed tamen tenemur poſitiuè nunquam aſſerere errores. Itaque poſteaquam mota eſt quæſtio, & multi cęperunt errare, neceſſe fuit remedium adhibere. Et hoc ipſum etiam definiuit Concilium Florent. *Prob. 2. & 3.*

Deinde, potuiſſe hanc explicationem à Latinis ſine Græcorum conſenſu

 fieri,

Prob. primo poiuiſſe. fieri, prob. primo, Papa Rom. eſt paſtor, & Doctor totius Eccleſiæ, vt in ipſo Concilio Florent. Græci confeſsi ſunt, & patet ex illo: *Paſce oues*; Ergò poteſt ipſe etiam ſine Concilio definire res fidei. Namquia paſtor, & doctor *Ioan. vlt.* vniuerſalis eſt, non poteſt errare, cùm docet ex cathedrâ alioquitota Eccleſia erraret, quæ illum ſequi tenetur: definire autem res fidei, ad illum pertinet, qui non poteſt errare.

Prob. 2. Secundò etiamſi Papa non eſſet Paſtor totius Eccleſiæ, nec poſset definire controuerſias fidei ſine Concilio, tamen non propterea requireretur Concilium Græcorum, & Latinorum, ſed ſufficeret Concilium aliquot Epiſcoporum ab ipſo Rom. Pontifice conuocatum. Eſt enim ipſe, vt minimum, primæ ſedis Epiſcopus, & ſine ipſo Concilia non habent robur, & cum ipſo habent. Nam firmitas Conciliorum non oritur ex multitudine, & diuerſitate Epiſcoporum, ſed ex connexione cum ſede Petri, cui dictum eſt: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* *Luc. 22.* Id quod etiam exempla teſtantur. Nam Concilium Ariminenſe habuit DC. Epiſcopos, partim Græcos, partim Latinos; & tamen, quia Rom. Pontifex diſsenſit, ſemper eſt habitum erroneum ab omnibus, tam Græcis, quàm Latinis. Contrà, Concilium II. CL. Epiſcoporum Græcorum, in quo nullus fuit Latinorum, quia à Pont. Damaſo fuit confirmatum, à quo Ariminenſe fuerat reprobatum, ſemper habitum eſt in honore.

Prob. 3. Tertiò etiamſi Papa non eſſet caput totius Eccleſiæ, nec primæ ſedis Epiſcopus ſed vnus Patriarcha nihilo maior ceteris, adhuc Græci non poſsent cõqueri propter iſtam additionem Nam vel eſt quæſtio de fide, vel de ritu: id eſt, vel nolunt Græci hanc additionem, quia eſt falſa, & contra fidem; vel quia licet ſit vera, tamen non placet illis in Symbolo. Si eſt quæſtio de ritu, certè ſicut multi ſunt alij ritus diuerſi Græcorum, & Latinorum, & non propterea fieri debet ſciſma; ita etiam ritus iſte tolerari poterat, ſine ſciſmate. Præterea, poteſt vnus Epiſcopus in ſuâ Eccleſiâ aliquem ritum inſtituere ſine conſenſu aliorum; quantò magis tota natio Latinorum ſimul? Si autem eſt quæſtio de fide, non poſsunt Concilia prouincilia, vel nationalia aliquid ita definire, vt ſtatim debeat ab omnibus recipi; tamen poſsunt definire, & alij non debent conqueri, ſed probare, ſi viderint rem eſſe benè definitam; ſin minùs, conuocare maius Concilium. Nam ita ſæpiſsimè factum videmus in Eccleſiâ. Hęreſin Pauli Samoſateni damnauit Concilium Antiochenum paucorum Epiſcoporum, nec alij multò plures in toto mundo conqueſti ſunt, ſed ratum habuerunt. Hæreſin Macedonij damnauit Concilium Conſtantinop. in quo nullus fuit Latinorum, nec Latini conqueſti ſunt, ſed probauerunt. Hæreſin Pelagij damnarunt Concilia prouincialia, Mileuitanum, & Carthaginenſe, nec vllus propterea fecit ſciſma, quia non fuiſset vocatus. Hæreſin Neſtorij damnauit Concilium Epheſinum, antequam adeſsent Latini, quos Pont. Celeſtinus mittebat; non tamen Latini conqueſti ſunt, ſed voluerunt cognoſcere rem geſtam, & cognitam approbarunt. Et huiuſmodi ſunt infinita exempla. Græci ergò non poſsunt conqueri, quòd ſine ipſis quęſtio definita eſt, pręſertim cùm poſt illam definitionem ſint vocati ad Concilia generalia non ſemel, neque bis, ſed ſæpius, & rurſum quæſtio propoſita, & diſcuſsa ſit ipſis præſentibus.

CAP.

CAPVT QVARTVM.

De Incarnatione Chriſti.

PRimùm, probandum eſt, duas eſſe in Chriſto naturas contra primam Eutychetis errorem. Prob. ex illis verbis: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Certè iſte, qui loquebatur, & videbatur, & Filium hominis ſe dicebat, ſecundum eam naturam, per quã videbatur, & loquebatur, & Filius hominis erat, non erat tunc in cœlo, ſed tantùm in terrâ, id eſt, in domo Nicodemi; neque erat Deus, ſed homo, quia Deus non poteſt audiri, videri, tangi corporeis ſenſibus. Neque deſcenderat de cœlo, ſed natus erat in terra ex muliere. Et tamen iſte idem aſſerit, ſe de cœlo deſcendiſse, & etiam tunc, cùm loquebatur in terrâ, dicebat ſe eſſe in cœlo. Ergò alteram naturam Chriſtus habuit præter humanam, ſecundum quam potuit eſſe in cœlo, quando ſecundum humanam erat in terrâ. Item ex illis: *Non ſolùm ſoluebat Sabbatum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo.* Et: *Ego, & Pater vnum ſumus.* Vnde Phariſæi rectè collegerunt, Chriſtum ea verba ſe Deum aſſerere voluiſse. At: *Pater*, inquit, *maior me eſt.* Non autem poteſt vllo modo fieri, vt ſecundum eandem naturam eſſet Patri æqualis, immò vnum cum illo, & tamen minor Patre.

Prob. in Chriſto duas naturas eſſe. *Ioan 3.* *Ioan. 5.* *Ioan. 10.* *Ioan. 14.*

Præterea; *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* At ille idem natus erat in diebus Auguſti Cæſaris, & habuerat XXX. annos, anno XV. Tiberij. Non autem poteſt fieri, vt idem ſecundum idem fuerit ante Abraham, & poſt Abraham. Thomas etiam, poſtquam viderat, & tetigerat Domini cicatrices, exclamauit: *Dominus meus, & Deus meus.* At certè, quod viderat, & tetigerat, non erat Deus, & tamen illum ipſum Deum, & Dominum confitetur, cuius carnem tetigerat. Igitur ille & Deus, & homo erat. Quod etiam apertè docet ſanctus Petrus: *Dextera igitur Dei exaltatus, effudit hoc donum quod vos videtis, & auditis.* Nam exaltari non eſt Dei, ſed creaturæ: effundere Spiritum ſanctum non eſt creaturæ, ſed Dei.

Ioan. 8. *Luca 2.* *Luca 3.* *Ioan. 20.* *Act. 2.*

Item, Paulus ſic ad Epiſcopos loquitur: *Spiritus ſanctus poſuit vos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* At Deus, vt Deus, non habet ſanguinem: nam ſpiritus eſt Deus, & qui habet ſanguinem, vt ſic, non eſt Deus: ergò qui eſt Deus, & ſanguinem effudit, neceſſariò habet duas naturas. Et: *Quorum Patres*, inquit, *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Hîc Apoſtolus dicit, Chriſtum eſſe ex parentibus Iudæis ſecũdum carnem, & tamen ſimul eſſe Deum ſuper omnia, nimirum ſecundum diuinitatem. Denique; Idem Paulus aſſerit, Chriſtum, *cùm in formâ Dei eſſet, formam ſerui accepiſſe.*

Act. 20. *Rom. 9.* *Philip. 2.*

Iam verò, quòd illæ naturæ non ſint permixtæ, nec ſit diuinitas verſa in humanitatem, contra ſecundum errorem, prob. Nam tota Script. clamat,

Prob. naturas illas non eſſe permixtas.

Deum

Malach. 3. Deum eſſe immortalem, & incorruptibilem. *Ego Dominus, & non mutor.* Et: *Non*
Num 23. *eſt Deus, vt filius hominis, vt mutetur* Et: *Apud quem non eſt transmutatio.* Et: *Regi ſe-*
Iac 1. *culorum immortali, & inuiſibili,* &c. Et: *Qui ſolus habet immortalitatem,* &c.
1.Tim. 1.
1.Tim 6. Non eſſe autem diuinitatem natam, paſſam, mortuam, vt tertius error aſ-
Prob diuini- ſerit, tum ex dictis colligitur, namq; ii eſt immutabilis, & immortalis, nec in
tas non eſſe tempore naſci, nec mori vllo modo poteſt ſecundum id, vnde eſt immorta-
nata, paſſa, lis, & immutabilis: tum etiam, quia Script. cùm docent Chriſtum in tempo-
&c. re natum, paſſum, & mortuum, addunt, ſecundum carnem; quâ voce clarè
indicant, Chriſtum non eſſe natum, nec paſſum, nec mortuum ſecundum di-
Rom. 1. uinitatem. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid, ſecundum carnem* Et: *Ex quibus eſt Chri-*
Rom 9. *ſtus ſecundum carnem.* Et: *Mortificatus quidem carne,* &c. Et: *Chriſto igitur in carne*
1. Pet. 3. *paſſo.* &c. Accedant teſtimonia Patrum.

Prob caro Chriſti eiuſdem ſpeciei cum noſtra. Quòd autem Chriſti caro ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra, contra quartum errorem; & Chriſtum non ſimulatoriè, ſed verè natum, paſſum, mortuum eſſe, nullo negotio probari poteſt. Nam Beata Virgo dicitur peperiſſe Filium ſuum primogenitum: quomodo autem potuit Virgo Chriſtum habere Filium, ſi Chriſti caro non fuit vera caro ex carne Virginis concepta? Item,
Heb. 2. Paulus: *Quia pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe participauit eiſdem.* Quid quæſo eſt, *eiſdem*, niſi eiuſdem naturæ carni, ac ſanguini? Iam verò Euangelia, & Apoſtolorum epiſtolæ, nónne plurimorum mendaciorum argui deberent, cùm paſsim Chriſtum hominem, & hominis filium vocent, & matrem, atque cognatos habuiſſe, nec non eſuriuiſſe, comediſſe, ambulaſſe, fatigatum eſſe, denique paſſum, mortuum, ſuſcitatum, affirment? Nec enim aliquid horum de phantaſmate verè affirmari poteſt. Nec ſolùm Script.
Act. 7. Chriſtum hominem vocant ante reſurrectionem, ſed etiam poſteà: *Video cœlos*
Act. 17. *apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Et Paulus: *Statuit Deus diem, in quo iudicaturus eſt orbem in viro, quem definiuit,* &c.

Deinde, Si Chriſtus non verè mortuus, nec verè reſurrexit: ergò non ve-
1. Cor 15. rè nos redemit, & adhuc ſumus in peccatis noſtris, vt Apoſtolus dicit. Denique, cùm diſcipuli ſuſpicarentur phantaſma eſſe, vel ſpiritum, quod videbant
Luca 24. non verum hominem, Dominus ait: *Palpate, & videte quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Idem etiam prob. ex Concilijs & Patribus.

Prob. 1. vna in Chriſto perſona. Probandum eſt ſecundo, vnam in Chriſto eſſe perſonam contra Neſtorium, & non purum hominem, ſed ipſum Deum verum, ſecundum carnem, de Virgine natum, paſſum in cruce, ac mortuum eſſe. Ac primùm omnia teſtimonia, quæ ſupra protulimus ad probandum, Chriſtum eſſe verum Deum, non minorem vim habent aduerſus Neſtorium.

Matth. 16. Præterea, Nouum Teſtamentum plenum eſt teſtimonijs. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Reſpondit Petrus? Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Vbi apertè
Luca 1. B. Petrus ipſum filium hominis, filium Dei viui eſſe confitetur. Et: *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Ille igitur ipſe, qui natus ex Vir-
Ioan. 3. gine, non aliquis alius, verè vocatur, & eſt Filius Dei. Et: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Hunc enim locum non facile eſt aliter exponere, quàm Patres expoſuerunt, nimirum quod Domi-

nus

nus eundem aſſerat Filium hominis, & Filium Dei. Et: *Ego, & Pater vnum ſumus*. Quæ certè verba humanæ perſonæ conuenire non poſſunt; ac propterea ille homo Chriſtus, qui tunc loquebatur, non Verbi templum tantummodo, ſed Verbum ipſum erat. Et Dominus de cæco paulò antè illuminato: *Tu credis in Filium Dei? Reſpondit ille: Quis eſt, Domine, vt credam in eum? Dixit ei Ieſus: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: Credo, Domine: & procidens adorauit eum.* Non poterat ſanè Dominus apertiùs demonſtrare, vnam eſſe perſonam Filij Dei, & Filij hominis. Nam illum ipſum, quem cæcus illuminatus vidit, audiuit, adorauit, Filium Dei appellari videmus. Dixit etiam Thomas Domino, quem videbat: *Dominus meus, & Deus meus*. Nam & ipſe S. Ioannes ſcribens contra Cherinthum eâdem hæreſi laborantem, mox ſubdit: *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus, Filius Dei*, id eſt, vt non diuidatis Chriſtum in duas perſonas, in Filium Dei, & Filium hominis; ſed credatis, Ieſum Filium Mariæ eundem eſſe Chriſtum, Filium Dei. Iam Apoſtolus: *Qui proprio*, inquit, *Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Quid clariùs? Et: *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſecula, Amen.* Ille igitur Chriſtus homo, qui filius erat Abrahæ ſecundum carnem, non Dei templum, aut inſtrumentum erat, ſed ipſe Deus verus, ſuper omnia benedictus in ſecula. Et: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens.* Et infrà: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem*. Et: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Hinc habemus, illud ipſum Verbum, quod eſt apud Patrem in forma Dei, hominis formam accepiſſe, atque in eo crucifixum, & mortuum eſſe. Rurſum Apoſtolus, cùm ait: *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Illud: *Per quem omnia*. idem ſignificat, quod Ioannes illis verbis: *Omnia per ipſum facta ſunt*. Quæ de verbo Dei omnium conſenſu intelliguntur. Itaque Apoſtolus dicere voluit, vnum, & eundem eſſe Ieſum Chriſtum, de Maria natum, & illum Filium Dei, per quem omnia facta ſunt. Et clariſsimè: *Multifariam, multiſque modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Vbi, cùm dicit: *Locutus eſt nobis in filio*, de Chriſto homine loquitur: & tamen de eodem dicit: *Per quem fecit & ſecula*. Et: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, per paſsionem conſummari*. Et infrà: *Quia ergò pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium*. Vbi dicit, eum, *propter quem, & per quem omnia*, id eſt, verum Deum, qui eſt principium, & finis omnium rerum, mori debuiſſe pro nobis, &, vt verè mori poſſet, quomodo nos morimur, participaſſe carnem, & ſanguinem eo modo, quo nos participamus, id eſt, verè factum eſſe hominem, vt nos ſumus.

Ioan. 10. *Ioan. 9.* *Ioan. 20.* *Rom. 8.* *Rom. 9.* *Philip. 2.* *1. Cor. 2.* *1. Cor. 8.* *Ioan. 1.* *Heb. 1.* *Hebr. 2.*

Præterea; Ioannes nihil aliud ferè docet, quàm vnam eſſe Dei, & hominis in Chriſto perſonam: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris*, &c. Ait, ſe vidiſſe oculis corporalibus verbum, quod fuit ab initio: quod non poteſt eſſe verum, niſi ratione vnitatis perſonæ. Et: *Quis eſt mendax, niſi qui negat, quoniam Ieſus eſt Chriſtus?* id eſt, qui diuidit Saluatorem in duos, vt Cherinthus, & Neſtorius faciunt. Et: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam*

1. Ioan. 1. *1. Ioan. 2.* *1. Ioan. 3.*

mam ſuam pro nobis poſuit. Quid eſt, Deus pro nobis animam poſuit, niſi; pro nobis mortuus eſt? Non igitur alius eſt Dei Filius immortalis, alius Mariæ Filius, qui mortem pertulit; ſed vnus, & idem, qui quà Filius Dei, ſemper

1. Ioan. 4. immortalis, quà Filius Mariæ, aliquando mortalis fuit. Et: *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Et infrà: *Quiſquis ergò confeſ-*

1. Ioan. 5. *ſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet.* Et: *Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei?*

Prob. 2. & 3. Prob. ſecundo veritas ex omnibus Symbolis fidei, Apoſtolorum, Nicæno, Conſtantinopolit. Athanaſij.

Prob. 3. ex Concilijs, & Patribus.

Quæſtio. 3. Oſtendendum eſt; *In quo conſiſtat vnio hypoſtatica duarum naturarum?* Vera ſententia eſt, vniri hypoſtaticè Deum, & hominem, nihil aliud eſſe, quàm,

Reſp. naturam humanam non habere propriam ſubſiſtentiam, ſed aſſumptam eſſe à Verbo æterno ad ipſam Verbi ſubſiſtentiam.

Tribus modis plura vniuntur. Quod vt intelligatur faciliùs, obſeruandum eſt, tribus modis poſse plura aliqua vnio: primo eſſentialiter, cùm videlicet ex pluribus fit vna eſsentia: quomodo vniuntur materia, & forma, genus, & differentia. Et hoc modo nō eſt facta vnio incarnationis, vt patet, tum quia vna eſſet in Chriſto natura, & illa nec eſſet diuina, nec humana, ſed tertia quædam; tum etiam, quia vnio eſſentialis nunquam fit, niſi ex imperfectis naturis, vel ſi ex perfectis, per corruptionem, aut conuerſionem aliquam: in Chriſto autem ſunt duæ naturæ perfectæ, & integræ. Secundò accidentaliter, vt cum accidentia ſubiecto adiunguntur, vel cùm ſubſtantia ſubſtantiæ copulatur, ſed ex hac copulâ nō exurgit, niſi forma accidentalis; vt cùm ex lapidibus, vel lignis fit domus. Et hoc etiam modo non eſt facta vnio hypoſtatica, quia Deus nec poteſt accidēs eſse, nec accidentium ſubiectum. Tertiò ſubſtantialiter, vt cùm ſubſtantia, quæ alioqui per ſe exiſteret, trahitur ad eſſe alterius ſuppoſiti, & ab illo pendet, tanquam pars ipſius: & hoc modo facta eſt incarnatio.

Et licet nullum ſit exemplum omninò ſimile, tamen aliqua dantur à Doctoribus, quæ vtcumque rem explicant. Primum eſt de animâ, & corpore.

Similitudi. Nam anima rationalis extra corpus per ſe ſubſiſtit, & corpus etiam, antequam animetur, per ſe ſubſiſtit, & tamen, quando vniuntur, vna tantùm eſt vtriuſque ſubſiſtentia. Sed hoc exemplum valdè deficit, tum quia anima, & corpus ſunt naturæ imperfectæ; tum etiam, quia faciunt vnam naturam; tum denique, quia neutrum trahit alterum ad ſuam ſubſiſtentiam, ſed vtrumque pendet à tertiâ ſubſiſtentiâ, quæ eſt totius compoſiti. In hoc autem myſterio Verbum in ſe perfectè ſubſiſtens trahit ad ſe humanam naturam. Secundùm eſt de homine, in quo ſunt duæ formæ accidentales, vt ars medicinæ, & iuriſprudentiæ. Vnum enim ſuppoſitum eſt, ſuſcipit tamen varias appellationes, & varia opera facit, & communicantur idiomata. Deficit tamen iſta ſimilitudo. quia iſtæ formæ accidentales ſunt, & proinde non trahuntur ad ſubſiſtentiam hominis; quod eſt in hâc re præcipuè conſiderandum. Tertiò eſt de ferro ignito, quia ferrum candens eſt quid vnum, & tamen habet proprietates ferri, & ignis. Deficit tamen hoc in multis: nam in ferro candenti ſuſtentatur calor à ferro, non contrà; & tamen aduerſarij volunt calorem referre

ferre Deum, & ferrum hominem. Item, calor non eſt ſubſtantia, ſed accidens. Item, non fit communicatio idiomatum: non enim calor dicitur ferrum, nec ferrum calor. Denique, non trahitur calor ad ſubſiſtentiam ferri, neque contrà. Quartum eſt de arbore, cui inſeritur ramus alterius ſpeciei. Exiſtat exemplo pyrus, cui malus inſeratur: illa certè pyrus ſubſiſtentia eſt prima, atque adeò verum ſuppoſitum, nec pendet ab illo ramo mali inſito, & poſt inſitionem ſuſtentat ramum illum, qui alioqui per ſe exiſteret, & vocatur iam pyrus, & malus, & facit pyra, & mala, & poteſt pyrus vocari malus, & contrà: & ſi ramus ille fortè ſiccetur, & deinde reuiuiſcat, non propterea arbor pyri mutatur, ſed omnis mutatio in illo ramo exiſtit. Ita prorſus Verbum diuinum inſtar magnæ arboris ſuſcepit ramuſculum humanæ naturæ, ſuo trunco à cœleſti agricolâ mirabiliter inſertum; inde fuit Verbum Deus, & homo, & opera, diuina. & humana faciebat, nec Verbum ab humanitate, ſed humanitas à Verbo pendebat. Et cùm paulò poſt per paſsionem, & mortem humanitas illa quodammodo exaruiſſet, ac deinde per reſurrectionem floruiſset, nulla mutatio in Verbo facta eſt, ſed omnis mutatio humanitatis fuit. Hæc tamen ſimilitudo deficit in duobus. Nam & ille ramus non eſt perfecta arbor, ſed pars arboris: non enim habet radices, truncum, & alia. Et antequam insereretur, per ſe exiſtebat: natura verò humana, quam ramo inſerto comparauimus, & perfecta natura eſt, & nunquam habuit propriam ſubſiſtentiam. Quod ſi diuinâ virtute aliquis ramus ſimul produceretur, & inſereretur, non deficeret ſimilitudo, niſi in vno. Quoniam igitur ſimilitudines omnes aliquo modo à veritate deficiunt, ideò Patres comparant myſterium Incarnationis myſterio Trinitatis, vt ex vnâ re ſingulari illuſtrent aliam æquè ſingularem. Vt enim ſingulare eſt, quòd ſint in Deo tres perfectæ Hypoſtaſes cum vna ſola, & ſimpliciſsima natura, ita ſingulare eſt, quòd ſint in Chriſto tres naturæ, Deitas, anima, & caro, cum vna ſimpliciſsima Hypoſtaſi.

His ita explicatis demonſtrandum eſt, rem ita ſe habere, id eſt, vnionem Hypoſtaticam conſiſtere in communicatione ſubſiſtentię Verbi, non in communicatione attributorum Deitatis. Ac. I. patet ex dictis. Nam oſtendimus ex Script. in Chriſto vnam eſſe perſonam, duaſque naturas: at non poteſt hoc eſſe verum, niſi vna tantùm ſit in Chriſto ſubſiſtentia: nam ſi duæ eſſent, duæ eſſent perſonæ, cùm perſona ſit natura intellectualis per ſe exiſtens. Quòd ſi in Chriſto vna tantùm eſt ſubſiſtentia; ergò aut Verbum communicauit ſuam humanitati, aut contrà humanitas Verbo. Non autem communicauit Verbo ſubſiſtentiam ſuam humanitas, vt confitentur omnes; igitur communicauit Verbum ſubſiſtentiam ſuam humanitati, atque ita facta eſt vnio Hypoſtatica. *Prob. 1. Reſp.*

Secundò prob. teſtimonijs grauiſsimorum Cõciliorum eorum, quæ etiam ab aduerſarijs recipiuntur. *Prob. 2. & 3.*

Tertiò prob. argumento Concilij Toletani VI. Solus Filius Dei eſt incarnatus: ergò vnio facta eſt per communicationem eius, quod eſt proprium Filij, non eius, quod eſt commune alijs perſonis. Sed ſola ſubſiſtentia Filij eſt propria Filio; attributa autem omnia eſſentialia communia ſunt omnibus *Cap. 1.*

 tribus

tribus perſonis. Ergò vnio hypoſtatica facta eſt per communicationem ſolius ſubſiſtentiæ.

Prob. 4. Quartò, Pater æternus communicauit filio omnia ſua attributa perfectiſſimè, & multò perfectiùs, quàm Brentiani velint, eadem illa communicari à Filio Dei, Filio hominis: & tamen quia ſubſiſtentiam ſuam propriam non communicauit filio, non ſunt vniti hypoſtaticè, ſed diſtincti potiùs hypoſtaticè Pater, & Filius. Ergò vnio hypoſtatica non conſiſtit in communicatione attributorum, ſed ſolius ſubſiſtentiæ. Duo etiam alia abſurda ſequerentur ex ſententia aduerſariorum, & contra fidem, quæ poſſunt eſſe quintum, & ſextum argumentum.

Prob. 5. Primò, corpus Chriſti in triduo mortis non fuiſſe vnitum hypoſtaticè Verbo. Nam corpus mortuum non eſt capax omnipotentiæ, omni ſapientiæ, omni iuſtitiæ.

Prob. 6. Secundò, Chriſtum hominem non ſemper fuiſſe Deum. Nam Chriſtus meruit ſibi aliqua dona, vt gloriam corporis, & exaltationẽ nominis; immò & aſcenſionem in cœlum, & ſeſsionem ad dexteram Dei. *Oportuit Chriſtum* (Luc. vlt.) *pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Et: *Factus obediens vſque ad mortem*, &c. *Propter* (Philip. 2.) *quod & Deus exaltauit illum.* Et: *Videmus Ieſum propter paſsionem gloria, & honore coronatum.* (Heb. 2.) At, ſi omnium donorum communicatio requiritur ad vnionem hypoſtaticam conſtituendam, ergò Chriſtus meruit ſibi aliqua ſaltem ex parte vnionem hypoſtaticam: ergò fuit, antequam vniretur, neque enim mereri poteſt, qui non eſt: proinde ſemper fuit hypoſtaticè vnitus; quæ fuit hęreſis Pelagiana.

Prob. 7. 7. Si vnio hypoſtatica requireret communicationem omnium proprietatum, atque attributorum, eſſet omninò impoſsibilis talis vnio: nam multa ſunt Dei propria, quæ implicant contradictionem, communicari creaturæ; quale eſt, eſſe increatum, & eſſe actum purum, eſſe infinitum ens, & ſimilia. Quædam etiam ſunt, quæ ſiue potuerunt communicari, ſiue non, certum eſt, non eſſe communicata humanitati Chriſti; vt carere principio temporis, creare cœlum, & terram, & Angelos; & reliqua, quæ fuerunt ante illam humanitatem. Quædam etiam ſunt, quæ, licet collata ſint humanitati Chriſti, non tamen ante reſurrectionem; vt impaſsibilem eſſe, eſſe immortalem, & tamen ante reſurrectionem fuit vnio hypoſtatica.

Prob. 8. 8. Fatentur aduerſarij ipſi, hæc dona peraccidens conuenire humanitati Chriſti: at vnio hypoſtatica non eſt accidentalis, ſed ſubſtantialis Item, quia tunc Chriſtus homo eſſet Filius Dei per gratiam, non per naturam: quod ſanè repugnat omnium Patrum ſententiæ. Item; Non poſſet homo vere nominari Deus, nec Deus homo. Nam vnio iſta accidentalis non eſt per inhærentiam donorum, vt ipſi dicunt, & rectè dicunt, quia loquuntur de donis increatis, quæ ſunt ipſa eſſentia Dei; ſed eſt per coniunctionem extrinſecam, qualis eſt inter agens principale, & inſtrumentum, vt inter nauem, & nautam. Docent enim, vnionem Dei in eo conſiſtere, quòd Deus omnia per illum hominem operetur.

At eiuſmodi vnio non ſatis eſt ad communicanda nomina, & proprietates: nec enim nauta dici poteſt nauis, neque nauis nauta. Non igitur Chriſtus homo

homo dici poteſt Deus, neque Chriſtus Deus dici poteſt homo. Atque hoc idem de proprietatibus dicemus.

Vt enim nauta non poteſt dici expers ſenſus, & rationis, quæ ſunt proprietates nauis, neque nauis poteſt dici ſenſu & ratione prædita, quæ ſunt proprietates nautæ: ſic etiam Chriſtus Deus dici non poterit crucifixus, & mortuus, quæ propriè conueniunt homini: nec Chriſtus homo dici poterit omnipotens, & cœli, terræque creator, quæ propriè conueniunt Deo. Denique; ſi vnio hypoſtatica tantùm eſſet iſta communicatio accidentaria donorum, etiam nos hypoſtaticè eſſemus vniti cum Deo, licet minùs arctè; nam quod ille plura dona habeat, nos pauciora, non mutat ſpeciem.

CAPVT V.

De Communicatione Idiomatum.

CATHOLICA Doctrina duo docet. Primò, ex vnione hypoſtatica conſecuta eſſe in Chriſti humanitate multa dona creata, & infuſa; vt excellentiſsimam gratiam, ſapientiam maximam, potentiam ſingularem, & alia id genus, quæ tamen non ſunt attributa Deitatis, niſi per participationem quandam: quomodo etiam nos participamus Dei attributa per creatas qualitates, licet minùs perfectè, quàm Chriſti humanitas ea participet. Neque in his conſiſtit communicatio idiomatum: nam illa communicatio eſt mutua, horum autem communicatio donorum non eſt mutua: nihil enim Deitati acceſsit.

Secundò, ex vnione hypoſtatica ſequitur communicatio idiomatum: quæ quidem communicatio non eſt realis reſpectu ipſarum naturarum, quaſi ipſa diuinitas facta ſit paſsibilis, & humanitas realiter ſit facta omnipotens, neque eſt planè verbalis: ſed eſt realis quidem, ſed reſpectu hypoſtaſis vtriuſque naturæ, non autem reſpectu ipſarum naturarum.

Itaque communicari idiomata, nihil aliud eſt, quàm proprietates vtriuſque naturæ applicari communi hypoſtaſi, & proinde ipſius naturis in concreto, quia concreta nomina pro ſuppoſito accipi poſſunt, licet formaliter naturas ſignificent. Quare rectè dicimus. Deus eſt natus ex Virgine, paſſus, mortuus, &c. Quia Deus accipi poteſt pro quolibet ſuppoſito diuino, & proinde pro ſuppoſito ſecundæ perſonæ, quod eſt ſimul diuinum, & humanum. Quod ſuppoſitum verè, & realiter eſt Deus, & verè, & realiter eſt homo, & proinde verè, & realiter eſt natum ex Virgine, paſſum, mortuum, &c. Pari ratione rectè dicimus, Chriſtus homo eſt omnipotens, æternus, vbique, &c. quia homo in concreto ſtat pro ſuppoſito humano. In Chriſto autem ſuppoſitum humanum, & diuinum vnum eſt, & cùm ſit diuinum, conſequenter eſt omnipotens, æternum, & vbique, &c.

Prob. non communicare realiter idiomata.

Act. 5. Act. 4. & 17. can. 9. Act. 17. Can 10. 11. & 12. & ſeq Act. 4.

Porrò, non communicari realiter attributa, ſiue idiomata vnius naturæ alteri naturæ ex vi Hypoſtaticæ vnionis, docent ſacra Concilia. Nam in Concilio Chalcedonenſi ſic legimus: *Saluâ vtriuſque naturæ proprietate, & in vnâ concurrente perſonâ.* Quod eidem habetur in Concilio VI. in Cõcilio Martini Papæ, & in epiſt. 10. Leonis ad Flauianum. Præterea; In Concilio VI. & Concilio Martini Papæ, definitur contra Monothelitas, in Chriſto nõ ſolùm duas eſſe naturas cum ſuis proprietatibus, ſed etiam duas exiſtere voluntates, & operationes, inconfuſas. Denique; In epiſt. Agathonis Papæ, quæ recitatur in Concilio VI. & à toto Concilio approbatur, habemus, in Chriſto omnia eſſe duplicia, id eſt, naturas, proprietates, voluntates, operationes, ſolâ exceptâ ſubſiſtentiâ, quæ eſt vna. Et ibidem additur, duas inconfuſas naturas colligi ex naturalibus earundem naturarum proprietatibus. Ex quo ſequitur, proprietates etiam manere inconfuſas, & diſtinctas. Ex his colligimus, multis modis erroneam eſſe aduerſariorum ſententiam. Nam primò, ſi communicantur verè, & realiter propria vnius naturæ alteri naturæ, & contrà: ergò non manent diſtinctæ, & inconfuſæ proprietates. Quomodo enim manent diſtinctæ, ſi humana natura habet diuinas, & diuina habeat humanas proprietates? Item; Si communicantur, ergò non ſunt ampliùs proprietates, ſed communitates. Item; Proprietates harum naturarum, vt plurimùs, ſunt incompoſsibiles, vt eſt eſſe creatum, & increatum; finitum, & infinitum; vbique, & non vbique. Ergò, ſi diuina natura humanas recipit proprietates, cogitur amittere ſuas; & ſi humana recipit diuinas, cogitur amittere ſuas. Quomodo ergò ſaluis proprietatibus facta eſt incarnatio?

Refellitur 1. Vbiquitas Christi.

Iam verò in particulari, quòd ex vnione hypoſtaticâ non ſequatur realis communicatio Immenſitatis, ſiue Vbiquitatis, prob. I. Nam Vbiquitas iſta repugnat expreſsis Script. quæ dicunt, Chriſtum hominem ratione humanitatis alicubi non fuiſſe, & proinde non ſemper fuiſſe vbique. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis, quia Ieſus non eſſet ibi.* Et: *Non eſt hic, ſed ſurrexit.*

Ioan. 1. Matth. vlt. Refellitur 2. Ierem. 23. Pſal 138.

2. Repugnat illis Script. quæ dicunt, Deum eſſe vbique, vt hoc modo illũ diſcernunt ab omnibus creaturis. *Cœlum, & terram ego impleo.* Et: *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam:* Vnde Patres ex hoc Dei attributo probant, Spiritum S. eſſe verum Deum, non creaturam, quia ſcriptum eſt: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.*

Sap. 1. Refellitur 3. Ioan. 3.

3. Repugnat Vbiquitas teſtimonijs, quibus Patres probant, in Chriſto eſſe duas naturas. Præcipuus locus eſt ille: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* At, ſi vera eſt Vbiquiſtarum ſententia, hoc argumentum nihil concludit. Nam dicerent Eutychiani ab Vbiquiſtis edocti, etiam carne tunc fuiſſe Chriſtum in cœlo, & in terrâ, & vbique. Præterea; Probant Patres, Chriſtũ Deum eſſe & hominẽ, ex illis locis vbi dicitur Chriſtus iter feciſſe, & mutaſſe loca, nunc naui, nunc pedibus, nunc etiam aſello, cùm tamen, vt Deus, vbique eſſet, & moueri non poſſet. At ſecundũ Vbiquiſtas, iſta omnia nihil probant. Nam, ſi caro Chriſti erat vbique, certè non poterat moueri, niſi metaphoricè: ſicut Deus aliquando dicitur deſcendere

dere de cœlo in terram, quia apparet hominibus, non vbi non erat, ſed vbi non videbatur. Nam moueri propriè de loco ad locum, eſt vnum locum deſerere, & alium acquirere: qui autem eſt vbique, nec poteſt deſerere vnum, nec acquirere alium.

4. Repugnat Vbiquitas cum articulis Symboli. Ac I. cum conceptione Chriſti: nam fides habet, in ſolius Mariæ vtero fuiſse carnem Chriſti. At ſecundum Vbiquiſtas, mox à conceptione fuit illa caro in vteris omnium mulierum, imò & virorum; & proinde laus illa communis eſt omnibus: *Beatus venter, qui te portauit.* *Refellitur 4.*

2. Cum Natiuitate Chriſti. Docet enim fides, Chriſti corpus poſt nonum menſem prodijſse ex vtero in lucem, & ſic verè eſſe natum. At ſecundũ Vbiquiſtas ante nonum menſem, imò primo die Conceptionis fuit extra vterũ, & poſt decimum menſem adhuc erat in vtero; imò inde numquam exiuit. *Luca 11.*

3. Pugnat cum Morte Chriſti. Fides enim requirit, vt in Morte Chriſti corpus, & anima ſeparata fuerint; & corpus quidem in ſepulchro iacuerit; anima verò ad infernum deſcenderit. At ſecundum Vbiquiſtas; in ſepulchro etiam erat anima cum corpore, & in inferno erat caro cum animâ.

4. Repugnat cum Reſurrectione Chriſti. Tradit enim fides, corpus poſt tres dies à morte redijſse ad vitam, & exijſſe de monumento clauſo, & intraſſe ad Diſcipulos ianuis clauſis, quę notantur ab Euangeliſtis tanquam miracula. At ſecundum Vbiquiſtas nunquam exijt Chriſtus de ſepulchro, nec intrauit ad Diſcipulos, ſed manifeſtauit ſolùm ſe extra ſepulchrum, quamuis ibi manſerit inuiſibiliter: nec mirum vllo modo fuit, quod ſcribit Ioannes de ingreſſu Chriſti ad Diſcipulos ianuis clauſis, quandoquidem non verè intrauit ianuis clauſis, ſed tantùm fecit ſe viſibilem in loco, vbi erat inuiſibiliter.

5. Fides habet, Chriſtum aſcendiſse in cœlum, & inde venturum ad iudicium: at ſecundum Vbiquiſtas, nec aſcendit, nec deſcendit. Porrò Catholici credunt, Chriſtum in verum cœlum corporeum aſcendiſse, ſiue maneat intra ipſum cœlum: ſiue maneat ſupra & extra omnes cœlos, ita vt pedibus conuexum ſummi cœli tangat. Iſta enim non ſunt certa. Illud certum eſt, Chriſti corpus nunc eſſe viſibile, & palpabile, & tantum ſpacium occupare, quanta eſt moles corporis, & eſſe in cœlo iſto corporeo, ſiue ſit intùs, ſiue ſuprà.

Et prob. I. quia Chriſtus ad illud cœlum aſcendit, vbi eſt ſedes Dei: illud autem cœlum corporeum eſt: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum:* Vbi, cùm opponatur cœlum terræ, & terra propriè accipiatur corporea iſta, quam calcamus, certè & cœlum propriè accipi debet. *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Et: *Nolite iurare per cœlum quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Et: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Et infrà: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terrâ.* Vides, vbicunque dicitur cœlum ſedes Dei, ſemper opponi terræ, quam nos habitamus. Quæ antitheſis apertiſsimè docet, cœlum iſtud corporeum, quod ſupra nos cernimus, ſedem eſſe Dei, & proinde ad hoc cœlum Chriſtum aſcendiſſe. *Prob. 1. Chriſtum aſcendiſſe ad cœlum corporeum. Pſal. 113. Iſa. 66. Matth. 6. Matth. 5.*

Prob.

Prob 2. Prob. II. ex hiſtoria Aſcenſionis, quæ ita deſcribitur in Script. vt non poſ-
Act. 1. ſit vllo modo per tropos euerti, niſi quis impudens planè eſſe velit. *Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum.* Huc vſque non eſt locus tropis. Nam Apoſtoli viderunt eum euntem vſque ad nubes: quæ autem videntur, corporea ſunt, niſi fortè præſtigiatorem faciant Chriſtum. Quòd autem
Luca 24. terminus, ac finis illius veri motus non eſſet nubes, patet: *Et factum eſt, dum benediceret illis, receßit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Chriſtum autem verè eo perue-
Marc. 16. niſſe, quò ibat, teſtatur Marcus: *Et Dominus quidem Ieſus, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Itaque narrant Euangeliſtæ initium, progreſſum, & finem aſcenſionis.

Initium autem fuit verum, ac proprium, non metaphoricum, non phantaſticum: igitur & progreſſus, & finis, vera, ac propria fuerunt. Verè igitur, ac propriè Chriſtus aſcendit in cœlum.

Prob. 3. Prob. III. Ex deſcenſu de cœlo ad iudicium: nam ad iudicium de eo cœlo
Act. 1. deſcendet, ad quod aſcendit. *Ita veniet, ſicut vidiſtis eum euntem in cœlum.* Et: *Tunc*
Matth 24. *apparebit ſignum filij hominis in cœlo.* Et: *Ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, &*
1. Theſſ. 4 *in tuba Dei deſcendet de cœlo.* Et: *In reuelatione Domini Ieſu de cœlo.* At certum eſt,
1. Theſſ. 1. Dominum non deſcenſurum de cœlo metaphoricè, ita vt, deſcendere de cœlo, ſit, relinquere gloriam, Regnum, & Maieſtatem; quin potius tunc maximè apparebit in poteſtate magna, & maieſtate. Igitur cœlum, vnde deſcendet, non eſt Regnum, & Maieſtas, ſed locus quidam.

Prob. 4. Prob. IV. Ex loco Sanctorum. Nam ibi eſt homo Chriſtus, vbi ſunt, &
Ioan. 14. erunt ſancti homines. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Si quò minùs, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum, & ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis.* At Sancti non erunt vbique, ſed in certo loco; & ſi in certo loco, certè in nobiliſsimo, id eſt, in cœlo. Ergò & Chriſtus homo in eo loco eſt, & erit. Denique, hæc eſt ſententia omnium ſanctorum.

Refellitur 5. & 6. 5. Repugnat Vbiquitas cum ipſo Sacram. Euchariſtiæ, pro quo ſtabiliendo eſt excogitata. Nam, ſi caro Chriſti eſt vbique, certè non egemus Euchariſtiâ, & fruſtrà imus ad templa, fruſtrà recitamus verba cœnæ, fruſtrà paramur ad illam cœnam, cum domi habeamus in pane, & vino, & alijs omnibus cibis corpus Chriſti. Refellitur denique Vbiquitas teſtimonijs Patrum.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De Chriſti anima.

DVAE ſunt de Chriſti anima huius temporis controuerſiæ. Vna de perfectione ipſius. Altera de deſcenſu ad inferos.

De priore communis Catholicorum ſententia ſemper fuit, Chriſti animam ab ipſa ſua creatione repletam ſcientia, & gratia, ita vt nihil poſteà didicerit, quod anteà neſciret, nec vllam actionem fecerit, aut facere potuerit, quæ emendatione eguerit. *Perfectio animæ Chriſti.*

Prob. I. ex Script. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ*, &c. Quem locum de Chriſto omnes omninò intelligunt. Et hoc idem ſignificabant omnia illa loca, vbi dicitur Chriſtus vnctus à Deo Spiritu S. *Vnxit te Deus, Deus tuus*, &c. Et: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit*. Et: *Conuenerunt verè aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti*. Et: *Vnxit eum Dominus Spiritu S. & virtute.* *Prob. 1. Iſa. 11. Pſal. 44. Iſa. 61. Act. 4. Act. 10.*

Prob. II. ex Patribus. *Prob. 2. &*

Prob. 3. Ratione. *3.*

I. Ratio: Non eſt vllo modo credibile, vt Verbum perſonaliter factum ſit homo, & non effuderit ſimul in ipſa incarnatione in illam humanitatem omnia dona, quorum capax erat. Nam, ſi fecit illam animam ſuam propriam, ita vt verè dicatur, & ſit anima Dei, quomodo veriſimile eſt, non illam continuò ſapientiſsimam reddidiſſe? Abſurdum eſt enim, animam ſapientiæ aliquando inſipientem fuiſſe. *1. Ratio.*

II. Ratio: Sapientia, & gratia Chriſto homini naturalis fuit, non quidem quòd non fuerit à Deo animæ infuſa, ſed quia in Chriſto ab intrinſeco principio, & per modum naturæ fluebat: ſiquidem ipſe Chriſtus ſeipſum gratia, & ſapientia replebat, id eſt, ex vna Chriſti natura in alteram hæc dona redundabant. Ergò non accepit Chriſtus illam ſapientiam, vel gratiam poſt incarnationem, ſed in ipſa incarnatione: nam ideò dicitur naturalis, quia ſtatim, & abundantiſsimè manauit. *2. Ratio.*

III. Ratio: Chriſtus homo in incarnatione cœpit eſſe filius Dei. Ergò tunc debuit repleri omnibus donis. Nam filius hæres eſt omnium bonorum paternorum. Nec debuit Chriſtus expectare ſucceſsionem ex morte Patris, vt notum eſt. *3 Ratio.*

IV. Ratio: Chriſtus homo in ipſa incarnatione factus eſt caput, non ſolùm hominum, ſed etiam Angelorum, vt omnes concedunt. Ergò debuit tunc repleri ſapientia, gratia, & ipſa etiam beatitudine. Nec enim conueniebat, vt caput eſſet minùs ornatum, & minus ſapiens, quàm ſint membra. *4. Ratio.*

V. Ratio: Adam creatus eſt ſapientiſsimus, vt ex eo colligitur quòd mox à *Gen. 2.*

 creatione

creatione impoſuit nomina omnibus animantibus. Ergo multò magis ſecundus Adam debuit in ipſa conceptione ſapientiſsimus fieri. De deſcenſu

De deſcenſu Chriſti pro poſ. 1. Chriſti ad inferos ſit propoſitio I. *Deſcendere ad inferos non eſt omninò extingui.*

Prob. Patet, nam contraria ſententia eſt fundamentum Atheiſmi. Si enim Chriſtus, quia diuinitate ſuffultus erat, animam immortalem retinuit in morte corporis: igitur ceteri homines, qui non ſunt ſuffulti Diuinitate, in morte penitus extinguuntur. Non igitur anima humana eſt immortalis.

Propoſ. 2. Propoſitio 2. *Chriſtus non pertulit pœnas damnatorum.*

Prob. 1. Prob. I. quia Script. totam ſalutem noſtram tribuunt ſanguini, & morti corporali Chriſti, & poſt mortem corporalem nullam vlterius pœnam ag-

Phili. 2. noſcunt. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Vides hîc nullam mentione fieri infernorum, ſed obedientiæ vſque ad mortem omnia tribui, & mox ſubiun-

Pſal. 21. gi exaltationem. Alibi etiam deſcribuntur ſigillatim omnes Chriſti afflictio-

Iſa. 53. nes: nulla autem mentio fit inferni. Prædicit quoque Dominus paſsionem ſuam, & nominat flagella, ſputa, crucem, mortem; & ſubiungit continuo: *Et*

Matth. 20. *tertia die reſurget.* Et vbi, quæſo, relinquit dolores damnatorum? *Commendat*

Mar. 10. *autem charitatem ſuam in nobis, quia, cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis*

Luca 18. *mortuus eſt.* Et: *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius.* Et: *Pacificans per*

Rom. 5. *ſanguinem crucis eius, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt.* Et: *Per proprium ſanguinem*

Epheſ. 1. *introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Et: *Non corruptibilibus auro,*

Coloſſ. 1. *Heb. 9.* *1. Pet. 1.* *argento redempti eſtis, ſed precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati, & incontaminati*

1. Ioan. 1. *Chriſti.* Et: *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Denique; Sancti clamant in

Apoc. 5. cœlis: *Redemiſti nos, Domine Deus, in ſanguine tuo.* Vide ergò, quàm ſit verum, quod dicit Caluinus, corporali morte Chriſtum nihil egiſse, ſed inferni doloribus; cum Script. paſsim inculcent, nos Chriſti morte redemptos; dolorũ autem inferni ne meminerint quidem.

Prob. 2. Prob. 2. Ex circumſtantijs paſsionis Chriſti. Nam, ſi ab illa oratione in horto, vſque ad reſurrectionem Chriſtus fuit in inferno, & Deum, vt ſibi auerſum, & iratum, apprehendebat, & non erat ſecurus de ſua ſalute, quomodo tam audacter dicebat Caiphæ: *Amen dico vobis, videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli?* Item, Pilato: *Regnum meum non eſt de hoc mundo?* Item, quomodo orat Patrem pro crucifixoribus ſuis? Quomodo promittit latroni Paradiſum? Quomodo Patri animam ſuam commendat? Certe hæc non ſunt ſigna diffidentis de Patris beneuolentiâ, multo minùs deſperantis, aut metuentis de ſalute propriâ.

Prob. 3. Prob. 3. Quia, ſi redempti eſſemus per infernales pœnas Chriſti, deberent figuræ præceſsiſſe: deberet etiam aliquod Sacramentum extare in memoriam tanti beneficij; vt eſt Euchariſtia in memoriam paſsionis. Item, Eccleſia deberet celebrare memoriam huius beneficij; vt celebrat memoriam Natalis Domini, paſsionis, mortis, reſurrectionis. Item, deberet depingi Chriſtus in igne gehennæ in medio damnatorum; vt depingi ſolet in cruce inter duos latrones. At nihil tale videmus fieri, aut legimus vnquam factum. Ergò Eccleſia, vel ſemper fuit ingratiſsima, vel figmenta ſunt, quæ Caluinus dicit.

Prob.

Prob. 4. Nam omnes Patres, qui deſcribunt Chriſti ad inferos deſcenſum deſcribunt vt deſcenſum victoris, & triumphatoris, non vt rei; nec vllo modo indicant Chriſtum aliquid paſſum in inferno. *Prob. 4.*

Propoſ. 3. *Inferi ſunt loca ſubterranea diſtincta à ſepulchris.* *Propoſ. 3.*

Prob. 1. Ex nomine Inferorum, quo vtuntur Script. Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ. Nomen *Inferni* Latinum non eſt dubium, quin ſit diſtinctum à nomine ſepulchri, & cùm ſignificet aliquid inferius nobis, & infra nos nihil ſit, niſi centrum terræ, neceſſariò loca inferorum intelliguntur loca profunda ſubterranea. Nomen Græcum, quod habemus, vbicumque Latinè eſt infernus, eſt, ᾅδης: ſepulchrum autem Græcè dicitur, τάφος; vnde Epitaphia dicuntur etiam à Latinis carmina, quæ ad ſepulchra ſcribi ſolent. Certè, cùm dicitur: *Et tu Capharnaum vſque ad cœlum exaltaberis, vſque ad infernum deſcendes.* Non poteſt accipi pro ſepulchro vox, ᾅδης. Eſſet enim ridicula antitheſis, cùm cœlum multis millibus ſtadiorum diſtet à terræ ſuperficie, vbi erat Capharnaum, & ſepulchrum non diſtet, niſi paucis vlnis. Vult autem Dominus dicere, illam vrbem tam profundè deſcenſuram, quàm altè videbatur exaltata. Similiter, quando dicitur diues purpuratus in inferno fuiſſe in tormentis, nō poteſt vox, ᾅδης, exponi de ſepulchro, niſi quis velit animas eſſe in ſepulchris cum corporibus. Nomen Hebræum, quod habetur paſsim in Teſtam. veteri, *Scheol*, ſignificat voraginem & ordinarie accipitur pro loco animarum ſubterraneo, & vel rarò, vel nunquam pro ſepulchro. *Deſcendam lugens ad filium meum in infernum.* Vbi vox, *Scheol*, non poteſt accipi pro ſepulchro, quia dicit ſe iturum ad filium ſuum, quem putabat mortuum, & deuoratum à feris, & proinde caruiſſe ſepulchro. Et: *Deſcenderunt viuentes in infernum, operti humo.* Quod de loco damnatorum intelligunt Patres, etiam qui Hebraicè doctiſsimi erant. Item: *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero ad infernum, ades.* Vbi opponuntur terræ ſuperficiei, vbi tunc erat Dauid, loca diſtantiſsima, altiſsimum cœlum, & profundiſsimus infernus. Sepulchrum autem non abeſt à terræ ſuperficie duobus palmis: ſæpe etiam ſupra terram extant marmorea ſepulchra. Item; Regi Babylonis dicitur, & in eius figurâ Diabolo: *Dixiſti, in cœlum conſcendam,* &c. *Veruntamen vſque ad infernum detraheris, in profundum laci.* Vbi, quatenus agitur de Diabolo, non poteſt infernus ſignificare ſepulchrum, quia Diabolus non eſt in ſepulchro: quatenus agitur de Rege Babyl. non poteſt etiam ſignificare ſepulchrum, & quia periret antitheſis, & quia ibidem dicitur Rex ille cariturus ſepulchro. Huc accedit conſenſus ferè omnium illorum, qui de hâc re iudicare poterant. Nam LXXII. ſeniores, *Scheol*, vbique verterunt ᾅδην, nuſquam τάφος. Hieronymus vbique vertit infernum, nuſquam ſepulchrum. Chaldęus gehennam. *Prob. 1.* *Matth 11.* *Luc. 11.* *Act. 2.* *Matth. 11.* *Luc. 16.* *Gen. 37.* *Num. 16.* *Pſal. 138.*

Prob. 2. Ex nomine abyſsi. Nam Dæmones rogabant Chriſtum, ne mitteret eos in abyſſum. Certum autem eſt, abyſſum eſſe profundam voraginem, & proinde infra ſuperficiem terræ. Item, certum eſt, non eſſe ſepulchrū: nec enim Dæmonibus parantur ſepulchra. *Prob. 2.* *Luc. 8.*

Prob. 3. Ex Apoc. vbi legimus, non eſſe inuentos, qui ſoluerent librum, *Nec in cœlo, nec in terrâ, nec ſub terram.* Et infrà: *Dixerunt laudem Deo omnes creaturæ in cœlo, in terrâ, & ſub terram.* Et: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium,* *Prob. 3.* *Apoc. 5.* *Philip. 2.*

terreſtrium,& infernorum. In quibus locis vox, Καταχθονίων, nihil aliud ſignificat, quàm, ſubterraneorum. At certè non ſunt cadauera ſepulchrorum, quæ non poterant aperire librum, vel quæ Deum laudant, & in nomine Ieſu flectunt genua. Igitur ſpiritus ſunt, qui dicuntur ſubterranei, eò quòd in locis ſubterraneis degant.

Prob. 4. Prob. 4. Ex Patribus.

& 5. Accedat poſtremò etiam naturalis ratio: Nam conſentaneum rationi eſt, vt locus dæmonum, & hominum impiorum, ac reproborum, longiſsimè diſtet ab eo loco, in quo Angelos, & beatos homines perpetuò futuros, non dubitamus. Locus autem beatorum (etiam teſtimonio aduerſariorum) cœlum eſt: à cœlo verò nihil longius abeſt, quàm terra.

Propoſ. 4. Propoſ. 4. *Animæ Sanctorum non fuerunt in cœlo ante Chriſti aſcenſionem.*

Prob. 1. Prob. I. Quia ea eſt ſententia prorſus inaudita in Eccleſia Dei. Id quod *Gen. 37.* ſanè deberet ſufficere ad refutationem. Iacob ait: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum.* Pius erat Iacob, pius erat Ioſeph: & tamen vtrumque non aſcendiſſe ad cœlum ſed ad inferos deſcendiſſe, Script. ſignificat.

Luca 16. Item; Diues in inferno cum eſſet, vidit à longè animam Lazari in ſinu Abrahæ, & audiuit inter loca ipſorum magnum hiatum eſſe. Id enim ſignificat χάσμα. Ex quo apparet, nihil ſolidi fuiſſe interiectum inter locum damnatorum, & ſinum Abrahæ, ſed vtraſque animas in eâdem voragine fuiſſe, licet multum inter ſe diſtantes.

1. Reg. 28. Item; Anima Samuëlis apparens Sauli, de terra viſa eſt aſcendere. Fuiſſe autem illam veram animam Samuëlis, communior, probabilior, & tutior eſt opinio. Et ſatis apertè deducitur ex textu Script. *Cùm vidiſſet*, inquit, *mulier Samuëlem.* Item: *Dixit Samuël ad Saul. Intellexit ergò Saul, quòd Samuël eſſet.* Certè non diceret Script. *Intellexit*, ſed, putauit, vel, cogitauit, ſi non eſſet verum.

Eccli. 46. Præterea; Ponitur in laudibus Samuëlis, quòd mortuus prophetauerit, & annunciauerit Regi, quæ ventura erant. At quæ laus eſſet Samuëlis, ſi non ipſe, ſed dæmon aliquis in eius forma apparens futura prædixiſſet? Item; *Iis,* *1. Pet. 3.* *qui in carcere erant, ſpiritibus prædicauit, qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë; cùm fabricaretur arca.* Hic dicuntur animæ in carcere fuiſſe: non ergò erant in cœlo. Nam ridiculum eſt, dicere, animas in cœlo, tanquam in carcere, fuiſſe incluſas.

Zach. 9. Item; *Tu autem in ſanguine Teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* *In comment.* Quem locum Hieron. & Rupertus exponunt de deſcenſu Chriſti ad inferos. Denique; Patres id communi conſenſu docent.

Propoſ. 5. Propoſ. 5. *Chriſtus verè deſcendit ad inferos.*

Prob. Prob. ex Script. *Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Quem locum *Pſal. 107.* Patres intelligunt de deſcenſu ad inferos, ſed in ſenſu myſtico. Nam ad litteram certum eſt, tractari de liberatione ab Ægypto. Itaque non conuincit, ſed probabiliter ſuadet.

Eccli. 24. Item; Sapientia Dei loquitur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Hic locus non conuincit hæreticos, tum quia ipſi non recipiunt hunc librum; tum etiam, quia

hæc verba deſunt in Græco textu: tamen apud Catholicos ſuam habet auctoritatem.

Item; *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ.* Vbi Chriſtus dicit, ventrem ceti ſimilem fuiſſe cordi terræ. At cor terræ non eſt mors, ſed locus aliquis ſub terrâ. Matth. 12.

Item; *Non relinques animam meam in inferno.* Vbi in Græco eſt, ψυχὴ, quod non, niſi animam, propriè ſignificat: & ᾅδης, quod infernum ſignificat. Act. 2.

Item: *Ne dicas in corde tuo: Quis deſcendet in abyſſum? id eſt, Chriſtum à mortuis reuocare.* Ergò Chriſtus poſt mortem fuit in abyſſo. Rom. 10.

Item: *Qui aſcendit, ipſe eſt & qui deſcendit in inferiores partes terræ.* Quem locum Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Theophylactus exponunt de inferno, infra quem nihil eſt. Deinde, habemus verborum proprietatem. Nam inferior pars terræ non ſignificat totam terram, ſed vnam partem, eamque alijs inferiorem. Non ergò ſignificat terræ ſuperficiem, quæ eſt pars ſuperior; nec etiam ſepulchrum Chriſti, quod fuit quoque ſupra terram. Ephes. 4.

Denique; Pro nobis facit id, quod ſequitur: *Vt adimpleret omnia.* Voluit enim Chriſtus deſcendere vſque ad verum infernum, ſicut deſcenderat in terras, vt præſens viſitaret omnes partes regni ſui, quod eſt tripartitum, iuxta illud: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Philip. 2.

Item: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, viuificatus autem ſpiritu, in quo & his, qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Cui loco alius adiungendus videtur: *Ideò & mortuis prædicatum eſt Euangelium, vt iudicentur quidem ſecundum hominem in carne, viuant autem ſecundum Deum in ſpiritu.* Quæ exponunt Patres, quòd Chriſtus in carcere inferni S S. Patribus prædicauerit. Prob. etiam deſcenſus Chriſti ad inferos ex traditione Patrum. 1. Pet. 3. 1. Pet. 4.

Propoſ. 6. *Chriſtus propriè, & reipſa deſcendit ad inferos; & non per effectum.* Propoſ. 6.

Prob. I. quia Script. Concilia, & Patres dicunt, Chriſti animam deſcendiſſe ad inferos, & carnem manſiſſe in ſepulchro. Certum eſt autem, carnem verè, ac propriè, non per tropum, per ſe, non per effectum manſiſſe in ſepulchro. Prob.

II. Si per effectum fuiſſet Chriſtus in inferno, non ſolùm anima, ſed etiam caro in inferno fuiſſet: cauſa enim illius effectus etiam caro fuit. *Sanguis eius emundat nos.* 1. Ioan. 1.

III. Si per effectum tantum deſcendit ad inferos: ergò eodem tempore anima Chriſti fuit in multis locis ſimul, in inferno, in Paradiſo terreſtri, in terra, in cœlo. Nam ſine dubio, mors Chriſti habuit aliquem effectum in his omnibus locis, illuſtrans Patres in limbo, lætificans Angelos in cęlo; conſolans Enoch, & Eliam in Paradiſo; & in terrâ compunctionem in hominibus efficiens.

IV. Chriſti anima triduo fuit in corde terræ: at ille effectus in momento peractus eſt. Item, Chriſti anima redijt tertia die, nimirum quando reſurrexit; tunc enim redijt ab inferis ad ſuperos. At ſecundum effectum nunquam redijt, quia effectus ille ſemper manet: aut, ſi redijt peracto negotio ſuo, certè

ipſo die redijt, quo mortuus eſt; nam continuò poſt mortem diſpulit Dominus tenebras inferni, & Patres diuinâ viſione illuſtrauit. Vtrumque autem Symbolo fidei, Script. ipſis, & Patrum confeſsioni repugnat.

Dubium 1. Reſp. Eccli. 14. 1. Dubium eſt: *Ad quæ loca inferni Chriſtus deſcenderit?* Probabile eſt, Chriſti animam ad omnia loca inferni deſcendiſſe, iuxta illud: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ; inſpiciam omnes dormientes.* Illud etiam magis conforme eſt traditioni Patrum.

Dubium 2. Reſp. In 3. diſt. 22. q. 4. 2. Dubium: *An Chriſto fuerit aliqua pœna, eſſe in inferno?* D. Bonauentura dicit, Chriſti animam; dum eſſet in inferno, non fuiſſe in loco pœnæ, ſed ſine pœnâ: cuius modus loquendi magis mihi videtur conformis Patribus. Itaque etſi, quòd maneat anima ſeparata à corpore, pœna, vel pœnalitas, vel potiùs minor perfectio dici poſsit, tamen manſionem animæ Chriſti in inferno & corporis in ſepulchro, non auderem vocare pęnam, nec pęnalitatem. Nam illæ animæ pœnam trahunt ex inferno, quæ ibi ſunt tanquam in carcere, nec poſſunt egredi, quando volunt. At Chriſtus fuit in inferno liber, & liberator aliorum, vt omnes Patres clamant. Pari ratione, eſſe in ſepulchro, non eſt pęna, nec malum corpori ſimpliciter, immo bonum eſt corpori defuncto. At malum eſt, corrumpi in ſepulchro, & putreſieri: caro autem Chriſti in ſepulchro fuit, ſed ſine corruptione.

Dubium 3. Reſp. Dubium. 3. *Quid contulit animabus iuſtorum, deſcenſus Chriſti ad inferos?* Reſp. cum communi Catholicorum ſententiâ, duo magna bona eis contuliſſe. 1. beatitudinem eſſentialem. 2. eductionem ex eo carcere, ac deductionem in cęlum. Quorum primum continuò illis præſtitit: ſecundum autem non diu

Eccli 24. Lucæ 23. poſteà. De primo habemus illud: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Item: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quod verbum non ſolùm latroni, ſed etiam omnibus iuſtis, qui in inferno erant dictum fuit. Item conſenſum Scolaſticorum. De ſecundo habemus conſenſum Patrum.

Dubium 4. Reſp. Dubium. 4. *An præter animas iuſtorum, quæ erant in ſinu Abrahæ, aliquæ aliæ liberatæ ſint?* Reſp. inprimis, non eſſe liberatas vllas animas damnatorum ad gehennam: nam videtur implicare contradictionem, quòd aliqui fuerint damnati ad æternas pœnas, & tamen poſteà ſaluati fuerint. Nam æterna damnatio includit certitudinem pœnæ nunquam finiendæ. At quomodo certi eſſe poſſunt, ſe ſine fine puniendos, qui aliquando liberantur? Adde illud: *Illumi-*

Eccli. 24. *nabo omnes ſperantes in Domino.* Hinc enim deducitur, nullos eorum fuiſſe illuminatos, qui damnati erant ad pęnas æternas, quippe qui ſine dubio non ſpe-

Ioan. 9. 2 Cor 5. Gal. 6. rabant in Domino. Adde & illud: *Venit nox, in qua nemo poteſt operari.* Et: *Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis.* Et: *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Dum tempus habemus, operemur bonum.* Hæc enim omnia ſatis apertè indicant, non eſſe poſt hanc vitam locum pœnitentiæ, & reconciliationis. Adde poſtremò conſenſum Theologorum. De animabus

P. 3. q. 52. ar. 8. Purgatorij maius dubium eſſe poteſt. At B. Thomas docet animas Purgatorij nō eſſe liberatas ſimpliciter ex deſcenſu Chriſti ad inferos: nec enim Chriſtus ad inferos: nec enim Chriſtus aliquid cōtulit vlli, niſi quod meruerat paſſione ſuâ. paſsio autem Chriſti non habet effectum temporalem ſed ęternum. Semper enim eſt æquè efficax. Non ergò tunc liberaſſet Chriſtus, niſi illos,

qui

qui habuerunt talem diſpoſitionem, qualem habent, qui nunc liberantur. Addit tamen B. Thomas, duobus modis potuiſſe accidere, vt tunc aliqui liberarentur.

I. Si expleuerant tempus purgationis ſuæ.

II. Si ex deuotione peculiari ad Chriſti paſsionem meruerant id in hâc vitâ, vt tunc liberarentur, cùm Chriſtus in eum locum deſcenderet.

CAPVT VII.

De Chriſto Meditatore, & eius Merito.

PRIMA Controuerſia eſt: *Secundum quam naturam Chriſtus ſit Mediator?* Notandum, Mediatorem eſſe eum, qui inter aliquos diffidentes, aut certe non coniunctos medium ſe interponit, vt eos redigat ad concordiam, vel nouo fœdere coniungat. Contingit autem hoc dupliciter. I. per ſubſtantialẽ aliquam mediationem. 2. per operationem. *Quæſtio. 1. Mediator.*

Primo modo, Chriſtus dici poteſt Mediator, quatenus perſonalitas eius coniunxit nouo, & mirabili fœdere diuinam, & humanam naturam. Et licet de hac mediatione ſæpe loquantur Patres tamen non eſt ea, de quâ nunc diſputamus. Nam de iſtâ mediatione non eſt opus quærere, ſecundum quam naturam fiat: non enim ſecundum aliquam naturam fit; ſed ſecundum perſonalitatem, quæ connectit duas naturas. Præterea; Iſta mediatio non eſt inter naturas diſsidentes. Nec enim vnquam Chriſti humanitas fuit Diuinitati cõtraria. Nos autem loquimur de mediatione, quâ Chriſtus innocens Patri recõciliauit peccatores.

Mediatio autẽ, quæ in opere conſiſtit, quatuor modis poteſt fieri. I. diſcernẽdo, & iudicando cauſſam: quomodo arbitri dici poſſunt mediatores. Et hic modus tribuitur Chriſto à Patribus. Ipſe enim factus fuit arbiter à Deo, & iudicauit ſic fieri poſſe pacem, ſi Deus primùm agnoſceret, & homo deinceps in Dei fide permaneret.

2. Referendo hinc inde pacta, & conditiones vtriuſque partis: quomodo omnes internuncij dici poſſunt mediatores. Et in hâc ſignificatione accipiendum videtur nomen Mediatoris, cùm Moyſes dicit: *Ego medius, & ſequeſter fui inter Deum, & vos in illo tempore.* Et: *Data eſt lex per Angelos in manu Mediatoris*, id eſt, Moyſis. Et hic etiam modus Chriſto conuenit, qui annunciauit hominibus Dei voluntatem, & leges. Et propterea dicitur *Angelus Teſtamenti*: & *Mediator noui Teſtamenti.* Vbi Paulus alludit ad Moyſen, qui fuit Mediator Teſtamenti veteris. *Deut. 5. Gal. 3. Malach. 3. Heb. 9 & 12.*

3. Orando, & ſupplicando vni parti pro alterâ. Id quoque conuenit Chriſto, qui dicitur *Interceſſor pro nobis*: & *Aduocatus noſter.* *Rom 8. 1. Ioan. 2.*

4. Soluendo, & ſatisfaciendo vni parti pro alterâ. Et hic modus mediationis proprijſsimè conuenit Chriſto, qui in totâ Script. deſcribitur, vt hoſtia

1.Tim. 2. ſtia pro peccato. Ideò, poſtquam Apoſtolus dixerat: *Vnus Mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus*; Mox addidit cauſam, dicens: *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro multis.* Et ideò etiam, quando Chriſtus dicitur aduocatus, & interpellator pro nobis apud Deum, non dicitur vnus aduocatus, aut interpellator, quia etiam alij interpellant pro nobis. Nec ſolus ipſe Mediator fuit per modum arbitri, aut internuncij, ſed etiam Moyſes. At ſolus ipſe pro nobis ſoluit, noſque proprio ſanguine Deo reconciliauit. Itaque tres modi priores mediationis communes ſunt Chriſto cum alijs : quartus propriè ſoli Chriſto conuenit. Hoc tamen loco de omnibus modis poteſt intelligi quæſtio noſtra.

Rom. 8. 1. Ioan. 2.

Reſp. ad quæſt. Eſt autem ſententia communis Catholicorum, ipſum quidem Mediatorem, ſiue (vt Theologi loquuntur) principium, quod operabatur opera Mediatoris, non fuiſſe Deum ſolum, vel hominem ſolum, ſed vtrumque ſimul, id eſt, Verbum incarnatum, ſiue Deum humanatum. Principium tamen, quo illa opera à Mediatore fiebant, fuiſſe naturam humanam, non diuinam. Tametſi enim Deus incarnatus erat, qui orabat, patiebatur, obediebat, ſatisfaciebat; tamen hæc omnia faciebat ſecundum formam ſerui, non ſecundum formam Dei.

Prob. prior pars. Quòd principium quod operum Mediatoris fuerit ſuppoſitum diuinum, & non humana natura tantùm, Prob. I. nam iſte error deflectit ad Neſtorianiſmum. Voce enim fatetur vnam perſonam in Chriſto: re autem ipſa ponit duas, & euacuat planè myſterium redemptionis. Nam, ſi ſola natura humana egit opera illa ſatisfactoria; ergò natura humana per ſe exiſtebat, & proinde ſuppoſitum erat à diuino ſuppoſito diſtinctum. Duo igitur in Chriſto ſuppoſita erant, quæ eſt ipſiſsima hæreſis Neſtorij.

Prob. 2. Nam repugnat hæc ſententia Script. & Patribus. Nam opus Mediatoris præcipuum fuit, paſsio Chriſti. Hæc autem ipſi Deo, & Domino tribuitur in Script. atque ideò neceſſe eſt, illi conuenire, ſaltem ratione ſuppoſiti. An non enim dicitur Deus *ſanguine ſuo Eccleſiam acquiſiuiſſe?* Nónne dicitur *Dominus gloriæ crucifixus?* Nónne dicitur ille, *qui in forma Dei erat æqualis Patri, humiliatus eſſe, & obediens factus vſque ad mortem, mortem autem crucis?* Patres etiam dicunt, Chriſtum ideò vocari à Paulo vnicum Mediatorem, quia ille ſolus eſt verè medius inter Deum, & hominem, cùm vtriuſque naturam habeat. Vbi Patres volunt oſtendere, non potuiſſe Chriſtum eſſe efficacem Mediatorem, niſi eſſet diuina perſona, quæ officium Mediatoris exerceret. Non autem poterat eſſe diuina perſona, niſi haberet diuinam naturam: propterea illi dicunt, vnicum, & verum Mediatorem, Deum, & hominem eſſe debuiſſe. Accedit vltimò, quòd, ſi humana perſona pro nobis ſatisfecit, non ex rigore iuſtitiæ ſatisfecit, ac propterea non fuit neceſſaria incarnatio.

Act. 20. 1. Cor. 2. Philip. 2.

Prob. poſterior. Porrò ſi ſit ſermo de principio quo, ſeu formali, non de ſuppoſito, Chriſtum fuiſſe ſolùm Mediatorem ſecundum humanam naturam.

1. Tim. 2. Prob. 1. Nam habemus locum illum B. Pauli: *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei, & hominũ, homo Chriſtus Ieſus.* Cur, quæſo, addit, *homo*, niſi ad exprimendam naturam, ſecundum quam Chriſtus eſt Mediator? Præterea; hîc diſtinguit Chriſtus Mediatorem à Deo. Ergò Chriſtus non eſt Mediator ſecundum naturam

diuinam,

diuinam,ſed tantùm ſecundum humanam, ſecundum quam Chriſtus à Deo diſtinguitur.

Prob. 2. Teſtimonijs Patrum. *Prob. 2.*

Prob. 3. Rationibus. *& 3.*

I. Ratio ex definitione, & conditionibus Mediatoris. Mediator debet eſſe medius,id eſt,diſtans ab vtrâque parte diſsidente aliquo modo. Nam, ſi omninò ſit idem cum vna parte,non poteſt cogitari, imo nec fingi,quomodo ſit Mediator. Porro hæc definitio conuenit Chriſto,vt homo iuſtus eſt,non autem, vt eſt Deus.Nam vt homo, diſtat à Deo:vt iuſtus, conuenit cum Deo. Et contrà,vt homo, conuenit cum ceteris hominibus;vt iuſtus, diſtat ab hominibus. Omnes naſcuntur natura filij iræ. At Chriſtus,vt Deus, non diſtat à Deo vllo modo,id eſt,nec natura,nec iuſtitia, nec vllo alio modo. Igitur non vt Deus, ſed vt homo iuſtus, Mediator eſt inter Deum, & homines peccatores. *1.Ratio.*

II. Ratio: Si Chriſtus eſt Mediator ſecundum vtramque naturam,vel ſecundum vtramque coniunctim ſumptam, vel ſecundum vtramque ſeorſim acceptam. Non ſecundum vtramque ſimul, quia Chriſtus ſic diſtat quidem à ceteris hominibus. & etiam à Deo Patre, & Spiritu ſancto. At non diſtat à Deo Filio,nec perſona,nec natura:& tamen ab illo etiam diſtare debet, cùm & ipſe ſit pars offenſa, ad cuius placationem Mediatore opus ſit. Quòd autem non ſecundum vtramque ſeorſim, patet, quia non ſecundum diuinam ſeorſim acceptam, cùm illa ſit pars offenſa, & ſecundum illam nihil diſtet Chriſtus à Deo. Reſtat ergò, vt ſolùm ſecundum humanam Chriſtus ſit Mediator. *2 Ratio.*

III. Ratio: Si Chriſtus eſſet aliquo modo Mediator ſecundum naturam diuinam,omnes tres perſonæ eſſent Mediatores. Nam,cùm natura diuina ſit communis tribus,quidquid ſecundum illam conuenit vni perſonæ,id conuenit omnibus tribus. Vnde eſt illa maxima SS. Patrum: *Opera Trinitatis eſſe indiuiſa*. Porrò abſurdum eſſe, vt omnes tres perſonæ dicantur Mediatores, non videtur egere probatione.Nam,ſi tota Trinitas ſit Mediator,cuius,quæſo,eſt Mediator? *3.Ratio.*

IV. Ratio: Officium Mediatoris proprium eſt ſacrificare, & ſacrificando ſatisfacere,vt conſtat ex Apoſtolo. At ſacrificare non poteſt Chriſto conuenire ſecundum diuinitatem,ſed ſolùm ſecundum humanitatem:ſiquidem facere diuinitatem filij Sacerdotem, eſt apertiſsimus Arianiſmus. Nam omnis Sacerdos eſt minor eo,cuius eſt Sacerdos: officium enim eius eſt miniſtrare. Idem dici poteſt de alijs officijs Mediatoris Chriſti, vt quòd *interpellat pro nobis*: quòd *Aduocatus noſter eſt*: quòd *dedit ſemetipſum redemptionem pro nobis*. Hæc enim omnia arguunt naturam inferiorem. Non igitur poteſt Chriſtus, vt Deus, eſſe Mediator, niſi, vt Deus, ſit minor Patre, & Patri ſeruiat, vt miniſter. *4.Ratio. Heb.7. 8.& 9. Rom.8. 1.Ioan.2. &*

V. Ratio eſt: Si operatio propria Mediatoris conuenit Chriſto ratione vtriuſque naturæ, ſequitur confuſio operationum, & conſequenter naturarum in Chriſto,quæ eſt hæreſis Monothelitarum, & Eutychianorum, damnata in VI. Synodo. *5.Ratio.*

Nam, cùm in VI. Synodo reijcitur vna operatio in Chriſto, non reijcitur vna operatio reſpectu Dei, tanquam principalis agentis, & hominis. vt inſtrumenti. Nam certum eſt, in Chriſto multa eiuſmodi opera inueniri. Talia enim erant omnia miracula qui fiebant à Deo Verbo per carnem, vt inſtrumenti. Sed reijcitur vna operatio reſpectu Dei, & hominis, tanquã propriæ, & principalis cauſſæ. Illa autem dicitur cauſſa propria, & principalis, quę agit ex virtute ſua, quam habet ex propria ſua forma, & eſſentia. Ac, vt exemplis rem illuſtremus, quando Chriſtus curabat febres imponendo ægrotis manus, impoſitio manuũ erat operatio propria, & principalis humanitatis, quia ex propria ſua forma id habebat. At expulſio febris erat propria & principalis ipſius Deitatis operatio, quia nõ habebat hoc ex ſua forma manus Chriſti, ſed tantùm vt applicaretur à Deo ad illud opus. Dicere autem, imponere manus, fuiſſe propriam operationem Deitatis, vel expellere febrim, fuiſse propriam humanitatis, & proinde vnam tantùm fuiſse operationem imponere manus, & expellere febrim, eſt confundere operationes, & naturas. Et hæc eſt hæreſis in eo Concilio damnata. Iam verò ſacrificare, quod eſt officium Mediatoris, proprium eſt Chriſti, vt homo eſt. Nam conuenit ei ſecundum humanam formam, vt patet, quia conuenit etiam puris hominibus. Ergò, ſi hoc idem conuenit Chriſto, vt Deus eſt, eadem erit operatio vtriuſque naturæ, vt cauſſæ propriæ, & principalis; niſi velint, Deitatem eſſe inſtrumentum humanitatis, quo nihil abſurdius cogitari poteſt.

Altera controuerſia eſt: *An Chriſtus operibus, ac laboribus ſuis, non ſolùm nobis omnibus gratiam, & gloriam, ſed etiam aliquid ſibi acquiſierit?* Conueniunt Doct.

Quæſtio. 2. *Reſp.* Theologi, atque vno ore docent, Chriſtum, prꝑter ea bona, quæ ſuis laboribus peperit nobis, meruiſſe etiam ſibi corporis gloriam, & nominis exaltationem.

Prob 1. *Philip.* 2. Prob. I. *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen*, &c. Et: *Videmus Ieſum propter paſsionem mortis gloriã, & honore coronatum.*

Heb. 2. Prob. 2. Ex Patribus. Accedit 3. congruentia rationis: nam melius eſt, ceteris paribus, aliquid ex merito habere, quam ſine merito. At gratia, & gloria, ſcientia, & præcipuè vnio Hypoſtatica, quæ Chriſtus habuit ab initio, tam ſunt excellentia, vt melius ſit illis nunquam carere, quàm acquirere ea ex merito.

DE

DE ROMANO PONTIFICE

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Quodnam ſit optimum regimen?

NEMINI dubium eſſe poteſt, quin & potuerit, & voluerit Saluator noſter Ieſus Chriſtus ſuam Eccleſiam eâ ratione, & modo gubernare, qui ſit omniũ optimus, & vtiliſsimus. *Tres formæ gubernationis.* Tres autẽ ſunt formæ bonæ gubernationis: Monarchia, id eſt, vnius principatus; cuius contrariũ vitium eſt Tyrannis: Ariſtocratia, id eſt, regimen optimatium; cui opponitur Oligarchia, hoc eſt, factio paucorum: & Dimocratia, hoc eſt, populi totius imperium quod in ſeditiones non rarò degenerat. Quanquam autem tres tantùm ſint formæ ſimplicis gubernationis: poſſunt tamen inter ſe illæ quaſi permiſceri, ex quâ permixtione quatuor aliæ formæ mixti regiminis producentur. Vna temperata ex omnibus tribus: Altera ex Monarchiâ, & Ariſtocratiâ: Tertia ex Monarchiâ. & Dimocratiâ: Poſtrema ex Dimocratiâ, & Ariſtocratiâ. Prima itaque naſcitur quæſtio: *Quæ ſit ex ſeptem formis gubernationis optima?* *Quæſt. 1.* Nos B. Thomam, aliosque Theologos Catholicos ſecuti, ſtatuimus primam propoſitionem: *Ex formis ſimplicibus præſtantiſsima eſt Monarchia.* *Propoſ. 1.* Secunda ſit: *Regimen temperatum ex omnibus tribus formis propter humanæ naturæ corruptionem vtilius eſt, quàm ſimplex Monarchia.* *Propoſ. 2.* Tertia: *Circumſtantijs ſeclusis, ſimplex Monarchia ſimpliciter, & abſolutè excellit.* *Propoſ. 3.*

Prima propoſitio prob. primò, quia in eam conueniunt omnes ſcriptores, *Prob. 1. propoſ. 1.* Hebræi, Græci, Latini, Theologi, Philoſophi, Oratores, Hiſtorici, Poëtæ. Secundò prob. auctoritate diuina, quæ tribus modis oſtendit, Monarchiam eſſe optimum regimen. *Prob. 2.* Primùm, inſtitutione humani generis. Deus enim ex vno fecit omne genus hominum, vt Apoſtolus ait. *Act. 17.* Non enim virum & fœminam pariter ex humo produxit; ſed virum ex humo, fœminam ex viro. Deinde, indicauit Deus ſententiam ſuam, cùm non ſolùm hominibus, ſed etiam omnibus penè rebus inſeuit naturalẽ propenſionẽ ad Monarchicum regimẽ. Neque dubium eſſe poteſt, quin naturalis propenſio ad auctorem naturæ, Deum referenda ſit. Principatum autem vnius maximè naturalem eſſe, declarat

clarat inprimis, quòd in qualibet domo naturaliter ad vnum Patremfamilias pertinet gubernatio coniugis, filiorum, ſeruorum, rerum denique cæterarum. Item, quòd maxima pars orbis terrarum à Regibus gubernatur. Præ-

L. 1. tereà, quòd longè vetuſtiora ſunt regna, quàm Reſpub. *Principio rerum* (inquit Iuſtinus) *gentium, nationumq́, imperium penes Reges erat.* Denique, quòd etiam animantia rationis expertia vnius principatum expetere videantur: vt patet de apibus, gregibus, armentis, gruibus.

Tertiò indicauit Deus ſuam ſententiam in eâ Rep. quam in populo Hebræorum inſtituit. Non enim gubernatio Hebræorum Ariſtocratia fuit, aut politiæ vicina; ſed planè Monarchia. Principes apud Hebræos fuerunt primò Patriarchæ; vt Abraham, Iacob, Iudas, &c. Deinde Duces; vt Moyſes, & Ioſue: tum Iudices; vt Samuël, Samſon, & alij: poſteà Reges; vt Saul, Dauid, Salomon: poſtremò iterum Duces; vt Sorobabel, & Machabæi. Ac Patriar-

Gen. 14. chas quidem regia poteſtate præditos fuiſſe, indicant res geſtæ ipſorum. Nam Abraham bellum geſsit aduerſus quatuor Reges, nec legitur ab vllo Senatu optimatium poteſtatem accepiſſe, ſed nec vllum quidem Senatum conſuluiſ-

Gen. 38. ſe. Iudas etiam nurum ſuam, quæ ſtupri fuerat accuſata, igni adiudicauit: nec

Exod. 32. ipſe vllum Senatum conſuluit, aut rogauit. Moyſes quoque, vt verus, & ſummus princeps populi Iudaici, multa millia Iudæorum, propter vitulum aureum, quem erexerant, vno die iuſsit occidi: neque legimus vllum Sena-

Iud. 8. tuſconſultum, aut Plebiſcitum præceſsiſſe. Certè Gedeon, poſt victoriam de Madianitis, occidit 70. viros vrbis Socoth, & turrim Phanuel ſubuertit. De Regibus idem indubitatum eſt.

Prob. 3. Tertiò prob. propoſitio prima à proprietatibus, quas omnes habent pro comperto, optimo regimini conuenire.

1. Proprietas regiminis opt. Prima eſt, ordo. Eò ſiquidem melior gubernatio eſt, quò magis eſt ordinata. Talem autem eſſe Monarchiam, ita demonſtratur. Omnis ordo in eo poſitus eſt, vt alij præſint, alij ſubijciantur: nec enim inter pares, ſed inter ſuperiores, & inferiores ordo dignoſcitur. Vbi autem eſt Monarchia, ibi omnes omninò ordinem aliquem habent, cùm nemo ſit, qui non ſubijciatur alicui, eo ſolùm excepto, qui curam omnium gerit. Hâc ratione in Eccleſia ſummus eſt ordo, vbi plebes ſubijciuntur Parochis, Parochi Epiſcopis, Epiſcopi Metropolitanis, Metropolitani Primatibus, Primates Pontifici Max. Pontif. Max. Deo. Vbi verò gubernatio penes optimates eſt, plebes quidem ordinem ſuum habent, cùm ſubijciantur Optimatibus; ſed Optimates inter ſe ordinem nullum habent. Multò etiam magis Democratia ordine caret, cùm omnes ciues eiuſdem conditionis, & auctoritatis in Repub. cenſeantur.

2. Proprietas. Altera proprietas eſt, aſſecutio proprij finis, qui eſt ciuium inter ſe coniunctio, & pax: quæ coniunctio in eo potiſsimum ſita eſſe videtur, vt idem ſentiant, idem velint, idem ſequantur omnes. Id verò multo certius, & facilius obtinebunt, ſi vni parendum ſit, quàm ſi multis. Vix enim fieri poteſt, vt multi, quorum vnus ab alio non dependeat, de rebus iiſdem, eodem modo ſentiant. Confirmat hoc idem vſus, & experientia. Siquidem apud Romanos ſub Regibus raræ admodum inter ciues diſſentiones leguntur fuiſſe: exactis autem Regibus, cum per annuos magiſtratus Reſp. gereretur, rarus ille an-

nus

nus fuit, in quo non contenderent patricij cum plebeis; ac tandem eo vſque ciuiles contentiones progreſſæ ſunt, vt ſuis quodammodo manibus potentiſſima illa Reſpub. interierit. Accedit etiam illud, quod nunquam maiori, & diuturniori pace Romana ciuitas vſa ſit, quàm ſub imperio Augusti, qui primus Romæ ſtabilem Monarchiam inſtituit.

Tertia proprietas eſt, robur, ac potentia Reipub. Illa enim gubernatio omnium iudicio cæteris antecellit, quæ potentiorem, & fortiorem Rempub. facit. Illa vero fortior Reſpub. eſt, in qua maior eſt ciuium inter ſe coniunctio, & conſpiratio: vires enim coniunctæ ſeipſis diſsipatis ſunt fortiores. At maior eſt coniunctio, vbi ab vno pendent omnes, quàm vbi à multis. Accedit experientia. Siquidem ex quatuor potentiſsimis imperijs tria ſub Regibus creuerunt: imperium videlicet Aſſyriorum, Perſarum, & Græcorum. Vnum eſt Romanum, quod ſub populari dominatu creuit; ſed & illud in maximis rerum perturbationibus ſine Dictatore, id eſt, Rege ad tempus conſtituto, cōſeruari non poterat; & multo magis poſtea ſub Auguſto Monarchâ floruit, quàm tempore Reipub. vnquam floruiſſet. 3. Proprietas.

Quarta proprietas eſt, ſtabilitas, & diuturnitas. Neque enim negari poteſt, quin illa ſit melior gubernatio, quæ ſtabilior, ac diuturnior eſt. At Monarchiam talem eſſe, iam oſtendimus, cùm docuimus, eam ſine dubio cæteris eſſe fortiorem, ſi de externa vi agatur: caſibus autem, & mutationi minus eſſe obnoxiam, etiam nullâ adhibitâ externa vi, ita poteſt demonſtrari. *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur:* Difficilius autem diuidi poteſt Monarchia, quàm vlla alia forma regiminis. Id enim minus facilè diuiditur, quod magis eſt vnum. Magis autem eſt vnum ipſum ſimplex vnum, quàm multitudo conſpirans in vnum. Illud enim eſt vnum per ſe, & naturaliter, & nihil aliud eſt, quàm vnum: Hæc autem ſolum ex arte eſt vnum, per ſe vero, & naturaliter multa. Ergo, &c. Hinc nimirum Monarchia Aſſyriorum à Nino ad Sardanapalum ſine interruptione durauit annis M. C C. X L. vt Euſeb. docet: vel M. C C C. vt colligit Iuſtinus: vel ſuprà M. C C C C. vt vult Diodorus. Sic autem durauit hoc regnum vt ſemper ſucceſſor in regno fuerit de mortui Regis filius. 4. Proprietas. Matth. 12.

Scytharum autem regnum, quod eſt habitum omnium vetuſtiſsimum, nec ab vllo externo hoſte deſtrui potuit, vt ſcribit Iuſtinus, nec per ſe vllo vnquam tempore diſſolutum. Quocirca aliquot annorum millibus illud ſtetiſſe, neceſſe eſt.

Nulla autem eſt Reſpub. quæ diuturna, & ſtabilis fuit. Certè Reſp. potentiſsima Romanorum vix annos C C C C. L X X X. potuit numerare. Tot enim ſunt ab exactis Regibus vſque ad Imperium Iulij Cæſaris. At ſub Monarchis in Oriente à Iulio vſque ad Conſtantinum vltimum, ſine interruptione durauit annis M. C C C C. X C V. in Occidente autem ab eodem Iulio vſque ad Auguſtulum, ſupra quingentos; & à Carolo magno vſque ad præſentem Imperatorem annos fere D. C C C.

Sed nec illis C C C C. L X X X. annis, quibus floruit in Romano Imperio Democratia, ſemper eodem modo Reipub. regebatur. Initio enim

annui Conſules creati ſunt; paulò pòſt additi Tribuni; tum Conſulibus, & Tribunis ſublatis creati Decemviri: illis etiam poſt annum eiectis, iterum Conſules, & Tribuni reuocati: non rarò etiam Dictatores, & aliquoties Tribuni militares cum conſulari poteſtate introducti. Itaque nulla vna forma diu durauit, nec omnes ſimul ad ætatem nobilium Regnorum peruenire potuerunt.

5 Proprietas. Quinta proprietas eſt, facilitas gubernationis. Facilius autem eſſe, vt ab vno rectè ciuitas regatur, quàm à multis, his rationibus probari poteſt. Primum; Facilius eſt vnum hominem bonum reperire, quàm multos. Deinde; Facilius vni homini parebunt, quàm multis. Præterea; Magiſtratus, qui per vices, atque ad breue tempus Rempub. gerunt, priùs ſæpe deponere coguntur prouinciam, quàm Reipub. negotia planè cognouerint; Rex autem, qui ſemper eodem officio fungitur, tametſi interdum tardioris ingenij ſit, tamen vſu, atque experientia multis alijs præſtat. Item; Annui magiſtratus negotia Reip. eò, quòd non propria, ſed communia ſint, quaſi aliena reſpiciunt; Rex verò tanquam ſua, & propria: certum autem eſt, cum faciliùs, tum etiam diligentiùs propria, quàm aliena curari. Ad hæc; Vbi multi ſunt, qui regunt, vix fieri poteſt, vt inde abſit æmulatio, ambitio, contentio: ex quo non rarò ſolet accidere, vt alij alios impediant. Poſtremò; Sicut in amplis familijs, vbi multis ſeruis idem miniſterium aſsignatur, negligenter negocia procurantur quòd vnus alij prouinciam communem relinquat: ſic etiam eſt, vbi multi ſunt principes Reipub.

Prob. 1. Propoſ. 2. Altera propoſitio ita demonſtratur: Nam talis gubernatio id requirit, vt ſit quidem in Rep. ſummus aliquis Princeps, qui & omnibus imperet, & nulli ſubijciatur. Præſides tamen prouinciarum, vel ciuitatum non ſunt Regis vicarij, ſiue annui iudices; ſed veri Principes, qui & imperio ſummi Principis obediant, & interim Prouinciam vel ciuitatem ſuam, non tanquã alienam, ſed vt propriam moderētur. Ita locum haberet in Rep. tam Regia quędam Monarchia, quàm etiam Principum optimatium Ariſtocratia. Quòd ſi his adderetur; vt neque ſummus ille Rex, neque principes minores hæreditaria ſucceſsione dignitates illas acquirerent, ſed ex vniuerſo populo optimi quique ad eas eueherentur, iam eſſet etiam ſuus quidam locus Democratiæ in Repub. attributus. Hanc eſſe optimam formam regiminis, duobus argumentis comprobamus. Primùm enim, haberet huiuſmodi gubernatio bona omnia, quæ ſupra demonſtrauimus ineſſe Monarchiæ: & eſſet præterea in hac vita gratior, & vtilior. Ac bona quidem Monarchiæ in hac noſtra gubernatione ineſſe, planum eſt, cùm hæc gubernatio Monarchiam quandam verè, ac propriè comprehendat. Futuram autem in omnibus gratiorem ex eo perſpici poteſt, quòd omnes illud genus regiminis magis amant, cuius participes eſſe poſſunt: quale ſine dubio eſt hoc noſtrum, cùm virtuti, non generi deferatur. De vtilitate verò nihil eſt, quod dicamus, cùm certum ſit, non poſſe vnum aliquem hominem per ſe prouincias, & ciuitates ſingulas regere, & velit, nolit, cogatur earum procurationem, vel adminiſtris vicarijs ſuis, vel proprijs earum principibus demandare: & rurſum æquè ſit certum

certum, multò diligentiùs, ac fideliùs principes res ſuas, quàm alienas vicarios procuraturos.

Accedit alterum argumentum ex auctoritate diuina. Deus enim eiuſmodi regimen in Eccleſia ſua ſemper tam veteris, quàm noui Teſtamenti inſtituit. De veteri quidem facilè poteſt probari. Habuit enim populus Hebræorum ſemper vnum, ſiue Ducem, ſiue Iudicem, ſiue Regem, qui toti multitudini imperaret, quod pertinet ad Monarchiam. Habuit præterea multos principes minores, de quibus ita legimus: *Electis viris ſtrenuis de cuncto Iſraël conſtituit eos Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos qui iudicabant plebem omni tempore.* Id autem ad Ariſtocratiam pertinet. Denique ex omni plebe, non ex vna aliqua tribu, principes aſſumebantur, vt patet ex Exodo, & Deuteron quod aliquo modo Democratiæ eſt. De Eccleſia Teſtamenti noui poſteà probabimus, eſſe in eà ſummi Pontificis Monarchiam, atque Epiſcoporum (qui veri principes, & paſtores, non vicarij Pont. Max. ſunt) Ariſtocratiam: ac demum ſuum quendam in ea locum habere Democratiam, cùm nemo ſit ex omni Chriſtiana multitudine, qui ad Epiſcopatum vocari non poſsit, ſi tamen dignus eo munere iudicetur. *Prob. 2.* *Exod 18.* *Exod. 18.* *Deut. 1.*

Tertia propoſitio prob. Nam ſi ea de cauſſa mixtum regimen inter homines Monarchiæ ſimplici anteponimus, quòd nequeat vnus homo omnibus locis adeſſe, & neceſſariò cogatur, aut per adminiſtros vicarios ſuos, aut per principes negotia Reip. procurare; certè hac perſonæ circumſtantia, & alijs, ſi quæ ſunt eiuſmodi generis, excluſis, nulla erit ratio, cur ſimplex Monarchia alijs formis regiminis non præferatur. *Prob. 1.* *Propoſ. 3.*

Sed aliud præterea efficacius argumentum habemus. Siquidem Monarchia ſimplex in imperio Dei, & Chriſti locum habet: debent autem Deo, & Chriſto optima quæque attribui: ergò optimum regimen ſimplicem Monarchiam eſſe neceſſe eſt. Si quis autem id negare voluerit, non video quemadmodum in Marcionis, ac Manichæi, atque etiam Ethnicorum errorem non prolabatur. Nam, cùm mundus ab effectore ſuo ſine controuerſia optimè gubernetur; ſi Ariſtocratia præſtantiſsima eſt forma regiminis, multi erunt mundi huius moderatores & quod inde ſequitur, multi effectores, multa principia prima, multi Dij. *Prob. 2.*

CAPVT

CAPVT II.

Debeatne Eccleſiaſticum regimen eſſe Monarchicum?

IN tribus nobis cum aduerſarijs conuenit. Vnum eſt, in Eccleſia eſſe
Cant. 6. aliquod regimen. Nam dicitur: *Caſtrorum acies ordinata.* Et: *Attendite*
Act. 20. *vobis, & vniuerſo gregi, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*
Hebr 13. Et: *Obedite præpoſitis veſtris.* Secundum eſt, regimen Eccleſiaſticum eſſe ſpirituale, & diſtinctum à politico. Quando enim Paulus dicebat: *Qui præeſt, in*
Rom. 12. 1. Tim. 5. *ſollicitudine.* Et: *Qui bene præſunt, duplici honore digni habeantur*; & ſimilia, nondum erant vlli, aut certè rariſsimi in Eccleſia ſæculares Principes. Tertium eſt, Regem abſolutum, & liberum totius Eccleſiæ, ſolum Chriſtum eſſe, de quo
Pſal. 2. dicitur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius.* Atque:
Luce 1. *Et regni eius non erit finis.* Itaque non quæritur in Eccleſia abſoluta, & libera Monarchia, vel Ariſtocratia, vel Democratia; ſed talis, qualis eſſe poteſt miniſtrorum, & diſpenſatorum, cùm dicat Paulus:
1. Cor 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, ac diſpenſatores myſteriorum Dei.* Iam vero Doctores Catholici in eo conueniunt omnes, vt regimen Eccleſiaſticum hominibus à Deo commiſſum ſit illud quidem Monarchicum, ſed temperatum ex Ariſtocratiâ, & Democratiâ.

Propoſ. 1. Propoſitio prima. *Regimen Eccleſiæ non eſt præcipuè penes populum.* Prob. primo
Prob. 1. ex quatuor rebus, quæ ineſſe debent in omni populi gubernatione.

Primo; Vbi eſt populare regimen, magiſtratus ab ipſa plebe conſtituuntur, atque ab eâdem auctoritatem ſumunt. Cùm enim plebs per ſe ad ius dicendum ſedere non poſsit, debet ſaltem alios conſtituere, qui nomine ſuo id faciant. Quocirca M. Tullius conſulatum, qui ſummus erat in Rep. Rom. magiſtratus, populi beneficium vocat.

Secundò; vbi eſt populare regimen, appellatur à ſententia magiſtratus in rebus grauioribus ad iudicium populi. Id conſuetum fuiſſe in Rep. Rom. Liuius docet, & Plutarchus.

Tertiò; Leges, quibus Reſp. gubernanda eſt, à magiſtratu quidem proponuntur, ſed à populo iubentur.

Quarto; Accuſari ſolent magiſtratus apud populum, nec non dignitate priuari, & in exilium deportari, vel etiam morte mulctari, ſi ita populo videatur. Exempla ſunt plurima.

Romani enim ex duobus primis Conſulibus, quos creauerant, Tarquinium Collatinum, ſolùm propter odioſum nomen Tarquiniorum, ante tempus magiſtratu priuarunt: ijdem, cum Decemuiros creaſſent, eoſdem poſteà inuitos depoſuerunt. Iam quod nihil horum conueniat Chriſtianæ plebi, eſt

bi, eſt facillimum demonſtrare. De primo ſatis conſtat, quod in tota Script. non eſt vnum verbum, quo detur auctoritas plebi creandi Epiſcopos, vel Presbyteros: eſt autem, quo detur Epiſcopo talis auctoritas: *Huius rei gratiâ reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Deinde; Apoſtoli, qui primi fuerunt Eccleſiæ miniſtri, à Chriſto, non ab Eccleſiâ, leguntur electi, & conſtituti. *Tit. 1.* *Marc. 6.*

Primi quoque Epiſcopi poſt Apoſtolos, quo tempore puriſsima erat Eccleſia, non à populo, ſed ab Apoſtolis facti ſunt. Neque ſecundum conuenit plebi Chriſtianæ. Nuſquam enim eſt auditum in Eccleſia, vt appellaretur ab Epiſcopis ad populum, neque vt populus abſoluerit, quos Epiſcopus ligauerat, vel ligauerit, quos Epiſcopus ſoluerat. Neque etiam vnquam accidit, quod populus iudicauerit de controuerſijs fidei: at nos proferimus multa iudicia Epiſcoporum, & præcipuè ſummi Pontificis, quæ extant in tomis Conciliorum.

Adde, quòd ſint innumera Scripturæ, Conciliorum, & Patrum teſtimonia, quibus probatur, nullo modo conuenire Chriſtianæ plebi, exercere iudicia eccleſiaſtica.

Porrò tertium minùs conuenit plebi. Omnes enim leges Eccleſiaſticæ, vel à Pontificibus, vel à Concilijs inueniuntur latæ, nec vnquam eſt expectatum ſuffragium populi, vt ex eo cenſerentur auctoritatem habere. Hinc B. Paulus tranſiens Syriam, & Ciliciam, præcipiebat populis, vt cuſtodirent præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum. *Act. 15.*

Nulla autem extat lex, quæ dici poſſet plebiſcitum in Eccleſia, quales leges permultæ extabant in Rep. Romanorum. Denique illud poſtremum minimè omnium conuenit. Nullus enim poterit oſtendi Epiſcopus, qui à populo fuerit vel depoſitus, vel excommunicatus; cum plurimi inueniantur depoſiti, & excommunicati à ſummis Pontificibus, & Concilijs generalibus.

Prob. ſecundò propoſitio à ſapientiâ Dei. Non enim credibile eſt, Chriſtum, Regem ſapientiſsimum, inſtituiſſe in Eccleſiâ ſuâ illud regimen, quod eſt omnium deterrimum. Deterrimum autem regimen eſſe Democraticum, patet ex Philoſophis, & Patribus, & ratione. Nam non poteſt non peſsimum eſſe regimen, vbi ſapientes reguntur à ſtultis, periti ab imperitis, boni à malis. *Prob. 2.*

Tale autem eſt regimen Democraticum; nam vbi viget Democratia, plurium ſuffragijs omnia ſtatuuntur. Conſtat autem ſemper plures eſſe ſtultos, quàm ſapientes; malos, quàm bonos; imperitos, quàm peritos.

Poſtremò prob. propoſitio; Si plebs haberet auctoritatem aliquam in Eccleſia gubernandi, vel eam à ſe haberet, vel ab alio: non à ſe, quia non eſt de iure naturæ, vel gentium hæc poteſtas; ſed de iure diuino, & ſupernaturali. Non enim eſt ſimilis ciuili poteſtati, quæ eſt in populo, niſi à populo transferatur in Principem. Neque habet plebs ab alio. Debet enim à Deo habere, ſi ab alio habet. At à Deo non habet, ſiquidem in libro Dei, id eſt, in ſacris litteris, nuſquam traditur populo poteſtas docendi, paſcendi, regendi, ligandi, ſoluendi; ſed ſemper populus vocatur grex, qui paſci debeat. Petro autem *Prob. 3.*

Ioan. vlt. Act. 20. dicitur: *Paſce oues meas.* Et. *Epiſcopos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei.* Habemus igitur non eſſe popularem Eccleſiæ gubernationem.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Eccleſiaſticum regimen non eſt penes Principes ſæculares.* Duo *Duo errores.* Brentij errores ſunt. Primus, Optimates Eccleſiæ eſſe principes ſęculares. Alter eſt, ad hos optimates curam, & regimen Eccleſiæ præcipuè pertinere. Quos etiam errores habuit Henricus VIII. Angliæ Rex. Is enim ſe caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, & eodem modo cenſuit alios principes capita ſuprema Eccleſiæ in ſuis ditionibus eſſe debere.

1. Error refutatur. 1. Pſal. 44. Primus error facilè refutatur primò ex illis verbis: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi Filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram.* Sic enim hunc locum B. Auguſtinus exponit, *Pro patribus*, id eſt, Apoſtolis, *nati ſunt filij*, id eſt, fideles multi, quos Deus conſtituit Epiſcopos, & eo modo principes ſuper omnem terram. Nec multò aliter Græci Patres Chryſoſtomus, Theodoretus, exponunt, qui per patres Patriarchas; per filios principes Apoſtolos intelligunt. *1 Cor. 12. Epheſ. 4.* Item Apoſtolus: *Deus*, inquit, *in Eccleſiâ poſuit primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores, & Doctores.* Si primi ſunt Apoſtoli, qui Epiſcopi fuerunt, & quibus Epiſcopi ſuccedunt; certè primi non ſunt reges, & principes ſęculares. *Refutatur. 2 & 3.* Secundò refutatur ex Patribus ille error. Tertiò ex geſtis Epiſcoporum, & Regum. Nam Fabianus Papa primum Imperatorem Chriſtianum, Philippum, excluſit à communione Sacramenti altaris, in die Paſchatis, propter quædam ipſius peccata publica: nec anteà eum admiſit, quàm ille confeſſione, & pœnitentiâ peccata purgauit. Scribit Euſeb.

Li. 6. hiſtor. c. 25. Item Conſtantinus apertè profeſſus eſt, de Epiſcopis ſe iudicare non poſſe, vt qui Dij quidem ſint: ſed contra potiùs, eorum ſe eſſe ſubiectum iudicio. Scribit Ruffinus.

Li. 1. hiſtor. c. 2. Theodoſium ſeniorem B. Ambroſius ab Eccleſiæ liminibus expulit, & pęnitentiam publicam ſubire coëgit, ac deinde cùm Imperator in Eccleſiâ ad loca ſacerdotum aſcendere, atque ibidem ſedere vellet, iuſſit eum Ambroſius deſcendere, & cum plebe conſiſtere; quod ille libenter fecit. Scribit Theodoretus.

Li. 5. hiſtor. c. 17. Denique Maximus Imper. cùm in conuiuio ſederet, aſsidente quoque B. Martino, & pincerna primum calicem Imperatori, vt omnium nobiliſsimo, vellet offerre, ille ad Epiſcopum miſit, qui non recuſauit, ſed primus bibit, & poſteà non Imperatori, ſed Presbytero ſuo, calicem tradidit. Scribit Sulpitius.

In vita S. Martini. Refutatur 4. Heb. 7. Poſtremò refellitur error duplici ratione. Primùm; Epiſcopus Regem inungit, docet, ligat, ſoluit, benedicit: Ait autem Apoſtolus: *Sine contradictione minor à meliore benedicitur.* Præterea; Principatus ſęcularis inſtitutus eſt ab hominibus, eſtque de iure gentium: at principatus Eccleſiaſticus eſt à ſolo Deo, & de iure diuino. Ille regit homines, vt homines ſunt, & magis ratione corporum, quàm animarum: iſte verò, vt Chriſtiani ſunt, & magis ratione animarum, quàm corporum. Ille habet pro fine temporalem quietem, & ſalutem populi: iſte vitam, & fœlicitatem ſempiternam. Ille vtitur naturalibus legibus, & inſtitutis humanis: iſte legibus diuinis, & Sacramentis diuinis inſtitutis. Ille gerit bella cum hoſtibus paucis, & viſibilibus:

bilibus: iſte cum inuiſibilibus, & infinitis.

Poſterior error ex ijs, quæ dicta ſunt, facilè refutatur. Si enim principes non ſunt Eccleſiæ optimates, ad eos non pertinet Ariſtocratia Eccleſiæ. Poſſunt etiam adiungi hæc argumenta. Primum; Regimen Eccleſiæ ſupernaturale eſt: nemini igitur conuenit, niſi cui Deus commiſit. Legimus autem in Scripturis, commiſſum Apoſtolis, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus. Nam Petro Apoſtolo dictum eſt: *Paſce oues*. Et de Epiſcopis dicitur: *Quos poſuit Deus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. De Regibus nihil eiuſmodi vſquam legimus. Deinde; Ad annos fermè CCC. nullus fuit in Eccleſiâ ſęcularis princeps, excepto ſolùm Philippo Imperatore, qui breuiſsimo tempore ſuperuixit: & fortè aliquis alius in prouincijs non ſubiectis imperio Romano: & tamen eadem fuit Eccleſia, quæ nunc eſt, & eandem habuit regiminis formam: non igitur principes ſæculi ſunt, qui Chriſti Eccleſiam regunt.

Poſterior error refutatur.

Ioan vlt. *Act. 20.*

Item qui habent ſummam poteſtatem in Rep. ij poſſunt omnia, quæ inferiores Magiſtratus poſſunt. At non poſſunt Reges officium Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi ſibi vſurpare: qualia ſunt, Verbum Dei prędicare, baptizare, conſecrare, non igitur ſunt Reges ſupremi Eccleſiæ magiſtratus. Non poſſe autem Reges officia ſacerdotum inuadere, probamus: nam Reges non ſolùm viri, ſed etiam fœminæ eſſe poſſunt: at fęminas publicè docere Apoſtolus prohibet. Deinde Ioſaphat, Rex optimus: *Amarias*, inquit, *Sacerdos, & Pontifex in omnibus, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*. Et cum Ozias rex vellet thus adolere, prohibuit eum Pontifex dicens: *Non eſt tui officij, Ozia, adolere incenſum Domino, ſed ſacerdotum*. Et cùm ille perſeueraret continuò grauiſsimâ leprâ diuinitùs percuſſus eſt. Multò ergò minùs hoc licitum eſt in Teſtamento nouo. Quod idem patet ex Concilijs, & Patribus.

1. Cor. 14. *1. Tim 2.* *2. Paral. 19.* *2 Paral. 26.*

Propoſitio tertia: *Regimen Eccleſiæ non eſt præcipuè penes Epiſcopos*. Duo hic Caluini errores ſunt. Prior eſt, Epiſcopos, & Presbyteros, iure diuino pares eſſe. Poſterior, in cætu ſeniorum ſupremam Eccleſiæ poteſtatem reſidere. Prior error refutatur ex poſteriore, ſiquidem hi duo inter ſe pugnant. Si enim Eccleſia regitur ab optimatibus, vt habet ſecundus error, certè Presbyteri non ſunt optimates: vel ſi Presbyteri ſunt optimates, Eccleſia non regitur ab optimatibus, vt habet ſecundus error. Conſtat enim in Concilijs generalibus, in quibus de adminiſtratione totius Eccleſiæ agitur, & vbi leges, quibus Eccleſia regitur, feruntur, vel abrogantur, nunquam interfuiſſe Presbyteros cum auctoritate definiendi, niſi eſſent Legati, & locum tenerent aliquorum Epiſcoporum, vt patet ex actis Conciliorum.

Propoſ. 3. *Duo errores.* *Prior refutatur.*

Poſterior error confutatur primò: Nuſquam in Scripturâ legitur collata ſumma poteſtas Concilio ſacerdotum. Quæcumque enim auctoritas Apoſtolis, cæteriſque diſcipulis conceſſa à Chriſto eſt, non ſolùm omnibus, ſed etiam ſingulis conceſſa eſt; neque ad eam exercendam erat opus Concilio. Poterát enim ſine dubio Apoſtoli ſinguli, & poſſunt etiam nunc ſinguli Epiſcopi docere, baptizare, ſoluere, ligare, ordinare Miniſtros, &c.

Poſterior refutatur. 1.

Secundò; Si penes optimates eſſet Eccleſiæ regimen, ſequeretur Eccleſiam ferè ſemper carere rectoribus, &, vt pluſimùm, neminem eſſe, cui curæ ſit

Refutatur 2.

ſit commune bonum: proinde Remp. Eccleſiaſticam omnium eſſe miſerrimam. Optimates enim, cùm pares inter ſe ſint, non poſſunt commune bonum, vt par eſt, adminiſtrare, niſi vel congregati ſint, vel aliquem elegerint communi conſenſu magiſtratum, cui omnes obediant: quemadmodum Romani ſuos Conſules eligebant. At in Eccleſia rariſsimè congregantur optimates ad generale Concilium.

Primis enim C C C. annis nulla fuit congregatio generalis: poſteà verò, vix centeſimo quoque anno. Magiſtratum autem, cui Eccleſia vniuerſa, ſaltem ad tempus, pareret, nullum vnquam optimates illi crearunt. Nam, ſi creaſſent vnum, is maximè fuiſſet ex primarijs quinque Patriarchis, qui ſemper in Eccleſia præ cæteris emicuerunt: At Patriarcham Rom. nunquam habuiſſe hanc poteſtatem, aduerſarij contendunt. De cæteris quatuor res eſt certiſsima: nunquam enim Alexandrinus Patriarcha aliquid iuris habuit extra Ægyptum, neque alij extra ſuas regiones.

Refut. 3. Tertiò; Si eſſet in cętu optimatium ſumma poteſtas, quò numeroſius cogeretur Concilium, eò plus haberet auctoritatis: neque vnquam euenire poſſet, vt minori Concilio plus tribueretur, quàm maiori.

At Concilium Ariminenſe Epiſcoporum D C. nullius vnquam auctoritatis in Eccleſia Catholica habitum eſt.

Concilium autem primum Conſtantinopolitanum C L. Epiſcoporum, ſummæ ſemper auctoritatis fuit.

Ac nos quidem Catholici huius rei cauſſam reddimus, quòd illud fuerit à Pont. ſummo, in quo eſt ſumma Eccleſiæ poteſtas, reprobatum: Hoc autem confirmatum. Qui autem ſummam poteſtatem tribuunt optimatibus, nullam huius rei cauſam adferre poſſunt.

Refut. 4. Quartò; Tametſi Democratia eſt abſolutè peſsimum regimen, tamen Eccleſiæ pernicioſior eſſe videtur Ariſtocratia. Siquidem ſummum Eccleſiæ malum hæreſis eſt; Hæreſes autem ab optimatibus potiùs, quàm à plebeis hominibus excitantur. Certè hæreſiarchæ ferè omnes aut Epiſcopi, aut Preſbyteri fuerunt.

Itaque ſunt hæreſes, quaſi quędam optimatium factiones, ſine quibus nullæ eſſent in Eccleſia populorum ſeditiones. Factiones autem nunquam faciliùs, aut frequentius oriuntur, quam cùm optimates regunt, vt patet experimento, & Philoſophorum teſtimonio.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Regimen eccleſiaſticum præcipuè Monarchicum eſſe debet.*

Prob. 1. Prob. primò, quia tres ſunt regiminis formæ, & iam probatum eſt, Eccleſiæ regimen nec eſſe Ariſtocraticum, nec Democraticum, quid aliud ſupereſt, quam vt ſit Monarchicum?

Deinde; ſi Monarchia eſt optimum, & præſtantiſsimum regimen, certum eſt, Eccleſiam Dei à ſapientiſsimo Principe Chriſto inſtitutum, optimè gubernari; quis inficiari poteſt eius regimen debere eſſe Monarchicum?

Prob. 2. Prob. ſecundò, à ſimilitudine, quam habet Eccleſia mortalium hominum cum Eccleſiâ immortalium Angelorum. Siquidem certum eſt, iſtam illius *Heb. 8.* exemplar, & quaſi ideam quandam eſſe, vt Apoſtolus indicare videtur: ideoque Bernardus militantem Eccleſiam in Apocal. *Hieruſalem nouam deſcenden-*

tem de cœlo,appellatam eſſe dicit; propterea,quòd ad exemplum cœleſtis illius ciuitatis inſtituta,& conformata ſit.Nec minùs certum,inter Angelos, præter ſummum Regem omnium, Deum, eſſe vnum, qui alijs omnibus præſit. At initio quidem præditum hâc dignitate eum fuiſſe, qui nunc diabolus dicitur,teſtantur Patres,& deduci poteſt ex Iob: Nam Behemeth, id eſt,diabolus,dicitur *principium viarum Domini.* Et apud Iſaiam comparatur Lucifero,id eſt,ſtellarum maximæ, & pulcherrimæ,ſaltem quoad apparentiam, & vulgi opinionem,ad quam ſe Scripturæ accommodare ſolent. *Iob 40.* *Iſa. 14.*

Hunc autem Luciferum eſſe diabolum, docent Patres. Et apud Ezechielem: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Et mox enumerantur nouem lapides,quibus ſignificantur, vt Gregorius exponit, nouem Chori Angelorum, qui hunc Angelum,tanquam principem ſuum,circumſtabant. *Ezech. 28.*

Poſt caſum verò diaboli S. Michaëlem principem eſſe omnium Angelorum,colligitur ex Apocalypſi: *Michaël,& Angeli eius:* id eſt,Michaël,& exercitus eius. Vt enim, cùm ibidem dicitur, *Diabolus,& Angeli eius*, intelligimus, omnes Angelos malos diabolo eſſe ſubiectos, vt milites Imperatori: ita cùm dicitur: *Michaël,& Angeli eius*,intelligere debemus,omnes Angelos bonos Michaëlem principem ſuum agnoſcere. Quocirca rectè in Eccleſiaſtico officio S. Michaël paradiſi præpoſitus, & princeps cœleſtis militiæ nominatur. *Apoc. 12.*

Prob. tertiò, propoſitio ex Eccleſia Teſtamenti veteris. Conſtat enim, Teſtamentum vetus fuiſſe figuram noui, teſte Apoſtolo: *Hæc omnia contingebant illis in figura.* Tempore autem Teſtamenti veteris ſemper fuit vnus, qui omnibus præerat in ijs,quæ ad legem,& religionem pertinebant. Ac præſertim ab eo tempore,quo cæperunt Hebræi redigi ad formam populi,& gubernari legibus, & magiſtratibus: quod fuit poſt egreſsionem ab Ægypto. Tunc enim Moyſes ordinauit Remp. Iudæorum,ſcripſit eis leges,quas à Deo acceperat, Aaronem conſecrauit Pontificem,eique vni Sacerdotes omnes,& Leuitas ſubiecit. *Prob 3.* *1. Cor. 10.*

Ac deinde, vſque ad Chriſti tempora, nunquam defuit vnus princeps ſacerdotum, qui omnes Synagogas totius mundi gubernaret.

Prob. quartò,ab ijs ſimilitudinibus,quibus Eccleſia in Script. deſcribitur. Omnes enim oſtendunt,neceſſariò in Eccleſia debere eſſe vnum caput. Comparatur Eccleſia *exercitui ordinato*: Corpori humano, ſeu *mulieri ſpecioſæ*: *Regno*: *Ouili*: *Domui*: *Naui*, ſeu *Arcæ Noë*: Iam nulla ſunt caſtra ordinata, vbi non ſit vnus Imperator,multi Tribuni plures Centuriones,&c. *Prob. 4.* *Cant. 6.* *Cant. 7.* *Dan. 2.* *Ioan. 1.*

Pari ratione in quolibet corpore humano vnum eſt caput. Ac ne fortè dicas, habet Eccleſia ſuum caput Chriſtum; propterea non comparamus hoc loco Eccleſiam cum Chriſto, vt membra cum capite, ſed vt ſponſam cum ſponſo,quâ ſimilitudine Scripturæ vtuntur. *1. Tim. 3.* *1. Pet. 3.* *Apoc. 21.* *2. Cor. 11.*

Ac profectò ſi Eccleſia,quæ eſt in terris, Chriſto ſecluſo, non ineptè comparatur ſponſæ: ſecluſo etiam Chriſto,vnum caput habere debet. Præſertim cùm diſertè inter alia eius membra, etiam caput numeretur. *Caput tuum*, inquit ſponſus ad ſponſam, *ſicut Carmelus*. Et ſponſa de ſponſo: *Caput eius aurum optimum.* Et ſponſus quidem comparat caput ſponſæ monti Carmelo, quoniam *Epheſ. 5.* *Cant. frequent.* *Cant 7.* *Cant 5.*

niam etſi ſummus Pontifex vnus eſt mons, tamen nihil aliud eſt, quàm terra, id eſt, homo. Comparat autem ſponſa ſponſi caput auro, quia caput Chriſti Deus eſt. Iam verò quod vnquam regnum fuit, quod non regeretur ab vno? Et quanquam Rex Eccleſiæ Chriſtus eſt, tamen ex eo colligimus, Eccleſiam habere debere præter Chriſtum aliquem vnum, à quo regatur, quòd regna ſemper adminiſtrentur regiè, id eſt, per vnum, qui omnibus præſit, & ſiquidem Rex pręſens eſt, per ſe id facit: ſi abeſt, per alium, qui dicitur Prorex. Sæpe etiam, Rege pręſente, generalis aliquis vicarius conſtituitur.

Quòd verò ouile vnum paſtorem quoque vnum requirat, ex Euangelio
Ioan. 10. colligitur: *Fiet vnum ouile*, inquit Dominus, *& vnus paſtor*. Vbi obiter notandum, poſſe illud; *& vnus paſtor*, intelligi de paſtore ſecundario, id eſt, de Petro, eiuſque ſucceſsoribus, vt Cyprianus exponit. Nam, cùm Dominus *alias oues habere ſe dicit, quæ non ſunt ex hoc ouili*, de populo Gentili, & Iudęorum loquitur: ac docet, ſe habere inter gentes multos electos, qui vel iam fideles ſint, vel certè futuri ſint, & tamen ad populum illum Iudaicum non pertineant. Quamuis autem, ſi de Paſtore Deo agatur, ſemper fuerint populus Iudęorum & populus Gentilium vnum ouile, & Deus vnus eorum paſtor: non tamen ſemper fuerunt vnum ouile, & vnus paſtor, reſpectu gubernationis humanæ. Nec enim Gentiles, vel qui inter eos ad Eccleſiam pertinebant, à Iudęorum Pontifice regebantur. At voluit, poſt aduentum ſuum Chriſtus ex vtroque populo vnum ouile fieri, omneſque homines ab vno Paſtore homine gubernari.

Omnis etiam domus vnum habet Dominum, & vnũ Oeconomum, iuxta illud: *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituet Dominus ſuper*
Lucæ 12. *familiam ſuam?* Quæ verba dicuntur Petro, & de ipſo Petro. Nam paulò antè, cùm Dominus dixiſſet: *Beati ſerui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes*; quęſiuit Petrus: *Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Reſpondit Dominus Petro: *Quis, putas, eſt fidelis diſpenſator*, &c. Quaſi diceret: Tibi, O Petre, inprimis dico: tibi enim incumbit cogitare, quid requiratur in Oeconomo fideli, & prudenti, quem conſtituet Dominus ſuper familiam ſuam. Et paulò pòſt, vt oſtendat, ſe loqui de vno, qui præſit omnibus conſeruis, & qui ſoli Domino ſubijciatur, ſubiungit: *Quòd ſi dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo; moram facit Dominus meus venire; & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, & manducare, & bibere cum ebrioſis: veniet Dominus ſerui illius in die, quâ non ſperat, & horâ, quâ neſcit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Quibus verbis Dominus apertè indicat, ſe vnum ſeruum toti domui ſuæ præpoſiturum, qui à ſe ſolo iudicari poſsit.

Prob. 5. Prob. quintò à primordijs gubernationis Eccleſiæ. Nam conſtat, Eccleſiam à Chriſto congregatam cœpiſſe initio regimen viſibile, & externum habere Monarchicum, non Ariſtocraticum, aut Democraticum. Chriſtus enim, cùm in terris degeret, eam viſibiliter adminiſtrabat, vt ſummus eius paſtor, & rector. Ergò etiam nunc habere debet Eccleſia externum, & viſibile regimen Monarchicum: alioqui non eſſet Eccleſia, quæ nunc eſt, eadem ciuitas Dei cum illâ. Ciuitas enim, vt docet Philoſophus, dicitur eadem ſpecie, donec remanet eadem forma Reip. id eſt, communis gubernationis modus,

quo

quo mutato mutatur etiam ciuitas.

Prob. ſextò propoſitio à ſimili. Rectè in locis ſingulis ſinguli conſtituuntur Epiſcopi, qui ceteris omnibus eius loci miniſtris, & paſtoribus præſint. Rurſus, in prouincijs ſingulis rectè conſtituuntur Metropolitani ſinguli, qui ſuæ prouinciæ Epiſcopis præſideant; & in maioribus vrbibus Primates, ſeu Patriarchæ, qui curam ſuſcipiant ampliorem. Ergò æquum eſt, vt ſit etiam vnus aliquis, qui toti Eccleſiæ pręſit, & cui Primates quoque, & Patriarchæ ſubijciantur. Nam, ſi Monarchicus principatus conuenit vni ciuitati, vni prouinciæ, vni nationi; cur non etiam Eccleſiæ vniuerſæ. *Prob. 6.*

Prob. ſeptimò: à propagatione Eccleſiæ. Nam Eccleſia ſemper creuit, & creſcere debet, donec in toto mundo prędicatum ſit Euangelium: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo mundo, & tunc veniet conſummatio.* Non autem poteſt id fieri, niſi ſit vnus ſummus Eccleſiæ pręſul, cui ſollicitudo incumbat totius huius corporis conſeruandi, & propagandi. Nam nemo debet prędicare, niſi mittatur: *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur.* Mittere autem in alienas prouincias, non eſt Epiſcoporum particularium. Illi enim habent ſuos certos fines Epiſcopatus ſui, extra quos nullum ius habent, nec ad eos pertinet cura, niſi tuendi gregis ſibi aſsignati. *Prob. 7.* *Matth. 24.* *Rom. 10.*

Prob. octauò, ex vnitate fidei. Neceſſe eſt enim, vt omnes fideles idem omninò ſentiant in rebus fidei. *Eſt enim vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* At vna fides in Eccleſia eſſe non poteſt, ſi non ſit vnus ſummus Iudex, cui omnes acquieſcere teneantur. Ratio etiam docet: Cum enim multi ſint pares, vix fieri poteſt, vt in rebus obſcuris, & difficilibus, vllus velit alterius iudicium ſuo anteponi. *Prob. 8.* *Ephеſ. 4.*

CAPVT III.

Fueritne Apoſtolus Petrus Eccleſiæ totius caput & princeps loco Chriſti, ab ipſo Chriſto conſtitutus?

AFFIRMATIVAM partem docent Catholici. Prob. primo duobus locis Euangelij, in quorũ altero promittitur, in altero exhibetur. Prior locus eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quorum verborum planus, & obuius ſenſus eſt, vt intelligamus, ſub duabus metaphoris promiſſum Petro totius Eccleſiæ principatum. Prior metaphora eſt fundamenti, ac ędificij. Quod enim eſt in ędificio fundamentum, id eſt, in corpore caput, in ciuitate rector, Rex in regno, paterfamilias in domo. *Prob. 1.* *Primatus Petri.* *Matth. 16.*

Poſte-

Poſterior eſt clauium. Qui enim traduntur claues ciuitatis, ille inſtituitur Rex, vel certè gubernator ciuitatis, qui, quos vult, admittat; quos vult excludat.

Quæſt. 1. *Reſp.* Quæſtiones igitur quatuor hîc explicandæ ſunt. Prima: *An Petrus ſit illa petra, ſuper quam fundatur Eccleſia?*

De hâc communis Catholicorum ſententia eſt, petram illam eſſe Petrum, id eſt, illam perſonam, quæ dicitur Petrus: non tamen vt perſona erat particularis, ſed vt paſtor, & caput Eccleſiæ.

Prob. 1. Hæc deducitur primum ex ipſo textu. Nam illud pronomen, *Hanc*, cum dicitur, *Et ſuper hanc petram*, demonſtrat aliquam petram, de quâ paulò antè Dominus ſit locutus: proximè autem Dominus Petrum vocauerat petram; *Ioan. 1.* Syriacè enim loquebatur, & ſyriacâ linguâ Petrus dicitur Cephas. Cephas autem petram ſignificat: nam vbicunque in textu Hebræo eſt petra, in Syriaco eſt Cepha. Dixit ergò Dominus: Tu es Cepha, & ſuper hoc Cepha: vel Latinè, *Tu es petra, & ſuper hanc petram*, &c. Ex quo ſequitur, illud, *Hanc*, non poſſe referri, niſi ad Petrum, qui eo loco vocatus eſt petra. At cur Latinus interpres non vertit, Tu es petra? Quod Græcum codicem ſit ſecutus. Non enim vertit ex Syriacô, ſed ex Græcô: σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν μου. Cur autem Græcus interpres non verterit: σὺ εἶ πέτρα, καὶ ἐπὶ ταύτῃ πέτρᾳ. Cauſa eſt, quoniam, cùm apud Græcos tam πέτρος, quàm πέτρα ſignificet lapidem, viſum eſt interpreti, commodiùs homini nomen maſculinum, quàm fœmininum tribuere.

Deinde verò ad explicandam metaphoram, ſecundo loco non voluit dicere, ἐπὶ τῷ πέτρῳ. Quod fuiſſet ambiguum: ſed ἐπὶ τῇ πέτρᾳ. Quod nihil aliud, quàm ſaxum ſignificat. *Prob. 2.* Accedat conſenſus Eccleſiæ totius, & Græcorũ, ac Latinorum Patrum.

Quæſt. 2. Secunda quæſtio eſt: *Quid ſit ſuper Petram ædificari Eccleſiam?*

Reſp. Catholici docent, hâc metaphorâ ſignificari, Petro eſſe commiſſum regimen totius Eccleſiæ, & præcipuè circa fidem. Petræ enim fundamentali hoc eſt proprium totum ædificium regere, & ſuſtentare. Atque hoc modo exponunt Patres. *Obiect.* Dices: Omnes Apoſtoli etiam dicuntur fundamenta: *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* *Pſal. 86.* Id eſt, vt exponit Auguſtinus, in Apoſtolis, & Prophetis. *Apoc 21.* Et: *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in eis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* *Ephes. 2.* Et: *Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Nihil igitur proprium, & ſingulare Petro datum, vel promiſſum eſt.

Solut. Reſpondeo, tribus modis Apoſtolos omnes fuiſſe Eccleſiæ fundamenta, ſine vllo tamen Petri præiudicio. Vno modo, quia ipſi primi Eccleſias vbique fundarunt. Nec enim Petrus conuertit ad fidem totum orbem terrarum; ſed alias regiones Petrus, alias Iacobus, alias cæteri ad Chriſtum adduxerunt. *Rom. 15.* Quare B. Paulus: *Sic*, inquit, *prædicaui, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* *1. Cor 3.* Et: *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Atque hoc modo ex æquo ſunt Apoſtoli fundamenta. Idque ſignificatum credimus in Apoc. Altero, modo dicuntur fundamenta Eccleſiæ, Apoſtoli, & Prophetæ, ratione doctrinæ à Deo reuelatæ. Siquidem fides

Eccleſiæ nititur reuelatione, quam habuerunt à Deo Apoſtoli, & Prophetæ. Nec enim ſemper reuelantur Eccleſiæ noui articuli, ſed in eâ doctrinâ Eccleſia acquieſcit, quam Apoſtoli, & Prophetæ à Domino didicerunt, & prædicatione, vel litteris ad Apoſtolos mandauerunt. Atque hâc ratione ſuperædificamur, vt Apoſtolus ait ad Epheſ. Nec in his duobus maior eſt Petrus cæteris.

Tertio modo dicuntur fundamenta omnes Apoſtoli ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt capita, rectores, & paſtores Eccleſiæ vniuerſæ: ſed non eodem modo, quo Petrus. Illi enim habuerunt ſummam, atque ampliſſimam poteſtatem, vt Apoſtoli, ſeu legati; Petrus autem, vt paſtor ordinarius.

Deinde, ita habuerunt plenitudinem poteſtatis, vt tamen Petrus eſſet caput eorum, & ab illo penderent; non è contrario. Atque hoc eſt, quod promittitur Petro, cùm ei ſoli coram alijs dicitur: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* *Matt. 16.*

Tertia dubitatio eſt de perſonâ, cui dicitur: *Tibi dabo claues.* *Quæſt. 3.*

Notandum autem, duobus modis potuiſſe Petrum perſonam Eccleſiæ gerere; Hiſtoricè, & parabolicè.

Hiſtoricè perſonam gerere. Hiſtoricè is gerit perſonam alterius, qui re aliquâ verè à ſe geſtâ, rem ab alio gerendam ſignificat, & eam quodammodò repræſentat. Sic Abraham verè duos filios habens, Deum ſignificauit, qui duos populos habiturus erat; vt Apoſtolus expoſuit. Sic Martha ſollicita circa frequens miniſterium, & Maria ſedens ſecus pedes Domini, duas vitas demonſtrarunt, quarum altera in actione, altera in contemplatione verſatur. *Gal. 4.*

Parabolicè perſonam gerere. Parabolicè per vnum aliud ſignificatur, quando res verè geſta nulla proponitur, ſed aliquid veriſimile fingitur ad aliud ſignificandum. Quomodo in Euangelio, qui ſeminat bonum ſemen, Chriſtum prædicantem ſignificat. Nos ergò priore modo Petrum Eccleſiæ perſonam geſsiſſe dicimus?

Ita nimirum, vt ipſe verè, & principaliter, ac immediatè claues acceperit, & ſimul eas accipiendo ſignificauerit, vniuerſam Eccleſiam ſuo quodam modo poſteà accepturam. *Reſp.*

Prob. primò, quia tot modis Chriſtus Petri perſonam deſignauit, vt non pluribus circumſtantijs (quod rectè Caietan. notauit) deſcribere ſoleant aliquem certum hominem notarij illi, qui inſtrumenta publica conficiunt. Nam inprimis expreſsit ſubſtantiam perſonæ ſingularis, per pronomen, *Tibi*; deinde addidit nomen inditum in natiuitate, cùm ait; *Beatus es Simon*: adiunxit nomen Patris, cùm ait: *Filius Ionæ*: nec omittere voluit nomen à ſe recens impoſitum: *Et ego dico tibi*, inquit, *quia tu es Petrus*. Quorſum tam accurata deſcriptio, ſi nihil ipſi Petro propriè promittitur? Deinde non erat eo tempore Petrus Eccleſiæ legatus, aut Vicarius. Quis enim eiuſmodi prouinciam illi impoſuerat? non igitur ſuſpicari poſſumus, nomine illum Eccleſiæ, & non potiùs ſuo, claues accepiſſe. *Prob.* *Matt. 16.*

Præterea; Illi propriè claues promittuntur, qui dixerat: *Tu es Chriſtus, filius Dei viui.* Id enim ſignificabant illa verba: *Et ego dico tibi.* Nam, vt S. Hieronymus dicit, mercedem recepit vera confeſsio. At illam præclaram confeſsio-

nem Petrus edidit, & in perſona ſua edidit: ergò in perſona ſua clauium promiſsionem accepit. Ad hæc; Si propterea eſſet negandum, Petro promiſſas eſſe claues, quia figuram gerebat Eccleſiæ; eadem certè ratione negabimus, Abraham duos filios habuiſſe, quia duo illi filij duos populos, Apoſtolo teſte, ſignificabant.

Neque verum eſſe fatebimur, Martham ſollicitam fuiſse circa plurima, dum ſoror eius Maria ad pedes ſederet, quia nimirum actionem, & contemplationem duæ illæ fœminæ adumbrabant. Quòd ſi graue eſt, tam apertas hiſtorias in dubium reuocare, graue etiam videri debet, dubitare, ſitne Petro aliquid ſingulariter promiſſum, cùm tam perſpicuè narretur in Euangelicâ hiſtoriâ. Denique; Illi dictum eſt à Domino: *Tibi dabo claues regni cælorum*, qui paullò pòſt ab eodem Domino audiuit: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi.* Atque hæc poſteriora verba ſoli Petro, & in perſonâ propriâ dicta ſunt. Patet autem vtrumque illud dictum eidem, nam vtrumque habetur in eodem capite Euangelij, & vtrobique nomen Petri exprimitur, & in hanc ſententiam veteres Patres omnes conueniunt.

Quaeſt. 4. Quarta dubitatio eſt: *Quid intelligatur per claues?*

Reſp. Catholici omnes per *claues* datas Petro, intelligunt ſummam poteſtatem in omnem Eccleſiam. Id tribus rationibus confirmamus.

Prob. 1. Primùm ipſâ metaphorâ clauium, vt in Script. accipi ſolet. Siquidem apud Iſaiam deſcribitur depoſitio vnius ſummi Pontificis, & inſtitutio alterius his

Iſa. 22. verbis: *Vade, & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum, Quid tu hic?* Et infrà: *Expellam te de ſtatione tuâ, & de miniſterio tuo deponam te. Et erit in die: vocabo ſeruum meum Eliacim, filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manus eius: & erit quaſi Pater habitantibus Ieruſalem, & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat.* Hic apertè per *claues* non intelligitur remiſsio peccatorum, aut miniſterium verbi, ſed principatus Eccleſiaſticus. Quò etiam pertinet

Iſa. 9. illud: *Factus eſt principatus eius ſuper humerum eius.* Idcirco enim dicitur principatus ſuper humerum impoſitus, quoniam claues, quibus principatus deſignatur, ſuper humerum poni ſolebant. Neque per claues Chriſti principatum

Apoc. 3. ſignificari, negare poteſt, qui legit illud de Chriſto: *Hæc dicit ſanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Accedit etiam communis conſuetudo in rebus prophanis. Quando enim vrbes deduntur alicui principi, offerunt ei claues in ſignum ſubiectionis; & ei, qui inſtituitur œconimus in domo, claues tradi ſolent.

Prob. 2. *Matth. 16.* Secundò prob. illis verbis: *Quodcunque ligaueris*, &c. Nam in Script. liga-

Matth. 23. re dicitur, qui præcipit, & qui punit. De pręceptis loquitur Dominus: *Alligant*, inquit, *onera grauia, & importabilia in humeros hominum*, &c. De pęnis: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram*, &c. Hîc enim loquitur Dominus de cenſurâ excommunicationis. Ligat enim Eccleſia eos, quos punit penâ excommunicationis. Hinc etiam dicimus communiter, homines obligari ad legem ſeruandam, & etiam obligari ad pęnam ſubeundam, ſi eam non ſeruēt. Soluere autem dicitur, qui remittit peccata, qui liberat à pęnâ, qui diſpenſat in lege,

lege, in votis, iuramentis, & ſimilibus obligationibus. Cum ergò dicitur Petro generaliter: *Quodcunque ſolueris,* &c. Datur ei poteſtas præcipiendi, puniendi, diſpenſandi, remittendi proinde fit iudex, & princeps omnium, qui ſunt in Eccleſiâ. *Matth. 16.*

Tertiò idem ex Patribus probatur. *Prob. 3.*

Alter locus Euangelij, in quo ſcilicet exhibetur B. Petro Primatus, eſt iſte: *Simon Ioannis, paſce oues meas.* Ac primùm, ſoli Petro hoc fuiſſe dictum, prob. primò ex illo nomine: *Simon Ioannis.* Nam eo nomine ſolus Petrus vocabatur. Nec ſine myſterio eodem modo Chriſtus Petrum appellat, & cùm promittit ei claues; & cùm oues paſcendas committit: vt nimirum intelligeremus, illud ipſum reipſâ dari Ioannis vlt. quod fuerat promiſſum Matth. 16. & eidem illi Simoni dari, cui fuerat antè promiſſum. *Prob. 2. Primatus Petri, Ioan. vlt. Matth. 16. Ioan. vlt.*

Secundò prob. ex illis verbis: *Diligis me plus his?* Illi enim dicitur: *Paſce oues meas*; cui dicitur: *Diligis me plus his?* Hoc autem ſoli Petro dici, manifeſtum eſt, cum diſertis verbis excludantur cæteri illa comparatione, *plus his.* Porrò qui excluduntur, non quicunque homines, ſed præcipui Apoſtoli ſunt. Erant enim tunc præſentes cum Petro Nathanaël, quem multi Bartholomæum eſſe putant, Iacobus, Ioannes, Thomas, & duo alij diſcipuli, quorum alterum credibile eſt, fuiſse Andræam: Non igitur omnibus Apoſtolis, ſed ſoli Petro dicitur: *Paſce oues meas.*

Tertiò prob. ex trinâ interrogatione. Nam ex Cyrillo, & Auguſtino, & alijs in hunc locum diſcimus, Petrum ter interrogatum; an diligeret plus cæteris; quia ter negauerat. At ſolus ipſe ter negauerat: igitur ſolus ipſe interrogatur.

Quartò prob. ex illis verbis: *Contriſtatus eſt Petrus,* &c. Propterea enim contriſtatus eſt Petrus, ſi Chryſoſtomo credimus, quia metuebat, ne fortè falleretur, cùm diceret: *Tu ſcis Domine,* &c. quemadmodum falſus fuerat, quãdo dixerat: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sed iſta cauſſa triſtitiæ ſoli Petro, qui Dominum negauerat, conuenit: ergò, &c. *Matth. 26.*

Quintò prob. ex illis verbis: *Cum ſenueris extendes manum tuam,* &c. Illi enim dicitur, *Paſce,* cui prædicitur crucifixio, quæ ſoli Petro, & in propria perſona prædicitur. *Ioan. vlt.*

Sextò, ex illis: *Hic autem quid?* & ex reſponſione Domini: *Quid ad te? tu me ſequere.* Nunquam enim Petrus interrogaſſet, quid Ioannes acturus eſſet, ſi intellexiſset dictum omnibus: *Paſce oues meas.* Neque Dominus dixiſſet: *Quid ad te? &c.* Sed dixiſset: idem faciet, quod tu.

Septimò, idem probari poſset ex Patribus. Sequitur iam, vt quid ſignificet hoc, ipſum, *paſcere,* videamus. Nobis autem difficile non erit, ex hac ipſa voce, *Paſce,* demonſtrare ſummam poteſtatem illi attribui, cui dicitur: *Paſce oues meas.* Primùm enim non propriè dicitur paſcere alium, qui cibum quacunque ratione miniſtrat: ſed qui procurat, & prouidet alteri cibum: quod certè præpoſiti, ac gubernatoris eſt. *Quis putas,* inquit Dominus, *eſt fidelis diſpenſator, ac prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* Itaque illius eſt paſcere, qui eſt ſuper familiam conſtitutus. Deinde per verbum, *Paſce,* intelligitur ex communi vſu loquentium, omnis *Quid paſcere? Lucæ 12.*

actus paſtoralis. Idem eſt enim paſcere, quod agere paſtorem, ſiue eſſe paſto-
rem. Porrò actus paſtoralis non eſt tantùm, præbere cibum, ſed etiam duce-
re, reducere, tueri, præeſſe, regere, caſtigare. Hinc videlicet in Script. paſsim
Pſal. 2. paſcere accipitur pro eo, quod eſt regere: *Reges eos in virgâ ferreâ*. In Hebræo
eſt: Paſces eos. Et ſanè qui paſcuntur in virgâ ferreâ, veriſsimam poteſtatem
Iſa. 44. in paſtore ſuo eſſe, negare non poſſunt. Et Cyro dicitur: *Paſtor meus es tu*. Quo
loco non miniſterium præbendi cibum, ſed ampliſsimum regnum Cyro præ-
dicitur.

Deinde hoc manifeſtiùs poteſt demonſtrari ex eo verbo, quod Ioannes in
Euangelio ſuo poſuit. Scripſit enim ποίμαινε, id eſt, paſce, regendo, & præſi-
2. Iliados. dendo. Nam & Homerus, vocat frequenter Regem Agamemnonem ποιμένα
Matth. 2. λαῶν, id eſt, paſtorem populorũ. Et in Script. vbi legimus: *Ex te enim exiet Dux,
qui regat populũ meũ Iſraël*: in Græco eſt: ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ
Mich. 5. τὸν λαὸν τοῦ Ισραήλ. Et notandum in Hebræo apud Michæam, vnde Mat-
thæus accepit, non eſſe verbum, quod paſcere ſignificat, ſed quod dominari.
Apoc. 19. Denique in Apoc. vbi dicitur: *Et ipſe reget eos in virga ferrea*; Græcè eſt καὶ ἀυτὸς
ποιμανεῖ ἀυτοὺς ἐν ῥαβδῷ σιδηρῷ. Igitur cum ποιμαίνω non ſignificet, paſcere
quocunque modo, ſed regere, ac præeſſe, & Petro dictum ſit à Domino,
ποίμαινε τὰ πρόβατα. Manifeſtè ſequitur eſſe Petrum Rectorem, ac Præſi-
dem Eccleſiæ conſtitutum. Accedant poſtremò teſtimonia veterum Pa-
trum.

Quid per oues. Denique, per *oues meas*, intelligi omnes Chriſtianos, etiam Apoſtolos ipſos,
nobis exploratum, certumque eſt. Eſt autem obſeruandum, Chriſtum bis
dixiſſe: *Paſce agnos meos*; & ſemel: *Paſce oues meas*. Tametſi enim in Græco textu
ſemel eſt: *Paſce agnos*; & bis: *Paſce oues*: tamen corruptus videtur locus vitio li-
brariorum, qui in ſecundo loco ſcripſerunt, πρόβατα, cùm ſcribere debuiſ-
ſent, προβάτια, id eſt, ouiculas, ſeu agnos. Facile autem fuerit excidere vnum
Iota. Ita eſſe, colligo ex Patribus, & ex noſtra verſione. Nam, ſi fuiſſet in
Græco bis, πρόβατα, ne indoctiſsimus quidem puer ſecundo loco vertiſſet,
Agnos. Quis enim ignorat, agnos dici ἀρνία, non πρόβατα? Cùm ergò omnes
Latini codices legant, *Agnos*, nec vnquam fuerit hæc lectio à Hieronymo, vel
vllo alio improbata, neceſſe eſt dicere, interpretem legiſſe, προβάτια, id eſt,
ouiculas, & vertiſſe, *Agnos*, quia ouiculę, & agni ſępe pro eiſdem accipiuntur.
Ex hâc variatione probamus, Petro omnes Chriſtianos eſſe ſubiectos. Nam,
ſi per ouiculas intelligamus agnos, dicemus agnos bis repetitos eſſe, ad ſigni-
ficandum duos populos, Iudaicum, & Gentilem: oues autem ſemel nomina-
tas ſignificare Epiſcopos, qui ſunt veluti matres agnorum. Si verò per oui-
culas intelligamus oues paruas, maiores agnis, minores perfectis ouibus, di-
cendum erit cum Ambroſio, Petro committi agnos, ouiculas, & oues, id eſt,
incipientes, proficientes, & perfectos, ita vt nulli ſint in Eccleſiâ, quantumuis
ſpirituales, eruditi, & ſancti, qui Petro non ſubſint. Vel per agnos intellige-
mus populos, qui nullam habent curam paſtoralem, quique ſolùm filij ſunt,
non parentes: per ouiculas accipiemus ſacerdotes minores, id eſt, presbyte-
ros, & parochos, qui ſic ſunt parentes populorum, vt ſint filij Epiſcoporum:
per oues denique ſacerdotes maiores, id eſt, Epiſcopos, qui & agnis, & ouicu-
lis.

lis præſunt,& tamen etiam ipſi Petro ſubijciuntur.

Deinde aliam rationem, eamque inſignem nobis ſuppeditat pronomen, *Meas*. Nam, cùm abſque vllâ reſtrictione addatur ad nomen, *Oues*, manifeſtè ſignificatur,eas omnes oues Petro commendari, ad quas extenditur pronomen, *Meas*. Certum autem eſt illud, *Meas*, extendi ad omnes ſimpliciter. Nec enim vllus eſt in Eccleſia, qui ſe Chriſti ouem eſſe non glorietur. Ergo, &c. Sicut,cùm Dominus ait: *Cognoſco oues meas, & oues meæ vocem meam audiunt, & ego pono animam meam pro ouibus meis*. Tametſi non dicat, omnes oues, &c, omnibus ouibus;tamen nemo negare poteſt, quin de omnibus ſit locutus. Præterea,quid aliud eſt:*Paſce oues meas*,quàm, habe curam mei ouilis? Eſt autem vnum tantùm Chriſti ouile: *Erit vnum ouile,& vnus paſtor*. Ergò, &c. Ad hęc, cum Dominus ait: *Paſce oues meas*; vel commendauit Petro oues ſuas omnes; vel nullas;vel aliquas certas,& definitas;vel aliquas indefinitas. At nemo dixerit,nullas,aut aliquas certas eſſe commendatas: id enim eſt manifeſtè falſum. Nec etiam aliquas indefinitas, quia non eſt ſapientis prouiſoris relinquere indefinitam curam,cùm poſſit eam definire, præſertim cum certa confuſio, & perturbatio ex illâ indeterminatione oriatur.

Quid meas?

Ioan. 10.

Ioan. 10.

Præterea, commendare aliquas, & non indicare, quas, idem eſſe videtur, ac ſi commendarentur nullæ. Reſtat igitur,vt omnes omninò ſuas oues Petro Chriſtus paſcendas aſsignauerit. Atque hæc eſt ſententia omnium veterum Patrum.

Poteſt etiam confirmari primatus Petri per ſingulares, variaſq; prærogatiuas. Prima pręrogatiua eſt mutatio nominis. Nã ait Dominus Petro: *Tu es Simon filius Iona;tu vocaberis Cephas*. Vbi obſeruandum cum Chryſoſt. in hunc locum,Deum nunquam imponere nomina noua, niſi maximis de cauſis, & ad ſignificanda priuilegia eis conceſſa,quibus nomina mutantur. Ita Abrahamum,cum diceretur Abram,id eſt,pater excelſus,dici voluit Abraham,id eſt, pater multitudinis: vt eo nomine ſignificaret, hominem illum,qui iam ſenex erat,& vxorem anum,& ſterilem habebat,tamen ex dono Dei ſic immutandum,vt fieret pater plurimorum filiorum,vel potius gentium, & populorũ. Eſt autem duplex prærogatiua in hac mutatione Simonis in nomen Petri. Vna,quòd ſoli Petro ex omnibus Apoſtolis nomen mutauerit. Nam etſi impoſuit nomen filijs Zebedæi, Boanerges, tamen fuit illud potius quoddam cognomen,quàm proprium nomen. Itaque nuſquam poſteà ab Euangeliſtis vocantur Boanerges;ſed tantum Iacobus, & Ioannes, vt anteà vocabantur. At Petrus deinceps ferè ſemper vocatur Petrus. Et Paulus Petrum ſæpe nominat,& nunquam aliter,quã Petrum,aut Cepham,quod eſt idem: Ioannem autem ſæpe quidẽ nominat,ſed Ioannẽ perpetuò, nunquã Boanerges. Altera eſt,quod tale nomen ei dederit. Nam Syriacè Cephas ſignificat petrã: Græcè autẽ ſignificat caput. Ac demũ vnum eſt ex celeberrimis Chriſti nominibus. Nihil enim frequẽtiùs Chriſtus in Script. nominatur,quàm petra. Vide Iſa. 8. & 28. Dan. 2. Pſ. 117. Matt. 21. Rom. 9. 1. Cor. 10. Eph. 2. 1. Pet. 2. & alibi. Chriſtus ergò cũ ſolo Petro ſuũ ipſius nomẽ cõmunicans, & nomẽ illud, quo ipſe ſignificatur, vt fundamentum,& caput Eccleſiæ vniuerſæ,quid aliud indicare voluit,quàm ſe facere Petrum fundamentum, & caput Eccleſiæ loco ſuo?

Prob. 3. primatus Petri.

1. Prærogatiua.

Ioan. 1.

Gen. 17.

Marc. 3.

Gal. 2.

2. *Prærogatiua* Secunda Petri prærogatiua eſt, quòd, cùm ab Euangeliſtis nominantur Apoſtoli, vel omnes, vel aliqui, ſemper primo loco ponitur Petrus. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc; primus Simon, qui dicitur Petrus*, &c. Similiter legimus alibi. Quòd autem hoc non ſit factum, quia Petrus fuerit primus à Chriſto vocatus, certũ eſt: nam Andream Dominus primùm vocauit, vt Ioannes teſtatur.

Matth. 10. Mar. 3. Luc. 6. Act. 1. Ioan. 1.

Obiect. Sed occurrunt Magdeburgenſes, qui dicunt, Petrum vocari primum, vel propter inſignia ſua dona, vel propter ætatem, quia omnibus erat ſenior; vel denique caſu factum.

Solut. Sed nulla harum rationum valet. Non prima; nam vel loquuntur de inſignibus donis, quæ Petrus habuit in ordine ad Eccleſiam, vt quòd accepit ſingulariter claues quòd factus eſt fundamẽtum Eccleſiæ, quòd conſtitutus eſt paſtor omnium ouium Chriſti, &c. & tunc pro nobis loquũtur. Vel loquuntur de donis perſonalibus, & proprijs, id eſt, de virtutibus eius; & tunc falſum eſt, quod dicitur. Nam Euangeliſta non facilè ſcire potuit, nec iudicare auſus fuiſſet, quis eſſet inter Apoſtolos optimus: præſertim cùm ſciret, Ioannem fuiſſe virginem, Petrum coniugatum; & Ioannem eundem ita diligi videret à Domino, vt vocaretur *Diſcipulus, quem diligebat Ieſus*: (*Ioan. vlt.*) nec ignoraret Iacobum minorem tanta ſanctitate pręditum, vt iuſtus, & frater Domini ab omnibus diceretur. Quòd autem dicunt de ętate, pugnat cum traditione Patrum, quæ tenet, Andræam Petro ſeniorem fuiſſe. Quòd etiam Petrus non ſit caſu poſitus primus, patet ex duobus.

Primùm ex modo enumerandi: nam Petrum nominatim vocat Matthęus primum; deinde alios non vocat vnum ſecundum, alium tertium, &c. Sed ſine vlla obſeruatione ordinis nominat. Itaque inter Petrum, & cæteros ordinem eſſe, Matthæus docet; quia Petrus ſuperior eſt, cæteri inferiores: at inter alios nullum ſtatuit ordinem, quia ſunt omnes æquales. Et ex hoc nomine, *primus*, deducunt Patres primatum: ſicut à principe principatus dicitur; & à conſule conſulatus.

Secundò idem colligitur ex eo, quòd ordo aliorum plerumque mutatur: Petrus autem ſemper ponitur primo loco. (*Matth. 10. Mar. 3. Luc. 6.*) Nam Mattheus poſt Petrum ponit Andream: Marcus poſt Petrum Iacobum: Lucas poſt Petrum numerat quidem Andream, ſed mutat ordinem cęterorum; nam Matthęus antepoſuit ſibi Thomam, & Simonem Zelotem antepoſuit Thaddęo: Lucas autem anteponit Matthæum Thomæ, & Thaddæum Simoni. In Actibus (*Act. 1.*) poſt Petrum ponitur Ioannes: & in cęteris etiam magna mutatio inuenitur. Pari ratione vbi nominantur duo, vel plures, ſemper ponitur primus Petrus. (*Mar. 5. Luc. 9. Luc. 22. Matth. 17. Mar. 13. Ioan. vlt.*) *Non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Miſit Petrum, & Ioannem. Aſſumpſit Petrum, Iacobum, & Ioannem. Interrogabant eum Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas. Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, & Nathanaël, & filij Zebedæi, & alij ex diſcipulis eius duo.* Vides vbique, Petrum eſſe primum. Vnus tantùm locus eſt, vbi Petrus non nominatur primo loco, vbi dicitur Iacobus, Cephas, & Ioannes. (*Gal. 2.*) Sed non eſt certum, an Paulus ſic dixerit: nam Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus legunt; Petrus, Iacobus, & Ioannes: & ſic credibile eſt, Paulum eſſe locutum. Si verò admittamus aliter debere legi, dicendum erit, vel cum D. Anſelmo, & D. Thoma in hunc locũ hoc,

hoc factum eſſe, quia Iacobus erat Epiſcopus Hieroſolymorum, vbi tunc erant Apoſtoli, de quibus Paulus loquitur; vel Paulum hoc loco nullum ordinem ſeruaſſe. Nam quòd alioqui intelligeret Paulus maiorem eſſe Petrum Iacobo, patet ex illa ipſa epiſtola, vbi dicit: *Deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum.* Gal. 1. Non dicit: Veni videre Iacobum, etiamſi ipſe quoque eſſet Ieroſolymis. Et alibi: *Vnuſquiſque dicit, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Chriſti.* 1. Cor. 1. vbi aperte progreditur aſcendendo, & Petrum proximum ſub Chriſto conſtituit. Neque ſolùm Petrus primo loco ponitur, & primus vocatur, ſed etiam paſsim in Script. deſcribitur, vt paterfamilias, vt dux, & princeps reliquorum. Nam ſicut in Apoc. dicitur Diabolus, & Angeli eius; *Michael,* Apoc. 12. *& Angeli eius;* id eſt, dux, & milites eius: ita etiam dicitur: *Et proſecutus eſt eum* Mar. 1. *Simon, & qui cum eo erant.* Luc 8. Et: *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Et: *Petrus verò,* Luc 9. *& qui cum eo erant.* Et: *Dicite diſcipulis eius, & Petro.* Et: *Stans Petrus cum vndecim.* Mar. 16. Ibid. *Dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos.* Act. 2. Et: *Petrus, & Apoſtoli dixerunt.* Act. 5. Et: *Numquid habemus poteſtatem mulierem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* 1 Cor. 9. Ad eandem prærogatiuam pertinet, quòd Petrus ferè ſemper loquitur nomine omnium. Matth 19. *Ecce nos reliquimus omnia:* Et: *Ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Luca 12. Et: *Domine, ad quem ibimus?* Ioan. 6.

Tertia prærogatiua eſt, quando ſolus Petrus vnà cum Domino ambulauit ſuper aquas. 3. Prærogatiua. Simile eſt, quando cæteris diſcipulis in nauiculâ venientibus ad Dominum, qui in littore expectabat, Petrus ſe miſit in mare, & natando venit. Matth. 14. Ioan. 21.

Quarta prærogatiua eſt illa peculiaris reuelatio facta ſoli Petro: eſt enim inſigne priuilegium, quòd Petrus primus omnium Apoſtolorum, à Deo edoctus, cognouerit ſumma myſteria noſtræ fidei, diſtinctioné ſcilicet perſonarũ in Deo, & incarnationem. 4. Prærogatiua. Matth. 16. Nam etſi anteà non rarò Chriſtus fuerit vocatus filius Dei, vt cùm dixerunt diſcipuli: *Verè Filius Dei es.* Matth. 14. Et cùm dixit Nathanaël: *Tu es Filius Dei;* Ioan. 1. tamen iſti vocabant filium Dei Chriſtum eo modo, quo omnes Sancti dicuntur filij Dei. At Petrus intellexit, Chriſtum eſſe Filium Dei verum, & naturalem. Quod patet tum ex Græcô textu, vbi omnia exprimuntur cum articulis emphaſim habentibus: *σὺ εἶ, ὁ χριςὸς, ὁ υἱὸς, τοῦ θεοῦ, τοῦ ζῶντος.* tum etiam ex veterum Patrum teſtimonijs.

Quinta prærogatiua eſt, vbi dicitur: *Et portæ inferi non praualebunt aduerſus eam.* 5. Prærogatiua. Vbi non ſolùm promittitur perpetua ſtabilitas Eccleſiæ vniuerſæ, ſed etiam petræ, ſuper quam fundatur Eccleſia. Matth. 16. Itaque ſpeciali priuilegio promiſſum eſt Petro, ſedem eius nunquam eſſe ruituram. Quam promiſsionem ſi habuiſſent Apoſtoli cæteri, adhuc ſtaret ſedes Iacobi Hieroſolymis; Ioannis, Epheſi; Matthæi, in Æthiopiâ; Andreæ in Scythiâ: ceterùm illæ omnes paulatim manus dederunt portis inferorum.

Sexta eſt, vbi Dominus iubet ſolui tributum pro ſe, & Petro: *Da,* inquit, *illis pro me, & te.* 6. Prærogatiua. Ex quibus verbis collegiſſe Apoſtolos, Petrum omnibus alijs prælatum, ſcribunt Patres. Matth. 17.

Septima eſt, quando duo miracula edita ſunt in piſcatione Petri. 7. Prærogatiua. Quorum primum, vt Auguſtin. monet, manifeſtè deſignat Eccleſiam militantem; ſecundum Eccleſiam triumphantem. Luc. 5. Nam idcircò primum factum eſt ante reſur- Ioan. 21.

ſurrectionem Chriſti, ſecundum poſt reſurrectionem: item in primo retia nō iaciuntur in dexteram partem tantùm, nec in ſiniſtram tantùm, ne ſolos bonos, aut malos ad Eccleſiam venire credamus; ſed indifferenter dicitur: *Laxate retia in capturam*; at in ſecundo tantùm in dexteram partem nauigij iaciuntur retia, quia ſoli bōni colligentur ad vitam æternam.

Præterea; In primo rumpebatur rete, & nauis penè mergebatur, quod ſignificat ſciſmata, hæreſes, & ſcandala, quæ Eccleſiam fluctuare cogunt; at in ſecundo non eſt ruptum rete, nec nauis fluctuauit, quia in alia vitâ nulla erunt ſciſmata, aut ſcandala. Ad hæc; In primo ſine vllo numero comprehen-
Pſal. 39. duntur piſces, vt impleretur, quod ſcriptum eſt: *Annunciaui, & locutus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum*; at in ſecundo nulli fuerunt ſuper numerum, ſed certus numerus C. L I I I. nulli enim præter numerum electorum colligentur ad regnum.

Denique; In primo piſces introducuntur in nauem adhuc fluctuantem; in ſecundo trahuntur ad littus, quod propter ſtabilitatem vitam immortalem, & beatam ſignificat. Iam verò inſignis prærogatiua Petri eſt, quòd in vtraque naui, & piſcatione, quæ apertiſsimè totius Eccleſiæ ſtatum ſignificant, ſemper Petrus princeps inuenitur. Nam, cùm vidiſſet Dominus plures nauicu-
Luca 5. las, *Intrauit in vnam, quæ erat Simonis*, & ex ea docebat, vt intelligeremus, in ea tantum Eccleſia eſſe, & docere Chriſtum, cuius gubernator Petrus eſt. Ibidem ſoli Petro dicitur: *Duc in altum, & laxate retia in capturam*. Vbi Petrus iubetur tanquam ſummus nauclerus, & piſcator, ducere alios ad piſcandum.
Ioan. 21. Ibidem etiam Dominus exponens figuram, dicit ſoli Petro: *Noli timere, ex hoc enim eris homines capiens*. Sic Petrus quoque dicit: *Vado piſcari, dicuntq́, ei alij: venimus & nos tecum*. Ibidem: *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram*.

8. Prærogatiua. Luca 22. Octaua prærogatiua eſt, vbi Dominus ait: *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos*. Quibus verbis clariſsimè Dominus oſtendit, Petrum fore principem, & caput fratrum ſuorum. Sic enim exponunt Græci, & Latini.

9 Prærogatiua. Luca 24. Nona eſt, quòd Chriſtus reſurgens, primum omnium ex Apoſtolis Petro ſe videndum præbuerit. Colligitur illud ex illis verbis: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Vbi notat Ambroſius, Simoni omnium primò Chriſtum
Marc. vlt. apparuiſſe ex viris. Nam antè Mariæ Magdalenæ apparuerat. Colligitur hoc
1. Cor. 15. idem apertiſsimè ex verbis S. Pauli: *Tradidi*, inquit, *vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas, & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim: deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus; nouiſſimè autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi*.

10. Prærogatiua. Ioan. 13. Decima eſt, quòd Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lauit, vt exponit Auguſtinus. Et quanquam Chryſoſtomus, & Theophylactus in eundem locum putant, primum fuiſſe Iudam, ſecundum Petrum, tamen etiam ipſi ex hoc loco colligunt primatum Petri. Dicunt enim, nullum alium præter Iudam paſſurum fuiſſe, vt ſibi ante principem Apoſtolorum pedes lauarentur: Iudam autem impudenter ſe ante Petrum conſtituiſſe. Sed Auguſtini ſententia videtur probabilior.

Vndeci-

Vndecima eſt, vbi Petro ſoli mortem Chriſtus prædixit, & mortem crucis: vt ſicut ei nomen ſuum donauerat, & officium ſuum impoſuerat; ita & in morte ſocium illum haberet. *Cùm ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit,* addit Euangeliſta, *ſignificans, qua morte eſſet clarificaturus Deum.* *11. Prærogatiua. Ioan 21.*

Deinde ſubiungit Dominus loquens ad Petrum: *Sequere me.* Quæ verba quidam accipiunt de officio paſtorali; vt Theophylactus. Alij autem de ſimilitudine mortis; vt Euthymius. Sed plenus erit commentarius, ſi vtramque ſententiam coniungamus. Cùm enim Dominus oues Petro commendaſſet, & mortis genus prædixiſſet, quaſi concludens omnia vno verbo, ait: *Sequere me.* Id eſt, eſto id, quod fui, & viuens, & moriens: age paſtorem animarum dum viuis, & poſteà per crucis mortem tranſi de hoc mundo ad Patrem. Et ne ſuſpicaremur, hæc dici omnibus, diſertè Dominus excludit Ioannem, qui tunc corporaliter eum ſequebatur. *Sic,* inquit, *eum volo manere, quid ad te, tu me ſequere.*

Duodecima eſt, vbi Petrus, tanquam paterfamil. colligit in vnum, cœtum diſcipulorum, & vnum eligendum eſſe docet in locum Iudæ. *12. Prærogatiua. Act. 1.*

Decimatertia eſt, vbi, poſt acceptum Spiritum ſanctum, Petrus omnium primus promulgat Euangelium, & prima illa concione tria millia hominum conuertit. *13. Prærogatiua. Act. 2.*

Decimaquarta eſt, vbi primum miraculum in teſtimonium fidei à Petro fit. Etſi enim Petrus, & Ioannes ſimul erant, tamen ſolus Petrus dixit claudo: *Aurum, & argentum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do,* &c. Notat pulchrè Ambroſ. meritò Petrum primum miraculum edidiſſe in pedum confirmatione, vt oſtenderet ſe fundamentum eſſe totius Eccleſiæ. *14. Prærogatiua. Act. 3.*

Decimaquinta eſt, vbi Petrus tanquam ſummus, & diuinus iudex agnouit, & damnauit hypocriſim, & fraudem Ananiæ, & Saphiræ, & eos verbo ſuo occidit. *15. Prærogatiua. Act 5.*

Decimaſexta eſt, vbi de Petro legimus: *Factum eſt, cùm Petrus tranſiret per omnes:* tanquam ſcilicet omnium dux. *16. Prærogatiua. Act. 9.*

Decimaſeptima eſt, vbi Petrus omnium primus, incipit prædicare Gentilibus: ſicut ipſe omnium primus prædicauerat Iudæis. Et ſoli ipſi viſio illa oſtenſa eſt, qua mouebatur, tempus eſſe prędicandi Gentilibus. Vbi etiam pulchrè dicitur ei: *Macta, & manduca.* Nam capitis eſt manducare, & per manducationem traijcere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare. *17. Prærogatiua. Act. 10.*

Sed obijcies: Nónne Philippus conuettit Ethnicum hominem, Eunuchum videlicet Reginę Æthiopum? Et nónne Paulus loquebatur Gentilibus, & diſputabat cum Gręcis? *Obiect. Act. 8.*

Reſpondeo Eunuchum illum, fuiſſe Proſelytum, id eſt, iam conuerſum ad Iudaiſmum; non autem planè Gentilem, vt erat Cornelius. Nam Petrus non mentitur, cùm indicat ſe primum prædicaſſe Gentibus. Deinde ſcribit Lucas eos, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta eſt ſub Stephano, perambulaſſe varias regiones euangelizando, *Nemini loquentes verbum, niſi Iudæis.* Vnum ex his fuiſſe Philippum patet Act. 8. *Solut. Act. 15. Act. 11.*

Prętereа; Si Philippus iam prędicauerat homini Gentili, & nemo eum re-

prehenderat, cur poſteà Petrus dubitat, an ſit tempus prędicandi Gentilibus? cur cæleſti viſione ad hoc animatur? cur hoc audito aliqui ex Iudæis obſtupuerunt, alij Petrum accuſauerunt, vt rem inſolitam auſum? Adde, quòd iſte Eunuchus ibat in Ieruſalem ad templum, & Iſaiam in curru legebat, quæ ſunt aperta ſigna Iudaiſmi. De Paulo autem ſecundum Græcos codices nulla eſt difficultas. Non enim eſt in Græco illud: *Loquebatur Gentibus*: ſed tantùm eſt: *Loquebatur, & diſputabat aduerſus Græcos.* Græcos autem hic vocat Iudæos in Gręciâ natos, & Gręcè loquentes, vt indicant Chryſoſtomus, & Oecumenius nec eſt veriſimile, Paulum prędicaſſe Gentilibus in ipſâ Ieruſalem, & nullum rumorem excitatum ab Hebræis, qui poſteà tam vehementer inſurgebant in Petrum, qui prædicauerat Cornelio. Quia tamen Latini codices habent: *Loquebatur Gentibus, & diſputabat cum Græcis*; dici poteſt eũ locutũ eſſe, & diſputaſſe cum Gentibus, non eos ad fidem pertrahendo, ſed fidem ab eorum calumnijs defendendo. Itaque ibidem Lucas addit, non aliquos eſſe conuerſos, ſed odium adeò graue in Paulum excitatum, vt quæſierint eum interficere. Primus ergò Pater tam Iudæorum, quàm Gentilium Petrus fuit.

18. *Prærogatiua.* *Act.* 12. Decimaoctaua eſt, vbi pro Petro in carcere conſtituto *oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia.* Vnde etiam inſigni miraculo liberatus eſt. Scimus ante illud tempus, Stephanum in periculo fuiſſe, & poſteà etiam lapidatum: item Iacobum in eodem carcere conſtitutum, & poſteà interfectum: nec tamẽ legimus, ita ſine intermiſſione ab Eccleſiâ pro illis oratũ. Quæ poteſt alia ratio eſſe, niſi quia multùm intereſt, vtrum membrum vnum, an caput ipſum periclitetur.

19. *Prærogatiua* *Act.* 15. Decimanona eſt, vbi Petrus in Concilio primus loquitur, & ſententiam eius Iacobus, omneſque alij ſequuntur.

20. *Prærogatiua.* *Gal* 1. Vigeſima eſt, vbi Paulus dicit: *Poſt annos tres aſcendi Ieroſolymam videre Petrum*, tanquam ſcilicet Paulo maiorem.

21 *Prærogatiua.* *In epiſt.* τὸ φῶς. Vigeſimaprima eſt, quòd Chriſtus ſuis manibus ſolum Petrum baptizauerit. Scribit enim Euodius, Petri ſucceſſor in Epiſcopatu Antiocheno, à Chriſto ex mulieribus ſolam Virginem matrem ſuam; ex viris baptizatum ſolum Petrum: à Petro Andream, Iacobum, & Ioannem: ab ijs, cæteros.

22. *Prærogatiua* Vigeſimaſecunda eſt, quòd ſolus Petrus à Chriſto Epiſcopus ordinatus fuerit: cæteri autem à Petro epiſcopalem conſecrationem acceperint. Id probat Ioannes de Turrecrematâ multis rationibus: ſed præcipuæ ſunt duæ.

Prob. 1. Prima eſt, quoniam vel Dominus nullum ordinauit Epiſcopum, vel omnes, vel aliquos, vel vnum. Quod nullum, non poteſt dici. Nam, ſi ita eſſet, nullum haberemus iam Epiſcopum. Quòd non omnes Apoſtoli immediatè à Domino ſint ordinati, patet. Nam ſaltem Paulum, quem ipſe de cælo vocauit, & Apoſtolum fecit, non Epiſcopum ordinauit, ſed iuſsit ordinari per *Act.* 13. manuum impoſitionem miniſtrorum Eccleſiæ. Docet etiam Anacletus, Epiſ-*Epiſt.* 2. copum debere ordinari à tribus Epiſcopis; ſicut Iacobus minor ordinatus eſt à Petro Iacobo maiore, & Ioanne. Quòd autem non aliquos Dominus ordinauerit, alios non, inde probatur, quòd Apoſtoli, excepto Petro, eſſent inter ſe æquales, & nullus in alium ius haberet, & omnis poteſtas eis tradita com-

communiter omnibus ſit tradita, quantum ex Euangelijs colligi poteſt. Ergò ſi neque nullum, neque omnes, neque aliquos plures Dominus ordinauerit, ſequitur ſolum Petrum ab eo ordinatum.

Secunda ratio, quia paſsim docent veteres, Romanam Eccleſiam eſſe matrem omnium Eccleſiarum; ab eà omnes Epiſcopos habuiſſe conſecrationẽ, & dignitatem ſuam. Quod non videtur eſſe verum, niſi in eo ſenſu, quia Petrus, qui Epiſcopus fuit Romanus, omnes Apoſtolos, omneſque alios Epiſcopos per ſe, vel per alios ordinauerit. Alioqui enim, cùm Apoſtoli plurimos Epiſcopos in varijs locis conſtituerint, ſi Apoſtoli ipſi non ſint facti Epiſcopi à Petro, certè maxima pars Epiſcoporum non deducet originem ſuam à Petro. *Prob. 2.*

Vigeſimatertia eſt, quòd Petrus primum Hæreſiarcham, & Principem, ac Patrem omnium Hæreticorum, qui poſteà fuerunt, Simonem videlicet Magum, primus detexit, & poſteà damnauit, ac planè extinxit. Decuit enim omninò, vt princeps, & pater Eccleſiæ, principem, & patrem omnium Hæreticorum ſuperaret. *23. Prærogatiua. Act. 8.*

Vigeſimaquarta eſt, quòd Romæ potiſsimùm Petrus ſedem ſuam diuino iuſſu collocauerit. Signum enim apertũ principatus Petri eſſe videtur, quòd, cùm Apoſtoli ab eo in totum orbem mitterentur, Petrus ad ipſum orbis terrarum caput, & vrbium reginam miſſus ſit. *24. Prærogatiua.*

Vigeſimaquinta eſt, quòd ſub finem vitæ Petri Chriſtus ipſe Petro apparere, & roganti: *Domine, quò vadis?* reſpondere dignatus ſit: *Venio Romam iterũ crucifigi.* Quid hoc ſignificare voluit, niſi, Petrum ſuum eſſe vicarium, & quod Petro ſit, ſibi ipſi fieri? Sic enim anteà Samueli dixerat: *Non te abiecerũt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* *25. Prærogatiua.*

Vigeſimaſexta eſt, quòd ſolæ illæ Eccleſiæ ſemper ſint habitæ Patriarchales, & primæ, quas Petrus fundauerat. Siquidem apud veteres, tres Eccleſias tantùm fuiſse propriè Patriarchales, & primas, Romanam, Alexandrinã, & Antiochenam, patet ex Concil. & Patribus. Porrò Ieroſolymitana per annos ferè quingentos habita quidem eſt quarta Patriarchalis, ſed nomine, non re; ſeu honore, non poteſtate. Nam Patriarcha Alexandrinus non ſolùm ſecundo loco ſedebat in Concilijs, ſed etiam verè præerat omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Ægypti, & Lybiæ: & Antiochenus non ſolùm ſedebat tertio loco, ſed etiam pręerat omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Orientis: at Ieroſolymitanus ſedebat quarto loco, ſed nulli Archiepiſcopo, vel Epiſcopo pręerat; immò ſubiectus erat Archiepiſcopo Cæſarienſi, qui erat Metropolitanus Paleſtinæ; & pręterea Patriarchæ Antiocheno, qui toti Orienti pręſidebat. His acceſsit poſteà Patriarchatus Conſtantinopolitanus. Nam tempore Nicæni Concilij nondum erat Conſtantinopolis, nedum Patriarchatus eius. Nam annò XXV. Imperij Conſtantini, id eſt, quinto anno poſt Nicænum Concilium Conſtantinopolis dedicata eſt. Poſteà tamen in Concilio I. Conſtantinopolitano, ac deinde in Chalcedonenſi, conatus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus non ſolum Patriarchatum adipiſci, ſed etiam ſecũdum locum inter Patriarchas obtinere. Sed non ante Iuſtiniani tempora id à Romanis Pontificibus impetrauit. Tempore autem Iuſtiniani, id eſt, poſt annum *26. Prærogatiua.*

num Domini D. tum Imperatoris operâ, tum Pont. Rom. permiſsione, cæpere Conſtant. & Ieroſol. Epiſcopi in numero Patriarcharum haberi, nullo ampliùs reclamante.

27. Prærog. Vigeſimaſeptima eſt feſtum Cathedræ Petri. Nam quòd publicè in Eccleſia celebratur dies feſtus in honorem inſtitutionis Epiſcopatus Petri, & nihil tale fiat pro ſedibus aliorum Epiſcoporum, argumentum eſt, ſedem Petri ſingulariter præſtare omnibus alijs: immò ipſam eſſe ſolam, & ſingularé cathedram, ex qua mundus doceri debeat.

28. Prærog. Vigeſimaoctaua eſt, quòd in litteris formatis, id eſt Canonicis, antiqui, poſt nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nomen Apoſtolorum principis adiungebant. Poſſet etiam primatus Petri teſtimonijs Patrum Græcorum, & Latinorum confirmari.

Obiect. 1. Sed duo argumenta ſunt in contrarium. Primum ſumitur ex comparatione Petri cum Iacobo. Probat enim Lutherus, Iacobum fuiſſe maiorem Petro, his rationibus.

Primò; Chriſtus fuit Epiſcopus Ieroſolymæ, non Romæ, & Apoſtoli eius Presbyteri fuerunt: Ergò Iacobus, qui poſt Chriſti paſsionem Epiſcopatum Ieroſolymæ ſortitus eſt, Chriſto ſuccedit, vel certè Vicarius eius eſt, non Petrus.

Iſa. 2. Deinde; Ieruſalem eſt mater omnium Eccleſiarum: nam *de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Ergò Iacobus omnium Eccleſiarum pater eſt, non Petrus.

Solut. Reſpondeo ad primum, Chriſtum non fuiſſe Epiſcopum vllius particularis vrbis; ſed fuiſſe, & eſſe Pontificem, non ſolius Ieroſolymæ, ſed totius Eccleſiæ: neque vllum ei ſuccedere, cum ſemper viuat. Porrò Vicarium generalem magis decuiſſe, vt alibi, quàm Ieroſolymis conſtitueretur: quoniam, ſicut mutabatur per Chriſti aduentum lex, & ſacerdotium; ita etiam decuit, vt locus mutaretur ſummi ſacerdotis, & fierent verè omnia noua. Atque ideò fortaſſe templum, & Ieruſalem euerſa breui, & incenſa poſt Aſcenſionem Domini fuerunt. Ad alteram rationem dico, Ieroſolymorum Eccleſiam eſſe matrem omnium Eccleſiarum antiquitate, & multis priuilegijs inſignem, ob Domini, & Apoſtolorum præſentiam, quam longo tempore habuit, & præcipuè ob myſteria redemptionis noſtræ eo loco perfecta, & conſummata: ſed nihil hoc tamen præiudicare Petri primatui. Nam, quemadmodum Eccleſiæ Ieroſolymorum Iacobus fuit paſtor, & Epiſcopus; ita Petrus fuit paſtor, & Epiſcopus totius Eccleſiæ; ac proinde etiam Ieroſolymæ, quę vniuerſalis Eccleſiæ portio quædam eſt.

Obiect. 2. Altera obiectio eſt ex comparatione Petri cum Paulo: nam Paulus per Antonomaſiam vocatur Apoſtolus. Accèdit, quòd in antiquis ſigillis, quibus diplomata ſummorum Pont. obſignantur, inueniuntur imagines Petri, & Pauli; ſed huius à dextris, illius à ſiniſtris.

Solut. Reſpondeo Paulum vocari Apoſtolum per Antonomaſiam, non, quia fuerit maior Petro poteſtate, vel auctoritate; ſed duabus alijs de cauſis, quæ nihil detrahunt de primatu Petri. Vna, quia plura ſcripſit, & doctior, ac ſapientior fuit cæteris.

Tunc

Tunc enim ferè vocamus eum Apoſtolum ita, quando ſcripta eius citamus. Altera fuit, quia ad Apoſtolum propriè, vt Apoſtolum, pertinet, plantare fidē. Paulus autem pluribus in locis plantauit fidem, quàm vllus alius. Nam cæteri Apoſtoli miſsi ſunt ad certas prouincias, Paulus ad omnes Gentes, ſine certæ prouinciæ determinatione. Et ipſe de ſe ait: *Plus omnibus laboraui.* Quod autem dicitur de imaginibus, multis modis ſolui poteſt. 1. Cor. 15.

Primum enim, tametſi conſtat, Petrum Paulo auctoritate maiorem fuiſſe, tamen etiamſi Paulus Petro omnibus nominibus anteponendum eſſet, nihil id Romanis Pontif. officeret, aut ipſi etiam Petri ſummo Pontificatui. Non quidem Pont. Romanis, quoniam ipſi, tam Petrum, quàm Paulum prędeceſſorem agnoſcunt: ſiquidem vterque Apoſtolus Romanam Eccleſiam fundauit, & gubernauit: & in vrbe Roma vterque per martyrium vitam finiuit. Itaque omnis Pauli gloria ad Rom. Pont. pertinet. Nihil etiam Petri Pontificatui officeret, quia extraordinaria erat, quanta quāta tandē eſſet dignitas, & auctoritas Pauli. Quare ſicut in populo Iudęorum maior erat Moyſes Aarone, & nihilominùs tamen Aaron verè, & propriè ſummus Pontifex fuit, & non Moyſis, ſed Aaronis poſteri in ſumma illa dignitate patri ſucceſſerunt, quoniam poteſtas Moyſis extraordinaria, Aaronis ordinaria erat, ita etiam de Petro, & Paulo eſt dicendum.

Deinde poteſt etiam reſponderi non eſſe hoc perpetuum, vt in antiquis imaginibus Paulus dexteram partem occupet. Siquidem in ijs, quę Romę nunc extant, vt in quibuſdam Paulus cernitur ad dexteram, ita in alijs non paucioribus cernitur ad ſiniſtram: & ſicut in duplomatibus Paulus obtinet dexteram, ita in numiſmatibus obtinet ſiniſtram. Et fortaſſe conſultò id veteres obſeruarunt, vt ex duobus ſummis Apoſtolis modò vnum, modò alterum anteponerent. Nimirum vt eo modo ſignificarent, hos Apoſtolos, vel pares eſſe inter ſe, vel certè ignorari, vter alteri pręſtet. Nam & ſi Petrus maior eſt poteſtate, Paulus maior eſt ſapientia.

Tertia reſponſio adhiberi poteſt. Nam, vt annotauit Antonius Nebriſſenſis in annotatione ad 50. Script. loca, cùm duo ſimul incedebant, olim id obſeruabatur, vt ſenior, & honoratior ad lęuam eſſet; iunior autem latus ei dexterum clauderet, & nonnihil præcederet in ſignum obſequij. Inde enim dicti ſunt laterones, & per contractionem latrones, qui dextrum latus nobiliorum hominum defenſionis cauſa tegebant.

Iam igitur credibile eſt, initiò cœpiſſe depingi Paulum ad dexteram Petri, vt iuniorem, & minorem: nam idcircò in diplomatibus Pontificijs ita Paulu ad Petri dexteram collocatur, vt eum præcedat, & ferme totum tegat: quod eſt argumentum obſequij in Paulo, & dignitatis in Petro.

Quòd autem poſteà cœperit pingi ad dexteram, etiam cùm Petrum non tegit, vel cùm Chriſtus, aut B. Virgo, medium locum tenent, ex imperitia factum videtur: nimirum viderant alicubi Paulum depictum ad dexteram, nec aduerterant ſic eum eſſe ad dexteram, vt Petrum tegeret, exiſtimarunt ob honorem Pauli id fieri, ac propterea in ſedibus quoque, vel cum inter ſe multum diſtarent, dexteram partem Paulo tribuerunt.

Cæterùm non ob Pauli honorem id à veteribus factum eſſe, vel inde probari poteſt, quòd in omnibus alijs rebus ſemper Petrus Paulo anteponitur. Si nominandi ſint, Petrus præcedit: ſi in precibus inuocandi, Petrus præcedit: ſi feſti dies in eorum honorem celebrandi, prior eſt Petrus: cur igitur in imaginibus ordo iſte alioqui perpetuus mutaretur?

Denique, ſi hæc aliquibus non probantur, admitti poteſt honoris gratiâ Paulum à dextris Petri in ſignis, & imaginibus collocari. Cuius honoris tres potiſsimùm cauſſæ eſſe videntur.

Prima, quia ipſe plus videtur Eccleſiæ profuiſſe, quàm Petrus: plures enim ex Gentibus ad Chriſti fidem adduxit, plures prouincias ſummo cum labore peragrauit; pluraque ſcripta, eaque vtiliſsima nobis reliquit. Eccleſia verò in colendâ Sanctorum memoriâ, non tam reſpicit gradum honoris, quem habuerunt in terris, quàm vtilitatis, quam poſteris attulerunt. Cùm enim gratitudinis cauſſâ illis honoret, illos maiorem cultum defert, quibus plus debet. Certè Stephanus, & Laurentius Diaconi tantùm erat, quorum ille S. Iacobo Epiſcopo, & Apoſtolo; iſte S. Sixto ſummo Pontifici miniſtrauit, & tamen Eccleſia magis honorat Stephanum, quàm Iacobum; & Laurentium, quam Sixtum, vt patet ex eo, quòd illorum dies natales habent octauas, iſtorum non habent.

Pari ratione S. Hieronymus, & S. Thomas Aquinas ſimplices Presbyteri fuerunt; Antonius, Benedictus, Franciſcus, ne Presbyteri quidem; & tamen ab Eccleſiâ, quod ad cultum attinet, multis ſanctis Epiſcopis, & Martyribus, & ſummis etiam Pont. præponuntur: quoniam illi ſcriptis libris, iſti ordinum religioſorum inſtitutione plurimùm Eccleſiæ profuerunt. Altera ratio eſt, quia Paulus Doctor Gentium præcipuè fuit; Petrus Iudæorum: vt igitur ſignificaret Eccleſia, Gentiles Iudæis tandem eſſe antepoſitos ab eo, qui dixit: *Maior ſeruiet minori*; Paulum antepoſuit Petro.

Tertia ratio eſſe poteſt, quoniam Petrus à Chriſto vocatus fuit adhuc mortali, & quodammodò in ſiniſtris conſtituto: Paulus autem de cælo vocatus eſt à Chriſto immortali, regnante, & ſedente à dextris Patris.

Addit Petrus Damiani quartam, quia videlicet Paulus de tribu Beniamin
Gen. 35. & 42. erat, & in ipſo Beniamin demonſtratus, ac typicè expreſſus in Script. Porrò Beniamin, etſi poſtremus erat inter fratres ſuos, tamen & à patre filius dexteræ appellatus eſt, & à Ioſeph omnibus fratribus antepoſitus.

CAPVT

CAPVT IV.

An B. Petrus Romæ fuerit, ibidemque Epiſcopus exiſtens mortuus ſit?

CONSTITVTIS ijs, quæ ad primatum Petri pertinent, nunc ad ea veniendum, quæ ad primatum ſucceſſorum eius pertinent. Quoniam autem ius ſucceſsionis, Pont. Rom. in eo fundatur, quòd Petrus Romæ ſedem ſuam, iubente Domino, collocauerit, atque ibidem vſque ad mortem ſederit, quatuor hic in dubium vocantur.

Primum; *An Petrus fuerit Romæ?* *Dubia 4.*

Secundò; *An ſit mortuus Romæ?*

Tertiò; *An fuerit Epiſcopus Romæ?*

Quartò; *An Romanum Epiſcopatum ſemel ſuſceptum numquam mutauerit?*

Ex his quatuor ſolum poſtremum, & requiritur neceſſariò, & ſufficit ad Romani Pontificatus primatum conſtituendum. Nam illud primum neque requiri, neque ſufficere planum eſt, cùm multi veniant Romam, qui tamen Romani Pont. non euadunt, & multi Romani Pont. numquam fuerunt Romæ, vt Clemens V. Ioannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. qui in Gallijs ordinati, ibidem ſemper manſerunt. Alterum item, neque requiri, neque ſufficere, teſtantur multi Rom. Pont. qui extra Romam mortui ſunt. Nam Clemens I. obijt in Ponto, Pontanus in Sardiniâ, Ioannes I. Rauennæ, Agapetus Conſtantinopoli, Innocentius III. Peruſię, Innocentius IV. Neapoli, Ioannes XX. Viterbij, & alij in alijs locis. Idem teſtãtur multò plures, qui quotidie moriuntur Romæ, nec tamen Rom. Pont. ſunt. Tertium autem requiri, ſed non ſufficere, ex eo colligitur, quòd Petrus Epiſcopus Antiochiæ fuit, & tamen, quoniam ſedem aliò tranſtulit, numquam deinceps locum primum Epiſcopi Antiocheni habuerunt. Igitur quartum ſolùm & requiritur, & ſufficit. Quia tamen omnia vera ſunt, ſuis, ac proprijs argumentis demonſtrabimus.

Ac primùm S. Petrum Romæ aliquando fuiſſe, ex ipſius teſtimonio oſtẽditur. *Salutat vos Eccleſia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Hanc enim epiſtolam ex Româ ſcriptam eſſe, quæ dicitur Babylon à Petro, teſtis eſt Papias Apoſtolorum diſcipulus, & alij Patres. Præterea; Ioannes paſsim in Apoc. paſsim Romam vocat Babylonem; maximè vbi dicitur Babylon magna ſedere ſupra ſeptem montes, & habere imperium ſuper reges terræ. Nec enim alia ciuitas eſt, quæ Ioannis tempore imperium habuerit ſuper reges terræ, quàm Roma: & notiſsimum eſt, ſupra ſeptem colles Romam ędificatam eſſe. *Reſp. ad I. Prob. 1. 1. Pet. ad finem. Apoc. 17.*

Secun-

Prob. 2. Secundò prob. ex Act. vlt. & epiſtola ad Rom. ex quibus conſtat Romæ multos fuiſſe Chriſtianos, immò Eccleſiam amplam, & florentem, antequam Paulus eò veniret. Peto igitur, quis hos Chriſtianos fecerit, ſi Petrus non fuit Romæ? Nam quòd Petrus primus omnium prædicauerit Romanis, & Eccleſiam fundauerit, antequam Paulus eò veniret, multi veterum ſcribunt: quòd autem aliquis alius id fecerit, non poteſt vllo firmo argumento demonſtrari.

Prob. 3. Tertiò prob. ex hiſtoria de Euangelio Marci. Scribunt enim conſtanter grauiſsimi auctores, Marcum Romæ ſcripſiſſe Euangelium, prout ibidem Petrum prædicantem audiuerat.

Reſp. ad 2. prob. 1. Iam verò Petrum etiam Romæ vnà cum Paulo pro Chriſti gloria vitam poſuiſſe, teſtantur inprimis eorum ſepulchra. Nam, ſi Romæ Petrus, & Paulus mortui non ſunt, quis eorum corpora Romam detulit? vnde, & quando, & quibus teſtibus detulit? Si fortè reſpondeant, Apoſtolorum corpora Romæ non eſſe; vbinam, quæſo, ſunt? certè nuſquam alibi eſſe dicuntur. Nec eſt veriſimile, ſummorum Apoſtolorum corpora fuiſſe neglecta, cùm tot Sanctorum aliorum corpora videamus diligentiſsimè conſeruata.

Prob. 2. Deinde, teſtatur hoc idem conſenſus totius orbis terrarum, qui præcipuè ex peregrinationibus ad limina Apoſtolorum colligitur. Teſtantur hoc idem etiam teſtimonia veterum Patrum Græcorum, & Latinorum.

Reſp. ad 3. prob. 1. Denique; Petrum Epiſcopum Rom. fuiſſe, & eum Epiſcopatum ad mortem vſque retinuiſſe, primùm ſuadere videtur ipſa ſumma dignitas Romanæ Eccleſiæ. Semper enim omnium conſenſu habita eſt prima, & pręcipua omnium aliarum. Non poteſt autem vlla ratio reddi huius excellentiæ, niſi quia princeps Apoſtolorum illius Eccleſiæ proprius paſtor, & Epiſcopus fuit.

Prob. 2. Deinde; Si non fuerit Petrus Epiſcopus Romę vſque ad mortem, exponant aduerſarij, vbi Petrus ſederit eo tempore, quo reliquit Antiochiam. Nā, non manſiſſe perpetuò apud Antiochiam, Antiocheni ipſi confitentur, & ſatis id probat Eccleſiæ conſuetudo, quę nunquam attribuit primum locum Epiſcopo Antiocheno. Et nulla Eccleſia eſt, aut fuit, quę aſſereret, Epiſcopum ſuum fuiſſe Petrum, exceptâ Antiochenâ, & Romanâ.

Prob. 3. Accedant teſtimonium. & conſenſus omnium veterum Patrum; & teſtimonia veterum Romanorum Pont. martyrum, vel confeſſorum; veterum etiam teſtimonia Conciliorum.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Romanum Pontificem Petro ſuccedere in Eccleſiaſticâ Monarchia.

DEMONSTRANDVM nunc eſt Romanum Pontif. ſuccedere Petro non tantùm in Epiſcopatu Romano, ſed etiam in vniuerſæ Eccleſiæ primatu.

Prob. primò ex iure diuino, & ratione ſucceſsionis. Debet enim Petro iure diuino aliquis ſuccedere: ille non poteſt eſſe alius, quàm Pont. Romanus: igitur ille ſuccedit. Propoſitio prob. ex fine Pontificatus: nam certum eſt, Pontificem eſſe propter Eccleſiam, nō Eccleſiam propter Pontificem. Atqui Eccleſia non minus eget nunc vno paſtore, quàm tempore Apoſtolorū: immò vero etiam magis, cùm nunc ſint Chriſtiani & plures, & peiores. *Prob. 1. Primatus Pont. Rom.*

Secundo ex vnitate Eccleſiæ. Nam Eccleſia eſt vna, & eadem omni tempore: non igitur debet mutari forma regiminis, quæ eſt forma etiam Reip. & ciuitatis.

Tertio ex verbis Domini: *Paſce oues meas*. Nam officium paſtoris eſt officiū ordinarium, & perpetuum: ſiquidem ex natura rei, tam diu durare debet officium paſtoris, quàm diu manet ouile. Ouile autem manet vſque ad mundi conſummationem: ergo, &c. *Ioan vlt.*

Quarto ex eodem loco: nam Dominus omnes oues Petro commiſit; non ſolùm omnes ratione loci, ſed etiam ratione temporis, cùm non minus nouis quàm antiquis Chriſtus proſpicere debuerit. Sed Petrus non ſemper victurus erat in carne; ergo ſucceſſores eius Dominus allocutus eſt.

Quinto, Eccleſia eſt vnum corpus, & ſuum quoddam caput hîc in terris habet, prçter Chriſtum: nam, poſtquam Paulus dixerat, Eccleſiam eſſe vnum corpus, ſubiecit: *Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij*: quod certè non conuenit Chriſto. Nullum autem caput aliud aſsignari poteſt, præter Petrū; nec debet moriēte Petro corpus Eccleſiæ manere ſine capite: ergo, &c. *1. Cor. 12.*

Sexto; In veteri Teſtamento, ſucceſsio erat ſummorū Pont. nam Aaroni ſucceſsit Eleazarus: Eleazaro Phinees, & ſic de cæteris. Denique; huc faciunt omnia argumenta, quibus probatum eſt, regimen Eccleſię debere eſſe Monarchicum. Aſſumptio autem argumenti facilè probari poteſt. Nullus enim eſt, nec vnquā fuit, qui ſe Petri ſucceſſorem vllo modo aſſeruerit, vel pro tali ſit habitus, præter Romanum, & Antiochenum Epiſcopum: atqui Antiochenus non ſucceſsit Petro in Pontificatu Eccleſiæ totius. Nā non ſucceditur, niſi cedenti locū, vel per mortē naturalem, vel per mortem legitimā, id eſt, depoſitionem, vel renunciationem. Petrus, autem adhuc viuens, & Pontificatum gerens, Antiochenam Eccleſiam reliquit, & Romæ ſedem ſuam fixit: reſtat igitur, vt *Num. 20. Iud. 20.*

mus; ergò alio tempore & alio auctore cœpit Rom. Pontificis Eccleſiaſticus principatus. At nullum tempus aſsignari, nullus auctor notari poteſt, quin eo antiquiorem hunc primatum fuiſſe demonſtremus, niſi ad Chriſtum auctorem, & Chriſti tempora veniatur: ergò, &c.

Prob. etiam ex auctoritate, quem ſemper exercuerunt veteres Pont. in Epiſcopos cęteros. Siquidem legimus, à Pont. Romanis Epiſcopos in toto orbe inſtitutos, vel depoſitos, vel reſtitutos. *Prob 4.*

Prob. quoque ab auctoritate leges ferendi, diſpenſandi, & puniendi, quam Rom. Epiſcopus in Eccleſiæ filios, quamuis maximos, & nobiliſsimos exercuit. *Prob. 5.*

Prob. etiam ex eo, quòd Rom. Pontifex à nemine in terris poſsit iudicari. Nota, nos hic non diſputare de Rom. Pontifice, vt eſt princeps temporalis, hoc enim modo ne aduerſarij quidem negant, eum non poſſe iudicari in cauſſis temporalibus. Eſt enim cõmune omnibus abſolutis Principibus, vt nullum agnoſcant ſuperiorem in negotijs temporalibus. Loquimur ergò de Pontifice ratione ſolius Pontificatus: ac dicimus eum, etiamſi ditionem temporalem nullam haberet, non poſſe vllo modo iudicari in terris ab vllo Principe Chriſtiano, ſiue ſęculari, ſiue Eccleſiaſtico, neque ab omnibus ſimul in Concilio congregatis. *Prob. 6.*

Ratio autem pręcipua, cur Papa iudicari non poſsit, eſt, quia Princeps eſt Eccleſiæ totius, & proinde ſuperiorem in terris non habet: nam, quia ſummus Princeps eſt Eccleſiæ, non poteſt iudicari ab vllo Eccleſiaſtico Antiſtite: & rurſum, quia Reſp. Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt, ac proinde maior ac ſublimior quàuis Rep. temporali, propterea ſummus Princeps Eccleſiæ dirigere, & iudicare poteſt ſummum Principem Reip. temporalis; non autem ab eo dirigi, aut iudicari debet, niſi rectus ordo, & ipſa rerum natura peruertatur.

Prob. hoc etiam ex teſtimonijs Conciliorum, Pontificum, Imperatorum, ac Doctorum Eccleſiæ. *Prob. 7.*

Sed obijciunt Pontificem in caſu hæreſis poſſe iudicari ab Eccleſiâ, & deponi. *Obiect.*

Reſpondeo de hâc re quinque eſſe opiniones. Prima eſt Alberti Pighij, qui contendit, Papam non poſſe eſſe hęreticum, proinde nec deponi in vllo caſu: quæ ſententia poteſt defendi. *Reſp. 1. Sententia.*

Secunda eſt, Papam eo ipſo, quo in hęreſin incidit, etiam interiorem tantùm, eſſe extra Eccleſiam, & depoſitum à Deo; quocirca ab Eccleſia poſſe iudicari, id eſt, declarari depoſitum iure diuino, & deponi de facto, ſi adhuc recuſet cedere. Hęc eſt Ioannis de Turrecremata, ſed mihi non probatur. Nam iuriſdictio datur quidem Pont. à Deo, ſed hominum operâ concurrente: igitur non aufertur etiam à Deo, niſi per hominem. At Hæreticus occultus non poteſt ab homine iudicari: falſum ergò etiam eſt eum eſſe extra Eccleſiam. *2. Sententia.*

Tertia opinio eſt in altero extremo; nimirum Papam neque per hæreſin occultam, neque per manifeſtam eſſe depoſitũ, aut deponi poſſe. Sed hæc eſt valdè improbabilis: miſerrima enim eſſet conditio Eccleſiæ, ſi lupum ma- *3. Opinio.*

 nifeſtè

niſeſtè graſſantem pro paſtore agnoſcere cogeretur.

4. Opinio. Quarta opinio eſt Caietani, qui docet, Papam hæreticum manifeſtum non eſſe ipſo facto depoſitum, ſed poſſe, ac debere deponi ab Eccleſia. Quæ ſententia iudicio meo defendi non poteſt. Nam, quòd hæreticus manifeſtus ipſo facto ſit depoſitus, prob. auctoritate, & ratione. Auctoritas eſt B. Pauli, qui Tit. 3. iubet, hæreticum poſt duas correptiones, id eſt, poſtquam manifeſtè apparet pertinax, vitari: & intelligit ante omnem excommunicationem, & ſententiam iudicis. At non poteſt vitari manens Papa: Ergò, &c. Ratio etiam certiſsima eſt. Nam non Chriſtianus non poteſt eſſe Papa, quia non poteſt eſſe caput id, quod non eſt membrum: at non eſt membrum Eccleſiæ, qui non eſt Chriſtianus. Ergò, &c. Poſſe etiam Papam hæreticum ab Eccleſia deponi verè, & ex auctoritate, non minùs videtur falſum: nam ſi Eccleſia inuitum Papam deponit, certè eſt ſupra Papam.

5 Opinio. Quinta ergò opinio vera eſt, Papam hæreticum manifeſtum per ſe definere eſſe Papam, & caput; ſicut per ſe deſinit eſſe Chriſtianus, & membrum corporis Eccleſiæ: quare ab Eccleſia poſſe eum iudicari, & puniri. Hæc eſt ſententia omnium veterum Patrum, qui docent, hæreticos manifeſtos mox amittere omnem iuriſdictionem: & etiam doctiſsimorum recentiorum.

Prob. Fundamentum autem eſt, quia hæreticus manifeſtus nullo modo eſt membrum Eccleſiæ; id eſt, neque animo, neque corpore; ſiue neque vnione interna, neque externa. Nam Catholici etiam mali vniti ſunt, & ſunt membra animo, per fidem; corpore, per confeſsionem fidei, & viſibilium Sacramentorum participationem: hæretici occulti ſunt vniti, & ſunt membra ſolùm externa vnione; ſicut è contrario boni Catechumeni ſunt de Eccleſia interna vnione tantùm; non autem externa: hæretici manifeſti nullo modo.

Prob. 8. Prob. etiam primatus Rom. Pontificis ex nominibus, quę ipſi tribui ſolent: Quæ ſunt quindecim: Papa, Pater Patrum, Chriſtianorum Pontifex, Sacerdos ſummus, Princeps Sacerdotum, Vicarius Chriſti, Caput corporis Eccleſiæ, Fundamentum ædificij Eccleſiæ, Paſtor ouilis Domini; Pater, & Doctor omnium fidelium, Rector domus Dei, Cuſtos vineę Dei, Sponſus Eccleſię, Apoſtolicæ ſedis Pręſul, Epiſcopus vniuerſalis. Ex quibus omnibus, & ſingulis apertè colligitur eius primatus.

Papa. Primum, & communiſsimum, & antiquiſsimum Epiſcopi Romani nomen eſt *Papa*. Eſt autem Papa, ſeu Pappas apud Græcos vox, qua blandientes, vel balbutientes pueruli parentes ſuos appellare ſolebant: nam apud Homerum filia dicit Patri; πάππα φίλε. Apud Latinos veteres ſimiliter patrem, vel auum, id eſt, patrem patris, ſignificabat. Hinc ergò Eccleſiaſtici patrem ſpiritualem blando illo vocabulo Papam appellare cœperunt. Quamuis autem nomen hoc tribuatur à veteribus interdum cuilibet Epiſcopo, tamen tribus modis ex hoc nomine colligitur Epiſcopi Rom. primatus.

Primò, quia per antonomaſiam, cùm abſolutè pronunciatur Papa, ipſe ſolus intelligitur.

Secundò, quia ipſe ſolus totius Eccleſię dicitur Papa.

Tertiò, quia Epiſcopus Rom. à toto mundo, & à generalibus Concilijs

vocatur

vocatur pater, ſiue Papa: ipſe vero neminem vocat Papam, vel patrem; ſed omnes filios, vel fratres.

De 14. nomine, nota interdum ab antiquis vocari ſedes Apoſtolicas, non ſolùm Romanam, ſed etiam Antiochenam, Ieroſolymitanam, Epheſinam, & alias: quas Apoſtoli fundauerunt, & in quibus, tanquam Epiſcopi, ſederunt. Sed in tribus excellit Rom. Pontifex quantum ad hoc nomen. *Præſul 14. Apoſtolica.*

Primo, quia cùm dicitur abſolutè, ſedes Apoſtolica, ſemper intelligitur Romana.

Secundo, quia Rom. Pontifex non ſolùm dicitur ſedem Apoſtolicam tenere, vt Antiochenus, & Epheſinus, ſed etiam principatum Apoſtolicę ſedis.

Tertio, quia Rom. Pontifex non tantùm dicitur Pręſul Apoſtolicę ſedis, vt Antiochenus, & quidam alij, ſed etiam munus eius dicitur Apoſtolatus. Ex quo deducitur, Antiochenum & Epheſinum, & ſimiles fuiſſe quidem Epiſcopos, Apoſtolicarum ſedium, id eſt, earum, in quibus Apoſtoli ſederant, ſed non ſucceſsiſſe Apoſtolis in Apoſtolatu vllo modo: at Rom. Pontificem eſſe Epiſcopum Apoſtolicę ſedis, & ſuccedere aliquo modo in Apoſtolatu, id eſt, in cura totius orbis terrę, quę erat pars quędam Apoſtolatus.

CAPVT VI.

De nomine Antichriſti; & An ſit vnus homo, an genus hominum?

NOmen *Antichriſti* ſolùm ſignificat aliquem Chriſto contrarium; & contrarium non quomodocunque, ſed ita, vt cum eo de ſede, & dignitate Chriſti certet: id eſt, qui ſit æmulus Chriſti, & velit haberi Chriſtus deiecto eo, qui verè eſt Chriſtus. *Nom. Antichriſti.*

Prob. primo, quia apud Græcos illa vox ἀντὶ, propriè ſignificat oppoſitionem. Et quoniam opponi dicuntur non ſolum ea, quæ pugnant inter ſe, ſed etiam ea, quæ æquipollent, hinc factum eſt, vt ἀντὶ in compoſitione interdum ſignificet contrarietatem, interdum æquiualentiam: nunquam autem ſubordinationem. Vt patet in exemplis. ἀντίπαλος ſignificat æmulum in luctâ: ἀντίδοτον contrarium remedium: ἀντίφρασις contrariam locutionem: ἀντίστροφος æquiualentem: ἀντίθεος æqualem Deo: ἀντίχειρ pollex eſt, quia è regione opponitur, & æquiualet toti reliquę manui: & ſic de cęteris. Vicarius autem non ſignificat oppoſitionem, ſed ſubordinationem ad aliud: & ideo non poteſt exprimi per vocem ἀντὶ. *Prob. 1.*

Secundo prob. ex Scriptura. Nam etiamſi hoc nomē eſſet ex ſe ambiguum, tamen, vt in Script. accipitur, non eſt ambiguum: & noſtra quęſtio non debet *Prob. 2.*

2. Teſſa. 2. ... de voce ἀντίχριστος abſolute, ſed vt in Scripturâ accipitur. Porrò in Script. Antichriſtus dicitur is, *qui extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus:* quod non eſt

1. Ioan. 2. eſſe Vicarium, ſed hoſtem Chriſti Dei. Et apud Ioannem dicitur is, *qui negat Ieſum eſſe Chriſtum*; id eſt, qui negat Ieſum eſſe Chriſtum, vt ſeipſum pro Chri-

Matth. 24. ſto venditet. Apud Matth. etiam Antichriſtus dicitur affirmaturus ſeipſum eſſe Chriſtum, quod ſanè non eſt Vicarij, ſed æmuli.

Prob. 3. Tertiò prob. ex omnibus auctoribus qui de Antichriſto ſcripſerunt, & ex communi ſenſu Chriſtianorum. Quoad ſecundum, conuenimus cum aduerſarijs in eo, quòd ſicut nomen Chriſti accipitur dupliciter: interdum propriè pro quodam eximio, & ſingulari Chriſto, qui eſt Ieſus Nazarenus; interdum communiter pro his omnibus, qui habent cum Chriſto ſimilitudinem,

Pſal. 104. quantũ ad vnctionem, quomodo Prophetæ, & Reges & Sacerdotes omnes

2. Teſſa. dicuntur Chriſti: *Nolite tangere Chriſtos meos:* ita etiam nomen Antichriſti in-

Ioan. 5. & alibi terdum accipitur propriè pro quodam eximio Chriſti hoſte; interdum communiter pro omnibus, qui quoquo modo Chriſtum oppugnant. *Audiſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Id eſt, audiſtis venturum

1. Ioan. 2. Antichriſtum, & nunc, licet ille ſingularis Antichriſtus nondum venerit, tamen multi ſeductores iam venerunt, qui etiam Antichriſti dici poſſunt.

Quæſt. At diſſentimus de Antichriſto propriè dicto; *An ille ſit homo vnus ſingularis?* Catholici autem omnes ita ſentiunt.

Prob. 1. Prob. ex omnibus Script. & Patribus, qui de Antichriſto agunt. Primus

Ioan 5. Script. locus eſt: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipiſtis me; ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* Hæc verba dicta de vno Antichriſto, teſtantur Patres. Præterea Dominus opponit ſibi alium hominem, id eſt perſonæ perſonã: non regnum regno, neque ſectam ſectæ. Deinde, Chriſtus hic dicit, Antichriſtum à Iudæis pro Meſsiâ recipiendum. Conſtat autem Iudæos vnum certum, & ſingularem hominem expectare. Item; omnes falſi Prophetæ venerunt in

Hier 14. nomine alterius, non in nomine ſuo: *Falſo Prophetæ vaticinantur in nomine meo, nõ miſi eos*, &c. At hic Dominus loquitur de vno quodam, qui veniet in nomine ſuo, id eſt, qui non agnoſcet Deum aliquem, ſed *extollet ſe*, vt Paulus ait, *ſupra omne, quod dicitur Deus*. Denique; Falſi Prophetæ permulti venerant ante Chriſti aduentum; permulti etiam poſteà venturi erant. Non igitur Dominus dixiſſet: *Si alius venerit*, ſed, multi veniunt, ſi de falſis Prophetis loqui voluiſſet.

2. Teſſ. 2. Secundus locus eſt: *Niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* &c. Et infrà: *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Sed Apoſtolus loquitur de certâ quâdam, & particulari perſonâ, vt patet ex articulis Græcis: ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τῆς ἀπολείας. Et infrà: καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. Vt enim Epiphanius docet, articuli Græci contrahunt ſignificationem ad vnam rem cer-

1. Ioan 2. tam, ita vt ἄνθρωπος ſignificet hominem in communi: at ὁ ἄνθρωπος hominẽ ſingularem.

Tertius locus eſt: ἠκούσατε ὅτι ὁ ἀντίχριστος ἔρχεται, καὶ νῦν ἀντίχριστοι πολλοὶ γεγόνασιν Vbi articulum præponit Antichriſto propriè dicto: ſine articulo verò effert nomen Antichriſti communiter accepti.

Dan. 7. 11. 12. Quartus eſt, vbi Daniel loquitur de Antichriſto, & vocatur non vnum

Regnum

Regnum, ſed vnus quidam Rex: qui ex decem Regibus, quos in mundo inueniet, tres omninò tollet è medio, & alios ſeptem ſibi ſubijciet. Sed Antiochus illuſtris, qui figuram gerebat Antichriſti, certa quędam, & ſingularis perſona fuit, ergò, &c.

Quintus eſt in Apoc. quæ loca intelligi de Antichriſto, docet Irenæus, & perſpicuum eſt ex ſimilitudine verborum Danielis, & Ioannis. Vterque enim mentionem facit decem Regum, qui erunt in terrâ, quando veniet Antichriſtus, & vterque Antichriſti regnum tribus annis cum medio duraturum prędicit, &c. Sicut ergò Daniel de vno certo Rege loquitur; ita & Ioannes in Apoc. *Apoc. 13. & 17.*

Prob. 2. Idem prob. ex Patribus, qui communi conſenſu de Antichriſto docēt. Primò, enim fore inſtrumētum Diaboli electiſsimum, ita vt in eo inhabitet omnis plenitudo diabolicæ malitiæ corporaliter: ſicut in homine Chriſto habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Secundò, Antichriſtum non regnaturum, niſi tres annos cum medio; ac proinde docent, Antichriſtum vnum hominem tantum futurum.

CAPVT VII.

De tempore aduentus Antichriſti, & mortis eius.

Tempus Antichriſti. DE tempore, quo venturus eſt Antichriſtus, multi ſunt Hæreticorum errores, & Catholicorū ſententiæ: ſed vera ſententia eſt, nondum regnare cępiſſe, neque veniſſe; ſed venturum, & regnaturum circa mundi finem: qui quantùm adhuc abſit, nullo modo ſciri poteſt.

Hæc ſententia demonſtratur ſex rationibus. Sciendum eſt enim Spiritum S. in diuinis litteris ſex ſigna certa aduentus Antichriſti nobis dediſſe. Duo pręcedentia ipſum Antichriſtum; nempe prędicationem Euangelij in toto mundo, & Imperij Rom. deſolationem: Duo comitantia; videlicet prędicationem, Henoch, & Heliæ; & perſecutionem maximam & notiſsimam, ita vt publica ſacra omninò ceſſent: Duo ſequentia; nimirum interitum Antichriſti poſt tres annos cum medio, & finem mundi, quorum nullum adhuc videmus exiſtere.

1. Signum Antichriſti. De primo Script. teſtantur, in toto mundo prędicandum Euangelium, antequam veniet vltima perſecutio, quæ ab Antichriſto excitabitur. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus Gentibus.* *Matth. 25.* Quòd autem hoc futurum ſit ante aduentum Antichriſti, prob. quia tempore Antichriſti crudelitas perſecutionis illius nouiſsime impediet omnia publica exercitia veræ religionis. Idem etiam docent Patres. Quòd autem hoc noſtro tempore non ſit adhuc completum, prob. experientiâ. Inuentæ ſunt enim in Oriente, & Occidente regiones vaſtiſsimæ, in quibus nulla extat memoria

Euan-

Euangelij. Neque dici poteſt fuiſſe ibi fidem, ſed poſteà extinctam. Nam ſaltem aliqua veſtigia remanerent, vel ibi, vel in ſcripturis veterum. Prętereà; ſcimus, vbi prędicauerunt omnes Apoſtoli, fuiſſe loca multis nota, non dicam omnibus. At nouus orbis terræ nunc inuentus, non fuit cognitus ab Apoſtolorum temporibus, niſi paulò ante noſtram ætatem.

2. *Signum.* De ſecundo ſigno ſciendum, Rom. Imperium tandem diuidendum in decem Reges, quorum nullus erit, vel dicetur Rex Romanorum, etſi omnes occupabunt prouincias aliquas Rom. Imperij. Sicut modò Rex Galliæ, Rex Hiſpaniæ, Regina Angliæ, & fortè aliqui alij tenent partes Romani Imperij; & tamen non ſunt Rom. Reges, vel Imperatores: donec autem hoc non fit, non poteſt Antichriſtus venire.

Li.5.c.26. Dan. Probat hoc Irenęus ex Daniele, & Apocalypſi. Nam apud Danielem deſcribitur ſucceſsio pręcipuorum regnorum, vſque ad cōſummationem mundi, per ſtatuam quandam, cuius caput aureum ſignificat primum regnum, id eſt, Aſſyriorum: pectus argenteum eſt regnum ſecundum, id eſt, Perſarum: venter æneus regnum tertium, id eſt, Gręcorum: tibiæ ferreæ regnum quartum, id eſt, Romanorum; quod longiſsimo tempore fuit bipartitum, ſicut tibiæ duæ ſunt, & longiſsimæ. Porrò ex duabus tibijs oriebantur decem digiti, & eis tota illa ſtatua deſinebat; quia videlicet Rom. Imperium tandem in decem Reges, diuidendum erat, quorum nullus erit Rex Romanorum, ſicut nullus digitus eſt tibia.

Dan.7. Iam verò alibi Daniel clariſsimè per quatuor beſtias eadem quatuor regna deſignat, & addit ex vltimâ beſtiâ proditura decē cornua, quæ decē vltimos Reges deſignant, qui orientur quidem ex Rom. Imperio, ſed non erūt Rom. *Apoc.15.* Imperatores: ſicut cornua oriuntur ex beſtiâ ſed ipſa beſtia non ſunt. Denique Ioannes deſcribit beſtiam, cum ſeptem capitibus, & decē cornibus, ſuper quam mulier quędā ſedebat: & explicat mulierem eſſe vrbem magnam, quæ ſedet ſuper ſeptem colles, id eſt, Romam: ſeptem capita eſſe ſeptem illos mōtes, & etiam ſeptem Reges, quo numero intelliguntur omnes Rom. Imperatores. Decem cornua, dicit eſſe decem Reges, qui vno tempore ſimul regnabunt. Et ne putemus hos fore Rom. Reges, addit, quòd hi reges odio habebant fornicariam, & deſolatam facient, quia ita inter ſe diuident. Rom Imperium. vt illud penitùs deſtruant.

2.Theſſ.2. Deinde prob. ex Paulo idem: *Et nunc quid detineat, ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore, tantùm, vt qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus,* &c. Vbi Paulus non auſus apertè ſcribere de euerſione Rom. Imperij. quod tamen apertè illis coram explicauerat, ſic loquitur, & ſenſus eſt: Scitis, quid impediat aduentum Antichriſti. Dixi enim vobis, Rom. Imperiū impedire, quia non ſunt adhuc impleta eius peccata: & non antè veniet Antichriſtus, qui hoc Imperium propter ſua peccata tollat è medio. Ideò, *qui nunc tenet* Rom. Imperium, *teneat*: id eſt, regnet, *donec de medio fiat*, id eſt, aboleatur *& tunc reuelabitur ille iniquus.* Ita exponunt Græci Patres, & Latini. Quòd autem hoc non ſit impletum vnquam hactenus, patet, quia adhuc manet ſucceſsio, & nomen Rom. Imp. & mirabili prouidentiâ Dei, quando Imperium defecit in Occidente, quod erat altera tibiarum ſtatuæ Danielis,

manſit

manſit incolume Imperium in Oriente, quod erat altera tibia. Quia verò imperium Orientis deſtruendum erat per Turcas, vt nunc factum videmus; iterum Deus erexit in Occidente priorem tibiam, id eſt, Imperium Occidentale, per Carolum Magnum, quod Imperium adhuc durat.

Tertium ſignum eſt ex aduentu Henoch, & Eliæ, qui adhuc viuunt; & ad hoc viuunt, vt venienti Antichriſto ſe opponant, & conſeruent electos in fide Chriſti, & tandem Iudæos conuertant: quod tamen certum eſt, nondum eſſe impletum. Quatuor Script. extant de hâc re. *3. Signum.*

Prima: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniet dies Domini magnus, & conuertet corda patrum ad filios, & corda filiorum ad patres eorum.* *Malach. 4.*

Secunda, vbi de Elia legimus: *Qui receptus es in turbine ignis, in turbine equorum igneorum. Qui inſcriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Et: *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, vt det Gentibus pœnitentiam.* *Eccl. 48.* *Eccl. 44.*

Tertia: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* *Matth 17.*

Quarta: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus M. CC. LX.* Quod verba Malachiæ non poſsint intelligi de quibuſdam Doctoribus, vt de Luthero, Zwinglio, &c. Patet, nam Malachias dicit, ab Elia conuertendos eſſe Iudæos, & propter Iudæos præcipuè mittendum; vt patet ex illo; *Mittam vobis.* Et Eccleſiaſtico: *Reſtituere tribus Iacob.* At Lutherus, & Zwinglius nullum Iudæorum conuerterunt. Quòd etiam non poſsint intelligi de Ioanne Baptiſta ad litteram, ſed ſolùm de Elia, patet, quia Malachias loquitur de ſecundo aduentu Domini, qui erit ad iudicandum. Sic enim ait: *Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Primus enim aduentus non vocatur dies magnus, & horribilis; ſed *tempus acceptabile*, & *dies ſalutis.* Vnde ſubditur: *Ne fortè veniens feriam terram anathemate*: id eſt, ne veniens ad iudicium, & inueniens omnes iniquos, omnem terram condemnem, ideò mittam Eliam, vt habeam aliquos, quos ſaluem. Quòd etiam Eccleſiaſt. loquatur de perſonis ipſis Henoch, & Elia, prob. nam dicit illum Henoch venturum, *vt det Gentibus pœnitentiam, qui tranſlatus eſt in paradiſum*: Et illum Eliam venturum ad reſtituendas tribus Iſraël, qui in curru equorum igneorum raptus fuerat. Quòd etiam verba Domini intelligantur de vero Elia, planum eſt, quia Ioannes iam venerat, & abſoluerat curſum ſuum, & tamen Dominus ait: *Elias venturus eſt.* Quòd verò non intelligantur de omnibus Doctoribus, ſed de vno vero Elia, prob. poteſt primò, quia Apoſtoli, qui mouerunt quæſtionem de Eliâ, fuerunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes, & occaſionem acceperunt ex transfiguratione Domini, vbi Moyſen, & Eliam viderunt. Itaque cum interrogant: *Quid ergò Scribæ dicunt, quia Eliam oportet venire primùm?* Loquuntur de illo Elia, quem viderant in monte cum Chriſto. Igitur Chriſtus reſpondens: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* Loquitur etiam de illo Elia particulari, qui apparuerat in tráſfiguratione. Secundò patet hoc ex illis verbis: *Et reſtituet omnia.* Id enim non fecit Ioannes Baptiſta, nec vllus alius. Nam reſtituere omnia, eſt omnes Iudæos, & hæreticos, & fortè multos Catholicos ab Antichriſto deceptos reuocare ad veram fidem. Quod denique verba Ioannis in Apoc. intelligi debeant de ſingularibus perſonis, patet ex eo, quod ibidem Ioannes dicit, eos interfi- *Apoc. 11.*

ciendos ab Antichriſto, & corpora eorum per tres dies manſura inſepulta in plateâ Ieruſalem, & poſt tres dies eos reſurrecturos, & in cœlum aſcenſuros: quæ nulli hactenus contigerunt.

4 Signum Quartum ſignum ſumitur ex eo, quòd certum eſt, Antichriſti perſecutionem fore grauiſsimam, & notiſsimam, ita vt ceſsent omnes publicę religionis *Matth. 24.* cęremoniæ, & ſacrificia, quorum nihil adhuc videmus. Fore perſecutionem illam grauiſsimam patet: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initiò mundi, neque erit.* *Apoc. 20.* Et in Apoc. legimus. *Tunc Satanam ſoluendum*; qui vſque ad illud *Li. 20. de ciuit. Dei. c 11.* tempus fuerat ligatus. Fore notiſsimam iſtam perſecutionem, probat Auguſtin. ex illis verbis: *Et cinxerunt caſtra Sanctorum, & dilectam ciuitatem.* Vbi *Apoc. 20.* ſignificatur, omnes prorſus impios ſimul futuros in exercitu Antichriſti, & aperto Marte oppugnaturos omnem Sanctorum Eccleſiam. Hoc ſanè adeò non eſt impletum hoc tempore, vt nunquam ferè fuerit maior numerus falſorum fratrum, & fictorum Chriſtianorum. Denique quòd Antichriſti tempore ceſſare debeat publicum Eccleſiæ officium, & ſacrificium, apertè docet *Dan. 12.* Daniel: *A tempore, cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium dies M. CC. XC.* Vbi omnium conſenſu loquitur de tempore Antichriſti. Hoc autem ſignum nondum impletum, docet experientia.

5. Signum. Quintum ſignum eſt quòd Antichriſtus non regnabit, niſi tres annos cum medio: Et Papa iam regnauit ſpiritualiter in Eccleſia, pluſquam M.D. annis, nec poteſt aſsignari vllus, qui ſit habitus pro Antichriſto, qui pręciſe regnauerit tribus annis cum medio.

Dan. 7. 12. Apoc. 12. Prob. hoc ſignum ex Daniele, & Apocalypſi. Vbi legimus, duraturum Antichriſti regnum per *tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Nam per *tempus* intelligitur vnus annus; per *tempora* duo anni; per *dimidium temporis* medius *Apoc. 11. 13* annus. Sic enim explicat idem Ioannes: nam alibi dicit, Antichriſtum regnaturum menſibus XLII. qui rectè faciunt tres annos cum medio. Dicit etiam, *Apoc. 11.* Henoch, & Eliam prędicaturos diebus M. CC. LX. qui idem tempus efficiunt. Nam Hebręi vtebantur annis, & menſibus lunaribus. et ſi eos reuocarent ad ſolares, addendo ſexto quoque anno vnam lunationem. Tres autem anni lunares cum medio faciunt rectiſsimè XLII. menſes, ſiue M.CC. LX. dies: ſiquidem annus lunaris plenus, & perfectus conſtat ex duodecim menſi- *Dan. 12.* bus, quorum quilibet habet dies XXX. Neque obſtat, quòd apud Danielem dicitur Chriſtus regnaturus M. CC. XC. diebus, hoc eſt diebus XXX. ampliùs, quàm dixerit Ioannes: nam Ioannes loquitur de Henoch, & Eliâ, qui ab Antichriſto occidentur vno menſe, antequam Antichriſtus pereat. Et hæc eſt communis veterum ſententia.

Secundò prob. hoc ſignum ex eo, quòd Script. dicunt, tempus Diaboli ſo- *Apoc. 12.* luti, & Antichriſti, fore breuiſsimum: *Væ terra, & mari, quia deſcendit Diabolus ad* *Apoc. 20.* *vos, habens iram magnam, ſciens, quòd modicum tempus habet.* Et: *Ligauit eum per mille annos, & poſt hæc oportet ſolui modico tempore.*

Tertiò, quia, vt Auguſtin. & Gregor. argumentâtur, niſi illa ſæuiſsima perſecutio eſſet breuiſsima, multi perirent, qui non ſunt perituri. *Niſi breuiati fuiſ-* *Matth. 24.* *ſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro.*

Quartò, Chriſtus prędicauit ſolùm tribus annis cum medio: ergò decet etiam

etiam, vt Antichriſtus non permittatur diutius prædicare?

Quintò; quia ſumma annorum, mille ducenti ſexaginta, quam aduerſarij cõſtituunt, nullo modo accõmodari poteſt ad illa verba Danielis, & Ioannis: *Tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Nam per *tempus* debet intelligi ſine dubio aliquis vnus numerus; vt vnus dies, vna hebdomada, vnus menſis, vnus annus, vnum luſtrum, vnum Iubilęum, vnum ſęculum, vnum millenarium. Sed, ſi accipiamus vnum millenarium, tunc Antichriſtus erit regnaturus tribus millibus annorum, & quingentis; quod aduerſarij nòn admittunt. Si vnũ ſęculum, tempus Antichriſti erit anni trecenti, quinquaginta; quod etiam nõ admittunt. Idem patet de vno Iubilæo, & alijs.

Sextò; quia, cùm apud Danielẽ aliquoties legamus, *ſeptem tempora tranſitura,* quibus erit futurus extra regnũ ſuũ Nabuchodonoſor, per illa tempora omnes intelligunt ſeptem annos: aliàs oporteret dicere Nabuchodonoſor vixiſſe extra regnum bis mille, & quingentos, quinquaginta quinque annos. *Dan 4.*

Sextum ſignum erit, mundi conſummatio. Nam Antichriſti aduentus erit paulò ante finem mundi. Ergò, ſi Antichriſtus iam dudum veniſſet, vt volunt aduerſarij, deberet mundus iam dudum eſſe finitus. Daniel bis loquens de Antichr.ſto ſemel narrans viſionem ſuam, & ſemel exponens viſionem, vtrâque vice ſubiungit, poſt Antichriſtum ſecuturum ſtatim vltimum iudicium. *Conſiderabam,* inquit, *cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt, & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius. Aſpiciebam, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit,* &c. Et infrà explicans viſionem: *Beſtia quarta,* inquit, *quartum regnũ erit. Porrò cornua decem, decem reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit,* &c. *Et tradentur in manu eius per tempus, & tempora, & dimidium temporis, & iudicium Dei ſedebit.* Similis eſt prophetia Ioannis: *Poſt hæc oportet illum ſolui modico tempore, & vidi ſedes, & ſederunt ſuper illas, & iudicium datum eſt eis.* &c. Et rurſum idem Daniel, poſtquam dixerat, Antichriſti regnum duraturum diebus mille, ducentis, & nonaginta, ſubiungit: *Beatus qui expectat, & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque.* id eſt, vſque ad dies XLV. poſt mortem Antichriſti: tunc enim Dominus veniet ad iudicium, & coronas iuſtitiæ victoribus reddet, vt exponunt Hieronymus, & Theodoretus. Deinde idem colligitur ex Matthæo: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo mundo in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc erit conſummatio.* id eſt, paulò pòſt erit mundi finis Et infrà: *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & tunc apparebit ſignum filij hominis,* &c. Idem ex Paulo: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui,* &c. Vbi Apoſtolus docet, ferè immediatè poſt Antichriſtum venturum Chriſtũ. quia nimirum intercedet breuiſsimum tempus, & doli, ac fraudes Antichriſti, quę deſtrui ceptæ erant per Eliam, & Henoch, deſtruentur penitùs per ipſum Chriſti aduentum, & horribilia ſigna præcedentia. Idem habetur apud Ioannem: *Filioli, nouiſsima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt. vnde ſcimus, quia nouiſsima hora eſt.* Vbi Ioannes dicit, hoc tempus à Chriſto vſque ad finem mundi eſſe nouiſsimam horam, id eſt, nouiſsimum tempus, ſiue vltimam ætatem, vt Auguſtin. exponit. Ioannes enim

6. Signum. *Dan. 7.* *Apoc. 20.* *Dan. 12.* *Matth. 24.* *2. Teſſa. 2.* *1. Ioan. 2.*

ſic argumentatur: Scimus Antichriſtum venturum in fine mundi: at nunc videmus iam adeſſe multos eius præcurſores, ſiue minores Antichriſtos: ergò ſignum eſt certum, hanc eſſe nouiſsimam horam, ſiue ætatem. Denique idem habetur ex communi conſenſu Patrum. Ex hoc ſigno coniunctо cum ſuperiori efficitur demonſtratio inſolubilis: Nam ſi continuo poſt mortem Antichriſti mundus finietur, & Antichriſtus non viuet, poſtquam apparuerit, & regnare cęperit, niſi tribus annis cum dimidio: ergo non apparebit nec regnare incipiet, niſi tribus annis cum dimidio ante mundi finem. At Papa regnauit iam cum vtroque gladio ſupra 500. annos; & tamen mundus adhuc durat.

CAPVT VIII.

De nomine proprio, gente, ſede, doctrina miraculis, regno, & prælijs Antichriſti.

Nomen Antichriſti. *Apoc. 13.*

DE nomine fatentur omnes, pertinere omnino ad Antichriſtum verba illa Ioannis: *Et faciet omnes puſillos cum magnis, diuites, & pauperes, liberos, & ſeruos, habere characterem in dextera manu, aut in frontibus ſuis; & ne quis poſſet emere, aut vendere, niſi habeat characterem, & nomen beſtiæ, aut numerum nominis eius: Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ; numerus enim hominis eſt, & numerus eius 666.* Sed de hoc numero plures ſunt opiniones. Veriſsima autem ſententia eſt eorum, qui ſuam confitentur ignorantiam, & dicunt adhuc
L. 5. c. 30. ignorari nomen Antichriſti. Idque duplici ratione probat Irenæus. Prima, quia multa inueniuntur nomina, quæ numerum illum efficiunt: nec diuinare licet ex tam multis ſimilibus, quod ſit illud vnum, quod prædictum eſt. Deinde, quia ſi Deus vellet hoc tempore ſciri nomen eius, per ipſum Ioannem vtique id prodidiſſet. Tria autem nomina in medium attulit Irenæus, Εὐάνθας, Λατεῖνος, & τείταν, ex quibus ſecundum veriſimilius eſſe primo, & tertium ſecundo, affirmauit, nullo vero modo certum. Notandum autem, nomen Antichriſti fore notiſsimum, cùm ille venerit. Nam etiam antequam Chriſtus veniret, Iudęi non certo nouerant, quo nomine appellandus eſſet, etiamſi multa de eius nomine Prophetæ prædixerant. Quin etiam Sibylla quædam, vt eſt in primo libro Sibyllin. carminum, notauerat numerum nominis Chriſti futuri, ac dixerat eſſe 888. Et tamen nondum poterant homines ante Chriſti aduentum dicere, vocandum eſſe Ieſum. Ex his etiam inſolubile argumentum ſumi poteſt de Pontifice. De charactere etiam illo duæ, vel tres ſunt opiniones: ſed ego crediderim poſitiuum characterem excogitandum ab Antichriſto, ſicut Chriſtus habet ſignum crucis omnibus notum; ſed ignorari,

rari, quiſnam iſte ſit character, donec Antichriſtus veniat, ſicut de nomine diximus.

De generatione Antichriſti quędam probabilia ſunt, quædam certa. Primum probabile eſt, Antichriſtum de muliere fornicaria naſciturum, non ex legitimo matrimonio. Docent hoc Damaſcenus, & quidam alij, ſed non eſt certum. *Generatio Antichriſti.*

Secundum, Antichriſtum naſciturum de tribu Dan. Docent hoc multi Patres, & probant ex eo: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita,* &c. Item ex eo: *Ex Dan audiuimus fremitum equorum eius.* Denique ex eo, quod, vbi ſignantur ab Angelo duodecim millia ex omni tribu filiorum Iſraël, omittitur tribus Dan: quod videtur factum in odium Antichriſti. Hæc ſententia eſt valdè probabilis, propter multorum Patrum aũctoritatem, non tamen omnino certa; tum, quia plerique eorum Patrum non dicunt hoc ſe ſcire, ſed probabile eſſe inſinuant: tum, quia nulla earum Scripturarum conuincit. *Gen. 49. Ier. 8. Apoc. 7.*

Videtur enim Iacob in Gen. ad litteram loqui de Samſone. Samſon enim fuit de tribu Dan, & fuit verè Philiſtæis tanquam coluber in via. Nam vbiq; eis occurrebat, eoſque vexabat: & videtur Iacob benè precari filio ſuo, cùm hæc dicit.

Ieremias autem ſine dubio non loquitur de Antichriſto, neque de tribu Dan; ſed de Nabuchodonoſor, qui venturus erat ad Ieruſalem euertendam per eam regionem, quæ dicebatur Dan; vt ibid. exponit Hieron. Cur autem in Apoc. Dan omittatur, non ſatis conſtat, cùm præſertim etiam Ephraim ſit omiſſus, cuius tribus vna eſt ex maximis. Sunt autem aliqua certiſsima. Vnum, Antichriſtum præcipuè propter Iudæos venturum, & ab eis, tanquam Meſsiam, recipiendum. Alterum, ex gente Iudæorum naſciturum, & circumcidendum, & Sabbathum obſeruaturum, ſaltem ad tempus.

Primum habetur ex Euangel. vbi Dominus Iudæis dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* Et ex Apoſtolo: *Eò, quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fiant, ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio,* &c. Ita exponunt de Iudæis hoc omnes interpretes. Ratio etiam id ſuadet: nam Antichriſtus inprimis illis ſe adiunget, qui parati ſunt eum recipere: at Iudæi tales ſunt, qui expectant Meſsiam, Regem temporalem, qualis erit Antichriſtus. Gentiles autem neminem expectant. Sicut ergo Chriſtus primùm ad Iudęos venit, quibus erat promiſſus, & à quibus expectabatur, ita quoque Antichriſtus faciet. *Ioan. 5. 2. Theſſ. 2.*

Secundum etiam patet, nam Iudęi nunquam reciperent hominem non Iudęum, aut incircumciſum pro ſuo Meſsia. Immo etiam, quia Iudæi expectant Meſsiam ex familia Dauid, & tribu Iuda, ſine dubio Antichriſtus, licet verè ſit de tribu Dan, finget, ſe eſſe de familia Dauid. Deinde, omnes veteres id clariſsimè docent. Ex his habemus demonſtrationem euidentiſsimam, quod Papa non ſit Antichriſtus. Nam ab anno 606. quo aduerſarij dicunt Antichriſtum veniſſe, conſtat nullum Pontif. fuiſſe Iudęum, nec gente, nec religione, nec vllo modo. Conſtat etiam, Pont. nunquam hactenus pro Meſsia fuiſſe receptum à Iudęis, ſed pro hoſte, & perſecutore pręcipuo haberi.

De ſede Antichriſti vera ſententia eſt, ſedem eius fore Ieruſalem, non Ro- *Sedes Antichriſti.*

mam; & templum Salomonis, non ſolium Dauidis, non templum S. Petri, aut ſedem Apoſtolicam.

Prob. ex Apoc. vbi Ioannes dicit, Henoch, & Eliam pugnaturos cum Antichriſto in Ieruſalem, & ibi ab eo occidendos. *Et corpora*, inquit, *eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*. Ita exponunt omnes interpretes.

Apoc. 11.

Apoc. 17. Secundus locus eſt, vbi Ioannes dicit, decem Reges, qui ſibi diuidẽt Rom. Imperium, & quibus regnantibus veniet Antichriſtus, odio habituros purpuratam meretricem, id eſt, Romam, & eam deſolatam facturos, atque etiã igne crematuros. Quomodò ergò erit ſedes Antichriſti, ſi illo ipſo tempore debet euerti, & comburi? Adde, quòd Antichriſtus erit Iudæus, & eorum Meſsias, & Rex; ergò ſine dubio ſedem ſuam conſtituet in Ieruſalem, & templum Salomonis reſtituere aggredietur. Nihil enim aliud ſomniant Iudæi, quàm Ieruſalem, & templum; neque vnquam videntur accepturi pro Meſsiâ vllum, qui non ſedeat in Ieruſalem, & templum aliquo modo reſtituat.

2. Theſſ. 2. Tertius locus eſt: *Ita, vt in templo Dei ſedeat.* Nam etſi variæ dantur expoſitiones à Patribus, & quidam intelligunt mentes fidelium, per templum Dei, in quibus Antichriſtus ſedere dicitur, quando eas ſeduxerit; vt exponit Anſelmus: quidam intelligant ipſum Antichriſtum cum toto ſuo populo; vt Auguſtin. exponit: quidam etiam intelligant Eccleſias Chriſtianorum, quas ſibi ſeruire iubebit Antichriſtus: tamen expoſitio communior, probabilior, & litteratior eſt eorum, qui docent *per templum Dei* intelligi templum Salomonis. Nam inprimis in Scripturâ noui Teſtamenti, per templum Dei nunquam intelliguntur Eccleſiæ Chriſtianorum; ſed perpetuò templum Ieroſolymitanum: &, quod maius eſt, veteres Patres, Latini, & Græci, per aliquot ſæcula, nunquam Eccleſias Chriſtianorum templa vocauerunt, quæ dicuntur Græcè ναοὶ, vt hoc loco Pauli; ſed vocabant εὐκτήρια, id eſt, oratoria, vt Eccleſias vel domos orationis, vel baſilicas, vel martyria. Ratio duplex eſt. Vna, quia non habebant tunc vlla templa, ſed ſolùm in priuatis domibus loca quædam deſtinabant orationi, concioni, & ſacris Miſſarum celebrationibus. Altera eſt, quia adhuc vigebat memoria templi Iudaici, ne viderentur Apoſtoli aliquid ſimile introducere; & vt diſtinguerent Eccleſiam à Synagogâ, abſtinebant à voce templi. Sicut etiam propter eandem rationem Apoſtoli in Script. nunquam vocant ſacerdotes Chriſtianos, ſacerdotes; ſed ſolum Epiſcopos, & Presbyteros. At, poſteaquam fuit euerſa Ieroſolyma, & templum incenſum, & abolita memoria veteris templi, & ſacerdotij paſsim cæperunt ſancti Doct. vti nomine templi, & ſacerdotij. Cùm ergò Apoſtolus ſcribẽs, Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei, diceret aliquid, quod vellet ab ijs intelligi, quibus ſcribebat, & illi tunc non intelligerent nomine templi, niſi templum Ieroſolymorum; certum videtur Apoſtolum de illo fuiſſe locutũ. Quod etiam confirmatur ex communi Patrum expoſitione.

Doctrina Antichriſti. De doctrinâ Antichriſti conſtat ex Script. quatuor eſſe futura capita doctrinæ eius. Primùm enim negabit, Ieſum eſſe Chriſtum; & proinde oppugnabit omnia Saluatoris noſtri inſtituta, vt Baptiſmum, Confirmationem, &c. & docebit, nondum ceſſaſſe Circumciſionem, Sabbathum, & alias legis

cære-

cæremonias. *Quis eſt mendax, niſi qui negat, Ieſum eſſe Chriſtum? Et hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.* &c. Deinde, vbi perſuaſerit noſtrum Saluatorem non eſſe verum Chriſtum, tunc aſſeret, ſe eſſe verũ Chriſtum in lege, & Prophetis promiſſum. *Si quis venerit in nomine ſuo, illum recipietis*; nimirum pro Meſsiâ. Tertiò, affirmabit ſe Deum eſſe, & pro Deo coli volet. *Ita, vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe, tanquam ſit Deus.* Poſtremò, ſe non ſolùm Deum, ſed etiam ſolum ſe Deum eſſe dicet: & oppugnabit omnes alios Deos, id eſt, tam Deum verum, quàm etiam Deos falſos, & omnia idola. *Qui extollit ſe ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Et: *Et Deum Patrum ſuorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget.* Sed quæſtio eſt de intelligentia horum quatuor capitum. Catholici autem ſimpliciter intelligunt, & vt verba Script. ſonant.

1. Ioan. 2. *Ioan. 5.* *2. Theſſ. 2.* *Ibid.* *Dan. 11.* *1. Ioan. 2.*

Primum prob. primò ex dictis: nam ſi Antichriſtus natione, & religione Iudæus erit, & à Iudæis pro Meſsiâ recipietur, certè non prædicabit noſtrum Chriſtum, ſed eum palàm oppugnabit.

Prob. ſecundò ex eo: *Quis eſt mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum?* &c. Nam omnes Hæretici dicuntur Antichriſti, qui aliquo modo negant, Ieſum eſſe Chriſtum: ergò ipſe verus Antichriſtus ſimpliciter, & omnibus modis negabit, Ieſum eſſe Chriſtum. Et confirm. quia per hæreticos Diabolus operari dicitur myſterium iniquitatis, quia occultè illi Chriſtum negant: at Antichriſti aduentus dicitur eſſe reuelatio, quia ipſe palàm Chriſtum negabit. Idem docent Patres. Denique prob. quia tempore Antichriſti, ob vehementiam perſecutionis, ceſſabunt publica officia, & ſacrificia diuina. Secundum patet ex illis verbis Domini, & paſsim hoc docent Patres.

Tertium prob. ex illis verbis Apoſtoli, vbi Paulus non ſolùm dicit, Antichriſtum in templo ſeſſurum; nam etiam nos ſedemus in templis: ſed explicat modum, nimirum, quod ſedebit vt Deus, cui ſoli propriè erigitur templum. Non enim dicitur in Græco, ὡς Θεὸς, tamquam Deus, ſed ὅτι ἐςὶ Θεός, id eſt, oſtendens, quod ſit Deus. Et ſic intellexerunt hunc locum omnes veteres. Quartum etiam patet ex verbis Script. & docent ita omnes veteres.

De miraculis Antichriſti tria habentur in Script. Primò, multa miracula eum facturum. Secundò, qualia illa erunt. Tertiò ponuntur tria exempla. Primum docet Apoſtolus: *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in ſignis, & prodigijs.* Et Dominus: *Dabunt ſigna, & prodigia magna, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* *Dabunt*, inquit, non, dabit: quia non ſolùm Antichriſtus, ſed etiam miniſtri eius ſigna facient. Denique: *Et fecit ſigna magna in conſpectu hominum.* Qualia autem erunt, explicat Paulus: *In omni, virtute, & ſignis, & prodigijs magnis.* Porrò mendacia ſigna erunt ratione omnium cauſſarum, Finalis, efficientis, materiæ, & formæ. Finis enim eorum miraculorum erit, oſtendere Antichriſtum eſſe Deum, & Meſsiam. Cauſſa efficiens principalis erit, pater mendacij, id eſt, Diabolus. Sic enim ait Apoſtolus: *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ.* Et Patres omnes aſſerunt, Antichriſtum futurum inſignè Magum: immò Diabolum ab ipſâ conceptione, vel ſaltem ab infantiâ, in Antichriſto habitaturum, & per eum ſigna perpetra-

Miracula Antichriſti. *2. Teſſa. 2.* *Matth. 24.* *Apoc. 13.* *2. Teſſa. 2.*

petraturum. Erunt etiam ſigna mendacia ratione materiæ, quia erunt phantaſtica, & præſtigiæ quædam. Videbitur enim excitare mortuos, & ſanare ægrotos; ſed illuſiones dæmonum erunt, non veræ excitationes, aut ſanationes.

Apoc. 13. Propter hoc dicitur Antichriſtus facturus miracula in conſpectu hominũ, id eſt, apparentia, & deludentia conſpectum hominum, non ſolida, & vera. Denique quædam erunt mendacia ratione formæ, licet veræ ratione materię; quia interdum res veras operabitur, ſed quæ non ſuperabunt vires totius naturę; & ideò non vera miracula erunt formaliter. Vera enim miracula ſola dicuntur illa, quæ à ſolo Deo fieri poſſunt; id eſt, quę non habent cauſſas naturales, neque occultas, neque manifeſtas. Et ideò non ſolùm in conſpectu hominum, ſed etiam in conſpectu dæmonum, & Angelorum ſunt mirabilia: at miracula Antichriſti habebunt omnes cauſſas naturales, ſed hominibus occultas.

Apoc. 13. Exempla miraculorum Antichriſti tria ponuntur in Apoc. Vnum, quòd ignem de cœlo deſcendere faciet. Alterum, quòd faciet, vt imago beſtiæ loquatur. Tertium, quòd finget ſe mori, & reſurgere. Propter quod miraculum pręcipuè totus ferè mundus eum admirabitur. Ex quibus duo priora erunt vera ratione materiæ, non ratione formę: tertium autem nullo modo.

Obiect. Poſſet autem obijci, quòd non videantur hęc omnia miracula poſſe tribui Antichriſto. Nam Ioannes in eo loco duas beſtias introducit; Vnam quę habet capita ſeptem, & cuius vnum caput viſum eſt mori, & reſurgere: alteram minorem, quę fecit ignem de cœlo deſcendere, & imaginem loqui. Si ergò Antichriſtus erit prior beſtia, non ei tribuuntur duo illa miracula de igne, & imagine: ſi erit poſterior, non poteſt ei tribui miraculum reſurrectionis.

Solut. Reſpondeo, priorem beſtiam ſignificare vel Rom. Imperium, vel multitudinem impiorum; vnum autem, id eſt, præcipuum eius caput, quod viſum eſt mori, & reſurgere eſſe Antichriſtum. Erit enim Antichriſtus ſupremum, & vltimum caput impiorum, & vltimus eſt Rex, qui imperium Rom. tenebit, tamen ſine nomine Rom. Imperatoris. Et hoc fictum miraculum reſurrectionis tribuunt antiqui auctores, & Patres Antichriſto.

Poſterior autem illa beſtia, ſecundum Rupertum, ſignificat eundem Antichriſtum. Idem enim Antichriſtus per duas beſtias exprimitur: per vnam ratione regiæ potentię, & tyrannidis, quâ coget homines violenter; per alteram ratione magicæ artis, quâ callidè homines ſeducet. At, ſecundum Richardum, & Anſelmum, & alios, poſterior beſtia ſignificat prædicatores Antichriſti, qui miraculis oſtęndere conabuntur, Antichriſtum verum eſſe Meſsiam. Hinc etiam ſequitur, Pontificem non eſſe Antichriſtum.

Regnum, & prælia Antichriſti. De regno, & prælijs Antichriſti quatuor in Script. legimus. Primò, Antichriſtum ex humillimo loco prodeuntem, per fraudes, & dolos regnum Iudæorum adepturum.

Secundò, pugnaturum cum tribus Regibus; nimirum Ægypti, Libiæ, atque Æthiopiæ, & eorum regna illis deuictis occupaturum.

Tertiò, ſubacturum ſibi alios ſeptem Reges, & eo modo Monarcham totius mundi euaſurum.

Quartò,

Quartò, cum innumerabili exercitu toto orbe Chriſtianos perſecuturum, & hoc eſſe prælium Gog, & Magog. Et ex his etiam ſequitur, Pontificem non eſſe Antichriſtum.

De primo ſic loquitur Daniel: *Stabit in conſpectu eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* In quem locum Hieronymus ſcribit, quod etſi hęc aliquo modo intelligantur de Antiocho Epiphane, tamen longè perfectius ſunt implenda in Antichriſto. Sicut, quę dicuntur de Salomone, intelliguntur quidem de ipſo Salomone, ſed perfectius impleta ſunt in Chriſto. Qua etiam de cauſa comparat Daniel Antichriſtum cum cornu paruulo, nimirum propter ipſius vile, & obſcurum principium. *Dan. 11.* *Pſal 71.* *Dan. 7.*

De ſecundo idem Daniel: *Conſiderabam*, inquit, *cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum, & tria de cornibus eius euulſa ſunt à facie eius.* Et infrà explicans: *Porrò cornua decem, decem Reges erunt: & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Et alibi explicans, qui ſint iſti Reges tres: *Mittet*, inquit, *manum ſuam in terras, & terra AEgypti non effugiet, & dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis AEgypti: Per Lybiam quoque, & AEthiopiam tranſibit.* Idem docent Patres. *Ibid.* *Dan. 11.*

De tertio habemus teſtimonia veterum antiquiſsima.

De quarto loquitur Ioannes: *Et, cùm conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet Gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra Sanctorum, & ciuitatem dilectam. Et deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi & beſtiæ, & Pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte, in ſæcula ſæculorum.* His verbis deſcribitur vltima perſecutio. Similia habentur apud Ezechielem. Porrò de *Gog*, & *Magog* nouem ſunt ſententiæ: ſed noſtra, quæ eſt decima, tria continet. *Apoc. 20.* *Ezech. 38. & 39.*

Primo aſſerimus, prælium Gog, & Magog, eſſe prælium Antichriſti contra Eccleſiam. *Gog. & Magog.*

Secundo dicimus, probabile eſſe admodum, per *Gog* ſignificari ipſum Antichriſtum, per *Magog* exercitum eius. Nam Ezechiel perpetuo *Gog* vocat principem; & *Magog* vocat terram, ſiue nationem.

Tertio dicimus, probabile eſſe, *Gog* dici à *Magog*, non è conuerſo; ita vt dicatur Antichriſtus Gog, quia eſt princeps Gentis, quæ dicitur Magog. Porro exercitum Antichriſti vocari Magog, à gente Scythica, non quod conſtet ex illis Scythis, quos Iudęi fingunt, eſſe vltra Caucaſum, & Caſpium mare, ſed vel quod magna pars exercitus Antichriſti conſtabit ex barbaris à Scythiâ oriundis, vt Turcis, Tartaris, &c. vel, quod magis reor, quia erit exercitus immanis, & crudelis valdè. Quos enim ſæuos dicere volumus Scythas vocamus. Nam quod Magog reuera Scythicam gentem ſignificet, patet ex Gen. vbi legimus, filium Iaphet ſecundum dictum eſſe Magog, ex quo dicta eſt Magog regio, quam eius poſteri habitarunt: quam eſſe Scythiam docet Ioſephus, & Hieron. Nam quemadmodum à tribus filijs Cham, id eſt, Chus, Mizraim, & Chanaham, dicta eſt Æthiopia Chus, Ægyptus Mizraim, & Palęſtina *Gen. 10.*

leſtina Chanahan; ſic omninò à Magog, filio Iaphet, dicta eſt Scythia Magog. Quòd autem Ezechiel, nominans Magog, reſpexerit ad gentem denominatam à Magog filio Iaphet, planum eſt, quia ibidem adiungit ſocios ipſi Gog, alias gentes denominatas ab alijs filijs, vel nepotibus Iaphet, vt Gomer, Togorma, Moſoch, Tubal, &c. Concludamus ergò, prælium Gog, & Magog, eſſe nouiſsimam perſecutionem, quam in toto mundo cõtra Eccleſiam Antichriſtus excitabit.

Obiect. Ezech. 38. Neque obſtat, quòd Ezechiel dicit, per ſeptẽ annos cremanda arma Gog, & Magog, cùm tamen conſtet, poſt Antichriſti mortem non futuros, niſi *Dan. 12.* XLV. dies, vſque ad finem mundi, vt ex Daniele colligitur. *Solut.* Nam Ezechiel non loquitur propriè, ſed figuratè, more Prophetarum: nec vult dicere, reuerà per ſeptem annos comburenda illa arma, ſed tam inſignem cladem futuram, vt longiſsimo tempore ſufficere poſſent ad ignem fouendum haſtæ, & clypei hominum occiſorum.

Porrò ſcriptores omnes, qui de Antechriſti perſecutione loquuntur, vt Ezechiel, Daniel, Paulus, Ioannes, & Patres, dicunt, victoriam illius belli, ſeu perſecutionis, penes Eccleſiam tandem futurã. Et ſanè ratio ipſa idipſum docet. Quis enim credat, in eo prælio, in quo totis caſtris Deus, & Diabolus, Chriſtus, & Antichriſtus pugnabunt, Deum à Diabolo, & Chriſtum ab *Matth. 16.* Antichriſto eſſe vincendum? Hoc etiam vult Scriptura: *Et portæ inferi non præ-* *Matth. 24.* *ualebunt aduerſus eam.* Et: *Dabunt ſigna magna, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.*

CAPVT IX.

De Eccleſiaſtica iuriſdictione Pontificis.

Quæſt. 1. QVAESTIO prima: *An Papa ſit ſummus iudex in controuerſiis fidei, & morum diiudicandis?* Hæc quæſtio partim alibi diſputata eſt, partim diſputabitur: nunc tamen pro parte affirmatiuâ duo adferemus teſtimonia.

Prob. reſp. Deut. 17. Primum eſt: *Si difficile,* inquit Moyſes, *atque ambiguum iudicium eſſe perſpexeris inter cauſſam, & cauſſam, lepram, & lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variare; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis; qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus.* Quo loco eſt obſeruandum, duas perſonas diſtingui, Sacerdotis, & Iudicis; hoc eſt, Pontificis, & Principis; & quidem Sacerdoti ſententiæ pronunciationem, Iudici Politico executionem demandari. Id, quod in ſequentibus verbis explicatur: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo ex ſententia Iudicis morietur.* Alterum eſt in Euang. in quo nihil poteſt clarius dici, quàm quod

quod ait Dominus coram cęteris Apoſtolis: *Simon Ioannis, paſce oues meas.* Nam *Ioan. vlt.*
& ſoli Petro loquitur, & omnes ſuas oues, ita vt ne Apoſtolos quidem excludat, ei paſcendas tradit. Dubium autem eſſe non poteſt, quin inter munera paſtoris ſit, diſcernere bona paſcua à malis. Idem docent Patres, & ſanctiſsimi Pont.

Quæſtio ſecunda: *Sitne certum Papæ iudicium?* Pro quâ ſit prima propoſitio: *Summus Pontifex, cùm totam Eccleſiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt.* *Quæſt. 2. Propoſ. 1.*

Hæc prob. primò ex promiſsione illâ Domini: *Simon, Simon,* (ſic enim habetur in Græco) *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Qui locus tribus modis exponi ſolet. *Prob. 1. Luc. 22.*

Prima expoſitio eſt quorundam Pariſienſium, quòd Dominus hîc orauerit pro Eccleſiâ vniuerſali; ſiue pro Petro, vt totius Eccleſiæ figuram gerebat; & hoc impetraſſe, vt fides Eccleſiæ Catholicæ nunquam deficiat: voluit enim pro ſolâ Eccleſiâ eſſe oratum. Quæ expoſitio falſa eſt primò, quia Dominus vnam tantùm perſonam deſignauit, dicens bis: *Simon, Simon,* & addens toties pronomen ſecundæ perſonæ, *Pro te, Fides tua, & tu, fratres tuos.* Secundò, quia Dominus cęperat loqui in plurali: *Satan expetiuit, vt cribraret vos.* Deinde mox mutauit formulam loquendi, & ait: *Ego autem rogaui pro te.* Tertiò; Dominus pro illo rogat, cui ait: *Et tu aliquando conuerſus.* Quod non poteſt toti Eccleſiæ conuenire. Quartò; Pro illo rogat, cui ait: *Confirma fratres tuos.* At Eccleſia non habet fratres, quos debeat, aut poſsit confirmare: nam omnes fideles eius filij ſunt.

Altera expoſitio eſt quorundam, qui hoc tempore viuunt, qui docent, Dominum hoc loco oraſſe pro perſeuerantiâ ſolius Petri in gratiâ Dei vſque ad finem. At contrà: Primò, quia orauit Dominus paulò pòſt pro perſeuerantiâ omnium Apoſtolorum, immò etiam omnium electorum: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* Non erat igitur ratio, cur bis pro perſeuerantiâ Petri oraret. Secundò, quia ſine dubio hîc Dominus aliquid ſpeciale Petro impetrauit, vt patet ex deſignatione certæ perſonæ: perſeuerantia autem in gratiâ eſt donum commune omnium electorum. Tertiò, quia certum eſt, Dominum, ſaltem mediatè, hoc loco oraſſe etiam pro alijs Apoſtolis. Nam ideò præmiſit, tanquam orationis cauſſam: *Satan expetiuit, vt cribaret vos:* & poſteà ſubiunxit, tanquam effectum: *Confirma fratres tuos.* Non igitur pro ſolâ Petri perſeuerantia Dominus rogauit, ſed pro aliquo dono Petro communicando in aliorum vtilitatem. Quartò; donum hoc loco impetratum etiam ad ſucceſſores pertinet. Nam Chriſtus orauit pro Petro in vtilitatem Eccleſiæ: Eccleſia autem ſemper indiget aliquo, à quo confirmetur, cuius fides deficere non poſsit. Nec enim Diabolus petijt cribrare tantùm eos, qui tunc erant fideles, ſed omnes omninò: At certè perſeuerantiæ donum non pertinet ad omnes Petri ſucceſſores. Denique non dixit Dominus; Rogaui, vt non deficiat caritas tua; ſed, *fides tua*: & reipſa ſcimus, defeciſſe Petri charitatem, & gratiam, quando negauit Dominum; fidem autem vnquam defeciſſe non ſcimus. *Ioan. 17.*

Eſt igitur tertia expoſitio vera, quòd Dominus duo priuilegia Petro impetrauerit. Vnum, quòd ipſe non poſſet vnquam veram fidem amittere, quãtumuis tentaretur à Diabolo: id quod eſt aliquid amplius quàm donum perſeuerantiæ: dicitur enim perſeuerare vſque in finem, qui licet interdum cadat, tamen reſurgit, & in fide fidelis inuenitur: at Petro Dominus impetrauit, quòd non poſſet vnquam cadere, quod ad fidem attinet. Alterum priuilegium eſt, quòd ipſe tanquam Pontifex, non poſsit aliquid docere vnquam contra fidem: ſiue quod in ſede eius nunquam inueniretur, qui doceret contra veram fidem. Ex quibus priuilegijs primum fortaſſe non manauit ad poſteros: at ſecundum ſine dubio manauit ad poſteros, ſiue ſucceſſores. De primo habemus expreſſa veterum teſtimonia: de ſecundo habemus teſtimonia veterum, & ſanctorum Pont. & aliorum auctorum.

Prob. 2. Matth. 16. Secundò prob. concluſio ex illa promiſsione facta Petro: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nam petra, & fundamentum Eccleſiæ dicitur Petrus, vt ſummus Rector Eccleſiæ; & proinde quilibet eius ſucceſſor ſimiliter eſt petra, & fundamentum Eccleſiæ. Ex quo duplex argumentum deſumitur. Primum, ex nomine petræ: quare enim Pontifex dicitur petra, niſi ratione conſtantiæ, & ſoliditatis? Certè ſi petra eſt, non frangetur, nec circumferetur omni vento doctrinæ, id eſt, non errabit in fide, ſaltem quatenus petra, id eſt, quatenus Pontifex. Secundum, ex ratione fundamenti ſuſtentantis ædificium, quod nullo modo ruere poteſt. Non enim intelligi poteſt, quomodo fundamentum deſtruatur, & domus nõ cadat. Immò vero maiore ratione fundamentum non poteſt deſtrui, ſi domus non poteſt cadere: non enim fundamentum à domo, ſed domus à fundamento accipit firmitatem. Et ita expoſuerunt Patres omnes.

Prob. 3. Ioan. vlt. Tertiò prob. ex illo: *Paſce oues meas.* Nam, ſi Pontifex ſit Doctor, & Paſtor totius Eccleſiæ, vt ſuprà oſtendimus: ergo tota Eccleſia illum audire, & ſequi tenetur: ergò, ſi ille erret, tota Eccleſia errabit.

Prob. 4. Exod. 28. Quartò prob. ex Teſtamento veteri, quod fuit figura noui. Iubet autem Dominus in rationali Pontificis ſummi doctrinam poni, & veritatem. Sed *q. 118. in Exodum.* obſeruandum, nondum conueniſſe inter Hebręos, nec etiam Chriſtianos, quid ſint iſta duo. R. Salomon vult nomẽ Dei ſcriptum in rationali, ex cuius *Deut. 17.* fulgore Sacerdos cognoſcebat diuinum reſponſum, cùm ab aliquo interrogaretur. Arias Montanus docet eſſe duos lapides lucidiſsimos, à Deo immediatè productos, & datos Moyſi. Ioſephus dicit eſſe illos 12. lapides, in quibus ſcripta erant duodecim nomina filiorum Iſraël, quos Deus iuſsit poni in rationali. Probabilius eſt, quod ſcribit B. Auguſtinus, hæc ipſa vocabula fuiſſe ſcripta in medio rationalis, quod pendebat ante pectus Sacerdotis. Ratio eſt, quia Dominus pręcepit eis qui dubitant circa intelligentiam diuinæ legis, vt aſcendant ad ſummum Sacerdotem, atque ab eo quærant ſolutionem: & ſubiungit: *Qui indicabunt tibi iudicij veritatem.* Et ſigno ergò, & verbo Dominus promiſit in pectore Sacerdotis habitaturam doctrinam, & veritatem; & proinde eum non erraturum, cùm populum docuerit. Quòd ſi hoc Aaronico Sacerdoti conueniebat, certè multò magis Chriſtiano.

Prob 5. Quintò prob. à duplici experimento. Nam inprimis conſtat, omnes Patriarchales

triarchales ſedes defeciſſe à fide;ita vt hæretici,& hæreſin profitentes, ac docentes in illis ſederint,excepta Romana ſede.In ſede Conſtantinop. ſederunt Macedonius,Neſtorius,Sergius Hæreſiarchæ. In Alexandrina Georgius,& Lucius Ariani,Dioſcorus Eutychianus, Cyrus Monothelita,& alij. In Antiochena Paulus Samoſatenus Hæreſiarcha, Petrus Gnaphæus Eutychianus,Macharius Monothelita,& alij. In Ieroſolymit.Ioannes Origeniſta,& ante eum Eutychius,Irenæus,& Hilarius Ariani ſederunt. Nihil tale poteſt oſtendi de Eccleſia Romana.

Alterum experimentum eſt, quia Rom. Pontifex plurimas hæreſes ſine Concilio generali damnauit;vt Pelagij, Priſciliani,Iouiniani, Vigilantij, aliorumque multorum: quas eo ipſo pro veris hæreſibus tota Chriſti Eccleſia habuit,& exhorruit, quòd à Rom. Pontifice damnatæ eſſent. Ergò ſignum eſt,Eccleſiam totam ſentire,Pontificem Rom. in eiuſmodi rebus errare non poſſe.

Propoſitio ſecunda: *Non ſolùm Pontifex Rom. non poteſt errare in fide; ſed neque Romana particularis Eccleſia.* *Propoſ. 2.*

Nota,in alio ſenſu accipi debere firmitatem Rom. Eccleſiæ in fide; & in alio firmitatem Pont. Nam Pontifex non poteſt errare,errore iudiciali;id eſt, dum iudicat, & definit quæſtionem fidei. At Eccleſia Rom.id eſt, populus,& clerus Rom. non poteſt errare,errore perſonali,ita vt omnes omnino errent, & nulli ſint in Eccleſia fideles,& Pontifici adhærentes. Tametſi enim vnuſquiſque ſeorſim errare poteſt, tamen id fieri non poteſt, vt omnes errent ſimul,& tota Rom. Eccleſia apoſtatica efficiatur. *Nota 1.*

Nota præterea, Eccleſiam Rom. non poſſe errare modo prædicto,adhuc dupliciter poſſe intelligi: Vno modo,vt non poſsit errare, perſiſtente Romæ Apoſtolica ſede;ſecus autem,ſi ſedes auferretur. Altero modo,vt ſimpliciter non poſsit errare, vel deficere;quia nec ſedes Apoſtolica poſsit vnquam Romà alio transferri. *Nota 2.*

Et quidem ſecundum priorem ſententiam,propoſitio noſtra eſt veriſsima, & patet ex auctoritate Pont. Sanctorum,& Patrum. At ſecundum poſteriorem ſenſum,propoſitio noſtra pia eſt,& probabiliſsima;non tamen adeò certa,vt contraria poſsit dici hæretica,vel manifeſtè erronea. Quòd non ſit omninò de fide,à Rom. Eccleſia non poſſe ſeparari Apoſtolicam ſedem, patet, quia neque Scriptura,neque traditio habet,ſedem Apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ,vt inde auferri non poſsit. Et omnia teſtimonia Pont. & Patrum,qui dicunt,Rom. Eccleſiam non poſſe errare, poſſent exponi de Rom. Eccleſia, donec in ea Apoſtolica ſedes permanet; non autem abſolutè, & ſimpliciter. Quòd nihilominùs tamen pia,ſit,& probabiliſsima ſententia,non poſſe ſeparari Petri Cathedram à Roma, & proinde Rom. Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, prob. primò ex eò, quòd tamdiu Romæ manſit ſedes Apoſtolica, non obſtantibus infinitis perſecutionibus,& occaſionibus recedendi. *Prob.*

Primò fuit maxima occaſio transferendi ſedem aliò, temporibus Imp. Ethnicorum. Illi enim ægerrimè ferebant, quòd Romæ eſſet Apoſtolica ſedes:& idcircò mox, atque audiebant, nouum Pont. eſſe creatum, illum aut occidebant,aut in exilium deportabant. *Occaſiones transferendi ſedem Rom.*

Deinde, rurſum occaſio fuit tempore Gothorum. Nam inprimis tempore Innocentij primi Alaricus Romam cæpit, ſpoliauit, & incendit. Deinde tempore Leonis I. Genericus rurſum Romam cæpit, & ſpoliauit, quo tempore ſine vllo habitatore ad aliquod ſpacium temporis Roma permanſit. Rurſum, tempore Papæ Vigilij Totilas Romam penitùs euertit, mænibus magnâ ex parte deiectis, & domibus ferè omnibus incenſis, adeoque eam deſolauit, vt nullus neque vir, neque mulier, in ea permanſerit. Denique, toto tempore Longobardorum Rom. Pontifices in ſummis miſerijs fuerunt, nec tamen vnquam de mutando Epiſcopatu Rom. cogitauerunt.

Tertia occaſio transferendæ ſedis fuit, tempore B. Bernardi, propter ipſorum ciuium Rom. perſecutionem. Adeò enim per multos annos ciues Rom. ſuos Pont. vexauerunt, vt ſæpiſsimè compellerentur ab vrbe exulare.

Quarta occaſio fuit, quando Rom. Pont. per LXX. annos manſerunt in Gallijs. Cùm enim ipſi cum totâ curiâ procul à Româ degere decreuiſſent; cur quæſo, non tranſtulerunt ſedem? cur non mutauerunt Epiſcopatum Rom. cum Auenionenſi? Cùm ergò tot occaſionibus exiſtentibus ſedem transferēdi, tamen Romæ manſerit ſupra M. D. annos, valdè probabile eſt, non poſſe vllo modo transferri.

Secundò prob. hoc ex eò, quod Deus ipſe iuſsit Romæ figi Apoſtolicam ſedem: quæ autem iubet Deus, mutari ab hominibus non poſſunt. Deum autem id iuſsiſſe teſtantur aliqui Patres, qui hoc narrant, vt hiſtoriam; ſicut etiā B. Marcellus Papa, & Martyr: non autem definit hanc rem tamquam certam de fide.

Propoſ. 3. Propoſitio tertia. *Non ſolùm in decretis fidei errare non poteſt ſummus Pont. ſed neque in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur; & quæ, in rebus neceſſarijs ad ſalutem, vel in ijs, quæ per ſe bona, vel mala ſunt, verſantur.* Dicimus primum, non poſſe errare Pontificem in ijs præceptis, *quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur*; quia in præceptis, & iudicijs particularibus, non eſt abſurdum Pontificem errare. Addimus ſecundò, *quæ in rebus neceſſarijs ad ſalutem, vel per ſe bonis, aut malis verſantur*; quia non eſt erroneum, dicere, Pontificem in alijs legibus poſſe errare, nimirum ſuperfluam legem condendo, vel minùs diſcretam, &c. verbi gratia non poteſt fieri, vt Pont. erret pręcipiendo aliquod vitium, vt vſuram; vel prohibendo virtutem, vt reſtitutionem: quia hæc ſunt per ſe bona, vel mala. Nec poteſt fieri, vt erret pręcipiendo aliquid contra ſalutem, vt Circumciſionem, vel Sabbathum; vel prohibendo aliquid neceſſarium ad ſalutem, vt Baptiſmum, aut Euchariſtiam: vt autem iubent aliquid, quod non eſt bonum, neque malum ex ſe, neque contra ſalutem, ſed tamen eſt inutile, vel ſub pœnâ nimis graui illud præcipiat, non eſt abſurdum dicere, poſſe fieri; quanquam non eſt ſubditorum de hâc re dubitare, ſed ſimpliciter obedire.

Prob. 1. pars. Prob. propoſ. pro primâ parte, quia tunc tota Eccleſia grauiter lęderetur, & erraret in rebus neceſſarijs; quod eſt contra promiſsionem Domini: *Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quod intelligitur, vt minimùm, de veritate ad ſalutem neceſſaria.

Ioan. 16.

Deinde, quia Deus deeſſet tunc Eccleſiæ ſuæ in neceſſarijs; quandoquidem pręcepit

præcepit illi, vt ſequatur Pont. At certe, ſi Deus nulli rei deeſt in neceſſarijs, quantò minùs Eccleſiæ ſuæ?

Secunda pars: ſcilicet, quòd non poſsit errare in moribus per ſe bonis, vel malis, prob. Nam tunc Eccleſia non poſſet verè dici ſancta, vt in Symbolo Apoſtolorum vocatur. Nam ſancta dicitur potiſsimùm, ob ſanctam profeſſionem, quia nimirum legem, & profeſsionem ſanctam profitetur, quæ nihil docet falſum, nihil præcipit malum. Deinde quia tunc neceſſario erraret etiā circa fidem. Nam fides Catholica docet, omnem virtutem eſſe bonam, omne vitium malū: ſi autem Papa erraret præcipiendo vitia, & prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere, vitia eſſe bona, & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare. *Prob 2. pars.*

Propoſitio quarta: *Probabile eſt, piéque credi poteſt, ſummum Pont. non ſolùm vt Pont. errare non poſſe, ſed etiam vt particularem perſonam, hæreticum eſſe non poſſe, falſo aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* *Propoſ. 4.*

Prob. primò, quia id videtur requirere ſuauis prouidētia diuinæ diſpoſitio. Nam Pont. non ſolùm debet, nec poteſt hæreſin prædicare, ſed etiam debet veritatem ſemper docere; & ſine dubio id faciet, cùm Dominus illi iuſſerit confirmare fratres ſuos, & propterea addiderit: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*; id eſt, vt ſaltem non deficiat in throno tuo prædicatio veræ fidei.

Prob. 2. ab euentu. Nam hactenus nullus fuit hæreticus, vel certè de nullo probari poteſt, quod hæreticus fuerit. *Prob. 2.*

Quæſtio tertia: *An ſummus Pont. habeat iuriſdictionem verè coactiuam, ita vt poſſit leges condere, quæ obligent in conſcientiā, & iudicare, ac puniri tranſgreſſores?* Quod quidem ſeruatā proportione de Epiſcopis cæteris intelligitur. Nota nos tantū quærere de iuſtis legibus. Nā leges iniuſtæ non ſunt propriè dicendæ leges. Vt autem iuſta ſit lex, quatuor conditiones requiruntur. *Quæſt. 3.*

Primò, ex parte finis, vt ad bonum commune ordinetur. Vt enim Rex differt à tyranno, quod ille communem, iſte priuatam quærit vtilitatem, ita etiam differt lex iuſta à tyrannicā. *Iuſta leges.*

Secundò, ex parte agentis, vt ſit ab habente auctoritatē: nemo enim poteſt legem imponere non ſibi ſubdito.

Tertio, ex parte materiæ, vt non prohibeatur virtus, nec præcipiatur vitium.

Quarto, ex parte formæ, vt debito modo, & ordine conſtituatur, & promulgetur lex: nimirum, vt lex eam proportionem ſeruet in honoribus diſtribuendis, & oneribus imponendis, quem habēt ſubditi in ordine ad Remp.

Si enim Pont. iuberet, vt æqualiter in quadrageſimā ieiunarent pueri, & viri maturi, fortes, & debiles, ſani, & ægroti, lex iniuſta eſſet: item ſi ſtatueret, vt ſoli diuites, & nobiles ad Epiſcopatum admitterentur, non autē pauperes, & ignobiles, licet alioqui doctiores, & meliores, abſolutè eſſet iniuſta, quanquam alicubi aliquando propter aliquam circumſtātiam poſsit eſſe iuſta. Etſi autem lex iniuſta non ſit lex, & ex vi ſuā in conſcientiā non obliget, tamen diſtinguendum eſt de legibus. Nam leges iniuſtæ ratione materiæ, id eſt, quæ ſunt contrariæ diuino iuri, ſiue naturali, ſiue poſitiuo, non ſolùm non obligant, ſed etiam non debent vllo modo ſeruari, iuxta illud: *Obedire magis*

oportet

Act. 5. *magis oportet Deo, quàm hominibus.* At quæ ſunt iniuſtæ ex parte finis, vel auctoris, vel etiam formæ, ſeu modi, ſeruandæ ſunt, quando ſequeretur ſcandalum, Matth. 5. ſi non ſeruarentur. Et poteſt deduci ex illo: *Qui angariauerit te mille paſſus, vade cum eo & alia duo; & ſi quis abſtulerit tibi tunicam, da illi & pallium.* Eſt enim ſenſus, non vt hoc ſemper faciamus, ſed vt parati ſimus id facere, quandocunque id 1. Pet. 2. erit neceſſarium ad gloriam Dei. Item ex illo: *Serui, ſubditi eſtote Dominis, non ſolum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.*

Reſp. Iam in Eccleſia Catholica ſemper creditum eſt, Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & Rom. Pontificem in tota Eccleſia, eſſe veros Principes Eccleſiaſticos, qui poſsint ſua auctoritate, etiam ſine plebis conſenſu, vel Presbyterorum conſilio, leges ferre, quę in conſcientia obligent, iudicare in cauſis Eccleſiaſticis more aliorum iudicum, ac demum punire.

Prob. 1. Prob. hęc ſententia primo ex Script.

Deut. 17. Primus locus eſt: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Iſraël.* Iſte locus, vel à ſimili, vel à maiori, debet etiam intelligi de Pontificibus Chriſtianis. Nam, ſicut Iudaicus populus erat tunc populus Dei, ita nunc populus Chriſtianus. Nec poſſumus dicere, Principem Eccleſiaſticum in lege noua debere eſſe minoris auctoritatis, quàm fuerit in lege veteri, cum è contrario hîc omnia maiora, & auguſtiora videamus. At præcepta Pontificis Iudæorum erant vera imperia, non admonitiones, vel cohortationes, & obligabant conſcientiam, alioqui non fuiſſent tam ſeuerè puniti tranſgreſſores.

Matt. 16. Secundus locus eſt: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Hęc verba referri poſſunt, & debent ad omnia, quę ſecundum vſum Script. dicuntur ligati. Nam generaliter loquitur Dominus: nec dicit, Quemcunque ligaueris: ſed, Quodcunque ligaueris. Inuenimus autem, ligare, ſignificare, Matt. 23. legem imponere: *Alligant enim onera grauia, & importabilia in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Ergo Dominus Petro promiſit, vt, quidquid ipſe ligauerit, id eſt, quam obligationem præcipiendo fidelibus impoſuerit, ſit ligatum & in cœlis, id eſt, ſe ratam illam habiturum. Ergò Petri præceptum eſt pręceptum Chriſti. Ergo peccat, qui non obtemperat.

Ioan. 21. Tertius locus eſt: *Paſce oues meas.* Vbi Chriſtus exhibiturus Petro, quod ei Matt. 16. promiſerat, vtitur regio vocabulo, nimirum ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.

Ioan. 20. Quartus locus eſt: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Vbi Dominus ſuum locum reliquit Apoſtolis, ac, vt ſua vterentur auctoritate in regno ſuo gubernando, voluit. Quod etiam confirmatur ex illo: *Qui vos audit, me audit, qui* Luca 10. *vos ſpernit, me ſpernit.* Quę verba propriè ad Apoſtolos, & eorum ſucceſſores pertinere docent Cyprian. & Baſil. At Chriſtus miſſus eſt à Patre cum poteſtate, non ſolùm pręedicandi, & Sacramenta miniſtrandi, ſed etiam pręcipiendi, & iudicandi, vt omnes fatentur.

Act. 15. Quintus eſt, vbi Petrus, cum alijs Concilij Patribus, ſcribit Gentibus ad fidem conuerſis: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, niſi hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione.* Hic Apoſtoli nouam legem condunt, vt Chryſoſtomus annotauit,

tauit; nam de ſuffocato, & ſanguine nihil præcipit Chriſtus: neque ſunt hæc iure naturæ bona, vel mala, ſed indifferentia, qualia docent Hæretici, non poſſe ab Eccleſia fieri neceſſaria. Quòd autem hęc Apoſtolorum fuerit vera lex, obligans in conſcientia, ſaltem pro eo tempore, quo vigebat, Prob. primò, quia Apoſtoli illam vocant onus. Secundò, quia dicunt eſſe neceſſaria: ergò neceſſariò obſeruanda erant, & non liberè. Tertiò, quia Lucas abſolute præcepta vocat in hoc ipſo capite in fine. Dicit enim de Paulo: *Pertranſiens ciuitates præcipiebat eis cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Et: *Tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ decreta erant ab Apoſtolis, & Senioribus qui erant in Ieruſalem.* Act. 16. Denique, quia in canonibus Apoſtolorum imponitur grauiſsima pęna pręuaricantibus hoc pręceptum; nam ſanguinem, aut ſuffocatum comedentes clerici deponuntur, laici excommunicantur. At pęna tam atrox non poteſt imponi, niſi pro mortali peccato. Can. 62.

Sextus locus eſt: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo, quæ autem à Deo ſunt, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et infrà: *Ideoque neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Rom. 13. Hic locus non ſolùm intelligitur de Principibus ſæcularibus, ſed etiam de Eccleſiaſticis. Nam Apoſtolus loquitur in genere de omnibus poteſtatibus: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Quod ęquiualet huic: Omnis poteſtas à Deo eſt. Eſſe autem aliquam Eccleſiaſticam poteſtatem, idem Paulus docet: *Hæc abſens ſcripſi, vt non præſens durius agam, ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominus.* 2. Cor. 13. Et etiamſi Paulus ad litteram ſolùm loqueretur de ſęcularibus, tamẽ à ſimili, vel à maiori idem deberet intelligi de Eccleſiaſticis poteſtatibus. Quòd autem leges eorum, qui ſunt poteſtate prędití, in conſcientia obligent, patet ex illis verbis: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Item ex illis: *Qui reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Quod de damnatione tam temporali, quàm æterna exponunt omnes. Item ex illis: *Ideò neceſsitate ſubditi eſtote.* Id eſt, non eſt liberum hoc, ſed neceſſarium. Item ex illis: *Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam,* id eſt, neceſſariò parendum vobis etiam intelligite, non ſolùm propter metum pęnæ, ſed etiam propter metum culpæ, quam incurritis, conſcientia teſte.

Septimus eſt: *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* 1. Cor. 4. Vbi nomine virgæ intelligit Chryſoſtomus, & alij interp. poteſtatem iudiciariam puniendi peccatores. Chriſtus enim vt Rex Eccleſiæ, habet virgã, quę dicitur ferrea, quia eſt inflexibilis; & alibi dicitur virga directionis, phraſi Hebraicâ, id eſt, virga recta, quia iuſte punit. Hanc autem virgam communicat cum Epiſcopis, qui nomine ſuo Eccleſiam regunt. Vnde Auguſtinus cõciliat quandam contradictionem apparentem Matthęi, & Marci. Matth. enim dicit Apoſtolis mandatum, vt non ferrent virgam: Marcus dicit mandatum, vt ferrent. Conciliat Auguſt. quia Matthęus loquitur de virgâ corporali: Marcus de ſpiritali, id eſt, de poteſtate Apoſtolicâ, propter quam debebantur Apoſtolis alimenta à populo. Sicut enim Regi propter virgam regiam debentur tributa, ita Epiſcopo propter ſimilem virgam debentur decimæ.

Pſal. 2. Pſal. 44. Li. 2, de conſenſu Euang. c. 30. Matth. 10. Mar. 6.

1. Tim. 3. Octauus eſt: vbi Apoſtolus legem ſtatuit, ne bigami ordinentur. Quam legem obligare in conſcientiâ, etiamſi planè poſitiua, & Eccleſiaſtica ſit, planum eſt. Patet enim, tum ex praxi Eccleſiæ, quæ nunquam auſa eſt bigamos ordinare: tum ex Concil. Carthaginen. IV. vbi Epiſcopus, qui ſcienter ordinauerit bigamum, punitur grauiſsimè, priuatur enim ipſâ auctoritate ordinandi. Can. 69.

1. Tim. 5. Nonus eſt: *Aduerſus Presbyteros accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Hic apertiſsimè docet Apoſtolus, habere Epiſcopum ſuum tribunal, etiam extra forum conſcientiæ, &, more iudicum, accuſationes, & probationes audire, & ſecundum allegata, & probata iudicare. Sanè Presbyterum intelligit Chryſoſtomus quemlibet hominem ſeniorem, ſeu ſacerdotem, ſeu laicum. Ex quo intelligimus etiam, laicos in foro exteriore propter aliqua crimina ab Epiſcopo iudicari. Ambroſ. autem intelligit, nomine Presbyteri, Sacerdotẽ, & fortè rectius: nec tamen propter hanc expoſitionẽ excluduntur laici à foro Epiſcopi; immò apertiſsimè includuntur. Vult enim Apoſtolus dicere, vt exponit Ambroſ. aduerſus laicos faciliùs accuſatores admitti, & audiri poſſe; aduerſus Presbyterum autem, propter Ordinis dignitatem, non debere id fieri, niſi adſint duo, aut tres teſtes.

Luc. 10. Decimus eſt: *Qui vos audit, me audit.* quem de Epiſcopis propriè intelligi docent Cyprianus, & Baſilius.

1. Cor. 11. Vndecimus eſt: *Laudo vos, quòd præcepta mea tenetis.* Et: *Scitis, quæ præcepta dederim vobis.* Et ibid. *Qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum, qui Spiritum ſuum ſanctum nobis dedit.* Et: *Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hanc notate, & ne commiſceamini illi.* 1. Theſſ. 4. 2. Theſſa. 3.

Heb. 13. Duodecimus eſt: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant, tamquam pro animabus veſtris rationem reddituri.* Atque hæc ex Scripturis.

Prob. 2. Secundò prob. ex traditione Patrum: ac inprimis nullum ferè eſt Concilium, quod non aliquid præcipiat, vel interdicat, ſub pœnâ anathematis, vel depoſitionis. Pari ratione, plenæ ſunt epiſtolæ Pont. quæ vel in tomis Conciliorum, vel in corpore Iuris canonici legi poſſunt, præceptis, & cenſuris.

Quæſt. 4. Quarta quæſtio eſt: *An Chriſtus iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſoli ſummo Pont. immediatè contulerit?* Sciendum eſt, triplicem eſſe in Pont. alijſque Epiſcopis poteſtatem. Vnam ordinis; alteram iuriſdictionis interioris; tertiam iuriſdictionis exterioris. Quarum prima refertur ad Sacramenta conficienda, & miniſtranda: altera ad pop. Chriſtianũ, regendum in forò interiori conſcientiæ: tertia ad regendum in foro exteriori. De primâ certum eſt apud omnes, illam æquè immediatè habere à Deo Epiſcopos, ac ipſum ſummum Pontificem. Confertur enim per quandam conſecrationem, quæ æquè operatur in vno, quàm in altero. De ſecundâ aliqua diſſentio eſt inter auctores: nã Abulenſis exiſtimat hanc poteſtatem conferri omnibus ſacerdotibus immediate à Deo, quando ordinantur. Ioannes de Turrecrem. docet, hanc poteſtatem nõ conferri à Deo ex vi ordinationis, ſed ab homine per ſimplicem iniunctionẽ. Ambo tamen in eo conueniunt, quòd vſus huius poteſtatis pendeat à iuriſdictione Reſp.

ctione exteriori: de quâ igitur ſolùm agendum eſt. Et quidem omnes in eo conueniunt, iuriſdictionem Epiſcoporum, ſaltem in genere, eſſe de iure diuino. Nam Chriſtus ipſe ita ordinauit Eccleſiam, vt in eâ ſint Paſtores, & Doctores, &c. Sic enim Apoſtolus loquitur: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Paſtores, & Doctores.* Ephеſ. 4. Et prӕterea, niſi ita eſſet, poſſet Pontifex hunc ordinem mutare, & inſtituere, ne vllus in Eccleſiâ ſit Epiſcopus; quod ſine dubio non poteſt facere. Vt quӕſtio eſt; An Epiſcopi canonicè electi, accipiant à Deo ſuam iuriſdictionem ſicut eam accipit ſummus Pont. An verò à Pontifice? Sunt autem tres de hac re Theologorum ſententiӕ. Prima eorum, qui volunt, tam Apoſtolos quam cæteros Epiſcopos immediatè à Deo accepiſſe, & accipere iuriſdictionem. Altera eorum, qui volunt Apoſtolos non à Chriſto, ſed à Petro; & Epiſcopos non à Chriſto, ſed à Petri ſucceſſore accepiſſe, vel accipere iuriſdictionem. Tertia eſt media eorum, qui volunt Apoſtolos quidem accepiſſe à Chriſto immediatè omnem ſuam auctoritatem; tamen Epiſcopos non à Chriſto, ſed à ſummo Pont. eã accipere. Et hӕc quidem veriſsima eſt.

Et quidem primum prob. ex verbis Domini: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quem locum ſic exponunt Patres, Chryſoſtomus, & Theophylactus, vt apertè dicant, factos eſſe his verbis Apoſtolos Chriſti vicarios; immò ipſum Chriſti officium, & auctoritatem accepiſſe. *Prob. Apoſtolos à Chriſto accepiſſe poteſtatem. Ioan. 20.*

Secundò, ex electione Matthiӕ in Apoſtolatum. Nam legimus, Matthiam Apoſtolum non fuiſſe ab Apoſtolis electum, nec datam ei vllam auctoritatẽ; ſed implorata diuinitus, & impetratâ electione eius, mox inter Apoſtolos annumeratum. *Act. 1.*

Tertiò prob. ex Paulo, qui ex profeſſo docet, ſe auctoritatem, & iuriſdictionem habuiſſe à Chriſto, & inde probat ſe verum eſſe Apoſtolum. *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem.* *Gal 1.* Et ibidem, vt oſtenderet ſe non accepiſſe auctoritatem à Petro, vel alijs Apoſtolis, ait: *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meӕ, & vocauit per gratiam ſuam, continuò non acquieui carni, & ſanguini, neque veni Ieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum: deinde poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum.* Et: *Mihi enim, qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.* *Gal. 2.*

Quarto prob. ex euidenti ratione. Nam Apoſtoli à ſolo Chriſto facti ſunt: *Vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* *Luc. 6.* Et: *Nonne ego vos duodecim elegi?* *Ioan. 6.* Quod autem Apoſtoli habuerint iuriſdictionem, patet tum ex geſtis Pauli, qui excommunicat, & paſsim leges conſtituit; tũ, quia Apoſtolica dignitas eſt prima, & ſuprema dignitas in Eccleſia. *1. Cor. 5. 1. Cor. 7. 11. 14.* *Et quoſdam quidem poſuit in Eccleſia, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas,* &c. *1. Cor. 5. Epheſ. 4.*

Quòd autem ante Chriſti paſsionem Apoſtoli eſſent, nec tamen adhuc eſſent Epiſcopi, vel Sacerdotes, nec vllam haberent iuriſdictionem, non eſt mirum. Dominus enim varijs temporibus varias Apoſtolis contulit poteſtates. Et prӕcipuè Ioan. vigeſimo abſoluit, quod ante paſsionem inchoauerat.

 Quod

Prob. Epiſc. à Papa accipere. Quod autem omnis ordinaria iuriſdictio Epiſcoporum à Papa immediatè deſcendat, prob. primò, ex figuris Teſtamenti veteris. Nam legimus, quòd, cùm Moyſes non poſſet ſolus regere pop. totum, Deus iuſsit adeſſe 70. ſeniores, & auferens de ſpiritu Moyſis, dedit illis, vt vnà cum Moyſe pop. regerent. *Num. 11.* Vbi notandum cum Auguſtino, iſtam ablationem ſpiritus à Moyſe non ſignificare diminutionem ſpiritus in Moyſe, quia tunc nihil profuiſſet Moyſi habere coadiutores, ſi propterea ipſe debilior factus fuiſſet: ſed deriuationem virtutis ſeniorum à Moyſis virtute. Voluit enim Deus oſtendere, in Moyſe reſidere totam auctoritatem, alios autem, ſi quam habent, à Moyſe habere. Conſtat autem, Pontificem in Eccleſia eum locum habere, quem habuit Moyſes in populo Iudæorum.

Secundò; Regimen Eccleſiaſticum eſt Monarchicum; ergò omnis auctoritas eſt in vno, & ab illo in alios deriuatur. Sic enim ſe habent omnes Monarchiæ.

L. de vnitate Eccleſiæ. Tertiò prob. ex illis quatuor ſimilitudinibus, quibus vtitur Cyprianus; comparat enim Petri ſedem capiti, radici, fonti, ſoli. Nam in omni corpore virtus membrorum deriuatur à capite; in omni arbore virtus ramorum oritur ex radice; in omnibus riuis aqua fluit ex fonte; omnium denique radiorũ ſolarium lux eſt à ſole.

Quartò prob. ex inæqualitate iuriſdictionum. Nam ſi Deus immediatè conferret iuriſdictionem Epiſcopis, omnes Epiſcopi haberent æqualem iuriſdictionem, ſicut habent æqualem ordinis poteſtatem: Deus enim non determinat vnquam Epiſcoporum iuriſdictionem: at modò vnus Epiſcopus habet vnum oppidum, alius centum oppida, alius multas prouincias.

Quintò; ſi haberent Epiſcopi à Deo ſuam iuriſdictionem, non poſſet Pont. illam auferre, aut mutare. Non enim poteſt Pont. aliquid agere contra Dei ordinationem: at certum eſt, Pont. id poſſe facere, & ſæpe feciſſe.

Sextò, ſi iure diuino Epiſcopi habent ſuam iuriſdictionem, oſtendere debent aliquod verbum Dei, in quo hæc eorum iuriſdictio fundetur. At nihil adferre poſſunt aduerſarij, niſi verba Domini dicta ad Apoſtolos: illis autem datur Apoſtolis ampliſsima iuriſdictio in Eccleſiam vniuerſam, quam non concedunt Epiſcopis. Ergò, &c.

Septimò accedant teſtimonia duorũ veterum, ſanctiſsimorumque Pont. Innocentij I. & S. Leonis.

CAPV

CAPVT DECIMVM.

De poteſtate temporali Pontificis.

COMMVNIS Catholicorum Theologorum ſententia eſt, Pontificem, vt Pont. non habere directè, & immediatè vllam temporalem poteſtatem, ſed ſolùm ſpiritualem, tamen ratione ſpiritualis habere ſaltem indirectè poteſtatem quandam, eamque ſummam in temporalibus: neque eſſe contra ius diuinum, quod Epiſcopi etiam actu habeant, & directè, iuriſdictionem temporalem in vrbes, & prouincias ſibi donatas à regibus, vel alio iuſto titulo acquiſitas. De primo tria probabimus. *Sententia Catholicorū.*

Primò, Papam non eſſe Dominum totius orbis.

Secundò, non eſſe Dominum totius orbis Chriſtiani.

Tertiò, non eſſe Dominum vllius prouinciæ, aut oppidi, nullamque habere iure diuino iuriſdictionem merè temporalem.

Primum prob. Papa non eſt Dominus earum prouinciarum, quas obtinent infideles: nam inprimis Dominus ſolùm oues ſuas Petro commiſit, infideles autem non ſunt oues. Deinde non poteſt Papa iudicare infideles: *Quid ad me de his, quæ foris ſunt iudicare.* Denique, infideles principes ſunt veri, & ſupremi ſuorum regnorum: nam dominium non fundatur in gratia, aut fide, ſed in libero arbitrio, & ratione, nec deſcendit ex iure diuino, ſed ex iure gentium, vt patet ex eo, quòd Deus approbat regna gentilium in vtroque teſtamento. *Prob. Papam non eſſe Dominum totius orbis. 1. Cor. 5.*

Tu es Rex Regum, & Deus cœli dedit tibi regnum, & imperium. &c. Et: *Reddite, ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Nota, *Reddite*, non donate, quæ ſunt Cæſaris, id eſt, quæ iure illi debentur. Et: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* &c. Et iubet ibidem etiam propter conſcientiam obedire principibus Ethnicis. At certè non tenemur in conſcientia obedire illi, qui non eſt verus princeps. Si igitur non eſt Papa Dominus earum prouinciarum, quas obtinent infideles, ſequitur eum non eſſe Dominum totius mundi. *Dan. 2. Matth. 22. Rom. 13.*

Secundum prob. Primùm, quia, ſi eſſet Dominus totius orbis Chriſtiani, & quidem iure diuino, vt volunt, deberet id conſtare ex Script. aut certè ex Apoſtolorum traditione. Ex Script. non habemus, niſi datas Pontifici claues regni cœlorum: de clauibus regni terrarum nulla fit mentio. Traditionem autem Apoſtolicam nullam aduerſarij adferunt. Præterea, Chriſtus non abſtulit, neque aufert regna ijs, quorum erant: nam Chriſtus non venit deſtruere ea, quæ benè ſe habebant, ſed perficere: ergo, quando Rex fit Chriſtianus, non perdit regnum terrenum, quod iure obtinebat, ſed acquirit nouum ius ad regnum æternum. *Prob. non eſſe Dominum totius orbis Chriſtiani.*

Item, Si Papa eſſet Dominus totius orbis Chriſtiani ſupremus; ergò ſinguli Epiſcopi ſunt Domini temporales in oppidis Epiſcopatu, ſuo ſubiectis: ſiquidem id, quod eſt Papa in Eccleſia vniuerſa, eſt quilibet Epiſcopus in particulari. At hoc apertè falſum eſt, nec aduerſarij concedunt. Denique prob. ex confeſsione Pont.

Prob non eſſe Dominum merè temporalem vllius oppidi.

Tertium prob. Chriſtus, vt homo, dum in terris vixit, non accepit nec voluit vllius prouinciæ, vel oppidi merè temporale dominium: ſummus autem Pont. Chriſti eſt vicarius, & Chriſtum nobis repręſentat, qualis erat, dũ hic inter homines viueret: ergò ſummus Pont. vt Chriſti vicarius, atque adeò vt ſummus Pont. eſt, nullius prouinciæ, aut oppidi habet merè temporale dominium.

Propoſitio explicatur, & prob. Chriſtus fuit quidem ſemper, vt Dei filius, Rex, & Dominus omnium creaturarum, eo modo, quo eſt Pater eius: ſed hoc regnum æternum eſt, & diuinum, nec tollit dominia hominum, nec poteſt Pont. conuenire: fuit pręterea Chriſtus, vt homo, Rex omnium hominum ſpiritualis, & habuit poteſtatem ampliſsimam in omnes, tam fideles, quã infideles, in ordine ad ſalutem ęternam, ita vt poſſet eos obligarre ad fidem, & ſacramenta ſua ſuſcipienda: potuit quoque per ſuã ſpiritualem poteſtatẽ diſponere de omnibus rebus temporalibus, prout expedire iudicabat ad finẽ ſuũ ſpiritualẽ futurum etiã eſt hoc ſpirituale Chriſti regnum ſenſibile, & manifeſtum; & ita inchoata eſt gloria huius regni in ipſo capite noſtro Chriſtò, cum à mortuis reſurrexit. Cæterum hoc etiam non eſt regnum temporale, qualia ſunt noſtrorum Regum, nec poteſt Pont. communicari, quia præſuponit reſurrectionem. Potuiſſet denique Chriſtus homo, ſi voluiſſet, & expedire ſibi viſum fuiſſet, accipere regiam auctoritatem; tamen noluit, & proinde nec accepit, nec habuit non ſolùm executionem dominij, & regni, ſed nec poteſtatem, vel auctoritatem vllius regni temporalis.

Prob. nam ſi habuit, vel ex hęreditariã ſucceſsione, vel iure belli, vel dono ſpeciali Dei, vel ex electione. Omne enim regnum aliquo horum modorum acquiritur. Non habuit Chriſtus homo regnum hæreditarium. Nam etſi deſcendit ex familiã regiã, tamen non conſtat, an ipſe eſſet magis proximus Dauidi, quàm alij, qui de eadem familia erant, & præterea tunc regnum erat ablatum à familiã Dauid, idque Deo volente, qui etiam prædixerat ex Iechoniæ familiã, vnde Chriſtus deſcendit, nullum futurum Regem, ſcilicet temporalem, eo modo, quo fuerat Dauid, & alij eius ſucceſſores. De Iechonia ſic legimus: *Hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem habeat vltrà in Iudã.* Conſtat autem Chriſtum deſcendere ex iſto Iechonia. Et confirm. nam Hieronymus, & Ambroſius quærunt, quomodo nõ pugnet hęc prophetia Hieremiæ, cum prophetia Gabrielis: *Dabit ei Dominus Deus ſedem Dauid patris eius.* Et reſpondent, ideò non pugnare; quòd Hieremias loquatur de regno temporali, & carnali: Gabriel de regno ſpirituali, & æterno.

Hier. 22. *Matth. 1.* *Luc. 1.*

Non etiam iure belli fuit Chriſtus rex temporalis: nam bellum eius non fuit cum Regibus mortalibus, ſed cum principe tenebrarum, vt conſtat ex

eo

eo: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Et: *Expolians Principatus, & poteſtates traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſeipſo.* Et: *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera Diaboli.* Quòd non ex ſpeciali dono, patet ex illo: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Et: *Regnum meum non eſt hinc.* Vt enim exponunt Patres, Dominus his verbis liberare voluit Pilatum à ſuſpicione, qua credere poterat, ſe regnum temporale Iudæorum affectaſſe. *Ioan. 12. Coloſ. 2. 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 18.*

Itaque ſenſus eſt: Ego quidem rex ſum, ſed non eo modo, quo Cæſar aut Herodes: nam regnum meum non eſt de hoc mundo; id eſt, non conſtat honoribus, opibus, potentia mundana, &c.

Confirmatur hæc ratio primò teſtimonijs plurimorum auctorum.

Secundò; nam Chriſtus nunquam exercuit in hoc mundo regiam poteſtatem.

Tertiò: nam auctoritas regia non erat Chriſto neceſſaria, neque vtilis; ſed ſuperuacanea, & inutilis: nam finis aduentus eius in mundum erat redemptio humani generis; ad hunc autem finem non erat neceſſaria temporalis poteſtas, ſed ſpiritualis. Siquidem per ipſam ſpiritualem poterat etiam diſponere de rebus temporalibus eo modo, quo iudicabat expedire ad humanam redemptionem. Quòd fuiſſet inutilis patet, quia Chriſtus debuit hominibus perſuadêre contemptum gloriæ, deliciarum opum, & omnium rerum terrenarum, quibus tamen maximè affluunt Reges huius mundi: *Qui enim mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* *Matth. 11.*

Quartò confirmatur, quia Chriſtus verè pauper fuit, non ſolùm quoad vſum, ſed etiam quoad dominium. Quod docet S. Bonauentura, & Nicolaus III. ac Clemens V. Vltimò, quia omnia ferè loca Script. vbi de regno Chriſti agitur, neceſſario debent intelligi de regno ſpirituali, & æterno. Vt ibi: *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo*: vbi ſubditur: *Prædicans præceptum eius*, vt oſtendatur regnum ſpirituale. Item: *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Et: *Regni eius non erit finis.* At regna temporalia non ſunt æterna. Et ſi Chriſtus fuit Rex Iudæorum humano more, dum vixit in terris, certè deſijt eo modo regnare, quando ad Patrem aſcendit. Et, cùm idem regnum paulo poſt occupatum fuerit à Rom. deinde à Saracenis, & nunc à Turcis teneatur, quo pacto impletum eſt, quod dixit Daniel? *Pſal. 2. Dan. 2. Luc. 1.*

Non etiam fuit Rex temporalis titulo electionis, vt patet ex illo: *O homo, quis me iudicem conſtituit, aut diuiſorem inter vos?* Id eſt, neque Imperator, neque Reſp. me iudicé elegit. Et ex illo: *Cùm cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eũ, & facerent eum regem, fugit iterùm in montem ipſe ſolus.* Iam aſſumptio primi argumenti prob. nimirum Papam habere illud officium, quod habuit Chriſtus, cum in terris inter homines humano more viueret. Quia enim Eccleſia ex hominibus conſtans, indiget capite viſibili, & more humano viuente, ideo Chriſtus, quando deſijt more humano viuere, id eſt, poſt reſurrectionem, reliquit Petrum loco ſuo, qui nobis exhiberet illam Chriſti gubernationem viſibilem, & humanam, quam Eccleſia habuerat ante Chriſti paſſionem: vt patet ex illo: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Adde, quod neque habet Pontifex omnem poteſtatem prorſus, quam habuit Chriſtus, vt homo mortalis. *Luc. 12. Ioan. 6. Ioan. 20.*

Ille enim, quia Deus, & homo erat, habuit quandam poteſtatem, quam dicunt, excellentiæ, per quam præerat tam fidelibus, quàm infidelibus: Papæ autem ſolùm oues ſuas, id eſt, fideles commiſit.

Præterea; Chriſtus poterat Sacramenta inſtituere, & miracula facere propria auctoritate, quæ non poteſt Pontifex. Item, poterat abſoluere à peccatis ſine Sacramentis, quod Papa non poteſt. Solùm ergò Pontifici illam poteſtatem communicauit, quæ puro homini communicari poterat, & quæ erat neceſſaria ad gubernandos ita fideles, vt ſine impedimento vitam æternam conſequi poſſent.

Prob. 1. Papam habere ſummã poteſtatem temporalem indirectè.

Secundum in initio poſitum, ſcilicet, Papam habere ſummam temporalem poteſtatem indirectè, explicatur per ſimilitudinem à Gregorio Nazianzeno: Vt enim ſe habent in homine ſpiritus, & caro, ita ſe habent in Eccleſia duæ illæ poteſtates. Nam caro, & ſpiritus, ſunt quaſi duæ Reſp. quæ & ſeparatæ, & coniunctæ inueniri poſſunt. Habet caro ſenſum, & appetitum, quibus reſpondent actus, & obiecta proportionata, & quorum omnium finis immediatus eſt ſanitas, & bona conſtitutio corporis: habet ſpiritus intellectum, & voluntatem, & actus, atque obiecta proportionata, & pro fine animæ ſanitatem, & perfectionem. Inuenitur caro ſine ſpiritu in brutis: inuenitur ſpiritus ſine carne in Angelis. Ex quo apparet, neutrum præcisè eſſe propter alterum. Inuenitur etiam caro adiuncta ſpiritui in homine, vbi, quia vnam perſonam faciunt, neceſſariò habent ſubordinationem, & connexionem. Caro enim ſubeſt, ſpiritus præeſt; & licet ſpiritus non ſe miſceat actionibus carnis, ſed ſinat eam exercere actiones omnes, vt in brutis exercet, tamen quando eæ officiunt fini ipſius ſpiritus, ſpiritus carni imperat, eamque caſtigat, &, ſi opus eſt, indicit ieiunia, aliaſque afflictiones, etiam cum detrimento aliquo, & debilitatione ipſius corporis, & cogit linguam, ne loquatur, oculos, ne videant, &c. Pari ratione, ſi ad finem ſpiritus obtinendum neceſſaria ſit aliqua carnis operatio, & ipſa etiam mors; ſpiritus imperare poteſt carni, vt ſe, ac ſua exponat, vt in Martyribus videmus. Ita prorſus politica poteſtas habet ſuos principes, leges, iudicia, &c. Et ſimiliter Eccleſiaſtica ſuos Epiſcopos, canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, iſta ſalutem æternam. Inueniuntur quandoque ſeparatæ vt olim tempore Apoſtolorum; quandoque coniunctę, vt nunc. Quando autem ſunt coniunctæ, vnum corpus efficiunt, ideoque debent eſſe connexę, & inferior ſuperiori ſubiecta, & ſubordinata.

Itaque ſpiritualis non ſe immiſcet temporalibus negotijs, ſed ſinit omnia procedere, ſicut antequam eſſent coniunctę, dum modò non obſint fini ſpirituali, aut non ſint neceſſaria ad eum conſequendum. Si autem tale quid accidat, ſpiritualis poteſtas poteſt, & debet coërcere temporalem omni ratione, & via, quę ad id neceſſaria eſſe videbitur. Vt autem magis hęc explicentur, comparanda eſt poteſtas Papę ſpiritualis cum perſonis iudicum, ſeu principum ſęcularium; cum legibus eorum ciuilibus; & cum eorum foro, & iudicijs. Quantùm ad perſonas, non poteſt Papa, vt Papa, ordinariè temporales Principes deponere, etiam iuſta de cauſſa eo modo, quo deponit Epiſcopos, id eſt, tanquam ordinarius Iudex: tamen poteſt mutare regna, & vni auferre,

atque alteri conferre, tanquam ſummus Princeps ſpiritualis, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem. Quantùm ad leges, non poteſt Papa, vt Papa, ordinariè condere legem ciuilem, vel confirmare, aut infirmare leges Principum, quia non eſt ipſe Princeps Eccleſiæ politicus: tamen poteſt omnia illa facere, ſi aliqua lex ciuilis ſit neceſſaria ad ſalutem animarum, & tamen Reges non velint eam condere; aut ſi alia ſit noxia animarum ſaluti, & tamen Reges non velint eam abrogare.

Itaque, quando de eadem re contrarię inueniuntur leges, imperatorię, & pontificiæ, ſi materia legis eſt res, animarum periculum concernens, abrogatur lex imperatoria per pontificiam. Et hoc modo lex pontificia cap. finali. De præſcriptionibus, abrogauit legem imperatoriam, quæ habetur in Cod. de præſcriptionibus XXX. vel XL. annorum, etiam cum mala fide, quia non poterat ſeruari ſine peccato mortali. At, quando materia legis eſt res temporalis, non concernens animarum periculum, non poteſt lex pontificia abrogare legem imperatoriam, ſed vtraque ſeruanda eſt: illa in foro Eccleſiaſtico, iſta in foro ciuili.

Quantùm ad iudicia, non poteſt Papa, vt Papa, ordinariè iudicare de rebus temporalibus. At nihilominùs in caſu, quo id animarum ſaluti neceſſarium eſt, poteſt Pontifex aſſumere etiam temporalia iudicia, quando nimirum non eſt vllus, qui poſsit iudicare; vt cùm duo Reges ſupremi contendunt, vel quando, qui poſſunt, & debent iudicare, non volunt ſententiam ferre.

Prob. autem hæc ſententia rationibus. *Prob. 2.*

Prima ratio: Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reip. Chriſtianæ: ergò poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus, in ordine ad bonum ſpirituale. Omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo. Quòd autem poteſtas politica non ſolùm, vt Chriſtiana; ſed etiam, vt politica, ſit ſubiecta Eccleſiaſticæ, vt talis eſt, Primò demonſtratur ex finibus vtriuſque. Nam finis temporalis ſubordinatur fini ſpiritualis, vt patet; quia fęlicitas temporalis non eſt abſolutè vltimus finis, & ideò referri debet in fęlicitatem æternam. Conſtat autem ex Ariſtot. ita ſubordinari facultates, vt ſubordinantur fines. *1. Ratio.*

Secundò; Reges, & Pontif. Clerici, & laici, non faciunt duas Reſp. ſed vnam, id eſt, vnam Eccleſiam. Sumus enim omnes *vnum corpus*. At in omni corpore membra ſunt connexa, & dependentia vnum ab alio: non autem rectè aſſeritur, ſpiritualia pendere à temporalibus: ergò temporalia à ſpiritualibus pendent, illiſque ſubijciuntur. *Rom. 12.* *1. Cor. 12.*

Tertiò; Si temporalis adminiſtratio impedit ſpirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis mutare illum modum adminiſtrandi, etiam cum detrimento temporalis boni: ergò ſignum eſt, ſubiectam eſſe temporalem poteſtatem ſpirituali.

Secunda ratio: Reſpub. Eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem: tales enim ſunt omnes Reſp. bene inſtitutæ: ergò debet habere omnem poteſtatem neceſſariam ad ſuum finem. Sed eſt neceſſa- *2. Ratio.*

ria ad finem ſpiritualem poteſtas vtendi, & diſponendi de temporalibus rebus; quia alioqui poſſent mali Principes impunè fouere Hęreticos, & euertere religionem: igitur & hanc poteſtatem habet. Item; Poteſt quælibet Reſp. quia perfecta, & ſufficiens eſſe debet, imperare alteri Reip. non ſibi ſubiectæ, & eam cogere ad mutandam adminiſtrationem; immò etiam deponere eius Principem & alium inſtituere, quando non poteſt aliter defendere ſe ab eius iniurijs: ergò multò magis poterit ſpiritualis Reſp. imperare temporali Reip. ſibi ſubiectæ, & cogere ad mutandam adminiſtrationem, & deponere Principes, atque alios inſtituere, quando aliter non poteſt bonum ſuum ſpirituale tueri.

3. *Ratio.* Tertia ratio: Non licet Chriſtianis tolerare regem infidelem, aut hæreticum, ſi ille conetur pertrahere ſubditos ad ſuam hęreſin, vel infidelitatem: at iudicare, an Rex pertrahat ad hęreſin, nec ne, ad Pont. pertinet, cui eſt commiſſa cura religionis: ergò Pontif. eſt iudicare, Regem eſſe deponendum, vel non.

Deut. 17. Prob. propoſitio ex Deut. vbi prohibetur populus, eligere Regem, qui non ſit de fratribus ſuis, id eſt, non Iudęum, ne videlicet pertrahat Iudæos ad idololatriam. Ergò etiam Chriſtiani prohibentur, eligere Regē non Chriſtianum. Nam illud pręceptum morale eſt, & naturali æquitate nititur. Rurſum; Eiuſdem periculi, & damni eſt, eligere non Chriſtianum, & non deponere non Chriſtianum: ergò tenentur Chriſtiani non pati ſuper ſe Regem non Chriſtianum, ſi ille conetur auertere pop. à fide. Addo iſtam conditionalem, propter eos infideles, qui habuerunt dominium ſuper populū ſuū antequam pop. conuerteretur ad fidem. Si enim tales nō conētur populū à fide auertere, non exiſtimo, poſſe eos priuari ſuo dominio. At, ſi conētur populū à fide

1. *Cor.* 6. auertere, omnium conſenſu poſſunt, & debent priuari ſuo dominio. Quòd ſi Chriſtiani olim non depoſuerunt Neronem, & Diocletianum, & Iulianum Apoſtatam, ac Valentem Arianum, ac ſimiles, id fuit, quia deerant vires temporales Chriſtianis. Nam, quòd alioqui iure potuiſſent id facere, patet ex Apoſtolo, qui iubet, conſtitui nouos iudices à Chriſtianis, temporalium cauſſarum, ne cogerentur Chriſtiani cauſſam dicere coram iudice Chriſti perſecutore. Sicut enim noui iudices conſtitui potuerunt, ita & noui Principes & Reges, propter eandem cauſſam, ſi vires adfuiſſent.

Præterea; Tolerare Regem hæreticum, vel infidelem conantem pertrahere homines ad ſuam ſectam, eſt exponere religionem euidentiſsimo periculo: *Qualis enim eſt Rector ciuitatis, tales & habitantes in eâ.* Et experientia idem

Eccleſ. 10. docet: nam quia Hieroboam Rex idolatra fuit, maxima etiam pars regni cō-

3. *Reg.* 12. tinnò idola colere cæpit. Et poſt Chriſti aduentum, regnante Conſtantino, florebat fides Chriſtiana: regnante Conſtantio, florebat Arianiſmus: regnante Iuliano, iterum refloruit Ethniciſmus: & in Angliâ noſtris temporibus, regnante Henrico, & poſteà Eduardo, totum regnum à fide quodammodò apoſtatauit: regnante Mariâ iterum totum regnum ad Eccleſiam redijt: regnante Helizabetha iterum exulare cæpit vera religio, & regnare Caluiniſmus. At non tenentur Chriſtiani, immò nec debent, cum euidenti periculo religionis tolerare regem infidelem. Nam, quando ius diuinum, &

ius

ius humanum pugnant, debet ſeruari ius diuinum, omiſſo humano: de iure autem diuino eſt, ſeruare veram fidem, & religionem, quæ vna tantùm eſt, non multæ; de iure autem humano eſt, quòd hunc, aut illum habeamus Regem. Denique; Cur non poteſt liberari pop. fidelis à iugo Regis infidelis, & pertrahentis ad infidelitatem, ſi coniux fidelis liber eſt ab obligatione manēdi cum coniuge infideli, quando ille non vult manere cum coniuge Chriſtianâ ſine iniuriâ fidei? Non enim minor eſt poteſtas coniugis in coniugem, quā Regis in ſubditos, ſed aliquantò etiam maior.

Quarta ratio: Quando Reges, & Principes ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito, vt ſceptra ſua ſubijciant Chriſto, & polliceantur, ſe Chriſti fidem ſeruaturos, & defenſuros, etiam ſub pœnâ regni perdendi: ergò, quando fiunt hæretici, aut religioni obſunt, poſſunt ab Eccleſiâ iudicari, & etiam deponi à principatu; nec vlla eis fiet iniuria, ſi deponantur. Nam, non eſt idoneus Sacramento Baptiſmi, qui non eſt paratus Chriſto ſeruire, & propter ipſum amittere, quidquid habet. Ait enim Dominus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Prętereà; Eccleſia nimis grauiter erraret, ſi aliquem admitteret Regem, qui vellet impunè fouere quamlibet ſectam, & defendere hęreticos, ac euertere religionem. 4. Ratio. Luc. 14.

Quinta ratio: Cùm Petro dictum eſt: *Paſce oues meas*, data eſt illi facultas omnis, quæ eſt paſtori neceſſaria ad gregem tuendum: at paſtori neceſſaria eſt poteſtas triplex: nimirum, Vna, circa lupos, vt eos arceat omni ratione, quâ poterit. Altera, circa arietes, vt, ſi quando cornibus lædant gregē, poſſit eos recludere, & prohibere, ne gregem vlteriùs præcedant. Tertia, circa oues reliquas, vt ſingulis tribuat conuenientia pabula. Ergò triplicem hanc poteſtatem habet ſummus Pont. & ſic tria deducuntur ex hoc loco argumenta. Primum: Lupi, qui Eccleſiam Domini vaſtant, hæretici ſunt: *Attendite à falſis Prophetis*, &c. 5. Ratio. Ioan. vlt.

Alterum: Princeps eſt aries furioſus deſtruens ouile, quando eſt Catholicus fide, ſed adeo malus vt multum obſit religioni, & Eccleſiæ, vt, ſi Epiſcopatus vendat; Eccleſias diripiat, &c. Ergo poterit paſtor eum recludere, vel redigere in numerum ouium. Tertium: Poteſt paſtor, ac debet, oues omnes ita paſcere, vt eis conuenit: ergò poteſt, ac debet Pont. omnibus Chriſtianis ea iubere, atque ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum ſecundum ſtatum ſuum tenetur; id eſt, ſingulos cogere, vt eo modo Deo ſeruiant, quo ſecundum ſtatum ſuū debent: debent autem Reges Deo ſeruire defendendo Eccleſiam, puniendoque hęreticos, & ſciſmaticos. Ergò poteſt & debet Regibus iubere, vt hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliaſque commodas rationes. Matth. 7.

Prob. tertiò hæc Pont. poteſtas ab exemplis. Primum eſt, vbi legimus, Oziam Regem, cùm Sacerdotum officium vſurparet, à Pont. fuiſſe de templo eiectum, &, cùm propter idem peccatum leprâ à Deo percuſſus fuiſſet, coactum etiam fuiſſe ex vrbe diſcedere, & regnum filio renunciare. Quòd enim non ſponte ſuâ, ſed ex ſententiâ Sacerdotis vrbe, & regni adminiſtratio- Prob 1. 1 Exemplū. 2. Paral. 26.

Leuit. 13. tione priuatus fuerit, patet; nam legimus: *Quicunque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, ſolus habitabit extra caſtra.* Si ergò propter lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & regno priuare, quare id non poterit modo propter lepram ſpiritualem, id eſt, propter hæreſin.

2. Exemplū. 2. Par. 23. Secundum eſt, vbi, cùm Athalia tyrannicè occupaſſet regnum, & foueret cultum Baal, Ioiada Pont. vocauit centuriones, & milites, & iuſsit eis, vt Athaliam interficerent, quod & fecerunt; & pro ea Ioas Regem creauit. 4. Reg. 11. Quòd enim Pont. non ſuaſerit, ſed iuſſerit, patet ex illis verbis. *Et fecerunt Centuriones iuxta omnia, quæ præceperat eis Ioiada Sacerdos.* 2. Par. 23. Item ex illis: *Egreſſus autem Ioiada Pont. ad centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite eam extra ſepta templi, & interficiatur foris gladio.* Quòd autem cauſſa huius depoſitionis, & interfectionis Athaliæ, non ſolùm tyrannis eius fuerit, ſed etiam, quòd foueret cultum Baal, patet ex illis verbis, quæ ponuntur immediatè poſt occiſionem eius: *Itaq; ingreſſus eſt omnis populus domum Baal, & deſtruxerunt eam, & altaria, & ſimulacra illius confregerunt: Mathan quoque Sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.*

3. Exemplū. Tertium eſt B. Ambroſij, qui, cùm eſſet Epiſcopus Mediolanenſis, & proinde paſtor, & pater ſpiritualis Theodoſij Imp. qui Mediolani ſedem ſuam ordinariè tenebat, primùm excommunicauit eum propter cædem, quam Theſſalonicè fieri à militibus imperauerat: deinde, præcepit ei, vt legem ferret, ne ſententiæ latæ de cæde, vel bonorum publicatione ratæ eſſent, niſi poſt triginta dies à ſententiæ pronunciatione, vt, nimirum, ſi quid per iracundiam præcipitanter dictaſſet, intra tot dierum ſpacium reuocare poſſet. Atqui non potuit Epiſcopus excommunicare Theodoſium propter cædem illam, niſi priùs cauſſam illam cognouiſſet, & dijudicaſſet, licet criminalis eſſet, & ad forum externum pertineret: non potuit autem cognoſcere, & iudicare eiuſmodi cauſſam, niſi etiam in foro externo legitimus iudex Theodoſij fuiſſet. Præterea; cogere Imp. ad legem politicam ferendam, & præſcribere ei formā legis, nónne manifeſtè oſtendit, poſſe Epiſcopum interdum temporali poteſtate vti, etiam in eos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt? Et, ſi Epiſcopus quilibet id poteſt, quanto magis Princeps Epiſcoporum?

4. Exemplū. Quartum eſt Gregorij. I. in priuilegio, quod conceſsit monaſterio S. Medardi, & habetur in fine epiſtolarum: *Si quis,* inquit, *Regum, Antiſtitum, Iudicum, vel quarumcunque ſecularium perſonarum, huius Apoſtolicæ auctoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violauerit, cuiuſcunque dignitatis, vel ſublimitatis ſit, honore ſuo priuetur.*

5. Quintum eſt Gregorij II. qui Leoni Imp. Iconomacho à ſe excommunicato prohibuit ſolui vectigalia ab Italis, & proinde mulctauit eum parte imperij.

6. Sextum eſt Zachariæ, qui rogatus à primoribus Francorum, Childericum depoſuit, & in eius locum Pipinum Caroli Magni patrem Regem creari iuſſit. Cuius cauſſa fuit, quia propter ſocordiam Childerici & religioni, & regno in Gallia extrema ruina imminere videbatur.

7. Septimum exemplum eſt Leonis III. qui imperium tranſtulit à Græcis in

in Germanos, propterea, quod Græci nullum auxilium laboranti Eccleſiæ Occidentali adferre poſſent. Ex quo factum eſt, vt, licet imperatoria dignitas abſolutè conſiderata, non ſit à Pont. ſed à Deo, mediante iure Gentium; tamen Imp. qui fuerunt à tempore Caroli Magni, Pont. debeant ſuum imperium. Quòd enim hæc poteſtas nunc ſit apud Germanos, à Pont. eſt. Et licet non ſit neceſſarium, vt Papa confirmaret Imp. nec vt Imp. Pontifici iuramentum fidelitatis præſtaret; tamen à tempore tranſlati imperij in Germanos, vtrumque requiritur. Qui enim potuit imperium Germanis conferre propter Eccleſiæ ſalutem, potuit etiam certas conditiones adiungere, propter eandem cauſſam, ne videlicet contingeret hæreticum, vel ſciſmaticum creari.

Octauum exemplum eſt Gregorij V. qui ſanctionem edidit de Imp. eligendo per ſeptem Germaniæ principes, quę vſque ad hanc diem ſeruatur. Is enim tempore Othonis III. Imp. conuocatis. & requiſitis principibus Alemaniæ, inſtituit ſeptem Electores officiales ipſius curiæ Imperialis: quatuor Laicos, vt Regem Bohemiæ, Ducem Saxoniæ, Comitem Palatinum, Marchionem Brandeburgenſem: & tres clericos, Archiepiſcopum Maguntinenſem, Treuirenſem, & Colonienſem. 8.

Nonum eſt Gregorij VII. qui Henricum IV. Imp. depoſuit, & alium eligi iuſsit: quod & factum eſt. 9.

Decimum eſt Innocentij III. qui Othonem IV. ſimiliter depoſuit. 10.

Vndecimum eſt Innocentij IV. qui in Concilio generali Lugdunenſi, 11. conſentientibus vniuerſis Patribus, depoſuit Fridericum II. & vacauit tunc imperium annis XXVIII. Idem Innocent. IV. dedit Regi Luſitaniæ coadiutorem quendam, qui regnum adminiſtraret; quandoquidem Regis negligentia & reſp. & religio in Luſitania detrimentum patiebatur.

Duodecimum eſt Clementis VI. qui Ludouicum IV. Imper. à Ioanne 12. XXII. & Benedicto XII. excommunicatum depoſuit.

Tertia pars quęſtionis, ſcilicet, Non repugnare cum verbo Dei, quod vnus homo ſit princeps Eccleſiaſticus, & politicus ſimul, prob. primò, exemplis Sanctorum, qui inueniuntur Reges, & Pontifices fuiſſe. Nam in lege naturæ Melchiſedech fuit Rex, & Pontif. Immò etiam olim primogenitus ſemper Rex, & Pont. erat. Conſtat quoque Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, pręfuiſſe ſuis tam in ijs, quæ ad religionem, quàm in ijs, quæ ad politicam vitam pertinent. *Prob. 1. non eſſe contra ius diuinum, quod vnus ſit Princeps Eccleſ. & polit.* *Gen. 14.* *Hebr. 7.*

Deinde, Moyſes erat ſummus Princeps temporalis, & ſummus Pont. vt eſt perſpicuum ex Scriptura: *Sedit Moyſes, vt iudicaret pop.* Iuſsit etiam occidi plurimos de populo propter peccatum idololatrię. Adoleuit quoque Domino incenſum, quod erat proprium munus Pont. vt patet ex Paral. Conſecrauit etiam Aaronem in ſacerdotem, ſanctificauit tabernaculum, & altare, obtulit ſacrificia, & holocauſta, quæ ſolus ſacerdos facere poteſt. Præterea, Heli & ſummus Pont. & Iudex politicus fuit annis XL. Denique, Machabæi, Iudas, Ionathas, Simon, Ioannes, & cęteri vſque ad Herodem, ſimul Pont. & Duces politici fuerunt. *Exod. 18.* *Exod. 32.* *Exod. 40.* *2. Par. 26.* *Leuit. 8.* *1. Reg. 1.4.*

Prob. ſecundò ratione. Primò, Poteſtas Eccleſiaſtica, & politica non ſunt *Prob. 2.* *1. Ratio.*

contrariæ;ſed vtraque bona, vtraque à Deo, vtraque laudabilis, & vna alteri ſeruit. Ergò poſſunt eſſe in eodem.

2. Ratio. Secundò: Magis diuerſa ſunt pax, & bellum, quàm bona temporalia, & ſpiritualia: at vnus, & idem Rex ſimul præeſt ſenatui, & exercitui, togatis, & armatis: ergò multò magis poterit vnus præeſſe in temporalibus, & ſpiritualibus rebus.

3. Ratio. Tertiò: Poteſt vnus Rex gubernare diuerſiſsima regna, quæ diuerſos mores, ritus, leges, conſuetudines habeant: & pari ratione poteſt vnus Epiſcopus regere plurimas Eccleſias, vt patet de Patriarchis antiquis (vt omittam Romanum) quorum quilibet habuit ſub ſe plurimos Epiſcopos: ergò etiam vnus homo regere vnum Epiſcopatum, & vnum principatum. Nam vel difficilius eſt, regere Epiſcopatum, quàm principatum; vel facilius, vel æquè difficile. Si primum, ergo ſi vnus regit duos Epiſcopatus, à maiori reget vnum epiſcopatum, & vnum principatum. Si ſecundum, ergo ſi vnus regit duos principatus, à maiori reget vnum principatum & vnum epiſcopatum. Si tertium, ergo ſi vnus regit duos principatus, vel duos epiſcopatus, à ſimili poterit regere vnum epiſcopatum, & vnum principatum.

4. Ratio. Quarto: Qui donauerunt Epiſcopo Rom. aliiſque Epiſcopis, principatus temporales, pij homines fuerunt, & eâ de cauſſa præcipuè à tota Eccleſia commendati ſunt: vt patet de Conſtantino, & Carolo Magno, & Ludouico eius filio, qui inde pius appellatus eſt: Et contra, qui eiuſmodi principatum auferre conati ſunt, vt Aiſtulphus Rex Longobardorum, Henricus IV. & V. Otho IV. Fridericus I. & II. ab omnibus Hiſtoricis, vt impij, & ſacrilegi notantur. Neque optimi principes fuerunt ſolùm ij, qui Apoſtolicam ſedem ita ditarunt, ſed etiam plerique eorum, qui eiuſmodi opes, & principatum receperunt. Nam Leo IV. miraculis claruit. Leonem IX. omnes ſcriptores ſanctum vocant, & miraculis claruiſſe ſcribunt. Gregorius VII. miraculis claruit, & vir optimus fuit. Celeſtini V. vita ſanctiſsima & miraculis pleniſſima fuit. Denique Adrianum I. Leonem III. Nicolaum I. Innocentium III. alioſque nonnullos, ſcriptores omnes laudant, quos tamen ſatis cõſtat, hunc principatum vnà cum pontificatu adminiſtraſſe.

5. Ratio. Vltimò prob. experientia Nam & ſi abſolutè fortè præſtaret Pont. ſolùm tractare ſpiritualia, & Reges temporalia; tamen propter malitiam temporũ experientia clamat, non ſolùm vtiliter, ſed etiam neceſſario, & ex ſingulari Dei prouidentia, donatos eſſe Pont. aliiſque Epiſcopis temporales aliquos principatus. Si enim in Germaniâ Epiſcopi principes non fuiſſent, nulli ad hanc diem in ſuis ſedibus permanſiſſent. Sicut ergo in Teſtamento veteri diu fuerunt Pont. ſine imperio temporali, & tamen vltimis temporibus non poterat religio conſiſtere, & defendi, niſi Pontif. etiam Reges eſſent, nimirum tempore Machabæorum: ita quoque Eccleſiæ accidiſſe videmus, vt quæ primis temporibus ad maieſtatem ſuam tuendam temporali principatu non egebat, nũc eodem neceſſario egere videatur. Quod autem iure habeat ſummus Pont. eum principatum, quem habet, facilè prob. nam habet dono principum; vt patet ex hiſtoricis. Et extant Romæ authentica inſtrumenta harum donationum. Sed etiamſi nihil horum extaret, abundè ſufficeret præſcriptio

tio D. CCC. annorum. Nam etiam regna, & imperia per latrocinia acquiſita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioqui enim quo iure Iulius Cæſar occupauit Romanum Imperium? & tamen tempore Tiberij Chriſtus ait: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniã, Gothi Hiſpaniam inuaſerunt? Et tamen quis hoc tempore regna ab illis conſtituta illegitima diceret? *Matth. 22.*

CAPVT XI.

De tranſlatione Romani Imperij.

ROMANVM Imperiũ tametſi ante Cõſtantini tempora modò ab vno, modò à pluribus Auguſtis pari poteſtate regeretur, vnũ tamẽ, atque indiuiſum cenſebatur. Deinde verò, poſtquam Magnus Conſtantinus Conſtantinopolim, quaſi alteram Romam, ædificauit, & cum ea alterum Conſulem, alterum Senatum, & omnia Romanæ vrbis priuilegia communicauit, diuiſum eſt Imperium in partes duas, quarum altera imperium Orientis, altera Occidentis appellari cœpta eſt. Et, quemadmodum ante Conſtantinum Principem indiuiſum Imperium aliquando plures Auguſti adminiſtrabant, ſæpiùs vnus, ac ſolus regebat: ita poſt Conſtantinum Magnum Imperium iam diuiſum plerumque duo Cæſares tenuerunt, raro vnus, ac ſolus Princeps gubernauit. Siquidem Conſtantino vitâ functo, anno Domini 341. Occidentale Imperium Conſtantino iuniori, & Conſtanti Imperium Orientis ceſsit. Poſt Conſtantini autem, & Conſtantis exceſſum anno 353. Conſtantius ſolùs vniuerſo Imperio præfuit. Conſtantio Iulianus, Iuliano Iouinianus ſucceſsit. Sed poſt obitum Iouiniani, Valentinianus ſuccedens Imperio Occidentis contentus, Orientale Imperium Valenti fratri attribuit anno Domini 368. Atque ex eo tempore vſque ad annum Domini 476. id eſt, vſque ad Auguſtulum Imp. diuerſi diuiſum Imperium tenuerunt. Auguſtulo verò ab Odoacre Herulo abdicare coacto, atque Imperio Occidentis à Barbaris occupato, ſoli Imp. Orientis, & in ſolo Oriente regnarunt vſque ad Iuſtinianum. Sed cùm is operâ Beliſarij, & Narſetis, fortiſsimorũ ducum, Africam, & Italiam, inde VVandalis, hinc Gothis exactis recuperaſſet, tandem anno Domini 556. iterùm ab vno Imperatore Oriens, & Occidens adminiſtrari cœpit. Sed cùm Imp. Græcus eſſet & Italiam per Exarchos regeret, nec eam ab infeſtatione Longobardorum tueri iam poſſet, anno Domini 801. ineunte, ipſo die Natalis Domini, creato in vrbe Româ nouo Imperatore, Carolo Magno, Rege Francorum, ac per hoc tranſlato Occidentali Imperio à poteſtate Græcorum ad Francorum ditionem, iterum Romana Reſp. redijt ad eum ſtatum, in quo eam Conſtantinus Magnus inſtituerat, & in quo permanſerat à Valentino ſeniore vſque ad Auguſtu-

guſtulum. Quanquam illud negari non poteſt, quin paulò maior Imperij diuiſio fuerit à tempore Caroli magni, quàm nunc ea; ſiquidem à Conſtantino vſque ad Auguſtulum, etſi diuiſæ erant Imperij Rom. prouinciæ inter duos Imp. quòd attinet ad regimen, & adminiſtrationem; erat tamen ita commune Imperium, vt leges vtriuſque Imp. nomine, toti Imperio darentur; & ſi alter ſine liberis diſcedebat, ad alterum Imperij totius gubernatio, & prouidentia pertineret. At poſt tempora Caroli Magni, neque leges à Latino, Græcoque Imp. communiter latæ ſunt, neque deinceps vnquam aut Latinus Orientem, aut Græcus Occidentem gubernauit.

Quæſtio. Quæritur igitur; *Quiſnam huius tranſlationis auctor fuerit, quiſve Carolo Magno, ac ſucceſſoribus eius ius, nomen, dignitatem, ac poteſtatem Imperatoru Rom. ac Cæſaris Auguſti, in Occidente tribuerit?*

Reſp. Reſpondemus id, quod clamat conſenſus omnium gentium, Leonem III. Pont. Max. aut ſolum, aut præcipuum, & primarium auctorem huius tranſlationis fuiſſe, eique Germanicam nationem Imperium acceptum ferre debere.

Prob. 1. Docent hoc Hiſtorici omnes tam veteres, quàm recentiores; & facile eſſet ex confeſsionibus Principum, ac teſtimonijs Pontif. idem aſſerere.

Prob. 2. Idem prob. ratione. Sex omninò tituli ſunt, quibus homines regna, atque Imperia poſsidere ſolent: Ius belli, Beneficium diuinum, Succeſsio hæreditaria, Electio populi, Donum Principis, Summi totius Eccleſiæ Præſulis decretum. Aut enim aliquis per ſe Imperium occupat; aut accipit illud ab alio. Si per ſe occupat, iure belli dicitur poſsidere, qui eſt primus titulus. Ita Cyrus, Alexander, Iulius, alijque nonnulli ſumma Imperia tenuerunt. Si ab alio; aut à Deo, ſingulari vocatione; aut ab hominibus: ſi à Deo, iam eſt ſecundus titulus: iſque omnium iuſtiſsimus eſt. Quo titulo Moyſes, Aaron, Saul, Dauid, Petrus, principatum, vel Eccleſiaſticum, vel ſęcularem adepti ſunt. Si verò ab hominibus, aut naturali ſucceſsione, aut electione voluntaria: ſi naturali ſucceſsione, iure hæreditario regnare dicitur, qui eſt titulus tertius; quo Salomon Dauidi, Tiberius Auguſto, Ludouicus Carolo, atque alij alijs ſucceſſerunt. Si electione voluntaria, aut multitudo eligit, aut Princeps: ſi multitudo, inde eſt quartus titulus, quo Claudius, Galba, Veſpaſianus, ac cæteri deinceps Rom. Imp. vt plurimùm, electi ſunt. Si à ſolo Principe, aut is Politicus eſt, aut Eccleſiaſticus. Si Politicus, oritur quintus titulus; quo titulo imperarunt Lucius Verus à Marco Antoninô, Maximianus à Diocletiano, Valens à Valentiniano, Theodoſius à Gratiano, & ſi qui ſunt alij Principes à prꝗcedentibus Principibus ad Imperium vocati. Si denique à Principe Eccleſiaſtico, exiſtet ſextus titulus, quo nos aſſerimus, Carolum Magnum, & qui eum ſecuti ſunt, Germanos Imper. ius Imperij eſſe adeptos. Si igitur primos quinque titulos in Imperio Germanorum locum non habere demonſtrauerimus, efficiemus ſanè Carolum Magnum, aut à Pont. Max. Imperium habuiſſe, aut omninò non habuiſſe. Quòd ſi Imper. non fuit, certè nec cęteri Francorum, Germanorumve Reges, fuerunt Imp. nec Rudolphus, qui nunc eſt in Imperio, iure Imp. dici poteſt.

Primo,

Primò, quod non acceperit imperium iure belli, prob. quia cum Rom. nunquam pugnauit, Rom. vrbem vi nunquam intrauit, ſemper ſocius, & amicus; deinde etiam patricius Rom. hoſtis, & inimicus nunquam fuit. Id clamant omnes Hiſtorici. *Prob. Caroli Magn. non accepiſſe Imperium iure belli.*

Deinde; Si Carolus Magnus iure belli Rom. Imperium ſibi parauit, quo tempore id fecit? Ante coronationem à Leone Papa acceptam, an poſtea? ſi antea, cur igitur vſque ad eam diem, neque ipſe ſe in ſuis diplomatibus, quorum nonnulla apud Ioannem Auentinum extant. Imper. Rom. vocat, neque ab vllo hiſtoricorum hoc nomine appellatur? Si poſteà, cur igitur ab eo die, cum Imperium nondum haberet, Imp. & Auguſtus, cum in proprijs litteris, tum in omnibus hiſtorijs, incipit appellari?

Alter titulus erat Dei ſolius donum. Nam ſicut Aaronem in Rep. Iudæorum, & Petrum in Eccleſia Chriſtiana, non humana electio, ſed Dei ſolius benignitas ſummos Antiſtites fecit; & Moyſen, Ioſue, Othonielem, Gedeonem, Saulem, Imperatores, ac Principes ſolus Deus populo ſuo dedit: ſic etiã fieri potuiſſet, vt Carolus Magnus ſine vlla humana vel ope, vel vi, ſiue arte, aut induſtria, ſolius Dei voluntate ad Imperium vocaretur. Sed talem titulũ Carolo Magno non conuenire docent omnes Hiſtorici. *Prob. quod non dono ſolius Dei.*

Non perueniſſe etiam Carolum Magnum ad Imperium tertio titulo, ſcilicet iure ſucceſsionis hæreditariæ, nemo poteſt negare, niſi qui aut nimium ſit impudens, aut in hiſtorijs nihil legerit. Siquidem extra controuerſiam eſt, Pipinum Caroli Magni Patrem, ex præfecto, ſiue magiſtro aulæ, Regem Frãcorum dictum eſſe; idque Zachariæ, & Stephani Rom. Pontif. auctoritate. Imperatorem Rom. fuiſſe Pipinum, nemo ſcripſit. Quare, cùm ex Pipini Patris ſucceſsione nihil aliud Carolus habere potuerit, niſi quòd Pipinus habuit, efficitur profectò, Carolum iure hæreditario non Imperatorem Rom. ſed Francorum Regem ſolùm, idque non ſine Pontif. Max. beneficio in Patrem eius anteà collato, eſſe potuiſſe. *Prob. quod non ſucceſſione hæreditaria.*

Deinde, certum eſt, Carolum Magnum poſt obitum Patris ab Hadriano Pont. Patricium Rom. (quæ eſt dignitas ſecunda poſt Imper.) eſſe creatum. Quis verò ſibi perſuadeat, Carolum Magnum paſſurum fuiſſe fieri ſe ex Imp. patricium? Accedit poſtremò, quòd falſum eſſet, quod omnes Hiſtorici ſummâ conſenſione tradunt, fuiſſe Carolum Magnum primum Imper. ex gente Francorum.

Non accepiſſe etiam Carolum Magnum quartò titulò Imperium, ſcilicet beneficio S. P. Q. R. prob. primò; Nam conſtat aliquando Imp. inuito, ac repugnante populo Roman. creatos fuiſſe, quos tamen veros, & legitimos Imper. Hiſtorici omnes agnoſcunt. Exemplo eſſe poteſt Fridericus primus, quem repugnante populo Rom. coronauit Romæ in templo S. Petri Adrianus IV. *Prob. quod non beneficio S. P. Q. R.*

Deinde; Hiſtorici vetuſtiſsimi, tum Latini, tum Græci, in deſcribenda tranſlatione Imperij, aut nullam pop. atque Senatus mentionem fecerunt, aut ei ſolam acclamationem Carolo iam coronato tribuerunt.

Tertiò; Principes Rom. poſt conſtitutam à Iulio, & Auguſto Monarchiã, aut ab alio Principe nominabantur, aut ab exercitu creabantur. Quos Sena-

T tus,

tus, aut populus creauit, ij & pauciſsimi fuerunt, & non diu tolerati. Certè in tanto numero Principum Rom. tres tantùm Onuphrius nominat à Senatu electos, Neruam, Maximum cum Balbino, & Tacitum. Neruam à Senatu creatum Dion Caſsius, quem ſolum Onuphrius citat, non dicit: Aurelius Victor arbitrio legionum (quanquam id non in omnibus codicibus haberi animaduerti) Neruam Imp. factum ſcripſit. Eutropius, fauore Præfecti prætorio Neruæ delatum Imperium, teſtatur. Ipſe quoque Onuphrius ſic à Senatu creatum Neruam Imp. ſcripſit, vt non negauerit, accepiſſe etiam ſuffragium militum prætorianorum, ſine quo ſcilicet irrita fuiſſet electio. Maximus, & Balbinus inuito exercitu lecti, primâ datâ occaſione à militibus interfecti ſunt. Siquidem, (vt ſcribit Herodianus) indignabantur milites ſibi à Senatu Principes datos, quos & Senatorios Principes per ludibrium appellabant. Tacitus à Senatu quidem dictus eſt, ſed militibus iubentibus, vt Flauius Vopiſcus ſcribit. Senatus enim ad milites Imperat. electionem reijciebat, probè intelligens, non placiturum militibus Principem, quem ipſi non elegiſſent. Cùm igitur hæc fuerit apud Rom. legendi Principis ratio, multorum ſæculorum conſuetudine roborata, quis credat poſt annos 800. Rom. Senatum, aut populum, quando nullius fermè auctoritatis erat, id fuiſſe auſurũ in electione Principis, quod anteà, cùm floreret, minimè audebat?

Prob. non donatione Græcorum. Non accepiſſe quoque Carolum Magnum Imperium donatione Græcorum, patet duplici ratione. Primùm enim Hiſtorici, tum veteres, quàm recentiores, ſcribunt, Græcos Imp. cum primùm ad eos fama perlata eſt coronationis Caroli, vehementer commotos, atque indignatos fuiſſe. Quod ſanè argumentum eſt euidens. Deinde ex Hiſtoricis conſtat, agnouiſſe Græcos Imp. tandem vel inuitos Imperium Caroli, ſed non antequam is à Pont. Imperator appellatus eſt, & Auguſtali diademate inſignitus. Extant Annales Francorum accuratiſsimi ipſo Caroli tempore conſcripti. In his anno Domini 798. ponitur prima legatio Irenes Imperatricis ad Carolum nondum Imp. quâ legatione non Imperij communicatio tractata eſt, ſed reſtitutio captiuorum. Deinde, anno 801. adſcribitur Caroli coronatio Romæ facta à Pont. Leone. Tum anno 802. qui fuit vltimus Irenes, narratur alia legatio eiuſdem Irenes pro pace inter Græcos, & Francos impetranda. Sed neque in eâ legatione vlla mentio communicationis Imperij facta eſt. Anno 803. deſcribitur legatio Nicephori Imperat. qui Irenæ ſucceſſerat, pro impetranda pace: de Imperij communicatione nulla mentio fit. Pacem enim optabant Græci à Rege Francorum potentiſsimo, ſed nondum Carolum Imp. & Auguſtum ſalutare dignabantur. Anno 812. qui fuit vltimus Nicephori, commemoratur legatio Michaëlis, qui ſucceſſerat Nicephoro, & tum demum ſcribit auctor Annalium, à Legatis Græci Imp. Carolum Magnum, cum iam annos 12. imperaret, Imperat. & Auguſtum ſalutatum. Denique anno 814. ſcribit auctor obitum Caroli, quem annis 14. in Imperio fuiſſe teſtatur: & proinde non numerat annos Imperij à conſenſu Græcorum, ſed à coronatione, quam Romæ à Leone Pont. ſuſceperat. Conſentiunt his Annalibus omnes Hiſtorici grauiores. Iure autem ſuo id Pontif. potuiſſe facere ſuperius demonſtrauimus. *Poteſtas Pont. Max.*

Hic

Hâc ergò poteſtate Ioiada Pont. Athaliam Reginam, tyrannidem in pop. exercentem, à regno amouit,& Ioas Regem conſtituit. Hâc poteſtate Gregorius II. Leonem Imp. Iconoclaſtarum hæreſi ſtudentem, atque eam in Italiam inducere molientem, non ſolùm excommunicauit, ſed etiam vectigalibus Italiæ prohibuit. Hâc poteſtate Pont. Zacharias, Hilderici regnum, quòd eius ſocordia Catholica religio in Gallijs non modicum detrimentum pateretur, in Pipinum, & filios eius tranſtulit. Hâc poteſtate Leo III. Pont. Regem Nordthumbrorum regno ſuo iniquè pulſum, atque ad ſe, tanquam omnium Chriſtianorum caput,& Principem fugientem, per Legatos ſuos in regnum reſtituit. Hâc denique poteſtate idem Leo Rom. Imperium à Grçcis ad Francos tranſtulit, quòd iam longo vſu didiciſſet, Græcos aut non poſſe, aut nolle laboranti Eccleſiæ opem ferre: ac tum maximè id metuendum videretur, cùm Imp. Conſtantino fraude ſuorum excæcato, fæmina, quod antea nunquam acciderat. Rom. Imperio præſideret. 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23.

Porro diuino conſilio eam tranſlationem factam, teſtantur inprimis victoriæ, ac triumphi, quos de omnibus ſuis hoſtibus Carolus reportauit. Vt enim Deus oſtenderet, ſuum eſſe illud opus, ita Carolum Magnum pietate, fortitudine, iuſtitiâ, clementiâ, omnibuſque regijs virtutibus ornauit, eiuſque Imperium tantis opibus, tanta beneuolentia populorum, tot clariſsimis victorijs, tot ſacrarum ædium munificentiſsimis ædificijs nobilitauit, vt poſt Magnum Conſtantinum nullus Imp. felicior, nullus Eccleſiæ vtilior fuiſſe videatur. Teſtatur deinde conſenſus, & approbatio Orbis terræ. Siquidem Carolo Magno à Leone Pont. Imperatore appellato non modò Rom. pop. lætiſsimis vocibus acclamauit; nec ſolùm vniuerſa Italia, Gallia, Germania, Pannonia, totus denique Occidens nouum Imp. gratiſsimè excepit; ſed etiam ab Aſiâ, & Africâ, maximorũ Regum legationes gratulatoriæ cum muneribus magnis ad Carolum aduenerunt. Inuidiam quoque ſuſcepti nominis Conſtantinopolitanis Imp. ſuper hoc indignantibus magnâ tulit patiẽtiâ, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, quâ illis procul dubio longè præſtantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in exemplis fratres illos appellando. Ipſi itaque Græci Imp. tametſi alioqui æmuli, & hoſtes Latinorum, per Legatos Imperium Caroli agnouerunt, eumque Imp. & Auguſtum ſalutauerunt. Denique, teſtantur omnes conſequentes ætates: ſiquidem ab anno Domini 801. quo anno in Germanos Imperium tranſlatum eſſe conſtat, omnes omninò Chriſtiani Imperium Rom. apud Germanos eſſe crediderũt: neque vllus fuit Princeps, aut Rex Chriſtianus, qui Caroli Magni ſucceſſores, vt veros, legittimoſque Imp. non agnouerit, aut qui ſe eis poſt habitum ægrè tulerit. Felicitas Carol. Magni.

Porrò, de tranſlatione Imperij à Francis ad Saxones, vt res faciliùs percipiatur narranda eſt hiſtoria ſucceſsionis à Carolo Magno vſque ad Othonẽ. Itaque Carolus Magnus à Leone III. Pont. Romæ anno 800. coronatus ſucceſſorem habuit Ludouicum filium, quẽ Stephanus IV. aliàs V. Papa Remis in Galliâ coronauit anno 815. Ludouico Lotharius filius ſucceſsit, quẽ Paſchalis Papa Romæ coronauit anno 822. Lothario ſucceſsit filius Ludouicus, quẽ Sergius Papa II. Romæ coronauit anno 844 Ludouico Carolus Caluus Succeſsio Caroli Magni.

ſucceſsit, qui huius Ludouici patruus erat, Lotharij ſcilicet frater, ex Patre Ludouico ſeniore: Carolum autẽ Caluum coronauit Romæ Ioannes VIII. anno 874. Carolo Caluo Ludouicus Balbus filius ſucceſsit anno 877. quem idem Ioannes VIII. coronauit. Ludouico Balbo ſucceſsit Carolus Craſſus Ludouici Regis Germaniæ filius, qui Ludouicus Caroli Magni ex Ludouico filio nepos erat. Coronauit eum idem Ioannes VIII. Romæ anno 878. Carolo Craſſo Arnulphus ſucceſsit, quem Papa Formoſus coronauit Romæ anno 896. Fuit autem Arnulphus Carolomanni Filius Ludouici Germaniæ Regis nepos. Arnulpho ſucceſsit filius Ludouicus, Ludouico Chunrardus Arnulphi ex alio Chunrardo nepos. Atque hic ſeries deſijt Caroli Magni, & gentis Francorum. Chunrardo ſucceſsit Henricus I. ex gente Saxonum cognomento Auceps. Nam & ſi is Henricus nepos erat Arnulphi Imp. ex filia, tamen ex patre non Francus erat, ſed Saxo. Porrò nullus horum trium coronam Imperialem habuit, vt Hiſtorici omnes teſtantur. Henrico autem filius Otho ſucceſsit, quem Ioannes Papa XII. Romæ coronauit.

Quæſt. Quęſtio igitur eſt; *Cœperitne Saxonum Imperium in Henrico, an in Othone?* Ego,

Reſp. Imp. primum ex gente Saxonum Othonem Magnum fuiſſe, eumq́ue à Rom. Pont. Imperium accepiſſe, nullo negocio demonſtrari poſſe cenſeo.

Prob. Primùm Henricum patrem Othonis Regem tantùm, non Imp. fuiſſe, teſtis eſt idem ille Henricus, qui Regio nomine contentus, inſignia, & appellationes cæteras, neç non vnctionem, & coronationem à Ioanne Pont. X. oblatam, recuſauit, vt cuſtos potiùs Imperij, quam Imp. dici poſsit. Accedant ſecundò ſequentium Princip. eiuſdem nominis teſtimonia. Nam Henricus, Chunrardus, & tres alij Henrici, qui poſt Othonem III. imperarunt, in diplomatibus ſuis ita nomina ſua inſcribunt, vt nullo modo Chunrardum, & Henricum, qui ante Othonem regnarunt, inter Imp. habuiſſe videantur. Nõ enim ſe ſcribunt Chunrardum II. & Henricus 2. 3. 4. 5. ſed Chunrardum I. & Henricos 1. 2. 3. 4. quibus etiam numerorum notis diſtingui ſepulchra Chunrardi, & poſteriorum trium Henricorum, quæ adhuc Spirę extant, teſtis eſt Onuphrius. De Ludouicis res eſt manifeſta. Nam ſi Ludouicus Arnulphi Imper. filius, qui corona caruit, Imp. fuerit, neceſſe eſt quartus fuerit. Tres enim ante ipſum Ludouici prę ceſſerunt; ſenior, iunior, Balbus: at ſi quartus eſt Arnulphi filius, quâ ratione Ludouicus Bauarus & ſe ipſe quartum, non quintum, in omnibus ſuis diplomatibus vocat; & quartus, non quintus, ab omnibus auctoribus appellatur: Accedant teſtimonia etiam veterum, grauiſsimorumq́ue hiſtoricorum.

DE ECCLESIA MILITANTE

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De nomine Concilij, origine, & partitione.

HACTENVS de capite militantis Eccleſiæ, nunc de ipſa Eccleſia diſſerendum erit. Quia verò Eccleſia bifariam conſiderari poteſt, vt in Concilijs congregata cernitur, & vt toto orbe terrarum diffuſa eſt: propterea nos quoque primùm de Concilijs, tum de ipſa Eccleſia diſputabimus.

Porrò Concilij nomine idem ſignificatur in Eccleſia, *Concilij*
quod nomine comitiorum in regnis. Nam ſicut, cùm oritur controuerſia in *origo.*
Rep. conueniunt in vnum Principes Regni, vel Magiſtratus, ac ſtatuunt, quid facto opus ſit: ita in Eccleſia, cùm oritur controuerſia aliqua de religione, conueniunt Prçſules Eccleſiarum, & ſimul collatis ſententijs ſtatuunt, quod bonum videtur.

Ita actum videmus in Act. vbi primùm cæperunt Concilia Chriſtiana ce- *Act. 15.*
lebrari, ac deinceps ſingulis ætatibus. Hanc autem originem Conciliorum probabile eſt eſſe diuinam.

Nam Concilium Chalcedonenſe VI. Synodus, Celeſtinus Papa, & Toletanum III. Concilium non procul ab initio docent, Concilia eſſe demon-
ſtrata à Chriſto illis verbis: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ego* *Matth. 18.*
in medio illorum ſum.

Deinde; Credibile eſt, Apoſtolos, qui pleni erant Spiritu ſancto, non, niſi ipſo Spiritu ſancto admonente, primum Concilium congregaſſe. Vnde etiam
dicunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Prçterea; Et ſi ratio naturalis dictet, vt *Act. 15.*
in rebus dubijs Princeps conſulat homines peritos; tamen vt ſoli Epiſcopi conuocentur, & ij non ſint Conciliarij, ſed iudices, non videtur ſolius humanæ rationis inuentum. Denique; Certum eſt Conciliorum celebrationem, quæ omnibus ſęculis in Eccleſia fuit, de Apoſtolica traditione deſcédere; Apoſtolicas verò traditiones ego quidem humana inuenta appellare non auderem.

Nomen Concilij. Nomen Latinum Concilij inuenitur, paſsim in Teſtamento veteri & nouo, pro congregationibus Iudæorum: ſed Græcum nomen, id eſt, σύνοδος, non inuenitur in Script. Vbi enim Latinè legimus, Concilium, in Græco
Can. 38. textu vbique eſt, συνέδριον, vel συναγωγή. Inuenitur autem nomen Synodi primùm in canonibus Apoſtolorum, vbi iubentur Epiſcopi ſingulis annis, bis celebrare Concilia.

Diuiſio I. Conciliorum. Sunt autem Conciliorum quatuor genera. Quædam enim ſunt generalia, quædam nationalia, quædam prouincialia, quædam diœceſana.

Generalia. *Generalia* dicuntur ea, quibus intereſſe poſſunt, & debent Epiſcopi totius orbis, niſi legitimè impediantur; & quibus nemo rectè præſidet, niſi ſummus Pont. aut alius eius nomine. Inde enim dicuntur Oecumenica, id eſt, Orbis terræ Concilia.

Nationalia. *Nationalia* dicuntur, in quibus conueniunt Archiepiſcopi, & Epiſcopi vnius regni, vel nationis, quibus præeſt aliquis Patriarcha, vel Primas. Qualia ſunt multa Concilia Romana, Toletana, & Africana. Ea autem, licet ſint reuerà diſtincta à generalibus, & prouincialibus, tamen vtrorumque nominibus interdum appellantur.

Prouincialia. *Prouincialia* dicuntur, in quibus conueniunt tantum Epiſcopi vnius prouinciæ, quibus præeſt Archiepiſcopus, ſiue Metropolitanus. Et huius generis ſunt plurima in tomis Conciliorum.

Diœceſana. *Diœceſana* ſunt, in quibus conueniunt tantum Presbyteri vnius Epiſcopatus, & iis Epiſcopus præeſt. Cuius generis pauciſsima extra nec immeritò; nam vix dici poſſunt Concilia, cum in eis ordinariè nullus ſit, qui iuriſdictionem habeat, præter vnum Epiſcopum, qui præeſt.

Diuiſio. 2. Altera eſt partitio Conciliorum. Quædam enim ſunt ab Apoſtolicâ ſede approbata, atque ab Eccleſiâ vniuerſâ recepta. Talia ſunt decem, & octo. Vt

1. Nicænum. I.	10. Lateranenſe II.
2. Conſtantinopolitanum. I.	11. Lateranenſe III.
3. Epheſinum. I.	12. Lateranenſe. IV.
4. Chalcedonenſe	13. Lugdunenſe I.
5. Conſtantinop. II.	14. Lugdunenſe II.
6. Conſtantinop. III.	15. Viennenſe.
7. Nicænum II.	16. Florentinum.
8. Conſtantinopolit. IV.	17. Lateranenſe V.
9. Lateranenſe I.	18. Tridentinum.

Quædam ſunt omninò reprobata, & ſunt octo.

1. Antiochenum.	5. Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſauro.
2. Mediolanenſe.	6. Conſtant. ſub Conſtantino Copronimo.
3. Ariminenſe.	7. Piſanum.
4. Epheſinum II.	8. VVittembergenſe.

Quædam ſunt, partim confirmata, partim reprobata; & ſunt ſex.

1. Sardicenſe.	4. Francofordienſe.
2. Syrmienſe.	5. Conſtantienſe.
3. Quiniſextum.	6. Baſileenſe.

Quædam

Quædam nec manifeſtè approbata, nec manifeſtè reprobata: vt Piſanum: licet hoc membrum in Concilijs particularibus potiſsimum locum habeat.

Ex approbatis Primum eſt Nicænum, quod quidem celebratum eſt ab anno Domini CCC. XXVII. vſque ad annum CCC. XXX. qui fuit annus XV. Silueſtri Papæ, & XX. Conſtantini Imp. Conuenerunt Epiſc. CCC. XVIII. è quibus erant Patriarchæ, Alexander Alexandrinus, Euſtathius Antiochenus, Macarius Hieroſolymitanus, & Metrophanes Cōſtantinopolitanus, quamuis hi duo poſtremi non erant eô tempore Patriarchæ, ſed diu poſtea eam dignitatem adepti ſunt. Quidam etiam Metrophanem non per ſe, ſed per Legatum Alexandrum, qui poſtea ei ſucceſsit in Epiſcopatu, adfuiſſe volunt. Ac duæ potiſsimum controuerſiæ definitæ ſunt: Vna de die Paſchatis. Altera de diuinitate Chriſti aduerſus hęreſin Arianorum, ipſô Ariô Principe hæreſeos poſt annos decem in latrinis, dum aluum purgaret, fœdè defunctô. *Concilium I. approbatum.*

Secunda eſt Synodus Conſtantinopolitanâ, quæ celebrata eſt aduerſus Macedonium negantem Spiritus ſancti diuinitatē, Theodoſiô ſeniore Imp. ac Damaſô ſummô Pont. Conuenerunt Epiſc. ex diuerſis prouincijs C. L. è quibus Patriarchæ fuerunt Nectarius Conſtant. Timotheus Alexandrinus Miletius Antiochenus & Cyrillus Hieroſolymitanus. Tēpus Synodi huius incidit teſte Proſperô, in annum Domini CCC. LXXXIII. vel in annum ſequentem, vt vult Socrates; aut, iuxta Onuphrium, in annum CCC. LXXXI. *2. Approbatum.*

Tertia Synodus eſt Epheſina I. quæ coacta eſt à Theodoſiô iuniore Imp. & Cæleſtinô I. ſummô Pontifice. Conuenerunt Epiſc. CC. ex quibus Patriarchæ fuerunt Cyrillus Alexandrinus, qui locum etiam Rom. Pontificis obtinebat; Ioannes Antiochenus, & Iuuenalis Hieroſolymit. Quamquā Ioannes, quia ſe adhuc in itinere conſtitutô Concilij decretum factum fuerat, initio diſſentire cęparat à Cyrillo; poſtea tamen reconciliati ſunt, atque idem ſenſerunt. Cauſſa fuit Neſtorij Conſtantinop. Epiſc. noua hęreſis, quæ Chriſtum in duas perſonas diuidebat. Celebrata fuit anno Domini CCCC. XXXIV. *3.*

Quarta Synodus eſt Chalcedonenſis, quæ collecta eſt aduerſus hæreſin Eutychetis Archimandritæ, quæ vnam tantùm in Chriſto naturam aſſerebat poſt incarnationem. Acta verò eſt hęc Synodus Leone I. Pont. Max. & Martiano Auguſto, conſulatu eiuſdem Martiani, qui incidit in annum Chriſti CCCC. LIV. iuxta computum Matthę. Palmerij, & Gregorij Holoandri, vel CD. LII. iuxta Marianum Scotum, & Sigebertum, vel CD. LI. iuxta Onuphrium Epiſc. adfuerunt DC. XXX. ex quibus Patriarchæ erant Dioſcorus Alexand. qui tamen mox eiectus eſt; Maximus Antiochenus, Anatholius Conſtant. & Iuuenalis Hieroſolymit. *4.*

Quinta Synodus vera apud Conſtantinopolim acta eſt ſummo Pont. Vigilio, & Iuſtiniano ſeniore Imp. anno XII. poſt Conſulatū Baſilij, qui eſt Dominicæ incarnationis D. LIII. vel D. LVI. iuxta Pſellū. Cōuenerunt Epiſc. C. LXV. è quibus erant Patriarchæ Eutychius Conſtantinop. Apollinaris Alexan. Domninus Antiochenus, & Euſtochius Hieroſolym. qui tamen non *5.*

per ſe, ſed per legatos interfuit. Cauſſa congregandi Concilij fuit Origenis hæreſis,quæ tunc inualeſcebat. Itaque damnatus eſt Origenes, & ſimul Dydimus,& Euagrius eius ſectatores:nec non Theodori Mopſueſteni,& Theodoreti Cirenſis ſcripta,& epiſtola,quæ dicebatur Ibæ ad Marim Perſam.

6. Sexta Synodus celebrata eſt apud Conſtantinopolim anno XII. Conſtantini IV. qui erat annus Domini D.C. LXXXI. vel D.C. LXXXV. iuxta Pſellum. Conuenerunt Epiſc. CC. LXXXIX. Patriarchæ fuerunt duo, Georgius Conſtantinop. & Macharius Antiochenus.Nam Alexandrinæ,& Hieroſolymitanæ Eccleſiarum ſolùm legati quidam adfuerunt. Summus quoque Pont. Agatho per legatos ſuos interfuit,& præſedit. In eâ Synodo damnata eſt hæreſis eorum, qui vnam tantùm in Chriſto voluntatem eſſe volebant.

7. Septima Synodus congregata eſt apud Nicæam anno VIII. Conſtantini,& Irenæ. Fuit is annus Chriſti D.CC.LXXXI. ſi Paulo Diacono credimus, vel D.CC.LXXXVI. ſi credimus Cedreno. Conuenerunt Epiſc. CCC.L. è quibus Patriarcha vnus fuit Tharaſius Conſtantinop. cęterorum Patriarcharum ſolùm legati adfuerunt. Adrianus Papa per legatos ſuos præſedit, ac vna cum reliqua Synodo eos damnauit, qui ſacras Chriſti, & Sanctorum imagines omni honore ſpoliabant.

8. Octaua Synodus eſt Concilium IV. Conſtantinop. quod celebratum eſt Adriano II. ſummo Pontif. & Baſilio Auguſto, anno tertio eiuſdem Baſilij, qui annus erat Domini D.CCC.LXX. Conuenerunt Epiſcop. CCC.LXXXIII. è quibus vnus Patriarcha Photius, ac deinde Ignatius Conſtantinopolitanus;ceteri per legatos adfuerunt. Eſt autem obſeruãdum, tres Synodos in cauſſa Photij Conſtantinopoli celebratas. Vna,tempore Nicolai I. Pont. & Michaëlis Imp.in qua fuit Ignatius depoſitus, & ordinatus Photius. Nec eſt dubium, hanc Synodum fuiſſe prophanam. Altera eſt ea, quam nos diximus octauam,quę extat,quamuis imperfecta,in tomis Conciliorum,in qua depoſito Photio, iterum reſtitutus eſt Ignatius.Tertia eſt,quã tempore Baſilij Imp. per ſuos legatos celebrauit Ioannes VIII.Adriani ſucceſſor: in quâ, defuncto iam Ignatio, iterum reſtitutus eſt Photius. Atque hactenus de Concilijs Orientalibus. Nunc ad Occidentalia veniamus.

9. Nonum Concilium eſt Lateranenſe I. Epiſcoporum D.CCCC. & amplius,anno M.C.XXIII. contra Saracenos,pro recuperandâ terrâ ſanctâ,tẽpore Calixti II. & Henrici V. Imp.

10. Decimum eſt Lateranenſe II. Epiſcoporum mille, anno M.C.XXXIX. contra Antipapas, & pro iure Cleri, tempore Innocentij II. & Lotharij Imp.

11. Vndecimum eſt Lateranenſe III. Epiſcoporum ferè CCC. pro reformatione Eccleſiæ,& contra VValdenſes anno M.C.LXXX. tempore Alexandri III. & Frederici I. Imp.

12. Duodecimum eſt Lateranenſe IV. Patrum M.CC.LXXXIII. ex quibus etiam erant Epiſcopi CD. LXXIII. anno M.CC.XV. contra varias hæreſes, & pro terrâ ſanctâ, tempore Innocentij III. & Frederici II.

Deci-

Decimumtertium eſt Lugdunenſe I. anno M.CC.XLV. contra Imper. Fredericum, & pro Terrâ ſanctâ, tempore Innocentij IV. & Frederici II. Extant huius Concilij aliqua decreta in 6. Decretalium. 13.

Decimumquartum eſt Lugdunenſe II. Patrum ferè mille, ex quibus Epiſcopi erant DCC.LXXIV. contra errorem Græcorum, tempore Gregorij X. & Rodulphi Imp. Extant ex hoc Concilio quædam in 6. Decretalium. 14.

Decimumquintum eſt Viennenſe, Epiſcoporum CCC. anno M.CCC.XI. contra varias hæreſes, tempore Clementis V. & Henrici Imp. VII. Extant ex hoc Concilio decreta, quæ dicuntur Clementinæ. 15.

Decimumſextum eſt Florentinum (omitto Piſanum, Conſtantienſe, & Baſileenſe, de quibus poſtea) anno M.CD.XLIX. Patrum C.XLI. qui ſubſcripſerunt, & multorum aliorum, qui ante ſubſcriptionem diſceſſerant, vt in fine Concilij annotatur, tempore Eugenij IV. & Alberti Imp. contra errores Græcorum. 16.

Decimumſeptimum eſt Lateranenſe V. Patrum C.XIV. contra ſciſmata, & pro varijs negotijs, tempore Iulij II. & Leonis X. & Maximiliani Imp. Cœpit anno M.D.XII. finem habuit anno XVII. 17.

Decimumoctauum eſt Tridentinum anno M.D.XLV. inchoatum: anno LXIII. finitum, contra hæreſes Lutheranorum, tempore Pauli III. Iulij III. ac Pij IV. & Caroli V. ac Ferdinandi Imp. Numerus Patrum his verbis deſcribitur à Gaſpare Villapandæo, diſp. 5. de Concilio Tridentino. *Adſunt, inquit, ſex Cardinales, quatuor Legati, Patriarcha tres, Archiepiſcopi triginta duo, Epiſcopi ducenti, viginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Miniſtri ſeptem, Epiſcoporum procuratores plurimi.* 18.

Ex his Concilijs nullum eſt, quod non ſit à Pontif. probatum, & à Catholicis recipiatur. Nam de primis octo Concilijs patet ex decreto. De nouem ſequentibus Concilijs, ex eo patet eſſe probata, quòd in eis præfuerit ſummus Pontif. De vltimo patet ex confirmatione Pij IV. At Græci tantùm recipiunt prima ſeptem Concilia. Lutherani autem tantùm recipiunt prima ſex. Eutychiani, qui adhuc inueniuntur in Aſia, tantùm recipiunt prima tria. Neſtoriani, qui etiam in Oriente reliqui ſunt, tantùm recipiunt prima duo. Trinitarij, qui in Hungaria, & Polonia nunc verſantur, nullum recipiunt. *Diſt 16. can Sancta octo.*

Primum generale opinione Arianorum, reprobatum, eſt Concilium Antiochenum, anno CCC.XLV. in anno V. Conſtantij: in quo damnatus eſt Athanaſius, & via patefacta ad euerſionem Concilij Nicæni I. *Concilium I. rep. obatū.*

Secundum eſt Mediolanenſe, Epiſcoporum pluſquam CCC. anno CCC.LIV. tempore eiuſdem Conſtantij; in quo etiam obliquè fides Catholica damnata eſt. 2.

Tertium generale eſt Ariminenſe, Epiſcoporum DC. ſub eodem Conſtantio, anno CCC. *LXIII.* in quo ſublatum eſt de Symbolo nomen ὁμοούσιος. Huius Concilij fuit quaſi pars quædam Seleucienſe in Oriente. 3.

Quartum eſt Epheſinum II. tempore Theodoſij iunioris, anno CCCC.XLIX. in quo, factione Dioſcori, occiſus eſt S. Flauianus Epiſc. Con- 4.

ſtantinop.& Legati Pont. Rom. Leonis fugati, ac demum hęreſis Eutychiana confirmata. Reprobata eſt hæc Synodus à Leone in epiſt. ad Clerum, & populum Conſtantinop. & alijs.

5. Quintum eſt Concilium Conſtantinop. ſub Leone Iſauro contra ſacras imagines, anno D.CC.XXX. qui fuit decimustertius Imperij eiuſdem. Reprobatum eſt, quia non interfuit vllus Patriarcha, excepto S. Germano, qui tamen non conſenſit, & ideò à ſuâ ſede Conſtantinop. deiectus eſt.

6. Sextum eſt Concilium Conſtantinop. ſub Conſtantino Copronymo, anno D.CC. LV. Conuenerunt autem Epiſcopi CCC. XXXVIII. ſed nullus adfuit Patriarcharum, excepto Pſeudoepiſcopo Conſtantinop. Definitum eſt in Concilio, abolendas eſſe Chriſti, & Sanctorum imagines. Reprobatũ eſt hoc Concilium in VII. Synodo.

Actione. 6. 7. Septimum eſt Concilium Piſanum, anno 1511. congregatum ab Imp. & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Iulium II. & reprobatum poſt in Concilio Lateran. ſub Iulio 2.

Seſſ. 2. & 3. Octauum poteſt numerari Concilium VVittembergenſe, quod Lutherani Generale vocant, CCC. Paſtorum, Prꝫſide Luthero, anno M.D.XXXVI.

1. partim cõfirmatum, partim reprobatum. Primum Concilium generale, partim confirmatum, partim reprobatũ, eſt Sardicenſe Concilium, Epiſcoporum CCC.LXXXVI. anno Domini CCC.LI. tempore Conſtantij, & Iulij I. ex quibus CCC. Epiſcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt; quam exponit Hilarius l. de Synodis; reliqui LXXVI. Epiſcopi Orientales fidem Arianam ſcripſerunt.

2. Secundum eſt Concilium Syrmienſe, quod celebratum eſt annis quinque poſt Sardicenſe, Liberio, ſummo Pont. & Conſtantio Imp. In hoc enim Cõcilio duæ formulæ fidei diſſentientes inter ſe, editæ ſunt. Vnam compoſuit Græcè Marcus Arethuſius, qui poſtea ſub Iuliano illuſtre martyrium pertulit: quæ quidem eadem eſſe videtur, quam Hilarius, in l. de Synodis propè extremo, vt Catholicam explicat. Alteram compoſuerunt alij Latinè, plenam aperta blaſphemia, quam Hilarius reprehendit, in l. de Synodis, non procul ab initio. In eodem etiam Concilio Photini hęreſis damnata eſt, quam damnationem omnes Eccleſiæ probauerunt.

3. Tertium eſt Concilium Quiniſextum, in quo continentur canones Trullani. Sciendum eſt enim ex Tharaſio diſputante in VII. Synodo, VI. Synodum, quæ tempore Conſtantini IV. celebrata eſt, nullos canones ediſſe, ſed poſt annos aliquot, tempore Iuſtiniani, Epiſcopos rediſſe Conſtantinopolim, & in Palatio, quod dicitur Trullum CII. canones ediſſe, qui dicitur Trullani, & à Balſamone vocatur Concilium Quiniſextum, quia nõ eſt hæc Synodus V. nec VI. ſed canones addidit V. & VI. Synodo. *Act. 4.*

Quo tempore hęc Synodus habita ſit, non eſt æquè certum. Nam Theophanes, quidam hiſtoricus, docet celebratam hanc Synodum anno XXVII. à veræ ſextæ Synodi diſſolutione, nimirum anno II. Imperij Iuſtiniani inſtaurati. At Tharaſius in VII. Synodo act. 4. & Epiphanius in eadẽ Synodo, act. 6. tom. 1. dicunt, poſt quinque annos à diſſolutione Concilij hos canones editos: quod certè probabilius mihi videtur. Nam alioqui non video, quæ fuerit illa erratica Synodus Conſtantinop. à Iuſtiniano habita, tempore Sergij Pa-

pæ, & quam idem Papa reprobauit. Nam anno XVII. à diſſolutione Concilij VI. non ſedebat Sergius Papa, ſed Conſtantinus Papa: & certè Beda, & Tharaſius antiquiores Theophane ſunt. Hos igitur canones dicimus partim reprobatos, quia non interfuit ſummus Pont. nec per ſe, nec per Legatos, dum iſti canones fierent; & apertè Sergius Papa reprobauit erraticam iſtam Synodum: partim autem approbatos, quia etſi canones illi ex ſe nullā vim habeant, tamen aliqui poſtea probati ſunt à Pont. aut alijs legittimis Cōcilijs: qualis eſt canon LXXXII. de pingendis imaginibus receptus ab Adriano Papâ, & VII. Synodo, act. 2. & 4.

Quartum eſt Concilium Francofordienſe, quod celebratū eſt anno DCC. XCIV. Adriano I. Pont. & Carolo Magno Rege Francorum: quod Concilium ab Adriano confirmatum fuit, quantum ad eam partem, in qua definitur Chriſtum non eſſe Filium Dei adoptiuum: & ab eodem reprobatur, quantū ad alteram partem, in qua ex errore damnatur VII. Synodus. 4.

Quintum eſt Concilium Conſtantienſe, Patrum ferè mille, ex quibus Epiſcopi ampliùs CCC. anno M. CD. XIV. inchoatū ſub Ioanne XXIII. & anno XVIII. Finitū ſub Martino V. & Sigiſmundo Imp. hoc Concilium, quantum ad primas ſeſsiones, vbi definit Concilium eſſe ſupra Papam, reprobatum eſt in Concilio Florent. & Lateranenſi vltimo: quantum ad vltimas ſeſsiones, & ea omnia, quæ probauit Martinus V. ab omnibus Catholicis recipitur. 5.

Sextum eſt Concilium Baſileenſe, inchoatum anno M. CD. XXXI. & continuatum Baſileæ, ac deinde Lauſannæ, vſque ad annum XLIX. quo tempore ceſsit Nicolao V. Pont. tam Concilium, quàm Papa Felix V. in ſciſmate ab ipſo Concilio creatus. Huius Concilij nihil eſt ratum, & probatum, niſi quędam diſpoſitiones circa beneficia, quæ à Concilio factæ fuerant, quas (pacis, & vnitatis gratia) Nicolaus V. approbauit: Concilium verò ipſum reprobatur in Concilio Lateranenſi vltimo. 6.

Generale Concilium nec approbatum, nec reprobatum, videtur eſſe Concilium Piſanum, quod anno M. CD. IX. depoſuit Gregorium XII. & Benedictum XIII. & elegit Alexandrum V. ſiquidem Antoninus aſſerit, conciliabulum illegittimum, non verum Eccleſiæ Concilium fuiſſe. Et euentus idem oſtendiſſe videtur: coactum enim fuit ad ſciſma tollendum, & tamen illud non ſuſtulit, ſed auxit. Si autem ſine dubio fuiſſet reprobatum, etiam ſine dubio Alexander VI. ſe non ſextum, ſed quintum appellaſſet. Adde, quod eſt ferè communis opinio, Alexandrum, & qui ei ſucceſsit, Ioannem fuiſſe veros Pontifices. Ac certè ex tribus, qui ſe tum pro Pontificibus gerebant, iſti maximè, vt veri Pontifices, colebantur. *Seſſ. 11. Concilium nec approbatum, nec reprobatum. p. 3. tit. 22. c. 6. 2 & 3. ſumma hiſtor.*

CAPVT SECVNDVM.

De cauſſa finali, efficiente, materiali, & formali Conciliorum.

1. *Cauſſa finalis.* CAVSSAE finales præcipuæ, ob quas Concilia celebrantur, ſex numerari ſolent.

Prima eſt hæreſis noua, id eſt, nunquam antea iudicata. Ob quam coacta ſunt prima ſeptem generalia Concilia. Semper enim Eccleſia tanti fecit periculum nouarum hæreſum, vt non putauerit aliter poſſe reſiſti, quàm ſi omnes, aut certè per multi principes Eccleſiarum coniunctis viribus, & quaſi agmine facto irruerent in hoſtes fidei.

2. *Cauſſa.* Secunda eſt, ſciſma inter Rom. Pontif. Hâc enim de cauſſa celebratum eſt Concilium tempore Cornelij. Item aliud tempore Damaſi, & rurſum alia temporibus Symmachi, Innocent. II. & Alexandri III. & Piſanum, atque Conſtantienſe temporibus Gregorij XII. & Benedicti XIII. Nullum enim eſt potentius remedium Concilio, vt ſæpe probatum eſt.

3. *Cauſſa.* Tertia eſt, reſiſtentia communi hoſti totius Eccleſiæ. Hoc modo coacta ſunt Concilia ab Vrbano II. Calixto II. Eugenio III. alijſque Pontif. pro bello contra Saracenos.

Item, ad deponendum Imperatorem celebrata ſunt Concilia à Gregorio III. contra Leonem III. Iconomachum; à Gregorio VII. contra Henricum IV. ab Innocent. IV. contra Fredericum II.

4. *Cauſſa.* Quarta cauſſa eſt, ſuſpicio hæreſis in Rom. Pontifice, ſi fortè accideret; vel etiam tyrannis incorrigibilis: tunc enim deberet congregari generale Concilium, vel ad deponendum Pontif. ſi inueniretur hæreticus; vel certè ad admonendum, ſi in moribus videretur incorrigibilis. Ob iſtam cauſſam legimus celebratum Concilium Sinueſſanum in cauſſa S. Marcellini, & Rom. Concilia in cauſſa Damaſi, Sixti III. & Symmachi, & Leonis 3. & 4. quorum nullus à Concilio damnatus fuit; ſed Marcellinus ſibi ipſe coram Concilio pœnitentiam iniunxit; reliqui ſe purgauerunt.

5. *Cauſſa.* Quinta cauſſa eſt, dubitatio de electione Rom. Pontificis. Si enim cardinales non poſſent, aut non vellent Pontif. creare, aut certè omnes ſimul perirent, aut aliunde fieret verè dubium, ad quos pertineret eiuſmodi electio, ad Concilium generale ſpectaret decernere de electione futuri Pont. quanquam non eſt veriſimile, id aliquando euenturum.

6. *Cauſſa.* Sexta eſt reformatio generalis abuſuum, & vitiorum, quæ in Eccleſiam irrepunt: tametſi enim ſolus Pontif. poteſt leges toti Eccleſiæ præſcribere, tamen longè ſuauiùs res agitur, cùm approbante Concilio generali ſummus

Pont.

Pont.eiuſmodi leges præſcribit. Hinc videmus, omnia ferè generalia Concilia canones edidiſſe de reformatione.

Ex his cauſsis facile erit iudicare; *Sintne modò vtilia, an etiam planè neceſſaria Concilia ad Eccleſiæ conſeruationem?* Et quidem de generalibus Concilijs ita ſtatuo, eiuſmodi Conciliorum conuocationes vtiliſsimas, & ſuo quodam modo neceſſarias; non tamen abſolutè, & ſimpliciter neceſſarias eſſe. Id, quod mihi facilè perſuadeo. Primùm ex eo, quòd primis trecentis annis caruit Eccleſia Concilijs generalibus, nec tamen perijt. Quemadmodum enim annis illis 300. Eccleſia ſine Concilijs generalibus incolumis manſit, ſic etiam potuiſſet ſine dubio alijs 300. & rurſum alijs DC. atque aliis mille permanere: nam non defuerunt illo etiam tempore multæ hæreſes, multa ſciſmata, multa vitia, atque abuſus, quæ tamen omnia Eccleſiam Catholicam opprimere non potuerunt. *Dubitatio.* *Reſp.*

Denique; Accedit etiam illud, quòd nulla ex enumeratis cauſsis generale Concilium abſolutè neceſſarium eſſe conuincit. Nam primùm emendatio vitiorum, & abuſuum, (vt à poſtrema cauſſa incipiamus) fieri poteſt ſatis commodè, tum per leges ſummi Pontif. tum per Conciliorum prouincialium decreta; licet id ſuauiùs fiat per Concilia, vt diximus, generalia. Illa autem cauſſa de electione ſummi Pontif. fieri non poteſt, ſi moraliter, non metaphyſicè loquamur, vt vnquam vſu veniat. Quis enim credat, futurum aliquando, vt Cardinales, aut non velint, aut non poſsint creare Pontificem? Quòd ſi etiam id accideret, vix dubium eſſe poſſet, ad quos pertineret electio. Nam cùm Rom. Epiſcopatus euectus ſit ad ſummum Eccleſiæ Pontificatum, eorũ ſine dubio eſt ſummum Pont. eligere, quorum eſt Rom. Epiſcopum eligere. Quorum autem ſit Rom. Epiſcopum eligere, non magis dubium eſſe poſſet, remotis Pontif. conſtitutionibus, quàm ad quos pertineat aliarum ciuitatum Epiſcopos eligere. Illud conſtat, propter eiuſmodi cauſſam nullum hactenus Concilium generale conuocatum eſſe. Quòd idem de quartâ cauſſa dici poteſt. Nam propter ſuſpiciones de doctrinâ, & vitâ Pont. nunquam conuenerunt, niſi prouincialia, aut nationalia Concilia. Nec ſanè videtur maiori Concilio opus eſſe: nam, dum eſt verè Pontif. non poteſt ab vllo Concilio iudicari; niſi fortè tribuat ipſe Concilio poteſtatem examinandi cauſſam ſuam, & ſententiam diſcretiuam, non tamen coactiuam, ferendi. Hanc autem poteſtatem poteſt æquè Papa tribuere Concilio particulari, atq; vniuerſali.

Iam verò tertia cauſſa non exigit neceſſario generale Concilium duplici nomine. Primùm, quia non eſt abſolutè neceſſarium, vt communi hoſti, qualis eſt Turca, reſiſtatur. Si enim Eccleſia conſeruari potuit ſub immaniſsimis perſecutionibus Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani, cur non poſſet etiam ſub perſecutione Turcarum? Deinde; quis non videt, etiam ſine generali Cõcilio poſſe bellum indici communi hoſti, quemadmodum ſæpe factum eſt?

Denique; Nec primam, nec ſecundam cauſſam neceſſario poſtulare generalis Concilij cõuocationem, teſtantur præterita tempora. Nam, ſi ad extinguendas ſeptem hęreſes celebrata ſint ſeptem Concilia generalia, pluſquam centum hęreſes extinctę ſunt à ſola Apoſtolicâ ſede, cooperantibus Concilijs

particularibus: & ſi vnum ſciſma ſublatum eſt per generale Concilium Cõſtantienſe, ſciſmata ſupra quinque, & viginti ſine Concilio generali ſublata ſunt.

Neceſsitas Conciliorũ. Quamuis autem generalia Concilia non ſint abſolutè neceſſaria, tamen Concilia aliqua, ſiue generalia, ſiue particularia ſint, omninò neceſſaria eſſe ad bonam Eccleſiæ adminiſtrationem, vix in quæſtionem aduocari poſſe dubito. *Matth. 18.* Nam ſi *neceſſe eſt, vt veniant ſcandala*, vt ait Dominus, *& oportet hæreſes eſſe*, *1. Cor. 11.* vt Apoſtolus ait, certè neceſſe eſt etiam, vt in Eccleſia ſit certum aliquod iudicium, quo & ſcandala tolli, & hæreſes damnari poſsint: alioqui breui tempo- *Matth. 12.* re Eccleſia vniuerſa in partes ſcinderetur, & periret, nam *omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur*.

Etſi verò ſummus Pont. iudex eſt, vice Chriſti, omnium controuerſiarum, eique obtemperare debet fraternitas vniuerſa; tamen non debet Pont. in cõtrouerſijs fidei diiudicandis, aut ſolo ſuo iudicio fidere, aut expectare diuinam reuelationem: ſed adhibere diligentiam, quantam res tanta poſtulat, & ordinaria media, & tum demum expectare aſsiſtentiam Spiritus ſancti, & directionem diuinam. Porrò medium ordinarium, ac proinde neceſſarium, eſſe Concilium, magnum, aut paruum, vnum, vel plura, prout ipſe iudicauerit, facilè probari poteſt.

Matth. 18. Primùm, ex diuinâ illâ promiſsione: *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomi-* *In epiſt. ad Leonem.* *ne meo, illic ſum in medio eorum*. Hunc enim locum de Concilijs intelligit Synodus Chalcedonenſis, & aliæ Synodi.

Secundò, ex facto Apoſtolorum, qui, cùm poſſent etiam ſeorſim ſinguli de- *Act. 15.* finire controuerſias; tamen ne viderentur negligere medium ordinarium, & à Chriſto ipſo demonſtratum, nõ ſine Concilio controuerſia de legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt.

Tertiò, ex conſuetudine totius Eccleſiæ, atque omnium ſæculorũ. Semper enim fuit in Eccleſiâ iſta conſuetudo, vt ad res dubias explicandas Concilia Epiſcoporum haberentur. Et ipſi etiam Rom. Pont. nullam vnquam hæreſin nouam ſine nouo Concilio damnauerunt. Quod autem ſemper, & ab omnibus factum eſt, quis negare audebit, ordinarium dici poſſe, & reuerà eſſe? Accedat Confirmatio ex Patribus.

In præfatione. Denique; Concilium Toletanum XI. multis verbis demonſtrat, Conciliorum in Eccleſiâ neceſsitatem.

Efficiens cauſſa Conciliorum. De cauſſa efficiente conuenit inter nos, & aduerſarios, Concilia Diœceſana ab Epiſcopo, Prouincialia ab Archiepiſcopo, Nationalia à Patriarcha, vel primate conuocari debere. At de Concilio generali maxima controuerſia eſt: verumtamen Catholici munus conuocandi Concilia generalia ad Rom. Pontificem propriè pertinere volunt; ſic tamen, vt poſsit etiam alius, Pont. conſentiente, Concilium indicere, quin etiam ſatis ſit, ſi indictionem factam ipſe poſteà ratam habeat, & confirmet: at, ſi nec ipſe indicat Concilium, nec aliquis alius de eius mandato, vel conſenſu, nec ipſe ſaltem approbat indictionem, illud non Concilium, ſed conciliabulum fore.

Prob. 1. Põt. eſſe congre- Eſſe autem reuerà Pont. non Imperatoris, congregare Synodum generalem

lem, primò demonſtrari poteſt ex diuinis litteris: nam Concilium Eccleſiæ *care genera-*
non eſt legitimum, niſi congregetur in nomine Chriſti: congregari autem *lia Concilia* *Matth. 18.*
in nomine Chriſti, nihil videtur eſſe aliud, quàm cõgregari auctoritate Chri-
ſti; hoc eſt, ab eo, qui à Chriſto habeat congregandi auctoritatem. Nam in
Script. illud, *In nomine*, vbique ferè accipitur pro eo, quod eſt ex auctoritate: *Mar. vlt.*
In nomine meo dæmonia eÿcient. Et: *Ego veni in nomine patris mei.* Et: *Nonne in no-* *Ioan. 5.*
mine tuo prophetauimus? Et: *In qua virtute, aut in quo nomine hoc feciſtis?* *Matth. 7.* *Act. 4.*

Secundò Concilium generale ab eo indici debet ex auctoritate, qui poteſt *Prob. 2.*
omnes cogere: at nullus vnquam Imp. totam Eccleſiam ſubiectam habuit,
etiam quoad actiones ciuiles, vt eam habet Pont. quoad actiones ſpirituales.
Nam Imp. latiſsimè dominabantur tempore B. Leonis, & B. Proſperi, & ta-
men tunc maior erat orbis Chriſtianus ſubiectus Papæ, quam orbis Rom,
ſubiectus Imperatori. Nunc autem Imp. vix vnius prouinciæ Epiſcopos ad
Concilium cogere poſſet: nec enim Itali, Hiſpani, Galli Imperatori ſubijciũ-
tur, ſed habent ſuos proprios Reges, vel Principes temporales. Quid ſi nul-
lus eſſet Imp. immò etiam nullus Princeps Chriſtianus, num ideò Concilia
fieri non poſſent?

Tertiò; Concilia prouincialia indicuntur à Metropolitano, & nationalia à *Prob. 3.*
Primate, vel Patriarchâ: igitur Concilia generalia non ab Imp. ſed à ſummo
Pont. indicenda ſunt. Nam, ſi Imp. indicere deberet generalia Concilia, de-
beret Rex, aut Dux, aut Magiſtratus ciuilis indicere Concilia prouincialia,
vel nationalia. Vt enim ſe habet Imp. orbis terrarum ad Concilium genera-
le, ita ſe habet Rex, aut Dux vnius prouinciæ ad Concilium illius prouinciæ,
vel nationis.

Quartò prob. ex illo antiquiſsimo canone, quo ſtatuitur, præter ſenten- *Prob. 4.*
tiam Rom: Pontificis non poſſe Concilia celebrari: hinc ſequitur eius potiſ-
ſimùm eſſe illa conuocare.

Quintò prob. ex Concilio Chalcedonenſi, vbi Dioſcorus Alexandrinus *Prob. 5.*
iubetur non ſedere inter Epiſcopos, eò, quòd Synodum facere auſus fuiſſet *Act. 1.*
ſine auctoritate Apoſtolicæ ſedis: Quod, inquit, nunquam licuit, nunquam
factum eſt. Simile quid habemus in Concilio VII. generali, vbi irritum iu- *Act. 6.*
dicatum eſt Concilium quoddam Conſtantinopolitanum, quia cõſenſu Rom.
Pontificis coactum fuiſſet ab Imp.

Sextò prob. ex Concilio Rom. IV. ſub Symmacho, in quo, cùm Rex *Prob. 6.*
Theodoricus diceret, ſe Synodum conuocaſſe, vt iudicaretur cauſſa Symma-
chi Papæ; reſponderunt Epiſcopi omnes, à Papa, non à Rege debuiſſe vocari
Synodum, etiamſi Papa accuſaretur Rex verò ait ſe ex voluntate, & con-
ſenſu Pont. Synodum conuocaſſe; Epiſcopi verò non prius acquieuerunt,
quàm Rex litteras Pont. adferret, & Pont. ipſe præſens teſtaretur, ita
eſſe.

Septimò probari poſſet teſtimonio antiquorum Pont. & Valentiniani *Prob. 7.*
Imp. qui cùm ab Epiſc. rogaretur vt permitteret eis Concilium celebrare,
reſpondit, vt refert Sozomenus: *Mihi, qui ſum in ſorte plebis, fas non eſt, talia cu-* *L. 6. c. 7.*
rioſius perſcrutari; ſacerdotes quibus iſta curæ ſunt, quocumque voluerint loco, cõueniant.
Accedunt multi canones.

Dubia tria.

Tria nunc Catholicorum dubia ſunt. Vnum; An non liceat Concilium indici ab alio, quàm à Papâ, quando ſit neceſſarium Eccleſiæ, & tamen Papa nolit illud indicere? Alterum; An non liceat Concilium indici ab alio, quam à Papâ, quando Papa non debeat illud indicere, eò, quòd ſit hæreticus, vel ſciſmaticus? Tertium: An non liceat Concilium indici ab alio, quàm à Papâ, quando Papa non poſſet illud indicere, eò, quòd eſſet captiuus apud infideles, vel mortuus, vel inſanus effectus, aut renunciaſſet?

Reſp. ad 1. L. 3. c. 8.

Ad primum reſpondet Ioannes à Turrecrematâ, vix eſſe poſsibilem eum caſum; non enim credibile eſt, vllum Pont. fore tam malum, qui non velit Concilium celebrari, ſi apertè conſtet, id eſſe neceſſarium Eccleſiæ conſeruationi. Quòd ſi etiam ipſe ex ſe talis eſſet, tamen Deus, qui Eccleſiam conſeruat, ſine dubio vel eius mentem mutaret, vel eum de medio tolleret?

Diſtinct. 83. can. Error. & ſeq.

Dicit ſecundò, ſi nihil horum fieret, poſſe eum haberi tanquam ſuſpectum de hęreſi: nam qui errori manifeſto non reſiſtit, cùm poſsit, & debeat, eum approbare cenſetur.

Reſp. ad 2. & 3.

Ad ſecundum & tertium reſpondeo, in nullo caſu ſine Pont. auctoritate poſſe conuocari verum, & perfectum Concilium, de quali hîc diſputamus, quod videlicet auctoritatem habeat definiendi quæſtiones fidei. Præcipua enim auctoritas eſt in capite, ſiue in Petro, cui imperatum eſt, vt confirmet fratres ſuos, & ideò etiam Dominus pro eo orauit, ne deficeret fides eius.

Poterit tamen in illis duobus caſibus congregari Concilium imperfectũ, quod ſufficiet ad prouidendũ Eccleſiæ de capite. Eccleſia enim ſine dubio habet auctoritatem prouidendi ſibi de capite, quamuis non poſsit ſine capite ſtatuere de multis, de quibus poteſt cum capite. Porrò Concilium illud imperfectum fieri poterit, ſi vel indicatur à collegiô Cardinalium, vel ipſi per ſe Epiſcopi in locum vnum conueniant.

Luc. 22.
2. materia Conciliorum.

Sequuntur ea, ex quibus Concilia pręcipuè conſtant, quæ quaſi materia dici poſſunt. Sunt autem duo annotanda. Vnum eſt, Eccleſiam vniuerſam quatuor contineri hominum generibus: Sunt enim aliqui clerici, aliqui laici; & rurſum ex clericis alij prælati, alij non prælati; item ex laicis alij principes, alij priuati.

Alterum eſt, in Concilijs multis de cauſſis aliquos intereſſe poſſe. Alij enim interſunt, vt iudices, qui dicuntur habere ſuffragium deciſiuum; alij, vt diſputando examinent difficultates, qui dicuntur habere ſuffragium conſultiuum; alij, vt miniſtrent, quales ſunt notarij, cuſtodes; alij, vt defendant Concilium, & dent operam, vt intus, & extra omnia ſint pacata.

Quæſt.

Quæſtio igitur eſt: *Qui ſint ex quatuor illis hominum generibus vocandi ad Concilium, & quâ de cauſſa?*

Reſp.

Sententia Catholicorum eſt, ſolos Prælatos maiores, eoſque omnes, id eſt Epiſcopos, in Concilijs generalibus, & prouincialibus, habere ius ſuffragij deciſiui ordinariè; ex priuilegio autem, & conſuetudine etiam Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, licet Epiſcopi non ſint: ex Presbyterio autem, & alijs Clericis minoribus, tantùm vocari aliquos viros doctos, qui iuuent in diſputando, vel alijs miniſterijs; Principes autem vocari, tum, vt

Con-

Concilium defendant; tum vt teſtes, & conſcij decretorum Concilij, poſteà
tranſgreſsores, & contumaces pœnis corporalibus puniant. Denique, ex pri-
uatis Laicis tantùm vocari aliquos, qui videantur vtiles, vel neceſsarij ad
aliquod miniſterium Concilij.

Prob. hæc ſententia primùm ratione ex Script. deſumptâ. Definire in Con- *Prob. 1.*
cilijs ea, quæ ſunt credenda, vel agenda, eſt proprium munus paſtorum: paſ-
cere enim propriè eſt docere, & ita docere, vt teneantur àlij credere. Id patet
ex Hierem. *Dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientia, & do-* *Hierem. 3.*
ctrina. Item: *Alios autem paſtores, & Doctores.* Vbi notat Hieronymus, & Au- *Ephes. 4.*
guſtinus, coniunctum eſſe nomen paſtoris cum nomine doctoris, quia pro- *In hunc locũ.*
prium eſt paſtorum docere. At non ſunt paſtores, laici, nec Eccleſiaſtici qui- *Epiſtola 59. ad Paulinũ.*
cunque, ſed ſolùm Epiſcopi: ſic enim legimus: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi,* *Act. 20.*
in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei. Et Petro dicitur: *Ioan. vlt.*
Paſce oues meas. Si autem omnes paſtores ſint, vbi oues?

Idem probari poſſet teſtimonijs veterum.

Prob. tertiò ex Concilijs hactenus celebratis: nam omnium Conciliorum *Prob. 2. & 3.*
decreta ab Epiſcopis ſolis facta eſſe, patet ex ſubſcriptionibus. Vbique enim
inueniuntur, ſoli Epiſcopi ſubſcripſiſſe, exceptis paucis generalibus, quibus
Imp. etiam ſubſcripſit, ſed aliâ formâ, quàm Epiſcopi. Epiſcopi enim defi-
niendo, vt Iudices; Imp. conſentiendo ſubſcripſerunt: & quibuſdam etiam
paucisſimis, vt Florentino, Lateranenſi, & Tridentino, quibus ſubſcripſe-
runt etiam Abbates, & Generales Ordinum: cæteri, quamuis optimi, & do-
ctiſsimi eſſent, nunquam ſunt admiſsi, niſi ad conſultandum, excepto Conci-
lio Baſileenſi, vbi Presbyteri admiſsi ſunt ad ſuffragium deciſiuũ, ſed perpe-
ram, & contra morem omnis antiquitatis. Nec illud Concilium fuit le-
gittimum.

Quartò prob. rationibus. Nam imprimis negotia Eccleſiaſtica, & publica; *Prob. 4.*
à perſonis Eccleſiaſticis, & publicis, tractanda ſunt, vt notum eſt, tales autem
ſoli ſunt Epiſcopi.

Deinde; Si omnes homines docti admitti deberent, vel nunquam eſſent
Concilia generalia, quia vix poſſent omnes docti totius Eccleſiæ conuocari;
vel, ſi tandem congregarentur eſſet impoſsibile regere tale Concilium, pro-
pter nimiam multitudinem: præterea tunc ſine dubio plures eſſent in Conci-
liô inferiores, quàm ſuperiores, & proinde tunc verè vinceret maior ſenten-
tia meliorem, & in Eccleſiâ regerentur ſuperiores ab inferioribus, non è con-
trario: quod abſurdiſsimum eſt.

Item; Si ita eſſet, tunc facilè poſſet vnus Princeps, in cuius regione ſit Cõ-
cilium, definire, quidquid vellet: poſſet enim facilè colligere omnes Presby-
teros, & doctos homines ſuæ prouinciæ, & in Conciliũ introducere; id quod
non poſſent alij Principes, qui longè abeſſent.

Denique: Nulla eſt reſp. quæ ratione naturali docente non habeat ali-
quem ordinem in comitijs, ita vt non quicunque de plebe, ſed tantùm Prin-
cipes, & capita cæterorum, locum, & ſuffragium habeant.

Sed mouet Catholici vnũ dubium de his, qui intereſſe debent in Concilio: *Dubitatio.*
nã vel ad generale Cõcilium faciendũ requiruntur omnes Epiſcopi totius or-

bis, vel aliqui tantùm, ſi omnes, nullum fuit ergò hactenus Concilium generale, neque etiam videtur deinceps futurũ; ſi aliqui tantùm, quinam illi ſunt? Non enim videtur maior ratio de vno, quàm de alio.

Reſp. Reſp. non poſſe iſtam quæſtionem meliùs ſolui, quàm ex conſuetudine Eccleſiæ, & ex ijs Concilijs, quæ omnium conſenſu generalia fuerunt; qualia ſunt quatuor prima. Ex conſuetudine autem Eccleſiæ colligimus, quatuor conditiones & ſufficere, & requiri ad generale Concilium.

1. Conditio ad Concil. generale. *Act. 6.* Prima eſt, vt euocatio ſit generalis, ita vt innoteſcat omnibus maioribus Chriſtianis prouincijs. Id enim conſtat ſemper fuiſſe ſeruatum; adeò, vt ſeptima Synodus ideo indicauerit Concilium Conſtantinopolitanum contra imagines non fuiſſe generale, quia non exijt ſonus eius in omnem terram.

2. Conditio. Secunda, vt Epiſcopus nullus excludatur, vndecunque veniat, modò conſtet, eum eſſe Epiſcopum, & non excommunicatum.

3. Conditio. Tertia, vt adſint per ſe, vel per alios, quatuor præcipui Patriarchæ, præter ſummum Pont. videlicet Cõſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus, quia iſtis ſuberant omnes alij Epiſcopi. Id patet, tũ ex vſu, tum ex VII. Synodo, vbi cenſetur Conſtantinopolitanum contra imagines non fuiſſe generale Concilium, quia non habuit Patriarchas: & in VIII. Synodo recipitur cum gaudio Vicarius Patriarchæ Alexandrini, tanquam ſine illo aliquid defuiſſet Synodi plenitudini. *Act. 6.* *Act. 9.*

Porrò hæc tertia non omninò neceſſaria, ſed tantùm ad benè eſſe indicabatur; nam Synodus tertia ſine Patriarchâ Antiocheno damnauit Neſtorium Conſtantinopolitanum: & Synodus Chalcedonenſis ſine Patriarchâ Alexandrino omnia ferè concluſit. Et nunc non ſunt neceſſarij iſti Patriarchæ, quia hæretici, vel certè ſciſmatici ſunt.

4. Conditio. Quarta, vt ſaltem ex maiori parte Chriſtianarum prouinciarum aliqui adueniant, & ſi quidem Concilium ſit in Oriente, ſemper viſum eſt ſufficere, ſi ex prouincijs omnibus Orientis Epiſcopi multi conueniant, ex toto autem Occidente mittantur aliqui à ſummo Pont. qui ſuppleant aliorum locum. Et è contrario, ſi celebretur in Occidente, conueniant ex omnibus prouincijs Occidentis multi, ex Oriente autem pauci aliqui veniant nomine aliorum.

Sic in Concilio Nicæno I. ex Occidente ſolùm fuerunt duo Presbyteri miſſi ex Italiâ, vnus Epiſcopus ex Galliâ, vnus ex Hiſpaniâ, vnus ex Africâ. In Concilio II. & III. nulli fuerunt ex Occidente, ſed tamen Pont. Damaſus, & Celeſtinus, illa Concilia confirmarunt nomine ſuo, & aliorum Epiſcoporum Occidentis, quos ipſi Romæ collegerant. In Concilio IV. ſolùm fuerunt Legati Leonis, & prætereà miſit ipſe conſenſum aliorum Epiſcoporum Hiſpaniæ, Galliæ, & Italiæ, qui in ſuis prouincijs celebratis Concilijs ad Leonem ſcripſerant, ſe in omnibus ſententiam eius ſequi. E contrario verò ad Concilia Occidentis, vt Lateranenſe ſub Innocentio III. Lugdunenſe ſub Gregorio X. Viennenſe ſub Clemente V. ac nuper Tridentinum venerunt Epiſcopi frequentes ex toto Occidente, ex Oriente verò pauci dumtaxat.

Ex quo ſequitur, poſſe interdũ Cõcilia nationalia eſſe multò maiora generalibus quoad numerũ Epiſcoporũ, & tamen minora quoad auctoritatẽ: nam Con-

Concilium II. tantùm habuit C. L. Epiſcopos ex varijs prouincijs, & nationibus, & Concilium Carthaginenſe nationale ex ſola Africa tempore B. Auguſtini habuit Epiſcopos CC. XVII.

De forma Conciliorum quæſtio bipartita eſt.

Prima pars eſt: *An Concilium ſit verum iudicium, & Epiſcopi veri iudices?* ita vt ſtandum ſit eorum ſententiæ, quia ipſi ſic ſtatuerunt; ſicut ſtatur ſententiæ Prætoris in cauſsis politicis: an verò ſit tantùm inquiſitio quædam, & tantum valeat decretum Conciliorum, quantum valet eius ratio: quomodo loquimur de deciſionibus Doctorum, quas vel in ſcholis, vel in ſuis commentarijs faciunt? *De forma quæſt. 1.*

Nos dicimus, conſeſſum Epiſcoporum in Concilijs legittimis eſſe verum Iudicum conſeſſum, & eorum decreta, & leges neceſſario ſequendas. *Reſp.*

Prob. primò ex tribus Script. Prima eſt, vbi iubentur, qui dubia habent, recurrere ad Sacerdotum Concilia. Et: *Qui non obedierit eorum ſententiæ, morte condemnetur.* *Prob. 1. Deut. 17.*

Secunda: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Hic enim locus & ſi varias expoſitiones admittat, tamen cùm Concilium omnium cōſenſu maximè dici poſsit Eccleſia, non poteſt vllo modo reijci explicatio, quâ aſſerimus, Dominum iuſsiſſe, vt ſententiæ legittimi Concilij obediamus. *Matth. 18.*

Tertia eſt, vbi Paulus pertranſiens ciuitates varias, præcipiebat eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis in Concilio Hieroſolymitano. De quo Concilio tria notanda ſunt. *Act. 15. & 16.*

Primum eſt, in eo Concilio non ex Script. ſed ad ſuffragia Apoſtolorum definitam eſſe quæſtionem. Non enim quæſtio erat, vt aduerſarij fingunt, an ſola fides iuſtificet; ſed, an Circumciſio, & cæteræ legales cæremoniæ, eſſent neceſſariæ Chriſtianis? Id, quod manifeſtè colligitur, tum ex occaſione Synodi, de quâ ſic loquitur S. Lucas: *Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſeruare legem Moyſi. Conueneruntq́ Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc*, &c. Tum ex epiſtola Concilij, in quâ nihil mandatur, niſi abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, & immolatitijs, & liberantur Gentes ab omnibus aliis Iudaicis cæremonijs. Certè autem nihil horum in Script. habebatur: vbi enim, quæſo, ſcriptum erat, vt Gentes non ſeruarent legalia, excepto mandato de abſtinentia à ſanguine, ſuffocato, & immolatitijs. *Nota 1. Act. 15.*

Alterum notandum, Apoſtolorum ſententiam non fuiſſe permiſſum examini diſcipulorum, ſed ſimpliciter imperatum fuiſse, vt obedirent: vt clariſſimè conſtat ex textu. *Nota 2.*

Tertium eſt, Concilij Apoſtolici definitionem veram legem fuiſſe obligantem in conſcientia. Id ſatis Lucas oſtendit, modo præcepta, modo decreta, & dogmata appellans. *Nota 3.*

Secundò prob. ex ipſis Conciliis: nam Concilia omnia dicunt anathema non obtemperantibus; vocant ſua decreta canones, ſiue leges Eccleſiaſticas: cùm ſubſcribunt, Epiſcopi dicunt: *Ego N. definiens ſubſcripſi.* Præterea; In Concilio Chalcedonenſi, cùm decem Epiſcopi Ægyptij nollent acquieſcere iudicio maioris partis, pro hæreticis habebantur: quæ omnia ſunt apertiſsi- *Prob. 2. Act. 4.*

ma argumenta, quòd Concilia ſint vera iudicia.

Prob. 3. Prob. tertiò; Nam, ſi non eſset in Conciliis agendum ſuffragiis, ſed diſputationibus tantum, perperam fieret, vt ſoli Epiſcopi ſententiam ferrent, cum munus diſputandi ſit hominum eruditorum, ſiue ſint Epiſcopi, ſiue non. Fruſtrà etiam vocarentur Epiſc. aliqui rudes, & ſimplices, quales aliquos fuiſse in Concilio Nicæno ſcribit Ruffinus.

Li. 10. hiſt. c. 3. Quæſt. 2. Reſp. Altera pars quæſtionis eſt; *An debeat aliquis præſidere, & quis ille ſit?*

Catholici omnes id munus proprium eſse docent ſummi Pontif. vt per ſe, vel per Legatos Synodo præſideat, & tanquam ſupremus Iudex omnia moderetur.

Dicimus autem, *per ſe, vel per Legatos*, quia ſummus Pontif. nunquam interfuit Conciliis Orientalibus per ſe: neque id factum eſt caſu, ſed certa ratione, vt patet ex epiſtolis S. Leonis, vbi dicit ſe non venire ad Synodum, quoniam id non patitur conſuetudo, nec vlla prædeceſsorum habet de hâc re exempla. Adde, quòd Vigilius Papa erat Conſtantinopoli, cum fieret in eâ ciuitate Cōcilium V. generale, & tamen noluit intereſse, ſed per libellum confirmauit acta Concilii. Ipſi etiam Imper. cum indicebant Concilia, alios omnes Epiſc. per edictum pręcipiendo vocabant: Romanum autem inuitabant, vt dignaretur venire, ſi ei placeret. Quæ autem ſit ratio huius rei, incertum eſt: ego ſuſpicor has duas fuiſse cauſsas inter alias.

17. ad Theodoſ. & 47. ad Concilium Chalced.

Vnam, quia non videbatur condenire, vt caput ſequeretur membra, cum potius membra ſequi debeant caput: itaque propterea interfuit Papa Conciliis Roman. & quibuſdam aliis, quæ ipſe conuocauit ad ſe, id eſt, ad locum, vbi ipſe erat; non autem voluit, neque debuit ire ad Concilia alibi congregata.

Altera eſt, quia in Conciliis Orientalibus ſemper interfuit Imp. aut aliquis eius Legatus: & quamuis nec Imp. nec Legatus eius præſideret Concilio propriè, vt Iudex, tamen præſidebat ſaltem quoad locum materialem: & etiamſi ſummus Pontif. ibi fuiſset, adhuc voluiſsent illi eo modo pręſidere; vt patet ex Concilio Florentino in initio, vbi Gręci omninò cōtendebant, vt in ſummo loco ſederet eorum Imp. & ſummum Pont. præcederet. At quamuis vtcunque tolerabile ſit, vt Princ. ſęculares in Concilio ſedeant ante alios Epiſc. tamen nullo modo conuenit, vt ante ipſum ſummum Pont. Ne ergò hoc tolerandum eſſet, vel tumultus excitandus, non ibat ad ea Concilia, ſed Legatos tantùm mittebat.

Prob. 1. ſummum Pont. debere præſidere. Ioan. vlt. Porrò ad ſummum Pontif. iure pertinere præſidentiam in Conciliis generalibus, prob. Primò ratione ex Script. petitâ. Summus Pontif. eſt paſtor, & pater Eccleſiæ vniuerſæ, adeò vt etiam Epiſc. & Principes omnes reſpectu ſummi Pontif. oues, & filij dicantur, vt notum eſt ex illo: *Paſce oues meas.* Et confirm. ex eo, quòd Concilia vocant Pontif. patrem, & ipſe vocat Epiſc. in Conciliis congregatos aliquando filios. At quis, quęſo, ambigere poteſt, vtrum patres filiis, & paſtores ouibus pręſidere debeât, an filij patribus, & oues paſtoribus?

Prob. 2. Act. 15. 11. inter epiſtolas Auguſt. Secundò prob. ex Concilio Apoſtolico, in quo Petrum præſediſſe affirmat Hieron. in epiſtola ad Auguſtin. & idem ex eo colligitur, quòd Petrus pri-

mus

mus ſurgit, primus loquitur, primus quæſtionẽ definit, & omnes, vt Hieron. dixit, ſententiam eius ſequuntur.

Tertiò prob. ex actis octo generalium Conciliorum: nam quòd in alijs Rom. Pontifex præfuerit, etiam aduerſarii fatentur. *Prob. 3.*

Primum generale fuit Nicænum, in quo præſiderunt Hoſius Epiſc. & Vitus, ac Vincentius Presbyteri Legati Rom. Pontificis. Prob. hoc ex ſubſcriptionibus: hi enim tres primi omnium ſubſcripſerunt. *Præſides 1. Concilij generalis.*

Secundo ex Cedreno & Photio, qui dicunt, Syluestrum per Legatos ſuos Concilio Nicæno auctoritatem ſuam contuliſſe. *In compen. hiſt. l. de 7. Synodis.*

Tertiò, ex Athanaſio, qui dicit, Hoſium Principem fuiſſe in eo Concilio, & ipſum eſſe, qui compoſuit Symbolum, quod dicitur Nicænum. Cùm autem Hoſius fuerit ſimplex Epiſcopus, & proinde inferior omnibus Patriarchis, qui erant in eo Concilio, ſine dubio nunquam habuiſſet primum locum, niſi vicem geſſiſſet Rom. Pontificis. *Epiſt. ad ſolitar. vitã agentes.*

Secundum Concilium generale fuit Conſtantinopolitanum I. in quo conſtat, non præſediſſe Imperat. ſed tantum miſiſſe litteras Rom. Pontificis ad Epiſc. quibus ad Concilium vocabantur. Conſtat etiam, non præſediſſe Rom. Pontificem, ſed Nectarium Epiſc. Conſtantinop. Cuius rei cauſſa eſt, quia Rom. Pont. non interfuit, nec per ſe, nec per Legatos. Pontif. enim Damaſus conuocauerat quidem Epiſc. Orientis Conſtantinopolim, ſed ex eo loco, poſteà volebat eos Romam venire, vbi ipſe coëgerat Synodum Epiſcoporum Occidentalium, vt Romæ fieret pleniſſimum Concilium. Cæterum Orientales excuſauerunt ſe iuſtas ob cauſſas, & coniunxerunt ſe animis, & ſententijs cum Occidentalibus, non autem præſentia corporali. Vide epiſtolas Damaſi ad Concilium Conſtant. & Concilij ad Damaſum apud Theodoretum. Quòd autem, ſi Damaſus adfuiſſet, ſine dubio præſediſſet, patet ex ijſdem epiſtolis, vbi illi Damaſum, vt caput ſuum agnoſcunt, & ipſe filios eos vocat. *2 Concilium generale.* *L. 5. c. 9. & 10.*

Tertium Concilium fuit Epheſinum primum, in quo certum eſt, non præſediſſe Imperat. ſed Roman. Pontificem per Legatos ſuos. Quòd non Imper. nec aliquis eius nomine, patet ex epiſtola ipſius, ſcilicet Theodoſij Iunioris ad Synodum Epheſinam, vbi dicit, ſe miſiſſe Candidianum Comitem ad Concilium, non vt miſceret ſe quæſtionibus Eccleſiaſticis, ſed ad Synodi defenſionem. Quod autem Pontif. Celeſtinus præſederit per legatum ſuum S. Cyrillum teſtantur omnes Hiſtorici: & ipſe Celeſtinus in epiſtola ad Cyrillum. *3. Concilium generale.* *Tom. 1. eius Concil. c. 32.*

Quartum Concilium eſt Chalcedonenſe, in quo initio, id eſt, in primâ actione Imper. Martianus interfuit, & ſedit primo loco, non tamen præſedit, vt Iudex; vt ipſemet teſtatus eſt, in oratione ad Synodum, vbi ait ſe veniſſe ad confirmandam fidem, ſicut olim fecerat Conſtantinus Magnus; id eſt, non veniſſe ad explicandam fidem & controuerſias diiudicandas; ſed ad hoc, vt fides à Concilio explicata, firma, ac tuta conſiſteret, defenſa videlicet Imp. ope, & auctoritate. Interfuerunt denique nomine Imper. in aliis actionibus quidem Iudices ſæculares, qui non erant Iudices controuerſiarum fidei; ſed tantum, an omnia fierent legittimè, ſine vi, & fraude, & tumultibus. *Tom. 1. c. 16. 4. Concilium.* *Act. 1.*

CAPVT III.

De auctoritate Conciliorum abſolutâ.

DE auctoritate Conciliorum diſputatio eſt bipartita. Primùm enim cõſideranda eſt auctoritas Concil. abſolutè. Deinde comparata cum alijs ſimilibus principijs fidei, id eſt, cum Script. Pontificijſque decretis. *Quæſt. 1. de auctoritate abſoluta Cõcil.*

De auctoritate abſolutè conſideratâ duæ ſunt quæſtiones. Vna, *An Concilia à Summo Pont. confirmata poſſint errare?* *Prop. 1.*

Pro qua propoſitio prima: *Fide Catholica tenendum eſt, Concilia generalia à ſummo Pont. confirmata errare non poſſe, nec in fide, nec in moribus.* *Prob. 1. 1. Claſsis Script.*

Prob. primò teſtimonijs Script. quæ ad quatuor claſſes reduci poſſunt. In prima erunt teſtimonia propria, quæ tria ſunt. Primum: *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Hic argumentum ſumitur non ſimpliciter ex his verbis, ſed ex his verbis continuatis cum ſuperioribus, & propterea additâ argumẽtatione à minori ad maius. Dixerat enim anteà Dominus de homine incorrigibili: *Dic Eccleſiæ, & , ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & publicanus.* At, ne quis Eccleſiam, ſiue congregationem Prælatorum, contemnendam putaret, adiunxit continuò: *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo,* &c. Et, ne quis dubitaret de aſſiſtentiâ Dei, quando Epiſc. congregati aliquem damnant, vel abſoluunt, ſubiungit: *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio illorũ ſum.* Quorum verborum hæc eſt ſententia: Si duo, vel tres congregati in nomine meo, obtinent ſemper, quod petunt à Deo, nimirum ſapientiam, & lumen, quod ſufficit eis ad cognoſcenda ea, quæ ipſis neceſſaria ſunt, quantò magis Epiſc. omnes congregati in nomine meo ſemper obtinebunt, quod iuſtè petunt, id eſt, ſapientiam, & lumen ad iudicanda ea, quæ ad totam Eccleſiam dirigendam pertinent? Itaque ſiue pauci, ſiue multi, ſiue priuati, ſiue Epiſc. congregentur in nomine Chriſti omnes habent Chriſtum præſentem, & adiuuantem, & obtinent, quod eis conuenit obtinere. Sed in congregatione paucorum, & priuatorum adeſt Chriſtus, vt eos adiuuet in rebus paruis, & priuatis, in congregatione autem Epiſcoporum adeſt, vt eos adiuuet in rebus magnis, & publicis. *Matth. 18.*

Alter locus eſt: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Et, ne putemus hoc dici ſolis Apoſtolis, & non etiam ſucceſſoribus, alibi teſtatur Dominus apertè, Spiritum ſanctum manſurum cum Apoſtolis in æternum, id eſt, cum eis, & cum ſucceſſoribus perpetuò. At Epiſcopos ſeorſim exiſtentes non, docet Spiritus ſanctus omnem veritatem: ergò ſaltem Epiſcopos omnes in vnũ congregatos docebit omnem veritatem. Et ſanè, cùm nõ ſit in Eccleſiâ maior aliqua cathedra, per quam Deus nos doceat, quàm ſummi Pontificis adiuncto *Ioan. 16. Ioan. 17.*

con-

conſenſu generalis Concilii, ſi hęc etiam cathedra falli poteſt, cum vniuerſam Eccleſiam docet, neſcio, quomodò vera ſit illa promiſsio: *Docebit vos omnem veritatem.*

Act. 15. Tertius locus eſt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Si autem illud Concilium, ex quo formam acceperunt omnia alia Concilia, aſſerit, decreta ſua eſſe decreta Spiritus ſancti, certè idem aſserere poſſunt cętera legittima Concilia, quę vniuerſę Eccleſię regulas credendi, & operandi pręſcribunt. Illi enim Concilio adfuit Spiritus ſanctus, quia id neceſſe erat pro Eccleſiæ conſeruatione; at non minùs alijs temporibus nouis hæreſibus exorientibus id neceſſarium fuit, atque etiam erit.

2. Claſsis. Secunda claſsis teſtimoniorum continet omnia illa loca, quibus prob. Eccleſiam non poſſe errare, neque in credendo, neque in docendo: qualia ſunt
Matt. 16. illa: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ad-*
Matt. vlt. *uerſus eam.* Et: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Et: *Eccleſia Dei viui*
1. Tim. 3. *eſt columna, & firmamentum veritatis*: & ſimilia. Ex his enim locis manifeſtè colligitur, Concilia generalia probata non poſſe errare; idque duobus modis.

Primò, quia tota auctoritas Eccleſiæ formaliter non eſt, niſi in prælatis; ſicut viſus totius corporis formaliter eſt tantùm in capite: ergò idem eſt, Eccleſiam non poſſe errare in definiendis rebus fidei, & Epiſc. non poſſe errare: atqui ſinguli ſeorſum errare poſſunt; igitur congregati in vnum errare non poterunt.

Secundò; Concilium generale repræſentat Eccleſiam vniuerſam, & proinde conſenſum habet Eccleſiæ vniuerſalis; quare, ſi Eccleſia non poteſt errare, neque Concilium OEcumenicum legittimum, & approbatum poteſt errare. Porrò Concilio generali vniuerſam Eccleſiam repręſentari facile demonſtrari poteſt: Nam inprimis apertè vocatur in libris Reg. tota Eccleſia Iſraël
3. Reg. 8. cœtus principum, qui cum Salomone conuenerant: nam nec fieri poterat, vt omnis Iſraël, qui ſuperabat numerum mille millium hominum, eſſet in eo Templo ſimul; & initio capitis legimus, conueniſſe ad Regem ſacerdotes, & capita ſingularum tribuum.

Deinde, ſi in quolibet regno, ſiue rep. id, quod Senatus, ſiue comitia ſtatuunt, totius regni, vel reip. dicitur; cur non idem dicatur de Eccleſiaſticis decretis, quę fiunt conſenſu omnium Epiſcoporum?

3. Claſsis. Tertia claſsis teſtimoniorum continet omnia illa loca, quę probant, Rom.
Luc 22. Pontificem non poſſe errare in fide: quale eſt illud: *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Et ſi quę ſunt alia alibi explicata. Ex his enim colligitur euidenter, Concilium à Papa confirmatum errare non poſſe. Et ſi enim ſint aliqui Catholici, qui exiſtimant, Pontif. errare poſſe, illi tamen dicunt, tunc ſolùm poſſe errare, quando non adhibet omnem diligentiam: at cùm generale Concilium conuocatur, ſine dubio adhibet omnem diligentiam in re illa inueſtiganda. Quid enim amplius facere poteſt? ergò ſaltem tunc omnium conſenſu non errabit.

4. Claſsis. Quarta claſsis teſtimoniorum continet illa loca, quę docent Epiſc. habendos eſſe, vt Paſtores; audiendos, vt Magiſtros; ſequendos, vt Duces: qualia

lia ſunt: *Qui vos audit, me audit.* Et: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Lucæ 10.

Item illa, vbi dicuntur paſtores: cùm enim illi iubentur paſcere, nos iubemur eos ſequi ad paſcua, præſertim cùm ad eum finem dicantur ab Apoſtolo conſtituti in Eccleſia Paſtores, vt non circumferamur omni vento doctrinæ. Hebr. 13. Act. 20. Epheſ. 4.

Item, illa, quibus vocantur Doctores: vt; *Docete omnes Gentes.* Siquidem quo præcepto illi iubentur docere, eodem nos iubemur audire. Matt. vlt. 1. Tim. 3. Tit. 1.

Item, illa, vbi dicuntur ſpeculatores: *Speculatorem domui Iſraël dedi te*: quem locum de Epiſc. exponunt Hieron. & Gregor. in Ezech. Et profectò, ſi iubentur Epiſc. tanquam ſpeculatores, & oculi, nobis viam oſtendere, & nos iubemur per eam viam incedere, quam illi nobis oſtenderint. Ezech. 33.

Denique, illa, vbi Epiſc. dicuntur patres, & cęteri dicuntur filij. Ex quibus omnibus locis ita poſſumus ratiocinari: Si nos iubemur à Deo audire, & ſequi Epiſc. vt Prępoſitos, Paſtores, Doctores, Speculatores, Patres, certè vel illi nos fallere non poterunt, vel nos poterimus culpam in Deum reijcere. At ſine dubio ſinguli Epiſc. errare poſſunt, & aliquando errant, & inter ſe quandoque diſſentiunt, vt neſciamus quiſnam eorum ſequendus ſit; ergò ſaltem omnes ſimul præſertim in nomine Domini congregati, quando vno ore nos docent, errare non poſſunt. Gal. 4. 1. Ioan. 2.

Accedat ſecundo teſtimonium, & traditio veterum Patrum. Eccleſia & Patres multa de Concilijs paſsim ſcribunt: vnde conſtat, eos ſenſiſſe Concilia generalia errare non poſſe. Prob. 2.

Affirmant primùm, Concilij generalis ſententiam eſſe in cauſſa fidei vltimum iudicium Eccleſiæ, à quo appellari non poſsit, quodque nullo modo irritari, vel retractari queat. Hinc enim apertiſsimè ſequitur, eiuſmodi Concilia non errare: nam alioqui iniquiſsimum eſſet, cogere Chriſtianos, vt non appellent ab eo iudicio, quod erroneum eſse potuit.

Secundò, docent Patres, & Concilia, eſse hæreticos, & excommunicandos omnes, qui non acquieſcunt Concilijs plenarijs. Ex quo manifeſtè ſequitur, eos putaſſe, Concilia non poſſe errare; atque omnia Concilia generalia dicunt anathema contradicentibus.

Tertiò, Patres docent, eſſe diuina, & à Spiritu ſancto edita decreta legittimorum generalium Conciliorum; ex quo ſequitur, quòd non poſsint eſse obnoxia errori.

Quartò, docent, potiùs eſse moriendum, quàm recedendum à decretis generalium Conciliorum. Accedat poſtremò etiam naturalis ratio. Primum, Si Concilia generalia poſsent errare, nullum eſset in Eccleſia firmum iudiciũ, quo controuerſiæ componi, & vnitas in Eccleſia ſeruari poſset. Nihil enim eſt maius generali Concilio legittimo, & approbato. Prob. 3.

Secundò; Si non eſſet infallibile iudicium eiuſmodi Conciliorum, poſſent meritò reuocari in dubium omnes damnatæ hæreſes. Diceret enim Arrius erraſſe Nicænum Concilium, Macedonius Conſtantinopolitanum, Neſtorius Epheſinum, Eutychius Chalcedonenſe.

Tertiò, Nulla eſſet certitudo de multis ſacræ Script. libris: nam de epiſtola ad Hebræos, 2. Pet. 2. & 3. Ioan. Iacobi, & Iudæ, & de Apocal. quos libros etiã

Caluiniſtæ recipiunt, tamdiu eſt dubitatũ, donec à Concilio res declarata eſt.

Quartò; Si omnia Concilia poſſent errare, illud certè ſequitur, vt omnia intolerabilem errorem admiſerint, ac proinde nullo honore digna ſint: nam error intolerabilis eſt, proponere aliquid credendum, tamquam articulum fidei, de quo non conſtat, an ſit verum, vel falſum: at Concilia præcipua, vt Nicęnum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe ediderunt, noua ſymbola fidei, aut certè nouas ſententias, quas voluerunt haberi, tanquam articulos fidei. Quis autem dicere audebit, illa Concilia quatuor intolerabilem errorem continere, nulloque honore digna eſſe, cùm ea videamus etiam ab aduerſarijs cum honore ſuſcipi, & non raro in teſtimonium veræ doctrinæ adduci?

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Concilia particularia à ſummo Pont. confirmata, in fide, & moribus errare non poſſunt.* Hæc propoſitio non eſt æquè recepta, ac prior. Illam enim nemo Catholicorum negat; hanc verò non deſunt, qui negent. Itaque eâ ſolùm de cauſſa affirmamus, hanc propoſitionem fide Catholicâ non eſſe tenendam, quòd auctores, qui contrarium ſentiunt, nondum videamus ab Eccleſia damnatos pro hæreticis. Conſtat enim ex Euſebio, Cornelium Papam cùm nationali Concilio omnium Epiſc. Italiæ ſtatuiſſe, non debere hæreticos rebaptizari, & eandem ſententiam etiam poſteà approbaſſe Stephanum Papam, & iuſsiſſe, vt hæretici non rebaptizarentur: & ſimul conſtat ex eodem Euſebio, Cyprianum contrarium ſenſiſſe, & mordicùs defendiſſe; id quod etiam ipſe fatetur, & arguit Stephanum Papam erroris; & tamen Cyprianus ſemper habitus eſt in numero Catholicorum.

Li. 7. hiſt. c. 2. 3 & 4.

Epiſt. ad Pomp.

Sed quidquid de hoc ſit, certè temerarium, erroneum, & proximum hęreſi eſt, exiſtimare Concilia particularia à Pont. confirmata poſſe errare.

Prob. 1. Prob. primùm argumentis illis, quibus ſuprà demonſtrauimus, ſummum Pont. in iudicandis ijs rebus, quæ ad fidem, vel bonos mores pertinent, non poſſe errare. Si enim ſummus Pont. errare non poteſt, certè nec Concilium, quamuis exiguum, ab illo comprobatum.

Prob. 2. Secundò prob. ex eo, quòd, ſi eiuſmodi Concilia errare poſſent, plurimæ hæreſes, quæ damnatæ ſunt à ſolis Concilijs particularibus, iterum reuocari poſſent in dubium; vt Pelagianorum, Priſcillianiſtarum, Iouiniani, & aliorum.

Prob. 3. & 4. Tertiò; hactenus non eſt inuentũm aliquod Concilium eiuſmodi, quod errauerit.

Act. 3.
Act. vlt can. 1

Quartò; In VII. Synodo, & VIII. dicunt Patres ſe venerari, & recipere etiam localium Conciliorum decreta, immò in eâdem ſeptima Synodo vocantur eiuſmodi decreta diuinitus inſpirata.

Quæſt. 2. Altera quæſtio de auctoritate abſoluta Cõciliorum eſt: *Num Concilia à Summo Pont. non confirmata, certam fidem faciant?*

Reſp. de Prouincialibus. De Prouincialibus primùm duo ex communi ſententia aſſerimus, poſſe eiuſmodi Concilia abſolutè errare, tamen magnæ eſſe auctoritatis, ita vt temerarium ſit, eis non acquieſcere. Quòd poſsint errare, teſtis eſt Carthaginenſe Concilium ſub Cypriano, quod fuit nationale celeberrimum, legitimum, Epiſcoporum LXXXV. quorum plerique Martyres, aut Confeſſores

Prob. prior pars.

eran-

erant, & tamen errauit.

Secundò, teſtis eſt quinta Synodus Romana,ſub Symmacho,vbi legimus, Concilia prouincialia, quia pręſentiam Papæ non habent, valitudinem perdidiſſe.

Tertiò, Proſper in Chronico dicit, hæreſin Pelagianam à Concilio Africano C C. X V I I. Epiſc. damnatam,non priùs ab Eccleſia totius orbis damnatam,quam Zozimus Papa decreta Concilij illius probaſset. *Anni CCCC. XX.*

Quartò, Cur Concilia generalia errare non poſsint, duplex eſt cauſſa pręcipua. Prima, quia Concilium generale totam Eccleſiam repręſentat, & ideò ipſo errante, tota Eccleſia erraret. Secunda, quia Concilium generale non fit ſine ſummo Pont. pro quo Chriſtus orauit vt non deficeret fides eius. At nulla harum cauſſarum locum habet in Concilio, particulari.

Quòd autem Concilium particulare non expreſsè confirmatum, faciat argumentum adeò probabile, vt temerarium ſit, ei non acquieſcere, planum eſt. *Prob. poſterior.*

Primò, quia in V I I. Synodo, & in V I I I. Synodo honorantur Synodi locales, & ſuſcipiuntur, nec fit mentio ibi confirmatorum, vel non. *Act. 3. Act. ult. can. 1.*

Secundò, quia plurima horum Conciliorum, vt Toletana, Bracharenſia, Arelatenſia, Hiſpalenſia, &c. Videntur ipſo vſu Eccleſiæ quodammodò probata.

Tertiò, quia, ſi aliquot ſancti Patres caſu in eandem ſententiam conueniẽtes, faciunt argumentũ probabile, quantò magis L. aut L X. Epiſcopi ſimul conuenientes, & inuocato Spiritu S. aliquid communi conſenſu ſtatuentes?

Iam verò de Concilijs generalibus variæ ſunt opiniones. Notanda duo.

Primo Legatos aliquando mitti ad Cõcilium cum inſtructione ſedis Apoſtolicæ: ſicut legimus factum in Concilio I V. V I. V I I. Aliquando ſine inſtructione; vt factum eſt in Concilio Trident. Cuius ratio eſt, quia in illis primis Cõcilijs vna tantùm quæſtio tractabatur, & ideò facilè poterat Pont. explicare Legatis, quæ eſſet ſententia ſua de illa quæſtione: at in Cõcilio Trident. tot quæſtiones, & tam variæ tractandæ erant, vt non poſſet commodè eiuſmodi inſtructio haberi. *Reſp. de generalibus.*

Secundò nota, poſſe quatuor modis contingere, vt fiat generalis Concilij definitio.

Primò, vt Patres conſentiant, & definiant, diſſentientibus Legatis Apoſtolicæ ſedis.

Secundò, vt definiant conſentientibus Legatis, ſed contra inſtructionem Pont. agentibus. *Definitio Concilij 4. modis fit.*

Tertiò, conſentientibus omnibus, etiam Legatis, ſed qui non habuerunt certam inſtructionem.

Quartò, conſentientibus omnibus cum Legatis habentibus, & ſequentibus Papæ inſtructionem.

De primo, & ſecundo modo nulla eſt difficultas. Conſtat enim, talia Concilia errare poſſe. Nam imprimis de facto errauit Concilium Epheſinum II. quod repugnantibus Legatis Papæ Leonis definire voluit. Item Concilium Conſtantinopolit. tempore Nicolai I. errauit, cum Legati *De 1. & 2. prob.*

Nicolai contra inſtructionem Papæ egerint.

Secundò; Eiuſmodi Concilia non ſolum non confirmata, ſed etiam reprobata dici debent; idem enim eſt, ſiue Pontif. expreſsè Concilium reprobet, ſiue Concilium agat contra Pont. ſententiam. Conſtat autem, Concilia reprobata à Pont. nullam habere auctoritatem.

Tertiò; Non poſſunt dici legittima Concilia, quæ pugnant cum ſuo capite: & ſimiliter, quando conſentiunt Legatis agentibus contra informationem; quia tunc Legati non agunt vt Legati, cùm non agant nomine Pontif.

Prob. de 3. De tertio modo res eſt ſub opinione. Ego tamen exiſtimo, tale Concilium poſſe errare, neque eſſe infallibile eius iudicium ante Pontificis confirmationem.

Primò, quia ſententia eius Concilij non eſt vltimum iudicium Eccleſiæ, & tamen, ſi non poſſet errare, eſset vltimum, & irretractabile iudicium. Non eſſe autem vltimum iudicium, horum Conciliorum, planum eſt. Nam eiuſmodi Concilia ad Pont. mittuntur, & Pontif. concilium approbare poteſt, vel reprobare: vt patet ex praxi Conciliorum petentium confirmationem; ac nominatim ex Bulla Pij IV. in qua confirmat Conciliū Trident.

Secundò; Firmitas Concilij naſcitur ex conſenſione, & coniunctione corporis cum capite; at caput nondum aperuit ſuam ſententiam: & ſi enim Legati præſint nomine Pontif. tamen non ſunt reuerà Pontif. nec ſciunt, quæ ſit mens Pontif. nec habent illud priuilegium non errandi, quod Pontif. habet.

Suff. 2. Tertiò; Concilium Baſileenſe vnà cum Legato Pontif. communi conſenſu ſtatuit, Concilium eſſe ſupra Papam, quod certè nunc iudicatur erroneum.

Quartò, Poteſt errare Concilium; quod aliquid definit contra inſtructionem Pontif. vt de facto errauit Concilium Conſtantinop. conſentientibus etiam errori Legatis Nicolai I. Ergò poteſt etiam errare, quando nulla habetur inſtructio: nam non tenentur Epiſc. in Concilio ſequi illam inſtructionem, alioqui non eſſent iudices, neque libera eſſent ſuffragia.

Prob. de 4. De quarto modo vix dubium eſſe poteſt: videtur enim eſse certum, tale Concilium non poſse errare.

Primùm enim, in tali Concilio inuenitur expreſſus conſenſus capitis, & membrorum, ac proinde totius Eccleſiæ, quæ ſine dubio errare non poteſt. Nec obeſt, quòd inſtructio illa à Pontif. data non videatur definitiua ſententia Apoſtolicæ ſedis: nam quando Concilium conſentit cum Pontif. ſententia, formaturque decretum à Legatis nomine Pontif. tunc incipit eſse ſententia definitiua, & vltima, non ſolùm Concilij, ſed etiam Pont. neque poteſt Pontif. eam retractare: nam certò intelligit ſententiam ſuam fuiſse à Deo, quando à Concilio approbatur.

Quod vt meliùs intelligatur, ſciendum eſt, Pontif. mittere ſolere Legatos inſtructos de ſententia Apoſtolicæ ſedis cum ea conditione, vt, ſi

Con-

Concilium conſentiat Apoſtolicæ ſedis iudicio, formetur decretum; ſin minùs, differatur decreti formatio, donec Pontif. Rom. conſultus reſpondeat. Id patet ex Concilio Chalcedonenſi; nam, cùm Concilium conſenſiſſet iudicio Pontif. circa depoſitionem Dioſcori, mox Legati formauerunt decretum. *Act. 3.*

Deinde, cùm Concilium aliquid ſtatuere vellet contra inſtructionem Pontif. Legati dixerunt debere prius id ſignificari Apoſtolicæ ſedi. Quando ergò Concilium definit aliquid, ſequens expreſſam ſententiam Pontif. idem eſt, ac ſi confirmatum eſſet. *Act. 16.*

Accedit ad hæc, quod Concilium Chalcedonenſe, dum petit confirmationem decretorum, apertè dicit, ſe ſcribere Pontif. & petere confirmationem, quia præter decretum de fide contra Dioſcorum, alia etiam quædam ſtatuerunt ſine expreſſa Pont. ſententia. Itaque ſolum petunt confirmationem eorum, quæ definierant præter Pont. ſententiam. *In epiſtola ad Leon. Act. 3.*

Ipſe etiam Leo in epiſtola, qua illud confirmat, indicat, non fuiſse opus ſua confirmatione, niſi quia dubitabant aliqui, an reuerà cum eius conſenſu factum fuiſset decretum Concilij: qua etiam ratione confirmauit Pontif. multa alia ſimilia Concilia, non quia errare potuerant, ſed vt omnibus certius conſtaret, quæ Legati egerant, verè ex mandato expreſso Pontif. egiſse. *Epiſt. 16. ad Concil. Chalced.*

Denique, In eiuſmodi Concilijs, non expectata alia confirmatione, Pontif. mox fit executio, id eſt, damnantur, qui contrarium ſentiunt, vt manifeſti hæretici, & deponuntur ab Epiſcopatu, vel ſacerdotio. Ita in Nicæno Concilio damnati ſunt, & in exilium acti ſex Epiſc. vnà cum Ario. In Epheſino damnatus, & depoſitus eſt Neſtorius. In Chalcedonenſi depoſitus eſt Dioſcorus: & decem Ægyptij Epiſc. iudicantur hæretici, quia nolebant acquieſcere decreto prolato. *Act. 3. Act. 4. Act. 3. Act. 1. & 12.*

In Concilio VI. damnatur, & deponitur, & in exilium eijcitur Macharius, Patriarcha Antiochenus, cum aliquot ſuis diſcipulis: damnatur etiam, & deponitur Polychronius Presbyter. At, ſi Concilia iſta ante confirmationem Pont. errare potuiſsent, non fuiſsent illi manifeſti hæretici, qui ante confirmationem reſiſtebant. *Act. 15.*

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De auctoritate Conciliorum comparata ad alia fidei principia.

Comparatur Script. cum Concilijs

NVNC comparanda eſt auctoritas Conciliorum ad verbum Dei ſcriptum (nam de traditionibus eadem eſt ratio) & ad Pontificem. Porrò Catholici Script. ſacram anteponunt Concilijs: neque de hac re vlla controuerſia eſt. Quod ſi interdũ Catholici aliqui dicant Script. pendere ab Eccleſia, ſiue à Concilio, non intelligunt, quoad auctoritatem, & ſecundum ſe; ſed quoad explicationem, & quoad nos.

Obſeruandum eſt igitur multiplex eſſe diſcrimen inter Script. ſacram, & Conciliorum decreta; ex quibus intelligitur Script. præponi Concilijs.

1. Diſcrimen inter Script. & Concilia.

Primum eſt, quòd Script. eſt verbum Dei immediatè reuelatum, & ſcriptum, quodammodo Deo dictante, iuxta illud: *Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines.* Et: *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata.* Quod tamen nõ ſic intelligendum eſt, quaſi ſemper Scriptores ſacri nouas reuelationes habuerint, & ſcripſerint ea, quæ anteà ignorabant: conſtat enim, Euangeliſtas, Matthæum, & Ioannem, ſcripſiſſe ea quæ viderunt; Marcum, & Lucam ea, quæ audierunt, vt Lucas ipſe fatetur: *Sicut tradiderunt*, inquit, *nobis qui ab initio ipſi viderunt.* Dicuntur igitur Scriptores ſacri habuiſſe immediatam reuelationem, & ſcripſiſſe ipſius Dei verba, quia vel noua quædam, & anteà incognita eis reuelabantur à Deo, iuxta illud: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Vel Deus immediatè inſpirabat, & mouebat ſcriptores ad ſcribenda ea, quæ viderant, vel audierant, & eos dirigebat, ne aliquo modo errarent. Vt enim verè dicitur epiſtola principis, quæ à principe dictatur, etiamſi is, qui eam ſcripſit, anteà ſciebat, quæ ſcripturus erat, ita dicitur, & eſt immediatum Dei verbum, quod ſcriptum eſt ab Euangeliſtis, Deo inſpirãte, & dirigente, licet ſcripſerint ea, quæ viderant, vel audierant. At Concilia non habent, neque ſcribunt immediatas Dei reuelationes, aut verba Dei, ſed tantùm declarant, quodnam ſit verbum Dei ſcriptum, vel traditum, & quomodò intelligi debeat; præterea ex eo per ratiocinationem deducunt cõcluſiones. Itaque Concilia, cùm definiunt, qui ſint libri canonici, & diuini, non faciunt eos eſſe infallibilis veritatis, ſed declarant ſolùm eſſe tales. Sic etiam Concilium Trident. cùm definit verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, intelligi propriè, non figuratè, non edit, ſed declarat verbum Dei. Et cùm Nicænum Concilium definiuit, Chriſtum eſſe homouſion Patri, deduxit concluſionem ex Script. in quibus disertè continetur, vnum eſſe Deum, & Patrem eſſe Deum, ac Filium eſſe Deum; ex quibus ſequitur neceſſariò, Patrem, & Filium eiuſdem eſſe ſubſtantiæ, & diuinitatis. Et ſimiliter Concilium VI. cùm

2. Pet. 1. 2. Tim. 3. Initio Euangelij. Pſal. 50. Seſſ. 13. c. 1.

cùm definiuit, in Chriſto duas eſſe voluntates, diuinam, & humanam, deduxit concluſionem ex Script. in quà habetur., Chriſtum eſſe perfectum Deum, & perfectum hominem.

Alterum diſcrimen ex hoc primo oritur, quòd ſcriptores ſacri non debuerint multùm laborare in ſuis libris edendis; ſatis enim erat, ſi laborarent ſcribendo, vel dictando, ſi edebant vaticinia; vel ad ſummum reuocando ad memoriã, quæ viderant, vel audierant, & cogitarent verba, quibus ea ſcriberẽt, ſi ſcribebãt hiſtorias, vel epiſtolas, vel aliquid ſimile. At Patres in Cõcilijs debẽt rem ipſam quærere, id eſt, concluſiones inueſtigare diſputando, legendo, cogitando. Vnde legimus, in primo Concilio magnã conquiſitionem fuiſſe factam. Idem de Nicæno teſtatur Ruffinus. Quocirca dicunt Patres Concilij primi: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis*, id eſt, Spiritu ſancto noſtrum induſtriã & diligentiam adiuuante. At ſcriptores ſacri ſoli Deo tribuunt ea, quæ ſcribunt; ac propterea tam ſæpe repetebant Prophetæ illud: *Dicit Dominus*.

2. Diſcrimẽ. — *Act. 15.* — *Li. 10. c. 5. hiſtor.* — *Act. 15.*

Tertium eſt, quòd in Script. nullus poteſt eſſe error, ſiue agatur de fide, ſiue de moribus, & ſiue affirmetur aliquid generale, & toti Eccleſiæ commune, ſiue aliquid particulare, & ad vnum tantum hominem pertinens: tam enim eſt certum, & de fide, ſine gratia Spiritus ſancti neminem ſaluari, quàm Petrum, Paulum, Stephanum & quoſdam alios verè Spiritum ſanctum habuiſſe, & ſaluos eſſe: vtrumque enim eadem Script. veriſſimè teſtatur. At Concilia in judicijs particularibus errare poſſunt.

3. Diſcrimẽ.

Quartum eſt, quòd in Script. non ſolùm ſententiæ, ſed etiam verba omnia, & ſingula ad fidem pertinent: credimus enim nullum eſſe verbum in Script. fruſtra, aut non rectè poſitum. At in Concilijs maxima pars actorum ad fidẽ non pertinet. Non enim ſunt de fide diſputationes, quæ præmittuntur, neque rationes, quæ adducuntur, neque ea, quæ ad explicandum, & illuſtrandum adferuntur; ſed tantùm ipſa nuda decreta, & ea non omnia, ſed tantùm, quæ proponuntur tanquam de fide. Interdum enim Concilia aliquid definiunt, non vt certum, ſed vt probabile; vt Concilium Viennenſe, quod decreuit, tenendum, vt probabilius, infantibus in Baptiſmo infundi gratiam, & virtutes. Quando autem decretum proponatur tanquam de fide, facilè cognoſcitur ex verbis Concilij: ſemper enim dicere ſolent ſe explicare fidem Catholicam; vel hæreticos habendos, qui contrarium ſentiunt; vel, quod eſt communiſſimum, dicunt anathema, & ab Eccleſia excludunt eos, qui contrarium ſentiunt. Quando autem nihil horum dicunt, non eſt certum, rem eſſe de fide.

4. Diſcrimẽ.

Denique; In ipſis decretis de fide non verba, ſed ſenſus tantùm ad fidem pertinent: non enim eſt hæreticum dicere, in canonibus Conciliorum aliquod verbum eſſe ſuperuacaneum, aut non rectè poſitum; niſi fortè de ipſo verbo ſit decretum formatum; vt in Concilio Nicæno decreuerunt recipiendam vocem ὁμοούσιον, & in Epheſino vocem θεοτόκον.

5. Diſcrimẽ.

Quintum eſt, quòd Script. non eget approbatione Pont. vt ſit authentica; ſed tantùm, vt innoteſcat eius auctoritas: at Concilia generalia, & legitima, non ſunt rata, niſi à Pont. confirmentur.

Comparatio Conciliorum cum Papa.

Iam verò de comparatione Conciliorum cum Pontif. quæſtio exorta eſt

Quæſtio.

tempore

tempore Concilij Piſani: quia, cùm duo Pont. qui ſimul ſedebant in ſciſmate, Gregor. XII. & Benedictus XIII. non videbantur ſeriò cogitare de tollendo ſciſmate per ſpontaneam abdicationem, quemadmodum ante Pontificatum vterque vouerat, & iurauerat, Cardinales vtriuſque partis ſeceſſerunt Piſam, & tractare cæperunt, an ſibi liceret inuitis Pontif. illis Concilium generale conuocare, & eos Pont. deponere?

Deinde, cùm paulò pòſt fieret Concilium Conſtantienſe, & Ioannes XXIII. qui ſolus ad Concilium acceſſerat, à Concilio clam diſceſsiſſet, atque ita Concilium ſine capite remanſiſſet, tractare Patres cæperunt, An Concilium poſſet inuitum Pont. iudicare, & deponere?

Sed maximè controuerſia creuit tempore Concilij Baſileenſis, quia enim Eugenius Papa IV. Concilium Baſileenſe inchoatum diſſoluere volebat, & impedire, ne vlterius progrederetur, cæperunt Patres quærere, an tenerentur obedire Pont. an Pontif. potius teneretur obedire ipſis, id eſt, generali Concilio? & quoniam paulò ante viderant duos Pont. Ioannem XXIII. & Benedictum XIII. depoſitos fuiſse per Concilium Conſtantienſe, & ſic impoſitum finem maximo ſciſmati, cæperunt metuere, ne, ſi Pontif. non teneatur obedire Concilio, iterum ſciſma renouaretur, & ſine vllo remedio Eccleſia remaneret.

Itaque hâc occaſione tunc plurimi in eam ſententiam iuerunt, vt Conciliũ eſſet ſupra Pont. Sed, dum voluerunt ſciſmatibus viam præcludere, ipſi nouũ ſciſma fecerunt creato Pſeudopapâ Felice V. qui poſteà cognito errore abdicauit ſe Pontificatu. Et quamuis poſteà in Concilio Florentino, & Lateranenſi vltimo videatur quæſtio definita, tamen, quia Florentinum Concilium non ita expreſſè hoc definiuit, & de Concilio Lateranenſi, quod expreſsimè rem definiuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè generale, ideò vſque ad hanc diem quæſtio ſupereſt, etiam inter Catholicos.

Nota. Obſeruandum autem duobus modis poſſe comparari Papam cum Concilio. Vno modo, vt ſumatur ab vnâ parte ſolus Papa verus, & indubitatus; ab alterâ Concilium generale, cui præſit Papa per ſe, vel per Legatos, ita vt nihil definiatur ſine conſenſu ipſius: Altero modo, vt ſumatur ab vnâ parte ſolus Papâ; ab alterâ Concilium generale, cui Papa nec per ſe, nec per ſuos Legatos præſit. Intelligo autem non præſidere per ſuos Legatos, etiam quãdo Legatus quidem ab eo miſſus præeſt Concilio, ſed agit contra ipſius Pont. voluntatem: tunc enim non eſt verè eius Legatus, licet pro tali ſe gerat.

Quęſtio pręſens, licet nonnullis videatur verſari circa priorem comparationem, quippe qui exiſtimant, Concilium ſine Papâ non eſſe verum Concilium, & proinde ſine dubio, Papam eſſe maiorem tali Concilio; tamen reuerà quæſtio pręcipua eſt de poſteriore comparatione. Quod patet primò, quia iſta quęſtio introducta eſt propter Pont. depoſitionem, id eſt, ad inquirendum: an Papa etiam inuitis à Concilio iudicari, & damnari, & deponi poſſet? Ad hanc autem finem ſuperuacanea eſt illa quæſtio: An Concilium cum Papa ſit maius ſolo Papa? Nam ſiue ſit maius, ſiue minus, nunquam iudicabit, neque damnabit, neque deponet inuitum Papam. Quomodò enim hoc illud Concilium faceret, quod nihil agit ſine conſenſu Papæ? Nam Papa ſeipſe inui-

inuitum volet iudicari, & damnari?

Secundò, idem patet ex Concilio Baſileenſi: Nam Baſileenſes Patres, qui definierunt, Concilium eſſe ſupra Papam, ſuum Concilium Baſileenſe aſſerebant eſſe ſupra Eugenium Papam eo tempore, quo in Concilio neque Papa, neque eius Legatus aderat: quin etiam Papam omnibus modis repugnantem deponere aggreſsi ſunt.

Hæc eſt ergò præcipua quæſtio, & ſola tractanda, nam ex huius explicatione patebit etiam quid dicendum ſit de priori. Qui enim docent, Papam eſſe ſupra Concilium ſine ipſo celebratum, iidem docent, parem eſſe auctoritatem in ſolo Papa, & in Concilio cum Papa intenſiuè, licet extenſiuè ſit maior in Concilio: & proinde non poſſe à tali Concilio Papam iudicari, vel damnari, nec eiuſmodi Concilij decretis eum obligari coactiuè, ſed tantùm, directiuè, & poſse in eis diſpenſare, exceptis decretis de fide, quę immutabilia ſunt. Ratio horum eſt, quia par in parem non habet poteſtatem.

Qui verò docent, Concilium ſine Papa eſſe ſupra Papam, docent etiam conſequenter, Concilium cum Papa eſse ſupra Papam, & obligare Papam; tametſi illi iidem fatentur, poſſe Papam tanquam miniſtrum Eccleſiæ diſpenſare in præceptis Concilij generalis, ſed, ſi malè diſpenſauerit, poſſe corrigi, & puniri poſteà à Concilio generali.

Hâc igitur primâ comparatione omiſſa, ſola ſecunda tractanda eſt: de quâ diuerſæ ſunt opiniones: ſed communis ferè ſententia eſt, quod Papa adeo ſit ſupra Concilium, vt non poſsit etiam ſe ſubijcere eius ſententiæ, ſi propriè de ſententia coactiua loquamur. *Reſp.*

Hæc ſententia videtur eſſe omnium Scholaſticorum veterum, & Canoniſtarum ferè omnium. Pro quâ ſit prima propoſitio:

Rom. Pontifex eſt paſtor, & caput non ſolum omnium Eccleſiarum particularium, ſed etiam totius vniuerſalis Eccleſiæ ſimul congregatæ, à Chriſto immediatè conſtitutus. *Propoſ. 1.*

Prob. primo ex Script. Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ à Chriſto poſitum, iuxta illud: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Proinde caput, & paſtor: nam quod in domo fundamentum eſt, in corpore eſt caput, & in grege paſtor. Vt enim fundamentum non pendet à domo, ſed domus à fundamento, ita etiam caput non pendet à corpore, ſed corpus à capite, & paſtor non pendet à grege, ſed grex à paſtore. *Prob. 1.* *Matth. 16.*

Quod autem per Eccleſiam eo loco intelligatur Eccleſia vniuerſalis, etiam congregata, vt eſt generale Concilium, prob. ex Matth. vbi de eâdem ſua Eccleſia Chriſtus dicit: *Si eos non audierit, dic Eccleſiæ.* Quo loco per Eccleſiam intelligunt aduerſarij generale Concilium. *Matth. 18.*

Præterea; Eccleſia congregata, ſiue Concilium, proprijſsimè eſt Eccleſia Chriſti: nam Eccleſia eſt congregatio fidelium: ergò, quò magis fideles ſunt congregati, & vniti, eò magis propriè ſunt Eccleſia: at ſtultum eſt, cũ aliquid de alio abſolutè pronunciatur, excipere id, quod proprijſsimè per illud ſignificatur. Ergo, cùm Chriſtus dicit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiã meam,* ſtultè excipitur Eccleſia vniuerſalis congregata, cùm ea proprijſsimè ſit Eccleſia.

Denique; Eccleſia Chriſti ſemper eſt congregata formaliter, quia eſt vnum regnum, & vna familia, vnus grex, licet diſperſa videatur quantum ad locũ:

 igitur,

igitur, ſi Pont. eſt Paſtor, & caput Eccleſiæ, non certè diſperſæ, quæ nulla eſt, ſed congregatæ Eccleſiæ eſt paſtor, & caput.

Idem habetur ex illo: *Paſce oues meas*. Nam etſi aduerſarij dicunt, Dominum dixiſſe, *Paſce oues meas*, non Eccleſiam meam, tamen Eccleſia in oratione de Eccleſia ſic explicat: *Deus omnium fidelium paſtor, & rector, qui famulum tuũ N. Eccleſiæ præeſſe voluiſti*.

Ioan. vlt.

Et prætereà vel Eccleſia congregata, ſiue Concilium generale, pertinet ad oues Chriſti, vel nõ; ſi pertinet, ergò Eccleſiæ congregatæ, & concilij generalis paſtor eſt Petrus; ſi non pertinet; ergò Chriſtiani per congregationem deſinunt eſſe oues Chriſti; quod eſt abſurdiſsimum.

Prob. 2. *Epiſt. ad Leon.* Secundò prob. ex Concilijs. Nam Conciliũ Chalcedonenſe diſertè fatetur, S. Leonem caput fuiſſe totius illius Cõcilij, quod fuit omnium maximum, & in quo tota Eccleſia cõgregata conſpiciebatur: *Quibus*, inquit, *tu quidem, vt caput, præeras*. Item Concilium Lugdunenſe vocat Pont. rectorem vniuerſalis Eccleſiæ: non igitur ſolùm particularium Eccleſiarum eſt rector.

C. vbi periculum de Elect. in 6.

Similiter in Concilio Florentino definitum eſt, Pont. eſſe totius Eccleſiæ caput, & accepiſſe à Domino pleniſsimam poteſtatem vniuerſalem Eccleſiam regendi. Concilium Conſtantienſe damnauit hæreſin Ioannis Huſſ. dicentis Papam non eſſe caput totius Eccleſiæ.

Prob. 3. Prob. tertiò rationibus. Primò, Papa eſt vnum caput: ergò vnius corporis caput: Et Eccleſiæ particulares ſeorſim ſumptæ, non ſunt vnum corpus, ergò Papa eſt caput Eccleſiæ vniuerſalis.

Secundò; Eccleſia vniuerſalis eſt vnum corpus viſibile: ergò habere debet vnum caput viſibile, alioqui videbitur monſtrum, at non eſt fingere aliud, quàm Papam: ergò Papa caput eſt totius Eccleſiæ ſimul.

Tertiò; Papa eſt immediatus vicarius Chriſti: ergò pręeſt ijs omnibus loco Chriſti, quibus Chriſtus ipſe inuiſibiliter pręeſt, & quibus etiam pręeſſet viſibiliter, ſi adeſſet: Chriſtus autem pręeſt, & pręeſſet viſibiliter, ſi adeſſet viſibiliter, non ſolùm Eccleſijs particularibus: ſed etiam toti Eccleſiæ vniuerſali, & generalibus Concilijs: igitur etiam Papa pręeſt Eccleſiæ vniuerſal.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Summa poteſtas Eccleſiaſtica non eſt in Eccleſia, vel Concilio, remoto Papâ, aut formaliter aut ſuppletiuè*. Et quidẽ nõ eſſe formaliter in Eccleſia, vel Concilio, ſummam poteſtatem, qualis eſt in Papa, ex Script. apertè colligitur. Nam ſecundùm Script. Eccleſia non eſt Democratia, vel Ariſtocratia ſed Monarchia, ſiue regnum Chriſti, iuxta illud: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*. Et: *Regni eius non erit finis*. Neque dixit Chriſtus, cùm interrogaretur: *Ergo Rex es tu?* Non ſum Rex; aut, regnum meũ non eſt in hoc mundo, ſed ait: *Regnum meum non eſt ex hoc mundo*; id eſt, Eſt quidem in hoc mundo, ſed tale non eſt, quale tu putas, quale eſt Herodis, & ſimilium Regum.

Prob. quòd nõ formaliter. *Pſal. 2.* *Luc. 1.* *Ioan. 18.*

Denique; Script. paſsim vocat Chriſtum regem, & Eccleſiam regnum eius; ex quo ſequitur, vt ab vno regi debeat, ſicut gubernantur omnia regna.

Quòd autem non ſit ſuppletiuè hæc auctoritas in Eccleſiâ, oſtenditur hâc ratione.

Non

Non habet Eccleſia hanc auctoritatem à ſeipſa, nec ab alio, ergò nullo modo habet. Quòd à ſeipſa non habet, manifeſtè probat diſcrimen, quod eſt inter regnum Chriſti, & cætera regna: non enim eſt Eccleſia tale regnum, qualia ſunt regna huius mundi, in quibus ſumma poteſtas eſt in Rege, ſed à populo profecta, & deriuata, & proinde radicaliter, & ſuppletiuè eadem poteſtas eſt in regno. Nam in Chriſti regno ſumma poteſtas eſt in Chriſto, & non deriuata vllo modo à populo. In regnis enim hominum poteſtas Regis eſt à populo, quia populus facit Regem, qui alioqui eſſet homo priuatus, ſicut cæteri; omnes enim homines naturaliter ſunt liberi, & æquales, nec poſſet vnus cæteris imperare, niſi illi ſe ſubijceret, & ſuper ſe poteſtatem illi concederent. At Chriſtus eſt Deus, & homo; & quatenus Deus, eſt naturaliter Dominus, & Rex omnium creaturarum: quatenus homo; habet à Deo omnem poteſtatem, nec ipſe ab Eccleſia factus eſt Rex, ſed ipſe potiùs fecit, Eccleſiam eſſe ſuum regnum. *Feciſti nos Deo noſtro regnum.* *Prob quod non ſuppletiuè.* *Apoc 5.*

Hinc eſt, quòd in Script. regnum Chriſti, quod eſt Eccleſia, ne putaretur tale, qualia ſunt cætera, comparatur etiam familiæ: *Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Et Apoſtolus: Moyſes erat fidelis in totâ domo Dei tanquam ſeruus; Chriſtus autem erat fidelis in totâ domo ſuâ tanquam Dominus. Conſtat enim patremfam. non habere à familiâ vllam auctoritatem, ſed ex ſe, quia ipſe non à familiâ conſtituitur pater, ſed ipſe facit ſibi familiam, gignendo filios, emendo ſeruos. Vnde paterfam. etiamſi peſſimus ſit, nunquam poteſt à familiâ iudicari, vel expelli; ſicut poteſt Rex, quando degenerat in tyrannum. *Matth 24.* *Hebr. 3.*

Comparatur etiam ouili. Item corpori, & ſponſæ; vt intelligamus, quòd, ſicut non accipit auctoritatem paſtor ab ouibus, nec caput à corpore, nec vir ab vxore; ita neque Chriſtus ab Eccleſiâ. *Ioan. 10.* *Epheſ. 4. & 5.*

Ex his habemus Eccleſiam ex ſe nullam habere auctoritatem; ſed omnem eſſe in Chriſto, & ijs, quibus Chriſtus eam communicauit. Quòd autem non habeat ab alio, nimirum à Chriſto, prob. Nam Chriſtus legitur quidem dediſſe Petro claues regni cælorum, & eundem præfeciſſe ouili ſuo: dedit etiã Apoſtolis cæteris poteſtatem prędicandi, baptizandi, peccata dimittendi, & alia quędam faciendi, quæ ad munus Epiſcopale ſpectant; ſed hanc poteſtatẽ Chriſtus ſingulis dedit, ita vt potuerit quiſque corũ illa omnia exercere ſine congregatione aliorum. At; quòd ipſi Eccleſiæ, id eſt, fidelium vniuerſitati in ſe, id eſt, ratione ſuæ totalitatis aliquid poteſtatis tribuerit, nuſquam legitur: immò è contrario legimus pręcipi populis, vt obediant, & ſubiaceant paſtoribus ſuis. Quòd ſi Eccleſiæ vniuerſitati non eſt data vlla auctoritas; ergò neque Concilio generali, quatenus Eccleſiam vniuerſalem repręſentat. Ergò in Concilio non eſt auctoritas, ſumma ſeu Papalis; ſed tantùm Epiſcopalis, ſeu Archiepiſcopalis, prout ſunt perſonæ, quæ ibi conueniunt. *Matt. 16.* *Ioan. vlt.* *Heb. 13. & alibi.*

Prob. ſecundò; Nam ſi Concilium generale ſine perſona Papæ haberet Papalem auctoritatem formaliter, vel ſuppletiuè, non indigeret confirmatione Papæ. Id autem eſt falſum: conſtat enim omnia Concilia Catholica confirmationem petijſſe. *Prob. 2. de vtroque.*

Tertiò; Concilium ſine Papa poteſt errare etiam in fidei decretis: vt patet *Prob. 3.*

in Concilio Sirmienſi, cui ſubſcripſit Hoſius: item Mediolanenſi, Arminienſi, Epheſino, ſecundo Conſtantinop. ſub Iuſtiniano II. Conſtantinop. ſub Leone Iſauro, & alio ſub Conſtantino Copronymo: At Cōcilium cum Papa non poteſt errare. Ergo non poteſt ſine Papa illa omnia, quæ poteſt cum Papa. Neque poteſt reſponderi, erraſſe illa Concilia, quòd nō fuerint legittima; nam pleriſque nihil defuit, niſi Pont. aſſenſus: immo Epheſinum II. fuit omnino ſimile Baſileenſi, vtrumque enim fuit indictum à Pont. in vtroque adfuit Legatus Pont. in initio; in vtroque receſsit paulo pòſt. Legatus Pont. in vtroque fuit Pont. excommunicatus: quæ omnia patent de Baſileenſi. Et nihilominus erraſſe Concilium Epheſinum, aduerſarij negare non poſſunt.

Quarto, Si in Eccleſia eſſet ſumma poteſtas principaliter, in Papa inſtrumentaliter, vt in miniſtro Eccleſiæ, vt ipſi dicunt, ſequeretur Papam non eſſe immediatum Chriſti vicarium, ſed mediatum: immediatè enim vicaria Chriſti eſſet Eccleſia; Papa autem eſſet immediatus Eccleſiæ vicarius, quod eſt expreſsè contra Cōcilium Conſtantienſe, vbi damnatur hęreſis VVicleſi dicentis, non eſſe Pont. immediatum Chriſti vicarium. *Seſſ. 8.*

Propoſ. 3. Propoſitio tertia: *Summus Pont. ſimpliciter, & abſolutè eſt ſupra Eccleſiam vniuerſam, & ſupra Concilium generale, ita vt nullum in terris ſupra ſe iudicium agnoſcat.* Hæc etiam eſt ferè de fide. Et prob. primo ex duabus pręcedentibus: nam, ſi Papa eſt caput Eccleſiæ vniuerſæ, etiā ſimul congregatæ, & Eccleſia vniuerſa, etiā ſimul congregata, non habeat vllam poteſtatem ratione ſuæ totalitatis, ſequitur, Papam ſupra Concilium eſſe, & ſupra Eccleſiam, non contra. *Prob 1.*

Prob. 2. Secundo prob. ratione in Script. fundata. Nam omnia nomina, quæ in Script. tribuuntur Chriſto, vnde conſtat eum eſſe ſupra Eccleſiam, eadē omnia tribuuntur Pont.

Pont. eſt paterfam. Ac primùm Chriſtus eſt paterfamilias in domo ſua, quæ eſt Eccleſia: Pont. in eadem eſt ſummus œconomus, id eſt, paterfamilias loco Chriſti. *Quis eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Hic enim per diſpenſatorem, ſiue œconomum, vt Gręcè habetur, intelligunt Epiſcopū Ambroſius, Hilarius, Hieronymus. Et quamuis Patres non loquantur expreſſe de Epiſcopo Rom. tamen ſine dubio illa eſt ſententia Script. vt Epiſcopi particulares ſunt ſummi œconomi in ſuis Eccleſijs; ita eſſe Epiſcopum Rom. in Eccleſia vniuerſa. *Luc. 12.* *In cap. 24. Matth.*

Quod autem œconomus ſummus ſit ſupra familiam, & ab ea iudicari, ac puniri non poſsit, patet ex hoc eodem loco. Dominus enim ait: *Quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Et ibidem: *Quòd ſi dixerit ſeruus ille in corde ſuo: moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere ſeruos, & ancillas, edere, & bibere, & inebriari, veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.* Vbi vides Dominū ſeruare ſuo iudicio ſeruum illum, & non committere iudicio familiæ.

Idem etiam docet vſus omnium familiarum: nulla enim familia eſt, in qua liceat famulis inferioribus, etiam ſimul cōgregatis, punire, vel expellere œconomum, etiamſi peſsimus ſit, id enim ad ſolum Dominum totius familiæ pertinet.

Eſt Paſtor. Ioan. 10. Alterum nomen Chriſti eſt, Paſtor. *Ego ſum Paſtor bonus.* Idem communicat

Petro

Petro: *Paſce oues meas.* Conſtat autem paſtorem ita pręeſse ouibus, vt nullo modo ab eis iudicari poſsit. *Ioan. vlt.*

Tertium eſt, Caput corporis Eccleſiæ. Idem communicat Petro, & habemus in Concilio Chalcedonenſi, vbi Legati ſententiam pronunciant in Dioſcorum; & in Epiſtola Concilij ad Leonem. Porro caput à membris regi, & non ea potiùs regere, contra naturam eſt: ſicut etiam eſt contra naturã quod membra ſibi caput præcidant, cùm fortè grauiter ęgrotat. *Caput. Epheſ 4. Act. 3.*

Quartum eſt, Vir, ſeu Sponſus. *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſeipſum pro ea,* &c. Idem conuenit Petro: nam in Concilio generali Lugdunenſi, loquens Concilium de electione Rom. Pontificis: *Acceleret,* inquit, *vtilis, perneceſſaria totius mundi prouiſio, idoneo celeriter eidem Eccleſiæ ſponſo dato.* Eſt autem contra Apoſtolum, & contra naturæ ordinem, vt ſponſa pręſit ſponſo, & non potiùs ſubſit. *Vir ſiue Sponſus. Epheſ. 5. Cap. vbi periculum. de elect. in 6. Epheſ. 5.*

Prob. tertio ex verbis expreſsis Conciliorum, & Pont. Cum enim controuerſia iſta ſit de poteſtate Concil. & Pont. ſi inter ſe Concilia, & Pont. conueniunt, quid opus eſt, vt nos litigemus? *Prob. 3.*

Prob. quarto ex appellationibus à Concilio ad Papam. Sine controuerſia enim ſemper à minore ad maiorem appellatur. Appellari autem à Concilio ad Papam, non contrà, perſpicuum eſt ex Gelaſio: *Ad ſedem,* inquit, *Apoſtolicam de quâlibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Et, ne putemus eum loqui de appellatione ab aliquo Epiſcopo, non à Concilio, ſubdit ſæpe Rom. Pont. ſoluiſse eos, quos iniqua Concilia ligauerant. Cuius rei extant exempla clariſsima. Nam Athanaſius Epiſc. Alexandrinus, & Paulus Epiſc. Conſtantinop. à Concilio depoſiti, ad Iulium Papam appellauerũt, & ab eo in ſuas ſedes reſtituti ſunt. Flauianus Epiſc. Conſtantinop. appellauit à Concilio Epheſino II. generali, ad Leonem Papam. Item Theodoretus Epiſc. Cyri appellauit à Concilio eodem II. Epheſino, ad eundem Leonem. Denique Ioannes Chryſoſtomus à Concilio depoſitus, appellauit ad Innocentium Papam. *Prob. 4. Epiſt. ad Epiſc. Dardaniæ.*

Prob. quintò ex approbatione, & reprobatione Conciliorum: nam omnia reuocantur tandem ad examen Rom. Pontificis, &, quæ ille probat, recipiuntur; quæ improbat, reijciuntur. *Prob. 5.*

Propoſitio quarta: *Summus Pont. non poteſt committere neque Concilio, neque vllo homini ſupra ſe, iudicium coactiuum, ſed tantummodò diſcretiuum.* *Propoſ. 4.*

Nota in iudicio perfecto duo quędam reperiri. Primò, poteſtatem diſcutiendi cauſſam, & diſcernendi, ac iudicandi, quid agendum ſit. Secundò, poteſtatem cogendi eum, qui cecidit cauſſa, ad obtemperandum ſententiæ contra ſe latæ. Vtrumque inuenitur in iudice propriè dicto, qualis eſt Princeps, vel Prętor à Principe conſtitutus. Primum autem ſolùm reperitur in arbitris, quorum ſententiæ etiamſi teneantur homines ſtare ex iure naturæ, quia tenemur ſeruare promiſsa; non tamen ex vi ſententiæ, quia non poſſunt arbitri cogere. Iam verò ſummus Pont. non poteſt iudicem propriè dictum ſupra ſe conſtituere, ſed tantùm quodammodò arbitros, quorum ſententiæ ſi non obtemperauerit, faciet, quod non debet, non autem quod non poteſt. *Iudicio propriè dictum.*

Prob. prior pars. Prima pars prob. Primò, quia poteſtas Papæ ſuper omnes eſt de iure diuino, vt patet. At non poteſt Papa diſpenſare in iure diuino. Secundò, quia non poteſt inferior committere alicui iudicium reſeruatum ſuperiori. Non enim poteſt Epiſc. committere ſuo pænitentiario, vt abſoluat in caſibus reſeruatis Papæ: at iudicium in cauſsa Pont. eſt reſeruatum Deo. Tertiò, quia ſequeretur Papam eſſe ſuperiorem, & non ſuperiorem reſpectu eiuſdem, quæ eſt implicatio contradictionis. Nam ſummus Pont. cum ſe, ac ſuam cauſſam iudicio alicuius committit, non deſinit eſſe Papa: ergò nec deſinit eſſe ſuperior quocunque Chriſtiano: at nihilominus non eſt ſuperior, ſed inferior, ſi cogi poteſt, erit igitur ſimul ſuperior, & non ſuperior.

Prob. poſterior. Secunda pars patet ex Sixto III. Leone III. Symmacho, Leone IV. & alijs, qui, cùm accuſarentur, cauſſas ſuas in Concilio Epiſc. diſcuti voluerunt, quos tamen iudicare Epiſc. auſi non ſunt. Vnde in Concilio IV. ſub Symmacho omnes Epiſc. cum ſubſcribunt, affirmant, ſe totum iudicium Deo relinquere.

CAPVT V.

De nomine, & definitione Eccleſiæ.

Nomen Eccleſia. ECCLESIAE nomen Græcum eſt, deduciturque à verbo ἐκκαλέω, quod eſt, euoco. Itaque Eccleſia eſt euocatio ſiue cœtus euocatorum, quia nemo ad hunc pop. ſe adiungit per ſe, & ſuo proprio inſtinctu, ſed omnes, quotquot veniunt, à Dei vocatione præueniuntur. Eſt enim vocatio primum beneficium, quod ſancti à Deo recipiunt. *Quos vocauit*, inquit Apoſtolus, *hos iuſtificauit, quos iuſtificauit, hos & magnificauit*: Et: *Quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter.* Hinc toties Apoſtolus Chriſtianos appellat vocatos, in omnibus ferè epiſtolis. *Rom 8. Act. 2.*

Nota 1. Sunt autem tria circa hoc nomen notanda. Primo, nomen Eccleſiæ cum aliquo adiuncto poſſe & in bonam, & in malam partem accipi. Dicitur enim *Eccleſia malignantium*, & *Eccleſia Sanctorum*. Abſolutè autem poſitum hoc nomen non intelligitur niſi de Eccleſia Chriſti, excepto vno loco, vbi de pop. Ethnicorum dicitur: *Erat enim Eccleſia confuſa.* *Pſal. 25. Pſal. 88. Act 19.*

Nota 2. Secundò nota cum Aug. tametſi eadem ſit Eccleſia veteris Teſtamenti, & noui quoad eſſentiam, tamen, quia ſtatus Eccleſiæ noui Teſtamenti eſt longè excellentior, ideò etiam nomina eſſe diſtincta. Nam populus veteris Teſtam. propriè dicitur Synagoga, id eſt, congregatio: pop. noui Teſtamenti nuſquam dicitur Synagoga, ſed ſemper Eccleſia, id eſt, euocatio. Congregari enim eſt commune hominibus cum beſtijs: at euocari proprium eſt hominum. Neque refert, quòd pop. Iudæorum in Teſtam. veteri paſsim vocatur etiam Eccleſia; nam tam Synagoga, quàm Eccleſia apud Hebræos dicitur

citur à congregando: ſunt itaque duo nomina, ſed idem prorſus ſignificant.

Tertiò nota, quemadmodum ciuitas nunc ſignificat cœtum hominū, nunc locum, in quo cœtus ille habitat, ita etiam Eccleſiam in Script. nunc ſignificare cœtum fidelium; vt: *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti*: nunc locum ipſum, in quo fideles congregantur; *Omnis populus per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt*. *Nota 3.* *Rom. 16.* *Iudith. 6.*

Nos autem nunc ſolùm de Eccleſia, vt cœtum fidelium ſignificat, agimus. De qua noſtra ſententia eſt Eccleſiam vnam tantùm eſſe, non duas: & illam vnam, & veram eſſe *cœtum hominum eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione colligatum, ſub regimine legittimorum paſtorum, ac præcipuè vnius Chriſti in terris Vicarij, Rom. Pontificis*. *Eccleſia definitio.*

Ex qua definitione facile colligi poteſt, qui homines ad Eccleſiam pertineant, qui verò ad eam non pertineant. Tres enim ſunt partes huius definitionis. Profeſsio veræ fidei, Sacramentorum communio, & ſubiectio ad legittimum paſtorem Rom. Pontificem.

Ratione primæ partis excluduntur omnes infideles, tam qui numquā fuerunt in Eccleſia, vt Iudæi, Turcæ, Pagani; tam qui fuerunt, & receſſerunt, vt hæretici, & Apoſtatæ.

Ratione ſecundæ excluduntur Catechumeni, & excommunicati, quoniam illi non ſunt admiſsi ad Sacram. communionem, iſti ſunt dimiſsi.

Ratione tertiæ excluduntur ſciſmatici, qui habent fidem, & Sacramenta, ſed non ſubduntur legittimo paſtori, & ideò foris profitentur fidem, & Sacramenta percipiunt. Includuntur autem omnes alij, etiamſi reprobi, ſceleſti, & impij ſint.

Atque hoc intereſt inter ſententiam noſtram & aduerſariorum, quòd illorum requirat internas virtutes ad conſtituendum aliquem in Eccleſia; & propterea Eccleſiam veram inuiſibilem faciunt: nos autem, etſi credimus, in Eccleſia inueniri omnes virtutes, Fidem Spem, Charitatem, & cæteras, tamen, vt aliquis aliquo modo dici poſsit pars veræ Eccleſiæ, de qua Script. loquuntur, non putamus, requiri vllam internam virtutem; ſed tantùm externam profeſsionem fidei, & Sacram. communionem, quæ ſenſu ipſo percipitur. Eccleſia enim eſt cœtus hominum ita viſibilis, & palpabilis, vt eſt cœtus populi Rom. vel Regnum Galliæ, aut Reſp. Venetorum.

Notandum eſt autem cum Auguſtin. in breuiculo collationis, Eccleſiam eſſe corpus viuum, in quo eſt anima, & corpus. Et quidem anima ſunt interna dona Spiritus ſancti, Fides, Spes, Charitas. Corpus ſunt externa, profeſsio fidei, & cōmunicatio Sacram. Ex quo fit, vt quidā ſint de anima, & de corpore Eccleſiæ, & proinde vniti Chriſto capiti interiùs & exteriùs: & tales ſunt perfectiſsimè de Eccleſia; ſunt enim quaſi mēbra viua in corpore, quamuis etiā inter iſtos aliqui magis, aliqui minùs vitam participent, & aliqui etiam ſolùm initium vitæ habeant, & quaſi ſenſum; ſed non motum, vt qui habent ſolam fidem ſine charitate. Rurſus; Aliqui ſunt de anima, & non de corpore; vt, catechumeni, vel excommunicati, ſi fidem, & charitatem habeant, quod poteſt fieri. Denique: Aliqui ſunt de corpore, & non de anima; vt, qui nul- *Notæ.* *Collat. 3.*

lam

lam habent internam virtutem; & tamen ſpe, aut timore aliquo temporali, profitentur fidem, & in Sacram. communicant ſub regimine paſtorum, & tales ſunt ſicut capilli, aut vngues, aut mali humores in corpore humano. Definitio igitur noſtra ſolùm comprehendit hunc vltimum modum exiſtendi in Eccleſia, quia hic requiritur, vt minimùm, vt quis poſsit dici eſſe pars viſibilis Eccleſiæ. De ſingulis igitur probandum eſt.

Infideles non baptizati. De Infidelibus quidem non baptizatis ſine dubio Paulus loquitur: *Quid enim mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare?* Vbi generaliter eos omnes foris eſſe dicit, qui non dederunt nomina ſua Chriſto per Baptiſmum, ſed aliquas alias religiones ſequuntur.

Catechumeni. De Catechumenis eſt paulò maior difficultas, quia ſunt fideles, & ſaluari poſſunt, ſi moriantur in eo ſtatu; & tamen extra Eccleſiam nemo ſaluatur, ſicut nec extra arcam Noë. At nihilominùs certum eſt, Cathechumenos non eſſe in Eccleſia actu, & propriè, ſed tantùm in potentiâ; quomodò homo cõceptus, ſed nondum formatus, & natus non dicitur homo, niſi in potentiâ. *Act. 2.* Nam legimus: *Qui ergò receperunt verbum, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* *In inſtruc. Armen.* Item Concil. Florent. docet, homines fieri membra Chriſti, ac de corpore Eccleſiæ, cùm baptizantur. Idem & Patres docent.

Denique Catechumeni non habent ius ad vlla Sacram. neque ad alia, quæ ſunt communia vniuerſæ Eccleſiæ. Non igitur actu, & propriè ſunt Catechumeni de Eccleſiâ. *Obiect. Solut.* Quomodo igitur, inquies, ſaluantur? Reſp. quod dicitur, extra Eccleſiam neminem ſaluari, intelligi debere de ijs, qui neque reipſa, neque deſiderio ſunt in Eccleſia: ſicut de Baptiſmo communiter loquuntur Theologi. Quoniam autem Catechumeni, ſi non re, ſaltem voto ſunt in Eccleſia, ideò ſaluari poſſunt. Neque repugnat ſimilitudo arcæ Noë, extra quam nemo ſaluabitur, etiamſi voto in ea fuiſſet: nam ſimilitudines non in omnibus conueniunt. Quocirca Baptiſmus comparatur arcæ Noë, & tamen conſtat *1. Pet. 3.* ſine Baptiſmo in re aliquos ſaluari.

Hæretici, & Apoſtatæ. Hęreticos, & Apoſtatas eſſe extra Eccleſiam, Primò Script. indicat, cùm *1 Tim. 1.* ait: *Quidam circa fidem naufragauerunt.* Quo loco per metaphoram naufragij intelligit, hęreticos, fracta vna parte nauis Eccleſiæ, ex ea in mare decidiſſe. Quod etiam ſignificat illa parabola Domini de reti, quòd præ multitudine ſcindebatur.

Luc. 5. *Tit. 3.* Pręterea Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt vnam, & alteram correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus.* Vbi Apoſtolus Epiſcopo pręcipit, vt hęreticum vitet: quod çertè non faceret, ſi eſſet intra Eccleſiam. Debet enim paſtor non vitare, ſed curare eos, qui ad ſuum gregem pertinent. Et addit rationem, quia talis pertinax hęreticus, eſt proprio iudicio condemnatus; id eſt, (vt Hieronymus exponit) non eſt eiectus ab Eccleſia per excommunicationem, vt multi alij pec- *1. Ioan. 2.* catores; ſed ipſe ſeipſum ab Eccleſia eiecit. Item: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis;* id eſt, ex nobis exierunt, quia erant nobiſcum in eadem Eccleſia; ſed non exierunt ex nobis, ſecundum diuinam electionem, vt Auguſtinus.

Secun-

Secundò prob. ex Concilio Nicęno, vbi hęretici dicuntur poſſe recipi in Eccleſiam, ſi redire velint, cum certis tamen conditionibus. Item ex Concilio Lateranenſi, vbi Eccleſia dicitur fidelium congregatio. Conſtat enim hęreticos nullo modo eſſe fideles.

C. 8 & 19. C. Firmiter, de ſumma Trinit.

Tertiò prob. ex Patribus.

Accedit poſtremò, quod cum Eccleſia ſit multitudo vnita (eſt enim populus quidam, ſiue regnum, ſiue corpus vnum) & iſta vnio præcipuè in profeſſione vnius fidei, & earundem legum ac rituum obſeruatione conſiſtat, nulla ratio permittit, vt eos de Eccleſiæ corpore eſſe dicamus, qui cum eo nullam omninò coniunctionem habent.

De Sciſmaticis nonnulli Catholicorum dubitant, an ſint de Eccleſia? Sed non eſſe, facile eſt ex ſacris litteris, & Patrum traditione docere. Nam inprimis, cùm dicitur: *Scindebatur autem rete*; per ſciſsionem retis, & egreſsionem piſcium ex reti intelliguntur ſciſmata Eccleſiæ, & egreſsio hęreticorum, & ſciſmaticorum de Eccleſia, vt exponit Auguſtin.

Sciſmatici. Luc. 5.

Prȩterea; Script. vocat Eccleſiam: *Vnum ouile, Vnum corpus, Vnam ſponſam, vnam amicam, vnam columbam.* Sciſma autem ſcindit id, quod erat vnum, in partes, vt patet ex ipſo nomine. Nam σχίζειν ſcindere eſt, & σχιζμὰ ſciſſura: ergò ſciſmatici non ſunt in Eccleſia, nec de Eccleſia. Nam pars ſciſsa à corpore non eſt ampliùs pars eius corporis. Vnde pulchrè Cyprianus dicit, Eccleſiā ſignificari per veſtem Chriſti inconſutilem, quæ ſciſſa non fuit, vt intelligeremus, Eccleſiam ſcindi poſſe, ſed non eo modo, quo ſcinduntur veſtes, ita vt omnes partes æquè maneant partes veſtis: ſed quomodò ſcinditur ramus ab arbore, qui ſtatim moritur arbore viuente; & riuus à fonte, qui mox areſcit, fonte fluente; & radius à Sole, qui continuò deficit, Sole, vt erat permanente. Vel, ſi contendas, partem ſciſſam ab Eccleſia eſſe etiam Eccleſiam quandam; multas Eccleſias facies, quod eſt contra Script. paulò ante notatas.

Tract 122 in Ioannem. Ioan. 10. Rom. 12. Cant. 6. L. de vnitat. Eccleſiæ.

Prob. ſecundò ex decretis Pelagij Papæ, qui ex profeſſo probat, ſciſmaticos non eſſe de Eccleſia.

Accedit etiam teſtimonium totius Eccleſiæ, quæ in Paraſceue orat pro hæreticis, & ſciſmaticis, vt eos Deus ad Eccleſiam Catholicā reuocare dignetur. Quod certè non faceret, ſi eos in Eccleſia eſſe crederet.

24. quæſt. 1. can. pudenda & can. ſciſma.

Huc etiam pertinet teſtimonium Catechiſmi Rom. cuius non eſt exigua auctoritas in Eccleſia Dei. Diſertis autem verbis Cathechiſmus prędictus ſciſmaticos ab Eccleſia ſeparat.

Prob. tertiò ex Patribus.

Quarto prob. ratione. Nam de ratione Eccleſiæ eſt, vt ſit vna vnione membrorum inter ſe, & cum capite, hanc autem vnionem ſciſmaticus tollit, dum ſe à communione capitis, & aliorum membrorum ſeparat.

In explicat. Symboli Apo.

Quòd autē vnitas eſſentialis Eccleſiæ cōſiſtat in illa cōiunctione membrorum inter ſe, & cum capite, prob. nam multiplex vnitas inuenitur in Eccleſia. Prima eſt vnitas ratione principij, id eſt, Dei vocantis: *Nemo venit ad me,* &c.

Ioan. 6.

Secunda ratione eiuſdem vltimi finis, quod ſignificatum eſt in illo vno denario omnibus operantibus promiſſo. Tertia eſt ratione eorundem mediorum, id eſt, Fidei, Sacramentorum, Legum, iuxta illud: *Vna fides, vnum Bap-*

Matth. 20. Epheſ. 4.

tiſma. Quarta eſt ratione eiuſdem Spiritus ſancti, à quo tanquam externo, & ſeparato Rectore vniuerſa Eccleſia gubernatur. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Quinta eſt ratione eiuſdem capitis, tanquam interni, & coniuncti Rectoris; omnis enim Eccleſia eidem Chriſto, & eius vicario tanquam capiti paret. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Et: *Simon Petre, paſce oues meas.* Sexta eſt ratione connexionis membrorum inter ſe, & præcipuè cum capite, vt eſt principale membrum: *Vnum corpus ſumus, alter alterius membra.*

1. Cor. 12.

Epheſ. 1.

Ioan vlt.

Rom. 12.

Iam verò inter has vnitates illæ, quæ faciunt propriè Eccleſiam vnam, ſunt duæ vltimæ. Nam per primam Eccleſia non tam eſt vna, quàm ex vno. Per ſecundam non tam eſt vna, quàm ad vnum. Per tertiam non tam eſt vna, quàm per vnum. Per quartam nõ tam eſt vna, quàm ſub vno. Per quintam, & ſextã propriè eſt vna, id eſt, vnum corpus, vnus populus, vna ſocietas. Sciſma autẽ opponitur his vnitatibus poſtremis: tunc enim eſt ſciſma, quando vnũ membrum non vult ampliùs eſſe membrum illius corporis, nec ſub illo capite: quare tollit vnitatem eſſentialem, atque Eccleſiam ipſam: Sciſmaticus igitur non eſt de Eccleſia.

Excommunicati.

In explicat. ſymboli.

Matt. 18.

1. Cor. 5.

De Excommunicatis, quòd in Eccleſia non ſint, docet Catechiſmus Rom. & prob. Primò ex illo: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Vbi Dominus de Excommunicatis loquitur ſecundum omnium expoſitionem. At Ethnici non ſunt de Eccleſia. Item ex illo: *Cur non magis luctũ habuiſtis, vt tollatur de medio veſtri, qui hoc opus fecit?* Et infrà: *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Item: *Auferte malum ex vobiſmetipſis*, &c.

Quibus omnibus verbis deſcribit Apoſtolus, quid ſit excommunicari. Iubet enim excommunicari eum, qui vxorem patris ſui habuerat.

11 q. 3. can. Canonica.

Secundò prob. ex iure Canonico.

Tertiò ex Patribus.

Vltimò prob. ratione. Primò; Per excommunicationem priuantur homines omni commercio ſpirituali, quod habent homines Eccleſiæ inter ſe: igitur non ſunt ampliùs in cætu Eccleſiæ. Quid enim eſt, ciuem aliquem priuari ciuitate, niſi priuari omni commercio, quod eſt inter homines illius ciuitatis?

Secundò; Excommunicatio eum locũ habet in Eccleſia, quem pœna mortis habet in Teſtamento veteri, & quem habet in temporalibus Repub. At per mortem ſeparantur homines planè à tota Rep.

Tertiò; Nulla eſt pęna grauior, quam Eccleſia infligere poſſit, excommunicatione: ergò per excommunicationem eijcitur homo de Eccleſia. Nam grauius eſt, proijci de Eccleſia, quàm quęlibet pœna, quæ de manentibus in Eccleſia ſumitur.

Matth. 18.

Quartò; Excommunicatio non poteſt ferri, niſi in contumaces, & incorrigibiles; vt omnes Theologi deducunt ex illo: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Igitur Excommunicatio eſt eiectio de Eccleſia: ſi enim Excommunicatio eſſet pœna aliqua infra eiectionem, ferretur etiam quandoque in homicidas, adulteros, & alios facinoroſos, licet non contumaces?

Adde,

Adde, quòd, cùm abſoluuntur Excommunicati, dicitur: *Reſtituo te vnitati Eccleſiæ, & membrorum participationi.* Quod ſignum eſt perſpicuum, Excommunicatum ſeparatum fuiſſe ab Eccleſiæ vnitate.

De Prædeſtinatis, quòd non ſolùm Prædeſtinati, ſed etiam reprobi ad Eccleſiam pertinere poſsint, prob. Primò ex parabolis Domini apertiſsimis. *Prædeſtinati*

Comparatur enim Eccleſia areæ. *Permundabit* inquit, *aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Certè nomine areæ non poteſt intelligi, niſi Eccleſia: in qua tamen inueniuntur paleæ, quæ ſi comburerentur igne inextinguibili, certè non ſignificant electos. *Matth. 3.*

Item, comparatur ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congreganti quorum tandem aliqui mittuntur in caminum ignis, qui certè nõ erant de prædeſtinatis. *Matth. 13.*

Item, comparatur conuiuio nuptiali, ad quod intrauerunt boni, & mali, & poſteà mali non habentes veſtem nuptialem proijciuntur in tenebras exteriores; & ideò concludit Dominus: *Multi ſunt vocati, pauci electi*, id eſt, multi ſunt in Eccleſia, quæ eſt euocatio quædam, ſiue cœtus vocatorum, qui tamen non ſunt de electis. *Matth. 22.*

Item, comparatur decem virginibus, quarum quinque prudentes, intrabunt in die iudicij cum ſponſo ad nuptias, quinque fatuæ excludentur. *Matth. 25.*

Item, cõparatur ouili, in quo ſunt oues, & Hædi: & illæ, Domino ipſo explicante, ſignificant electos; iſti reprobos. Et Paulus iubet expelli de Eccleſia inceſtuoſum, & tamen non poterat illum facere reprobum ex prędeſtinato, immò nec volebat; nam eiecit illum, vt humiliatus rediret, & ſaluus fieret in die Domini, vt ibi dicitur. *Ibid.* *1. Cor. 5.*

Item: *In magna autem domo ſunt vaſa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam.* Nec dubium eſſe videtur, quin vaſa in gloriam ſint electi; vaſa in contumeliam reprobi, etiamſi in eadem domo ſint. *2. Tim. 2.*

Accedant præterea exempla Pauli, & Iudæ. Nam Paulus affirmat, ſe perſecutum eſſe Eccleſiam Dei, & idem de eo affirmat Lucas. *1. Tim. 1.* *Gal. 1.*

Quæro igitur, vel illa Eccleſia, quam Paulus perſequebatur, erat vera Dei Eccleſia, vel non. Si vera; igitur Paulus aliquando non fuit membrum veræ Eccleſiæ: quomodò enim erat de illa Eccleſia, quam totis viribus oppugnabat? Si non erat vera Eccleſia; ergò Paulus, & Lucas mentiuntur, cùm eam abſolutè Dei Eccleſiam vocant. *1. Cor. 15.* *Act. 9.*

Porro Iudas reprobus erat, vt patet ex Actis, & tamen de vera Eccleſia aliquando fuit: nam, vt dicitur ibidem, fuit Apoſtolus ex duodecim, & Epiſcopus vocatus à Dauid Propheta; quæ non poſſunt eſſe vera, niſi aliquando de Eccleſia fuerit. *Act. 1.* *Pſal. 108.*

Accedat quoque ratio. Nam, ſi ſola prædeſtinatio facit hominem eſſe de Eccleſia, ſequitur, Turcas, Iudæos, hæreticos, & quoſlibet impios, ſi prædeſtinati ſunt, nunc eſſe de Eccleſia, & viua membra Chriſti: & contrà, quoslibet ſanctos, & pios baptizatos, ſi non ſint prædeſtinati, non eſſe de Eccleſia, neque de corpore Chriſti. At vtrumque eſt falſiſsimum, & contra expreſsiſsimas Script.

Nam, quòd non baptizati, & hæretici non ſint de Eccleſia, ſupra oſtendimus. Quòd autem impij non ſint viua membra, dicit Apoſtolus: *Qui Spiritum* Rom.6. *Chriſti non habet, hic non eſt eius*; nimirum viuum membrum. Quòd autem impij non habeant Spiritum Chriſti, ſed ſpiritum diaboli, patet ex operibus eorũ. Non enim ſunt patientes, caſti, &c. quæ ſunt opera Spiritus: ſed ſunt adulteri, homicidæ, blaſphemi, &c. quæ ſunt opera carnis. Gal. 6.

E contrario autem, quòd omnes pij baptizati ſint membra Chriſti, dicit Apoſtolus: *Omnes nos vno ſpiritu in vnum corpus baptizati ſumus.* Et: *Omnes enim filij Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu: quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et tamen non eſt credibile, omnes Corinthios, & Galatas fuiſſe prædeſtinatos. 1 Cor. 12. Gal. 3.

Prob. vltimò ex incommodis. Nam, ſi ſoli prædeſtinati eſſent de Eccleſiâ, omnia eſſent incerta. Nam nemo tunc cognoſceret fratres ſuos, nec paſtores cognoſcerent oues ſuas, nec ab illis cognoſcerentur; cùm nemo ſciat, qui ſint prædeſtinati: & præterea nemo ſciret, quæ ſint verę Script. quæ vera Sacram. quæ vera fides, &c. Omnia enim pendent ex teſtimonio veræ Eccleſiæ.

Nō perfecti. Non perfectos in Eccleſia eſſe poſſe, facilè probari poteſt. Nam, ſi non eſſent in Eccleſia ij, qui habent aliquam imperfectionem, nulla fuiſſet, neque eſſet, neque futura eſſet Eccleſia in terris. Nam excepto Chriſto, & B. Virgine, qui ſoli non faciunt Eccleſiam, nulli ſunt, quamuis ſanctiſsimi, in hâc vitâ, qui non habeant aliqua venialia peccata, quæ tamen non tollunt iuſtitiam, nec faciunt hominem Deo inimicum, vt Pelagiani putabant. Id quod Pſalm. 31. teſtantur diuinæ litteræ: *Tu remiſiſti iniquitatem peccati mei, pro hâc orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Quid eſt enim, *Pro hâc* niſi pro remiſsione? Et ſanctus igitur aliquis eſt, & tamen habet, quod ſibi poſtulet remitti. Et:
3. Reg 8. *Nec enim eſt homo, qui non peccet.* Et: *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget.* Et:
Prou. 24. Eccleſ 7. *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Iubentur etiam omnes
Matth.6. dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et: *In multis offendimus omnes.* Et: *Si dixeri-*
Iacob.3. *mus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*
1. Ioan. 1. Quæ certè teſtimonia clariora ſunt, quàm vt explicatione vlla indigeant.

Can.7. & 8. Idem teſtatur Concil. Mileuitanum, vbi definitur, iuſtos dicere non ſolũ humiliter, ſed etiam veraciter; & non ſolùm pro alijs, ſed etiam pro ſe: *Dimitte nobis debita noſtra.* Idem teſtantur Patres.

Magni peccatores. De magnis peccatoribus, eos etiam eſſe in vnâ, verâ, & Catholica Eccleſia Chriſti, & non ſolùm occultos, ſed etiam manifeſtos, prob. Primò ex parabolis Euangeliorum de areâ, de reti, de conuiuio nuptiali, de decem virginibus, & de ouili ſuprà citatis. Præterea, ſunt alia loca apertiſsima. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum, &c. Si eos non audierit, dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Hic negari non poteſt, quin ſermo ſit de verâ Eccleſiâ. Nam Chriſtus loquitur de Eccleſia ſua: & in hâc Eccleſiâ conſtat inueniri peccatores, & tales peccatores, qui ſæpe non emendantur per correptionem fraternam, nec etiam adhibitis duobus teſtibus: & tamen in Eccleſiâ manent, donec ab ipſa Eccleſia per ſententiam Pręlati eijciantur. Matt. 18.

Item;

Item; Dominus præcipit de præpoſitis malis, vt faciamus, quod dicunt, non quod faciunt. Deſcribit etiam præpoſitum malum, qui percutit conſeruos, comedit, & bibit cum ebrioſis, &c. & dicit: *Veniet Dominus eius in die, qua non ſperat, & diuidet eum, partemq́ eius cum hypocritis ponet.* Vbi de præpoſitis Eccleſiæ agi, docent Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, & alij in hunc locum. Matth. 23. Matt. 24.

Item, Paulus dicit, ſcribere ſe Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi: & mox ibidē ſubdit: *Significatum eſt mihi, quòd contentiones ſint inter vos,* &c. Et alibi: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat.* Quid hic dicent? Non eſſe hanc veram Eccleſiam? at Apoſtolus dicit, eſſe Eccleſiam Dei. Non fuiſſe iſtum peccatorem grauiſsimum, & manifeſtum? At Apoſtolus hoc dicit. Non fuiſſe in illâ Eccleſiâ? At Apoſtolus iubet, vt expellant eum per excommunicationem: *Tollatur,* inquit, *de medio veſtri,* &c. 1. Cor. 1. 1. Cor. 5.

Præterea; Ioannes in Apoc. ſcribit ſeptem Eccleſijs Aſiæ, & ferè ſingulas reprehendit de rebus non leuibus. Et, vt notat B. Auguſtinus, non ſolùm Eccleſias, ſed etiam præpoſitum reprehendit, ſignificatum per Angelum Sardenſis Eccleſiæ: *Nomen,* inquit, *habes, quòd viuas, ſed mortuus es, eſto vigilans,* &c. Apoc. 2. & 3. L. 2. contra Parmen. c. 10.

Adde, quòd tempore Teſtamenti veteris nunquam defuerunt grauiſsima peccata in populo Dei, & tamen nuſquam legimus, quòd Moyſes, aut Samuel, aut alij Prophetæ, qui diuerſis temporibus fuerunt: aut Maria, Anna, Elizabeth, Simeon, Zacharias, Ioannes Baptiſta, & alij iuſti, quos Dominus inuenit in populo Iudæorum, ſeparauerint ſe à reliquis peſsimis hominibus, quantum ad templum, altare, ſacrificium, & alia, quæ religionis ſunt, ergò in eâdem congregatione manebant boni, & mali.

Prob. ſecundò ex teſtimonio Eccleſiæ Catholicæ, quæ erat tempore B. Auguſtini. Refert enim ipſe, collationem celeberrimam Carthagine habitam inter CCC. VI. Epiſc. Catholicos, quorum vnus ipſe erat, & CC. XCVI. Donatiſtas Epiſc. Tot enim fuiſſe indicat Auguſtinus in collatione primæ diei. Deinde, in collatione tertiæ diei refert, Donatiſtas coactos fateri eſſe in Eccleſia bonos, & malos, prolatâ à Catholicis illa parabola de reti, piſces bonos, & malos congregante: ſed dixiſſe adhuc Donatiſtas, tantùm occultos malos eſſe in Eccleſia, ſicut in reti, dum eſt in mari, non diſcernuntur à piſcatoribus piſces boni, à malis, ſed in littore diſcernuntur, & mox ſeparantur. Ad hoc autem dicit reſpondiſſe Catholicos, propterea Eccleſiam comparatam etiam areæ, in quâ diſcernuntur paleæ à frumento, immo magis apparent paleæ, quàm frumenta: & etiam arcæ Noë, in qua etiam poſt egreſſum corui, quo ſignificantur hæretici, adhuc remanſerunt palam animalia munda, & immunda. Prob. tertio teſtimonijs Patrum. In Breuiculo collationum.

Vltimo prob. ratione. Nam, ſi ſoli boni eſſent in Eccleſia, fruſtrà eſſet Sacram. Pœnitentiæ, quod ſolis illis adminiſtratur, qui ſunt de Eccleſia. Incertum eſt enim, qui ſint reuerà boni, & qui non. Item, mox atque Prælati in aliquod peccatum incidiſsent, non eſsent ampliùs de

Eccleſia, nec prælati, & proinde non oporteret illis ampliùs obedire. Et ſimiliter ſubditi, mox atque peccarent, non eſſent ampliùs de grege: & proinde liceret paſtoribus curam eorum non agere; ex quo ſumma confuſio, & perturbatio oriretur.

Infideles occulti. De Infidelibus occultis, id eſt, de ijs, qui nec fidem internam, nec vllam Chriſtianam virtutem habent, & tamen exteriùs propter temporale aliquod commodum fidem Catholicam profitentur, & communione Sacramentorũ veris fidelibus permiſcentur, nos modum communem loquendi plurium ſequimur, qui docent, eos eſſe veras, partes exteriores, atque adeò etiam membra, licet arida, & mortua, corporis Eccleſiæ.

1. Ioan. 2. Ac Primùm hæc ſententia demonſtrari poteſt ex illis verbis: *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam, ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum.*

Hoc loco Ioannes de hæreticis loquitur, quos Antichriſtos vocat, & dicit eos, antequam exirent, non fuiſſe ex nobis, id eſt, non fuiſſe Catholicos animo, ac voluntate, ſed hæreticos, atque Antichriſtos, & tamen ex nobis exiuiſſe, quia, & ſi non erant ex nobis animo, ac voluntate, erant tamen ex nobis externa profeſsione: ſed poſteaquam ſe prodiderunt, & in apertum ſciſma proruperunt, iam deſierunt omnibus modis eſſe ex nobis.

Secundò prob. ex Patribus, maximè ijs, qui communi conſenſu docent, eos, qui ſunt extra Eccleſiam, nullam habere auctoritatem, aut iuriſdictionem in Eccleſia.

Quod ſanè ratio etiam manifeſtè docet. Quo pacto enim cogitari, aut fingi poteſt, vt is habeat iuriſdictionem, & proinde ſit caput Eccleſiæ, qui non eſt membrum?

Certum eſt autem, occultum hæreticum, ſi Epiſcopus, aut etiam ſummus Pontif. eſſet, non amittere iuriſdictionem, nec dignitatem, aut nomen capitis in Eccleſia, donec aut ipſe ſe ab Eccleſia publicè ſeparet, aut conuictus hæreſeos inuitus ſeparetur.

Adde, quòd, ſi occulti hæretici nullam habere poſſent iuriſdictionem, redderentur incerti omnes actus, qui ex iuriſdictione dependent; quod non parum Eccleſiam vniuerſam perturbaret.

Iam ergo, ſi is, qui non eſt in Eccleſia non poteſt habere auctoritatem in Eccleſiam, & hæreticus occultus habere poteſt, & aliquando reipſa habet auctoritatem in Eccleſiam, certè hæreticus occultus eſſe poteſt in Eccleſia.

Tertio prob. ratione. Ac primum, ſimilitudo corporis humani id, quod quærimus, ſuadere poteſt.

Rom. 12. 1. Cor. 12. Eſt enim Eccleſia ſimilis corpori humano, vt Apoſtolus docet: in corpore autem humano multa, & varia videmus eſſe partium genera, ita vt quædam viuant, & ſentiant: quædam viuant, non ſentiant; quædam nec viuant, nec ſentiant; vt notum eſt. Igitur in Eccleſia quoque nihil impedier, quo minus ſint aliqui, qui habeant fidem, & charitatem; quidam

ſolam

ſolam fidem; quidam ne ipſam quidem fidem, ſed externam dumtaxat coniunctionem.

Deinde; Si ij, qui fide internâ carent, non ſunt, nec eſſe poſſunt in Eccleſia, nulla erit inter nos, & hęreticos ampliùs quæſtio de Eccleſiæ viſibilitate: proinde (quod ego certè magni facio) ſuperuacaneæ erunt tot eruditiſsimorum hominum diſputationes, quæ hactenus prodierunt. Omnes enim, qui hactenus ſcripſerunt, id obijciunt Lutheranis, & Caluiniſtis, quòd Eccleſiam inuiſibilem faciant.

Nullam autem futuram ampliùs quæſtionem, ita probo. Lutherani, & Caluiniſtæ ſigna viſibilia quædam, & externa Eccleſiæ ſtatuunt, nimirum prædicationem verbi Dei, & Sacram. adminiſtrationem & conſtanter docent, vbicunque hæc ſigna conſpiciuntur, ibi etiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Quia tamen ſolos iuſtos, & pios, ad Eccleſiam veram pertinere volunt, & nemo poteſt certò ſcire, qui ſint verè iuſti, & pij inter tam multos, qui iuſtitiam, & pietatem exteriùs præ ſe ferunt, cùm certum ſit, multos vbique eſſe hypocritas, & falſos fratres; idcircò noſtri rectè concludunt, eos facere Eccleſiam inuiſibilem.

Porrò Lutheranis, & Caluiniſtis iuſtitia in ſola fide conſiſtit, idemque eſt apud eos, Eccleſiam eſſe cœtum iuſtorum, & piorum; &, eſſe cœtum verè credentium: quis non igitur videt, nos cum illis planè conuenire, ſi omnes illos ab Eccleſia excludamus, qui veram fidem in corde non habent?

Ad hæc; Neceſſe eſt, vt nobis certitudine infallibili conſtet, qui cętus hominum ſit vera Chriſti Eccleſia: nam, cùm Script. traditiones, & omnia planè dogmata, ex teſtimonio Eccleſiæ pendeant, niſi certiſsimi ſimus, quæ ſit vera Eccleſia, incerta erunt prorſus omnia. At non poteſt certitudine infallibili conſtare nobis, quæ ſit vera Eccleſia, ſi fides interna requiritur in quolibet membro, ſeu parte Eccleſiæ.

Quis enim certò nouit, in quibus ſit illa fides? Non igitur fides, aut aliquid aliud inuiſibile, & occultum requiritur, vt quis aliquo modo pertineat ad Eccleſiam.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

De qualitate Eccleſiæ.

Prob. 1. Eccleſia viſibilis. TRIA nobis de qualitate docenda ſunt. Primum, quòd vera Dei Eccleſiā viſibilis ſit. Quod prob. Primò ex Script. omnibus, vbicunque inuenitur, nomen Eccleſiæ. Nam ſemper nomine Eccleſiæ, viſibilis cōgregatio ſignificatur: nec vnum locum Caluinus proferre potuit, aut protulit vbi hoc *Num. 20.* nomē tribueretur congregationi inuiſibili. Certè cū dicitur: *Cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* Eccleſia vocatur pop. ille notiſsimus Iudæorum, qui exierant de Ægypto. Sic etiam de Eccleſia viſibili manifeſtè loquitur Script. *3. Reg. 8. Matth. 16.* dicens: *Conuertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël; omnis enim Eccleſia Iſraël ſtabat.* Et: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Nomine petræ ſiue intelligas Chriſtum, aut fidei confeſsionem, vt hæretici volunt; ſiue Petrum, vt nos credimus, ſemper fundamentum Eccleſiæ eſt aliquid ſenſibile; vt patet: ac proinde Eccleſia ipſa eſt ſenſibilis, ſeu viſibilis. Nam etſi nunc neque Chriſtum, neque Petrum videamus, tamen tunc vterque ſenſi- *Matth. 18.* bus corporeis expoſitus erat ad videndum; & nunc vterque videtur non in ſe ſed in vicario, aut ſucceſſore ſuo. Et: *Dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit*, &c. *Act. 20.* Certè neutrum ſeruari poſſet, ſi eſſet Eccleſia inuiſibilis. Et: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritusſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quo- *Act. 15. Ibid Act. 18. 1. Cor. 15. Gal. 1. Philip. 3. Act. 9. 1. Tim. 3.* modò poterant regere Eccleſiam, quam non nouerant. Et: *Illi quidem deducti ab Eccleſia, pertranſibant Phœnicem.* Et: *Cùm veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia.* Et: *Aſcendit Paulus, & ſalutauit Eccleſiam.* Quomodo iſta conueniunt Eccleſiæ inuiſibili? Dicit etiam Paulus, ſe perſecutum Eccleſiam Dei: at notum eſt, quos perſequebatur, ex Act. Apoſtolorum. Denique: *Hæc tibi ſcribo, fili Timothee, vt ſcias, quomodò te oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui.* At ſanè non poterat in ea conuerſari niſi ſciret, quæ nam eſſet.

Prob. 2. Pſal. 18. Tract. 2. in epiſt. Ioan. Secundò prob. ex alijs Script. vbi non nominatur, ſed tamen apertè deſcribitur Eccleſia. vt; *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Exponit Auguſtinus, In manifeſto poſuit Eccleſiam ſuam, vt, ſicut ſol non poteſt omninò latere, ita nec Eccleſia poſsit abſcondi.

Iſa. 2. Dan. 2. Mich. 4. Item, apud Iſaiam, Daniel, & Micheam comparatur Eccleſia monti magno, & conſpicuo, qui nullo modo poteſt latere, ſecundum communem expoſitionem Hieronymi, & Auguſtini. Item, illud: *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra* *Matth. 5. Li. de vnitat. Eccl. c. 14. & alibi* *montem poſita;* Auguſtin. exponit de Eccleſia. Denique, parabolæ Euangelicæ de areâ, reti, ouili, de conuiuio, &c. omnes oſtendunt, Eccleſiam veram, quæ eſt regnum cœlorum, eſſe viſibilem.

Prob. 3. Prob. tertiò ex ipſo ortu, & progreſſu Eccleſiæ. Nam, vt omittamus ſtatum Teſtam. veteris, in quo adeò viſibilis erat Eccleſia, vt in ipſa carne por-

tarent

tarent viſibile ſignum circumciſionis; in Teſtam. nouo ſine dubio Eccleſia Chriſtiana tota erat in principio in Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti, qui adeò viſibiles erant, vt ſuper illis viſibiliter Spiritus ſanctus deſcenderit in die Pentecoſtes. *Act. 1. 2. 3. & 4.*

Deinde, iſtis additi ſunt viſibiliter vna die homines ad tria millia, & rurſum ad quinque millia, per fidei confeſsionem, & Baptiſmum: ac deinceps ſemper illi omnes, & ſoli habiti ſunt de Eccleſia Chriſti, qui ad illos primos ſe adiunxerunt per Baptiſmum, & confeſsionem fidei, & inde non receſſerunt per hæreſes, aut ſciſmata, aut expulſi ſunt per excommunicationem. *Prob. 4.*

Quartò prob. ex ipſa ratione Eccleſiæ. Eccleſia enim eſt ſocietas quædam, non Angelorum, neque animarum, ſed hominum. Non autem poteſt dici ſocietas hominum, niſi in externis, & viſibilibus ſignis conſiſtat: nam non eſt ſocietas, niſi ſe cognoſcant ij, qui dicuntur ſocij; non autem poſſunt ſe homines agnoſcere, niſi ſocietatis vincula ſint externa, & viſibilia.

Et confirm. ex more omnium humanarum ſocietatum: nam in militiam, in ciuitatem, in regnum, & alia ſimilia non aliter homines adſcribuntur, quã ſignis viſibilibus. *Prob. 5.*

Quintò prob. ex neceſsitate: nam tenemur omnes ſub periculo æternæ mortis, veræ Eccleſiæ nos adiungere, & in illa perſeuerare, id eſt, capiti eius obedire, & ceteris membris communicare. At hoc fieri non poteſt, ſi Eccleſia eſt inuiſibilis. *Prob. 6. & 7.*

Sextò ex dictis quæſtione ſuperiore. Si enim Eccleſia eſt congregatio hominum viuentium Sacram. iiſdem, & fidem Chriſti profitentium, ſub regimine legittimorum paſtorum, ſequitur neceſſario, eam eſſe viſibilem.

Septimò prob. idem teſtimonijs veterum. *Prob. 1.*

Secundò, docere volumus, Eccleſiam viſibilem non poſſe deficere: & nomine Eccleſiæ non intelligimus vnum, aut alterum hominem Chriſtianum; ſed multitudinem congregatam, in qua ſint Prælati, & ſubditi. *Eccleſiam non poſſe deficere.*

Primùm id oſtenditur ex Script. vbi apertè nominatur Eccleſia. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Cui ſimile eſt illud: *Vt ſcias, quomodo te oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* *Matth. 16.* *1. Tim. 3.*

In vtroque loco agitur de Eccleſia viſibili: & tamen audimus ipſam veritatem aſſerentem, portas inferorum non præualituras, contra eam Eccleſiam. *Prob. 2.*

Secundò, ex alijs locis, vbi aperta eſt promiſsio ſine nomine Eccleſiæ. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ verba ad Eccleſiam viſibilem dicta ſunt, nimirum ad Apoſtolos, & diſcipulos cæteros, quos in die Aſcenſionis ſuæ Dominus allocutus eſt: &, cùm illi homines non eſſent permanſuri in corpore vſque ad mundi conſummationem, neceſſe eſt dicere, hanc promiſsionem pertinere ad eorum ſucceſſores. *Matt. vlt.*

Epheſ. 4. Præterea: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Vbi Apoſtolus docet manſura in Eccleſia iſta miniſteria Paſtorum, & Doctorum, & continuam ædificationem corporis Chriſti, & proinde viſibilem Eccleſiam vſque ad diem iudicij: nam quando ſola eſſet in mundo Eccleſia inuiſibilis, non inuenirentur iſta miniſteria, quæ non poſſunt exerceri, niſi ſe Paſtores, & oues agnoſcant.

Et notandum, quòd, licet veteres intelligant hunc locum de ſpirituali méſura corporis myſtici; recentiores autem de corporali menſura corporũ beatorum, quæ dicunt futura tantæ magnitudinis, quantæ fuerunt, vel fuiſſent in perfecta ſua ętate; tamen omnes intelligunt hunc locum de nouiſsimis diebus quando complebitur numerus electorum?

Pſal. 47. Pręterea; *Deus fundauit eam in æternum.* Id eſt, Eccleſiam ſuam, quę eſt ciuitas eius, vt Auguſtinus exponit, & res ipſa clamat. Nam totus Pſalmus eſt de fundatione Eccleſiæ Chriſtianæ, tanquam nouæ, & viſibilis ciuitatis. Incipit enim: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius: Fundatur exultatione vniuerſæ terræ,* &c. Item, apud Iſaiam (quod caput intelligi de Eccleſia noui Teſtamenti docuit Chriſtus, cùm in Synagoga

Luc. 4. citauit, & expoſuit de aduentu ſuo initium huius capitis: *Spiritus Domini ſuper*

Iſa. 61. *me,* &c) ſic habetur. *Et fœdus perpetuum feriam eis, & ſcietur in Gentibus ſemen eorũ, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Profectò tam eſt perſpicuus hic locus, vt expoſitione non egeat. Quomodò enim inuiſibilis erit ille cætus, de quo dicitur: *Omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus?*

Prob. 3. Accedant tertiò teſtimonia ex parabolis, quibus omnium conſenſu ſignificatur Eccleſia. Area enim, in qua ſunt granum, & paleæ, rete, in quo ſunt boni, & mali piſces; ager, in quo ſunt frumentum, & zizania; conuiuium, in quo ſunt boni, & mali diſcumbentes; ouile, in quo ſunt oues, & hędi, ſignificant Eccleſiam viſibilem; vt etiam hęretici fatentur. Nam Eccleſia inuiſibilis non habet malos, & bonos; ſed tantùm bonos ſecundum eorum ſententiã. At eædem parabolæ docent, iſtam Eccleſiam viſibilem nunquam interituram

Matth 3. vſque ad diem iudicij. Nam dicitur: *Ipſe permundabit aream ſuam, & triticum cõgregabit in horreum ſuum; paleas autẽ comburet igni inextinguibili,* quod ſine dubio

Matth. 13. non fiet ante diem iudicij. Et: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Et infrà: *Meſſis autem conſummatio ſæculi eſt.* Et infrà: *Sic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum,* &c.

Prob. 4. Quartò prob. ex Script. quæ loquũtur de regno Chriſti. *Thronus eius ſicut ſol*

Pſal. 88. *in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternũ, & teſtis in cælo fidelis.* Ibidem: *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius, ſicut dies cæli:* Et: *In diebus autem*

Dan. 2. *regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur: & Reg-*

Luc. 1. *num eius alteri populo non tradetur,* &c. Item: *Et Regni eius non erit finis.* Iſta loca

non

non poſſunt intelligi, niſi de vera, & viſibili Chriſti Eccleſia nunquam interitura. Nam Regnum Chriſti ſine dubio eſt vera eius Eccleſia.

Preterea; In Pſalmo, vbi dicitur Chriſti Regnum ęternum, dicitur etiam, quòd in eo ſint boni, & mali, ac proinde quòd Eccleſia ſit viſibilis: *Si autem dereliquerint filij eius*, inquit, *legem meam, & iuſtitias meas non cuſtodierint*, &c. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; miſericordiam autem meã non diſpergam ab eo*, &c. Quem locum pulchrè exponit de flagellis Eccleſiæ S. Cyprianus. In illo etiam capite Danielis, vbi dicitur Regnum Chriſti perpetuum, legimus quoque, illud Regnum eſſe montem magnum implentem omnem terram: quem Iſaias, & Michęas vocant montem manifeſtum ſecundum LXX. *Pſal. 88.* *In Serm. de lapſis.* *Dan. 2.* *Iſa. 2.* *Mich. 4.*

Quintò prob. teſtimonijs veterum.

Vltimò prob. ratione naturali. Primum enim, ſi aliquando ſola maneret in mundo Eccleſia inuiſibilis, aliquando etiam eſſet impoſsibilis ſalus ijs, qui ſunt extra Eccleſiam. Nam non poſſunt ſaluari, niſi in Eccleſiam ingrediantur: ſicut tempore Noë peribant neceſſariò, qui non habebant aditum ad arcam: at non poſſunt ingredi in Eccleſiam, quam ignorant, igitur non habent remedium. *Prob. 5. & 6.*

Preterea, De ratione vnius veræ Eccleſiæ eſt, vt ſit viſibilis: ergò, ſi Eccleſia viſibilis perit, nulla vera Eccleſia remanet.

Denique; Vel homines illi occulti, qui Eccleſiam inuiſibilem conſtituunt, profitentur palàm fidem ſuam, & abſtinent ab idolorum cultura, vel non: ſi profitentur; ergò non eſt Eccleſia inuiſibilis, ſed maximè viſibilis, ſicut erat tempore Martyrum: ſi non profitentur, ergò nulla eſt Eccleſia: nam non eſt vera Eccleſia, in qua nulli ſunt boni, & qui ſaluentur; non autem ſunt boni, nec ſaluantur, qui non confitentur fidem, ſed ea in corde retenta exteriùs profitentur perfidiam, & idololatriam, cùm dicat Apoſtolus: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*. Et: *Omnis qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*. Ergo implicat contradictionem Eccleſiam eſſe, & carere omni forma viſibili, niſi ponatur extra mundum, vbi nunquam ſit neceſſarium fidem confiteri. *Rom. 10.* *Matth. 10.*

Tertio docere volumus, Eccleſiam non poſſe errare. Eſt autem ſententia noſtra, Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, nec in rebus abſolutè neceſſarijs, nec in alijs, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, ſiue habeantur expreſsè in Script. ſiue non. Et cùm dicimus, Eccleſiam non poſſe errare, id intelligimus, tam de vniuerſitate fidelium, quàm de vniuerſitate Epiſc. ita vt ſenſus ſit eius propoſitionis: Eccleſia non poteſt errare, id eſt, id, quod tenent omnes fideles tanquam de fide, neceſſario eſt verum, & de fide, & ſimiliter id, quod docent omnes Epiſcopi, tanqam ad fidem pertinens, neceſſario eſt verum & de fide. *Eccleſia no poteſt errare.*

Primo, de vniuerſitate fidelium prob. primo ex illo: *Eccleſia Dei eſt columna, & firmamentum veritatis*. Vbi Apoſtolus vult ſignificare, veritatẽ fidei, quoad nos, niti Eccleſiæ auctoritate, & verum eſſe, quidquid Eccleſia probat; falſum, quidquid illa improbat. *Prob. 1. de vniuerſitate fidelium.* *1. Tim. 3.*

Prob. 2. Epheſ. 1. Epheſ. 4.

Secundo, Eccleſia gubernatur à Chriſto, tanquam à capite, ſponſo ſuo; & à Spiritu ſancto, tanquam ab anima. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Et: *Vnum corpus, & vnus Spiritus.* Et: *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Ergo ſi Eccleſia in dogmatibus fidei, vel morum, erraret, Chriſto, & Spiritui ſancto error attribueretur. Quocirca Dominus ait: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Ioan 16. Prob 3. Matth. 18.

Tertiò, Obligamur ſub anathematis pœnæ credere Eccleſiæ in omnibus, vt patet: *Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus:* & cõcilia omnia dicunt anathema non aſſentiẽtibus Eccleſiæ decretis. At iniquũ eſſet ſub tam graui pœna obligari ad aſſentiendum rebus incertis, & interdum falſis.

Prob. 4.

Quartò; Eccleſiam eſſe ſanctam; docet Symbolum Apoſtolorum: iſta autem ſanctitas propriè in profeſsione dogmatum conſiſtit. Ergò Chriſtiana profeſsio nihil continet, niſi ſanctum, id eſt, verum, quoad fidei doctrinam; & iuſtum, quoad prçcepta morum. Et in hoc reuerà excellit omnibus profeſsionibus Philoſophorum, Ethnicorum, Iudçorum, Hçreticorum. Omnes enim habent dogmata aliqua falſa admiſta veris.

Prob. 5.

Prob. vltimò ex Patribus, qui omnes ad Eccleſiam prouocant in quæſtionibus fidei quibuſcunque: quod certè nullo modo facerent, ſi Eccleſiam falli poſſe exiſtimarent.

Prob. de vniuerſitate Epiſc. Luca 10. Matth. 23.

De vniuerſitate verò Epiſc. quòd errare non poſsit, prob. primò, quia, ſi omnes Epiſc. errarent, tota etiam Eccleſia erraret, quia tenentur populi ſequi ſuos Paſtores, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit.* Et: *Quæcunque dixerint, facite.*

Secundò ex epiſtola Concilij Epheſini ad Neſtorium vbi cogitur Neſtorius, ſi Eccleſiæ ſatisfacere velit, iuramento confirmare, ſe ita ſentire, vt ſentiunt Orientis, & Occidentis Epiſc.

Li. 1. de Baptiſ. c. 18. 3. Reg 8. Matt. 18.

Item, ex Auguſtino, qui vocat decretum Concilij generalis, Eccleſiæ vniuerſç conſenſum: & meritò, nam Eccleſia non docet, nec decernit quidquam, niſi per ſuos Paſtores; ſicut quodlibet corpus per ſuum caput. Vnde etiam congregatio Sacerdotum, & Seniorum vocatur omnis Eccleſia Iſraël. Et Chryſoſtomus exponit illud: *Dic Eccleſiæ*, id eſt, Prçlato.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De notis Eccleſiæ.

OBSERVANDVM eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe quaſi ſolem quendam, qui radios lucis clariſsimos ex omni parte diffundit, vt facillimè per eos cognoſci poſsit. Habet enim plurimas notas, ſiue teſtimonia, ac ſigna, quæ eam decernant ab omni falſa religione Paganorum, Iudæorum, Hæreticorum? Et non quidem efficiunt euidenter verum, ipſam eſſe veram Dei Eccleſiam; ſed tamen efficiunt id euidenter credibile: nec enim eſt idem euidenter verum, & euidenter credibile. Nam euidenter verum dicitur, quod vel in ſe, vel in ſuis principijs videtur. Euidenter credibile, quod non videtur, nec in ſe, nec in ſuis principijs, habet tamen tot, & tam grauia teſtimonia, vt quilibet vir ſapiens meritò id credere debeat. Vt, ſi iudex videat hominem à latrone occidi, vel vulnerari lęthaliter, & poſteà mori, habet euidentiam veritatis, quòd ipſe latro ſit homicida; ſi autem cædem fieri non videat, ſed habeat viginti teſtes viros grauiſsimos, qui dicunt ſe vidiſſe, habet euidentiam credibilitatis.

Dicimus ergò, notas Eccleſię, quas adferemus, non facere euidentiam veritatis ſimpliciter, quia alioqui nulli inuenirentur, qui id negarent; ſicut nemo inuenitur, qui neget ſententias, quas Mathematici demonſtrant: ſed tamen efficiunt euidentiam credibilitatis, iuxta illud: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Apud eos autem, qui admittunt Script. diuinas, & hiſtorias, ac Patrum veterum ſcripta; faciunt etiam euidentiam veritatis. Tametſi enim articulorum fidei veritas non poteſt nobis eſſe euidens abſolutè, tamen poteſt eſſe euidens ex hypotheſi, id eſt, ſuppoſita veritate Scripturarum. Quod enim à Scriptura euidenter deducitur, eſt euidenter verum ſuppoſitis Script. *Pſal. 92.*

Porrò hę notæ variè à varijs nominantur: nos quindecim notas proponemus, quę, ſi quis velit, poterunt aliquo modo reuocari ad illas quatuor, quę communiter à recentioribus aſsignantur ex Symbolo Conſtantinopolitano, Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam.

Prima nota eſt ipſum Catholicę Eccleſię, & Chriſtianorum nomen. Nam nulla eſt hęreſis, quę non accipiat nomen ab aliquo homine, auctore ſuo, & nomen Chriſtianum ijs relinquat, à quibus diſcedit. Sic ſciſmaticorum alij dicebant: *Ego ſum Pauli; alij, ego Apollo; alij, ego vero Cephas.* Ita nunc dicuntur alij Martiniſtę, vel Lutherani, alij Zwingliani, alij Caluiniſtæ, &c. Nos autem ab aliquo certo homine nemo vocauit: vnde conſtat noſtram ſolùm eſſe veram Eccleſiam. *1. Nota Eccleſiæ.* *1. Cor. 3.*

Secunda nota eſt Antiquitas. Nam ſine dubio vera Eccleſia antiquior *2 Nota.*

Matth 13. eſt, quàm falſa: quemadmodum Deus anteà fuit, quàm eſſet diabolus. Quocircà priùs ſeminatum legimus ſemen, quàm Zizania: & Eccleſia dicitur Catholica, quia omni tempore fuit; & Apoſtolica, quia fundata ab Apoſtolis, & proinde antiquiſsima.

Quod autem noſtra Eccleſia ſit illa ipſa, quam Chriſtus inſtituit, & proinde vetuſtior omnibus ſectis hęreticorum, hâc ratiocinatione concludi poteſt. In omni inſigni mutatione religionis, ſemper iſta ſex demonſtrari poſſunt. Primò auctor eius. II. dogma aliquod nouum. III. tempus, quo cœpit. IV. locus, vbi cœpit. V. quis eam oppugnauerit. VI. exiguus aliquis cœtus, vnde paulatim alijs accedentibus cœperit. Nam illa omnia inuenimus in ipſa Chriſti Eccleſia, quæ tamen non fuit noua Eccleſia, ſed ſolum mutatio quædam ſtatus Eccleſiæ ſecundum Prophetarum prędictiones. Primo enim ſcimus auctorem fuiſſe Chriſtum; vnde Chriſtiani dicimur. Secundò, cœpiſſe tunc explicitè credi noua dogmata Trinitatis, & Incarnationis. Tertio, cœpiſſe iſta prędicari anno XV. Imperij Tiberij Cæſaris. Quarto, cœpiſſe in Iudea. Quinto, mox oppugnatam fuiſſe hanc religionem à Scribis, & Pharizęis, deinde à Gentibus ſumma vi. Sexto ſcimus initio fuiſſe multo pauciores Chriſtianos, quàm eſſent Iudęi, cùm ſeparatio facta eſt. Si ergò in hac mutatione ſtatus eiuſdem Eccleſiæ illa ſex oſtendi poſſunt, multo magis eadem poterunt demonſtrari in quauis perfecta mutatione.

Iam vero nos illa omnia de ſingulis hęreticorum ſectis facillimè demonſtramus: nihil autem horum aduerſarij vnquam de noſtra Eccleſia poſt Apoſtolica tempora demonſtrare potuerunt. Ac vt exemplis rem illuſtremus. Arianorum auctorem ſcimus fuiſſe Arium quendam Presbyterum Alexandrinum. Neſtorianorum vero Neſtorium Epiſc. Conſtantinopolit. Lutheranorum autem Martinum Lutherum Presbyterum, & Monachum ordinis S. Auguſtini.

Secundo, ſcimus, quæ dogmata inuenerint. Arius docuit, Filium Dei eſſe creaturam. Neſtorius, in Chriſto eſſe duas perſonas. Lutherus, iuſtificari homines per ſolam fidem ſpecialem, id eſt, per hoc ſolùm, quod ſe iuſtos putent: item negauit, Euchariſtiam eſſe ſacrificium.

Tertio, ſcimus tempora. Cœpit enim Arij hæreſis, anno Domini CCC. XXIV. Neſtorij anno CD. XXXI. Lutheranorum anno MD. XVII.

Quarto, ſcimus loca. Cœpit Arianiſmus in Ægypto. Neſtoriana hęreſis in Thracia. Lutherana in Saxonia.

Quinto, ſcimus Arianos mox oppugnatos fuiſſe à Syluestro Pont. à Concilio Nicæno, ab Athanaſio, Hilario, & alijs. Neſtorianam à Pont. Celeſtino, Concilio Epheſino Cyrillo, aliiſque permultis. Lutheranā à Leone X. Pont. à Concilio Trident. ab academijs omnibus Catholicis, & Doctoribus plurimis.

Sexto, ſcimus initia harum hæreſum valde exigua fuiſſe; &, multo plures initio ſeparationis ſine comparatione fuiſſe Catholicos toto orbe terrarum diffuſos, quàm erant Ariani, Neſtoriani, vel Lutherani; quod ne ipſi quidem negant.

Quòd verò nihil horum de nobis oſtendere poſsint, perſpicuum eſt. Nam

primo

Primò nunquam obiecerunt nobis auctorem noſtræ ſectæ, nec ab vllo particulari homine nos appellarunt: quod certè libentiſsimè facerent, ſi poſſent.

Secundò, nunquam oſtenderunt primam originem vllius dogmatis noſtri, niſi tempore Apoſtolorum.

Tertiò, nunquam deſignare potuerunt tempus certum noſtræ defectionis ab Eccleſia. Dicunt quidem, poſt primos quingentos annos cœpiſſe valdè inualeſcere hanc ſectam, tamen quando cœperit abſolutè nunquam dixerunt.

Quartò, nunquam oſtenderunt, quo loco cęperit. Nam poſt primos quingentos annos floruit Gregorius, cum quo totum orbem terrarum communicaſſe ex epiſtolis eius, quas ad omnes Eccleſias mittit, cognoſci poteſt. Item, poſt Gregorij obitum celebratum eſt Concilium VI. generale, ex quo manifeſtè colligitur, totum Orientem, & Occidentem eo tempore cum Rom. Pontifice, vt membra cum capite, coniuncta fuiſſe.

Quinto, nunquam oſtenderunt, quis eam oppugnauerit, tanquam nuper ortum; & quæ Concilia contra eam celebrata fuerint.

Sexto, non poteſt vllo modo oſtendi, quod vnquam noſtra Eccleſia ſeparauerit ſe ab aliquâ maiore, ita vt, qui adhærebant Rom. ſedi, eſſent paucißimi, reliqui Chriſtiani multo plures. Nam ex epiſtolis Gregorij, quas ſcribit ad Epiſcopos Orientis, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, conſtat, omnes ferè Chriſtianos cum eo communicaſſe. Hoc argumento ab antiquitate ſemper vſi ſunt veteres Patres contra hæreticos, ad oſtendendam veram Eccleſiam.

Tertia nota eſt duratio diuturna, nec vnquam interrupta. Eccleſia enim dicitur Catholica, non ſolùm, quia ſemper fuit, ſed etiam quia ſemper erit, iuxta illud: *Regnum, quod in æternum non diſsipabitur.* Et: *Si eſt ex hominibus Concilium hoc, aut opus, diſſoluetur; ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere.* De hæreticis autem S. Paulus dicit: *Sed vltra non proficient.* Iam vero conſtat, Eccleſiam noſtrã duraſſe ab initio mundi hucuſque; vel, ſi de ſtatu noui Teſtamen. loquamur, duraſſe à Chriſto hucuſque per annos M. D C X. fruſtra eã oppugnantibus primo Iudęis, deinde Paganis, vltimo hęreticis; non ſolùm autem duraſſe, ſed etiam ex perſecutione creuiſſe. Vt enim aquæ diluuij palatia regum obruebant, atque deijciebant, arcam vero Noë ſemper magis ac magis attollebant: ita perſecutiones regna temporalia facilè deſtruunt; Chriſti regnum, quod eſt Eccleſia, non modo non deſtruunt, ſed etiam illuſtrant. Itaque Iuſtinus dicit perſecutionem id eſſe Eccleſiæ, quod eſt vineis putatio: vt enim vineæ putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoque Eccleſia perſecutionibus creſcit.

3. Nota. — Dan. 9. — Act. 5. — 2. Tim. 3. — In Triphone.

Deinde, noſtram eſse veram Eccleſiam, probari poteſt etiam hoc argumento: Nam ante Lutheri tempora non erant in mundo, niſi hæ religiones, Paganiſmus, Iudâiſmus, Mahumetiſmus, Gręciſmus, Neſtorianiſmus, Huſsitarum hęreſis, & Rom. Eccleſia: ſed certum eſt, non fuiſse veram Eccleſiam Chriſti apud vllam ex prędictis ſectis; vt etiam Lutherani fatentur: ergo fuit apud Rom. Eccleſiam, aut certè perijt de mundo omnis vera, & viſibilis Eccleſia

tiſma. Quarta eſt ratione eiuſdem Spiritus ſancti, à quo tanquam externo, 1. Cor. 12. & ſeparato Rectore vniuerſa Eccleſia gubernatur. *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Quinta eſt ratione eiuſdem capitis, tanquam interni, & coniuncti Rectoris; omnis enim Eccleſia eidem Chriſto, & eius vicario tanquam capiti paret. Ephes. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Et: Ioan vlt. *Simon Petre, paſce oues meas.* Sexta eſt ratione connexionis membrorum inter ſe, & præcipuè cum capite, vt eſt principale membrum: Rom. 12. *Vnum corpus ſumus, alter alterius membra.*

Iam verò inter has vnitates illæ, quæ faciunt propriè Eccleſiam vnam, ſunt duæ vltimæ. Nam per primam Eccleſia non tam eſt vna, quàm ex vno. Per ſecundam non tam eſt vna, quàm ad vnum. Per tertiam non tam eſt vna, quàm per vnum. Per quartam nō tam eſt vna, quàm ſub vno. Per quintam, & ſextā propriè eſt vna, id eſt, vnum corpus, vnus populus, vna ſocietas. Sciſma autē opponitur his vnitatibus poſtremis: tunc enim eſt ſciſma, quando vnū membrum non vult ampliùs eſſe membrum illius corporis, nec ſub illo capite: quare tollit vnitatem eſſentialem, atque Eccleſiam ipſam: Sciſmaticus igitur non eſt de Eccleſia.

Excommunicati. De Excommunicatis, quòd in Eccleſia non ſint, docet Catechiſmus Rom. In explicat. ſymboli. & prob. Primò ex illo: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Matt. 18. Vbi Dominus de Excommunicatis loquitur ſecundum omnium expoſitionem. At Ethnici non ſunt de Eccleſia. Item ex illo: *Cur non magis luctū habuiſtis, vt tollatur de medio veſtri, qui hoc opus fecit?* 1. Cor. 5. Et infrà: *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Item: *Auferte malum ex vobiſmetipſis*, &c.

Quibus omnibus verbis deſcribit Apoſtolus, quid ſit excommunicari. Iubet enim excommunicari eum, qui vxorem patris ſui habuerat.

11 q. 3. can. Canonica. Secundò prob. ex iure Canonico.

Tertiò ex Patribus.

Vltimò prob. ratione. Primò; Per excommunicationem priuantur homines omni commercio ſpirituali, quod habent homines Eccleſiæ inter ſe: igitur non ſunt ampliùs in cætu Eccleſiæ. Quid enim eſt, ciuem aliquem priuari ciuitate, niſi priuari omni commercio, quod eſt inter homines illius ciuitatis?

Secundò; Excommunicatio eum locū habet in Eccleſia, quem pœna mortis habet in Teſtamento veteri, & quem habet in temporalibus Repub. At per mortem ſeparantur homines planè à tota Rep.

Tertiò; Nulla eſt pęna grauior, quam Eccleſia infligere poſſit, excommunicatione: ergò per excommunicationem eijcitur homo de Eccleſia. Nam grauius eſt, proijci de Eccleſia, quàm quęlibet pœna, quæ de manentibus in Eccleſia ſumitur.

Quartò; Excommunicatio non poteſt ferri, niſi in contumaces, & incorrigibiles; vt omnes Theologi deducunt ex illo: Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Igitur Excommunicatio eſt eiectio de Eccleſia: ſi enim Excommunicatio eſſet pœna aliqua infra eiectionem, ferretur etiam quandoque in homicidas, adulteros, & alios facinoroſos, licet non contumaces.

Adde,

Adde, quòd, cùm abſoluuntur Excommunicati, dicitur: *Reſtituo te vnitati Eccleſiæ, & membrorum participationi.* Quod ſignum eſt perſpicuum, Excommunicatum ſeparatum fuiſſe ab Eccleſiæ vnitate.

De Prædeſtinatis, quòd non ſolùm Prædeſtinati, ſed etiam reprobi ad Eccleſiam pertinere poſsint, prob. Primò ex parabolis Domini apertiſsimis. *Prædeſtinati*

Comparatur enim Eccleſia areæ. *Permundabit* inquit, *aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Certè nomine areæ non poteſt intelligi, niſi Eccleſia: in qua tamen inueniuntur paleæ, quæ ſi comburerentur igne inextinguibili, certè non ſignificant electos. *Matth. 3.*

Item, comparatur ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congreganti quorum tandem aliqui mittuntur in caminum ignis, qui certè nō erant de prædeſtinatis. *Matth. 13.*

Item, comparatur conuiuio nuptiali, ad quod intrauerunt boni, & mali, & poſteà mali non habentes veſtem nuptialem proijciuntur in tenebras exteriores; & ideò concludit Dominus: *Multi ſunt vocati, pauci electi*, id eſt, multi ſunt in Eccleſia, quæ eſt euocatio quædam, ſiue cœtus vocatorum, qui tamen non ſunt de electis. *Matth. 22.*

Item, comparatur decem virginibus, quarum quinque prudentes, intrabunt in die iudicij cum ſponſo ad nuptias, quinque fatuæ excludentur. *Matth. 25.*

Item, cōparatur ouili, in quo ſunt oues, & Hædi: & illæ, Domino ipſo explicante, ſignificant electos; iſti reprobos. Et Paulus iubet expelli de Eccleſia inceſtuoſum, & tamen non poterat illum facere reprobum ex prędeſtinato, immò nec volebat; nam eiecit illum, vt humiliatus rediret, & ſaluus fieret in die Domini, vt ibi dicitur. *Ibid.* *1. Cor. 5.*

Item: *In magna autem domo ſunt vaſa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam.* Nec dubium eſſe videtur, quin vaſa in gloriam ſint electi; vaſa in contumeliam reprobi, etiamſi in eadem domo ſint. *2. Tim. 2.*

Accedant præterea exempla Pauli, & Iudæ. Nam Paulus affirmat, ſe perſecutum eſſe Eccleſiam Dei, & idem de eo affirmat Lucas. *1. Tim. 1.* *Gal. 1.*

Quæro igitur, vel illa Eccleſia, quam Paulus perſequebatur, erat vera Dei Eccleſia, vel non. Si vera; igitur Paulus aliquando non fuit membrum veræ Eccleſiæ: quomodò enim erat de illa Eccleſia, quam totis viribus oppugnabat? Si non erat vera Eccleſia; ergò Paulus, & Lucas mentiuntur, cùm eam abſolutè Dei Eccleſiam vocant. *1. Cor. 15.* *Act. 9.*

Porro Iudas reprobus erat, vt patet ex Actis, & tamen de vera Eccleſia aliquando fuit: nam, vt dicitur ibidem, fuit Apoſtolus ex duodecim, & Epiſcopus vocatus à Dauid Propheta; quæ non poſſunt eſſe vera, niſi aliquando de Eccleſia fuerit. *Act. 1.* *Pſal. 108.*

Accedat quoque ratio. Nam, ſi ſola prædeſtinatio facit hominem eſſe de Eccleſia, ſequitur, Turcas, Iudæos, hæreticos, & quoſlibet impios, ſi prædeſtinati ſunt, nunc eſſe de Eccleſia, & viua membra Chriſti: & contrà, quoslibet ſanctos, & pios baptizatos, ſi non ſint prædeſtinati, non eſſe de Eccleſia, neque de corpore Chriſti. At vtrumque eſt falſiſſimum, & contra expreſsiſsimas Script.

Nam, quòd non baptizati, & hæretici non ſint de Eccleſia, ſupra oſtendi- *Rom.6.* mus. Quòd autem impij non ſint viua membra, dicit Apoſtolus: *Qui Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius*; nimirum viuum membrum. Quòd autem impij non habeant Spiritum Chriſti, ſed ſpiritum diaboli, patet ex operibus eorũ. Non enim ſunt patientes, caſti, &c. quæ ſunt opera Spiritus: ſed ſunt adulte- *Gal. 6.* ri, homicidæ, blaſphemi, &c. quæ ſunt opera carnis.

E contrario autem, quòd omnes pij baptizati ſint membra Chriſti, dicit *1 Cor. 12.* Apoſtolus: *Omnes nos vno ſpiritu in vnum corpus baptizati ſumus.* Et: *Omnes enim filij* *Gal. 3.* *Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu: quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et tamen non eſt credibile, omnes Corinthios, & Galatas fuiſſe prædeſtinatos.

Prob. vltimò ex incommodis. Nam, ſi ſoli prædeſtinati eſſent de Eccleſia, omnia eſſent incerta. Nam nemo tunc cognoſceret fratres ſuos, nec paſtores cognoſcerent oues ſuas, nec ab illis cognoſcerentur; cùm nemo ſciat, qui ſint prædeſtinati: & præterea nemo ſciret, quæ ſint verè Script. quæ vera Sacram. quæ vera fides, &c. Omnia enim pendent ex teſtimonio veræ Eccleſiæ.

Nõ perfecti. Non perfectos in Eccleſia eſſe poſſe, facilè probari poteſt. Nam, ſi non eſſent in Eccleſia ij, qui habent aliquam imperfectionem, nulla fuiſſet, neque eſſet, neque futura eſſet Eccleſia in terris. Nam excepto Chriſto, & B. Virgine, qui ſoli non faciunt Eccleſiam, nulli ſunt, quamuis ſanctiſsimi, in hâc vitâ, qui non habeant aliqua venialia peccata, quæ tamen non tollunt iuſtitiam, nec faciunt hominem Deo inimicum, vt Pelagiani putabant. Id quod *Pſalm. 31.* teſtantur diuinæ litteræ: *Tu remiſiſti iniquitatem peccati mei, pro hâc orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Quid eſt enim, *Pro hâc* niſi pro remiſsione? Et ſanctus igitur aliquis eſt, & tamen habet, quod ſibi poſtulet remitti. Et: *3. Reg 8.* *Nec enim eſt homo, qui non peccet.* Et: *Septies in die cadet iuſtus, & reſurget.* Et: *Prou. 24.* *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Iubentur etiam omnes *Eccleſ 7.* *Matth.6.* dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et: *In multis offendimus omnes.* Et: *Si dixeri-* *Iacob.3.* *mus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* *1. Ioan. 1.* Quæ certè teſtimonia clariora ſunt, quàm vt explicatione vlla indigeant.

Can.7. & 8. Idem teſtatur Concil. Mileuitanum, vbi definitur, iuſtos dicere non ſolũ humiliter, ſed etiam veraciter; & non ſolùm pro alijs, ſed etiam pro ſe: *Dimitte nobis debita noſtra.* Idem teſtantur Patres.

Magni peccatores. De magnis peccatoribus, eos etiam eſſe in vnâ, verâ, & Catholica Eccleſia Chriſti, & non ſolùm occultos, ſed etiam manifeſtos, prob. Primò ex parabolis Euangeliorum de areâ, de reti, de conuiuio nuptiali, de decem virgini- *Matt. 18.* bus, & de ouili ſuprà citatis. Præterea, ſunt alia loca apertiſsima. *Si peccaterit in te frater tuus, vade, corripe eum, &c. Si eos non audierit, dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Hic negari non poteſt, quin ſermo ſit de verâ Eccleſiâ. Nam Chriſtus loquitur de Eccleſia ſua: & in hâc Eccleſiâ conſtat inueniri peccatores, & tales peccatores, qui ſæpe non emendantur per correptionem fraternam, nec etiam adhibitis duobus teſtibus: & tamen in Eccleſiâ manent, donec ab ipſa Eccleſia per ſententiam Prælati eijciantur.

Item,

Item; Dominus præcipit de præpoſitis malis, vt faciamus, quod dicunt, non quod faciunt. Deſcribit etiam præpoſitum malum, qui percutit conſeruos, comedit, & bibit cum ebrioſis, &c. & dicit: *Veniet Dominus eius in die, qua non ſperat, & diuidet eum, partemq́; eius cum hypocritis ponet.* Vbi de præpoſitis Eccleſiæ agi, docent Hilarius, Hieronymus, Chryſoſtomus, & alij in hunc locum. *Matth. 23.* *Matt. 24.*

Item, Paulus dicit, ſcribere ſe Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi: & mox ibidē ſubdit: *Significatum eſt mihi, quòd contentiones ſint inter vos,* &c. Et alibi: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat.* Quid hic dicent? Non eſſe hanc veram Eccleſiam? at Apoſtolus dicit, eſſe Eccleſiam Dei. Non fuiſſe iſtum peccatorem grauiſsimum, & manifeſtum? At Apoſtolus hoc dicit. Non fuiſſe in illâ Eccleſiâ? At Apoſtolus iubet, vt expellant eum per excommunicationem: *Tollatur,* inquit, *de medio veſtri,* &c. *1. Cor. 1.* *1. Cor. 5.*

Præterea; Ioannes in Apoc. ſcribit ſeptem Eccleſijs Aſiæ, & ferè ſingulas reprehendit de rebus non leuibus. Et, vt notat B. Auguſtinus, non ſolùm Eccleſias, ſed etiam præpoſitum reprehendit, ſignificatum per Angelum Sardenſis Eccleſiæ: *Nomen,* inquit, *habes, quòd viuas, ſed mortuus es, eſto vigilans,* &c. *Apoc. 2. & 3.* *L. 2. contra Parmen. c. 10.*

Adde, quòd tempore Teſtamenti veteris nunquam defuerunt grauiſsima peccata in populo Dei, & tamen nuſquam legimus, quòd Moyſes, aut Samuel, aut alij Prophetæ, qui diuerſis temporibus fuerunt: aut Maria, Anna, Elizabeth, Simeon, Zacharias, Ioannes Baptiſta, & alij iuſti, quos Dominus inuenit in populo Iudæorum, ſeparauerint ſe à reliquis peſsimis hominibus, quantum ad templum, altare, ſacrificium, & alia, quæ religionis ſunt, ergò in eâdem congregatione manebant boni, & mali.

Prob. ſecundò ex teſtimonio Eccleſiæ Catholicæ, quæ erat tempore B. Auguſtini. Refert enim ipſe, collationem celeberrimam Carthagine habitam inter CCC. VI. Epiſc. Catholicos, quorum vnus ipſe erat, & CC. XCVI. Donatiſtas Epiſc. Tot enim fuiſſe indicat Auguſtinus in collatione primæ diei. Deinde, in collatione tertiæ diei refert, Donatiſtas coactos fateri eſſe in Eccleſia bonos, & malos, prolatâ à Catholicis illa parabola de reti, piſces bonos, & malos congregante: ſed dixiſſe adhuc Donatiſtas, tantùm occultos malos eſſe in Eccleſia, ſicut in reti, dum eſt in mari, non diſcernuntur à piſcatoribus piſces boni, à malis, ſed in littore diſcernuntur, & mox ſeparantur. Ad hoc autem dicit reſpondiſſe Catholicos, propterea Eccleſiam comparatam etiam areæ, in quâ diſcernuntur paleæ à frumento, immo magis apparent paleæ, quàm frumenta: & etiam arcæ Noë, in qua etiam poſt egreſſum corui, quo ſignificantur hæretici, adhuc remanſerunt palam animalia munda, & immunda. Prob. tertio teſtimonijs Patrum. *In breuiculo collationum.*

Vltimo prob. ratione. Nam, ſi ſoli boni eſſent in Eccleſia, fruſtrà eſſet Sacram. Pœnitentiæ, quod ſolis illis adminiſtratur, qui ſunt de Eccleſia. Incertum eſt enim, qui ſint reuerà boni, & qui non. Item, mox atque Prælati in aliquod peccatum incidiſsent, non eſsent ampliùs de

Eccleſia, nec prælati, & proinde non oporteret illis ampliùs obedire. Et ſimiliter ſubditi, mox atque peccarent, non eſſent ampliùs de grege: & proinde liceret paſtoribus curam eorum non agere; ex quo ſumma confuſio, & perturbatio oriretur.

Infideles occulti. De Infidelibus occultis, id eſt, de ijs, qui nec fidem internam, nec vllam Chriſtianam virtutem habent, & tamen exteriùs propter temporale aliquod commodum fidem Catholicam profitentur, & communione Sacramentorũ veris fidelibus permiſcentur, nos modum communem loquendi plurium ſequimur, qui docent, eos eſſe veras, partes exteriores, atque adeò etiam membra, licet arida, & mortua, corporis Eccleſiæ.

1. Ioan. 2. Ac Primùm hæc ſententia demonſtrari poteſt ex illis verbis: *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam, ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum.*

Hoc loco Ioannes de hæreticis loquitur, quos Antichriſtos vocat, & dicit eos, antequam exirent, non fuiſſe ex nobis, id eſt, non fuiſſe Catholicos animo, ac voluntate, ſed hæreticos, atque Antichriſtos, & tamen ex nobis exiuiſſe, quia, & ſi non erant ex nobis animo, ac voluntate, erant tamen ex nobis externa profeſsione: ſed poſteaquam ſe prodiderunt, & in apertum ſciſma proruperunt, iam deſierunt omnibus modis eſſe ex nobis.

Secundò prob. ex Patribus, maximè ijs, qui communi conſenſu docent, eos, qui ſunt extra Eccleſiam, nullam habere auctoritatem, aut iuriſdictionem in Eccleſia.

Quod ſanè ratio etiam manifeſtè docet. Quo pacto enim cogitari, aut fingi poteſt, vt is habeat iuriſdictionem, & proinde ſit caput Eccleſiæ, qui non eſt membrum?

Certum eſt autem, occultum hæreticum, ſi Epiſcopus, aut etiam ſummus Pontif. eſſet, non amittere iuriſdictionem, nec dignitatem, aut nomen capitis in Eccleſia, donec aut ipſe ſe ab Eccleſia publicè ſeparet, aut conuictus hæreſeos inuitus ſeparetur.

Adde, quòd, ſi occulti hæretici nullam habere poſſent iuriſdictionem, redderentur incerti omnes actus, qui ex iuriſdictione dependent; quod non parum Eccleſiam vniuerſam perturbaret.

Iam ergo, ſi is, qui non eſt in Eccleſia non poteſt habere auctoritatem in Eccleſiam, & hæreticus occultus habere poteſt, & aliquando reipſa habet auctoritatem in Eccleſiam, certè hæreticus occultus eſſe poteſt in Eccleſia.

Tertio prob. ratione. Ac primum, ſimilitudo corporis humani id, quod quærimus, ſuadere poteſt.

Rom. 12. 1. Cor. 12. Eſt enim Eccleſia ſimilis corpori humano, vt Apoſtolus docet: in corpore autem humano multa, & varia videmus eſſe partium genera, ita vt quædam viuant, & ſentiant: quædam viuant, non ſentiant; quædam nec viuant, nec ſentiant; vt notum eſt. Igitur in Eccleſia quoque nihil impediet, quo minus ſint aliqui, qui habeant fidem, & charitatem; quidam

ſolam

ſolam fidem; quidam ne ipſam quidem fidem, ſed externam dumtaxat coniunctionem.

Deinde; Si ij, qui fide internâ carent, non ſunt, nec eſſe poſſunt in Eccleſia, nulla erit inter nos, & hęreticos ampliùs quæſtio de Eccleſiæ viſibilitate: proinde (quod ego certè magni facio) ſuperuacaneæ erunt tot eruditiſsimorum hominum diſputationes, quæ hactenus prodierunt. Omnes enim, qui hactenus ſcripſerunt, id obijciunt Lutheranis, & Caluiniſtis, quòd Eccleſiam inuiſibilem faciant.

Nullam autem futuram ampliùs quæſtionem, ita probo. Lutherani, & Caluiniſtæ ſigna viſibilia quædam, & externa Eccleſiæ ſtatuunt, nimirum prædicationem verbi Dei, & Sacram. adminiſtrationem & conſtanter docent, vbicunque hæc ſigna conſpiciuntur, ibi etiam eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Quia tamen ſolos iuſtos, & pios, ad Eccleſiam veram pertinere volunt, & nemo poteſt certò ſcire, qui ſint verè iuſti, & pij inter tam multos, qui iuſtitiam, & pietatem exteriùs præ ſe ferunt, cùm certum ſit, multos vbique eſſe hypocritas, & falſos fratres; idcircò noſtri rectè concludunt, eos facere Eccleſiam inuiſibilem.

Porrò Lutheranis, & Caluiniſtis iuſtitia in ſola fide conſiſtit, idemque eſt apud eos, Eccleſiam eſſe cætum iuſtorum, & piorum; &, eſſe cætum verè credentium: quis non igitur videt, nos cum illis planè conuenire, ſi omnes illos ab Eccleſia excludamus, qui veram fidem in corde non habent?

Ad hæc; Neceſſe eſt, vt nobis certitudine infallibili conſtet, qui cętus hominum ſit vera Chriſti Eccleſia: nam, cùm Script. traditiones, & omnia planè dogmata, ex teſtimonio Eccleſiæ pendeant, niſi certiſsimi ſimus, quæ ſit vera Eccleſia, incerta erunt prorſus omnia. At non poteſt certitudine infallibili conſtare nobis, quæ ſit vera Eccleſia, ſi fides interna requiritur in quolibet membro, ſeu parte Eccleſiæ.

Quis enim certò nouit, in quibus ſit illa fides? Non igitur fides, aut aliquid aliud inuiſibile, & occultum requiritur, vt quis aliquo modo pertineat ad Eccleſiam.

CAPVT

carent viſibile ſignum circumciſionis; in Teſtam. nouo ſine dubio Eccleſia Chriſtiana tota erat in principio in Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti, qui adeò viſibiles erant, vt ſuper illis viſibiliter Spiritus ſanctus deſcenderit in die Pentecoſtes. *Act. 1. 2. 3. & 4.*

Deinde, iſtis additi ſunt viſibiliter vna die homines ad tria millia, & rurſum ad quinque millia, per fidei confeſsionem, & Baptiſmum: ac deinceps ſemper illi omnes, & ſoli habiti ſunt de Eccleſia Chriſti, qui ad illos primos ſe adiunxerunt per Baptiſmum, & confeſsionem fidei, & inde non receſſerunt per hæreſes, aut ſciſmata, aut expulſi ſunt per excommunicationem. *Prob. 4.*

Quartò prob. ex ipſa ratione Eccleſiæ. Eccleſia enim eſt ſocietas quædam, non Angelorum, neque animarum, ſed hominum. Non autem poteſt dici ſocietas hominum, niſi in externis, & viſibilibus ſignis conſiſtat: nam non eſt ſocietas, niſi ſe cognoſcant ij, qui dicuntur ſocij; non autem poſſunt ſe homines agnoſcere, niſi ſocietatis vincula ſint externa, & viſibilia.

Et confirm. ex more omnium humanarum ſocietatum: nam in militiam, in ciuitatem, in regnum, & alia ſimilia non aliter homines adſcribuntur, quã ſignis viſibilibus. *Prob. 5.*

Quintò prob. ex neceſsitate: nam tenemur omnes ſub periculo æternæ mortis, veræ Eccleſiæ nos adiungere, & in illa perſeuerare, id eſt, capiti eius obedire, & cæteris membris communicare. At hoc fieri non poteſt, ſi Eccleſia eſt inuiſibilis. *Prob. 6. & 7.*

Sextò ex dictis quæſtione ſuperiore. Si enim Eccleſia eſt congregatio hominum viuentium Sacram. iiſdem, & fidem Chriſti profitentium, ſub regimine legittimorum paſtorum, ſequitur neceſſario, eam eſſe viſibilem.

Septimò prob. idem teſtimonijs veterum. *Prob. 1.*

Secundò, docere volumus, Eccleſiam viſibilem non poſſe deficere: & nomine Eccleſiæ non intelligimus vnum, aut alterum hominem Chriſtianum; ſed multitudinem congregatam, in qua ſint Prælati, & ſubditi. *Eccleſiam non poſſe deficere. Matth. 16.*

Primùm id oſtenditur ex Script. vbi apertè nominatur Eccleſia. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Cui ſimile eſt illud: *Vt ſcias, quomodo te oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* *1. Tim. 3.*

In vtroque loco agitur de Eccleſia viſibili: & tamen audimus ipſam veritatem aſſerentem, portas inferorum non præualituras, contra eam Eccleſiam. *Prob. 2.*

Secundò, ex alijs locis, vbi aperta eſt promiſsio ſine nomine Eccleſiæ. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ verba ad Eccleſiam viſibilem dicta ſunt, nimirum ad Apoſtolos, & diſcipulos cæteros, quos in die Aſcenſionis ſuæ Dominus allocutus eſt: &, cùm illi homines non eſſent permanſuri in corpore vſque ad mundi conſummationem, neceſſe eſt dicere, hanc promiſsionem pertinere ad eorum ſucceſſores. *Matt. vlt.*

Ephes. 4. Præterea: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Vbi Apoſtolus docet manſura in Eccleſia iſta miniſteria Paſtorum, & Doctorum, & continuam ædificationem corporis Chriſti, & proinde viſibilem Eccleſiam vſque ad diem iudicij: nam quando ſola eſſet in mundo Eccleſia inuiſibilis, non inuenirentur iſta miniſteria, quæ non poſſunt exerceri, niſi ſe Paſtores, & oues agnoſcant.

Et notandum, quòd, licet veteres intelligant hunc locum de ſpirituali mēſura corporis myſtici; recentiores autem de corporali menſura corporū beatorum, quæ dicunt futura tantæ magnitudinis, quantæ fuerunt, vel fuiſſent in perfecta ſua ętate; tamen omnes intelligunt hunc locum de nouiſsimis diebus quando complebitur numerus electorum?

Pſal. 47. Prętereà; *Deus fundauit eam in æternum.* Id eſt, Eccleſiam ſuam, quę eſt ciuitas eius, vt Auguſtinus exponit, & res ipſa clamat. Nam totus Pſalmus eſt de fundatione Eccleſiæ Chriſtianæ, tanquam nouæ, & viſibilis ciuitatis. Incipit enim: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius: Fundatur exultatione vniuerſæ terræ,* &c. Item, apud Iſaiam (quod caput intelligi de Eccleſia noui Teſtamenti docuit Chriſtus, cùm in Synagoga

Luc. 4. citauit, & expoſuit de aduentu ſuo initium huius capitis: *Spiritus Domini ſuper*

Iſa. 61. *me,* &c) ſic habetur. *Et fœdus perpetuum feriam eis, & ſcietur in Gentibus ſemen eorū, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Profectò tam eſt perſpicuus hic locus, vt expoſitione non egeat. Quomodò enim inuiſibilis erit ille cœtus, de quo dicitur: *Omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus?*

Accedant tertiò teſtimonia ex parabolis, quibus omnium conſenſu ſigni-

Prob. 3. ficatur Eccleſia. Area enim, in qua ſunt granum, & paleæ, rete, in quo ſunt boni, & mali piſces; ager, in quo ſunt frumentum, & zizania; conuiuium, in quo ſunt boni, & mali diſcumbentes; ouile, in quo ſunt oues, & hędi, ſignificant Eccleſiam viſibilem; vt etiam hęretici fatentur. Nam Eccleſia inuiſibilis non habet malos, & bonos; ſed tantùm bonos ſecundum eorum ſententiā. At eædem parabolæ docent, iſtam Eccleſiam viſibilem nunquam interituram

Matth. 3. vſque ad diem iudicij. Nam dicitur: *Ipſe permundabit aream ſuam, & triticum cōgregabit in horreum ſuum; paleas autē comburet igni inextinguibili,* quod ſine dubio

Matth. 13. non fiet ante diem iudicij. Et: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem.* Et infrà: *Meſsis autem conſummatio ſæculi eſt.* Et infrà: *Sic erit in conſummatione ſæculi, exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum,* &c.

Prob. 4. Quartò prob. ex Script. quæ loquūtur de regno Chriſti. *Thronus eius ſicut ſol*

Pſal. 88. *in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternū, & teſtis in cælo fidelis.* Ibidem: *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius, & thronum eius, ſicut dies cæli:* Et: *In diebus autem*

Dan. 2. *regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli Regnum, quod in æternum non diſsipabitur: & Reg-*

Luc. 1. *num eius alteri populo non tradetur,* &c. Item: *Et Regni eius non erit finis.* Iſta loca

non

non poſſunt intelligi, niſi de vera, & viſibili Chriſti Eccleſia nunquam interitura. Nam Regnum Chriſti ſine dubio eſt vera eius Eccleſia.

Præterea; In Pſalmo, vbi dicitur Chriſti Regnum æternum, dicitur etiam, quòd in eo ſint boni, & mali, ac proinde quòd Eccleſia ſit viſibilis: *Si autem dereliquerint filij eius*, inquit, *legem meam, & iuſtitias meas non cuſtodierint*, &c. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; miſericordiam autem meã non diſpergam ab eo*, &c. Quem locum pulchrè exponit de flagellis Eccleſiæ S. Cyprianus. In illo etiam capite Danielis, vbi dicitur Regnum Chriſti perpetuum, legimus quoque, illud Regnum eſſe montem magnum implentem omnem terram: quem Iſaias, & Michæas vocant montem manifeſtum ſecundum LXX. *Pſal 88.* *In Serm. de lapſis.* *Dan. 2.* *Iſa. 2.* *Mich. 4.*

Quintò prob. teſtimonijs veterum.

Vltimò prob. ratione naturali. Primum enim, ſi aliquando ſola maneret in mundo Eccleſia inuiſibilis, aliquando etiam eſſet impoſsibilis ſalus ijs, qui ſunt extra Eccleſiam. Nam non poſſunt ſaluari, niſi in Eccleſiam ingrediantur: ſicut tempore Noë peribant neceſſariò, qui non habebant aditum ad arcam: at non poſſunt ingredi in Eccleſiam, quam ignorant, igitur non habent remedium. *Prob. 5. & 6.*

Præterea, De ratione vnius veræ Eccleſiæ eſt, vt ſit viſibilis: ergò, ſi Eccleſia viſibilis perit, nulla vera Eccleſia remanet.

Denique; Vel homines illi occulti, qui Eccleſiam inuiſibilem conſtituunt, profitentur palàm fidem ſuam, & abſtinent ab idolorum cultura, vel non: ſi profitentur; ergò non eſt Eccleſia inuiſibilis, ſed maximè viſibilis, ſicut erat tempore Martyrum: ſi non profitentur, ergò nulla eſt Eccleſia: nam non eſt vera Eccleſia, in qua nulli ſunt boni, & qui ſaluentur; non autem ſunt boni, nec ſaluantur, qui non confitentur fidem, ſed ea in corde retenta exteriùs profitentur perfidiam, & idololatriam, cùm dicat Apoſtolus: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*. Et: *Omnis qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*. Ergo implicat contradictionem Eccleſiam eſſe, & carere omni forma viſibili, niſi ponatur extra mundum, vbi nunquam ſit neceſſarium fidem confiteri. *Rom. 10.* *Matth. 10.*

Tertio docere volumus, Eccleſiam non poſſe errare. Eſt autem ſententia noſtra, Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, nec in rebus abſolutè neceſſarijs, nec in alijs, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, ſiue habeantur expreſsè in Script. ſiue non. Et cùm dicimus, Eccleſiam non poſſe errare, id intelligimus, tam de vniuerſitate fidelium, quàm de vniuerſitate Epiſc. ita vt ſenſus ſit eius propoſitionis: Eccleſia non poteſt errare, id eſt, id, quod tenent omnes fideles tanquam de fide, neceſſario eſt verum, & de fide, & ſimiliter id, quod docent omnes Epiſcopi, tanqam ad fidem pertinens, neceſſario eſt verum & de fide. *Eccleſia no poteſt errare.*

Primo, de vniuerſitate fidelium prob. primo ex illo: *Eccleſia Dei eſt columna, & firmamentum veritatis*. Vbi Apoſtolus vult ſignificare, veritatẽ fidei, quoad nos, niti Eccleſiæ auctoritate, & verum eſſe, quidquid Eccleſia probat; falſum, quidquid illa improbat. *Prob. 1. de vniuerſitate fidelium.* *1. Tim. 3.*

Prob. 2. Secundo, Eccleſia gubernatur à Chriſto, tanquam à capite, ſponſo ſuo;
Epheſ. 1. & à Spiritu ſancto, tanquam ab anima. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam,*
Epheſ. 4. *quæ eſt corpus ipſius.* Et: *Vnum corpus, & vnus Spiritus.* Et: *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Ergo ſi Eccleſia in dogmatibus fidei, vel morum, erraret, Chriſto, & Spiritui ſancto error attribueretur. Quocirca Dominus ait:
Ioan 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.*

Prob 3. Matth. 18. Tertiò, Obligamur ſub anathematis pœna credere Eccleſiæ in omnibus, vt patet: *Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus:* & Cõcilia omnia dicunt anathema non aſſentiẽtibus Eccleſiæ decretis. At iniquũ eſſet ſub tam graui pœna obligari ad aſſentiendum rebus incertis, & interdum falſis.

Prob. 4. Quartò; Eccleſiam eſſe ſanctam; docet Symbolum Apoſtolorum: iſta autem ſanctitas propriè in profeſsione dogmatum conſiſtit. Ergò Chriſtiana profeſsio nihil continet, niſi ſanctum, id eſt, verum, quoad fidei doctrinam; & iuſtum, quoad pręcepta morum. Et in hoc reuerà excellit omnibus profeſsionibus Philoſophorum, Ethnicorum, Iudęorum, Hęreticorum. Omnes enim habent dogmata aliqua falſa admiſta veris.

Prob. 5. Prob. vltimò ex Patribus, qui omnes ad Eccleſiam prouocant in quæſtionibus fidei quibuſcunque: quod certè nullo modo facerent, ſi Eccleſiam falli poſſe exiſtimarent.

Prob. de vniuerſitate Epiſc. De vniuerſitate verò Epiſc. quòd errare non poſsit, prob. primò, quia, ſi omnes Epiſc. errarent, tota etiam Eccleſia erraret, quia tenentur populi ſequi
Luca 10. ſuos Paſtores, dicente Domino: *Qui vos audit, me audit.* Et: *Quæcunque dixerint,*
Matth. 23. *facite.*

Secundò ex epiſtola Concilij Epheſini ad Neſtorium vbi cogitur Neſtorius, ſi Eccleſiæ ſatisfacere velit, iuramento confirmare, ſe ita ſentire, vt ſentiunt Orientis, & Occidentis Epiſc.

Li. 1. de Baptiſ. c. 18. Item, ex Auguſtino, qui vocat decretum Concilij generalis, Eccleſiæ vniuerſę conſenſum: & meritò, nam Eccleſia non docet, nec decernit quidquam, niſi per ſuos Paſtores; ſicut quodlibet corpus per ſuum caput. Vnde etiam
3. Reg 8. congregatio Sacerdotum, & Seniorum vocatur omnis Eccleſia Iſraël. Et
Matt. 18. Chryſoſtomus exponit illud: *Dic Eccleſiæ,* id eſt, Pręlato.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De notis Eccleſiæ.

OBSERVANDVM eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe quaſi ſolem quendam, qui radios lucis clariſsimos ex omni parte diffundit, vt facillimè per eos cognoſci poſsit. Habet enim plurimas notas, ſiue teſtimonia, ac ſigna, quæ eam decernant ab omni falſa religione Paganorum, Iudæorum, Hæreticorum. Et non quidem efficiunt euidenter verum, ipſam eſſe veram Dei Eccleſiam; ſed tamen efficiunt id euidenter credibile: nec enim eſt idem euidenter verum, & euidenter credibile. Nam euidenter verum dicitur, quod vel in ſe, vel in ſuis principijs videtur. Euidenter credibile, quod non videtur, nec in ſe, nec in ſuis principijs, habet tamen tot, & tam grauia teſtimonia, vt quilibet vir ſapiens meritò id credere debeat. Vt, ſi iudex videat hominem à latrone occidi, vel vulnerari lęthaliter, & poſteà mori, habet euidentiam veritatis, quòd ipſe latro ſit homicida; ſi autem cædem fieri non videat, ſed habeat viginti teſtes viros grauiſsimos, qui dicunt ſe vidiſſe, habet euidentiam credibilitatis.

Dicimus ergò, notas Eccleſię, quas adferemus, non facere euidentiam veritatis ſimpliciter, quia alioqui nulli inuenirentur, qui id negarent; ſicut nemo inuenitur, qui neget ſententias, quas Mathematici demonſtrant: ſed tamen efficiunt euidentiam credibilitatis, iuxta illud: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Apud eos autem, qui admittunt Script. diuinas, & hiſtorias, ac Patrum veterum ſcripta; faciunt etiam euidentiam veritatis. Tametſi enim articulorum fidei veritas non poteſt nobis eſſe euidens abſolutè, tamen poteſt eſſe euidens ex hypotheſi, id eſt, ſuppoſita veritate Scripturarum. Quod enim à Scriptura euidenter deducitur, eſt euidenter verum ſuppoſitis Script. *Pſal. 92.*

Porrò hę notæ variè à varijs nominantur: nos quindecim notas proponemus, quę, ſi quis velit, poterunt aliquo modo reuocari ad illas quatuor, quę communiter à recentioribus aſsignantur ex Symbolo Conſtantinopolitano, Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam.

Prima nota eſt ipſum Catholicę Eccleſię, & Chriſtianorum nomen. Nam nulla eſt hęreſis, quę non accipiat nomen ab aliquo homine, auctore ſuo, & nomen Chriſtianum ijs relinquat, à quibus diſcedit. Sic ſciſmaticorum alij dicebant: *Ego ſum Pauli; alij, ego Apollo; alij, ego vero Cephæ.* Ita nunc dicuntur alij Martiniſtę, vel Lutherani, alij Zwingliani, alij Caluiniſtæ, &c. Nos autem ab aliquo certo homine nemo vocauit: vnde conſtat noſtram ſolùm eſſe veram Eccleſiam. *1. Nota Eccleſiæ.* *1. Cor. 3.*

Secunda nota eſt Antiquitas. Nam ſine dubio vera Eccleſia antiquior *2 Nota.*

 eſt,

Matth 13. eſt, quàm falſa: quemadmodum Deus anteà fuit, quàm eſſet diabolus. Quocircà priùs ſeminatum legimus ſemen, quàm Zizania: & Eccleſia dicitur Catholica, quia omni tempore fuit; & Apoſtolica, quia fundata ab Apoſtolis, & proinde antiquiſsima.

Quod autem noſtra Eccleſia ſit illa ipſa, quam Chriſtus inſtituit, & proinde vetuſtior omnibus ſectis hęreticorum, hâc ratiocinatione concludi poteſt. In omni inſigni mutatione religionis, ſemper iſta ſex demonſtrari poſſunt. Primò auctor eius. II. dogma aliquod nouum. III. tempus, quo cœpit. IV. locus, vbi cœpit. V. quis eam oppugnauerit. VI. exiguus aliquis cœtus, vnde paulatim alijs accedentibus cœperit. Nam illa omnia inuenimus in ipſa Chriſti Eccleſia, quæ tamen non fuit noua Eccleſia, ſed ſolum mutatio quædam ſtatus Eccleſiæ ſecundum Prophetarum prędictiones. Primo enim ſcimus auctorem fuiſſe Chriſtum; vnde Chriſtiani dicimur. Secundò, cœpiſſe tunc explicitè credi noua dogmata Trinitatis, & Incarnationis. Tertio, cœpiſſe iſta prędicari anno XV. Imperij Tiberij Cæſaris. Quarto, cœpiſſe in Iudea. Quinto, mox oppugnatam fuiſſe hanc religionem à Scribis, & Pharizęis, deinde à Gentibus ſumma vi. Sexto ſcimus initio fuiſſe multo pauciores Chriſtianos, quàm eſſent Iudęi, cùm ſeparatio facta eſt. Si ergò in hac mutatione ſtatus eiuſdem Eccleſiæ illa ſex oſtendi poſſunt, multo magis eadem poterunt demonſtrari in quauis perfecta mutatione.

Iam vero nos illa omnia de ſingulis hęreticorum ſectis facillimè demonſtramus: nihil autem horum aduerſarij vnquam de noſtra Eccleſia poſt Apoſtolica tempora demonſtrare potuerunt. Ac vt exemplis rem illuſtremus. Arianorum auctorem ſcimus fuiſſe Arium quendam Presbyterum Alexandrinum. Neſtorianorum vero Neſtorium Epiſc. Conſtantinopolit. Lutheranorum autem Martinum Lutherum Presbyterum, & Monachum ordinis S. Auguſtini.

Secundo, ſcimus, quæ dogmata inuenerint. Arius docuit, Filium Dei eſſe creaturam. Neſtorius, in Chriſto eſſe duas perſonas. Lutherus, iuſtificari homines per ſolam fidem ſpecialem, id eſt, per hoc ſolùm, quod ſe iuſtos putent; item negauit, Euchariſtiam eſſe ſacrificium.

Tertio, ſcimus tempora. Cœpit enim Arij hæreſis, anno Domini CCC. XXIV. Neſtorij anno CD. XXXI. Lutheranorum anno MD. XVII.

Quarto, ſcimus loca. Cœpit Arianiſmus in Ægypto. Neſtoriana hęreſis in Thracia. Lutherana in Saxonia.

Quinto, ſcimus Arianos mox oppugnatos fuiſſe à Syluestro Pont. à Concilio Nicæno, ab Athanaſio, Hilario, & alijs. Neſtorianam à Pont. Celeſtino, Concilio Epheſino Cyrillo, aliiſque permultis. Lutheranã à Leone X. Pont. à Concilio Trident. ab academijs omnibus Catholicis, & Doctoribus plurimis.

Sexto, ſcimus initia harum hæreſum valde exigua fuiſſe; &, multo plures initio ſeparationis ſine comparatione fuiſſe Catholicos toto orbe terrarum diffuſos, quàm erant Ariani, Neſtoriani, vel Lutherani; quod ne ipſi quidem negant.

Quòd verò nihil horum de nobis oſtendere poſsint, perſpicuum eſt. Nam

primo

Primò nunquam obiecerunt nobis auctorem noſtræ ſectæ, nec ab vllo particulari homine nos appellarunt: quod certè libentiſsimè facerent, ſi poſſent.

Secundò, nunquam oſtenderunt primam originem vllius dogmatis noſtri, niſi tempore Apoſtolorum.

Tertiò, nunquam deſignare potuerunt tempus certum noſtræ defectionis ab Eccleſia. Dicunt quidem, poſt primos quingentos annos cœpiſſe valdè inualeſcere hanc ſectam, tamen quando cœperit abſolutè nunquam dixerunt.

Quartò, nunquam oſtenderunt, quo loco cęperit. Nam poſt primos quingentos annos floruit Gregorius, cum quo totum orbem terrarum communicaſſe ex epiſtolis eius, quas ad omnes Eccleſias mittit, cognoſci poteſt. Item, poſt Gregorij obitum celebratum eſt Concilium VI. generale, ex quo manifeſtè colligitur, totum Orientem, & Occidentem eo tempore cum Rom. Pontifice, vt membra cum capite, coniuncta fuiſſe.

Quinto, nunquam oſtenderunt, quis eam oppugnauerit, tanquam nuper ortum; & quæ Concilia contra eam celebrata fuerint.

Sexto, non poteſt vllo modo oſtendi, quod vnquam noſtra Eccleſia ſeparauerit ſe ab aliquâ maiore, ita vt, qui adhærebant Rom. ſedi, eſſent pauciſsimi, reliqui Chriſtiani multo plures. Nam ex epiſtolis Gregorij, quas ſcribit ad Epiſcopos Orientis, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, conſtat, omnes ferè Chriſtianos cum eo communicaſſe. Hoc argumento ab antiquitate ſemper vſi ſunt veteres Patres contra hæreticos, ad oſtendendam veram Eccleſiam.

Tertia nota eſt duratio diuturna, nec vnquam interrupta. Eccleſia enim dicitur Catholica, non ſolùm, quia ſemper fuit, ſed etiam quia ſemper erit, iuxta illud: *Regnum, quod in æternum non diſsipabitur.* Et: *Si eſt ex hominibus Concilium hoc, aut opus, diſſoluetur; ſi vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere.* De hæreticis autem S. Paulus dicit: *Sed vltra non proficient.* Iam vero conſtat, Eccleſiam noſtrā duraſſe ab initio mundi hucuſque; vel, ſi de ſtatu noui Teſtamen. loquamur, duraſſe à Chriſto hucuſque per annos M. D C X. fruſtra eā oppugnantibus primo Iudęis, deinde Paganis, vltimo hęreticis; non ſolùm autem duraſſe, ſed etiam ex perſecutione creuiſſe. Vt enim aquæ diluuij palatia regum obruebant, atque deijciebant, arcam vero Noë ſemper magis ac magis attollebant: ita perſecutiones regna temporalia facilè deſtruunt; Chriſti regnum, quod eſt Eccleſia, non modo non deſtruunt, ſed etiam illuſtrant. Itaque Iuſtinus dicit perſecutionem id eſſe Eccleſiæ, quod eſt vineis putatio: vt enim vineæ putatione ad vbertatem prouocantur, ita quoque Eccleſia perſecutionibus creſcit.

3. Nota. *Dan. 9.* *Act. 5.* *2. Tim. 3.* *In Triphone.*

Deinde, noſtram eſse veram Eccleſiam, probari poteſt etiam hoc argumento: Nam ante Lutheri tempora non erant in mundo, niſi hæ religiones, Paganiſmus, Iudâiſmus, Mahumetiſmus, Gręciſmus, Neſtorianiſmus, Huſsitarum hęreſis, & Rom. Eccleſia: ſed certum eſt, non fuiſse veram Eccleſiam Chriſti apud vllam ex prędictis ſectis; vt etiam Lutherani fatentur: ergo fuit apud Rom. Eccleſiam, aut certè perijt de mundo omnis vera, & viſibilis Eccleſia

cleſia. At verò ſectæ omnes hæreticę breui defecerunt pręter eas, quę nunc ſunt exortæ. Numeramus enim vſque ad tempora Lutheri C C. hęretico. um diuerſiſsimas familias: ex his autem non ſuperſunt, niſi reliquię quędam Neſtorianorum, & Eutychianorum in Oriente, & Huſsitarum in Boëmia: reliquę autem funditus interierunt.

Et mirabilis valdè eſt in hàc re prouidentia Dei, quod fuerint hactenus vſque ad Lutheri tempora, vt minimum, C C. hęreſiarchę, quorum multi habuerunt multos Epiſc. multas Eccleſias, multos potentiſsimos Patronos, & Imp. & Reges, & ſcripſerint libros innumerabiles, vt viderentur nunquã poſſe deficere, & tamen ita defecerunt, vt iam non ſuperſint nec ipſi, nec libri eorum, nec dogmata, nec nomina, aut veſtigia vlla, niſi in libris Catholicorũ. Itaque, ſi Catholici non ſcripſiſſent eorum nomina in libris ſuis, neſciremus quidem, eos fuiſſe vnquam in hoc mundo.

Quàm firmis radicibus nixa videbatur hæreſis Ariana, temporibus Athanaſij, & Hilarij? At nunc vbi, quæſo, eſt? euanuit velut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Ante annos C C. regnabat in Gallia hæreſis Albigenſium, quæ præter vires doctrinæ magis abundabat copijs militum, & potentia, quàm nunc hæreſis Caluiniſtarum; & tamen vbi nunc ſunt Albigenſes? Quotuſquiſque eſt, qui eos vel nominari audierit? Porrò Lutherani vix nati areſcere cęperunt. Cœpit regnum Lutheri anno M. D. X V I I. ſed vix ſeptem annis pacificè regnauit: nam anno M. D. X X V. ſurrexit Zwinglius, & poſt duos annos ſurrexerunt Anabaptiſtæ, qui maiorem partem Lutheranorum à Luthero ſeparatum ad ſe traxerunt. Qui verò manſerunt Lutherani, ita immutarunt Lutheri doctrinam, vt vix vlli iam inueniantur puri Lutherani. Sed nec Zwinglius diu regnauit: nam anno M. D. X X X V I I I. ſurrexit Caluinus, qui ita breui inualuit, vt vix pauca quædam oppida Heluetiorum Zwinglianis reliquerit. Ipſi quoque Caluiniſtæ per Libertinos in Gallia, per Puritanos in Anglia, per Trinitarios in Polonia, & Samoſatenos in Tranſyluania quotidie magis ad paucitatem rediguntur.

4. Nota. Quarta nota eſt Amplitudo, ſiue multitudo, & varietas credentium. Eccleſia enim verè Catholica non ſolùm debet complecti omnia tempora; ſed etiam omnia loca, omnes nationes, omnia hominum genera. Et ſic prædictũ

Pſalm 2. erat: *Dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeſſiones tuas terminos terræ.* Et: *Domi-*

Pſal. 71. *nabitur à mari vſque ad mare*, &c. Et Dominus ipſe dicit, prædicandum Euan-

Luc. vlt. *Act. 1.* gelium in omnes gentes, initio facto à Hieruſalem. Sunt autem aliqua obſeruanda.

Eccleſia Catholica. Primùm, vt Eccleſia ſit Catholica, inprimis requiri, vt non excludat vlla tempora, loca, vel hominum genera: in quo diſtinguitur à Synagoga, quę erat Eccleſia particularis, non Catholica, quia erat alligata vni tempori, id eſt, vſque ad aduentum Meſsiæ; item vni loco, id eſt, templo Salomonis, extra quod non poterant ſacrificare; & vni familiæ, id eſt, filijs Iacob.

Secundò nota, vt Eccleſia ſit Catholica, non requiri, vt ſit in omnibus hominibus totius mundi; ſed tantùm, vt innoteſcat omnibus prouincijs, & in omnibus fructificet, ita vt in omnibus prouincijs aliqui ſint de Eccleſia: do-

Matth. 24. nec enim hoc fiat, non veniet dies Domini.

Tertiò,

Tertio, nota, non requiri, vt hoc fiat ſimul, ita vt vno tempore in omnibus prouincijs neceſſariò eſſe oporteat aliquos fideles. Satis enim eſt, ſi fiat ſucceſsiuè. Ex quo id ſequitur, quòd, ſi ſola vna prouincia retineret vnam fidem, adhuc verè, & propriè diceretur Eccleſia Catholica, dummodo clarè oſtenderetur, eam eſſe vnam, & eandem cum illa, quæ fuit aliquo tempore, vel diuerſis in toto mundo: ſicut nunc quælibet Diœceſis dicitur Catholica, quæ eſt continuata cum alijs, quæ faciunt vnam Eccleſiam Catholicam.

Vltimò nota, quòd, etſi Eccleſia non neceſſario debuit ſimul eſſe in omnibus locis, tamen hoc tempore debet neceſſario vel eſſe, vel fuiſſe in maiori parte orbis terræ. Nam Eccleſia omnium conſenſu, etiam hæreticorum, iam ſenuit: ſi ergò in ſua adoleſcentia, & iuuentute non creuiſſet, quomodo nunc in ſenectute creſceret?

Iam verò, noſtram Eccleſiam maximam partem orbis occupaſſe, & eſſe verè Catholicam, ita prob. Nam tempore Apoſtolorum in toto mundo fructificare cœpit, vt Paulus dicit. *Coloſſ. 1.*

Item, tempore Irænei erat ſparſa per totum orbem, id eſt, per omnes prouincias tunc cognitas. Idem poſteà refert de ſuo tempore Tertullianus. Idem poſteà Cyprianus. Idem poſteà Athanaſius. Idem poſteà Chryſoſtomus, Hieronymus, & Auguſtinus, nec non Theodoretus, Leo magnus, & S. Proſper. Idem etiam de poſterioribus temporibus demonſtrabimus.

Tempore B. Gregorij, Eccleſiam noſtram fuiſſe in toto orbe terrarum, planum eſt ex epiſtolis ipſius Gregorij ad Epiſcopos Orientis, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Siciliæ.

Item, ex Bedâ: nec non ex Bernardo, qui diſputans coram Rege Siciliæ Rogerio, aſſerebat Rom. Pontifici ſuo tempore paruiſſe Orientem, & Occidentē totum, item Franciam, Germaniam, Angliam, Iberos, & plurimas barbaras nationes.

Denique; noſtro tempore Eccleſia Rom. pręter Galliam, Germaniam, Angliam, Poloniam, Boëmiam, Hungariam, Græciam, Syriā, Æthiopiam, Ægyptum, in quibus multi inueniuntur Catholici, in ipſo nouo orbe habet Eccleſias ſine admiſtione Hæreticorum in omnibus quatuor partibus mundi: ad Orientem in Indijs; ad Occidentem in Americâ; ad Septentrionem in Iaponiâ; ad Meridiem in Braſilia, & exteriore parte Africæ. At ſectæ Hęreticæ numquam totum orbem, aut certè dimidiam eius partem occuparunt. Secta Mahumeti cum hæreſibus Neſtorij, & Eutychetis, quæ adhuc vigent in Oriente, nunquam ad Occidentem tranſierunt. Hęreſes autem Lutheranorum nunquam tranſierunt mare, nec Aſiam, aut Africam, Ægyptum, aut Græciam viderunt.

Quinta nota eſt Succeſsio Epiſcoporum in Rom. Eccleſia ab Apoſtolis deducta, vſque ad nos: hinc enim dicitur Apoſtolica. Atque omnes veteres hac ſucceſsione, tanquam argumento euidentiſsimo, vſi ſunt ad veram Eccleſiam oſtendendam. Sed aliqua hîc notanda ſunt. *5. Nota.*

Primò, non poſſe vllo modo Eccleſiam eſſe ſine Paſtoribus, & Epiſcopis. Id apertè prob. ex Paulo: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in ædificationem* *Epheſ. 4.*

corporis Chriſti, donec occurramus, &c. Vbi docet Apoſtolus futuros Paſtores in Eccleſia, vſque ad diem iudicij: tunc enim occurremus Domino in vnitate fidei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Eſſe autem Epiſcopos paſtores huius gregis, docet idem Apoſtolus: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*. Ex quo ſequitur, eam non eſſe veram Eccleſiam, quæ aut nullos, aut non veros habet paſtores.

Act. 20.

Nota ſecundo, illos ſolos in Eccleſia ſemper habitos fuiſſe veros Epiſc. qui ab Apoſtolis per legitimam ſucceſsionem, & ordinationem deſcendiſse oſtẽdebantur. Omnes autem alios fures, & latrones, quippe qui non per oſtium intraſſent, ſed aſcendiſsent aliunde: nam conſtat, Chriſtum, à quo Eccleſia noui Teſtamenti cœpit, duodecim Apoſtolos tantùm elegiſse Epiſcopos, & Sacerdotes, & eis commiſiſse omnem, auctoritatem paſcendi, & gubernandi Eccleſiam; Apoſtolos autem poſteà elegiſse, atque ordinaſse alios Epiſcopos, & eis dediſse ſimilem poteſtatem alios deinceps ordinandi; vt conſtat ex antiquis hiſtorijs Euſebij, & ſimilium.

Et hinc eſt, quòd Paulus, qui extra ordinem à Chriſto poſt Aſcenſionem in cœlum Apoſtolus factus eſt, non fuiſſet agnitus in Eccleſia pro tali, niſi priùs in ipſa Eccleſia baptizatus fuiſſet, & ab Apoſtolis dexteras accepiſſet; imò & ab illis ordinatus fuiſſet. Itaque ſicut in populo Teſtamenti veteris, qui per carnalem generationem propagabatur, nulli erant de populo illo Dei, niſi qui deſcendebant à duodecim filijs Iacob; nulli Sacerdotes, niſi qui deſcendebant à Leui per Aaron; & idcirco diligentiſsime tunc conſeruabantur genealogiæ, vt patet ex toto Teſtamento veteri: ita in pop. Teſtamenti noui, qui ſpirituali generatione multiplicatur, nulli ſunt Chriſtiani, niſi per Apoſtolos, vel eorum ſucceſſores, aut ab eis miſſos conuerſi; nulli Epiſcopi, niſi qui eiſdem legitimè ſuccedunt; & ideò tam diligenter notantur à noſtris, Epiſcoporum ſucceſsiones.

Act. 9. 13.
Gal. 1.

Nota tertiò duo requiri, vt Epiſcopus dicatur ab Apoſtolis legitimè deſcendere, & proinde eſſe legitimus Epiſcopus. Vnum eſt, ſucceſsio: alterum eſt, ordinatio. Quantum ad ſucceſsionem, id requiritur, vt is, qui verus Epiſcopus haberi cupit, ſuccedat alicui Apoſtolo; quomodo Clemens ſucceſsit Petro, & Polycarpus Ioanni: vel certè ſuccedat alicui, quem aliquis Apoſtolus fecit Epiſc. quomodo Ignatius ſucceſsit Euodio, & Auianus Marco, quos Petrus fecerat Epiſcopos: vel demum, ſi Epiſcopatus eſt nouus, vt fiet Epiſc. ab eo, qui habet Apoſtolicam auctoritatem, qui eſt ſolus Roman. Pontifex.

Ratio huius eſt, quia inſtitutio nouorum Epiſcopatuum non poteſt pertinere ad vllum, qui habeat definitam regionem, quales ſunt Epiſc. particulares: ſed ad eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, & cui propriè cura incumbit Eccleſiam propagandi, quales fuerunt omnes Apoſtoli. Petrus quidem ex officio, & ceteri ex delegatione, & quicunque aliter intrat, non eſt de Eccleſia Apoſtolica, cùm non poſsit oſtendere originem ſuam ab Apoſtolis. Nec tamen ob id negamus, quin etiam Patriarchæ, & Metropolitani poſsint aliquando nouos Epiſcopatus erigere, quod S. Athanaſium in Oriente, & S. Bonifacium

in Germania feciſſe conſtat; modo à ſede Apoſtolica facultatem habuerint.

Quantum ad ordinationem autem requiritur, vt qui ſit Epiſcopus, ordinetur à tribus Epiſcopis, qui & ipſi ſint ab alijs ordinati, & illi ab alijs donec ad Apoſtolos veniatur. Id patet ex Canone I. Apoſtolorum, & Concilio Nicæno, & Carthag. IV. Hoc ipſum indicat Apoſtolus: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterij.* 1. Tim. 4. Siquidem nomine Presbyterij intelligit, cœtum Epiſcoporum, qui ſimul cum ordinante imponebant manus ſuper caput ordinandi; vt exponunt Chryſoſtomus, Theophylactus, OEcumenius. Neque mirum eſt: nomen enim Presbyteri commune erat olim Presbyteris, & Epiſcopis. Itaque tres, vt minimùm, requiruntur Epiſcopi ad noui Epiſcopi ordinationem; niſi fortè ex diſpenſatione cum vno Epiſcopo ordinante adſint Abbates infulati, qui vicem Epiſcoporum gerant, vt aliquando fieri ſolet ob Epiſc. raritatem.

Nota quartò antiquos hæreticos conſueuiſſe vt plurimùm Eccleſiam imitari in ordinatione Epiſc. & ideò Patres ſanctos non reprehendiſſe in ijs, niſi defectum ſucceſsionis, & ex eo ſolùm probaſſe eos non eſſe veros Epiſc. quippe qui ad Eccleſiam Apoſtolicam non pertinerent, cùm ab Apoſtolis per ſucceſsionem non ducerent originem. Noſtri autem temporis hæretici neutrum habent, id eſt, nec ordinationem, nec ſucceſsionem; & propterea longè inuerecundiùs, quàm vlli vnquam alij hæretici, ſibi nomen, & munus Epiſcopi vſurpant.

Ex quo argumentum inſolubile ſumitur, hoc modo. Eccleſia non poteſt eſſe ſine Epiſc. Apud Lutheranos non ſunt Epiſc. nam non habent ordinationem, nec ſucceſsionem ab Apoſtolis. Igitur apud eos non eſt Eccleſia. Et quidem quod nec Lutherus qui habitus eſt Epiſc. VVittembergenſis, nec Zwinglius, qui habitus eſt Epiſc. Tigurinus, nec OEcolampadius, qui in ipſo ſepulchri Epitaphio vocatur primus Baſileæ Epiſc. nec Caluinus, qui dictus eſt Epiſc. Geneuenſis, nec vlli alij ordinati ſunt à tribus Epiſc. neque ex diſpenſatione ab vno aſsiſtentibus Abbatibus, notiſsimum eſt, nec ipſi negant. Ergò ſaltem Patribus Nicæni, & Carthaginenſis Concilij, immo & ipſis Apoſtolis, qui ſtatuerunt Epiſcopum à tribus Epiſc. debere ordinari, iſti non ſunt Epiſcopi.

Sexta nota eſt Conſpiratio in doctrina cum Eccleſia antiqua. Inde etiam 6. Nota.
vera Eccleſia dicitur Apoſtolica. Quare laudatur Theodoſius Imp. à Sozomeno, quòd hâc arte compeſcuerit hæreticos ſui temporis. Iuſsit Principes L. 7. hiſt. c. 12. ſectarum conuenire; deinde petijt, an exiſtimarent, antiquos Patres, qui Eccleſiam rexerant ante diſsidium illud, quod tunc de religione ortum fuerat, rectè conſenſiſſe, & verè ſanctos, & Apoſtolicos fuiſſe: quod cum illi conceſſiſſent, ſubiunxit: Examinemus ergò doctrinam veſtram ad illorum ſcripta, & ſi cum illis conſenſerit, retineatur; ſin minùs, abijciatur.

Iam duobus modis poſſemus ex hâc notâ probare noſtram eſſe veram Eccleſiam, non autem aduerſariorum.

Primò, proferendo ſententias veterum, quibus ſingula noſtra dogmata confirmaremus, aduerſariorum refutaremus.

Altero, oſtendendo primò ex confeſsione aduerſariorum, noſtra dogmata eſſe doctrinam omnium veterum.

Deinde, dogmata aduerſariorum habita fuiſſe in Eccleſia antiquâ pro exploratis hæreſibus. Sed vterque modus prolixus eſt.

7. *Nota.* *Rom* 12. *Cant.* 6. *Ioan.* 10. Septima nota eſt vnio membrorum inter ſe, & cum capite: nam Eccleſiam eſſe vnum corpus, vnam ſponſam, vnum ouile, paſsim Script. docent. Et in Symbolo Conſtant. dicimus vnam Eccleſiam. Præcipua autem vnitas corporis conſiſtit in coniunctione membrorum cum capite, & inter ſe.

De primâ alibi diſſeruimus: & videmus experientiâ, omnes illas Eccleſias, quæ ab iſto capite ſe diuiſerunt, tanquam ramos præciſos à radice, continuò aruiſſe.

Certè Eccleſiæ Aſiaticæ, & Africanæ, quæ quondam ita florebant, vt numeroſiſsima Concilia celebrarent, & ſemper haberent multos homines, vel doctrinâ, vel ſanctitate, vel vtroque Dei munere clariſsimos, ab eo tempore, quo à Rom. Eccleſia ſciſma fecerunt, nulla Concilia celebrarunt, nullos habuerunt homines famâ ſanctitatis, aut doctrinæ, toti orbi notos, & nunc in ſummâ ignoratione verſantur.

De conſenſione autem membrorum inter ſe certum eſt, Concordiam eſſe ſignum Regni Dei, quod ſtare debet in æternum: Diſcordiam autem, Regni *Matt.* 12. diaboli quod tandem ruere debet. *Omne regnum in ſeipſo diuiſum deſolabitur.* Et: *1. Cor.* 14. *Non eſt diſſentionis Deus, ſed pacis.*

Iam ex hâc notâ clariſsimum eſt, noſtram Eccleſiam ſolam eſſe veram Dei Eccleſiam. Siquidem in noſtrâ Eccleſiâ omnes Script. ſacri mirificè inter ſe conſentiunt, licet fuerint homines diuerſi, & in locis, temporibus, ac linguis diuerſis ſcripſerint.

Deinde, omnia legittimorum Conciliorum, & Pontif. decreta etiam in omnibus dogmatibus inter ſe conueniunt; licet edita ſint à diuerſis hominibus, diuerſis locis, temporibus, occaſionibus, & contra diuerſiſsimas, immò ſæpe contrarias hæreſes; quod eſt apertum ſignum vnius, & eiuſdem Spiritus ſancti hanc Eccleſiam gubernantis.

Denique; Nunc omnes Catholici toto orbe diſperſi, de omnibus dogmatibus fidei ſentiunt idem; nec poſſunt aliter ſentire, cùm omnes ſubijciant ſenſum ſuum ſenſui vnius, & eiuſdem ſummi Paſtoris ex cathedrâ Petri, cũ conſilio aliorum Paſtorum Eccleſiam dirigentis. At nulla vnquam fuit ſectæ Gentilium, aut Hæreticorum, in quâ talis conſenſio eſſet. Noſtro tempore conſtat, Lutheranos vixdum natos diuidi cœpiſſe. In Anabaptiſtas, Confeſſioniſtas, & Sacramentarios; & rurſum ſingulas ſectas in alias, atque alias, ita vt numerentur nunc ferè 100, diuerſiſsimæ ſectæ, ab vno Luthero prodeuntes. Quod fit manifeſtâ prouidentiâ Dei: nam hoc modo hæreſes ſeipſas conſumunt; diuiſio enim earum non eſt Mathematica, quæ procedit in infinitum.

Iſa. 19. Vnde Iſaias: *Currere faciam AEgyptios aduerſus AEgyptios.* Adde quod ipſi auctores hæretici ſecum non vbique conſentiant, quod eſt certiſsima nota falſæ doctrinæ.

Octaua.

Octaua nota eſt, Sanctitas doctrinæ. Vera enim Eccleſia non ſolùm eſt Catholica, Apoſtolica, vna; ſed etiam ſancta, vt habet Symbolum Conſtantinop. Conſtat autem ſanctam dici Eccleſiam, quia profeſsio eius eſt ſancta, nihil continens falſum, quoad fidei doctrinam; nihil iniuſtum, quoad doctrinam morum. Vnde in Pſalmo appellatur *Lex Domini immaculata, teſtimonium Domini fidele, præceptum Domini lucidum.* 8. Nota. Pſal. 18.

Ex hâc notâ euidenter oſtenditur, nullam eſſe veram Eccleſiam, niſi noſtram: nulla enim eſt ſecta, vel Paganorum, vel Philoſophorum, vel Iudæorum, vel Turcarum, vel hæreticorum, quæ non contineat aliquos exploratos errores, & rectæ rationi manifeſtè contrarios.

Nona nota eſt, Efficacia doctrinæ. Sola enim vera Eccleſia habet doctrinam, non ſolùm immaculatam, ſed etiam conuertentem animas, vt dicitur in Pſal. & ſermonem viuum, penetrantem vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus. Iam Philoſophi antiqui, tametſi magnam ſapientiam oſtentarent, & ſummâ eloquentiâ leges ſuas populis ſuaderent, nunquam tamen vel vicina oppida ad ſuas leges trahere potuerunt. Mahumetani autem traxerunt quidem multos, ſed terrore armorum, non vi, & efficacia doctrinæ. Porrò Hæretici nunquam leguntur conuertiſſe vllos Ethnicos, aut Iudęos ad fidem, ſed ſolùm peruertiſſe Chriſtianos. At Eccleſia, verè ſancta, & Apoſtolica olim breuiſsimo tempore, per homines contemptibiles externâ ſpecie, ſine armis, & ſine pompâ verborum, totum mundum traxit, id eſt, homines magnos, paruos, doctos, indoctos, iuuenes, ſenes, viros, fœminas; & traxit, non ad delicias huius ſæculi, ſed ad res credendas ſupra omnem rationem, ad crucem, & anguſtias, & vitam perfectiſsimam, repugnantem carni, & ſanguini; & hæc omnia propter præmium nullum in hac vita, ſed ſolùm in futura: & hoc ita perſuaſit, vt maluerint plurimi potiùs amittere omnes opes, honores, amicos, affines, & vitam ipſam, quàm Chriſti fidem. 9. Nota. Hebr. 4.

Deinde, VI. ſæculo iuſſu B. Gregorij, Anglos paganos non hæretici, qui tunc etiam non deerant, ſed Monachi Pontificij ad fidem Chriſti conuerterunt. Tempore Cononis Papæ S. Kilianus à Papâ miſſus conuertit Francones. Tempore Gregorij II. & III. ac Zachariæ Pontif. conuerſa eſt magna pars Germaniæ ad fidem, non per hæreticos Iconomachos, quibus tunc mundus abundabat, ſed per S. Bonifacium Epiſc. & Mart. quem Papa Gregor. II. miſerat. Poſt illa tempora, non defuerunt etiam ſimiles conuerſiones. Siquidem Adrianus Pont. IV. ante ſuum Pontificatum ab Eugenio Papa miſſus, Noruegiam ad fidem conuertit. Ab vno S. Vincentio ordinis Prædicatorum conſtat eſſe conuerſos ad fidem vigintiquinque millia, partim Iudęorum, partim Saracenorum.

Denique, hoc noſtro ſęculo in nouo orbe multa millia Gentilium Catholici conuerterunt: Iudęorum quoque ſingulis annis conuertuntur, & baptizantur Romę aliqui à Catholicis Pontifici Rom. addictis: nec deſunt etiam Turcę, qui tum Romæ, tum alibi, à Catholicis conuertantur. Lutherani verò vix vnum, aut alterum conuerterunt, cùm tamen comparent ſe cum Apoſtolis, & Euangeliſtis, & habeant in Germaniâ plurimos Iudęos, & in Poloniâ, & Hungariâ viciniſsimos Turcas.

10. *Nota.* Decima nota eſt, Sanctitas vitæ auctorum, ſiue primorum Patrum noſtræ religionis. Eccleſia enim vera non ſolùm habet doctrinam ſanctam, & efficacem, ſed etiam Doctores ſanctos, & ſignorum gloriâ clariſsimos. Si quis enim conſideret magiſtros Eccleſiæ Catholicæ, primùm Patriarchas, & Prophetas; deinde Apoſtolos, tum Doctores, qui contra ſingulas hæreſes dimicarunt; denique inſtitutores ordinum religioſorum, inueniet omnes tam ſanctos; caſtos, pios, ſobrios fuiſse, vt aduerſarij nihil habeant, quod reprehendant, niſi nimiam ſanctitatem. At Ethnicorum Doct. fuerunt vel Poëtæ leues, vel Philoſophi ſuperbi, vtrique autem impuriſsimi.

De Hæreſiarchis plurima dici poſſent, ſed vnum eſt vitium omnibus commune, ſuperbia. Omnes ſectæ enim exortæ ſunt ex ambitione, ſuperbia, inuidentia, odio. Initium primum omnium hæreſum huius temporis conſtat fuiſſe inuidentiam, & ambitionem Lutheri, ægrè ferentis munus promulgandarum indulgẽtiarum à ſui ordinis Monachis ad Monachos ordinis Prædicatorum tranſlatum fuiſſe.

11. *Nota.* Vndecima nota eſt, Gloria miraculorum. Quod autem miracula ſint neceſſaria ad nouam fidem, vel extraordinariam miſsionem perſuadendam, prob. Primò Script. teſtimonio. Cùm Moyſes mitteretur à Deo ad populum,
Exod. 4. ac diceret: *Non credent mihi neque audient vocem meam*; Non reſpondit Deus, debent credere, velint nolint, ſed dedit illi poteſtatem faciendi miracula, & ait:
Matth. 10. *Vt credant, quod apparuerit tibi Dominus*, &c. Et in nouo Teſtamento: *Euntes prædicate docentes: Appropinquauit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate,*
Ioan. 15. *leproſos mundate, dæmones eijcite.* Et: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Præterea; Qui mittitur, debet oſtendere teſtimonio eius, à quo mittitur, ſuam auctoritatem, alioqui nemo tenetur eum recipere: omnis autem, qui mittitur ad prædicandum, vel mittitur à Deo per ordinarios prælatos, vel extraordinariè à ſolo Deo. Et quidem, qui mittitur per ordinarium prælatum, debet oſtendere teſtimonium ordinarij prælati, nimirum litteras eius ſigillo munitas.

Qui verò mittitur à ſolo Deo, debet oſtendere ſigillum Dei, quod nihil eſt
Marc. vlt. aliud, quàm miraculum. Sic enim dicitur: *Illi verò profecti prædicauerunt vbiq.,*
Hebr. 2. *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et: *Conteſtante Deo, ſignis, & virtutibus.*

Iam verò, quòd miraculum ſit teſtimonium ſufficiens, & vbi eſt verum miraculum, ibi ſit vera fides, facilè prob. poteſt: ſiquidem vera miracula non poſſunt fieri, niſi Dei virtute.

Dicitur enim miraculum, quod ſuperat vires omnium creaturarum, & ideò omnibus creaturis eſt mirabile, & propterea etiam in Script. dicuntur teſtimonia Dei: quare quod miraculo confirmatur, Dei teſtimonio confirmatur: Deus autem non poteſt eſſe teſtis mendacij: igitur quod miraculo cõfirmatur, verum ſit neceſſe eſt.

His poſitis facile erit colligere, apud Ethnicos, Turcas, Iudæos, Hæreticos non eſſe veram fidem: nulla enim apud eos vera miracula ſunt, & tamen omnes illi nouam doctrinam prædicant, & non ſunt miſsi ab ordinarijs prælatis.

De

De Paganis notum eſt: nam ſolùm leguntur quædam leuia, quæ facillimè arte dæmonis fieri poſſunt; qualia ſunt, quæ refert Valerius Max. de ſtatuis, *Valer. Max. l. 8.* de brutis loquentibus, déque Virgine Veſtali aquam cribro hauriente: & M. *L. 1. de diuinat.* Tull. de augure, qui nouaculà cotem ſcidit: quæ omnia à dæmonibus facillimè fieri poſſunt.

De Iudæis poſt Chriſti aduentum notum eſt, non habuiſſe eos vlla miracula, & id vnum de piſcina, quod adhuc durabat Chriſto prædicante, poſteà interijſſe.

De Mahumetanis, fatetur ipſe Mahumetus, Chriſto miracula, ſibi gladium *Alcorani c. 64.* eſſe datum; dicit tamen ſemel tantùm in lunâ ſe, neſcio quod, miraculum feciſſe, non enim clarè explicat: expoſitores autem dicunt aliquando lunam in duas partes fuiſſe diuiſam, tunc Mahumetum eam in manus accepiſſe, & reparatam ad cœlum emiſiſſe; ſed neminem fuiſſe, qui videret hoc miraculum, niſi auctorem, id eſt, Mahumetum.

De falſis Prophetis, & hæreticis, non minùs eſt certum, eos & ſæpe miracula facere conatos, & ſemper ſpe ſuâ eſſe fruſtratos. Nota eſt hiſtoria Prophetarum Baal. *3. Reg. 18.*

Pari ratione deluſum Simonem Magum ſcribit Egeſippus: nam & mortuum excitare, & per aërem volare tentauit, ſed nihil ei ſucceſsit. Manichæum fruſtra conatum filio Regis ægrotanti ſanitatem adferre, ſcribit Epiphanius.

Cyrolam, Patriarcham Arianorum planè excæcaſſe miſerum quendam, qui ſe cæcum finxerat, & ab eo præſidium implorabat, ſcribit Gregor. Turonenſ.

Eunominianum quendam à S. Machario victum in contentione de ſuſcitatione hominis mortui, ſcribit Caſsianus.

Polychronium Monothelitam fruſtra ſudaſſe in excitatione alterius cuiuſdam defuncti, teſtantur publica acta VI. Synodi.

De Donatiſtis, quòd contra ſe miracula fecerint, dum ampullam Chriſmatis proiecerunt in ſaxa, quæ Angelica manu ſuſtentata frangi non potuit, & dum Euchariſtiam canibus dare voluerunt, & ipſi ab eiſdem canibus diſcerpti ſunt, ſcribit Optatus.

De Timotheo Æluro Eutychiano ſcribit Theodòrus Lector, per multas noctes eum habitu nigro indutum per cellas Monachorum diſcurriſſe, dicentem, ſe eſſe Angelum à Deo miſſum, vt illis ſignificaret, ne Proterio (is erat vir ſanctus, & Catholicus Epiſc. Alexandriæ) communicarent; ſed eius loco Timotheum Ælurum Epiſc. deſignarent.

De quodam Iconomacho ſcribit Paulus Diaconus, eum in ſepulchro quodam incluſum, inde Conſtantinum Iconomachum laudibus in cœlum vehere cœpiſſe, vt nimirum ita quaſi mortuorum reſponſis hæreſis confirmaretur.

De noſtri ſęculi hæreticis idem omninò conſtat. Lutherus bis tentauit miraculum facere. Voluit enim aliquando de quadam diſcipula ſua diabolum eijcere, ſed periculum fuit, ne ipſe à dæmone occideretur. Rurſum, Neſenum in Albi miſerè ſubmerſum, ſpe miraculi Lutherus vanis immurmurationibus

bus fruſtra in vitam reuocare tentauit. Sed quamuis viuenti miracula non ſucceſſerint, idem tamen poſt mortem miraculo inſigni claruit: nam eius cadauer, cùm deferretur in mediâ hyeme, quo tempore corpora mortua in multos dies ſeruari ſolent, & eſſet incluſus in arcâ ſtanneâ optimè clauſâ, vt VVittembergæ ſepeliretur, tam tetrum odorem ſpirare cœpit, vt nemo eum ferre potuerit: proinde coacti fuerint corpus relinquere in itinere. Aliud miraculum refert Felicianus Ninguarda, Lindanus, & Alanus Copus cuiuſdam Miniſtri, qui in finibus Poloniæ, & Hungariæ anno M. D. LVIII. excitare voluit hominem nomine Matthęum, cui ipſe perſuaſerat, vt ſe mortuum fingeret, & reuera mortuum effecit.

In vita Caluini, c. 13. Simile narratur de Caluino ab eiſdem, ſed fuſius ab Hieronymo Bolſeco: *Præterire non debeo,* inquit, *vafram eius, & ſubtilem machinationem, qua tum vſus eſt, cùm quendam, cui Bruleo nomen, & patria Oſtunum, in vitam reuocare cogitaret, moliretur que, vt ſancti, atque glorioſi Dei Prophetæ, miraculorumque patratoris nomen ſibi, & famam pararet. Bruleus Oſtuno Geneuam demigrauerat, & cùm inops eſſet ipſe, & vxor eius, Caluini gratiam aucupabantur, vt ei commendati peculij pauperum fierent participes. Eis Caluinus vitæ ſubſidia benignè pollicetur, ſi ipſi contra ſuam operam non denegarent ad rem quandam, quam per eos fieri vellet: ſed opus eſſe fide, & magna taciturnitate. Viciſſim illi ad id, quod iubere vellet, promptos ſe offerunt, & ſicut à Caluino inſtructus fuerat, miſer hic Bruleus morbum ſimulat. Miniſtri pro concione populo commendāt, vt precibus iuuarent, & eleëmoſynis pauperum ſuccurrerent: non diu poſt perſonam mortui induit, & mortuum ſe ſimulat. Hic Caluinus clam admonitus quaſi tum omninò ignarus deambulatum prodit, ſed comitatus magna caterua amicorum, poſtquam eò ventum eſſet, vbi clamores, & eiulatus vxoris exaudiret, quidnam hoc eſſet, ſciſcitatus, domum ingreditur, vbi in genua, & reliqua caterua prouoluitur, precibuſque alta voce profuſis Deum obteſtatur, potentiam ſuam oſtendere, & mortuo huic vitam reſtituere, gloriamque ſuam ſic vniuerſo pop. declarare vellet, ſimulque manifeſtum facere, ſe peculiarem, eique gratum ſeruum eſſe, & à ſe ad Euangelij ſui miniſterium, atque Eccleſiæ reformationem ſingulariter, & vere vocatum. Poſt quas preces ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſa in Dei nomine imperat, vt ſe erigat: repetit iterum, ſępiuſque eoſdem ſermones voce etiam altius eleuata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque commouet ſe mortuus. Et vxor, quidquid eum agitaret, nullam vocem, aut motum extorquere potuit. Quo animaduerſo plorare, vlulatus ſeriò edere cœpit vxor, & in Caluinum inuecta impoſtorem eum, ſicarium, latronem, qui maritum interemiſſet, appellans ex ordine rem geſtam clarâ voce expoſuit.*

At noſtram Eccleſiam eſſe veram Dei Eccleſiam, demonſtrari facilè poteſt ex miraculis omnibus ſeculis editis. Primo ſeculo habemus miracula Chriſti, & Apoſtolorum, in Euangelijs, & in Actis. Secundo ſeculo habemus, miracula Chriſtianorum militum in exercitu M. Antonini. Tertio ſeculo habemus miracula Gregorij Thaumaturgi. Quarto habemus miracula Antonij, Hilarionis, Martini, Nicolai, & aliorum. Quinto habemus miracula plurima, quæ deſcribit S. Auguſtinus ſuo tempore facta. Sexto habemus miracula, quæ narrat Gregorius in Dialogis, vbi narrat duo facta à Rom. Pontificibus, Ioanne, & Agapeto. Septimo ſeculo habemus miracula facta in Anglia à S. Auguſtino, & ſocijs. Item ab Oſualdo Rege, per lignũ crucis.

L. 22 de ciui. Dei. c. 8.

L. 3. Dial. c. 2. & 3.

Octauo

Octauo habemus miracula S. Cuthberti, & S. Ioannis in Anglia. Nono miracula Tharuſij. Item, alia innumerabilia omnis generis facta in ciuitate Sueſsionenſi, in tranſlatione reliquiarum S. Sebaſtiani martyris, quæ facta eſt anno Domini D. CCC. XXXVI. Decimo miracula S. Romualdi. Item S. VVenceſlai, Regis Boëmorum, S. Vdalrici, & S. Dunſtani. Vndecimo miracula S. Eduardi Regis, & Virginis, S. Anſelmi, Gregorij Papæ VII. & aliorum. Duodecimo ſeculo claruerunt B. Malachias, & B. Bernardus. Hic enim pluribus miraculis claruit, quàm vllus Sanctorum: nam vna die, in Conſtantienſi diœceſi, conſtat eum illuminaſse cæcos vndecim, curaſse mancos decem, & claudos decem, & octo. Difficile etiã ſit alia omnia enumerare.

Decimo tertio ſeculo claruerunt multi; ſed pręcipuè *B. Franciſcus.* Item B. Dominicus, quem tres mortuos excitaſse conſtat. Item, B. Petrus Martyr, & B. Thomas ex Ordine Prędicatorum: B. Antonius, ac *B. Bonauentura* ex Ordine Minorum. Et ad finem eius ſæculi claruit miraculis plurimis S. Celeſtinus V. Rom. Pontifex, tam ante Pontificatum, quàm poſtea. Decimoquarto ſeculo claruerunt miraculis etiam multi: ſed pręcipuè *S. Bernardinus*, S. Catharina Senenſis, S. Nicolaus Tolentinas. Decimo claruit S. Vincentius viuus, & mortuus, miraculis plurimis, adeò vt B. Antoninus dicat, conſtare de XXXVIII. mortuis per eum excitatis. Idem etiam B. Antoninus eo ſeculo miraculis claruit. *3. art. hiſt. tit. 23.*

Denique hoc noſtro ſeculo claruit inprimis S. Frãciſcus de Paula plurimis miraculis. Claruit etiam in Indijs omni genere miraculorum *B. Pater Franciſcus Xauerius* Societatis Ieſu Presbyter. Conſtat enim ex Indicis litteris, ab eo paralyticos, ſurdos, mutos, cæcos eſſe curatos; mortuum quoque ad vitam reuocatum: &, cùm mortuus deferretur ad Inſulam Goam ex Malacca, maris tempeſtatem ſedatam: denique, corpus eius poſt XV. menſes à morte, integerrimum, & ſuauiter olens repertum, cùm tamen iacuiſſet per multos menſes calce obrutum; nec dubium eſt, quin vſque ad hunc diem integrum, & incorruptum conſeruetur.

Duodecima nota eſt lumen Propheticũ. Sicut enim Chriſtus promittit Eccleſiæ donum miraculorum; ita etiam apud Ioëlem, exponẽte Petro, promittit donum Prophetiæ: quod certè eſt maximum, cùm certum ſit, neminem cognoſcere futura contingentia, excepto Deo. *Annunciate, quæ ventura ſint in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* Et è contrario in Deut. ponitur tanquã nota falſæ doctrinæ, ſi Propheta prędixerit aliquid, & non euenerit. Iam apud Ethnicos, & hęreticos nulla fuerunt vera vaticinia, ſed multa falſa; niſi fortè fierent in teſtimoniũ noſtræ fidei, vt fuerunt vaticinia Sybillarũ, & Balaam. Etſi enim Ethnici habuerunt plurima oracula Apollonis; tamen illa vel per ambages reſpondebant, quando ſcilicet Apollo non ſciebat reuera, quid eſſet futurũ, vel ea, quę cœpta erant fieri ignorantibus nunciabant, tamquam futura; vel demum ea prędicebant, quæ naturales habent cauſſas nobis ignotas, illis autem notas propter maiorem naturæ ſubtilitatem. Hęretici quoque, quotieſcunque aliquid prędicere voluerũt, decepti ſunt. Id patet de falſis Prophetis in Teſtam. veteri. Tempore autem noui Teſtamenti fuit olim Montanus, qui Propheta videri voluit cum duabus Propheti ſsis, Priſca, &

12. Nota. Mar. vlt. Ioël. 2. Act. 2. Iſa. 44. Deut. 18. 3. Reg. 22.

Maximilla, & prædixerunt bella, & neſcio quæ alia tunc futura; ſed planè
contrarium accidit.

In act. Luth. anni 1525. Noſtris temporibus Lutherus, quem Lutherani conſtanter Prophetam
Germanicum vocant, & Eliam, teſte Cochlæo, prædixit fore, vt, ſi ipſe ad-
huc per duos annos ſuam doctrinam prædicaret, euaneſceret Papa, Cardina-
les, Epiſcopi, Monachi, Moniales, turres, campanæ, Miſſæ, &c. Et tamen præ-
dicauit poſtea non duos, ſed ferè XXII. annos: obijt enim anno
M.D.XLVI. & tamen non euanuit Papa, Cardinales, Epiſcopi, Mona-
chi, &c.

Ibidem refert Cochlæus de Thoma Muncero, qui ſe Gedeonem vocabat,
& infinitos ruſticos armauerat contra Principes Germaniæ, quòd prædixe-
rit certam victoriam ſuis, & ſe in manicâ excepturum omnes globos tor-
mentorum bellicorum, & tamen cæſi ferè ſunt omnes ruſtici, & Thomas ca-
In act. Luth. ann. 1533. ptus, & ſecuri percuſſus. Idem ſcribit tam conſtanter aſſeruiſſe Lutherano-
rum Prophetas, illo anno futurum diem vltimi iudicij, & ipſum etiam diem
deſignaſſe, vt multi nec arare, nec ſerere voluerint: qui tamen mendaces in-
uenti ſunt.

At in Eccleſiâ Catholicâ, præter Prophetas Teſtamenti veteris, & eos, qui
Act. 11. fuerunt primis quingentis annis à Chriſti aduentu, vt Agabum, Gregorium
Thaumaturgum, Antonium, & Abbatem Ioannem, fuerunt etiam poſterio-
ribus ſæculis veri Prophetæ, & quidem Monachi, ac Rom. Pontifici addictiſ-
L. 2. Dial. c. 15. ſimi. Vt de S. Benedicto refert Gregorius. De S. Bernardo ſcribitur in eius
L. 4 c. 3. vita, eum quatuor hominibus prædixiſſe conuerſionem, tribus de ea nihil
cogitantibus, quarto etiam ab ea re alieniſsimo. Sed mirabile eſt prorſus,
quod ibidem de nobili viro quodam narratur: nam cùm pro eius conuerſio-
ne vt S. Bernardus oraret, quidam illius filius peteret, reſpondit Sanctus: *Ne
timeas, ego illum probatum Monachum in hac Claraualle ſepeliam.* Quot ſunt in hac
vna ſententia vaticinia? Nam & Monachum illum aliquando futurum, & in
ordine monaſtico vſque ad mortem perſeueraturum; & ſanctè, ac piè diem
extremum clauſurum; idque ante ipſum Bernardum, & in Claraualle, & ip-
ſius Bernardi manibus ſepeliendum. Sex vaticinia ſunt inter ſe diuerſa: om-
In vita S. Franc. c. 11. nia tamen, nec ſine ſingulari Dei prouidentia, impleta. De *S. Franciſco* etiam
exemplum refert S. Bonauentura.

13. Nota. Decimatertia nota eſt, Confeſsio aduerſariorum. Tanta eſt enim veritatis
vis, vt etiam aduerſarios cogat interdum ſibi teſtimonium dare, iuxta illud:
Deut. 32. *Non enim eſt Deus noſter vt Dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Iam nuſquam in-
ueniuntur Catholici laudaſſe, aut approbaſſe doctrinam aut vitam vllorum
Ethnicorum, aut hæreticorum. Scimus enim vnam tantùm eſſe veram fidem,
& ſine ea nullam eſſe veram iuſtitiam. Itaque nos conſtanter aſſerimus, erra-
re omnes, qui doctrinam noſtram non ſequuntur: At non ſic de nobis loquũ-
tur Pagani, Iudæi, Turcæ, Hæretici.

Apologet. c. 5. & 6. Tertullianus affirmat, eos Imp. qui ſunt habiti optimi, fauiſſe Chriſtianis;
vt M. Aurelium, Veſpaſianum, Antoninum Pium: eos autem perſecutiones
mouiſſe, qui ſunt habiti peſsimi, etiam ab ipſis Gentilibus, vt Neronem, &
Domitianum. Extat quoque epiſtola M. Aurelij Imp. in qua teſtatur, in

Germania, cùm per dies quinque ſiti laboraret exercitus, & eſſent Rom. circumdati ab incredibili multitudine Germanorum, vt eſſet impoſsibile humanis viribus euadere; tunc ſe ad Deos patrios confugiſſe, ſed fruſtra: deinde, aliquot milites Chriſtianos, qui erant in exercitu, rogaſſe, vt etiam ipſi Deum ſuum orarent. Porrò vix illos in genua ad orationem procubuiſſe, cùm ſtatim de cœlo in Rom. quidam iucundiſsimus imber deſcendit; in hoſtes verò ignis, & grando permiſta.

Denique, S. Antonium, S. Hilarionem, & S. Martinum fuiſſe honori, & reuerentiæ Paganis, ſcribunt Athanaſius, Hieronymus, & Sulpitius. De Iudæis habemus teſtimonium Ioſephi, qui affirmat, Chriſtum pluſquam hominem eſſe, & verè Meſsiam. Philo ſcripſit librum inſignem de laudibus eorum Chriſtianorum, qui ſub Marco Euangeliſta in Ægypto viuebant. Mahumetus docet, Chriſtianos ſaluari: & Chriſtum maximum eſſe Prophetarum, & ipſam Dei animam habere. Teſtatur quoque S. Bonauentura, Sultanum Ægypti, licet Mahumetanum, in ſummo honore, ac reuerentia habuiſſe *S. Franciſcum*, quem tamen ſciebat Chriſtianum, & Catholicum eſſe. *In eorum vitis.* *L. 18 antiq. c. 6.* *Alcor. c. 2. c. 4.*

Idem de hæreticis dici poteſt. Nam S. Benedictum Catholicum à Rege Totilâ Ariano ſummo honore affectum, vt verum Dei ſeruum, & Prophetam, ſcribit S. Gregorius. Caluinus Bernardum vocat pium ſcriptorem. Philippus vocat ſanctos Bernardum, Dominicum, & Franciſcum: quod idem facit Lutherus. *L. 2. Dial. c. 15.*

Decimaquarta nota eſt, infelix exitus, ſeu finis eorum, qui Eccleſiam oppugnarunt. Et ſi enim Deus punit ſuos, & flagellat, tamen tandem proijcit virgam in ignem. *Laudate Gentes pop. eius, quia ſanguinem ſeruorum ſuorum vlciſcetur, & vindictam retribuet in hoſtes eorum.* *14. Nota.* *Deut. 32.*

De miſero fine Pharaonis, primi perſecutoris Eccleſiæ legimus. Item, de Dathan, & Abiron, primis ſciſmaticis. Item, de Ieſabel. Item, de Antiocho. De Pilato, quòd ſeipſum interfecerit, ſcribit Euſebius. Herodes Aſcalonita obijt ſcatens vermibus, cùm priùs occidiſſet vxorem, & filios, & ſeipſum occidere voluiſſet. Herodes Tetrarcha amiſſo regno in exilium relegatus perpetuum, miſerrimè vixit. De Herode Agrippa in Act. Neronem, Domitianum, & cæteros Imp. qui Chriſtianos perſecuti ſunt, omnes, vel à ſeipſis, vel ab alijs crudeliter necatos, vel certè miſerè perijſſe conſtat ex Chronicis, & Hiſtorijs omnibus. Nam Traianus horrenda paralyſi, & ſimul hydropiſi extinctus eſt: Diocletianus imperium depoſuit præ dolore, quòd Chriſtianos delere non poſſet: Galerius Maximianus, & Maximinus tam horrendis doloribus correpti ſunt, vt etiam medici Ethnici dicerent, diuinam eſſe plagam. *Exod. 14.* *Num. 16.* *4. Reg 9.* *2. Mach. 9.* *L. 2. hiſtor. c. 7.* *Act. 12.*

Veniamus ad Hæreſiarchas, & Apoſtatas. Simon Magus, cùm orare vellet, orationibus B. Petri deiectus, tibias fregit, & paulò poſt cum ſumma ignominia obijt. Excoriatus eſt à Rege Perſarum Manichæus, non ob fidem, ſed quia filium Regis curaturus occidit. Montanus, Theodotus, & Propheciſſæ eorum, laqueis ſeipſos necauerunt. Donatiſtæ quidam, cùm canibus Euchariſtiam proijcerent, ab ijſdem canibus lacerati ſunt. Arius, cùm in Eccleſiam intrare vellet, ſubito motu alui ad latrinas publicas acceſsit, & ſimul

cum excrementis inteſtina omnia,& animam effudit. Iulianus Apoſtata diuinitus occiſus, communi etiam caruit ſepultura; nam à terra ſponte aperta abſorptus eſt. Valens Arianus, qui Iuliano in perſecutione Chriſtianorum ſucceſsit, viuus à Gothis etiam Arianis crematus eſt. Neſtorius lingua impia à vermibus conſumpta, miſerrimè interijt. Hunericus Rex VVandalorum Arianus, & perſecutor Eccleſiæ, vermibus toto corpore ſcatens, conſumptus eſt. Athanaſius Imp. fautor hæreticorum Eutychianorum fulmine ictus interijt. Tempore Leonis Iconomachi peſtilentia conſecuta combuſtionem imaginum, in foro Conſtantinop. trecenta millia hominum ſuſtulit Conſtantinopoli.

Lutherus morte repentina eſt ſublatus: nam, cùm veſperi opiperam cęnam ſumpſiſſet lætus, & ſanus, & facetijs ſuis omnes ad riſum prouocaſſet, eadem nocte mortuus eſt. Swinglius in bello contra Catholicos trucidatus eſt, & paulò pòſt Baſileæ frater eius ſpiritualis, OEcolampadius, cùm veſperi ſanus cubitum iuiſſet, manè inuentus eſt ab vxore mortuus in lecto. Andream Carolſtadium à dæmone interfectum, miniſtri Baſileenſes ſcribunt. Ioannes Caluinus vermibus conſumptus expirauit; vt Antiochus, Herodes, Maximinus, & Hunericus. Addit etiam Hieronym. Bolſecus, cum dæmonibus inuocatis, blaſphemantem, & execrantem obijſſe.

In epiſtola. de morte Carolſt.

In eius vita.

15. Nota. Decimaquinta nota eſt, Felicitas temporalis diuinitus ijs collata, qui Eccleſiam defenderunt. Nunquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæſerunt, quin facillimè de hoſtibus triumpharent. Notæ ſunt inprimis victoriæ in Teſtamento veteri Abrahæ, Moyſis, Ioſuę, Gedeonis, Samuëlis, Dauidis, Ezechię, Ioſiæ, Machabæorum. In Teſtam. nouo Conſtantinus, qui primus publicè ex Imp. Eccleſiam defendit, eo ferè modo Maxentium vicit, quo Moyſes Pharaonem. Theodoſio ſeniori quòd verè pius, & Catholicus eſſet, adeò proſperè omnia ſucceſſerunt, vt in prę lijs hoſtium tela in auctores Deo agente retorquerentur. Addit Theodoretus, ſanctos Ioannem, & Philippum Apoſtolos apparuiſſe in equis albis in eodem prę lio pro Theodoſio Imp. pugnantes. Pro Honorio etiam planè Catholico, & Rom. Pontifici addictiſsimo, ita Deus pugnauit, vt vno prælio multò amplius quàm centum millia Gothorum proſternerentur, & Rex ipſe. Radagaiſus cum filijs caperetur, & occideretur, ex Rom. ne vno quidem vulnerato, nedum extincto. Theodoſio iuniore, cum exercitus eius pugnaret cum Barbaris, in vrbe precibus apud Deum vacante, circiter centum millia Saracenorum ab Angelis acta in Euphratem, miſerè perierunt. Iuſtinianus ſenior, donec Catholicus fuit, feliciſſimè imperauit, ita vt Italiam, Africam, aliaſque multas prouincias Rom. Imperio reſtituerit. At vbi hæreticus factus eſt, & edictum proponere voluit de ſua hęreſi recipienda, mox repentina morte ſublatus eſt, & Eccleſiam magno metu liberauit. Heraclius quoque, dum Catholicus eſſet, præclariſsimam victoriam de Perſis reportauit, & crucem Domini recepit, quando res Rom. deſperatę omninò eſſe videbantur: At cum in hęreſin incidit Monothelitarũ, omnia illi infeliciter ſucceſſerunt, & ipſe nouo, atque inaudito morbi genere extinctus eſt.

L. 5. hiſtor. c. 24.

Socrates l. 7. hiſtor. c. 18.

Conſtat item ex Grecorum hiſtorijs Imp. Orientis ab eo tempore, quo pro-

propter diſsidium circa imagines ſe ab Eccleſia Rom. ſeparauerunt, ſemper indies deterius ſe habuiſſe, donec tandem Imperium penitus amiſerunt. In Occidente verò ex Latinorum hiſtorijs manifeſte colligitur, ſemper Imp. magis, vel minùs floruiſſe, vt magis, vel minùs Rom. Eccleſiæ addicti fuerunt.

Tempore Vrbani II. ad annum Domini M. XCVIII. Chriſtiani in bello ſacro à Papa indicto pro recuperatione Hieroſolymæ, cum eſſent Antiochiæ in ſumma deſperatione, eò quod propè adeſſet infinitus exercitus Turcarum, & Perſarum, & ipſi pauci eſſent, & diuturna famę prope euecti, ita vt etiam viri fortiſsimi baculis innixi incederent; nec equos haberent, niſi pauciſsimos, ita vt pręcipuus Princeps Godefredus equo commodato vteretur, & multi Principes in aſinis equitare cogerentur. Tandem Deus reuelauit, vbi eſſet lancea, & ea pręlata in bello victoriam dedit, ita vt occiderint centum millia Turcarum, & ex ipſis vix quatuor millia ceciderint. Cecidit etiam ros diuinitus in illos, quę animis, & corporibus vires addidit. Denique, apparuerunt tres viri ſancti pro illis de cœlo pugnantes. Tempore Innocentij III. in Gallia ab octo millibus Catholicorum cęſa ſunt vno prælio centum millia Albigenſium hęreticorum.

Noſtris temporibus anno M. D. XXXI. quinque prelia commiſerunt pro fide Catholici Heluetij cum hęreticis Heluetijs, & ſemper Catholici vicerunt, cum tamen eſſent numero, & armis multo inferiores. Carolus V. victoriam retulit de Lutheranis anno M. D. XLVII. miraculo diuino. In Gallia quoque, & Belgio multas victorias Catholici de hęreticis non ſine miraculo reportarunt: immò vix vnquam fuerunt hęretici ſuperiores, quando iuſto prelio dimicatum eſt.

CAPVT OCTAVVM.

De nomine Clerici, & Laici.

QVID hęc nomina ſibi velint, nemini dubium eſſe puto. Tametſi enim Græcam originem habeant, tamen trita ſunt, ac peruulgata. Quis enim ignorat idem eſſe λαὸν Græcis, quod populum Latinis? Idem illis κλῆρον, quod ſortem, ſiue hęreditatem nobis? Inde igitur laici dicti ſunt, quaſi plebei, & populares, quibus nulla pars functionis Eccleſiaſticæ demandata eſt: Clerici autem quaſi Domini ſors, & hęreditas, qui diuino cultui conſecrati, procurandæ religionis, ac rerum ſacrarum, Deo ipſe iubente, prouidentiam, ac ſolicitudinem ſuſceperunt. *Nomen Laici. Clerici.*

Cur autem hæreditas ſortis nomine appelletur, illa ratio reddi ſolet, quòd hæreditas in plures plerumque ſorte diuidatur. Vnde illud: *Sorte diuiſit illis terrã in funiculo diſtributionis.* *Pſal. 77.* Accedit, quòd licet ad vnũ aliquẽ hęreditas tota perueniat, id tamen non electione, ſed ſorte fit: naſcuntur enim, vt plurimum, non ſiũt hęredes. Quis autẽ laborauit, quis operã dedit, vt huius potius, quã illius

filius naſceretur, & hæres? Atque huc Apoſtolus Paulus reſpexit, cùm ait:
Coloſſ. 1. *Dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum.* Et rurſus: *In quo nos ſorte vocati ſumus.*
Epheſ. 1. Non quod (vt Lutherani volunt) æterna beatitudo nullis meritis acquiratur, ſed quod ad gratiam, & adoptionem filiorum Dei, ſine vllo opere noſtro vocemur. Falluntur enim Pelagiani, qui priores partes homini; poſteriores verò Deo tribuunt in conuerſione, ac pœnitentia peccatoris. Quomodo enim ſorte vocamur, ſi nos ipſi Deum vllo noſtro vel opere, vel conatu præueniamus? Nemo igitur gratiã inuocat, niſi præuentus à gratia; nemo elegit Deũ, niſi priùs electus à Deo; nemo diligit, niſi priùs dilectus, auerſos ille conuertit, errantes reuocat, inuenitur à non quærentibus, palam apparet non interrogantibus: quia tamen, quod nobis ſors eſt, Deo prouidentia, & prædeſtinatio eſt, propterea Apoſtolus ſapienter iungit vtrumque cùm ait: *In quo nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum voluntatis eius.*

Quæſt. Hinc iam prima inter nos, & hæreticos quæſtio naſcitur; *Rectène, an ſecus, quidam inter Chriſtianos Clerici, quidam Laici nominentur?*

Reſp. Reſp. Hæc appellatio deprompta ex diuinis litteris, in ore omnium Conciliorum, omnium Patrum, totius Eccleſiæ, orbis terrarum vniuerſi, omnibus ætatibus, ac ſæculis fuit. Et quidem, ſi de Conciliorum decretis, & SS.
Prob. Patrum voluminibus agitur, non tam quærendum eſt, vbi Clericorum, & Laicorum nomen, & diſtinctio habeatur, quàm vbi non habeatur, ita paſſim in ſingulis propè paginis, tum Patrum, tum Conciliorum veterum, appellatio illa occurrit. Sanè in Concilio Nicæno I. œcumenico, vetuſtiſſimo, frequentiſſimo, celeberrimo, appellatio Clericorum in ſingulis ferè canonibus inculcatur. Quid, quod in ipſis etiam Apoſtolorum canonibus à S. Clemente deſcriptis, diſtinctio, & nomen clericorum, Laicorum, non ſemel legitur?

Quòd ſi verbum Dei requiras, apud Ieremiam ita Spiritus ſanctus lo-
Ierem. 12. quitur: *Cleri eorum non proderunt eis.* Teſtes huius rei habemus omni exceptione maiores, Origenem, Epiphanium, Hieronymum, qui nõ modò Script. diligentiſſimi tractatores fuerunt, ſed etiam penè ſoli inter omnes Eccleſiæ Patres Hebraicæ linguæ, quâ Ieremiæ volumen ſcriptum eſſe conſtat, ſcientiam habuerunt.

Accedat poſtremò Dei ipſius grauiſsimum teſtimonium, non ſolum verbo prolatum, ſed etiam horribili quodam prodigio, quaſi ſigillo proprio conſignatum. Quod enim hoc tempore Lutherus, & Caluinus aduerſus Clericos clamant, idem olim Dathan, & Abyron aduerſus Sacerdotes Teſtamenti ve-
Num. 16. teris clamabant. *Sufficiat vobis*, aiebant, *quòd omnis multitudo Sanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus, cur eleuamini ſuper pop. Domini?* At qualem exitum reperit illa contentio veterum ſciſmaticorum? Acerbum omnino, & luctuoſum: ſiquidem continuò ad imperium Domini, qui ſciſmata, & ſeditiones aduerſus miniſtros ſuos ferre non poteſt, *dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuũ deuorauit illos cum vxoribus, cum liberis, cum tabernaculis, cunctiſque opibus, deſcenderuntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis.* Hæc videlicet pœna iuſtiſsima eſt illorum, qui diuerſos in Eccleſia gradus, ordinemque pulcherrimum ab ipſa Dei ſapientia conſtitutum confundere, ac per-

perturbare nituntur, vt ad ea inferorum detrudantur loca, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

CAPVT NONVM.

De inſtitutione Miniſtrorum Eccleſiæ.

PRAEMITTENDVM eſt, appellatione creationis Epiſc. tria contineri: Electionem, Ordinationem, & Vocationem, ſeu Miſsionem. Electio nihil aliud eſt, quàm deſignatio certæ perſonæ ad Eccleſiaſticam præfecturam. Ordinatio ſacra cæremonia eſt, qua certo ritu futurus Epiſcopus inungitur, & conſecratur. Miſsio, ſeu vocatio iuriſdictionem tribuit, ac reipſa Paſtorē, & Præſulem facit. *Nota 1.*

Exiſtit igitur inter nos, & aduerſarios controuerſia, cui potiſsimum ius ſit in Eccleſia Epiſc. creandi, id eſt, eligendi, vocandi, atque initiandi.

Rurſus, obſeruandum electionem multis, ac varijs modis fieri poſſe. Nam aut Deus ſolus eligit; quomodò Aaron, & Petrus fuerunt electi: aut Deus per homines. Cùm autem per homines Deus eligit, aut id facit naturali propagatione; quomodo filij Aaron, & nepotes olim ad ſacerdotium proueniebant: aut certè voluntaria electione. Et hoc aut vnius electione; ſicut Clemens à Petro electus dicitur; aut plurium. Si plurium, aut populi, aut cleri, aut vtriuſque. Sit igitur prima noſtra propoſitio. *Nota 2.*

Ordinatio tum Epiſc. tum aliorum Eccleſiæ miniſtrorum, non ad plebem, ſed ad ſolos Epiſc. pertinet. Teſtantur id paſsim diuinæ Script. teſtantur decreta Conciliorum: teſtantur veteres Patres: teſtantur denique mos pop. Dei, & exempla maiorum. Aaronem, & filios eius, Sacerdotes primos Teſtam. veteris, ſolus Moyſes Sacerdos, & Pont. ordinauit, & conſecrauit. Moyſem autem Sacerdotem fuiſſe teſtatur Dauid: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius:* & Patres. In Teſtam. nouo, vbicunque mentio fit manus impoſitionis, quo ritu etiam apud aduerſarios celebratur ordinatio, ſemper ea Apoſtolis, cæteriſque Epiſcopis, nunquam verò plebi tribuitur. Soli Apoſtoli per manus impoſitionem Diaconos ordinarunt. Et Apoſtolus: *Noli negligere*, inquit, *gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum presbyterij.* Quo loco presbyterium Epiſc. cœtum ſignificare, teſtantur omnes fere interpretes, ac præſertim Græci, Chryſoſtomus, Theodoretus, OEcumenius, Theophylactus. Item, in eodem loco loquitur Apoſtolus: *Manus citò nemini impoſueris.* &c. At rurſus: *Reſuſcites*, inquit, *gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum mearum.* *Propoſ. 1.* *Prob.* *Leuit. 8.* *Pſal. 98.* *Act. 6.* *1. Tim. 4.* *1. Tim. 5.* *2. Tim. 1.*

Accedat antiquiſsima, ac perpetua Eccleſiæ conſuetudo, quæ optima iuris interpres eſſe ſolet. Nam à ſæculo non eſt auditum, vt Epiſcopum non Epiſcopus ordinaret: neque huiuſce rei vllum vnquam vel inſtitutum ex diſcipli-

na,

na, vel exemplum ex hiſtorijs, vel etiam vſurpatio ex hæretica licentia proferetur.

Propoſitio 2. Prob. Propoſitio ſecunda: *Vocatio, ſeu miſſio Miniſtrorum non ad pop. pertinet, ſed ad Epiſc. & potiſsimum ad ſummum Pont.* Prob. primò ex verbo Dei. Legimus enim Petro collatam poteſtatem: *Tibi dabo claues.* Et. *Paſce oues meas.* Et rurſus Apoſtolis: *Ego mitto vos, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Multitudini autem fidelium Chriſtus, auctor omnis Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, nihil vnquam tribuiſſe legitur.

Matth. 26. Ioan. 20. Ioan. 20.

Deinde, hoc idem prob. ex Apoſtolica conſuetudine. Nam Paulus, & Barnabas Epiſcopi, & Apoſtoli conſtituebant per ciuitates Presbyteros. Et Apoſtolus: *Huius rei gratia,* inquit, *reliqui te Cretæ, vt conſtituas per ciuitates Preſbyteros, ſicut ego conſtitui tibi.*

Act. 14. Tit. 1.

Denique, idem colligitur ex ſequentibus. Demonſtraturi enim ſumus electionem Miniſtrorum pop. non conuenire: ex quo certè ſequitur, maiori rationi vocationem eidem pop. non conuenire.

Propoſitio 3. Prob. 1. Propoſitio tertia: *Electio miniſtrorum Eccleſiæ non fit à ſolo Deo.* Prob. exemplo ipſius Dei, qui non ſemper eligit prędeſtinatos ad gubernacula politica, vel Eccleſiaſtica. Nam Saulem Deus elegit, qui tamen poſtea reprobus fuit. Et Chriſtus Iudam elegit, quem conſtat minimè prędeſtinatum fuiſſe: *Nonne,* inquit, *ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus eſt?*

1. Reg. 10. Ioan. 6.

Prob. 2. Act. 6. Secundò, exemplis Apoſtolorum, qui elegerunt Diaconos, & inter eos Nicolaum, qui poſteà fuit hęreſiarcha. Ex quo apparet eos non laboraſſe in electione, eſſentne prędeſtinati, an reprobi, quos eligebant, cùm ſatis intelligerent, id ſciri non poſſe.

Tertiò ex Patribus.

Prob. 3. & 4. Quartò ratione. Nam, ſi ſolus Deus eligeret Paſtores Eccleſiæ, aut id faceret ſola ſua voluntate, ſine vllo ſigno externo, & viſibili; aut certè viſibili aliquo ſigno. Si primum affirmetur, quid nobis eiuſmodi electio prodeſſet? Nunquam enim ſciremus, quis Eccleſiæ eſſet Paſtor. Si ſecundum, aut ſignũ illud eſſet prodigioſum, & pręter ordinem naturæ; vt columbæ deſcenſus; aut cæleſtis aliquis fulgor: aut certè loco ſigni accipiendæ eſſent ſortes: quomodo Apoſtoli cupientes S. Matthiam eligi à Deo ſolo, ſortibus vſi ſunt. At prodigia illa columbæ, & luminis ſolent eſſe rariſsima; certè hoc tempore minimè ea videmus. Sortibus autem vti, cùm humano conſilio res tranſigi poteſt, nullo modo licet. Nam aut ſortes exiſtimantur gubernari à caſu, aut à cœlo, aut à Diabolo, aut à Deo. Si à caſu, ſtultum eſt homines ratione vtentes velle ſortibus eligere Paſtores ſuos, & committere fortunæ temeritati, quod poterant conſilij maturitate definire. Si à cœlo, ſuperſtitionis vitium eſt, vti ſortibus in eiuſmodi electionibus: neque enim cœlum vim habet moderandi liberas actiones; quales ſunt iacere ſortes, vel educere. Si à diabolo, impium, & ſacrilegum eſt, ſacrarum rerum auctorem diabolum facere. Si denique à Deo, peccatum eſt tentationis Dei, expetere, atque expectare à Deo, vt ipſi ſortes dirigat, quando neque ipſe id ſe facturum promiſit, neque deeſt humanum conſilium. Quocirca Eccleſia rationem eligendi prelatos ſortibus meritò improbauit.

Act. 1.

Neque

Neque his repugnat exemplum S. Matthiæ, qui electus fuit ſorte. Nam inprimis non fuerunt ſortè illæ ſortes propriè dictæ, ſed cœleſti aliquod lumē ſuper Matthiam à Deo effuſum. Aut certè ſortes illæ propriæ, & veræ fuerūt; ſed priuilegium, atque inſpiratio Dei peculiaris cauſſa fuit, cur ijs Apoſtoli vterentur. Quia enim Apoſtoli ceteri à Chriſto electi fuerant, ne videretur S. Matthias ceteris inferior, voluit fortaſse idem Chriſtus per ſe illum eligere. Itaque inſpirauit Apoſtolis, vt ſorte vterentur. Sed priuilegium nō debet trahi in exemplum ordinarium electionum. Aut poſtremò ſine vllo priuilegio ſortibus Apoſtoli in ea electione vti voluerunt, quòd Matthias, & Barnabas adeò eſſent pares ſanctitate, & doctrina, vt humano iudicio diſcerni non poſſet vter prǫponendus eſſet. In eiuſmodi enim caſibus licitus eſt ſortium vſus, tum quia non tentatur Deus, cùm id ab eo exquiritur, quod humano iudicio declarari non poteſt: tum quia nullum eſt periculum, quicunque ſorte exeat, etiamſi planè caſu exiret, quando pares ſunt, de quibus præficiendis agitur, & tollitur materia quǫrimoniarum, nulliique fit iniuria. Sic etiam apud Iudǫos, ex multis ſacerdotibus ſorte eligebatur vnus, qui certo tempore thus Domino adoleret: Vnde: *Sorte exijt, vt Zacharias incenſum poneret*, &c. *Luc. 1.*

Propoſitio 4. *Prob. 1.* Propoſitio quarta. *Non decuit Chriſtianos Sacerdotes carnali ſucceſsione propagari.* Confirmatur Primò ex figura, quæ in lege naturæ prǫceſsit. Nam Melchiſedech, ſecundum cuius ordinem Chriſtus, & Chriſtiani Sacerdotes eſſe dicuntur, idcirco ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia fuiſſe deſcribitur, vt intelligeremus, Sacerdotes Chriſtianos non debere naſci, ſed fieri. *Hebr. 7.*

Secundò idem prob. ex Iſa: *Aſſumam*, inquit *Dominus, ex eis Sacerdotes, & Leuitas.* In quem locum obſeruat S. Hieronymus, ideò dixiſſe Prophetam, *Aſſumam ex eis*, quia in Teſtamento nouo, de quo apertiſsimè ibi loquitur Iſaias, non erant Sacerdotes naſcituri ex vnâ aliquâ familiâ, ſed aſſumendi ex omnibus Gentibus. *Prob. 2.* *Iſa. 66.*

Tertio prob. ex differentiâ Teſtamenti noui, & veteris. Vt enim in Teſtamento veteri populus Dei propagabatur per carnalem generationem ex Iacob; in nouo autem propagatur per ſpiritualem regenerationem ex Chriſto: ita quoque par erat, vt in Teſtamento veteri Sacerdotes carnali ſucceſſione propagarentur; in nouo autem ſpirituali electione aſſumerentur. Item, quemadmodum Sacerdotium Aaronicum carnale fuit, quippe quod totum in bobus, & ouibus mactandis occupabatur; Chriſtianum autem Sacerdotium ſpirituale eſt, cùm in hoſtia ſpirituali, & diuina ſacrificanda occupetur: ſic etiam æquum erat, vt Sacerdotum propagatio in Teſtamento veteri carnalis, in nouo ſpiritualis eſſet. Adde, quòd illi vxores, & liberos habebant; proinde facilè potuit illa ratio inſtitui, vt parentibus filij ſuccederent; noſtri autem cœlibes eſſe debent, prǫſertim ſecundum ritum Eccleſiæ purioris: quare non poteſt vllo pacto fieri, vt ſacerdotium Chriſtianum ſucceſsionem carnalis generationis conſequatur. *Prob. 3.*

Quartò idem prob. naturali ratione. Chriſtianæ enim Reip. (quæ ſanè eſt perfectiſsima) perfectiſsima ratio conuenit inſtituendi Miniſtros. At longè melior eſt ratio per electionem, quàm per generationem: nam, ſi electio va- *Prob. 4.*

leat, ſemper optimi, & doctiſsimi paſtores præfici poſſunt Eccleſijs; ſi autem generatio locum habeat, cogemur non rarò pueros habere Epiſc. aut viros improbos, & imperitos.

Propoſitio 5. Propoſitio quinta. *Ius eligendi ſummum Pont. cæteroſque Eccleſiæ Paſtores & Miniſtros, non conuenit pop. iure diuino. Sed ſi quid aliquando in hac re pop. potuit, id totum habuit ex conniuentiâ, vel conceſsione Pont.*

Prob. 1. Prob. primo exemplo Aaronis, & teſtimonio Pauli. Scribit enim Paulus, *Hebr. 7.* neminem aſſumere ſibi debere honorem, niſi qui vocatur à Deo, tamquam Aaron: atque Aaron à ſolo Moyſe fuit electus in Pont. ſine vllo vel conſenſu, vel conſilio multitudinis.

Prob. 2. Secundò idem prob. exemplo, & verbo Chriſti. Ait enim Apoſtolis: *Sicut* *Ioan. 20.* *miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quocirca voluit, vt eâ poteſtate, eâque ratione Apoſtoli gubernarent Eccleſiam qua ipſe eam gubernauerat eo tempore, quo præſentiam ſuam mundo exhibuerat. At ipſe Apoſtolos primùm duodecim, deinde diſcipulos 72. elegit, ſine conſilio, aut ſuffragio multitudinis.

Prob. 3. Tertiò ex iure diuino, tum naturali, tum ſcripto: nam iure diuino ſcripto *Ioan. vlt.* Epiſc. ſunt paſtores; populi ſunt oues. Ratio autem naturalis apertiſsimè *Act 20.* docet, ouibus non conuenire, vt paſcant, ac regant, ſed regantur, atque paſ*1. Pet. 5.*cantur. At eligere Paſtores, ad gubernationem, & regimen pertinere, certiſsimum eſt.

Prob. 4. Quartò prob. exemplo Apoſtolorum qui Epiſc. paſsim eligebant ſine vllo ſuffragio multitudinis, vt vel ex eo conſtat, quòd Epiſcopos à ſe creatos mittebant ad populos abſentes, & infideles.

Prob 5. Quintò prob. ex Conciliorum veterum Decretis.

6. & 7. Sextò exemplis, ſeu teſtimonijs veterum.

Septimò ex incommodis quæ popularem electionem conſequuntur. Primum; Populares imperiti ſunt, nec poſſunt, etiamſi maximè velint, iudicare, an aliquis ſit idoneus ſacerdotio, nec ne. Valentinianus Auguſtus, vt *L. 4 hiſt. c. 7* refert Theodoretus, cùm ad eum deferretur ab Epiſc. electio Epiſc. Mediolanenſis, reſpondit: *Maior res eſt, quàm vt nobis conueniat, vos autem gratiâ diuinâ præditi, & illius ſplendore fulgentes, melius eligetis.* Quantò magis id poſſet, ac deberet dicere imperita multitudo, ſi ſaperet?

Deinde; Si populus ius habeat eligendi, neceſſe erit, vt ſemper ij præficiantur, quos præfici cupient peiores, & ſtultiores; nam maior pars vincet: plures autem ſunt in quâlibet ciuitate mali, quàm boni, plures ſtulti, quàm *Epiſt 110.* ſapientes. Denique; Electio popularis obnoxia eſt tumultibus, ac ſedi*& 225.*tionibus, vt Auguſtinus dicit, qui refert hiſtoriam turbulentiſsimæ commotionis popularis in electione Piniani. Ruffinus quoque narrans diſſen*L. 11. hiſt. c. 11.*tionem pop. Mediolanenſis in Epiſcop. deſignando: *Diſſenſio*, inquit, *grauis, & periculoſa vrbi propriæ maturum parabat exitium.* Sed inſignis contentio præter cæteras fuit in electione S. Damaſi: tanto enim ardore animi partes concurrerunt, vt in quodam templo C. XXXVII. homines necarentur.

Propoſitio 6. Propoſitio ſexta: *Electio Epiſc. non pertinet iure diuino ad Clerum, ſed ad ſummum*

mum Pont. vt vel ipſe eligat, vel præſcribat eligendi modum.

Prob. primò, quoniam ex Euangelio nihil aliud habemus, niſi vniuerſam Eccleſiam S. Petro eſſe commiſſam. Itaque ad illum pertinet prouidere Chriſtianis de ijs, qui curam eorum gerant. Deinde, Si ad Clerum pertineret electio iure diuino, ad totum Clerum pertineret. Non enim ius diuinum definiuit, vt hi potiùs, quàm illi ex Clericis eligant. Non omnibus autem Clericis conuenire electionem, ſatis prob. ex eo, quòd eadem ferè incommoda acciderent ob multitudinem Clericorum, quæ accidebant in electione populari. Quocirca multis iam ſeculis ſoli Clerici primarij eligunt, quod tamen fieri non potuiſſet, ſi iure diuino omnes Clerici electores fuiſſent. Denique; S. Petrus, qui ius diuinum certè non ignorabat, non ſolùm in Eccleſia Catholica ſucceſſorem ſibi delegit Clementem, neque expectauit, vt is à Clericis eligeretur; ſed etiam ad plurimas prouincias Epiſc. miſit. *Prob. Ioan. vlt.*

Propoſitio ſeptima: *Ratio eligendi ſummum Pont. per ſolos Cardinales eſt omnium optima, & meritò conſeruanda; etſi abſolutè poſſet Pont. eam mutare, ſi vellet.* *Propoſitio 7.*

Secunda pars eſt euidens, quia de iure poſitiuo eſt, vt Cardinales eligant.

Prob. prima pars. Primò inductione. Non debet Pont. creari per ſortes, nec per carnalem ſucceſsionem, nec per ſolius prædeceſſoris nominationem, nec ad ſuffragia pop. nec ad ſuffragia totius Cleri, vt iam probatum eſt: ergò ad ſuffragia primorum ex Clero. Tales ſunt Cardinales: ſunt enim præcipui Epiſc. Presbyteri, & Diaconi Rom. Eccleſiæ. *1. pars prob. 1.*

Secundò; Nulli meliùs iudicare poſſunt, qualis debeat eſſe Epiſc. eligendus, quàm ij, qui ſunt Epiſc. Conciliarij, & cum eo Eccleſiam regunt, & optimè norunt Eccleſiaſtica negotia: tales ſunt Cardinales. *Prob. 2.*

Tertiò ex duratione. Nulla enim forma electionis diu durare potuit, præter iſtam per ſolos Cardinales. Conſtat enim anno M. C. LXXIX. vſque ad hoc tempus per annos C D. ſemper electos Pont. à duabus partibus Cardinalium, iuxta decretum Alexandri III. promulgatum in Concilio Lateranenſi. Nec tamen tunc cœpit electio fieri per ſolos Cardinales, ſed diu antea videtur incœpiſſe. Porrò ante hoc tempus per annos M. C. annos XVII. mutationes inueniuntur in electione Rom. Pontificis. *Prob. 3. C. Licet extr de Electione.*

Quartò prob. experientia, quia nunquam fuerunt pauciora ſciſmata, quã hoc tempore. Annotauit Onuphrius ſciſmata XXIX. in Eccleſia Rom. ex quibus XXVI. fuerunt vſque ad Alexandrum; toto reliquo tempore ſolùm tria, ex quibus etiam tribus vnum ſolùm accidit vitio Cardinalium, nimirum illud, quod factum eſt tempore Vrbani VI. Nam illud alterum, quod accidit tempore Ioannis XXII. ab Imp. Ludouico IV. excitatum eſt; poſtremum verò temporibus Eugenij à Concilio Baſileenſi. *Prob. 4. L. de Rom. Pont.*

Quintò prob. Nam hæc forma eligendi temperata eſt ex omnibus alijs bonis, & legittimis formis. Sciendum eſt enim, quinque modis potiſsimùm conſueuiſſe eligi Epiſc. *Prob. 5.*

Primus fuit, vt ipſe ſummus Pont. per ſe eligeret; qui modus præſertim ſeruabatur olim in nouis Epiſcopatibus erigendis, nouiſque Epiſcopis mittendis.

Secundus fuit, vt Epiſcopum eligerent Epiſc. omnes eiuſdem prouinciæ, vel maior eorum pars, poſtulato tamen teſtimonio, & conſenſu Cleri, & populi eius loci, cui Epiſc. dabatur. Et eodem modo eligebantur Metropolitani, & Patriarchæ, & ipſe ſummus Pontif. nimirum ab Epiſc. vicinis, ſeu prouincialibus. Et hic modus antiquiſsimus fuit, & durauit ſatis diu.

Tertius fuit, vt eligeret Clerus, & pop. ciuitatis. Hic modus fuit in vſu tempore Chryſoſt. Ambroſij, Auguſtini, Leonis, Gregorij.

Quartus fuit, vt Imp. & Reges vel ſoli, vel cum Clero, & pop. eligerent. Conſtat enim, Iuſtinianum ſeniorem poſt recuperatam Italiam noluiſſe quenquam creari Rom. Pontificem, ſine ſua approbatione: quod ſeruatum eſt vſque ad Conſtantinum IV. qui iuri ſuorum prædeceſſorum in hac parte ceſsit. Conſtat item Carolo Magno ius eligendi Rom. Pontificem, & alios Epiſc. conceſſum ab Adriano I. & deinde ſimile ius conceſſum Othoni à Leone VIII.

Quintus modus fuit, vt ſoli Canonici, id eſt, primarij Clerici Epiſcop. eligerent, qui modus ſeruatur à longo tempore in multis Germaniæ locis.

Ex his quinque formis prima non poteſt reperiri in electione ſummi Pontif. nam non expedit, vt prædeceſſor eligat ſucceſſorem: reperitur tamen aliquo modo, quatenus hæc forma electionis ab ipſius Pontif. decreto manauit.

Secunda reperitur in hac forma, quantum ad id, quod erat in ea præcipuũ: nam eligunt nunc Epiſc. vicini, vt tunc eligebant, nimirum ſex Epiſc. Cardinales.

Tertia non reperitur, quia erat omnium maximè incommoda.

Quarta non reperitur etiam, quia, quòd Imp. ſe miſcuerint electioni, factum eſt vel vi, vel quaſi tyrannide Imp. vt quando Græci Imper. nolebant creari Pontif. ſine ſuo iuſſu; immò etiam niſi pecuniariam ſummam accepiſſent: vel quia Pontif. ipſi id neceſſarium iudicabant ad Eccleſiæ defenſionem; vt quando Carolo Magno, & Othoni id Pontif. conceſſerunt. At nunc nec Imp. tyrannicè ſe ingerunt electioni, nec id requiritur ad defenſionem Eccleſiæ. Immò etiam vix inuenitur aliquis pius Imp. qui hoc iure ſibi conceſſo vti voluerit; & è contrario extat aperta renunciatio huic iuri, facta à Ludouico Caroli filio, & ab Othone I.

Can. Ego Ludouic. diſt. 63. can. Conſtituo. diſt. ead. Propoſ. 8.

Quinta denique reperitur: nam, quod ſunt Canonici in alijs vrbibus, id ſunt Presbyteri, & Diaconi Cardinales in Vrbe.

Propoſitio octaua. *Si nulla extaret Pontificia conſtitutio de electione ſummi Pont. vel caſu aliquo omnes electores à iure deſignati, id eſt, omnes Cardinales, ſimul perirent, ius electionis ad Epiſc. vicinos, & Clerum Rom. pertineret, cum dependentia tamen aliqua à Concilio generali Epiſc.*

In hac propoſitione non videntur omnes conuenire. Quidam enim exiſtimant, ſecluſo iure poſitiuo, ius eligendi deuolui ad Concilium Epiſc. Alij ad Clerum Rom. pertinere ius eligendi. Sed conciliari poſſunt hæ duæ opiniones. Nam ad Concilium Epiſc. pertinet ſine dubio primaria auctoritas eligẽdi in illo caſu: ſiquidem mortuo Pontif. non eſt in Eccleſia vlla maior auctoritas,

ritas,

ritas, quàm generalis Concilij; &, ſi Pontif. non eſſet Epiſcopus Rom. nec alicuius particularis loci, ſed ſolùm generalis Paſtor totius Eccleſiæ, ad Epiſc. pertineret vel eligere ſucceſſorem, vel deſignare electores: tamen poſteaquã vnitus eſt Pontificatus orbis Epiſcopatui vrbis, immediata auctoritas eligẽdi in illo caſu deberet ab Epiſc. totius orbis permitti Epiſc. vicinis, & Clero Rom. Eccleſiæ.

Quod prob. duplici ratione. Primò, quia ab omnibus Epiſc. vicinis, & Clericis Rom. translatum eſt ius eligendi ad Cardinales, qui ſunt quædam pars Epiſc. & Clericorum Rom. Eccleſiæ: Ergò Cardinalibus deficientibus deberet redire ius eligendi ad omnes Epiſc. & Clericos Rom. Eccleſiæ. *Prob.*

Secundò, quia hæc eſt antiquiſsima conſuetudo, vt Epiſcopum, tam Rom. quàm alios eligant Epiſc. vicini Clero præſente. Nec vnquam eſt auditum, quòd Epiſc. aut Archiepiſcopi totius orbis conuenirent ad electionem ſummi Pont. niſi in caſu, in quo dubitatur, qui ſint legittimi electores. Hoc enim dubium à Concilio generali explicari debet; vt factum eſt in Concilio Conſtantienſi.

CAPVT X.

De diſtinctione Miniſtrorum Eccleſiæ.

QVAESTIO hæc in tribus rebus poſita eſt. Diſſentimus enim ab aduerſarijs de numero, de antiquitate, & de officio Clericorum. Ac vt à numero incipiamus, Catholici certum, ac ſtatum numerum eſſe volunt Clericorum, qui propriè ordines Clericorum nominatur. Eſt autem obſeruandum duobus modis accipi ſolere apud auctores ordinem Eccleſiaſticum. Vno modo propriè; alio modo communiter. *Quæſt.* *Numerus Ordinum.*

Propriè illi dicuntur ordines, qui certo ritu ſacro, & ſolenni conferuntur ab Epiſc. & ad certum miniſterium ſacrificio diuino exhibendum referuntur. Qua ratione ſeptem dumtaxat ordines numerantur, videlicet, Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolutus, Lector, Exorciſta, & Oſtiarius. Etſi enim Epiſc. & Presbyter diſtinguantur, tamen quantum ad ſacrificium idem omninò myſterium exhibent, proinde vnum ordinem, non duos faciunt: ſicut etiam Lector, & Cantor, ſeu Pſalmiſtæ. *Ordines propriè dicti.*

Quare Cornelius Papa in epiſtola ad Fabianum apud Euſeb. dicit, in Eccleſia Rom. ſuo tempore, id eſt, ante annos M.CCC. fuiſſe Presbyteros XLVI. Diaconos VII. Subdiaconos VII. Acolutos XLII. Exorciſtas cum Lectoribus, & Oſtiarijs LII. Vbi nullam facit mentionem Cantorum, vel laborantium, vel aliorum, quos alij numerant, quia nimirum illi nec habent propriam ordinationem, nec referuntur diſtincta ratione ad ſacrificium. *L. 6. hiſt. c. 33.*

Cap. 3. In Concilio item Rom. ſub Syluestro numerantur ijdem ſeptem ordines. *Can. 2. & ſeq.* In Concilio autem Carthaginenſi IV. præter ordines iam nominatos additur vltimo loco Pſalmiſta, ſeu Cantor; ſed ibidem Concilium monet, Pſalmiſtam non ordinari ab Epiſc. ſed etiam ſine licentia Epiſc. ſola iuſſione Presbyteri poſſe officium canendi ſuſcipere. Iſidorus, Rabanus, Amalarius, Hugo de S. Victore eoſdem ſeptem ordines numerant, & explicant. Idem facit Magiſt. Sententiarum, quem omnes Theologi ſequuntur.

In 4. d. 24. In instruct. Armen. Seſſ. 23. c. 2. Denique eoſdem numerat Concilium Florent. & Tridentinum: & Eccleſiæ vſus idem teſtatur; non enim alij ordines præter iſtos conferri ſolent. Nã prima tonſura nullus eſt ordo, cùm nullum habeat officium annexum, ſed eſt præparatio ad ordines; vt eſt Catechiſmus ad Chriſtianiſmum.

Ordines communiter dicti. Communiter autem dicuntur ordines illi omnes, qui quomodocunque dedicantur diuinis obſequijs, etiamſi non referantur ad ſacrificium: & hoc modo etiam Monachi, Virgines, & viduæ Deo ſacratæ, nec non laborantes in ſepeliendis defunctis, ordines aliquando dicuntur à Patribus: ſicut etiam Diaconiſſæ virgines, aut viduæ, quæ ſeruiebant Eccleſiæ in inſtitutione mulierum, quæ baptizandæ erant.

Antiquitas Ordinum. De antiquitate ordinum, Clemens, & Ignatius, Apoſtolorum diſcipuli, eorum meminerunt. Ad hæc; tempore S. Cypriani omnes ordines erant in Eccleſia, nec tamen tunc cœperunt. Nam vt de antiqua re, & vbique recepta loquuntur auctores illius temporis; qui ſanè non multum aberant ab Apoſto-*L. 6 hiſtor. c. 33.* licis temporibus. Eodem tempore ſcripſit epiſtolam S. Cornelius ad Fabia-*Can. 24.* num Antiochenum apud Euſebium ordinum omnium mentionem faciens. *Can. 2. & ſeq.* Omitto Concilium Laodicenum: & Carthaginenſe IV. in quibus omnium ordinum mentio fit: quorum hoc celebratum eſt ante annos M. C. illud ante annos M. C C.

1. Tonſura. De officijs Miniſtrorum ſingulis dicamus. Exordium in Eccleſia ſumitur à prima tonſura, quæ quidem non eſt ordo, cùm nullum habeat certum officium annexum, ſed eſt quædam diſpoſitio, & præparatio ad ordines. Profitentur enim ſe ordinibus initiandos, & à ſeculi negotijs ad militiam Eccleſiaſticam tranſituros, qui ita tondentur.

Oſtiarij. Primus igitur ordo Oſtiariorum eſt, quorum officium etiam apud veteres eſt, aperire, & claudere fores Eccleſiæ; proinde curam habere ipſius templi. Eſſe autem certum ordinem, & proinde rectè ordinari eos ab Epiſc. ſolenni ritu, patet ex teſtimonijs iam citatis, in quibus ordo Oſtiariorum inter ordi-*Can. 9.* nes Eccleſiæ numeratur: ac præterea in Concilio Carthaginenſi IV. forma præſcribitur, & ritus ordinandorum Oſtiariorum, & eſt ille ipſe, quo nunc vtitur Eccleſia.

Lectores. Secundus eſt ordo Lectorum, quorum officium erat, legere ex pulpito in Eccleſia, quidquid legendum erat ex vtroque Teſtamento: nam etiam Euan-*L. 2. epiſt. 5.* gelia legi à Lectoribus conſueuiſſe, Cyprianus teſtatur. Eſt tamen credibile, Lectoris officium non fuiſſe, vt legeret Euangelium tempore ſacrificij (id *Can. 8.* enim Diaconorum fuit) ſed ſolùm extra illud tempus. Neque ſolùm Conci-*L. 2. epiſt. 5. L. 3. epiſt. 22.* lium Carthaginenſe IV. præſcribit ritum ſolemnem ordinandi Lectores, ſed *L. 4. epiſt. 5.* etiam S. Cyprianus apertè ſignificat, lectoratum fuiſſe ordinem, & gradum

in

in Eccleſia; nam paſsim vocat gradum, & honorem Eccleſiaſticum. Item, dicit, Celerinum initio ex humilitate refugiſſe eum gradum, ſed tandem diuina reuelatione admonitum acquieuiſſe. Ad hæc, excuſat multis verbis, quòd quoſdam ordinauerit lectores, vrgente neceſsitate; ſine conſilio, & conſenſu expreſſo Cleri. Denique; dicit ſe priùs quendam Saturum nomine feciſſe Clero proximum, quòd ei permiſiſſet in Paſchate legere in Eccleſia, cùm non eſſet ordinatus: denique verò in Clerum eum coaptaſſe, atque ad ordinem lectoris promouiſſe. Vbi vides, aliud eſſe legere in Eccleſia, aliud verò promoueri ad ordinem Lectoris.

Tertius ordo Exorciſtarum eſt, ad quorum officium pertinet, exorciſmos Eccleſiæ legere ſuper Energumenos, & eo modo præparare illos, vt ſacrificij diuini participes fieri poſsint. Olim ſiquidem, quia frequentiſsimè dæmones pellebantur de corporibus humanis, concurrebant plurimi Energumeni ad Eccleſiam, ita vt eſſent quaſi greges Energumenorum; ac propterea iſte ordo inſtitutus fuit. Fuiſſe autem reuera ordinem certum Eccleſiaſticum Exorciſtarum, patet ex teſtimonijs Ignatij, Cornelij Papæ, S. Cypriani, Concilij Rom. ſub Syluestro, Concilij Laodiceni, vbi Exorciſtæ inter ordines numerantur: ſed præcipuè id oſtenditur ex Concilio Carthaginenſi I V. *Exorciſtæ.*

Quartus ordo Acolutorum eſt, quorum id eſt proprium, vt cum cereo accenſo ſequantur Diaconum ad locum Euangelij, & vrceolos, atque ampullas ad ſacrificium præparent, ac Subdiacono porrigant. Inde enim dictus eſt Acolutus, quaſi pediſſequus ab ἀκολουθῶ, quod eſt ſequor; & etiam ceroferarius à geſtando cereo. Pertinuiſſe autem ad officium eius, cereos, & vrceolos, teſtatur Concilium Carthaginenſe I V. Nomē etiam ceroferarij eſt apud Iſidorum, Amalarium, Rabanum, Hugonem, & alios multos. *Can. 7. Acoluth.* *Can. 6.*

Quintus ordo Subdiaconorum eſt, ad cuius officium propriè pertinet, miniſtrare Diacono in ſacrificio; ac propterea, dum ordinatur, calicem accipit vacuum, & patinam; vt habemus in Concil. Carthaginen. I V. & in Concil. Toletano I V. Eiuſdem eſt, epiſtolas B. Pauli ad Miſſam legere, vt Concilium Remenſe docet. Meminerunt huius ordinis omnes auctores ſupra citati. *Subdiaconi.* *Can. 5. Can. 27. Can. 4.*

Sextus ordo Diaconorum eſt, quos oblationibus colligendis, & opibus Eccleſiæ adminiſtrandis præpoſitos fuiſſe, inter Catholicos, & hæreticos conſtat. Id enim teſtantur Acta Apoſtolorum. Idem ex Leone patet. Ex quo officio fortaſſe factum eſt olim, vt Diaconi inſoleſcerent aduerſus Presbyteros: ſemper enim officia pecuniaria adamata fuerunt præ cæteris. Reprehendunt Diaconorum arrogantiam Concilia nonnulla, Nicænum, Laodicenum, Toletanum I V. Item, Patres, Cyprianus, Hieronymus, & Bernardus. *Diaconi.* *Act. 6.*

Sed præter hoc officium habebant etiam Diaconi alia nonnulla. Primò, Diaconorum erat Sacerdoti ſacrificanti aſsiſtere, ac miniſtrare, & populo diſtribuere Euchariſtiam: & propter ſacrum hoc miniſterium potiſsimùm ſacram ordinationem accipiunt. Videmus enim in Act. per impoſitionem manuum ordinari Diaconos: qua ſacra cæremonia non eſt credibile Apoſtolos vſuros fuiſſe, ſi ſolùm miniſterium menſarum Diaconis committere voluiſſent: antea enim viduæ miniſtrabāt menſis, nec tamē certo ritu ordinabātur. *Ibid.*

Idem

Idem etiam indicat Clemens, & Cyprianus: & cognoſcimus ex hiſtoria S. Laurentij apud Ambroſium. Inducit enim S. Laurentium ſic loquentem ad D. Sixtum: *Quò progrederis ſine filio, Pater? Quò, Sacerdos ſancte, ſine Diacono properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre conſueueras.* Et infra: *Cui commiſiſti conſummandorum conſortium Sacramentorum, huic conſortium tui ſanguinis negas?* Idem patet ex Chryſoſtomo, & Liturgiâ eius: item ex S. Gregorio. Denique; Iſidorus, Rabanus, Amalarius, Hugo, & alij, qui deſcribunt officia omnium ordinum, hoc docent, quod diximus.

L. 1. de officijs. c. 41.

Secundò; Diaconorum erat, tempore ſacrificij Euangelium legere. Id teſtantur, præter ſuprà dictos auctores, Hieronymus, Gregorius: item Concilia antiqua, Vaſenſe, Remenſe.

Tertiò, Diaconorum erat, baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Euchariſtiã deferre, & præbere laicis; ac breuiter omnia facere, quæ Epiſc. & Presbyteri faciunt, excepta cõſecratione corporis domini, & ordinatione Clericorum, & alijs officijs, quæ requirunt poteſtatem ordinis. Nam Diaconos baptizare poſſe, patet exemplo Philippi Diaconi. Poſſe prædicare, docet exemplũ Stephani, & Philippi Diaconorum. Item, exemplum S. Vincentij martyris, qui, cùm Diaconus eſſet, prędicabat tamen; vt Auguſtin. teſtatur. Idem etiam docet Gregorius. Sicut de reconciliatione pœnitentium Cyprianus: de prębenda Euchariſtia laicis Concilium Nicęnum: & deferre ſolitos ad abſentes Euchariſtiam, Iuſtinus.

Act. 8.
Act. 7. & 8.

Eſt tamen obſeruandum hæc omnia, ac pręcipuè officium prędicandi, propria Epiſc. eſſe, ita vt ne Presbyteris quidem prędicare liceat, niſi ex Epiſc. mandato, aut conſenſu. Epiſc. enim propriè Apoſtolis ſuccedunt: Apoſtoli autem ſunt, qui dicunt: *Non eſt bonum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.*

Act. 6.

Sacerdotes.
Quæſt.

Septimus ordo Sacerdotum eſt, de quo gràuis inter nos, & hęreticos controuerſia eſt: *Sitne Presbyter idem omninò, quod Epiſc. ac præſertim iure diuino?* De quâ ſic loquitur Concilium Trident. *Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſc. qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, à Spiritu ſancto, regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe,* &c. Et: *Si quis dixerit Epiſc. non eſſe Presbyteris ſuperiores,* &c. *anathema ſit.*

Seſſ. 23. ca. 4
Can. 7.

Prob dogma. 1.

Tria igitur demonſtrare conabimur. Primò, iure diuino maiorem eſſe Epiſc. Presbytero, quod attinet ad ordinis poteſtatem. Prob. Nam ſolus Epiſc. ordinare poteſt Presbyteros, & eo modo generare Patres Eccleſiæ. Presbyteri autem ordinare non poſſunt, ſed ſolùm baptizare, & eo modo filios Eccleſiæ generare. Id autem ita eſſe, docent Concilia Antiochenum, & Ancyranum, & Patres: denique Eccleſiæ conſuetudo. Nunquam enim eſt auditum, quòd Presbyteri Presbyteros, aut Diaconos, nedum Epiſc. ordinauerint.

Eſſe autem ex iure diuino, vt ſoli Epiſc. ordinent inde colligitur, quòd habebatur irritum, ſi quid in eâ re feciſſent, qui veri Epiſc. non erant. At certè, ſi diuino Presbyteri ex ipſa ſua ordinatione, id eſt, ex charactere ſuo ſacerdotali, haberent, vt ordinare poſſent, non eſſet irritum, quod facerent, ra-

metſi

metſi prohibente Eccleſia facerent. Præterea; Cùm ordinatio Sacramentum ſit, & Sacramenta omnia à Deo ſint inſtituta, certè, qui maior eſt ordinis poteſtate, quæ per Sacram. ordinationis accipitur, is quoque maior ſit ex diuina inſtitutione, neceſſe eſt. Idem argumentum fieri poteſt ex confirmatione baptizatorum, & templorum, atque altarium conſecratione. Conſtat enim ſolos Epiſc. vt ordinarios miniſtros, Confirmationis Sacram. poſſe conferre, nec non templa, & altaria conſecrare; neque id Presbyteris licere. Videmus enim Apoſtolos ipſos, quibus Epiſc. ſuccedunt, miſſos, vt per manus impoſitionem darent Spiritum ſanctum iam baptizatis. *Act. 8.*

Secundò demonſtrandum erit maiorem eſſe Epiſc. Presbytero iure diuino, etiam quantum ad iuriſdictionem. *Prob. 1. dogma. 2.*

Prob. primò ex figura Teſtamenti veteris: (quanquam hoc argumentum, vt etiam ſequens, de diſtinctione Apoſtolorum, & Diſcipulorum, probet etiã de poteſtate ordinis.) Nam in Teſtamento veteri erat vnus ſummus Sacerdos Aaron, & qui ei ſuccedebat: erant præterea minores Sacerdotes, omnes videlicet filij Aaron, & qui ab illis deſcendebant: ac denique erant Leuitæ cœteri, qui à Leui originem ducebant, ſed non per Aaronem. Conſtat autem, iure diuino fuiſſe diſtinctos hos tres gradus, Pontificum, Sacerdotum, & Leuitarum: ita vt Pontif. maior eſſet Sacerdotibus, & Sacerdotes Leuitis: nam & conſecrationes eorum diſtinctæ erant, & veſtes, & officia. *Exod. 28. & 40. Leuit. 8. Num. 3. 4. & 20.*

Quòd autem iuriſdictio penes Pont. eſſet, non autem penes cœtum minorum Sacerdotum, patet ex Deuter. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex ſententia iudicis moriatur.* At Epiſc. id ſunt in Eccleſia, quod erant Pont. in Teſtamento veteri; id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes; id Diaconi noſtri, quod illorum Leuitæ: vt docent Damaſus, Hieronymus, Leo, Concilium Hiſpalenſe II. & alij permulti grauiſsimi auctores. Et ſanè ratio nulla permittit, vt diſtinctior fuerit Hierarchia in Teſtam. veteri, quàm in nouo, cùm illud vmbræ, iſtud imagini comparetur ab Apoſtolo. Sequitur igitur, vt, ſicut in Teſtam. veteri iure diuino Pontif. Sacerdotibus minoribus auctoritate præſtarent: ita etiam Epiſcop. in Eccleſia Presbyteris præſtent. *Deut. 17.* *Hebr. 10.*

Secundò prob. idem ex diſtinctione Apoſtolorum, & diſcipulorum LXX. Nam Epiſcopos Apoſtolis ſuccedere, Presbyteros autem LXX. diſcipulis, docent conſtanter omnes Patres. Porrò Apoſtolos iure diuino maiores fuiſſe diſcipulis LXX. ſatis apertè colligitur. Primùm ex inſtitutione diſtincta, & diuerſa. Apoſtolos enim ſolùm duodecim Dominus eſſe voluit, & eos ſemper ferè ſecum habebat, ac priuatim inſtituebat. Diſcipulos LXXII. inſtituit. Præterea; Solis Apoſtolis dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Denique; Cùm ex Iudæ apoſtaſia numerus duodenarius imminutus eſſet, aſſumptus eſt Matthias, nec ſine ſolenni quadam cæremonia, cùm tamen eſſet ille anteà ex numero diſcipulorum. *Prob. 2.* *Luca 6. Luca 10. Ioan. 20.*

Tertiò prob. ex illis Domini verbis: *Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.* Hæc enim verba S. Hilarius, & ceteri Patres in locum, de Epiſc. dicta eſſe volunt: ex quo intelligimus, ipſo Domino inſtituente, Epiſc. propriam eſſe curam, & gubernationem Eccleſiæ. Quo etiam *Prob. 3. Matt. 24.*

Act. 20. pertinet illud: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſc. regere Eccleſiam Dei.*

Prob. 4. Quartò prob. ex antiquitate. Nam, ſi iure humano Epiſc. Presbyteris præeſſent, inueniretur certè principium aliquod huius inſtitutionis poſt Apoſtolica tempora. At ipſo tempore Apoſtolorum is erat Eccleſiæ vſus, vt Preſbyteri Epiſc. ſubeſſent: nam Apoſtolus ſcribit? *1 Tim. 5.* *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Vbi videmus, Epiſcopum Apoſtolorum tempore iudicem Presbyterorum, proinde verum Principem, ac ſuperiorem eſſe. Idem videre eſt ex Ignatio, Clemente, Dionyſ. Areopagitâ, Tertulliano.

Prob. dogma 3. Tertiò, demonſtrandum eſt, quòd Epiſc. auctoritas non ſit in cœtu Preſbyterorum, quaſi Conſulis in Senatu; ſed vt Principis in Conſilio Conciliariorum ſibi ſubiectorum. Primùm colligitur ex teſtimonio iam citato Pauli, & Patribus. Deinde, ex Concilijs: omnia ſiquidem Concilia, tum generalia, tum prouincialia, etiam antiquiſsima, ab Epiſc. celebrata ſunt. Conſtat autem, in Concilijs maximè exerceri iuriſdictionem, cùm leges in eis ponantur, & pœnæ præuaricatoribus decernantur.

Item, ex eo, quod multis in locis legimus, Presbyteros ab Epiſc. excommunicatos: nuſquam autem Epiſc. à Presbyteris. Denique, ex eo, quod ſoli Epiſc. ſolium ſiue thronum habeant in Eccleſia, quod eſt poteſtatis indicium: vnde & imperare Principum more dicuntur à Patribus.

Cardinalis nomen. De Cardinalibus pauca addenda ſunt. Tria autem dicemus. Primùm de antiquitate, & ſignificatione nominis Cardinalium. Exiſtimo autem, nomen Cardinalis primo impoſitum eſſe loco, & à loco deriuatum ad perſonas. Dicebantur enim tituli Cardinales, quædam Eccleſiæ principales, vbi Baptiſma conferebatur: & dicebantur Eccleſiæ, vel tituli Cardinales, ad differentiā aliorum locorum ſacrorum minùs principalium. Inde autem Presbyter, qui eam Eccleſiam regebat, dicebatur Presbyter Cardinalis. Pari ratione Diaconiæ Cardinales erant loca quædam principalia in vrbe diſtincta, iuxta numerum regionum, &, qui in eis reſidebant. Diaconi, dicebantur Cardinales Diaconi, ab Eccleſia ſcilicet Cardinali, quam tenebant. Sic etiam poſtmodum dicti ſunt Epiſcopatus Cardinales, & inde Epiſcopi Cardinales ſex illi, qui ad eligendum Pont. conueniebant, & eidem Pont. à Concilijs erant, præter ceteros orbis Chriſtiani Epiſc.

Officium Cardinaliū. Secundo, dicendum eſt de officio, & antiquitate officij. Cardinaliū. Tria autem ſunt officia Cardinalium. Primum eſt commune cum Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis ceteris. Omnes enim Cardinales aut Epiſcopale, aut Presbyterale, aut Diaconale officium habent. Alterum officium eſt, ſummū Pont. eligendi. Poſtremum, eidem Pont. perpetuò aſsiſtere, eumque in regēda vniuerſa Eccleſia conſilio, & induſtria adiuuare. Eſt autem obſeruandum, omnia quidem tria Cardinalium officia eſſe antiquiſsima, & ab ipſo tempore Apoſtolorum inchoata; ſed tamen non eſſe æquè antiquum, vt ſoli Cardinales duobus officijs poſterioribus fungantur. Nam à tempore Apoſtolorum per multos annos, immo etiam per aliquot ſecula, quia pauci erāt Presbyteri, & Diaconi, omnes ſimul ad electionem Epiſc. & ad Concilia vocabantur, neque

quæ erat opus diſtinguere tunc à Cardinalibus, non Cardinales; ſicut etiam in alijs Eccleſijs non diſtinguebantur Canonici à non Canonicis. Quare Cyprianus, cùm aliquoties ſcribat ad Rom. Clerum, non ſcribit ad ſolos Cardinales, ſed ad omnes Presbyteros, & Diaconos Rom. Eccleſiæ: & ſimiliter illi, cùm Cypriano reſpondent, Presbyteri, & Diaconi omnes reſpondent.

Deinde, cùm creuiſset multitudo Cleri, omnes quidem vocabantur ad electionē faciendam; ſed nō omnes ad conſilia vocabantur, ſed aliqui principales, qui Romæ, & alijs quibuſdam in locis Cardinales dicebantur. Id conſtat ex Synodo Gregorij. Nam ſolùm conſilio interfuerunt ex Presbyteris triginta quatuor, & ij Titulares, id eſt, Cardinales. Certum autem eſt, tunc Romæ fuiſſe multò plures Presbyteros, quàm triginta quatuor. Nam ſi tempore S. Cornelij, circa annum Domini CC. L. in medio perſecutionū, regnantibus idololatris, tamen erant Romæ quadraginta ſex Presbyteri, vt ex epiſtolâ eiuſdem Cornelij refert Euſebius; certè multò plures erant tempore S. Gregorij, circa annum Domini DC. quando nullus in vrbe erat Paganus. Denique; Poſtremis quingentis annis neque ad Concilia, neque ad electionem admiſsi ſunt omnes Clerici, ſed ſoli Cardinales.

L. 4. de regiſtri. c. 88.

L. 6. hiſtor. c. 33.

Tertiò, dicendum eſt de comparatione Cardinalium cum Epiſc. de quâ in hoc ferè omnes conueniunt, quòd, ſi conſideremus Ordinis poteſtatē, maior ſit Epiſc. Presbytero, vel Diacono Cardinali. Nam Epiſc. ordinat Presbyteros, confirmat baptizatos, aliaque id genus facit, quæ Cardinales Presbyteri, vel Diaconi facere non poſſunt. Quâ etiam ratione ſummus Pont. Epiſc. ſe, non Cardinalem vocat: & Epiſc. omnes appellat venerabiles fratres; Cardinales autem dilectos filios; quomodo vocat etiam Laicos. Pari ratione, ſi conſideremus etiam iuriſdictionem in propriam Eccleſiam, id eſt, Epiſcopi in ſuam Diœceſim, & Cardinalis in ſuum Titulum, aut Diaconiam, maior eſt Epiſc. Cardinali Presbytero, vel Diacono. Nam inprimis maior eſt ordinariè diœceſis Epiſc. quàm titulus Cardinalis: ac præterea Epiſc. in ſuâ diœceſi ampliſsimam habet iuriſdictionem, tanquam proprius, & ordinarius Paſtor, ferendi leges, diſpenſandi, puniendi, indulgendi, &c. At Cardinalis Presbyter, & Diaconus, cùm in ſuo titulo ſit veluti Parochus Epiſc. ſubiectus, nihil poteſt, niſi quantum Epiſc. ei permiſerit. At, ſi conſideremus regimen Eccleſiæ vniuerſalis, maior eſt Cardinalis Presbyter, vel Diaconus Epiſcopo non Cardinali. Nam Epiſc. ſimplices nunquam adhibentur ad regimen vniuerſalis Eccleſiæ, niſi rariſsimè, id eſt, cùm ad generale Concilium conuocantur. At Cardinales ferè quotidie præſto ſunt Pont. neque vllum negotium maioris momenti ſine eorum concilio peragitur. Et quia hinc fit, vt Epiſc. à Cardinalibus, vt ſummi Pont. cooperatoribus, iudicentur, creentur, deponantur; non autem contra Cardinales ab Epiſc. propterea abſolutè Cardinalis Epiſcopum non Cardinalem præcedit.

Cardinaliū. cum Epiſc. comparatio

De Chorepiſcopis, nunc quorum nomen, & officium olim in vſu erat, nunc autem penè interijſſe videtur, dicendum eſt. Dicebantur Chorepiſcopi olim Presbyteri quidam, qui in pagis, aut oppidulis curam animarum gerebant loco Epiſcop. vt nunc ferè Parochi faciunt. Dicebantur autem Chorepiſcopi, vel, vt Damaſus indicat, quaſi villarum Epiſc. nam, χώρα, Græcè,

Chorepiſcopi

Epiſtola 3.

Can. 1. Can. 3. Græcè, oppidum, ac regionem ſignificat: vel potiùs, vt Concilium Neocæſarienſe, & Antiochenum docent, quaſi Vicarij Epiſcopi, vel Vicarij Epiſcoporum ſeu loco Epiſcoporum conſtituti. χώρα enim etiam locum ſignificare poteſt. Porrò eiuſmodi Chorepiſcopi non poterant Presbyteros, & Diaconos ordinare, nec Chriſmate fidelium frontes inungere, nec templa, aut altaria conſecrare. Cetera ferè omnia præſtare poterant, quæ præſtant Epiſc.

Quæſt. Reſp. Sed quæſtio eſt: *An Subdiaconis ordinare Chorepiſc. aliquando licuerit?* Reſpondeo, quoſdam fuiſſe Chorepiſcopos, qui verè Epiſcopalem conſecrationem acceperant, ſed Chorepiſc. dicebantur, quòd non haberent propriam Eccleſiam, ſed in aliena Diœceſi miniſtrarent: quales ſunt hoc tempore Epiſc. quidam titulares, qui & Suffraganei dici ſolent. Et talibus licuit Subdiaconos ordinare. Alij autem Chorepiſc. fuerunt, qui nihil aliud, niſi Presbyteri erant, ſed in pagis, aut villis, ſeu etiam oppidalis Epiſc. aliquo modo repræſentabant. Et talibus non licuit. Quòd ſi euidenter oſtendi poſſit, talibus aliquando conceſſum, vt Subdiaconos ordinarent, dicendum erit, id fuiſſe priuilegium, & diſpenſationem quandam: qualis etiam fuit quibuſdam in locis, vt Presbyteri abſente Epiſc. Confirmationis Sacramentum exhiberent.

CAPVT XI.

De cœlibatu Sacerdotum.

Quæſt. 1. 2. 2. q. 88. art. 11. Reſp. Prob. 1. QVAESTIO hæc trimembris eſt. Primum explicandum erit: *Sitne iure diuino annexus cœlibatus ordinibus ſacris?* D. Thomas diſertè docet, votum continentiæ eſſe annexum ordinibus ſacris ex ſolo Eccleſiæ decreto, ac proinde diſpenſabile eſſe. Idem docet Caietanus, & Sotus.

Prob. primò, quia non eſt iure diuino prohibitum, ne Sacerdotes vtantur vxoribus, quas duxerant ante ordinationem. Quod prob. ex eo apertiſſimè, quòd Eccleſia Romana multis iam ſeculis permiſit Græcis Sacerdotibus vſum vxorum, quas ante ordinationem duxerant. Gregorius etiam permittit Subdiaconis, vt liberè vtantur vxoribus ſuis, quas duxerant ante ordinationem; licet prohibeat deinceps eiuſmodi ordinari, niſi continentiam voueant. (C. cum olim. De Clericis coniug. l. 1. epiſt. 42.) Non ergò eſt de iure diuino, vt Sacerdotes non ducant vxores. Nam Matrimonium non pugnat cum ordinibus ratione eſſentiæ ſuæ, ſed ratione officij, ſeu exercitij coniugalis. Si enim Deus prohibuit Sacerdotibus coniugium, prohibuiſſet certè propter actum coniugalem, qui hominem reddit totū carnalem, & ineptum ad diuina; nec non propter ſollicitudinem domus, & liberorum, quæ plurimas parit diſtractiones: non autem propter ſolū Sacramentum coniugij, vel propter contractum Matrimonij, qui celebratur conſenſu ſolo animorum, & eſt res breuiſſima, & honeſtiſſima.

Secundò

Secundò prob. quia in tota Script. nullum tale extat præceptum. Nam Teſtam. veteri Sacerdotibus licitum erat vxores ducere. In nouo autem nihil de hâc re Dominus locutus eſt. Apoſtolus quidem, in epiſtolis ad Timot. & Titum, iubet Epiſc. eligi caſtos; ſed quod Apoſtolus præcipit, non diuinum, ſed Apoſtolicum præceptum eſt. *Prob. 2.*

Tertiò prob. ex Concilio Ancyrano, vbi dicitur, poſse Diaconos cum licentia Epiſc. vxores ducere, etiam poſt ſuſceptum Diaconatum. Ergò non eſt de iure diuino: nec enim Epiſc. in iure diuino diſpenſant. Eſtque hoc Concilium antiquiſsimum, & confirmatum à Leone Papa. Accedant alia Concilia, & Patres, qui paſsim teſtantur, hanc legem eſse Eccleſiaſticam: quod etiam legimus in Concilio Trident. *Prob. 3. Cap. 10. Diſt. 20. can. de libellu. Seſſ 24. can. 9.*

Secundò explicandum eſt: *An rectè factum ſit, vt cœlibatus perpetuus ſacris ordinibus annecteretur?* Reſp. ita, vt nec ducere vxores, nec vxoribus antea ductis vti liceat, poſt ordinationem; poſitiuo quidem iure, ſed antiquiſsimo, & æquiſsimo, & quod nullo modo expediat, vt hoc tempore relaxetur. *Quæſt. 2. Reſp.*

Prob. primo Script. Ac primùm Paulus: *Oportet* inquit, *eſſe Epiſc. hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem.* Vbi notandum, pro eo, quod nos habemus, ſobrium, Græcè eſt, σώφρονα, quod, vt Hieron. in hunc locum dicit, ambiguum eſt, & prudentem, ſobrium, caſtum ſignificare poteſt; hoc autem loco ſignificat caſtum. Quia verò caſtitas etiam coniugatis communis eſt, ideò Apoſtolus addit etiam, continentem; quod ibid. Hieron. exponit, ab vxoris amplexibus. Idem alibi: *Labora,* inquit, *ſicut bonus miles Chriſti Ieſu: nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus.* Hìc Apoſtolus Epiſcopo præcipit, vt ſtrenuè militet Deo: Deinde dicit, non poſſe eum benè militare Deo, ſi ſe implicauerit negotijs ſæcularibus, qualia certè eſſe nuptias, nemo negare poteſt. Idem alibi iubet, coniugatos vacare ex conſenſu ad tempus ab opere nuptiarum, vt orationi inſtare poſsint: ex quo per bonam conſequentiam deducit B. Hieronymus, eum præcipere Epiſc. & alijs hominibus ſacratis, vt perpetuo à nuptiarum opere vacent, cùm quotidie orationi inſiſtere debeant. *Prob. 1. Tit. 1. 2. Tim. 2. 1. Cor. 7.*

Præterea; In veteri Teſtam. continentiam ab vxoribus videmus inprimis, fuiſſe requiſitam in ijs, qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam ſanctam tractaturi erant. Nam præcipitur, vt comeſturi agnum Paſchalem renes ſuos accingerent, quo ſignificabatur, vt Gregorius exponit debere eos carnis voluptatem edomare, qui agnum Paſchalem comedunt. Item, cùm populus legem à Deo accepturus eſſet, ait illis Moyſes: *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris.* Item, præcipit Deus, vt Aaron, & filij eius, cùm ingrederentur tabernaculum, fœminalibus lineis à renibus vſque ad femora tecti eſſent, quo exponit Beda eſſe ſignificatum, debere Sacerdotes noui Teſtamenti aut virgines eſse, aut contracta cum vxoribus fœdera diſsoluiſſe. Item, noluit Achimelech Sacerdos dare Dauidi panes propoſitionis comedẽdos, niſi priùs intellexiſſet eum ab vxore aliquamdiu ſe continuiſſe. Ex quo deducit B. Hieronymus, perpetuam requiri in Sacerdotibus continentiam, etiam ab vxoribus, qui corpus Chriſti, quo ille panis propoſitionis ſignificabatur, conficiunt, edunt, alijs tradunt. *Exod. 12. Exod. 19. Exod. 28. 1. Reg. 21.*

1. Paral. 24. Luc. 1. Denique, ex Paralip. & Lucâ colligitur, Sacerdotes veteris Teſtamenti per vices ſuas miniſtrare ſolitos, & toto eo tempore, quo miniſtrabant in tabernaculo, à domo, & vxore abfuiſse. Ex quo deducitur, quod ſi illi tempore, quo miniſtrabant, ab vxoribus abſtinebant, omninò decere, vt Sacerdotes noſtri, qui non per vices, ſed ſemper miniſtrant, ſemper ab vxoribus ſe contineant.

Prob. 2. 3. & 4. Prob. ſecundò teſtimonijs Conciliorum antiquorum totius Eccleſiæ.

Tertiò teſtimonijs veterum Pont.

Quartò teſtimonijs veterum Patrum, Græcorum, & Latinorum.

Quintò ratione. Cùm enim coniugium vehementer impediat Eccleſiaſtica munera, æquum fuit, vt Sacerdotibus, alijſque ſacratis hominibus cōiugia prohiberentur. Nam Eccleſiaſticorum munera ſunt, ſacrificâre, orare, docere, exhortari, Sacramenta miniſtrare, curam pauperum gerere, & ſimilia, quæ ritè exerceri non poſſunt, vt Apoſtolus docet, niſi Sacerdos ſit hoſpitalis, benignus, ſobrius, iuſtus, ſanctus, continens, doctus. Tit. 1.

Quæſt. 3. Tertiò explicandum eſt; *Num Apoſtolica lege prohibitum ſit, ne, qui poſt primæ vxoris obitum alteram duxit, ad ſacros ordines admittatur?* Tota autem controuerſia de verbis illis B. Pauli eſt: *Oportet Epiſc. irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum.* Et rurſum: *Diaconi ſint vnius vxoris viri.* At ſententia Catholicæ Eccleſiæ ſemper verba illa B. Pauli ita intelligenda eſſe docuit, vt prohibitum ſit ſacris ordinibus initiare eos, qui quouis modo bigami fuerint: quam ſententiam probare poſſumus tribus argumentis. 1. Tim. 3. Tit. 1. ad Tim. 3. Reſp.

Prob. 1. 1. Tim. 5. Primò ex eodem Paulo, qui de viduis ait: *Vidua eligatur non minùs ſexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.* Ex quibus verbis refellitur inprimis error Lutheri, dicentis per priora verba Paulum ſcortationem, & adulteria prohibuiſſe. Nam eâdem phraſi dicitur vnius viri vxor, & vnius vxoris vir: certum autem eſt illud: *Vnius viri vxor,* non poſſe ſignificare, vt vidua non fuerit adultera, vel ſcortatrix: nam ſcortum non dicitur vxor, ſi ad adulterum, aut ſcortatorem referatur, ſed adultera, vel meretrix.

Deinde; Continentia ab adulterio, & ſcortatione, non ſolùm requiritur in muliere, quo tempore vir eius viuit, ſed etiam poſteà, dum in viduitate degit; & tamen Paulus non loquitur hoc loco, niſi de tempore, quo vir eius viduæ viuebat: non enim dicitur vxor vnius viri fuiſſe, niſi quando virum habebat. Ergò illis verbis: *Quæ fuerit vnius viri vxor*, non poteſt ſignificari, vt eligatur vidua, quæ non fuerit ſcortatrix, aut adultera, ſed quæ vnum ſolùm maritum habuerit.

Ex eodem loco refellitur error Caluini, & aliorum, qui volunt, Paulum prohibuiſse, ne habeat Epiſc. vel Diaconus duas ſimul vxores. Nam eâdem phraſi, & in eâdem epiſtolâ, & ab eodem Apoſtolo iubetur eſſe Epiſc. vnius vxoris vir, & vidua vnius viri vxor. At nulla ratio permittit, vt Paulus iubere voluerit, ne vidua eligatur, quæ fuerit vxor multorum virorum ſimul. Id enim fruſtrà Paulus iuſsiſſet, cùm nuſquam, & nunquam fuerit eiuſmodi vſus, vt vna mulier eſſet plurium virorum vxor; habuerunt quondam Iudæi multas vxores, vt etiam nunc habent Turcæ; at nunquam eſt auditum, vt vna mulier plures maritos habuerit.

Al-

Altera ratio ducitur à tempore, quo hęc Paulus ſcripſit: nam eo tempore non erat conſuetudo, neque apud Iudęos, neque apud Gentiles, & multò minus apud Chriſtianos, vt vnus vir duas ſimul vxores haberet; proinde, quod non fiebat, non erat, cur tam ſeriò prohiberetur. *Prob. 2.*

Et quidem quod ad Gentiles attinet, ſatis patet ex eo, quod in Imperio Rom. quò tunc orbis terrarum regebatur, ſemper infamis, & prohibita fuit polygamia. Quòd verò attinet ad Chriſtianos, nec non etiam Iudæos, ex Teſtamento nouo facilè colligi poteſt. Semper enim de coniuge in numero ſingulari loquitur Script. Teſtamenti noui. *Qui dimiſerit vxorem ſuam.* Et: *Si licet homini dimittere vxorem ſuam.* Et ibidem: *Omnis, qui reliquerit domum, vel agros, aut patrem, aut matrem, aut vxorem,* &c. Et: *Qui non odit patrem, & matrem, & vxorē, & filios.* &c. Et: *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat.* Item: *Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem, ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* Et: *Vnuſquiſque vxorem ſuam, ſicut ſeipſum diligat.* Quin etiam legimus, Zachariam, vxore ſterili vſque ad ſenectutem permanente, non ſuperduxiſse alteram, quod haud dubiè feciſſet, ſi eo tempore id fieri licuiſſet. Scribit quidem Ioſephus Herodi Regi nouem vxores fuiſse: at priuati homines etiam apud Iudęos iam diu deſierant plures vxores accipere. *Matth. 5. Matth. 19. Luc. 14. 1. Cor. 7. Epheſ. 5. Luc. 1. L. 17. antiquit. c. 2.*

Tertia ratio eſt auctoritas Patrum, qui ſemper hunc locum de monogamiâ ita intellexerunt, vt non liceat eum Epiſcop. vel Diaconum creari, qui duas vxores, etiam diuerſis temporibus habuerit. Accedit vltimò totius Eccleſiæ conſenſus. Nam, vt ſcribit Innocentius, in toto Oriente, & Occidente hoc ſeruabatur, quod etiam nunc ſeruari videmus. Neque ſolùm vbique, ſed etiam ſemper ſeruatum fuit. Quod autem ſemper, & vbique ſeruatum eſt, ſine dubitatione vllâ ab Apoſtolicâ traditione deſcendit. *Prob. 3. Epiſt. 22. ad* [illegible]

CAPVT XII.

De temporalibus bonis Clericorum, & libertate Eccleſiaſtica.

TRIA ſunt bonorum genera, de quibus ambigi poteſt, an Clericis conueniant. Primo loco ſunt Decimæ, quæ debentur Clericis ex iuſtitia. De quibus quatuor inuenio errores.

Primus error fuit Ioannis VVicleffi, qui docebat, Decimas eſſe puras eleemoſynas, & nullo iure deberi Sacerdotibus. Eundem errorem ſequuntur hodie Anabaptiſtæ Trinitarij. Error eſt manifeſtus: facilè enim doceri poteſt, eſſe de iure naturæ, & diuino, quod aliquid ſoluant laici Sacerdotibus, & præterea de iure Eccleſiaſtico, vt id, quod ſoluitur, ſit pars decima. *De Decimis 1. error refellitur.*

Quod ſit de iure naturæ, prob. Nam certè ratio dictat, vt ijs, qui pro pop. laborant, populus alimenta prębeat: vnde enim deducimus deberi Regibus tributa, & militibus ſtipendia, & iudicibus, alijſque miniſtris publicis ſalaria:.

ria: inde etiam deducere poſſumus, deberi Sacerdotibus decimas, vel aliquid earum loco. Itaque tempore legis naturæ videmus, Abraham dediſſe decimas Melchiſedech Sacerdoti, qui tunc erat.

Gen. 14. Leuit. vlt. Num. 18. Malach. 3. & alibi. Quòd autem de iure diuino ſit, prob. ex vtroque Teſtamento. In Teſtam. veteri iuſsit ſæpe Deus, Decimas Leuitis dari: quæ quidem præcepta, licet nō obligent Chriſtianos, vt iudicialia erant; obligant tamen, quatenùs moralia, id eſt, quòd aliqua pars fructuum ſit Sacerdotibus danda; vt rectè docet Clemens, & Patres.

Seſſ. 25. cap. 13. Deberi autem iure Eccleſiaſtico, prob. quia multa ſunt antiqua Concilia, in quibus id apertè præcipitur. Sunt etiam Concilia generalia, vt Lateranenſe ſub Innocent. III. Viennenſe, Conſtantienſi: demum Concilium Trident. docet, ſolutionem decimarum debitam eſſe Deo, & iubet, vt excommunicētur, qui eas ſubtrahunt, aut, ne ab alijs dentur, impediunt, nec debere abſolui, donec integrè reſtituant. His accedunt plurima decreta ſummorum Pont.

2. Error refellitur. Matth. 22. c. Tua nos. De decimis. Alter error VVicleffi eſt, quòd Decimæ non modò ſint puræ eleēmoſynæ, ſed etiam nullo modo ſint dandæ malis Sacerdotibus. Refellitur primò ex illo: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* At certum eſt tempore Domini, non ſolùm Cæſarem impium, & infidelem, ſed etiam Sacerdotes improbiſsimos ac deprauiſsimos fuiſſe. Secundò, ex Innocent. III. epiſtola ad Vercelenſem.

Denique; quia Decimæ non dantur Clericis, quia boni ſunt, ſed quia Clerici ſunt: ſicut tributa dantur Regibus, non quia probi, ſed quia Reges ſunt.

3. Error refellitur. Matth. 22. Tertius error eſt eorum, qui dicuntur Fratricelli, ſeu Pſeudoapoſtoli, qui docebant, non poſſe percipere Decimas eos, qui non viuunt in paupertate, more Apoſtolorum. Error eſt ſine fundamento: nam ratio, cur debeantur Clericis Decimæ, eſt, quia laborant in pop. vtilitatem: hæc autem ratio non minùs in diuite, quàm in paupere inuenire poteſt. Accedit, quòd Dominus iuſsit dari Decimas Sacerdotibus Iudæorum, qui in paupertate non viuebant.

4. Error refellitur. Quartus error eſt multorum Canoniſtarum, qui contendunt, Decimas, etiam quoad determinationem quantitatis, eſſe de iure diuino, nec poſſe vlla humana lege, aut conſuetudine aliam ſtatui quantitatem. At ſine vllo dubio error eſt manifeſtus, vt non ſolùm Theologi omnes, ſed etiam ex Canoniſtis docent Syluester, Nauarrus.

2.2.q 87. ar.7. Prob. præceptum de ſoluendis Decimis, quantùm ad determinationem talis quantitatis non eſſe nunc de iure diuino. Tale enim præceptum nuſquam inuenitur Chriſtianis impoſitum, nec in noua, nec in veteri lege. Quòd non in noua, patet. Quòd non in veteri, prob. Nam præceptum legis veteris, quoad illam determinationem, non erat morale, nec propriè cæremoniale, ſed iudiciale: vt Alexander docet, & B. Thomas, quos omnes Theologi ſequuntur.

Et quòd non ſit morale, patet, quia moralia ſemper obligauerunt: lex autem de Decimis non fuit ante tempora Moyſis, nec ratio dictat, vt Sacerdoti

dentur

dentur decem partes, ſed vt detur, quantum ſatis eſt ad ſuſtentationem eius. Vnde Iacob vouit, ſe daturum decimas Deo omnium, quę poſsideret, ſi Deus eum dirigeret in via, &c. At impium fuiſset vouere decimas cum tali conditione, ſi abſolutè fuiſset obligatus eas ſoluere. Pręterea; Si moralis fuiſset iſta determinatio decimarum, certè etiam morale eſset pręceptum, quod ibidem additur, vt, qui decimas habent, nullum aliud patrimonium habeant; atque ita iure diuino tenerentur Clerici dimittere patrimonium. *Gen. 28.*

Quòd autem non ſit propriè cęremoniale, ſed iudiciale, prob. nam non ordinatur immediatè ad colendum Deum, ſed ad æquitatem inter homines conſtituendam: ideò enim iuſsit Deus dari decimam partem omnium bonorum Leuitis, non octauam, aut viceſimam, vt eſset proportio inter opes Leuitarum, & aliorum. Erat enim familia Leui vna ex duodecim tribubus Iſraël, vel potiùs ex tredecim: nam etiamſi duodecim fuerint filij Iſraël, tamen Ioſeph duas tribus fecit, id eſt, Ephraim, & Manaſse, & ſecundum æquitatem tertiamdecimam partem bonorum habere debuiſsent; tamen, quia erant ceteris nobiliores, & quia Deus præuidebat, non defuturos tranſgreſsores, qui non integrè ſoluerent, idcircò attribuit eis partem decimam, id eſt, ampliùs, quàm ceteris, vt ſic ad æqualitatem veniretur, non obſtantibus tranſgreſsoribus.

Sed dubium primum eſt: *An præceptum de ſoluendis Decimis poſsit contraria cõſuetudine abrogari?* *Dubium 1.*

Reſp. Reſp. Certum eſt, præceptum de ſoluendis Decimis, qua parte diuinum eſt, & naturale, non poſſe vlla lege humana, vel conſuetudine contraria aboleri, ac proinde certum eſt, Eccleſiam habere ius petendi decimas, etiam vbi conſuetudo eſt, vt non ſoluantur. In hoc enim omnes Theologi, & Canoniſtæ conueniunt.

Dubium tamen eſt; An præceptum de decimis, quatenus poſitiuum, & humanum eſt, poſsit mutari conſuetudine? Sotus dicit non poſſe, & hanc putat eſſe mentem B. Thomæ. Contrarium puto verum cum Syluestro, & Nauarro. Nec dubito hanc eſse mentem B. Thomæ: nam docet præceptum de decimis, quatenus humanum eſt, poſse ab Eccleſia mutari, ita vt teneatur pop. non decimam, ſed duodecimam, vel octauam ſoluere. At non minorem vim habet conſuetudo legittimè præſcripta, quàm lex quælibet humana. *2.2. q. 17. ar. 1.*

Præterea; B. Thomas, poſteaquam docuit, conſuetudine nunquam abrogari legem de ſoluendis decimis, ſubiungit rationem, quia lex iſta diuina, & naturalis eſt. Ergò non negat, legem de decimis, quatenus Eccleſiaſtica eſt, poſse mutari conſuetudine, ſed ſolùm quatenus naturalis, & diuina eſt. *Quodl. 2. ar. 8.*

His accedit cap. in aliquibus. De decimis, vbi dicitur, ſoluendas eſse decimas ſecundum determinationem, aut legis diuinæ, aut conſuetudinis approbatæ.

Hic tamen obſeruandum eſt, quòd; ſicut conſuetudo tollit legem, ita lex tollit conſuetudinem, ſi iuſtis de cauſsis feratur ab eo, qui habet auctoritatẽ. Itaque, vbi nunc eſt conſuetudo ſoluendi ſolùm triceſimam, aut quinquageſimam loco decimæ, non tenentur ſoluere quidquam amplius; tamen ſi nunc

Pont. aut Concilium iuſtis de cauſsis iterum legem ferat, vt integræ Decimæ ſoluantur vbique, non obſtante conſuetudine, ſine dubio tenerentur ſoluere: ſicut omnium iudicio tenentur ſoluere, qui in ijs locis agunt, vbi non eſt conſuetudo ſoluendi minùs, quàm Decimam.

Dubium 2. Dubium ſecundum: *An Laici pauperes teneantur Decimas dare Clericis diuitibus?* Ratio dubitationis eſt, quia, ſicut laicus tenetur alere Sacerdotem, quia Sacerdos eſt, ita Sacerdos tenetur alere laicum, quia pauper eſt. Quod. l. 6. art. 10. Reſp. Reſpondet B. Tho. ſine dubio debere pauperem laicum dare Decimas Clerico diuiti, quia obligatio Decimarum ad iuſtitiam commutatiuam pertinet, in qua non conſideratur conditio perſonæ, ſed æqualitas rei ad rem. Qui enim v. g. emit, debet ſoluere, quantum res valet, ſiue ipſe diues, ſiue pauper. Neque argumentum in contrarium valet, quia non tenetur Clericus hunc pauperem potiùs alere, quàm alium.

Dubium 3. Dubium tertium. *An excuſari poſsint à peccato, qui nullas Decimas ſoluunt, vbi non eſt conſuetudo ſoluendi?*

Reſp. Reſp. tribus modis peccare poſſe, qui nullas Decimas ſoluunt. Primò, ſi Eccleſia propter defectum Decimarum notabiliter patiatur: tunc enim ſiue ipſa Decimas petat, ſiue non, tenetur pop. omninò ei prouidere. Secundò, ſi Eccleſia iure petat Decimas, ſiue egeat notabiliter, ſiue non, tenetur populus ſoluere, etiamſi conſueuerit non ſoluere. Tertio, ſi populus eo animo eſſet, vt non ſolueret, etiamſi iuſtitiſsimè eas à ſe peti intelligeret. Extra hos caſus ſine vllo dubio excuſantur, quia, vt B. Thomas dicit, Eccleſia, dum non petit Decimas, cenſetur eas condonare: non autem peccat, qui non ſoluit debitum ſibi condonatum. Alioqui Apoſtolus peccare feciſſet Corinthios, qui ſtipendia ſibi debita ab eis accipere nolebat, ne impedimentum poneret Euangelio. 1. Cor. 9.

Dubium 4. Dubium quartum. *Qua ratione oſtendi poſsit, iuſtam eſſe determinationem Eccleſiæ, quod Chriſtiani decimam partem ſuorum fructuum Eccleſiæ tribuant?* In veteri lege iuſtum erat, quia Leuitæ erant pars duodecima, vel tertia decima totius populi Hebræorum: At Clerus in noua lege non videtur eſſe centeſima pars Reſp. Chriſtianorum: qua igitur æquitate decimam partem habere debet omnium In 22. q. 87. bonorũ, quæ ſunt in orbe Chriſtiano? Caietanus reſpondet, ſe non poſſe aliam rationem reddere, quàm ideò iuſtum eſſe, vt clerus decimam partem habeat, quia debet pauperes alere, qui ſine vllo numero ſunt. Sed quamuis hæc ratio optima ſit, cùm videamus Canones paſsim id præcipere, vt Clerici ex decimis alant pauperes, tamen non eſt hæc ſola ratio, cur iuſtæ ſint Decimæ.

Primum enim non eſt verum, Leuitas fuiſſe tertiam decimam partem populi Iudaici, & noſtrum Clerum non eſſe centeſimam partem populi Chri- Num. 1. ſtiani: nam Hebræi numerati ſine Leuitis erant ſexcenta tria millia, quingẽti, & quinquaginta, & non numerabantur pueri ante annos viginti, neque ſenes: nam cum his ſine dubio erant plus, quàm duplo plures, id eſt, circiter mille millia, & trecenta millia. Leuitæ autem omnes ab infante vſque ad ſenem numerantur viginti duo millia tantùm. Iam igitur addendo Leuitas Num. 3. ceteris Hebræis, & diuidendo totum numerum per viginti duo millia, efficiuntur partes diuiſæ ſexaginta: ergo Leuitæ non erant pars tertia decima,

ſed

ſed vix ſexageſima totius populi. Porro Clerus Chriſtianorum fortè maior eſt, quam ſexageſima pars Chriſtiani pop. Nulla eſt enim fere ampla familia, ex qua non ſit aliquis Eccleſiaſticus, & nullus eſt pagus, vbi non ſit templum vnum, aut plura, & aliquot Sacerdotes.

Deinde, Chriſtianus Clerus maioribus laboribus, & ſumptibus obnoxius eſt, quàm tribus Leuiticus erat apud Iudæos, vt omittam dignitatem Sacerdotij noſtri incomparabiliter maiorem, quàm ſacerdotij Aaronici. Tunc vnum templum erat, vnus Pont. & pauci quidam Sacerdotes ex ſola familia Aaron, qui per vices in templo miniſtrabant; reliqui omnes erant turba famulorum. At nunc ſunt innumera templa conſeruanda ſumptibus Eccleſiæ; ſunt etiam plurimi Epiſc. & Prælati, nec non innumeri Sacerdotes, qui docti eſſe debent, & proinde multũm in ſtudijs ex patrimonio ſuo inſumere, & poſteà non per vices, ſed perpetuo Eccleſiæ miniſterijs adeſſe, quos certè honeſtè pro ſtatus ſui conditione viuere oportet ex bonis Eccleſiæ.

His accedit, quod multi ſunt liberi à ſoluendis Decimis, multi ex malitia non ſoluunt, aut certè non plenè, & fideliter: ſæpe etiam Reges, & Principes non ſolùm non ſoluunt, ſed etiam impetrant ab Eccleſia decimarum partem in ſubſidium belli, aliorumq́ue publicorum ſumptuum.

Denique; Cùm populus Chriſtianus debeat eſſe perfectior, quàm Iudaicus, ſi ille decimam partem bonorum ſuorum dabat Deo, cur non tantundem ſaltem faciet Chriſtianus? Itaque verũm eſt, quòd dicit B. Thomas, hanc determinationem Eccleſiæ reſpectu populi eſſe humaniorem, & benigniorem, quàm rigor iuſtitiæ abſolutæ pateretur. *Matth. 5.*

Secundum genus bonorum Eccleſiaſticorum ſunt agri, domus, ac poſſeſſiones ceteræ; quas dono Laicorum, maximè Principum, Eccleſia poſſidet. De his fuit error VVicleſi non licere Clericis habere vllas poſſeſſiones. Fundamenta eius hæc ſunt. Primum, quia Sacerdotes Teſtamenti veteris prohibebantur habere poſſeſſiones. *Dixit Dominus ad Aaron, in terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua.* Et: *Quamobrem non habuit Leui partem, nec poſſeſſionem cum fratribus ſuis, quia ipſe Dominus poſſeſſio eius eſt.* Et: *Tribui autem Leui non dedit poſſeſſionem, quoniam Dominus Deus Iſraël ipſe poſſeſſio eius.*

2. Genus bonorum Eccleſiaſt. *Num. 18.* *Deut. 10.* *Ioſue. 13.*

At hunc errorem eſſe manifeſtum, prob. Primò de Sacerdotibus, & Leuitis Teſtamenti veteris. Nam etſi in partitione terræ non erant habituri agros, & vineas, erant tamen habituri, & poſſeſſuri vrbes ad habitandum, & ſuburbana ad alenda pecora. Poterant etiam agros, & vineas emere, & etiam ex oblationibus populi habere, vt modò habet Eccleſia. Dicitur enim: *Præcipe filijs Iſraël, vt dent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad habitandum, & ſuburbana eorum per circuitum, quæ à muris ciuitatum forinſecus per circuitum mille paſſuum ſpatio tendentur.* In Ioſue autem id impletum legimus. Fuiſſe autem eos veros Dominos, patet ex Leuit. vbi legimus, vrbes, & ſuburbana Sacerdotum eſſe eorũ poſſeſſionem, & poſſe illas vendere, & redimere domos, vt alij faciebât. Et de Hebron legimus, ſolos agros, & vineas, quæ erât in territorio Hebron, fuiſſe Caleb; vrbem autem, & ſuburbana Sacerdotum. Item, præcipitur, vt, ſi quis agrum Domino vouerit, eum Sacerdotes poſſideant.

Refellitur error. *Num. 35.* *Ioſue 21.* *Leuit. 25.* *Ioſ. 21.* *Leuit. vlt.*

3. Reg. 2. Dicit etiam Rex Abiathar Sacerdoti: *Vade ad agrum tuum*. Item, Hieremias Sa-
Hierem. 32. cerdos erat, & tamen ſcribit ipſemet, ſe emiſſe, ac poſſediſſe agrum, qui fuerat
Act. 4. patruelis ſui. Legimus etiam Barnabam fuiſſe Leuitam, & vendidiſſe agrum, quem habebat.

Soluitur obiect. Et ex his diluitur fundamentum VVicleſi. Quando enim Script. dicit, Sacerdotes non debuiſſe habere quidquam, ſed Dominum eſſe eorum hæreditatem, vult dicere, non debuiſſe eos habere quidquam more aliorum, tanquam filios Iacob, & ex paterna hæreditate: ſed ſolùm debere habuiſſe ea, quæ debebantur Deo, cuius ipſi miniſtri erant. Et ſic factum eſt, nam tota terra Palæſtina quaſi quædam hæreditas diuiſa fuit in duodecim partes pro numero tribuum, excluſa omnino tribu Leui, quæ erat decima tertia. Nam etſi duodecim tantùm fuerint filij Iacob, tribus tamen fuerunt XIII. quia Ioſeph duas tribus faciebat, Ephraim nimirum, & Manaſſe.

Deinde; Terra iam diuiſa, & Leui exhæredato, Deus voluit ſibi, tanquam proprio Regi Iudæorum, dari loco tributi decimam partem omnium fructuum, & XLVIII. ciuitates cum ſuburbanis ſuis, & hæc omnia donauit ipſe Leuitis: quæ portio Leuitarum maior fuit quacunque portione aliarum tribuum; nam habuerunt decimam partem, cùm ipſi vix eſſent ſexageſima pars totius populi, & ſignificant illa verba: *Ego Dominus hæreditas Leuitarum ſum.* Vbi nota miram Dei prouidentiam erga Sacerdotes. Iacob exhæredauit fi-
Gen. 49. lium Leui propter peccatum ipſius: *Diuidam illos in Iacob, & diſpergam eos in Iſraël*, Deus autem ratam habuit ſententiam Iſraëlis, ſed eam impleuit cum ſummo honore Leuitarum, & totius populi vtilitate: nam dedit ipſe Leuitis ſuam hæreditatem, & totus populus maximum commodum inde conſecutus eſt. Si enim fuiſſent Leuitæ collecti in vnum locum, vt erant aliæ tribus, non potuiſſent omnes populi facilè ab eis doceri: diſperſi autem in omnes tribus facilè omnibus adeſſe, eoſque inſtituere in lege Domini potuerunt.

Prob. iam hoc idem de Sacerdotibus noui Teſtam. Nam & ſi in Script. nihil legimus de poſseſsionibus Eccleſiarum, legimus tamen in antiquiſsimis Pontif. & Conciliorum decretis, & in libris ſanctorum Patrum. Sunt etiam Concilia omnium Eccleſiarum, quæ prohibent, alienari poſseſsiones Eccleſiæ, & earum curam Epiſcopo committunt.

3. Genus bonorum Eccleſiaſt. Tertium genus bonorum Eccleſiaſticorum ſunt bona, quæ habentur titulo planè ſæculari; vt hæreditate paterna, emptione, venditione, &c. De quibus certum eſt non obligari Clericos propter Clericatum ad dimittendum patrimonium.

Prob. veritas Prob. Script. Nam Apoſtolus iubet eligi Epiſc. *Hoſpitalem, & qui domui ſuæ*
1. Tim. 3. *benè præſit, & filios ſubditos habeat*. At hæc omnia præſupponunt diuitias proprias.

Præterea; Philemon habuit ſeruum, & diues erat, vt patet ex epiſtola ad Philemonem, & tamen Epiſcopus erat; vt Hieronymus, & Anſelmus do-
L. 3. hiſt. c. 19. cent. Scribit etiam Euſebius de conſanguineis Domini, quòd habuerint poſſeſsiones quaſdam, licet modicas, ex paterna hæreditate, & tamen fuerint Eccleſię duces, id eſt, Epiſcopi. Idem patet ex Patribus.

Poſset

Poſſet tamen dubitari; *An, qui bona patrimonialia habent, poſſint ſimul bona Eccle-* Dubium.
ſiaſtica habere? Nam S. Proſper docet, non poſſe Clericum ſine grauiſsimo pec- L. 2. de vit. contemp. c.
cato viuere ex bonis Eccleſiaſticis, ſi habeat bona propria, vnde ſufficien- 9. 10. 11.
ter alatur. Et probat ratione: Bona Eccleſiaſtica non dantur Clericis in præ- 12.
mium laboris, ſed ſolùm, vt ſuſtententur, & neceſsaria ad vitam habeant, quia præmium laboris eſt vita æterna, & ſimonia eſſet dare ſpiritualia pro temporalibus. Et confirm. ex Canonibus Apoſtolorum, & Concilio Antio- Can. 15.
cheno: quare, qui ex patrimonio viuit, nec eget ſuſtentatione, non poteſt per- c. 25.
cipere fructus bonorum Eccleſiaſticorum.

At contrarium docet Gloſſa & Ioan. de Turrecrem. & ratio eſt, quia Do- Reſp.
minus dicit: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Et: *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam?* Matt. 10.
Ergò poteſt Clericus laborans pro Eccleſia, percipere alimenta, & parcere 1. Cor. 9.
ſuis proprijs rebus. Adde, quòd praxis eſt, & fuit pro opinione hac ſecunda. Nam B. Proſper dicit, ſententiam ſuam viſam eſse duram per multis, & ideò duram, quia noua eſset.

Itaque ex his opinionibus prima eſt tutior, & ſi fortaſse ſecunda ſit verior: niſi hoc modo concilientur, vt dicamus S. Proſperum loqui de illis, qui planè ſufficientem habent ſuſtentationem ex patrimonio, aut beneficio; tunc enim alterum eſt ſuperfluum, & proinde pauperibus debitum: alios verò auctores loqui de illis, qui neque ex patrimonio; neque ex beneficio ſufficientem omninò ſuſtentationem habent; hi enim vtrumque retinere poſſunt, modò ex vtroque nihil accipiant vltra ſuſtentationem.

De libertate Eccleſiaſtica ſit propoſitio prima; *In cauſſis Eccleſiaſticis, iure di-* De libertate Eccleſiaſtica
uino, liberi ſunt Clerici à ſecularium Principum poteſtate. Vocantur cauſſæ Eccleſia- Propoſ. 1.
ſticæ illę, quæ non pendent ex legibus ciuilibus; ſed ex Euangelio, aut canonibus Conciliorum, & Pontif. quales ſunt controuerſiæ de ordinibus Eccleſiaſticis, de Sacramentis, de fide, & aliæ id genus.

Prob. primò: Iure diuino regimen Eccleſiaſticum eſt diſtinctum à politi- Prob. 1.
co, & illo etiam ſublimius: ergò cauſſæ Eccleſiaſticæ iudicari non debent à politicis Magiſtratibus. Pręterea; Tota auctoritas regendi Eccleſiam à Chriſto commiſſa eſt Apoſtolis, & pręcipuè Petro, adeò vt omnes Laici in rebus Eccleſię ſint oues, & ſubditi, non paſtores, vel iudices.

Secundò prob. ex Concilijs. Prob. 2. 3.

Tertiò ex Patribus. & 4.

Quartò, ex Apoſtolorum exemplo. Apoſtoli enim Eccleſias gubernauerũt, quo tempore nulli Principes erant Chriſtiani, & proinde nunquam ad eos cauſſam Eccleſię iudicandam deferebant. Nam ſi Apoſtolus iubet, lites etiam 1 Cor. 6.
ciuiles Chriſtianorum non deferri ad iudicium Paganorum, quomodo permiſiſſet ad eos deferri lites Eccleſiaſticas?

Quintò, idem aſserit Iuſtinianus. Nouell. 83.

Propoſitio 2. *Non ſunt exempti Clerici vllo modo ab obligatione legum ciuilium, quæ* Propoſ. 2.
non repugnant ſacris canonibus, vel officio clericali. Loquimur hic præcipuè de legibus politicis, quę dirigunt actiones humanas in rebus temporalibus; vt cùm Princeps conſtituit lege ſua pretia rebus venalibus, vel iubet noctu neminem incedere cum armis, aut ſine lumine, aut non aſportare frumentum

extra prouincia, &c. Nec volumus dicere, his legibus teneri Clericos obligatione coactiua, ſed ſolùm directiua, vt ſunt leges Principum: quanquam iiſdem legibus, vt ab Eccleſia approbantur, & ratæ habentur, etiam coactiua obligatione teneantur.

Prob. Prob. Nam Clerici, præterquam quod Clerici ſunt, ſunt etiam ciues, & partes Rep. politicæ: igitur, vt tales, viuere debent ciuilibus legibus. Non ſunt autem aliæ, quàm quæ à Magiſtratu politico latæ ſunt: igitur illas Clerici ſeruare debent; alioqui magna confuſio, & perturbatio in Rep. orirettur, ſi Clerici non ſeruarent politicas leges in rebus humanis, & politicis.

Secundo prob. ex confeſſione Pont. & Impp.

Propoſitio 3. Propoſitio tertia. *Et ſi Clerici tenantur leges ciuiles ſeruare, non tamen poſſunt à iudice politico puniri, vel vllo modo trahi ad ſecularis magiſtratus tribunal.* Explico. Si Clericus violat ciuilem legem, vt carius vendendo, quàm lex patiatur, peccat, & reſtituere tenetur; non tamen poterit accuſari apud iudicem ſecularem, ſed apud Epiſcopum tantùm.

Prob. Prob. primò ex Concilijs. Secundò ex Imp. conſtitutionibus. Tertiò ex Pont. decretis. Quartò ratione: Nam abſurdum videtur, vt ouis paſtorem ſuum iudicet quocunque modo. Deinde; adhuc abſurdius eſſet, ſi hodie Prætor poſſet vocari ad tribunal Epiſc. & cras Epiſc. ad tribunal Prætoris. Præterea; Abſurdum etiam videtur, vt terrenus iudex ſummi Iudicis ſeruos, ſacratoſque homines capiat, vel puniat. Vnde laudatur ab omnibus vox illa Conſtantini Magni, qui ad Epiſc. quoſdam, qui collegas ſuos de, neſcio, quibus criminibus accuſarunt, ait: *Vos dij eſtis, à ſummo Deo conſtituti; conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos.*

Propoſitio 4. Propoſitio quarta: *Bona Clericorum, tam Eccleſiaſtica quam ſecularia, libera ſunt, ac meritò eſſe debent à tributis Principum ſecularium.* Quòd ſint exempta, patet ex concilijs, iure Canonico, & legibus Principum aliquorum. Nota tamen ante Iuſtiniani tempora legibus priorũ Principũ immunes fuiſſe Clericos à tributis perſonalibus: non tamen fuiſſe liberos à tributis, quæ pendi ſolent ratione poſſeſſionum.

Prob. Quod autem hoc æquum fuerit, prob. Nam inprimis habemus exemplũ hominum viuentium in lege naturæ. Nam Ioſeph ſubiecit Pharaoni omnes

Gen. 40. Ægyptios, voluitque eos certum tributum pendere, exceptis ſolum Sacerdotibus, quos immunes, & liberos eſſe debere iudicauit. Deinde; Bona Eccleſiaſtica ſunt Deo conſecrata; vnde in Canonibus Apoſtolorum dicunt bona Dominica. Æquum eſt igitur, vt illa libera ſint ab exactionibus Regum, ne

Propoſitio 5. Deus ipſe ſoluere tributum Regibus videatur.

Propoſitio quinta: *Exceptio Clericorum in rebus politicis, tam quoad perſonas, quã quoad bona, iure humano introducta eſt, non iure diuino.* Prob. primo ex illo: *Omnis*

Prob. Rom. 13. *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et infrà: *Ideò tributa præſtatis.* Illud, *Omnis anima,* includit etiam Clericos, teſte Chryſoſt. Ergò illud, *Ideò tributa præſtatis,* dicitur etiam Clericis. Ergò Clerici, niſi eximantur priuilegio Princ. obligantur ſoluere tributa. Secundò prob. teſtimonijs veterum. Tertiò, quia nullum proferri poteſt Dei verbum, quo iſta exceptio confirmetur.

CAPVT

CAPVT XIII.

De origine, ratione, & varietate Religionum.

VT à nomine Religionis incipiamus, quinque apud Grecos nomina inueniuntur. Vocant enim profeſſorem huius vitæ θεραπευτήν, ἀσκητήν, ἱκέτην, φιλόσοφον, μόναχον. Latini tenuerunt vltimum Grecum vocabulum, & addiderunt Regularem, & Religioſum. θεραπευτὴς ſignificat cultorem. Vti- θεραπευτὴς
tur hoc nomine Dionyſius, qui ideò ſic Religioſos vocatos dicit, eò quòd ipſi purè preter ceteros Deum colant. Vtitur etiam Philo, qui dicit, eos ideò ſic vocari, vel quòd Deum diligentiſsimè colant, vel quod animas ſuas colant, & curent à morbis vitiorum. Significat enim hoc nomen, & cultorem, & medicum. ἀσκητὴς ſignificat pugilem, ſeu exercitatorem, quo nomine paſ- ἀσκητὴς
ſim vtitur Baſilius. Ideò autem ſic vocantur, quia totum eorum officium debet eſſe in virtutum palęſtra. ἱκέτης ſupplicem ſignificat; quo nomine vti- ἱκέτης
tur Philo. Ideò verò ſic vocantur à pręcipuo eorum munere, quod eſt orare, & laudare Deum. Philoſophi nomine paſsim vtitur Chryſoſtomus, & Philoſophus.
Nilus, quia eum locum tenent Religioſi apud Chriſtianos, quem Philoſophi apud Ethnicos. Dicebantur autem Philoſophi homines quidam ſeueri, contemptores rerum temporalium, & toti ſapientiæ ſtudio deditis.

Nomen Monachi frequentiſsimum eſt apud omnes Patres Græcos, & Monachus.
Latinos: quid autem ſignificet, non eodem modo explicatur ab omnibus. At veriſsima explicatio eſt apud Caſsianum, & Dionyſium, ſic dictos, quod à coniugijs abſtinerent, & à parentum ſe conſortio, ac mundi huius conuerſatione ſecernerent, vt nimirum ſoli Deo per contemplationem inhęrerent. Dionyſ. dicit, Monachos dictos, quòd rebus diuiſibilibus relictis Monadi, id eſt, diuinitati ſoli placere contenderent.

Ex quo ſequitur, propriè Monachos non eſſe, niſi eos Religioſos, qui ſoli vitæ contemplatiuæ dant operam: quales ſunt Caſsinenſes, Ciſtertienſes, Carthuſiani, Camaldulenſes, atque alij id genus. Quòd intelligentes S. Thomas, S. Bonauentura, & alij Doctores poſteriores, non vocant Monachos, Dominicanos, & Franciſcanos, & ſimiles, qui non ſoli contemplationi inſiſtunt, ſed in actione verſantur, iuuantes Epiſc. & Clericos in concionibus, & Sacramentis: ſed Regulares, & Religioſos appellant. Regulares quidem, Regularis.
quòd certæ regulæ viuendi addicti ſint: quo nomine paſsim vtuntur Concilia. Religioſos autem, quòd ſe totos Dei obſequio mancipauerint. Re- Religioſus.
ligio enim eſt virtus, quâ Deo debitum cultum exhibemus. Et licet hoc nomen videatur nouum, tamen reuera eſt omnium antiquiſsimum: reſpondet enim proprie illi Gręco, θεραπευτὴς.

Quan-

Religio quid. Quantũ ad rem attinet, Religio, vt hic accipitur, ſic definiri poteſt. *Religio ſtatus eſt hominum ad perfectionem Chriſtianam per paupertatis, & continentiæ, & obedientiæ vota tendentium.*

Nota 1. Notandum primò veram perfectionem in charitate conſiſtere: perfectio enim vniuſcuiuſque rei in eo poſita eſt, vt fini ſuo vltimo perfectiſsimè coniungatur. Finis autem hominis, Deus eſt: charitas verò maximè vnit hominem cum Deo, iuxta illud: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et: *Caritas eſt vinculum perfectionis:* id eſt, vinculum, quod ligans hominem cum Deo, hominem reddit perfectum: vel, vt Chryſoſt. exponit, vinculum, quod ligans, & continens in homine omnes virtutes, hominem reddit perfectum. Vt enim ſpiritus humanus ligat, & continet omnes humores, & partes alioqui dilapſuras; ita Spiritus ſanctus inhabitans corda noſtra per caritatem cõtinet omnes virtutes, alioqui facile dilapſuras. Quod & Apoſtolus oſtendit, cùm ait: *Caritas patiens eſt, benigna eſt,* &c. Itaque Ireneus exponens illud Apoſtoli: *Vt integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus conſeruetur;* dicit hominẽ perfectum tribus conſtare, corpore, anima, & Spiritu ſancto inhabitante per caritatem. Vt enim, ſi deſit ei corpus, vel anima, erit imperfectus in genere naturæ, ita, ſi deſit caritas erit imperfectus in genere moris. Quomodo locum illum Pauli intelligunt ferè omnes Græci, Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylus, & Hieron. Denique; Quòd caritas ſit Chriſtiana perfectio, ex eo patet, quòd ad eam omnia referuntur. *In his duobus mandatis vniuerſa lex,* &c. Et: *Finis præcepti caritas.*

[1 Ioan 4. Col. 3. 1. Cor. 13. 1. Theſſa. vlt. Matth. 22. 1 Tim. 1.]

Nota 2. Nota ſecundò, quatuor eſſe gradus charitatis, proinde etiam quatuor eſſe gradus perfectionis: dicitur enim perfectum id, cui nihil deeſt in ordine ad aliquem finem. Quare non repugnat aliquid eſſe perfectum, & imperfectum, ſi comparetur ad diuerſos gradus, ſeu etiam fines.

Primus gradus eſt, diligere Deum, quantum eſt diligibilis, id eſt, infinito amore. Qui gradus ſoli Deo conuenit, & idcirco ſolus Deus in ordine ad iſtũ gradum perfectus eſt; Angeli, & Sancti omnes ſunt imperfecti: quanquam hæc imperfectio non eſt propriè dicenda priuatio, aut vitium, ſed pura quædam negatio.

Secundus eſt, diligere Deum, non quantum eſt diligibilis, ſed quantum poteſt creatura diligere, ita vt ſemper actu de Deo cogitet, & ſine intermiſsione in eum per affectum feratur, & ne primos quidem motus cupiditatis ſentiat contra Deum. In hoc gradu verſantur beati, quorum comparatione omnes alij ſunt imperfecti. Quare Apoſtolus, qui dixerat: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus*; idem ait: *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim.*

[Philip. 3.]

Tertius gradus eſt, diligere Deum, non quantum diligibilis eſt, nec quantum poteſt creatura quælibet abſolutè diligere; ſed quantum poteſt creatura mortalis, quæ à ſe amouit omnia diuini amoris impedimenta, & totam ſe Dei obſequio conſecrauit. Qui in hoc gradu verſantur, imperfecti ſunt reſpectu beatorum, ſed perfecti reſpectu aliorum hominum, etiam iuſtorum, & piorum. Et hæc eſt perfectio, de quâ loquuntur Theologi, cùm dicunt ſtatum Epiſc. eſſe ſtatum perfectionis adeptæ, & ſtatum Religioſorum eſſe ſtatum perfectionis acquirendæ. Hoc enim intereſt inter Epiſc. & Religioſos, quòd

Religioſi non tenentur continuo eſſe perfecti, ſed tantùm aſpirare ad perfectionem: verſantur enim in exercitatione virtutis, & remotione impedimentorum. At Epiſc. deberent eſſe perfecti, id eſt, ad eum gradum caritatis perueniſſe, ad quem Religioſi per ſua vota, & exercitia tendunt.

Quartus gradus eſt, diligere Deum, non quantum eſt diligibilis, non quantum poteſt creatura vel abſolutè, vel in hac vita diligere; ſed tamen ita vt nihil æquè, aut magis, quàm Deum, diligat, id eſt, nihil admittat contrarium diuinæ dilectioni. Et hic gradus præceptus eſt omnibus, & quandam habet perfectionem, licet reſpectu ſuperiorum ſit imperfectus. Vnde dicitur: *Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt*. Et tamen Dominus ei, qui dicebat, ſe omnia præcepta ſeruaſſe, ait: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia*, &c. Loquitur enim Ioannes de iſto quarto gradu: Dominus autem de tertio. *1. Ioan. 2.* *Matt. 19.*

Nota tertiò, inſtrumenta aptiſsima, atque vtiliſsima ad hanc perfectionem acquirendam eſſe illas tres virtutes; Paupertatem, Continentiam, & Obedientiam: nam, vt quis perfectè Deum diligat, debet ſe totum Deo tradere, & omnia impedimenta remouere vtrumque conſequimur per has virtutes. Tradimus enim Deo nos totos, quando tradimus animum, corpus, & res externas: nihil enim habemus aliud. Tradimus autem animum per obedientiam, corpus per continentiam, res externas per paupertatem. Item, per has virtutes remouentur omnia impedimenta diuini amoris. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas*: quemadmodum radix omnium bonorum eſt charitas. *Nota 3.* *1 Tim. 6.*

Omnis autem mala cupiditas ad tria capita reuocatur; ad luxuriam, auaritiam, ſuperbiam. Quod & auctoritate, & ratione prob. Nam dicitur: *Quidquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorũ, aut ſuperbia vitæ.* Ratione, quia in homine duplex eſt appetitus, Concupiſcibilis, & Iraſcibilis. Ille appetit bonum abſolutè, iſte bonum arduum. Rurſus; Ille prior eſt duplex; Naturalis, & Animalis. Naturalis appetit ea bona, quę ſunt neceſſaria ad naturam conſeruandam, tam in indiuiduo, vt cibum, potum; quàm in ſpecie, vt actum generationis. Qui appetitus, cùm eſt inordinatus, dicitur incontinentia, & à Ioanne concupiſcentia carnis. *1. Ioan. 2.*

Animalis dicitur ille, quo appetimus ea, quæ ſunt bona, ſecundum exiſtimationem, vt pecunias, veſtes, lapides pretioſos, & ſimilia, quæ non appetuntur à beſtijs, quibus non ineſt appetitus, niſi naturalis. Et hic appetitus, cùm eſt inordinatus, dicitur auaritia, vel curioſitas, & à Ioanne concupiſcentia oculorum.

Denique; Appetitus iraſcibilis appetit excellentiam, quæ apprehenditur, vt res maximè ardua. Et, cùm eſt inordinatus, dicitur à Ioanne ſuperbia vitæ. Hos igitur tres fontes impedimentorum obſtruunt tres illæ virtutes, concupiſcentiam carnis continentia, concupiſcentiam oculorum paupertas, ſuperbiam vitæ obedientia.

Nota quartò, non ſufficere ad religionem has tres virtutes, niſi accedat votum, id eſt, promiſsio ſacra Deo facta, qua quis obſtringit ſe perpetuò ita victurum. Religio enim eſt ſtatus quidam: ſtatus autem ſignificat rem immobilem, & perpetuam. Quare fieri poterit, vt aliquis ſit perfe- *Nota 4.*

ctus, & tamen non ſit in ſtatu perfectionis: ſicut è contrario non raro accidit, vt multi, tam Epiſcopi, quàm Religioſi, ſint in ſtatu perfectionis, & non ſint perfecti.

Varietas Religionum. De varietate Religionum, veteres duo tantùm agnoſcunt genera Religioſorum. Vnum, Anachoretarum, ſiue, Eremitarum: alterum, cœnobitarum. Addit Caſsianus tertium, & quartum genus: ſed illa non ſunt verè genera Religioſorum, ſed quædam relaxationes, & corruptiones religionum. Nam tertium genus vocat eorum, qui in cœnobijs degunt, ſed adhuc aliquas proprias retinent facultates, nec in omnibus obtemperant præpoſitis: quæ ſine dubio eſt corruptio vitæ cœnobiticæ. Quartum genus vocant eorum, qui ex monaſterijs ad eremum tranſeunt, non vt ſanctiùs, ſed vt liberiùs viuant, nimirum excuſso iugo ſuperiorum, & legum cœnobiticarum: quæ eſt corruptio vitæ eremiticæ. Quare, iſta duo a Patribus vocantur deterrima genera Monachorum.

Poſſumus autem cum B. Thomà, & Scolaſticis paulò pleniùs, & ſubtiliùs explicare formas, & genera religionum iuxta fines, ad quos inſtituuntur. Omnis enim religio ad perfectionem caritatis refertur. Poſſumus autem tribus modis Deum diligere, eique deſeruire. Vno modo, per contemplationē, ipſum Deum in ſe diligens, eique inhærendo. Alio modo, per actionem, Deo in membris eius ſeruiendo: vt alendo pauperes, ſuſcipiendo peregrinos, &c.

Tertio modo, per vtrumque ſimul Deo obſequium præſtando, id eſt, per contemplationem; quæ in actionem prodeat; ſiue per actionem, quæ neceſſariò requirat contemplationem. Quod faciunt, qui concionibus, & Sacramentorum adminiſtratione populo ſeruiunt.

Iuxta hos fines tria ſunt genera religionum. Vnum earum, quæ profitentur vitam contemplatiuam ſolùm: quod genus in multas formas diuidi poteſt iuxta varias cōſtitutiones, & regulas, quas ſequuntur. Alij enim ſequuntur inſtituta S. Antonij, alij S. Pachomij, alij S. Baſilij, alij S. Benedicti, alij S. Romualdi, alij S. Brunonis, &c. Alterum genus eſt earum religionum, quæ profitentur vitam actiuam; quod in tot formas diuiditur, quot ſunt opera caritatis. Quidam enim militando, atque Eccleſiam armis protegendo ſeruiunt Deo: quales ſunt equites Hieroſolymitani, S. Iacobi, & S. Ioannis. Quidam ægrotos curando in Xenodochijs: quidam mortuos ſepeliendo: & alijs alij rationibus, dum in proximos beneuolentiam oſtendunt, Deo gratum obſequium præſtant. Tertium genus eſt eorum, qui profitentur vitam miſtam: quod etiam in varias formas diuiditur iuxta varias eorum inſtitutiones. Quidam enim ſequuntur regulam S. Auguſtini, quidam S. Dominici, quidam S. Franciſci, &c.

Iam verò, quod hæc varietas inſtitutorum in eadem fidei conſenſione nihil obſit Chriſtianæ religioni, ſed potiùs valdè proſit, hinc intelligi poteſt, quòd hâc ratione prouiſum eſt omni hominum generi, vt nemo ſit, qui velit ad perfectionem tendere, & non poſsit. Varia enim ſunt hominum ingenia, variæ propenſiones, nec pares omnibus vires. Vnus diligit ſolitudinem, alius gaudet frequentia: vnus libenter orat, alius libenter legit, vel operatur, &c. Si ergò omnis religio requireret ſolitudinem, vel omnis commu-

nio-

nionem, & frequentiam: aut ſi omnis religio abſtinentiam à carnibus indiceret, vel nulla indiceret, &c. pauci admodum religioſi eſſe poſſent. Nunc autem in tanta varietate religionum poteſt omnibus ſatisfieri. Altera ratio eſſe poteſt, quia, cùm omnis ordo initio ferueat, ac multos homines excitet ad pietatem, paulatim autem poſtea feruorem illum remittat, Deus ſubinde nouos ordines excitando quaſi perpetuò feruorem in Eccleſia ſua nunc per hos, nunc per illos conſeruat.

Oritur autem hoc loco quædam dubitatio: *An religionum inſtitutio libera ſit, an verò egeat ſummi Pont. confirmatione?* Sed facilis eſt ſolutio. Duo ſiquidem in omni religione inueniuntur: eſſentia ipſe religionis, quæ in tribus votis ſita eſt, & determinatio illius eſſentiæ ad certum modum viuendi. Et quidem eſſentia religionum in Euangelio fundamentum habet; proinde ab hâc parte non egent religiones Pontif. approbatione. Modus autem ille varius, quo tria vota ſuſcipi poſſunt, non ita perſpicuè in Euangelio elucet, & non parum ex prudentia, & directione humana pendet. Quare Pont. confirmatione indigere poteſt, & nunc reipſa, propter ius poſitiuum nouas religiones prohibens, omninò indiget. Itaque Antonius, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, auctores religionum fuerunt, nec vllam leguntur à Pont. approbationem quæſiuiſſe, propterea quòd nondum extaret ius Eccleſiaſticum id præcipiens. Condendi autem noui iuris hæc fuit occaſio. *Dubitatio. Reſp.*

Ad annum Domini circiter M. C. L X X. pauperes de Lugduno ordinem quendam religioſum inſtituerunt, ſed multis admiſtis ſuperſtitionibus, & hæreſibus. Quocirca à Lucio III. Alexandri III. ſucceſſore, hæreſeos damnati fuerunt, & ſecta eorum reprobata.

Illi verò poſtmodum, id eſt, tempore Innocentij III. ſedem Apoſtolicam adeuntes diu inſtiterunt, vt reconciliarentur, & religio ipſorum confirmaretur, nec tamen impetrauerunt. Inde igitur factum eſt, vt B. Franciſcus, & B. Dominicus volentes ſimiliter nouos ordines inſtituere, & metuentes, ne ſibi accideret, quod videbant accidiſſe VValdenſibus, noluerunt confidere ſuo iudicio, ſed à Pontif. confirmationem petiuerunt, & impetrauerunt. Paulò autem pòſt in Concilio Lateranenſi generali conſiderans Innocentius III. periculum, quod imminebat Eccleſiæ, ſi vnicuique liceret nouam religionem excogitare, prohibuit, ne deinceps vllus nouus ordo inſtitueretur, nimirum ſine approbatione Apoſtolicæ ſedis: quod decretum renouauit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi. Atque hinc cœpit eſſe neceſſarium, quod antea erat liberum.

Porrò de origine Religionum tria oſtendenda ſunt contra hæreticos. *Prob. dogma I contra hæreticos.* Primò, religioſam vitam diu ante quartum ſeculum incœpiſſe: adeo enim vita religioſa eſt antiqua, vt quædam eius adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluuium: maior quædam expreſsio in lege Moyſis: perfectio autem Apoſtolorum tempore.

Habemus inprimis de Enos: *Iſte cœpit inuocare nomen Domini.* Ex quo loco colligunt auctores, hunc Enos inſtituiſſe peculiarem aliquem cultum, *Gen. 4.*

& ſublimiorem,quàm eſſet religio vulgi. Nam ante Enos, certè etiam Adam, & Abel, & Seth Deum inuocauerunt, & tamen iſte dicitur primus cœpiſſe inuocare nomen Domini.

Num. 6. Habemus deinde vota Nazaręorum, qui ſeipſos Domino conſecrabant: ad quorum exemplum etiam in Eccleſia quoſdam ſeipſos totos diuino cultui deuouere, ſcribit Origenes.

Habemus deinde Eliam, & Eliſæum ac filios Prophetarum ſine vxoribus, & diuitijs in hoc mundo vixiſſe.

Ierem. 35. Habemus etiam inſignem commendationem nepotum Rechab, qui, cùm eis pater, ſiue auus præcepiſſet, vt domos non ædificarent, agros non ſeminarent, vineas non plantarent, vinum nunquam biberent, vitam duriſsimam, quaſi extra mundum, agerent, omnia diligentiſsimè obſeruarunt: quos etiam noſtrorum Monachorum figuram geſsiſſe ſcribit Hieronymus. Denique; Ioannem Baptiſtam Monachorum, & Eremitarum Principem fuiſſe, ſcribunt ferè omnes Patres.

In vita B. Antonij. Veniamus ad nouum Teſtamentum, & oſtendemus, ante annum CCC. fuiſſe Monachos in Eccleſia. Primùm id prob. ex Athanaſio, qui docet ante Antonium non fuiſſe quidem Eremitas, ſed tamen Monachos fuiſſe, qui in agris, ciuitatibus vicinis monaſteria ſua conſtituebant: & Antonium, cùm is Monachus fieri vellet, ad ſenem quendam acceſsiſſe; qui ab ineunte ætate monaſticem exercuerat. Ex quo ſequitur & B. Antonium non fuiſſe primum Monachum, & ante annum Domini CCC. fuiſſe Monachos. Nam Antonius floruit initio IV. ſeculi: anno enim CCC. erat XL. annorum, vt colligitur ex Chronico Hieronymi, & tamen ipſo adoleſcente inueniebantur multi Monachi ſenes.

In vita Dionyſ. Pap. Secundò prob. ex Damaſo, qui ſcribit, Dionyſium Papam ex Monacho ad Pontificatum aſſumptum fuiſſe. Conſtat autem ex Chronico Euſebij, Dionyſ. Romæ ſediſſe anno Domini CC. LXVI. Non ergò Monachi cęperunt poſt annum Domini CCC..

Tertiò idem prob. ex Cypriano, Tertulliano, Dionyſ. Areopagita, & Philone Iudęo.

Quartò prob. ex Apoſtolorum exemplo, qui verè fuerunt primi Monachi Chriſtiani. Nam, quòd vitam cœnobiticam inſtituerint, vbi eſſent omnia communia, patet ex Act.. Quòd ea ratio viuendi non fuerit omnium Chriſtianorum, ſed eorum tantùm, qui volebant perfectius viuere, patet etiam ex Act. Nam, cùm Ananias fraudaſſet de pretio agri, & decipere voluiſſet Apoſtolos, audiuit à S. Petro: *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Quòd etiam voto ad eam perfectionem ſe obligarint Apoſtoli, docet Auguſtin. Quòd denique ab Apoſtolorum exemplo cœperint religiones, docent plurimi Patres..

Act. 4. *Act. 5.* *L. 17. de ciuitat. c. 4.*

Prob. dogma. 2. Secundò oſtendendum eſt, non occaſione perſecutionum, & caſu exortam eſſe vitam Monaſticam. De cœnobitis non eſt dubium, cùm extiterint ante omnes perſecutiones De Eremitis idem prob. Nam & ſi Paulus primus Eremita occaſione perſecutionis ſolitudinem colere cœperit, tamen Antonius

nius non tali occaſione cœpit, ſed ſolo ſtudio vitæ purioris. Vita autem Eremitica non à Paulo, ſed ab Antonio introducta eſt. Et ſi enim Paulus primus omnium in eremo vixit, tamen non habuit ipſe diſcipulos, nec fuit notus, niſi paulò antè mortem. Antonius autem verè princeps eremitarum dici debet, quippe qui nec ab alio didicit, & ipſe docuit omnes. Quocirca vterque dici poteſt primus Eremita, Paulus quidem tempore, Antonius autem magiſterio.

Quod etiam cauſſa inſtituendæ vitæ religioſæ non fuerit, obſcuratio doctrinæ de iuſtificatione, vel praua Eſſenorum imitatio, vt dicunt hæretici, manifeſtum eſt: nam auctores religionum fuerunt primum Apoſtoli, ac deinde Antonius, Baſilius, Auguſtinus, doctiſsimi, & ſanctiſſimi homines, quos non poſſumus ignorantiæ, vel prauæ æmulationis accuſare. *Prob.*

Tertiò oſtendendum eſt, quòd eſſentia monaſtices eadem ſit noſtrorum, *dogma 3.* & antiquorũ Monachorum, id plurimis teſtimonijs probari poſſet: nunc duo ſufficiunt. Eſſentia vitæ religioſæ in tribus illis virtutibus, obedientia, paupertate, caſtitate, ab omnibus huius temporis Religioſis conſtituitur. Idem *L. 1 de mo-* fiebat ab antiquis: nam Auguſtinus vitam cœnobitarum explicans, Pri- *ribus Eccle-* mùm, ait, eos ſpretis mundi huius illecebris in vitam caſtiſsimam, & ſan- *ſia, c. 31.* ctiſsimam congregari.

Secundò, addit à nullo quidquam poſsideri proprium.

Tertiò, adiungit, Patres nulla ſuperbia conſulere ijs, quos filios vocant, magna ſua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando volun- *In præfat.* tate. Baſilius autẽ de Monacho futuro ſic loquitur: *Nuptias veluti compedes fugit;* *Conſtitut.* *bis autem relictis vitam ſuam Deo conſecrat, & caſtitatem profitetur, vt neque facultas* *Monaſtica-* *ipſi ſit conuerſionis ad nuptias.* *rum.*

Conſtitut. Item, de obedientia fuſiſsimè diſputat, ac tandem concludit, ita oportere *Mon c. 22.* Monachos obedire præpoſito, vt ouès paſtori, atque vt inſtrumentum fabro. *Conſtitut.*

Denique, diſſerit de paupertate, ac docet, Monachum ab omni prorſus pri- *Monaſt.* uata rerum materialium poſſeſsione liberum eſſe debere. *c. vlt.*

CAPVT XIIII.

De Conſilijs Euangelicis.

Differentia Concilii à præcepto.

CONCILIVM perfectionis vocamus opus bonum à Chriſto nobis non imperatum, ſed demonſtratum; non mandatum, ſed commendatum. Differt autem à pręcepto ex parte materiæ, ex parte ſubiecti, ex parte formæ, & parte finis. Ex parte materiæ dupliciter.

Primo, quia materia pręcepti eſt facilior, conſilij difficilior: illa enim ſumpta eſt ex principio naturæ, hęc ſuperat quodammodo naturam; nam ad ſeruandam coniugi fidem natura quodammodo inclinat, at non ita ad abſtinendum à coniugio.

Secundò, quia materia pręcepti bona eſt; conſilij melior, & perfectior, loquendo de pręceptis, quæ circa eandem materiam verſantur, circa quam verſantur conſilia: conſilium enim includit pręceptum, & aliquid ſupra pręceptum addit. Ex parte ſubiecti differunt Conſilia, & præcepta, quòd pręceptum commune ſit omnium, conſilium non item. Ex parte formæ, quòd pręceptum vi ſua obliget, conſilium in arbitrio hominis poſitum ſit. Ex parte finis ſeu effectus, quòd præceptum obſeruatum habeat præmium, non obſeruatũ habet pœnam: Concilium autem, ſi non obſeruetur, nullum habet pœnam; &, ſi ſeruetur, maius habet pręmium.

Sententia catholica.

Porrò Catholicorum omnium ſententia eſt, multa eſſe verè, & propriè Concilia Euangelica, ſed pręcipuè tria; Continentiam, Obedientiam, & Paupertatem, quæ nec ſint pręcepta, nec indifferentia, ſed Deo grata, & ab illo commendata. Quæ ſententia prob. primò ex Script. Primum teſtimonium:

Prob. 1. Iſa. 56.

Non dicat Eunuchus: Ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & ſeruauerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus; nomen æternũ dabo eis, quod non peribit. Quòd hîc agatur de continentibus voluntarijs, non de abſciſsis, vel ſic natis, qui neceſſariò continent, docent Patres, & patet ex pręmio, quod Eunuchis promittitur: nec enim vlla ratio eſt, cur abſciſsis vel natis Eunuchis promittatur maior gloria, quàm ſit filiorum, & filiarum Dei.

Addit autem ſubtiliter Auguſtinus, ſi quis contendat, Iſaiam loqui de veris Eunuchis, adhuc iuuari cauſſam noſtram: nam, ſi Eunuchis, qui continent ſe, quia non poſsint aliud facere, promittitur maior gloria quam iuſtis coniugatis, certe maiore ratione promittitur ijs, qui ſe continebunt, etiamſi poſſent non continere. Eſt autem obſeruandum illud; *Nomen Melius à filijs, & filiabus*, poſſe habere alium etiam ſenſum, videlicet, vt intelligamus promitti aliquid melius, quàm fuiſſent filij, & filiæ: nam verba Hebræa; *nomen bonum*

præ filijs & filiabus, optimè recipiunt hunc ſenſum; Dabo illis, qui carent liberis, aliquid melius, quàm ſit habere liberos. Et ſic etiam verterunt LXX. interpretes, τόπον ὀνομαστὸν κρείττω υἱῶν, καὶ θυγατέρων. Et recidit in idem cum ſuperiore ſententia: nam ſemper anteponuntur continentes coniugatis, cùm iſti liberos, illi melius aliquid habituri ſint.

Quòd autem continentia Eunuchorum hoc loco non imperetur, ſed conſulatur, docent Patres, & probat Hieron. ex illis verbis: *Qui elegerint, quæ ego volui.* Illi enim dicuntur eligere, qui non coguntur præcepto. Itaque ſenſus eſt. Qui elegerint, quæ ego volui, id eſt, qui tranſcendentes ea, quæ pręcepi, accommodans me humanæ imbecillitati, ſponte ſua elegerint perfectoria, quæ ego cupio, & vellem.

Præterea; Idem patet ex eo, quòd, qui Eunuchi non ſunt, etſi poſtponantur Eunuchis, tamen non excluduntur à regno cœlorum; immò filij, & filiæ vocantur. Ergò non tenentur omnes eſſe Eunuchi. Ergo non eſt pręceptum. Quòd autem continentia non ſolùm ſit vtilis in hâc vita, ſed ſit verè meritoria gloriæ ſingularis, patet ex illis verbis: *Nomen æternum dabo eis, quod non peribit.*

Secundum teſtimonium eſt: *Felix ſterilis, & incoinquinata, quæ neſcinit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum: & Spado, qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitauit contra Deum nequiſsima; dabitur enim ei fidei donum electum*, (id eſt, donum quoddam ſingulare reſpondens fidelitati ipſius) *& ſors in templo Dei. Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, & quæ non concidit, radix ſapientiæ.* Quem locum ſimilem eſſe ſuperiori, docet Hieronymus. *Sap. 3.*

Tertium eſt, vbi Dominus comparat regnum cœlorum, id eſt, Eccleſiam terræ bonæ, cuius vna pars reddebat fructum centeſimum, alia ſexageſimum, alia triceſimum. Quem locum exponentes Patres, docent, ea parabola diſtingui meritum caſti coniugij, viduitatis, & virginitatis. Ex quo apparet, continentiam virginalem eſſe maius bonum, & magis meritorium apud Deum, quàm ſit caſtitas coniugalis; & proinde eſſe concilium diuinum: quod enim Deus non præcipit, & tamen commendat, & anteponit alijs rebus, ſine dubio conſulit. *Matth. 13.*

Quartum eſt, cùm Apoſtoli dixiſſent; *Non expedit nubere*; Dominus ait: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt: ſunt enim Eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* Hic non dari præceptum de continentia, patet ex ſuperioribus: nam initio huius cap. Dominus approbauit nuptias, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*: ergò non prohibet hoc loco nuptias. Ergò non præcipit continentiam. Idem patet ex ſequentibus: *Qui poteſt capere, capiat.* Nam, vt eleganter ait Auguſtinus, de præceptis iuſtitiæ non poteſt dici; Qui poteſt facere, faciat: ſed; *Omnis arbor, quæ non fecerit fructum bonum, exſcindetur.* Quod autem conſilium detur, patet ex eo, quòd, cùm Apoſtoli dixiſſent: *Non expedit nubere*; Dominus non ait; Immò verò expedit: ſed ait: *Non omnes capiunt verbum hoc: qui poteſt capere, capiat*: id eſt, verum dixiſtis, nuptias non expedire, nam impediunt potiùs. Tamen *Matth. 19.*

non

non omnes hoc intelligunt, ſed qui poteſt aſſequi, non omittat.

Quòd denique continentia non ſolùm conferat corporalem vtilitatem, ſed præmium habeat in cœlo, patet ex illo: *Sunt Eunuchi, qui caſtrauerunt ſe propter regnum cœlorum.*

Ibid. Quintum eſt, vbi adoleſcenti dicitur: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Quod hic non detur præceptum, ſed conſilium, patet ex ipſa conſequentia verborum. Nam interroganti: *Quid faciam, vt ſaluus fiam?* Dominus reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Vbi oſtendit, mandatorum obſeruationem ſufficere ad ſalutem: ac deinde ſubiungit: *Si vis perfectus eſſe*; id eſt, ſi non es contentus vita æterna, ſed adſpiras ad excellentem gradum in ipſa vita æterna: *Vade vende omnia.*

Præterea; Si hoc eſſet præceptum, certè eſſet præceptum caritatis. At non eſt: nam caritas non requirit, niſi vt diligamus proximum, ſicut noſipſos: ergò non requirit, vt demus omnia noſtra proximis, & nobis nihil ſeruemus: ſed ſatisfacimus ei præcepto, ſi partim demus, partim retineamus. Quod autem dare omnia mereatur inſigne præmium, patet ex illis verbis: *Et habebis theſaurum in cœlo.*

Ibid. Sextum teſtimonium eſt de Obedientia, vbi Dominus ait: *Et ſequere me.* Nam, quòd hæc ſequela ſit conſilium, patet, quia dicitur ei ſoli, qui vult eſſe perfectus, & cui dictum eſt: *Vende omnia, quæ habes.* Quòd autem in illo, *ſequere me*, ſignificetur obedientia, prob. dupliciter.

Philip. 2. Primò quia ſequi Chriſtum eſt imitari Chriſtum: Chriſtus autem factus eſt obediens vſque ad mortem.

Matth. 16. Secundò, quia explicat ipſe Chriſtus, quid ſit ſequi ſe, dicens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quod vltimum eſt explicatio ſuperiorum, vt ſenſus ſit: Qui vult poſt me venire, id eſt, me ſequi, abneget ſe, & tollat crucem ſuam, & ſic ſequetur me. Porrò abnegare ſe, nihil eſt aliud, quàm valedicere ſuo iudicio, & ſuis affectibus, &

Obiect. accommodare ſe alterius iudicio, & voluntati. Dicet aliquis: Abnegare ſe, eſt quidem obedire: ſed hoc loco agitur de obedientia, quæ neceſſariò debetur Deo, non quæ ſponte exhibetur homini: ſequitur enim; *Qui amat animam ſuam, perdet eam.*

Solut. Reſp. hoc verum eſſe: tamen hinc deduci etiam conſilium religioſæ obedientiæ: nam hinc habemus, ſequi Chriſtum eſſe abnegare ſeipſum, id eſt, alterius voluntati ſeipſum ſubijcere. Habemus autem ex alijs locis duplicem

Matt. 16. Luc. 9. Matth. 19. Luc. 18. eſſe Chriſti ſequelam: nam communem, & neceſſariam in omnibus fidelibus, vnde qua agitur hic; & rurſum aliam, quæ ſolis ijs conſulitur, qui volunt eſſe perfecti, de qua alibi agitur. Ergò neceſſe eſt duplicem eſſe abnegationem ſui, id eſt, obedientiam; vnam communem, & neceſſariam omnibus, quæ cõſiſtit in obediendo in ijs rebus tantùm, quæ ſunt neceſſariæ ad ſalutem; alteram maiorem, & vniuerſaliorem, quæ conſiſtit in obediendo in omnibus rebus, etiam non neceſſarijs, modò peccata non ſint: qualis obedientia lauda-

Ierem. 35. tur in Rechabitis, qui obediebant patri ſuo in ijs, in quibus non tenebantur.

Septi-

Septimum teſtimonium eſt,vbi multis modis proponitur conſilium continentiæ. *Bonum eſt*,inquit Paulus,*mulierem non tangere*. Item: *Bonum eſt homini ſic eſſe*. Item:*Solutus es ab vxore,noli quærere vxorem*. Item: *Dico autem innuptis, & viduis, bonum eſt, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego*. Item: *Volo omnes vos eſſe , ſicut meipſum* : id eſt , continentes . Sic enim omnes veteres exponunt. Item:*De virginibus præceptum Domini non habeo,conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis*. Vbi indicat Apoſtolus, conſilium hoc non eſſe humanum,ſed diuinum: dicit enim ſe conſilium dare, non vt hominem politicum, ſed vt fidelem miniſtrum Dei. Item: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, &, qui non iungit, melius facit*. Denique de vidua: *Cui vult, nubat, tantum in Domino : beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium, puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeam*. Vbi rurſum vides, tribui conſilium hoc Spiritui ſancto. 1.Cor.7.

Octauum eſt,vbi Apoſtolus toto capite conatur oſtendere, ſe plus feciſſe, quàm ſibi eſſet præceptum, & propterea ſingularem gloriam apud Deum meruiſſe.Nam,cùm Dominus ordinaſſet ijs,qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere, Paulus maluit gratis Euangelium prædicare, & ſic facere opus ſupererogationis. *Melius eſt*, inquit, *mihi mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam & ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria; neceſſitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi eſt,ſi non euangelizauero. Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium* . Vbi in toto capite nihil aliud agit, quàm vt probet ſibi licuiſſe viuere ex pop. ſumptibus. Id enim probat Primò exemplo aliorum Apoſtolorum. 1.Cor.9.

Secundò exemplis militum, Paſtorum, Agricolarum. Tertiò ex lege Moyſis. Quartò ex Chriſti ordinatione. Quintò ex ipſa natura. Et ita expoſuerunt omnes Patres.

Nonum eſt : *Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia: hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, & ſequuntur Agnum,quocunque ierit*.Ex quo apparet,ſingulare præmium habere virgines. Apoc.14.

Secundò prob. veritas exemplis primitiuæ Eccleſiæ. Nam conſtat, initio mox naſcentis Eccleſiæ,plurimos cœpiſſe colere continentiam, & vitam cōmunem, rebus omnibus diuenditis, quod in Teſtamento veteri rariſsimum fuerat.Nec potuit eius nouitatis alia eſſe cauſſa,niſi prædicatio Chriſti, & Apoſtolorum.Legimus enim,quotquot erant poſſeſſores agrorũ,& domorũ, ijs venditis pretia attuliſſe ad pedes Apoſtolorũ. Vnde hoc?niſi quia audierãt, Dominũ id conſuluiſſe. Porrò continentiã tam multi certatim arripiebant vt legamus,vnum Philippũ quatuor filias habuiſſe,& omnes virgines:quas certè non ad tempus aliquod virgines fuiſse,credere debemus, ſed perpetuo, & ex electione. Refert enim id Lucas,tanquam aliquid magnũ, quod videlicet vni homini eſsent quatuor virgines filiæ. At quid magni eſt habere quatuor filias virgines,quæ vbi maturæ fuerint, nupturæ ſunt? Prob.2. Act.4. Act.21.

Tertio prob. clariſsimis Patrum teſtimonijs,tũ Græcorũ,tum Latinorum. Prob. 3.

Quarto prob. ratione,deſumpta, tum ex corporibus naturalibus, tum ex politicis Rebus publicis. Videmus enim, in qualibet re naturali duplicem & 4.

eſſe perfectionem; vnam neceſſariam ad eſſe; alteram ad bene eſſe: vnam, ſine qua rei natura non eſt perfecta; alteram, ſine qua non eſt ornata. Homo, ſi habeat animam, & corpus, perfectus eſt, quoad naturam attinet, etiamſi alioqui deformis, & imperitus, atque improbus ſit. At, cùm eſt elegans, politus, formoſus, doctus, probus, aliam quandam habet perfectionem: ergo eodem modo homo Chriſtianus duplicem habere debet perfectionem: vnam neceſſariam ad eſſe, id eſt, per quam ſit verè filius Dei, & hæres regni, quæ conſiſtit in præceptorum obſeruatione; alioqui enim non eſſet Chriſtus bonus legiſlator, ſi legem tuliſſet, quæ non perficeret hominem Chriſtianum: alteram neceſſariam ad bene eſſe, quæ conſiſtit in conſilijs. Videmus item, in omnibus bene inſtitutis Rebuſpublicis, præter præmia, & pœnas conſtitutas ſeruantibus, aut tranſgredientibus leges, eſſe etiam præmia quædam decreta heroicis operibus. Hinc apud Rom. præter cætera ſtipendia debita militibus non violantibus militiæ diſciplinam, fuiſſe etiam coronas ciuicas, ouationes, ſupplicationes, ac triumphos decretos factis heroicis, omnes nouerunt. Ita ergo non abhorret à ratione, immò potius conforme eſt rationi, vt præter vitam æternam, promiſſam obſeruatoribus legis diuinæ, ſint etiam certa præmia, ſingulares honores pro ijs, qui non ſolùm Dei legem ſeruant, ſed etiã virtutes heroicas oſtendunt.

CAPVT XV.

De Votis Monaſticis in genere.

Voti nomen. NOmen Voti apud Latinos ambiguum eſt: ſignificat enim promiſſionẽ, & orationem, ac deſiderium. Dicimus enim, Suſcepi votum continentiæ; id eſt, promiſi Deo continentiam. Item, Pro voto mihi continentia ſuccedit; id eſt, vt deſiderabam. Et, Vota pro continentia Deo fudi; id eſt, precatus ſum à Deo continentiam. Apud Græcos non eſt idem nomen pro voto, & oratione; tamen ſunt duo affinia nomina. Nam εὐχὴ ſignificat votum, προσευχὴ orationem. Apud Hebræos voti, & orationis nomina nullam habent affinitatem. Cuius rei ea eſt ratio, quòd apud Græcos, & Latinos, cùm hæc nomina inuenta ſunt, non erat vlla vera pietas, & ideò nihil homines Deo, vel Dijs vouebant, niſi ad id, quod deſiderabant, impetrandum, & propterea ſemper votis annectebant preces. Hinc etiam Græci vocabant orationem, προσευχὴν, quia poſt votum fiebat, quod vocabant εὐχὴν. Latini autem eodem nomine promiſſionem Deo factam, & preces ad Deum appellabant. At Hebræi, quia Deum piè colebant, & abſoluta etiam vota facere conſueuerant, ſine vlla relatione ad preces, vt nos quoque Chriſtiani, facimus, propterea proprijs, & diuerſis nominibus hæc duo appellabant.

Definitio voti. Poteſt autem definiri votum, *Religioſa promiſſio alicuius excellentioris boni, Deo facta*

facta libera voluntate. Promiſsio dicitur, quaſi contractus quidam inter Deũ, & hominem. Nec enim ſufficit ad votum propoſuiſſe, & ſtatuiſſe aliquid facere, niſi etiam promittatur. Votum enim includit obligationem vnius ad alterum: non enim obligat votum ſolùm ratione veritatis, id eſt, quia tenetur, qui vouit, verum facere, quod dixit, ſed etiam ratione fidelitatis, quia tenetur alteri fidem datam ſeruare: Hæc autem obligatio non poteſt naſci ex propoſito ſolo, quod quis apud ſe concipit, ſed neceſſario promiſsionem requirit.

Religioſa dicitur, vt ſignificetur, cuius virtutis actus ſit votum, nimirum religionis.

Eſt autem obſeruandum, in voto ſemper eſſe duas actiones, alteram materialem, alteram formalem. Materialis eſt, de qua fit votum, vt ieiunare, ſacrificare, &c. Formalis eſt ipſa promiſsio ieiunandi, vel ſacrificandi, & promiſsionis adimpletio. Quare formalis impletio ſemper eſt actus religionis; materialis autem interdum eſt religionis, vt ſi quis voueat quotidie facere ſacra; interdum alterius virtutis, vt ſi quis voueat ſexta feria ſemper ieiunare.

Excellentioris boni dicitur, vt determinetur materia voti; nec enim voueri poteſt, niſi id, quod melius ſit facere, quàm omittere.

Ex quo perſpicuum eſt, quinque rerum genera excludi à materia voti. *Act. 23.*
Primò, peccata; vt cùm Iudæi vouerant ſe occiſurum Paulum; nam vouere peccata, non eſt Deo munus promittere, ſed minari. Secundò, opera indifferentia; vt non ire ad forum; non enim poteſt Deo placere, quod vanum eſt, & inutile: *diſplicet* enim *ei ſtulta promiſsio.* Tertiò, opera impoſsibilia; vt ſi *Eccli. 5.*
quis voueat, ſe profecturum in Hieruſalem ſine naui. Quartò, opera neceſſaria; vt ſi quis voueat, ſe moriturum, quando placuerit Deo. Quintò, opera bona, quæ tamen maiora bona impediunt; vt ſi quis voueat, ſe ducturũ vxorem. Quanquam hoc ipſum certo tempore, ac certæ perſonæ poteſt eſſe melius facere, quàm omittere; proinde tum erit legitima voti materia, etſi abſolutè contra iudicandum ſit.

Deo facta dicitur, vt intelligamus, vota differre à iuramentis, licet vtraque ſint actus religionis & in materia ferè conueniant. Vota enim fiunt Deo, iuramenta hominibus per Deum. Non autem hinc excluduntur vota, quæ fiunt Sanctis: nam vel ea ſunt vota materialiter, non formaliter, vt quidam docent; qui putant, in votis Sanctorum duas eſſe promiſsiones; vnam Sanctis, quibus aliquid promittitur; alterum Deo, cui promittitur adimpletio promiſsionis factæ Sanctis; & hanc ſolùm propriè votum eſſe dicunt: vel (quod verius puto) vota fiunt verè Sanctis, ſed vt Sancti ſunt, id eſt, vt excellentiſſimo modo participant Dei naturam, & gloriam.

Addidimus vltimò, *Libera voluntate*, vt diſtinguatur votum à lege cõmuni. Votum enim eſt lex quædam priuata, & obligat more legis; ſed lex communis obligat etiam nolentem, & inuitum; votum autem eſt lex, quam nosipſi nobis ferimus, & proinde non obligat, niſi eum, qui ſponte votum fecerit: & hinc non habentur rata vota facta ante vſum rationis, nec ea, quæ propter ignorantiam aut metum cenſentur inuoluntaria.

Propoſitio. 1. Prob. 1. Sit igitur propoſitio prima: *Omne, quod fit ex voto, etiamſi alioqui non ſit à Deo præceptum, verè, & propriè eſt cultus Dei.* Eſt contra Lutherum, & Caluinũ. Prob. primò: Vouere eſt actus religionis: ergò & reddere, ſiue implere votum, eſt actus religionis, ſiue fiat de re præcepta, ſiue nõ præcepta. Prob. Anteced. ex il-

Iſa. 19. lo: *In illo die cognoſcent Ægyptij Dominum, & colent eum in hoſtijs, & muneribus, & vota vouebunt, & ſoluent.* Vbi poſteriora ſunt explicationes priorum: vota enim munera ſunt. Præterea; hæc eſt natura voti, vt rem alioqui non ordinatam ad

Deut. 12. Dei cultum, ordinet ad cultum Dei, iuxta illud: *Quidquid ſanctificaueris, & voueris,* &c. Prob. conſeq. nam promittere, & ſoluere ad eandem virtutem pertinent: ſed per id, quod fit ex voto, etiamſi non præceptum, impletur votum ergò per id colitur Deus.

Prob. 2. Secundò prob. propoſitio: Omne votum eſt promiſſio Deo facta: ergò votum quodcunque implere, eſt fidem Deo ſeruare: at ſeruare fidem Deo, eſt Deum immediatè colere, & honorare: ſicut è cõtrario, fidẽ ei non ſeruare, eſt iniuriam illi facere. Ergò cuiuslibet voti impletio cultus Dei eſt.

Prob. 3. Tertiò prob. Omne iuramentum eſt cultus Dei, etiamſi fiat de re non præcepta; vt, ſi quis iuret, ſe nõ bibiturum vinum, ergò etiam votum de eadem re erit cultus Dei. Prob. conſeq. Nam adeò ſimilia ſunt iuramenta, & vota, vt in

Num. 30. Script. ſæpe iuramentũ pro voto accipitur. *Si mulier habens virũ, vouerit aliquid, & verbum de ore egrediens animam eius obligauerit iuramento, voti rea erit, reddet, quod promiſit,* &c. Præterea; Sicut per iuramentum de re non præcepta honoramus Deum, quia proteſtamur, eum eſſe immutabilem veritatẽ, & veritatis aſſertorem; ita per votum de re non præcepta, ſed tamen bona, Deum honoramus, quia proteſtamur ei, vt ſummo bono, placere actus virtutum.

Prob. 4. Quartò; Soluere ex voto aliquid non præceptum, ſed tamen bonum, falſis Dijs, eſt peccatum, & non aliud, quàm idololatriæ: ergò ſoluere Deo vero ex voto rem eandem, erit actus latriæ.

Prob. 5. Quintò, Si quis voueat, abſtinere per triduum à vino, & non faciat, ſine dubio peccat: at non peccat peccato intemperantiæ; non enim eſt actus neceſſarius temperantiæ abſtinere à vino; ergò peccat, quia Deum afficit iniuria, non ſeruando illi fidem: ergò, ſi abſtineat, Deum honorat.

Prob. 6. Sextò, Omni actu virtutis, etiam non præcepto, nec ex voto facto, ſed facto tamen propter Deum, colitur Deus: ergò multò magis, ſi is actus fiat ex

Luc. 2. voto, eo Deus coletur. Prob. Antec. primo Script. teſtimonio: nã Anna dicitur ſeruiſſe Deo ieiunijs, & orationibus, & eſt verbũ, λατρεύουσα, quod propriè

Philip. 4. cultum ſignificat. Et: *Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis in odorem ſuauitatis, hoſtiam placentem, & acceptabilem Deo.* Et: *Beneficentiæ, & communica-*

Hebr. vlt. *tionis nolite obliuiſci; talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Et: *Religio munda apud Deũ*

Iac. 1. *eſt, viſitare pupillos, & viduas,* &c. Quæ omnia intelliguntur etiam de eleëmoſyna non præcepta.

Deinde prob. ex Patribus.

Prob. 7. Septimo: Votum de re præcepta nõ eſt verũ, & proprium votum, niſi quatenus res illa concipitur, vt non præcepta: igitur vel votum de re nõ præcepta cultus Dei eſt, vel nullum votum eſt cultus Dei: ſed hoc eſt falſum, ergò &

Prob. 8. illud. Octauo: Si votum de re non præcepta non eſt cultus Dei: ergo nec ipſum

ſum vouere abſolutè eſt cultus Dei: nam ipſum vouere nuſquam eſt præceptum. At hoc eſt contra ipſum Caluinum.

Nono prob. exemplis Script. Nam primum votum legitur de Iacob: *Votum vouit Iacob, ſi fuerit Dominus mecum* &c. *erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi, vocabitur domus Dei, cunctorumq́, quæ dederit mihi decimas offeram tibi.* Quod hoc ſit votum de re non præcepta patet, quia alioqui peccaſſet Iacob faciendo votum conditionatum de re præcepta. Quod autem hoc votum fuerit factum ad colendum Deum, patet: nam habere lapidem pro domo Dei, id eſt, pro ara: & offerre decimas ſunt actus religionis. Aliud votum fuit Dauidis de extruendo templo, de quo: *Votum vouit Deo Iacob*, &c. Quod hoc votum fuerit de re non præcepta, patet: nam Deus audito hoc voto Dauidis, & laudata eius voluntate, dicit, ſe non præcepiſſe, vt ſibi fieret templum, nec velle fieri à Dauide. Quod autem Dauid hoc loco voluerit colere Deum, patet, quia extruere templum, eſt actus religionis. *Prob. 9. Gen. 28. Pſal. 131. 2. Reg. 7.*

Denique: Omnia vota, quæ leguntur in Script. vota erant de rebus nō præceptis, vt ex ipſis locis patet: & tamen, quod placerent Deo, patet, quia ſeueriſsimè illorum ſolutionem exigebat. *Si votum voueris*, inquit, *non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris.* Vbi clarè vides, votum liberè factum à Deo ſeuerè exigi. *Leuit. 27. Num. 6. 30. Deut. 12. & 23. Deut. 23.*

Propoſitio ſecunda: *Non fuit Iudæorum proprium, vota facere, ſed cum Chriſtianis etiam id eſt commune.* Prob. primo ex illa prædictione: *Colent eum in hoſtijs, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.* Hæc enim de Chriſtianis prædicta eſſe, S. Hieronymus & S. Cyrillus, & ceteri omnes in comment. huius loci apertiſsimè docent. Secundo prob. ex illa exhortatione: *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* &c. Tertio ex Apoſtolo, vbi de viduis quibuſdam dicit: *Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quo loco per *primam fidem* omnes omninò interpretes, tum Græci, tum Latini, intelligunt votum continentiæ. Vltimo prob. Votum non eſt cæremonia Iudaica: nulla igitur cauſſa eſt, cur ſolis Iudæis, & non etiam Chriſtianis liceat vouere. Nam inprimis vouendi actus ſola mēte perfici poteſt. Tametſi enim ore quoque vouere ſolemus, tamen etiam ſine vlla voce ſolo cordis motu votum emitti poteſt: cæremoniæ autem omnes, res ſunt exteriores, & ſenſibiles, vt notum eſt: non igitur vota ad cæremonias, ſed ad internum cultum pertinent. *Propoſitio 2. Prob. Iſa. 19. Pſal. 75. 1. Tim. 5.*

Deinde, Licet vota cæremoniæ eſſent, non continuò Iudaicæ eſſent: multæ enim ſunt cæremoniæ omni hominū generi, & omni religioni communes, vt genua flectere ad orandum, manus attollere, cœlum aſpicere, tundere pectus. Et denique: Illæ ſolo dicuntur propriè cæremoniæ, quæ vel à Moyſe ſunt inſtitutæ, vel Chriſtum venturum ſignificabant, quamuis ante Moyſen cœperint, & proinde Chriſto adueniente ceſſauerint.

Porro vota non cœperunt à Moyſe: nam Iacob Patriarcha *votum vouit* longè antequam Moyſes naſceretur. Neque vota ad Chriſtum ſignificandum inſtituta ſunt. Quid enim habent cum Chriſto venturo vota ieiuniorū, continentiæ, eleēmoſynarū, & ſimilia? Nec demum cū Moyſe ceſſarunt: nā, licet in *Gen. 28.*

Eccleſia Chriſti poſt Euangelij plenam promulgationem ceſſauerit circumciſio, ſacrificia ouium, & boum, & alia id genus: tamen vota, nunquam ceſſauerunt.

Propoſitio 3. Propoſitio tertia: *Promiſsio, quæ fit in Baptiſmo, non eſt propriè votum.* Sunt autem quędam pręnotanda.

Quæſt. Primum eſt, quæſtionem eſſe inter Theologos: *Num res à Deo imperatæ ſub votum propriè cadere poſsunt?* Quidam enim id negant, vt S. Thomas, S. Bonauentura. Alij verò affirmant, vt recentiores quidam, Dominicus à Soto, Alphonſ. à caſtro. Sed conciliari poſſunt hæ ſententiæ. Nam duobus modis fieri poteſt votũ de re pręcepta. Vno modo, cum intentione ſe obligandi, etiamſi res illa pręcepta non eſſet: alio modo, cum intentione ſolùm acceptandi: & teſtificandi obligationem, quæ antea erat. Priore modo loquuntur auctores poſteriores, & rectè docent res etiam à Deo imperatas propriè poſſe voueri, ſi concipiantur, vt liberæ, & qui vouit, intendat ad eas ſe obligare noua obligatione. Nam, qui cœlibatum Deo vouit, non minùs propriâ cenſetur ſacrilegus, ſi fornicetur, quàm ſi nubat. Ex quo ſequitur, non fornicari, eſſe etiam materiam voti propriè dicti, licet alioqui pręceptum ſit pari ratione qui poſt votum paupertatis furatur, non minùs ſacrilegus eſt, quàm ſi res ſuas quas iam dimiſerat, repetat. Ex quo intelligimus, non furari, quod pręceptum eſt, poſſe ſub votum cadere: vt, res ſua dimittere, quod non eſt pręceptum, ſed conſilium. Poſteriore modo loquuntur auctores priores, qui rectè docent res pręceptas non cadere propriè ſub votum, ſi accipiantur, vt pręceptæ, id eſt, ſi quis, dum eas recipit ſe facturum, nihil noui promittit, ſed ſolùm agnoſcit, & recipit obligationem, quam lex ipſa ſecũ affert: qualis fuit illa promiſsio Hebræorum: *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Vbi enim non eſt intentio nouæ obligationis, nullum eſſe votum propriè dictum conſtat. Exod. 19.

Secundò prænotandum, in Baptiſmo omnes Chriſtianos promittere ſe legem Dei ſeruaturos, ex eo tempore abrenunciare Diabolo, & pompis eius. Id enim ritus Baptiſmi teſtatur, & Patres apertiſsimè docent. Quæſtio igitur eſt, *An ea promiſsio ſit ſolùm quædam teſtificatio, & acceptatio obligationis, quam lex Dei ſecum affert*; proinde non appellando votum, niſi fortè impropriè, & largo modo: *An verò ſit noua promiſsio, nouam obligationem inducens, atque adeò votum propriè dictum?* Lutherus, & Caluinus votum primarium eſſe docent, promiſsionem illam, quam facimus in Baptiſmo, cuius contrarium affirmat communis ſententia Theologorum. Quæſtio.

Reſp. Prob. 1. Prob. hæc ſententia primò: Vota, vt in Script. accipiuntur, ſpontenea, ac voluntaria, non neceſſaria eſſe debent. Sic enim legimus: *Si votum voueris, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus: &, ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris.* At promiſsio, quæ fit in Baptiſmo, neceſſaria eſt: neque de illa poteſt dici: *Si nolueris polliceri, abſque peccato eris.* Omnes enim ad Baptiſmum ſuſcipiendum diuina lege obligãtur, neque Baptiſmus ſine illa promiſsione ab Eccleſia datur. Deut. 23.

Prob. Secundò; Vota paruulorum à parentibus edita rata non ſunt, niſi ab ipſis, quorum nomine facta ſunt poſtmodum in ætate adulta confirmentur. Id apertiſsima ratio confirmat, quia votum eſt lex particularis, quam ſibi quiſque

que imponit, ſi vult; ac proinde voluntatem propriam neceſſario exigit. At promiſsio, quæ fit in Baptiſmo, paruulos obligat, ita vt poſteà, velint, nolint, cogantur eam habere ratam, etiamſi non per ſe, ſed per alios eam ediderint; igitur non ex voto, ſed aliunde vim habet obligatio.

Tertiò; Si ea promiſsio votum eſſet propriè dictum, omnia Chriſtianorum peccata eſsent duplicia, quia contra legem, & contra votum; omnia eſsent ſacrilegia, quia contra voti religionem; nec minùs peccaret ſecularis fornicando, aut furando, quàm religioſus; vt patet. At hæc omnia communi fidelium ſententiæ, ac iudicio repugnant: non igitur illa promiſsio votum eſt propriè dictum. Prob. 3.

Quartò; Illa promiſsio, quæ fit in Baptiſmo, ſi votum eſset, certè aut explicitè, aut implicitè voti obligationem contineret. At non explicitè continet, nec enim fideles, dum baptizantur, explicitam intentionem habent, aut habere debent ſe obligandi, niſi quantum ex ipſis Dei legibus obligantur. Prob. 4.

Quòd autem nec implicitam obligationem contineat, prob. Si eſset implicitum votum in Baptiſmo, aut eſset ex lege Eccleſiæ annectente hoc votum Baptiſmo, quomodo adiunctum eſt votum continentiæ Sacramento Ordinis, talis autem Eccleſiæ lex nuſquam extat: aut eſset ex natura ipſa religionis Chriſtianæ, vt, quemadmodum annexa ſunt vota monaſtica ordinibus religioſis, ita etiam annexum eſset Chriſtianæ religioni votum renunciandi diabolo, & pompis, atque operibus eius. Sed neque hoc dici poteſt, nã religio Chriſtiana, cùm ſit omnibus neceſsaria, vincula habere debuit, diuinas leges, quæ neceſsariò ab omnibus ſeruandæ ſunt: Ordines verò Religioſi, quia non neceſsitatis, ſed voluntatis ſunt, vincula quoque non neceſsaria, ſed voluntaria habent, qualia ſunt omnia vota propriè dicta.

Accedat poſtremò, quòd, cùm non ſit vllo modo neceſsarium, neque etiam admodum vtile de ijs rebus, quæ ſunt in præcepto, vota facere, non eſt credibile, Deum, aut Eccleſiam voluiſse, vt omnes fideles ad eiuſmodi vota facienda obligarentur. Non eſse autem admodum vtile, de rebus ijs, ad quas ex lege obligati ſumus, vota facere, niſi fortè ea vota coincidant cum votis de rebus non præceptis, ex eo perſpicuum eſt, quòd vota de rebus non præceptis ideò laudabiliter fiunt, præter alias cauſsas, vt homo eo modo firmius, & ſtabilius perſeueret in bono opere iam concepto: qui enim ſe liberos cernunt, facilè mutant propoſitum bonum. Cùm igitur ad opera legis facienda ſatis ligati ſimus ex ipſa lege, non opus eſt noua vincula quærere, ne occaſionem grauius peccandi nobiſipſis ſine magna vtilitate procuremus. Prob. 5.

CAPVT

CAPVT XVI.

De Votis Monaſticis in particulari.

Prob. votum paupertatis. Matt. 5. INprimis Paupertatem voluntariam rectè ſuſcipi, ac Deo voueri, primò prob. ex illo: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Vbi notandum, pauperes in Script. tribus modis accipi ſolere.

Pſal. 24. Primo, dicuntur pauperes, qui ſunt afflicti: *Vnicus, & pauper ſum ego, tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt.*

Iſa. vlt. Secundo, qui ſunt humiles. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritũ, & trementem ſermones meos.*

Tertio, dicuntur pauperes propriè, qui non ſunt diuites: idque tribus modis, aut actu, ſed non affectu, aut affectu, ſed non actu, aut actu ſimul, & affectu. Eſt igitur horum verborum ſenſus, vt beati dicantur, qui propter Deũ ſponte eligunt paupertatem, & proinde etiam humilitatem, & pauperes ſpiritu hoc loco nominari eos, qui ſunt voluntariè pauperes, & proinde etiam humiles: nam, vt plurimum, diuitiæ elationem, paupertas humilitatem gignit. Ita exponunt Patres, & recentiores: & rectè. Nam inprimis verbum Græcum, πτωχὸς, mendicum propriè ſignificat, vt etiam Latina vox pauper, non humilem propriè, ſed egenum ſignificare ſolet. Deinde, Præmium illud: *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, proprijſsimè reſpondet veræ paupertati. Luca 6. Præterea, Apud Lucam pauperes, qui beati eſse dicuntur, non ſuperbis, ſed diuitibus opponuntur. Sic enim paulò poſt ſubiungit Dominus: *Væ vobis diuitibus.* Denique, Chriſtus actu, & affectu pauper fuit, & docuit ſine dubio id, quod ipſe fecit. Præterea, Sæpius diuitias periculoſas eſse dixit: nam compa- Matt. 13. Mar. 10. rauit ſpinis, quæ ſuffocant ſementem. Et: *Quam difficile*, inquit, *qui diuitias habent intrabunt in regnum cœlorum.* Et: *Facilius eſt, camelum intrare per foramen acus, quam diuitem in regnum cœlorum.*

Hinc ergò ſic argumentari poſsumus: Id omne Deo rectè vouetur, quod ex eius teſtimonio ſcimus eſse bonum, & illi gratum: ſed paupertas voluntaria teſtimonio Chriſti bona eſt, & Deo grata, cùm beati dicantur eiuſmodi pauperes, & illis promittatur regnum cœlorum in prẹmium: igitur eiuſmodi paupertas Deo rectiſsimè vouetur.

Matt. 19. Secundum teſtimonium eſt: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo.* Et ibidem: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quid ergò erit nobis?* &c. Ex vtroque teſtimonio non ſolum colligitur, paupertatem rectè voueri poſse, quod tamen ad rem noſtram ſufficit, ſed etiam colligitur, hortatum eſse Dominum ad vouendam hanc paupertatem. Parum enim prodeſset, dare omnia pauperibus, & fieri pauperem ſpiritu, ſi quis paulo poſt iterum rediret ad lucra, & opes comparandas quo

circa

circa SS. Patres intellexerunt, his teſtimonijs commendari paupertatem perfectam, quæ ſuſcipitur cum propoſito, & voto ſemper ita permanendi.

Tertium teſtimonium eſt: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia.* Act. 4. Quòd autem ex voto ita viuerent primi illi Chriſtiani in Hieruſalem, docet S. Auguſtinus, qui dicit, idipſum ſe cum ſuis facere voluiſſe, *Serm. 1. de communi vita Cler.* quod primos Chriſtianos feciſſe, teſtantur Acta Apoſtolorum iam citata, & tamen ibidem ſæpiùs repetit, neminilicere in tali vita habere quidquam proprium, idque ex profeſsione facta Deo.

Quartum eſt, vbi Ananias, & Sapphira vxor eius, cùm vitam communem profiteri velle viderentur, & tamen aliquid proprij ſibi clam retinuiſſent, continuò ab Apoſtolo detecti, & increpati, atque à Deo viſibiliter percuſsi interierunt. *Act. 5.* Vouiſſe autem Ananiam, & Sapphiram, & tanquam ſacrilegij reos eſse punitos, colligitur ex illis verbis: *Fraudauit de pretio agri conſcia vxore ſua.* Non enim fraudaſse diceretur, niſi rem iam obligatam promiſsione, ſubripuiſset. Quod autem rem non præceptam vouerint, patet ex illis verbis: *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Quod denique, votum illud Deo factum eſset, & proinde eius violatio ſacrilegium fuerit, teſtantur verba illa: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto, & fraudare de pretio agri?* Quid enim eſt *mentiri Spiritui ſancto*, niſi fallere fidem datã Spiritui ſancto? Poſſet quidem vtcunque dici mentitus Spiritui ſancto, ſi mendacium tantùm S. Petro dixiſset, in quo ſine dubio erat Spiritus ſanctus: tamen nemo negare poteſt, quin magis propriè dicatur mentiri Spiritui ſancto, qui promittit aliquid Deo, & non ſeruat.

Prætereà; Seueriſsima illa pœna, quam Deus ipſe continuo ſumpſit de Anania, & Sapphira, omnino clamat, maius illud peccatum fuiſſe, quàm ſimplicis mendacij, & auaritiæ, & ambitionis, atque hypocriſis. Quomodo enim potuit puniri culpa vlla atrociùs? Itaque ſine dubio ſacrilegium fuit, quod eo modo puniri meruit.

Accedat communis expoſitio ſanctorum Patrum. Sicut etiam votum paupertatis ex traditione Patrum confirmari poteſt.

Iam vero, Obedientiam religioſam rectè voueri Deo, his rationibus probari poteſt.

Primo; Grata eſt Deo Obedientia, etiam in ijs rebus, quas ipſe non præcepit. *Prob. 1. voti Obedientia.* Nam laudantur, & remunerantur a Deo filij Ionadab, qui, vt obedirent patri ſuo, non bibebant vinum, non ſerebant agros, non habebant domos; ſed habitabant perpetuo in tentorijs: *Ierem. 35.* omne autem, quod Deo gratum eſt, voueri illi poteſt; igitur Obedientia, etiam alioqui non debita, Deo voueri poteſt.

Nec obſtat, quod Deus iuſſerit, vt filij obedirent parentibus; ac proinde videantur id ſolum feciſse, quod facere diuino præcepto tenebantur. Nam Rabanus dicit, filios Ionadab plus feciſſe, quam lex diuina præciperet. *In comment. loci illius.*

Secundo, Deus eo exemplo filiorum Ionadab reprehendit populum

ſuum, quod illi obedierint voci vnius hominis; ipſe autem voci ipſius Dei obedire noluerit. *Permanserunt*, inquit, *filij Ionadab, filij Rechab, præceptum pa*[illegible] *tris ſui, quod præceperat eis, populus autem iſte non obedinit mihi.* Quæ D[illegible] ratio planè frigeret, ſi filij Ionadab diuino præcepto obſtricti fuiſſent obe[illegible] patri ſuo in rebus illis, vt non biberent vinum, &c. Tunc enim nulla [illegible] antitheſis inter Deum, & creaturam: nam & filij Ionadab obediuiſſent D[illegible] filij Iſraël non obediuiſſent.

Tertiò; Idem colligitur ex laude, & remuneratione diuina. Non enim tantopere Deus laudaſſet filios Ionadab, niſi aliquid ſingulare feciſſent. [illegible] ſtremo; Idipſum ratio manifeſta ſuadet. Nam, etiamſi tenentur [illegible] parentibus, non tamen tenentur obedire in omnibus rebus, poſtquam ad [illegible] nos pubertatis peruenerint. Eſt enim vnuſquiſque ſui iuris in deligendo [illegible] tu, & genere vitæ: alioqui nihil intereſſet inter ſeruos, & liberos, [illegible] in omnibus rebus filij in patris poteſtate eſſent.

Colloſ. 3. Quòd verò S. Paulus ait: *Filij obedite parentibus per omnia*: vel ita [illegible] ber, vt illud (*per omnia*) ſignificet omnia, ad quæ ſe extendit pat[illegible]. Sicut ſi quis diceret, oportere milites obedire Imperatori per o[illegible] ex[illegible] nendum eſſet, per omnia, quæ ad militiam pertinent. Vel certè [illegible] filij per omnia obedire parentibus, ſed dum paruuli ſunt. Nam *quanto tempore hæ-*
Gal. 4. *res paruulus eſt, nihil differt à ſeruo*. Et Dominus ipſe parentibus ſubdit[illegible], cùm puer eſſet.

Luc. 2. Secunda ratio ex Teſtam. nouo ſumi poteſt. Nam conſilium perf[illegible]
Prob. 2. eſt, ſequi Dominum perfectè abnegando ſeipſum, vt colligitur ex i[illegible]
Matth. 16. *vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* [illegible] etſi in præparatione, animi abnegare ſeipſum, præceptum ſit, c[illegible] D[illegible] addat: *Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam*: tam ne[illegible] ticulum neceſſitatis, abnegare ſeipſum perfectè, & omnibus [illegible] rebus [illegible] ciendo iudicium ſuum, & voluntatem alterius iudicio, & vol[illegible]ari, [illegible] præceptum, ſed conſilium. Ideò enim dicitur: *Si vis perfectus eſſe, va*[illegible]
Matth. 19. *omnia*, &c. *& veni, ſequere me*. Porrò perfecta ſequela Domini, qu[illegible] gatione ſui ipſius, id eſt, in perfecta obedientia conſiſtit, neceſſario [illegible] tum, quo quis ita ſeipſum abneget, vt non poſſit retroce[illegible] no[illegible] fecta eſt abnegatio ſui, obedire alteri ad tempus, & paulo poſt [illegible] Quocirca Dominus ibidem addidit: *Et tollat crucem ſuam.* N[illegible] fectus Monachus ſimilis crucifixo eſſe debet. Qui enim cruci affixu[illegible] ſorum non ambulat, quò vult, nec facit, quod vult; ſed nec poteſt [illegible] aut operari, niſi ab alio moueatur.

Tertia ratio: Rectè faciunt homines, qui cupientes vitam c[illegible] e-
Prob. 3. re, communi conſenſu eligunt ſibi aliquem in Præpoſitum. I[illegible] ratio ſuadet, & Scriptura etiam monet, cum dicit: *Ne nimiam prud*[illegible] ſus Præpoſito conſtituto, bonum eſt, & Deo gratum, vt illi obe[illegible]
Prou. 3. Luc. 10. ſcriptum ſit: *Qui vos audit, me audit.* Et: *Obedite præpoſitis veſtris.* At [illegible]
Hebr. 13. quod Deo placere conſtat, teſtimonio ipſius, rectè vouer[illegible] igitur Obedientia exhibenda Præpoſito à nobis ipſis electo, [illegible] obedire non teneremur, rectè voueri.

Quam

Quarta ratio ſumitur ex vſu antiquæ Eccleſiæ: certum eſt enim, apud veteres ſanctos obedientiam monaſticam in vſu fuiſſe. *Prob. 4.*

Accedant poſtremò miracula, quæ Deus ad confirmandam obedientiam oſtendit.

Porrò Continentiæ votum primò prob. ex Scriptura. Primum teſtimonium eſt: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quibus verbis virgo ſanctiſsima ſignificat, impedimentum ſe habere, quò minùs filium concipere, & parere poſſet: impedimentum autem illud non aliud eſſe potuit, quàm votum continentiæ iam emiſſum. Illa enim verba: *Virum non cognoſco*, non ſignificant: iam actu non cognoſco; ſed, Non licet mihi cognoſcere: alioqui ineptiſsima interrogatio fuiſſet, cùm poſſet ſtatim reſponderi: Etſi nunc virum non cognoſcis, tamen paulo poſt cognoſces. Itaque ſicut dicimus in Quadrageſima, Ego non veſcor carnibus, id eſt, non licet mihi hoc tempore carnibus veſci: ſic B. Virgo dixit. *Virum non cognoſco*, id eſt, prohibeor virum cognoſcere. Cur autem prohiberetur, nulla ratio poteſt reddi, niſi votum. Nam & virum habebat, & iuuenis erat, nec eſt credibile, ſterilem, aut impotentem fuiſſe: vel certè id ipſa nondum ſcire poterat, cùm ad virum nondum perueniſſet. Nec denique prohibebatur virum cognoſcere lege aliqua communi, vt notum eſt: igitur lege particulari, id eſt, voto. Idem confirmatur, ex Patribus. *Prob. 1. votum continentiæ.*

Alterum teſtimonium eſt, vbi Dominus quoſdam eſſe dicit *Eunuchos, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum.* Et addit confirmationem: *Qui poteſt capere capiat.* Ipſa enim Eunuchorum appellatio perſpicuè indicat votum. Non enim eſt Eunuchus, qui ſolùm continet, ſed qui non poteſt non continere. Eunuchi autem, de quibus hîc agitur, non coguntur continere ex vitio naturæ, nam ab his eos Chriſtus ipſe ſeiunxit: neque coguntur lege aliqua communi, nulla enim eſt lex prohibens nuptias abſolutè: igitur id ſolùm remanet, vt non poſsint ex lege particulari ſponte aſſumpta, id eſt, ex voto Idem etiam colligitur ex illo: *Qui ſe caſtrauerunt.* Nam, ſi Dominus loqueretur de his, qui ſine vllo voto cœlibes viuunt, diceret: Qui ſe caſtrant quotidie, non, *Qui ſe caſtrauerunt.* Significat ergò, eos vnica actione voluntaria amputaſſe ſibi omnem facultatem contrahendi nuptias. Et confirmatur explicatio ex Patribus. *Matth. 19.*

Tertium eſt Apoſtoli: *Adoleſcentiores viduas deuita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Quo loco per *primam fidem* nihil aliud intelligi poteſt, niſi continentiæ votum, vt omnes omnino veteres intellexerunt. Nam, cùm Apoſtolus dicat, eas primam fidem irritam facere, quæ nubere volunt, neceſsario colligimus, eum loqui de fide ſeruandæ continentiæ, quæ per nuptias violatur. Iſta autem fides ſeruandæ continentiæ, aut eſt fides data marito carnali, aut Chriſto, ſponſo ſpirituali. Non poteſt eſſe fides data marito carnali: illa enim tam diu durat, quàm diu maritus viuit: mortuo autem viro ſoluta eſt mulier, & cui vult nubere poteſt, vt Apoſtolus ait. Igitur ſequitur, vt intelligatur fides data ſpirituali ſponſo, Chriſto. Non poteſt autem hæc fides Chriſto data eſſe ſimplex propoſitum, ſeu voluntas continendi ſine pro- *1. Tim. 5.* *Rom. 7.* *1. Cor. 7.*

promiſsione,ac voto;tũ, quia ſimplex propoſitũ nõ habet relationẽ ad aliud, nec fides dici poteſt: vnde non irritatur fides, cùm mutatur propoſitum: tum etiam, quia propoſitum ſæpe licet ſine vlla culpa mutare. Apoſtolus autem abſolutè dicit, eas damnationem habere, quia fidem irritam faciunt; ſequitur igitur, vt fides hoc loco votum ſignificet.

Ex quo ſequitur, votum continentiæ non eſſe impoſsibile, nec illicitum, quia nullum tunc fuiſſet peccatum, illud violare.. Ita exponit Concilium

Can. 104. Carthaginenſe IV. *Si quæ viduæ, quantumlibet in minoribus annis poſitæ, ſe deuouerunt Domino, & veſte laica abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ, religioſo habitu apparuerint, poſteà verò ad nuptias ſeculares tranſierint, ſecundum Apoſtolum damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſunt.* Hæc ſententia eſt CC.XIV. Epiſcop. qui in hoc Concilio

Cap. 25. interfuerunt. Idem habetur in Concilio Toletano IV. vbi LXX. Epiſc. fuerunt. Ita exponunt etiam tres ſummi ſanctique Pont. Clemens, Innocent. I. & Gelaſius I. Ita Patres, & omnes expoſitores huius loci, tum Græci, tum Latini.

Prob. 2. Aſſeritur etiam votum Caſtitatis teſtimonio omnium Eccleſiarum, quod ex Concilijs antiquis facilè haberi poterit. Idem patet ex reſponſis aliquot veterum, & ſanctorum Pont. quibus accedant reſponſa etiam Principum Politicorum.

L. 4. de vita Conſtantini. Scribit enim Euſebius, fuiſſe abrogatam à Conſtantino antiquam legem Romanorum, qua priuabantur ſucceſsione hæreditaria homines ſteriles, vel orbati liberis. Cauſſam autem abrogationis ſcribit fuiſſe, propter eos, qui religionis, & pietatis gratia ex voto cœlibatum colebant, ne videretur lex politica pietatem velle punire. Rurſus; Cùm tempore Iuliani Apoſtatæ cœpiſſent quidam ſacras virgines in coniugium petere, Iouinianus Imp. Chriſtianus, qui Iuliano ſucceſsit; legem tulit, vt capite plecteretur, qui ſacram virginem vel ad coniugium petere, vel etiam impudicè aſpicere deprehenſus fuiſſet. Scribit Sozomenus, & extat adhuc ea lex in Codice l. Si quis.

L. 6. hiſt. Eccle. c. 3. C. de Epiſc. & Cler. Idem aſſeritur teſtimonio Patrum.

Prob. 3. 1. Ratio. Poſtremo prob. ratione. Prima ratio ſumitur ex dignitate continentiæ. Id enim omne Deo rectè vouetur, quod eſt illi gratius, ſi fiat, quàm ſi non fiat. Eiuſmodi autem continentia eſt, cùm longè excellat coniugio, & cum fornicatione ne comparari quidem debeat. Poterit igitur continentia rectè Deo

1. Cor. 7. voueri. Aſsumptio prob. primum ex Script. *Igitur, qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit; & qui non iungit, melius facit.* Et infra: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino: beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* Huc etiam pertinent teſtimonia ſuperius allata.

Secundò prob. ex Patribus, qui paſsim hunc vitam perfectam eſſe dicunt. Docent etiam ſummo conſenſu, vitam virginum angelicam eſſe: coniugalẽ vero hominum.

2. Ratio. Altera ratio ex vtilitate vouendi ſumitur. Melius eſt enim, & Deo gratius, ex voto aliquid facere, quàm ſine voto. Igitur non ſolum licet, ſed etiam expedit continentiam vouere. Anteced. his argumentis confirmatur. Primo,

Script.

Script. hortatur ad vouendum: *Vouete, & reddite.* At, ſi melius eſſet abſque voto operari, deciperet nos Spiritus ſanctus. Secundò; Opus eò melius eſt, & Deo gratius, quo ex pluribus, aut maiori virtute procedit. Continere ſine voto eſt temperantiæ; continere ex voto eſt actus ſimul temperantiæ, & religionis; quæ quidem religio temperantia ipſa longè eſt nobilior. Igitur continere ex voto, melius, & Deo gratius eſt, quàm ſine voto. *Pſal. 75.*

Tertio; Quod fit ex voto, maiori charitate, & liberalitate fit, quàm quod ſine voto. Qui enim ſine voto aliquid facit, opus dumtaxat offert Deo: qui autem vouet, atque ex voto facit, & opus, & facultatem offert Deo. Sicut plus donat, qui arborem cum fructibus, quàm qui ſolos fructus donat. *3. Ratio*

Quarto, Melius eſt, quod fit ex voluntate confirmata in bonum, quàm quod fit ſine eiuſmodi firmitate. Sicut peius eſt, peccare ex voluntate obfirmata in malum, quam ex fragilitate. Et quemadmodum, qui peccant ex voluntate confirmata in malum, ſimiles ſunt damnatis, ita, qui operantur ex voluntate confirmata in bono, ſimiles ſunt beatis. *4. Ratio*

Quinto, Qui vouet, non ſolùm id lucratur, quod excellentius opus faciat, ſed etiam munit ſeipſum aduerſus tentationes diaboli, & humanam fragilitatem, ac mutabilitatem. Homines enim in ijs rebus, ad quas non ſunt alligati vinculis legum, etiamſi optimæ ſint, & vtiliſsimæ, facilè mutant propoſitum, diabolo inſtigante, & etiam ſine diaboli artibus, ex propria mutabilitate. Quocirca videmus in rebus humanis ſæpe requiri iuramenta, vt alligetur voluntas, ne facilè mutari poſsit. Ita milites, magiſtratus, ſponſi, atque alij id genus iurare coguntur. *5. Ratio.*

CAPVT XVII.

De ijs, qui vota Monaſtica ſuſcipere, ac nuncupare poſſunt.

QVATVOR ſunt genera perſonarum, quibus præ ceteris aduerſarij negant facultatem huiuſmodi vota ſuſcipiendi. Primo, Iuniores. Dicimus autem de ijs primo, ad vota ſuſcipienda continentiæ, obedientię & paupertatis, requiri quidem eam ætatem, in qua ſit vſus liberi arbitrij; ſed, vbi is adfuerit, in quacunque ætate licere talia vota nuncupare. *De iunioribus, dogma 1.*

Prob. primo ex Script. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* Et. *Sinite paruulos venire ad me.* *Prob. Thren. 3. Matt. 19.*

Secundò prob. exemplis. Nam Ioan. Baptiſta à pueritia ſeceſsit in eremum. B. Maria adoleſcentula vouit perpetuam continentiam. B. Ant[illegible], Paulus primus Eremita, Hilarion, Benedictus, Bernardus, Franciſcus, a[illegible]a permulti in adoleſcentia facti ſunt Monachi. Pari ratione omnes ferè ſanctæ Virgines, quas Eccleſia publicè colit, adoleſcentulæ vouerant continentiam; *Luca 1.*

vt Thecla, Agnes, Cecilia, Agatha, Lucia, Clara, Catharina, & aliæ propemodum infinitæ. Tertiò prob ex Patribus.

Dogma 2. Dicimus ſecundò, ad profeſsionem publicam, expetendam etiam eam ętatẽ requiri, quam leges Eccleſiæ pręſcribunt, quæ pro temporum, & locorum diuerſitate variæ extiterunt. Nam Concilium Cęſaraugustanum, & Agathenſe iubebant expectari annum XL. antequam mulieres publicam profeſsionẽ emitterent. Concilium autem Carthag. III. iubebat expectari annum XXV. quod expoſitum eſt in Concilio Miliuet: debere intelligi, niſi aliqua neceſsitas cogat, ante illud tempus virginem velari. B. Gregorius in inſulis, vbi eſt moleſtior habitatio, iubet, ne recipiatur aliquis ad monaſticã profeſsionem ante annum XVIII. Ex quo rectè deducunt Canoniſtæ, in alijs locis poſſe recipi in minori ætate, nimirum ex anno XIV. quam ætatem multi canones definiunt. Porrò Concilium Trullanum, & Tiburinum permittunt Seſſ.25.c.15 profeſsionem etiam ante annum XII. ſed noſtro tempore Concilium Trident. ſtatuit, profeſsionem non debere fieri ante annum XVI.

Alterum genus ſunt filijfamilias, de quibus quæſtio eſt: *An inuitis parentibus fieri poſsint religioſi?*

De filijsfamil. Quæſt. Reſp. Reſpondemus breuiter, licere filijs inuitis parentibus ad religionem tranſire, duabus ſeruatis conditionibus. Vna, quòd ad annos pubertatis peruenerint. Porrò pubertas in viris eſt anno XIV. in fœminis anno XII. Altera eſt, vt parentes non ſint in tali neceſsitate, vt ſine filiorum auxilio viuere non poſsint. Tunc enim tenentur ex pręcepto Dei parentibus adeſſe.

Prob. 1. Prob. hæc ſententia primò ex Script. Etſi enim Script. diſertè hoc non docent, tamen eis valdè conforme eſt. *Egredere de domo tua, & de cognatione tua, &*
Gen. 12. *de domo patris tui.* Et: *Qui dixerit patri ſuo, & matri ſuæ; Neſcio vos: & fratribus ſuis;*
Deut. 33. *Ignoro illos: hi cuſtodierunt eloquium tuum. & pactum tuum ſeruauerunt.* Vbi Moyſes in laudibus Leuitarum ponit, quòd parentes & fratres deſeruerint, vt Deo liberiùs vacarent. Vnde Gloſſa interlinearis exponit: Qui dixerunt, *Neſcio*
Pſal. 44. *vos*, patri, & matri, curſum mentis impedientibus. Item: *Obliuiſcere populum*
Matth. 10. *tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum.* Item: *Qui amat patrem,*
Luc. 9. *vel matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Et non permiſit Dominus eum, quem vocabat, vt iret domum ad ſalutandum, vel ſepeliendum parentem.

Prob. 2. Secundò prob. ex ſacris canonibus.

L. De virginibus. Tertiò teſtimonijs Patrum.

Quartò prob. ratione B. Ambroſij: *Cui licet,* inquit, *maritum eligere, cui non licet Deum præferre?* At licet filijs, parentibus inuitis matrimonium contrahere, cur non liceat etiam iiſdem inuitis continentiam profiteri? Præterea; Licet viro, inuita vxore, ad religionem tranſire, quando matrimonium de pręſenti quidem contractum erat, ſed nondum conſummatum: ergò multò magis licebit inuito patre. Præterea: Quilibet ingenuus poſt annos pubertatis eſt iuris ſui, quantum ad ea, quæ ad perſonam, & ſtatum ſuum pertinent. In hoc
Act. 5. enim differunt ſerui à liberis. Denique; Magis obediendum eſt Deo, quàm
Matth. 19. hominibus. Deus autem conſulit perfectam vitam omnibus in genere, & in particulari interna inſpiratione vocat quoſdam: ergò, ſi parentes reſiſtant, audiendi non ſunt.

Tertium genus ſunt coniugati: de quibus quæſtio eſt: *An liceat eis ex conſenſu mutuo ſuſcipere vota perpetua continentiæ?* Quod ſic, prob. primò ex Paulo. Nam, poſtquam ait: *Iterum reuertimini ad idipſum;* ſubdit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Vbi illud: *Secundum indulgentiam*, non poteſt referri ad illud: *Nolite fraudare inuicem.* Ibi enim locum habet imperium, non indulgentia. Neque ad illud: *Niſi ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi.* Nam abſtinere ad tempus ex conſenſu, propter orationem, non eget indulgentia. Id enim dicimur indulgere, quod non libenter concedimus, ſed quaſi coactè. Paulus autem maximè cupiebat, vt continerent, cùm dicat. *Cupio omnes eſſe ſicut meipſum.* Ergò illud: *Secundum indulgentiam*, refertur ad illud: *Iterum reuertimini in idipſum.* Id enim Paulus non libenter concedit, ſed indulget, propter incontinentiam eorum: vt exponunt Patres. Ergò, qui perpetuò continent ab vxore ex conſenſu, rem gratiſsimam Paulo faciunt; tantùm abeſt, vt ipſe id prohibuerit.

De coniugatis. Quæſt. 1. Reſp. Prob. 1. 1. Cor. 7.

Secundò prob. ex Patribus. *Prob. 2. & 3.*

Tertiò, exemplis eorum, quos rectè feciſſe, quòd ex conſenſu continentiam vouerint, nullo modo negari poteſt, cùm ſancti fuerint, & miraculis claruerint. Primum exemplum eſt, Mariæ, & Ioſeph. Quòd enim veri coniuges fuerint, patet ex Euangelio: *Ioſeph, fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et: *Ioſeph, vir eius, cum eſſet iuſtus.* Quòd autem ex conſenſu perpetuo continuerint, certum eſt. Fuit enim error Heluidij à tota Eccleſia damnatus, quòd B. Maria non fuerit ſemper virgo. *Matth. 1.*

Secundum eſt, Ammonis Monachi, qui cum vxore virgine ex conſenſu ſemper virgo permanſit, teſte Palladio. Et quòd hoc Deo placuerit, ex eo manifeſtè colligitur, quòd eius animam S. Antonius in cœlum ab Angelis deferri cum ſumma gloria vidit; vt refert S. Athanaſius. Tertium exemplum eſt apud Caſsianum, qui refert laicum quendam, quia cum vxore ſua ex conſenſu cõtinentiam virginalem colebat adeo claruiſſe miraculis, vt dæmonem quendam ferociſsimum, quem Ioannes Abbas expellere ab obſeſſo corpore non poterat, ipſe ſola præſentia mox expulerit.

Quartum eſt S. Paulini, & Theraſiæ vxoris, qui ex conſenſu votum perpetuæ continentiæ ſuſceperunt.

Quintum eſt S. Maturiani, & Maximæ vxoris. Sextum eſt apud Gregor. Turonicum, qui refert, quòd, cùm ex duobus coniugibus, qui ſemper ex cõſenſu caſtè vixerant, altera mortua eſſet, alter in hæc verba prorupit: *Gratias tibi ago omnipotens Conditor, quòd hanc puellam, ſicut eam tradidiſti impollutam, & ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi reſtituo. Illa vero, etiamſi mortua eſſet, ſubridens ait? Sile, vir Dei, quia non eſt neceſſe proloqui noſtrum nemine interrogante, ſecretum.* *L. 1. De gloria Confeſſ. c. 32.*

Septimum eſt, Eduardi Angliæ regis, de quo Surius ex antiquo manuſcripto refert, quod cùm vna cum vxore, virgo permanſiſſet, multis miraculis claruit, & poſt annos centum à morte inuentus eſt omnino integer, adeò, vt ne barba quidem illi, quæ prolixa. & cana fuerat, decidiſſet. Octauum eſt S. Henrici, primi Imp. ſed ſecundi Regis, & Kunegundis vxoris eius, qui ſimiliter ex conſenſu virgines permanſerunt, & miraculis claruerunt, adeo, vt vomerem candentem ſine læſione calcauerit S. Kunegundis in teſtimonium virgi- *Tom. 1.*

virginitatis. Nonum eſt Petri Vrſeoli, Ducis Venetorum, qui cum vxore ex conſenſu castè viuens claruit miraculis. Decimum eſt S. Catharinæ Sueciæ, quæ cum viro ſuo virgo permanſit, & miraculis claruit. Vndecimum eſt Boleſlai, pudici Polonorum Regis. Duodecimum eſt Alphonſi, ſecundi Regis Caſtellæ, qui etiam miraculis claruit.

Prob. 4. Quartò prob. ratione. Nam tota cauſſa, cur non liceat viro profiteri continentiam, eſt, quia non habet poteſtatem corporis ſui: & nemo poteſt rem alienam donare inuito Domino. At iſta cauſſa ceſſat, cùm ex conſenſu fit votum.

Quæſt. 2. Reſp. Quarta difficultas eſt: *An per vota ſolennia Matrimonium ſoluatur?* Eccleſiæ ſententia eſt, Matrimonium ratum ſolui per monaſticam profeſsionem; non autem conſummatum. Ita habemus in multis canonibus, quibus acceſsit Concilium Trident. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non conſummatum per ſolennem profeſsionem alterius coniugum non dirimi, anathema ſit.* *Seſſ. 24. can. 6.*

Prob. pars 2. Prob. ſecunda pars huius ſententiæ, primò ex Script. Nam, quod Chriſtus ait: *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et: *Qui dimiſerit vxorem, facit eam mœchari.* Et quod ait Apoſtolus: *Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, mulierem à viro non diſcedere,* &c. in aliquo Matrimonio locum habere debet. Ergò ſaltem in Matrimonio conſummato. Si enim in hoc non habet locum, in nullo habebit. Secundò ex Patribus. *Matt. 19. 1. Cor. 7.*

Prob. 1. pars 1. Prima pars huius ſententiæ prob. teſtimonijs Eccleſiæ. Etſi enim aduerſarij ea non recipiant, tamen, cùm nulla ipſi in contrarium adferant, recta ratio docet, potiùs credendum eſſe multis ſanctis Pontificibus in iure Canonico, & Concilio generali Trident. quàm ſimplici inficiationi paucorum hominum.

Prob. 2. Secundò prob. exemplis Sanctorum. Primum, quòd S. Theclam ante Matrimonij conſummationem S. Paulus à nuptijs reuocauerit, teſtantur Epiphanius, & Ambroſius. Secundum exemplum eſt S. Alexij, qui prima nocte nuptiarum vxorem intactam relinquens, peregrè profectus eſt, caſtamque vitam perpetuò duxit. Ita refert Simeon Metaphraſtes in eius vita: cuius hiſtoria totius Eccleſiæ à multis ſeculis celebratione confirmata eſt. Tertium exemplum eſt S. Euphraſiæ, de qua ſimilia refert idem Metaphraſt. Quartum exemplum eſt S. Ceciliæ, quæ, teſte eodem, prima nocte nuptiarum negauit viro ſuo Valeriano coniugale debitum, quia nimirum continenter viuere volebat. quintum eſt apud Auguſtinum, qui ſcribit, duos milites, lecta Antonij vita, mox vota Monaſtica ſuſcepiſſe, relictis ſponſis, quas habebant: illas verò, cùm id cognouiſſent, ſimiliter feciſſe. Sextum eſt S. Leobardi, qui, teſte Gregor. Turon. rupit fœdera nuptialia cum honeſta puella inita, & inuitis parentibus Monachus factus eſt. Septimum eſt apud Gregor. qui dicit, Gregoriam ſacram virginem, nuptijs iam conſtitutis, ad Eccleſiam confugiſſe & ſancti monialis vitæ habitum petijſſe, & impetraſſe. *L. 8. confeſſ. c. 6.* *L. 3. Dial. c. 14.*

Prob. 3. 1. Ratio. Prob. vltimo duplici ratione. Prima eſt, quia ratio ipſa docet, ſemper eſſe licitum tranſire de ſtatu minus perfecto ad perfectiorem, ſi id poſſit fieri ſine vllius detrimento. At ſtatus coniugij eſt imperfectior ſtatu religionis: ergo poterit ab vno ad alium fieri tranſitus, quando id fiat ſine vllius detrimento.

Fit

Fit autem ſine vllius detrimento, quando matrimonium eſt ratum, ſed non conſummatum. Nam, cùm matrimonium eſt conſummatum, duplex detrimentum oritur, ſi dirimatur. Vnum proli iam natæ, vel conceptæ, quæ non poterit tam bene educari. Alterum ipſi coniugi, quæ manet ligata, nec poteſt alteri nubere: quando etiam poſſet, non tam commodè, cùm non ſit amplius virgo. At nihil horum inuenitur in matrimonio non conſummato. Ibi enim nulla eſt proles, & vxor poteſt alteri nubere, & æquè bene, atque antea, cùm adhuc ſit virgo, & nihil infamiæ incurrat ex tali repudio.

Altera ratio eſt: Nam in Matrimonio duplex inuenitur vinculum: vnum ſpirituale, quod ex ſolo conſenſu naſcitur; alterum carnale, quod naſcitur ex copula: ſed iſtud carnale dirimitur per mortem corporalem. Ergo vinculum ſpirituale per mortem ſpiritualem, & ciuilem. Talis eſt monaſtica profeſsio, qua homo toti mundo quodammodo moritur: Ergo, &c. Et ex hac etiam ratione patet, cur non dirimatur tale Matrimonium per ordinem ſacrum: nam ſacer ordo non requirit mortem illam ſpiritualem, ſeu ciuilem, qua quis opibus, & propriæ voluntati renunciet. *2. Ratio.* *1. Cor. 7.*

CAPVT XVIII.

De Eremitis.

VITAM Eremiticam, ſanctam, perfectam, & Deo gratam eſſe prob. I. teſtimonio Script. quæ vehementer laudat Eliam, & Ioannē, qui Eremitarum Principes fuerunt, ſiue ſolitudinem, ſiue aſperitatem vitæ conſideres. Nam de Ioanne dicitur: *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne.* Helias autem quantus fuerit, vel ex eo patet, quod in laudibus Ioannis Angelus poſuerit, futurum illum ſimilem Heliæ. *Ipſe*, inquit, *præcedet in ſpiritu, & virtute Heliæ.* Porro Helias, vt plurimum, verſabatur in monte Carmelo, & pilis induebatur, zona pellicea præcinctus erat. Similiter Ioannes vixit in deſerto ab infantia ad finem vſque vitæ, & pilis camelorum induebatur, præcinctus zona pellicea, victuſque eius erant, locuſtę, & mel ſylueſtre. Quocirca veteres Patres Heliam, & Ioannem, Eremitas, & Principes Eremitarum faciunt. *Prob. 1. vita Eremitica.* *Mat. 11.* *Luca 1.* *4. Reg. 1.* *Luca 1.* *Matt. 3.*

Fuiſſe autem Ioannem in veriſsimo deſerto, prob. primò, quia vox, deſertum, quæ in Script. frequentiſsima eſt, ſemper accipitur pro vero deſerto. Secundò prob. Nam dicitur: *Erat in deſerto vſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.* Ergò non viderunt illum Iſraëlitæ vſque ad annum eius 30. quo nimirum ſe oſtendere, & prædicare cœpit. Ergò toto illo tempore non habitauit in domo parentum, vel in oppidis, & pagis; ſed in veriſsimo deſerto. Tertiò ex illis verbis: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Vbi notandum *Deſertum Ioannis.* *Luca 1.* *Luca 3.*

eſt, eam regionem Iordanis, vbi Ioannes prædicabat, fuiſſe etiam deſertam. Sic enim ait Matth. de eadem re loquens: *In diebus illis venit Ioannes Baptiſta in deſerto, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Ergò Ioannes venit à deſerto in deſertum; ſed prius illud deſertum, vbi manſit Ioannes, antequam prędicare inciperet, adeò erat deſertū, vt eius comparatione illud alterum non videretur deſertum: nam alioqui cur Lucas diceret: *Venit à deſerto in regionem*; ſi hæc regio erat æquè deſerta? Itaque vera eſt Euthimij ſententia, duplex fuiſſe in Iudæa deſertum. Vnum interius, quò nimirum nemo, aut rariſsimi penetrabant. Alterum exterius, vbi non habitabant quidem homines, tamen per illud ſæpiùs iter faciebant: Ac Ioannem quidem vſque ad annum XXX. fuiſſe in interiori deſertò; deinde poſtremo vitæ ſuæ anno in exteriori. Poſſumus addere quartam rationem ex dubitatione Iudęorum, qui petunt à Ioanne, quis ipſe ſit; num Helias, aut aliquis alius? Si enim verſatus fuiſſet ſemper in domo parentum certè ſciuiſſent, illum eſſe Ioannem filium Zachariæ, & Elizabeth. Et quia videbant eum veſtitum eo modo, quo Script. teſtatur, indui conſueuiſſe Heliam, & ſimul ſciebant, rediturum Heliam ante Chriſti aduentū, ideò quęrunt: *Helias es tu?* Accedunt vltimò teſtimonia Patrum.

Matth. 3.
Luc. 1.
Inc. 3.
Matth.
Ioan 1.

Veſtis Ioannis.
Math. 11.

Iam verò de Ioannis veſte, quod non fuerit ex panno, nec vllo modo mollis, & delicata, patet ex illis verbis Domini: *Quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Vnde Chryſoſt. dicit, Ioannis veſtem compunctioni, & pœnitentiæ accommodatā fuiſſe, ac cilicinam fuiſſe ad mundi contemptum indicandum. Et cur quæſo, S. Euāgeliſta tam ſollicitè nobis Ioannis veſtem deſcripſit, ſi ea communis, & ordinaria erat? Cur veſtem Chriſti non etiam deſcripſerunt Euangeliſtæ, ſi perſonæ, & non ipſius veſtis ratio habebatur?

Victus.

Porrò de victu, quòd locuſtæ illæ non fuerint piſces delicati: ſed aut veræ locuſtæ, quæ ſunt minuta animantia, vel certe herbarū ſummitates, patet primò, quia vox Gręca, ἀκρίδες, nihil aliud poteſt ſignificare, vt Euthymius docet. Secundò, quia Chriſtus ait: *Venit Ioannes non manducans, nec bibens*; id eſt, vſque adeò tenui cibo, & potu vtens, vt nullo vti videatur. Tertiò, quia ſic exponunt omnes Patres.

Luc. 7
Prob. 2. vitæ Eremiticæ.

Prob. ſecundò vitæ eremiticæ inſtitutum ex teſtimonijs SS. Patrum; qui vno conſenſu illud approbant.

Prob. 3.
1. Ratio.

Tertiò prob. rationibus. Prima ratio ſumitur ab effectu. Videmus enim magnam partem veterum Eremitarum euaſiſse viros perfectiſsimos, & miraculis clariſsimos: cuius rei teſtes ſunt omnes earum rerum ſcriptores. Ac, vt de ceteris taceam, certè Paulum, primum Eremitam, Deus non paiuiſſet annos LX. mittens ei per coruum ſingulis diebus dimidium panem; neque Antonius vidiſſet animam eius ad chorum Apoſtolorum in cœlum deferri; neque leones ſepulchrum illi effodiſſent, niſi ſumma illius ſolitudo 100. fere annorum, & maxima vitæ auſteritas Deo placuiſſent.

2. Ratio.

Secunda ratio: Vita Eremitica eſt culmen, & faſtigium vitæ religioſæ: nam omnes ferè Patres docent, ad vitam Eremiticam non debere quenquam tranſire, niſi priùs diligenter in cœnobio ſe exercuerit, propterea quòd Eremus non adferat perfectionem, ſed pręſupponat. Et hęc fortaſſe eſt ratio, cur liceat

liceat omnibus ferè Religioſis tranſire ad Ordinem Carthuſienſium, quia nimirum vita illorum eſt ſolitaria, & proinde perfectorum. Cùm igitur vita Eremitica perfectiſsima ſit, non poteſt Deo non eſſe grata.

Tertia ratio: Auſteritas, & ſolitudo ſunt optima media ad optimum finem. Nam finis auſteræ, & ſolitariæ vitæ eſt, contemplatio Dei, rerumque cœleſtium: eam autem optimam partem Dominus vocat. Medium autem ad cõtemplationem omnium optimum eſt, habere animum collectum, & intentum; cui rei mirum in modum deſeruit ſolitudo, quæ omnem ſtrepitum rerum, quæ animum diſtrahere poſſent, procul arcet. Hinc Dominus, quotieſcunque orare volebat, pergebat in montes, & loca deſerta: *Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat.* Moyſi quoque cùm Deus loqui vellet, iuſsit vt ſolus aſcenderet in montis verticem, & caliginem intraret, nimirum vt nihil videre poſſet, quod animum eius à Deo auocaret. 3. *Ratio.* *Luca* 10. *Luc.* 5.

Scribit etiam B. Hieronymus, adeò hoc eſſe verum, vt etiam multi Philoſophi ductu naturę in deſertis habitauerint, & quidam etiam oculos ſibi eruerint, vt ſine diſtractione contemplari poſſent. Idem de ieiunio, & reliqua vitæ ſeueritate dici poteſt. Nam, quòd Ieiunium medium ſit optimum ad orationem, patet ex eo, quòd in Scriptura vbique iungitur orationi. *Bona eſt oratio cum ieiunio.* Et: *Hoc genus non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.* Item: *Et hæc non diſcedebat à templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, & die.* Et: *Vt vacetis orationi, & ieiunio.* Dicit Chryſoſt. ieiunium eſſe animæ inſtar alarum, vt ſurſum ferri, & ſumma contemplari queat. Et quiſque experitur, cùm caro viget, & floret, & in delitijs agit, animum quoque fieri quodammodo carnalem, & terrenũ, & magis de luxuria, quàm de temperantia cogitare. Quocirca etiam Plato locum peſtilentem elegit, vbi verſaretur, & doceret, vt diſcipuli eius nihil amarent, niſi ſapientiam. Et Pythagorçi vitarunt non ſolùm vrbes, ſed etiam hortos, & omnia loca, quæ voluptatem adferunt, ne animi molleſcerent, & à ſtudio ſapientiæ retardarentur. Similiter Sacerdotes Ægyptiorum, vt vacarent contemplationi ſyderum, neque vxores habebant, neque vllam propinquorum videbant & cibo tenuiſsimo vtebantur. *L.* 2. *contr. Iouin.* *Tob* 12. *Matt.* 17. *Luc.* 2. 1. *Cor.* 7. *Hom.* 1. *in Gen.*

Scribit etiam Galenus, animas hominum voluptatibus deditorũ in multo ſanguine, tanquam in luto, demerſas, nihil ſubtile, & cœleſte contemplari poſſe. *In exhortat. medicinæ.*

Quanquam autem ſancti illi Eremitæ non ſolùm propter contemplationem ita ſeuerè viuebant, ſed etiam alijs iuſtiſsimis de cauſsis.

Primò, quia loci natura id exigebat; nec enim poterant, etiamſi voluiſſent, eas commoditates vitæ in deſerto reperire, quæ in vrbibus reperiuntur. Et hęc eſt cauſſa, cur Paulus primus Eremita folijs palmarum indueretur, & fructibus eiuſdem arboris aleretur, quia nimirum nihil aliud ibi erat. Et ſimiliter, cur Ioannes locuſtis, & melle ſilueſtri viueret, quia eiuſmodi rebus illa Eremus abundabat.

Secundò, quia occupati delitijs animi, partim obliuiſcebantur corporis; vt de Ioanne Abbate refert Caſsianus, qui non recordabatur, an pridie comediſſet, nec ne: partim etiam ęgrè ferebant iſtam corporis ſeruitutem; & ideò quo rarius, & breuiùs poterant neceſsitati corporeæ ſatisfacere, eo ſe fœliciores putabant.

putabant. Multi enim propter auiditatem ſpiritualium epularum, vix quinto, aut ſexto quoque die corpus reficiebant. Tertiò, quia nouerant, Deo gratiſsimam eſſe victoriam cupiditatum, & patientię exercitationem. Quia enim caro ſemper concupiſcit contra ſpiritum, placet Deo, vt ſpiritus ſemper concupiſcat aduerſus carnem.

Quartò, ad fructus dignos pœnitentiæ peragendos, & pro peccatis ſatisfaciendum. Sancti enim, qui ſeriò iuſtitiam eſuriunt, & leues culpas grauiter vindicare ſolent. Et hæc eſt vna ex præcipuis cauſsis, cur Ioannes Bapt. tam ſeuerè vixerit. Nam & ſi ipſe nulla fortaſſe peccata actualia habuit, tamen quia miſſus à Deo fuerat, vt pœnitentiam prędicaret, voluit exemplo, & verbo eam prędicare.

CAPVT XIX.

De habitu, & tonſura Monachorum.

Habitus Monachorũ. DE habitu, quod antiquiſsimum ſit inſtitutum, vt, qui profitentur mundi contemptum, & pęnitentiam, ſingulari, & notabili habitu induantur, patet ex antiquis Patribus. Adde duo Concilia. Nam Gangrenſe reprehendit
Can. 12. eos Monachos, qui ob habitum ſuperbiebant, & contemnebant alios Chri-
Can. 104. ſtianos, qui communibus veſtibus vtebantur. Concilium Carthag. IV. diſtinguit habitum laicalem ab habitu religioſo. Quòd autem ad rationem habitu monaſtici attinet, ea redditur à Patribus. Nam, cur veſtem mutet Monachus futurus, rationem dicit eſſe Dionyſius, vt ſignificetur vitæ mutatio. Cur proprio, & certo vtantur Religioſi veſtium genere, rationes duas reddit Baſilius.

Prima eſt, ad deſignandam propriam profeſsionem. Si enim conuenit, vt aliter veſtiantur Senatores, aliter milites, aliter nobiles, aliter ruſtici: & ſi
1. Cor. 11. Paulus iubet virum aperto capite orare ad ſignificandam poteſtatem; mulierem verò velato ad ſignificandam ſubiectionem; cur non conueniet Religioſo, certam veſtem deferre ad ſignificandum ſtatum ſuum?

Secunda ratio eſt, vt Religioſi ſaltem inuiti cogantur rectè viuere. Nam, ſi non haberent certum habitum, non internoſcerentur ab alijs: at nunc ab omnibus ſtatim cognoſcuntur, & obſeruantur; &, ſi quid agant contra ſuã profeſsionem, ab omnibus notantur, & reprehenduntur. Cur autem vtantur cucullis, rationem eſſe dicit Caſsianus ad deſignandam ſimplicitatem, innocentiamque infantilem, ad quã Monachi redire cupiunt. Infantes enim, dũ adhuc in faſcijs, & ſinu nutricis verſantur, velis quibuſdam, quaſi cucullis teguntur. Cur autem veſte horrida, vt ſacco; aut certè ſimplici, & vili vtantur, cauſsam reddunt Hieron. & Caſsianus, tum ad agendã pęnitentiã, tum ad mundi cõ-
3. Reg. 21. temptum demonſtrandum. Nam ſaccos, & aſperas veſtes habitum eſſe pœni-
4. Reg. 1. tentiũ, Script. teſtatur, cùm inducit Achab pęnitentẽ, ſacco indutum, & Eliam
Ionæ 3. veſte piloſa tectũ, & Niniuitas ſacco veſtitos: & Ioannẽ pilis camelorũ vten-
Matth. 3. tem.

tem: & denique multos alios *circumeuntes in meloteis, & in pellibus caprinis.*

Porrò antiquitas tonſuræ patet etiam ex Patribus: quibus adde Concilia. *Tonſura* Nam Concilium Carthaginenſe IV. prohibet, clericos alere comã, aut bar- *Monachorum* bam. Concilium Tolet. IV. iubet, vt omnes Clerici toto capite detonſo ſolũ *Can. 44.* circulum capillorum ſupra aures relinquant. Ex quo apparet, olim eandem *Can. 40.* fuiſſe coronam Clericorum, & Monachorum: ſed Monachi quidem ſeruarũt antiquã conſuetudinem, Clerici verò magna ex parte illam mutauerunt. Ra- *L. 2. de officijs diuin. c. 4.* tio autem tonſuræ adfertur ab Iſidoro, quòd nimirum Monachi tondebantur ad imitationem Nazaræorum, qui in die conſecrationis ſuæ tondebantur: Na- *Num. 6.* zaræi autẽ ſunt Monachi Teſtamenti veteris. At hæc ratio mihi non prob. ſiquidem Nazaræi tunc ſolùm tondebantur, cùm Nazaræi eſſe deſinebant; inſigneque illorum erat longa cæſaries, vt patet ex eodem cap. Num.

Imò Epiphanius probat, noſtros Monachos debere eſſe tonſos, quia ge- *Hæreſ. 80.* rere comam longam eſt proprium Nazaræorum Teſtam. veteris. Sicut etiam *L. de opere* Auguſtin. dicit, Patres Teſtamenti veteris meritò geſtaſſe longos capillos, *Monach. ad finem.* quia myſteria redemptionis nondum reuelata erant. Idem enim ſignificabant velamen poſitum in facie Moyſis, & coma longa Sanctorum. At nunc, poſteaquam Chriſtus apparuit, conuenit, vt, qui Chriſto ſunt conſecrati, contrarium ſignificent ablatione comarum. Et hæc eſt prima ratio tonſuræ.

Secundam reddit Beda, ad exprimendam imaginem ſpineæ coronæ Chriſti. Vt enim omnes Chriſtiani ſigno crucis communi ornantur, ita parerat, vt Clerici, & Monachi, qui ſpecialiùs Chriſtum patientem imitari volent, ſpeciali ſigno ornentur.

Tertiam, & quartã rationem reddunt Iſidorus, & alij. Dicunt enim, tonderi capillos, qui ſunt ſuperfluæ quędã corporis partes, ad ſignificandum, debere Clericos, & Monachos omnia ſuperflua, & pręcipuè vitioſas cupiditates amputare, vt ſic maneat vertex, id eſt, animus, liber, & apertus diuinis contemplationibus, & illuſtrationibus. Et rurſum, ſic tonderi dicunt, vt relinquatur circulus capillorum, ad ſignificandam regiam coronam, quandoquidem ſeruire Deo regnare eſt.

Quintam reddit Dionyſ. vt ſignificetur illã nudatione capitis vita pura, & aperta, non fucata vlla ſpecie, quam Monachus exhibere debet.

Poſſet addi ſexta ratio: nimirum, vt ſignum eſſet Pœnitentiæ, & cõuerſionis: nam pœnitentes olim non, niſi tonſi, recipiebantur. Porrò tonſuræ Sanctimonialium reddit Hieron. rationem, quia non lauabant vnquam, nec vngebant caput, & periculum erat, ne à paruis animalibus, quæ inter cutem, & crines oriuntur, & concretis ſordibus opprimerentur. Quanquam negari non poteſt, quin etiam id fiat ad contemptum mundi demonſtrandum: ſolent enim fœminæ capillos plurimi facere. Eſt autem obſeruandum olim nõ tam raſuram, quàm tonſuram fuiſſe in vſu. Tondebantur enim dimiſſe quidem, ſed ita tamen, vt cutis tecta maneret. Id apparet ex antiquis Patribus. Nec tamen propterea reprehendimus vſum huius temporis, quo monachi, & Clerici raduntur: nam nec vnquam fuit prohibitum radi; & pręterea eiuſmodi cæremoniæ pro temporum, & locorum diuerſitate variari poſſunt.

CAPVT XX.

De bonis Monachorum.

4. Modi viuendi Religioſorum. QVATVOR ſunt modi viuendi apud homines Religioſos. Vel enim viuunt ex labore proprio, vendentes aliquid, & ementes aliud: vel viuunt ex bonis ſuis communibus, id eſt, ex bonis, quæ Religioſi ipſi ad Monaſterium adferunt, & in commune conſtituunt: vel ex bonis relictis, & donatis à pijs viris: vel ex mendicatione.

Prob. Licere Monachis laborare. De primo genere, Primum licere Monachis ex proprio labore viuere, patet ex Apoſtolo, qui ſe laboraſse, & operatum dicit, ne quenquam grauaret, & alios monet, vt operentur, & laborent. Quia verò reſpondent hæretici, B. *2. Teſſ. 2.* Paulum loqui de opere ſpirituali, id eſt, de oratione, & exhortatione, notanda ſunt alia loca, vbi expreſsè ponitur labor manuum. Et: *Ad ea, quæ mihi opus* *Act. 20. Epheſ. 4.* *erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* Et: *Qui furabatur, iam* *1. Theſs. 4.* *non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis.* Et: *Operamini mani-* *1. Cor. 9.* *bus veſtris.*

Ad hæc; Idem Apoſtolus dicit, ſe operatum, cùm tamen liceret ſibi ſecundum Domini ordinationem non operari. At certè non licebat ei ſecundum Domini ordinationem non concionari, & non orare. Ait enim: *Si non euangelizauero, væ mihi.* &c. Loquitur igitur de corporali labore, cùm dicit, ſe laboraſſe, cùm tamen non teneretur.

Porro Dominus quidem prohibet ſæpe in Euangelio immoderatam, & ſuperfluam ſollicitudinem: non autem moderatam, quærendo cibum proprio labore. Poteſt autem tribus modis eſſe immoderata ſollicitudo.

Primo, ratione finis, vt ſiquis quærat cibum præcipua intentione, quaſi ſit ille vltimus finis: vt faciunt, qui euangelizant, vt comedant; cùm deberent comedere, vt euangelizent. Atque hoc reprehendit Dominus, cum ait: *Pri-* *Matth. 6.* *mùm quærite regnum Dei,* &c. Et: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in* *Ioan. 6.* *vitam æternam;* id eſt, primaria intentione quærite cibum ſpiritualem, ſecundaria corporalem.

Secundo, ratione diffidentiæ immoderata eſt ſollicitudo; vt, cum quis adeo ſollicitus eſt de rebus temporalibus, vt vix poſsit credere, ſibi Deum ad futurum in illis acquirendis, etiamſi adhibeat ipſe quoque ſuum laborem. Et hoc reprehendit Dominus, cum ait: *Nollite ſolliciti eſſe,* &c. Vult enim per- *Matth. 6.* ſuadere fidelibus confidentiam in Deum. Et ſane perſuadet efficaciſsimis argumentis: nam, ſi Deus, inquit, paſcit aues, & veſtit lilia, quæ eum non norunt: immo etiam prouidet Gentilibus, qui eum blaſphemant: quomodo vobis cultoribus ſuis poterit deeſſe? Et, ſi vobis corpus, animam donauit, quæ maiora ſunt, quomodo credibile eſt, non daturum cibum, & veſtes, quæ ſunt minora?

Tertio,

Tertio, immoderata eſt ſollicitudo ratione temporis; vt cùm quis hodie ſollicitus eſt pro ea re, pro qua ſatis tempeſtiuè cras inciperet ſollicitus eſſe. Et hoc reprehendit Dominus, cùm ait: *Nolite ſolliciti eſſe de craſtino. Sufficit diei malitia ſua.* Vbi notandum non reprehendi prouidentiam parandi neceſſaria pro tempore futuro: alioqui peccaſſet Ioſeph, qui recondidit frumenta pro futura ſterilitate. Etiam Dominus ipſe habebat loculos, vt emeret cibos. Itaque vocatur ſollicitudo de craſtino, & mala eſt illa, quæ non conuenit præſenti tempori ſecundum rectam rationem. *Ibid.* *Gen. 41.* *Ioan 13.*

Secundò; Non teneri Monachos ad victum labore manuum quærendum magis, quàm ſæculares, prob. primò. Vel laborare manibus eſt præceptum, vel concilium. Si primum, omnes obligat, tam ſæculares, quàm Religioſos. Præcepta enim dantur omnibus: omnibus enim dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Si ſecundum; ergò nemo tenetur laborare manibus, niſi qui ſponte ad huius concilij obſeruationem ſe obligauerit; talis enim eſt natura omnium conſiliorum: ergò Religioſi, qui id conſilium non receperunt, non tenentur manibus laborare. Non enim tenentur Religioſi ad omnia conſilia; ſed ſolùm ad illa, quæ ſponte ſuſcipiunt. *Prob 1. non teneri Monachos laborare.*

Secundo; Si tenerentur Religioſi laborare manibus magis, quàm ſæculares; aut id eſſet ex præcepto naturali, aut ex poſitiuo: neutrum autem dici poteſt. Quòd enim non ex poſitiuo, patet, quia nullum tale extat. Quòd non ex naturali, prob. Nam præceptum de laborando, vt eſt naturale, dupliciter obligat. Vno modo abſolutè, alio modo in certo caſu. Primo modo, non obligat ſingulos, ſed Remp. vt patet: debent enim in ea alij eſſe opifices, alij agricolæ, alij medici, alij iudices, &c. Et ex hâc parte non conuenit religioſis laborare manibus: illi enim officium habent in Rep. orandi, pſallendi, & ſimilia faciendi. Secundò modo, tenentur quidem ſinguli hoc præcepto, ſed non minus ſeculares, quàm Religioſi: nam omnes caſus, in quibus obligantur ſinguli laborare manibus, non minus accidere poſſunt ſecularibus, quàm Religioſis. V. gratia, vnus, & præcipuus caſus eſt, ſi quis nihil habeat, vnde viuat, nec poſsit licitè habere, niſi operando. Alius caſus eſt, ſi quis teneatur prouidere alteri de cibo, & non poſsit licitè eum inuenire, niſi operando. Tertius eſt, ſi quis non poſsit otium fugere, vel tentationes carnales ſuperare, niſi operando corporaliter. At omnes tā ſeculares, quàm Religioſi, tenētur prouidere, ne moriantur fame, & ocium fugere, ac ſuperare tentationes omnes: igitur tenentur eodem modo laborare. *Prob. 2.*

Tertio prob. ex Apoſtolo, qui non ſcribit Monachis, ſed ſecularibus. Nunquam etiam præcipit operari abſolutè, ſed ſolum ad euitandum furtum, vel ſcandalum, vel ocium. Nam ait: *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis.* Et alibi, poſteaquam dixerat, vt operarentur, ſubiungit rationem: *Vt honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis.* Vbi illud, *deſideretis,* non ſignificat, concupiſcatis; ſed, careatis. Sic enim eſt in Græco: καὶ μηδενὸς χρείαν ἔχητε. id eſt, vt nullius indigentiam habeatis. Scandalizabantur enim infideles, cùm videbant, Chriſtianos ex alienis bonis velle viuere. Et poſtquam dixerat: *Qui non laboret, non manducet;* ſubdit: *Audiuimus enim, quoſdam inter vos inquietos eſſe, nihil operantes, ſed curioſe agen-* *Prob. 3.* *Ephes. 4.* *1. Theſſ. 4.* *2. Theſſ. 3.*

agentes. Qui ergò poſſunt furtum euitare, & ſcandalum, & ocium alio modo, quàm corporaliter operando, eos Paulus non obligat corporaliter operari.

Obiect. Solut.

Nec obſtat conſuetudo antiquorum Monachorum: nam Monachi illi fuerunt obligati operari manibus ex proprijs regulis. Cur autem eiuſmodi regulam conſtituerint, cauſſa eſt duplex. Vna, quia non poterant aliter ſuſtentari: nam nec habebant prædia, & poſſeſsiones ſibi relictas, vt nunc habent multi Monachi; & eleëmoſinas à populo petere nec audebant, cùm populo non ſeruirent; nec vllo modo id ſuffeciſſet; nam vno in loco ſub vno Abbate degebant terna, vt minimum, hominum millia. Altera ratio, quia illi Monachi, cùm non eſſent Clerici, ſed laici omnes, excepto Abbate, non erant ſatis occupati; & ideò ad fugiendum ocium neceſſarium erat illis laborare.

Prob. modus viuendi 2. Act. 4.

De ſecundo modo viuendi nulla poteſt dubitatio eſſe: nam inprimis talis fuit vita primorum Religioſorum ſub Apoſtolis: vnuſquiſque enim adferebat precia ſuarum rerum Apoſtolis, & inde diuidebatur cuique, ſicut cuique opus erat. Deinde, talis etiam fuit vſus antiquorum Monaſteriorum, *In Authent.* vt reciperet, ſi quid ij in commune dare volebant, qui Monachi fiebant. Et hinc natæ ſunt illæ leges Iuſtiniani, in quibus ſtatuitur, bona eorum, qui Monachi fiunt, eo ipſo ad Monaſteria, quæ illi ingrediuntur, pertinere, quanquam hoc tempore multæ religiones huic priuilegio renunciauerint.

Prob. 3. modus. Concione 3. in Pſal. 103

De tertio modo nulla quæſtio eſſe deberet. Nam Auguſtin. explicans illud: *Cedri libani, quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt*; dicit, cedros eſſe homines potentes, & diuites; paſſeres autem eſſe Religioſos pauperes. Nidificare verò paſſeres in cedris ſignificare, quòd Religioſorum monaſteria à diuitibus *Epiſt. 27 ad Euſtoch.* huius ſeculi eligantur, & ſuſtententur. Hieron. laudat S. Paulum, quòd ex rebus ſuis quatuor monaſteria ędificaſſet, & ſuſtenraſset: vnum Monachorum, & tria ſacrarum virginum. Gregorius Papa, vt ſcribit Ioannes Diaco- *Li. 1. vita Greg. c. 5. 6.* nus, ex patrimonio ſuo ſeptem monaſteria erexit, & ſingulis prædia, & poſſeſsiones attribuit; ſex in Sicilia, vnum Romæ. Similia exempla Caroli Magni, Caroli IV. Henrici II. & aliorum optimorum Principum plurima adferri poſſent.

Prob. 1. modus 4.

De quarto modo viuendi præcipua eſt difficultas. At nihilominus vitã Religioſorũ mendicantium approbarunt, tanquam ſanctam, & perfectam, multi ſummi Pontif. vt Innocent. III. Honorius III. Gregor. IX. Innocent. IV. Alexand. IV. Nicolaus IV. necnon Concilium Lugdunenſe generale, & Conſtantienſe. Rectè autem hanc vitam eſſe approbatam, oſtenditur rationibus.

Primò, exemplo Domini: nam Dominus non habuit poſseſsiones, neque *Luc. 9.* proprias, neque communes: vt patet: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Et quòd non operaretur manibus, ſed ex eleëmoſynis fidelium vixerit, patet ex eo: *Mulieres* *Luc. 6.* *aliquæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Item, ex tota eius vita: ſiquidem natus eſt in domo aliena, vixit in domibus, & ex rebus alienis; nunc enim prandebat apud Marthã, nunc apud Simonẽ leproſum, nunc apud Zachęum, nunc in

in domo Petri, nunc in domo Matthęi; equitauit in iumento alieno; fecit vltimam cœnam in domo aliena: ſepultus eſt in ſepulchro alieno. Vnde dicit: *Ego autem mendicus ſum, & pauper.* Et: *Qui perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum.* Quibus in locis vox Hebræa habetur etiam in Deut. vbi dicitur: *Non erit in te mendicus.* Certum autem eſt vtrumque Pſalmum de Christo intelligi. Nam priorem allegat Paulus de Chriſto: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Poſteriorem allegat Petrus: *Scriptum enim in libro Pſalmorum, Epiſcopatum eius accipiat alter.* Item: *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues.* Grecè, ἐπτώχευσε. Significat enim πτωχεύω, mendicare. Vnde apud Homerum: δαῖτα πτωχεύειν, prandium mendicare. *Pſal. 39. Pſal. 108. Deut. 15. Heb. 10. Act. 1. Odiſſ. 17.*

Secundò prob. exemplo Apoſtolorum. Nam illi omnia dimiſerunt: *Ecce nos reliquimus omnia.* Nec habuerunt poſſeſsiones in communi, vt patet: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum in zonis, nec duas tunicas,* &c. Nec operabantur manibus, ſed viuebant ex liberalitate eorum, quibus prædicabant. Talis autem eſt vita mendicantium. Vnde S. Franciſc. qui cum S. Dominico primus auctor fuit huius inſtituti, pro regula ſuſcepit decimum caput Matthæi. *Prob. 2. Matth. 19. Matth. 10. 1. Cor. 9.*

Tertiò prob. ex euentu. Nam hoc genus vitæ innumeris ſignis, & prodigijs confirmatum eſt, quæ Deus edidit per ſanctos Franciſcum, & Dominicum auctores huius vitæ: deinde ab eo tempore conuerſio Gentilium, confutatio Hæreticorum, pietas populi Chriſtiani, conſeruatio Theologiæ, & innumera alia bona ordinibus mendicantium maxima ex parte accepta referenda ſunt. *Prob. 3.*

CAPVT XXI.

De ipſa politica poteſtate.

DE hâc duæ ſunt quæſtiones. Prima: *An politica iſta poteſtas ſit res bona, & proinde Chriſtianis licita?* Reſp. quòd ſic. Et prob. primò ex Script. Nam Script. Teſtam. veteris plena eſt teſtimonijs. Iudices populi à Deo ipſo vocantur Dij: ſicut etiam ibi: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat:* cuius vocabuli rationem explicat Ioſaphat, qui dicit, iudices non hominum, ſed Dei iudicia exercere, id eſt, loco Dei iudicare. Et ſimiliter monet Moyſes iudices populi, vt iuſtè iudicent, quia Dei iudicium eſt. Et Chriſtus: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum,* &c. Vbi Chriſtus vult dicere; Si Principes Deus vocat Deos, quia ad illos mandatum diuinum factum eſt, vt iudicent loco ſuo, cur non magis, &c. Non enim quadrat, quod alij dicunt, vocatos Deos eos omnes, quibus Deus locutus eſt. Si ergo Principes vocantur Dij, quia locum Dei tenent, non poteſt reprehendi munus Principum, niſi reprehendatur Dei ipſius munus. *Quæſt. 1. Reſp. Prob. 1. Exod. 22. Pſal. 81. 2. Paral. 19. Deut. 1. Ioan. 10.*

Deut. 17. Iud. vlt. Præterea; Moyſes deſcribit leges Regi futuro; & in libro Iudicum cauſſam reddere volens Spiritus ſanctus omnium malorum, quæ acciderunt illo tempore, dicit: *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque, quod bonum ſibi videbatur hoc faciebat.* In eodem libro Iudicum, & in lib. Regum paſsim habemus, Deum excitaſſe Iſraëli Iudices, aut Principes, per quos pop. liberaret. Prou. 8. *Per me Reges regnant.*

Prob 2. Secundò prob. ab exemplis. Nam ſi res mala eſſet Principatus, numquam viri ſancti eum geſſiſſent: at habemus in Script. plurima exempla ſanctorum Principum, vt Melchiſedech, Regis Salem; Ioſephi Patriarchæ, qui toti Ægypto vtiliſsimè præfuit; Moyſis, Ioſue, omnium ferè Iudicum, Dauidis, Salomonis, Ezechiæ, Ioſaphat, Ioſiæ, Danielis, Mardochæi, Nehemiæ, Machabæorum, & aliorum. Ioan. 4. Act. 13. In Teſtamento nouo videmus, Regulum crediſſe in Chriſtum, nec tamen iuſſum renunciare Principatui. Et ſimiliter Proconſulem conuerſum à Paulo non propterea depoſuiſſe Magiſtratum. Videmus deinde à Fabiano Papa, & Martyre, & à tota Eccleſia admiſſum fuiſſe Philippum Imp. nec illi imperatum, vt deponeret Imperium.

Quòd autem non ſit in Teſtam. nouo maior copia exemplorum, ratio eſt, quia Deus voluit Eccleſiam ſuam inchoare ab hominibus pauperibus, & vilibus, 1. Cor. 1. ne putaretur augmentum Eccleſiæ opus humanum, ſi fauore Principp. creuiſset. Immò è contrario voluit Dominus primis CCC. annis vt Eccleſia totis viribus oppugnaretur ab Imp. totius mundi, vt inde oſtenderet opus ſuum eſſe, Eccleſiam; & plus poſſe illam patiendo, quàm poſſent illi cruciando. Epiſt. 50. Vnde Auguſtin. dicit, Deum voluiſſe primo tempore impleri illam partẽ Pſal. 2. Pſal. *Aſtiterunt Reges terræ*, &c. Deinde ſequenti tempore illam aliam: *Et nunc Reges intelligit*, &c. Sicut reuera impletũ videmus in Conſtantino, & ſucceſſoribus eius: ſiquidem videmus Conſtantin. diuinitùs edoctum, & vocatum à Deo ſingulari miraculo, vt Euſeb. ſcribit. L. 1. De vita Conſtan. At ſi res mala eſſet Principatus, quare Chriſtus ipſe Conſtantinum ad Eccleſiam vocaſſet?

Vbi nota obiter diſſonantiam circa hanc hiſtoriam. Nam Euſebius refert, eum corporeis oculis vidiſſe in itinere ſupra ſolem ſignum crucis, cùm illis litteris: *In hoc vince*: & idem ſignum à toto exercitu conſpectum; & noctu poſtea ei apparuiſſe Chriſtum, qui myſterium explicuerit: atque hæc omnia ſe ab ipſo Conſtantino coram audiuiſſe. At in hiſtoria Eccleſiaſtica Euſeb. à L. 9. c. 9. Ruffino verſa habetur, Conſtantinum per ſoporem vidiſſe ſignum crucis in cœlo, & deinde Angelos ei dixiſſe: *In hoc vince*. Itaque veriſimile eſt, quod in hiſtoria habetur, à Rufino additum fuiſſe.

Alia plurima exempla addi poſſent, Iouiniani, Gratiani, Theodoſij iunioris, & ſenioris, Caroli Magni, Ludouici Pij, Othonis I. S. Henrici Imper. S. Ludouici, Regis Franc. aliorumque multorum, qui vel in Britannia, vel in Hungaria, vel in Boëmia, vel in alijs regionibus ſanctiſsime regnarunt.

Prob 3. Tertiò prob. à fine Principatus enim politicus adeo naturalis, & neceſſarius eſt humano generi, vt tolli non poſsit, quin natura ipſa deſtruatur; hominis enim natura eſt, vt ſit animal ſociale. Nam bruta quidem ſunt à natura ita inſtructa, vt poſsint ſibi ſola ſufficere: homo autem tam multis rebus indiget

diget, vt ſolus viuere nullo modo poſsit. Nam bruta naſcuntur veſtita, armata, & habent æſtimatiuam ita determinatam ad omnia, quæ ſibi conueniunt, vt naturaliter ſine vllo doctore ſtatim nouerint nidos ædificare, alimenta quærere, & medicinam etiam ſibi ipſis facere: at homo naſcitur ſine veſtibus, ſine domo, ſine alimentis, omnium rerum egenus; & quanquam habet manus, & rationem, quibus omnia inſtrumenta parare poteſt, tamen ſingula longum tempus requirunt, & adeò longum, vt ſit impoſsibile ſibi vnum hominem ſufficere ad omnia, præſertim cùm naſcamur rudes, & artes magis doctrina, quàm experientia diſcantur. Ergò neceſſe eſt, vt ſimul viuamus, & vnus alium iuuet.

Præterea; Etiamſi quiſque ſufficeret ſibi ad viuendum, tamen numquã ſufficeret ad protegendum ſe ab impetu ferarum, & latronum; ſed ad hoc neceſſe eſt conuenire, & collatis viribus reſiſtere: & licet ſufficeret ſibi etiam contra hoſtes, tamen ſemper maneret rudis, & expers ſapientiæ, & iuſtitiæ, multarumque aliarum virtutum, cùm tamen ad hoc nati ſimus, vt mentem, & voluntatem præcipuè exerceamus; nam ſcientiæ, & artes longo tempore, & à multis inuentæ ſunt, & ſine doctore percipi non poſſunt; iuſtitia autem non, niſi in ſocietate, exerceri poteſt.

Denique; Donum loquendi, & audiendi, id eſt, percipiendi diſtinctè verba, quorſum homini collatum eſt, ſi debeat ſolitarius viuere? Itaque rectè Ariſtot. dicit, hominem natura ciuile eſſe animal, magis, quàm ſint apes, & grues, & quæcunque animalia: &, ſi quis ſolitarius viuat, aut eſſe beſtiam, aut Deum, id eſt, aut minus, aut maius homine. Neque id eſt contra Eremitas noſtros: nam qui penitùs ſolitarij vixerunt, vt Paulus I. Eremita, Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, & ſi qui ſunt alij, dici poſſunt aliquid amplius homine habuiſſe, non natura, ſed gratia: non enim ſine miraculo alebantur à Deo, vt notum eſt. Cæteri autem, etſi in ſolitudine degerent, tamen frequentes ſimul conueniebant, & Abbatibus ſuis ſubiecti erant. *L.1.Polit. c.2.*

Iam verò, ſi natura humana ſocialem vitam requirit, certè requirit etiam regimen, & rectorem: nam impoſsibile eſt, multitudinem diu conſiſtere, niſi ſit, qui eam contineat, & cui ſit curæ bonum commune. Sicut in vnoquoque noſtrum, niſi eſſet anima, quæ contineret, & coniungeret partes, & potentias, & elementa contraria, ex quibus conſtamus, ſtatim omnia ſoluerentur. Vnde: *Vbi non eſt gubernator, pop. corruet.* Deinde, Societas eſt multitudo ordinata; non enim dicitur ſocietas multitudo confuſa, & diſperſa: ordo autem quid aliud eſt, quàm ſeries quædam inferiorum, & ſuperiorum: Neceſsariò igitur rectores habendi ſunt, ſi ſocietas futura eſt. *Prou. 11.*

Quarto prob. ab Efficiente. Nam certum eſt, Politicam poteſtatem à Deo eſſe, à quo non, niſi res bonæ, & licitæ, procedunt. Id prob. Nam Sapientia Dei clamat: *Per me Reges regnant.* Et infra: *Per me Principes imperant.* Et alibi: *Deus cœli regnum, & imperium dedit tibi.* Et: *Cum beſtijs, feriſque erit habitatio tua, fœnum, vt bos, comedes, & rore cœli infunderis, ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Sed hîc aliqua obſeruanda ſunt. *Prob. 4. Prou. 8. Dan. 2. Dan. 4.*

Nota 1. Primò, politicam poteſtatem in vniuerſum conſideratam, non deſcendendo in particulari ad Monarchiam, Ariſtocratiam, vel Democratiam, eſſe immediatè à ſolo Deo: nam conſequitur neceſſario naturam hominis, proinde eſt ab illo, qui fecit naturam hominis. Præterea; hæc poteſtas eſt de iure naturæ: non enim pendet ex conſenſu hominum; nam, velint, noline, debent regi ab aliquo, niſi velint perire humanum genus, quod eſt contra naturæ inclinationem. At ius naturæ eſt ius diuinum: iure igitur diuino introducta eſt gubernatio. Et hoc videtur propriè velle Apoſtolus, cùm dicit: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13.

Nota 2. Secundò nota, hanc poteſtatem immediatè eſſe, tanquam in ſubiecto, in tota multitudine: nam hæc poteſtas eſt de iure diuino: at ius diuinum nulli homini particulari dedit hanc poteſtatem: ergò dedit multitudini. Præterea; Sublato iure poſitiuo non eſt maior ratio, cur ex multis æqualibus vnus potius, quàm alius dominetur: igitur poteſtas totius eſt multitudinis. Denique; humana ſocietas debet eſſe perfecta. Reſp. ergò debet habere poteſtatem ſeipſam conſeruandi, & proinde puniendi perturbatores pacis, &c.

Nota 3. Tertiò nota, hanc poteſtatem transferri à multitudine in vnum, vel plures eodem iure naturæ: nam Reſp. non poteſt per ſeipſam exercere hanc poteſtatem: ergò tenetur eam transferre in aliquem vnum, vel aliquos paucos. Et hoc modo poteſtas Principum in genere conſiderata eſt etiam de iure naturæ, & diuino; nec poſſet genus humanum, etiamſi totum ſimul conueniret, contrarium ſtatuere, nimirum vt nulli eſſent Principes, vel rectores.

Nota 4. Quartò nota, in particulari ſingulas ſpecies regiminis eſſe de iure gentium, non de iure naturæ: nam pendet à conſenſu multitudinis, conſtituere ſuper ſe Regem, vel Coſſ. vel alios Magiſtratus, vt patet. & ſi eſt cauſſa legittima, poteſt multitudo regnum mutare in Ariſtocratiam, aut Democratiam, & è contrario; vt Romæ factum legimus.

Nota 5. Quintò nota, ex dictis ſequi, hanc poteſtatem in particulari eſſe quidem à Deo, ſed mediante conſilio, & electione humana, vt alia omnia, quæ ad ius gentium pertinent. Ius enim gentium eſt quaſi concluſio deducta ex iure naturæ per humanum diſcurſum. Ex quo colliguntur duæ differentiæ inter poteſtatem politicam, & Eccleſiaſticam. Vna ex parte ſubiecti: nam politica eſt in multitudine; Eccleſiaſtica in vno homine tanquam in ſubiecto immediate. Altera ex parte efficientis, quòd politica vniuerſe conſiderata eſt de iure diuino, in particulari conſiderata eſt de iure gentium, Eccleſiaſtica omnibus modis eſt de iure diuino, & immediatè à Deo.

Prob 5. Prob. quintò ab antiquitate. Nam, & ſi ſubiectio ſeruilis cœpit poſt peccatum Adæ, tamen politicus principatus fuiſſet etiam in ſtatu innocentiæ. Et prob. primò, quia etiam tunc homo fuiſſet naturaliter animal ciuile, & ſociale, ac proinde rectore opus habuiſſet. Secundo prob. ex ipſa creatione: nam ideo fecit Deus mulierem ex viro, & non creauit ſimul multos viros, ſed vnum tantùm, ex quo omnes alij naſcerentur, vt indicaret ordinem, & præfecturam, quam inter homines eſſe volebat: quia in illo ſtatu fuiſſet diſpar tas ſexuum, ſtatuum, ingeniorum, ſapientiæ, & probitatis: ergo & præfectura, ac ſubiectio. Nam in humana ſocietate debuit eſſe ordo. Rectus autem ordo poſtu-

poſtulat, vt inferior à ſuperiore regatur, fœmina à viro, iunior à ſeniore, minus ſapiens à ſapientiore, minùs bonus à meliore.

Quod autem hæ diuerſitates tunc etiam locum habuiſſent, ſic oſtendi poteſt. In illo ſtatu fuiſſent generationes, vt patet: *Creſcite, & multiplicamini.* Ergò Gen. 1.
& ſexus diſparitas, quæ neceſſario præcedit generationem, & diſparitas ætatum, quæ neceſſario ſequitur generationem, & diſparitas ſapientiæ, & probitatis, quæ ſequitur ætatum diſparitatem. Non enim fuiſſent nati homines perfecti in illo ſtatu, ſed debuiſſent paulatim diſcere, & proficere. Fuiſsent quidem omnes nati in gratia Dei, & cum maiori cognitione, quàm nunc: at ſine dubio non fuiſſent tam perfecti, quàm adulti, & inter ipſos adultos poterant per liberum arbitrium alij magis, alij minùs applicari ad diſcendum. Denique, Ingeniorum varietas oritur ex varietate corporum: fuiſſent autem tunc corpora varia magnitudine, forma, robore, & ſimilibus, vt patet, quia corpora illa non erant exempta à legibus naturæ, & egebant cibo, aëris inſpiratione, cœlorum influxibus: fuiſſet igitur etiam tunc ingeniorum diuerſitas.
Quarto, inter Angelos eſt præfectura, & ſubiectio, cur ergo inter homines nõ Matt. 12.
fuiſset in ſtatu innocentiæ? Certè Beelzebub dicitur Princeps dæmoniorum, qui ſane principatum non acquiſiuit peccando, ſed retinuit, quem ante habebat, in eos Angelos, qui eum ſecuti ſunt. Et in Apoc. *Michaël & Angeli eius.* Apoc. 12.
Dionyſ. etiam dicit, primam hierarchiam Angelorum præeſſe, & imperare ſecundæ, & ſecundam tertiæ. L. Cœleſtis hierar. c. 9.

Secunda quæſtio eſt: *An principatus in impijs eſſe poſſit?* Reſp. affirmatiuè, & Quæſt. 2. Reſp.
prob. primo ex Script. *A Domino data eſt poteſtas vobis, & cùm eſſetis miniſtri regni* Prob. 1.
illius, non rectè iudicaſtis, &c. Et: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo, Cyro*, &c. Et: *Ego* Sap. 6.
dedi, inquit Dominus, *omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis*, Iſa. 45.
&c. Et: *Tu es Rex Regum, & Deus cœli dedit regnum tibi*, &c. Apoſtoli etiam Petrus, & Paulus docent, Regum poteſtatem eſse à Deo, & illis obediendum, Hierem. 27. Dan 2. Rom. 13.
cùm tamen nulli tunc eſsent Reges, niſi infideles. Secundò prob. ex Concilio 1. Pet. 2.
Conſtantienſi, vbi contrarium errorem Eccleſia damnauit. Tertio ratione. Prob. 2. Seſſ. 8. & 15.
Nam dominij fundamentum non eſt ratio, ſed natura. Homo enim, quia factus eſt ad imaginem Dei, ac proinde mente, & ratione præditus eſt, ideo dominatur rebus inferioribus. At natura in infidelibus manet, licet gratia careant. Igitur & dominia vera habere poſſunt. Ad hæc; Cùm gratia, & iuſtitia ſit occultiſsima, & nemo ſciat de ſe, vel de alio, an ſit verè iuſtus, ſi gratia eſſet titulus dominiorum, ſequeretur nullum dominium eſſe certum. Ex quo naſceretur incredibilis confuſio, & perturbatio inter homines. Prob. 3. Gen. 1.

CAPVT XXII.

De officio poteſtatis Politicæ in rebus politicis.

PRIMA quæſtio eſt de officio Magiſtratus in cõſeruanda Rep. ab improbitate ciuium, per leges, & iudicia, tam ciuilia, quam criminalia; id eſt: *An liceat Chriſtianis leges condere, iudicia exercere, & gladio ferire noxios, qui ſunt actus proprij Magiſtratus?*

Quæſt. 1.

Propoſitio 1. Pro reſp. ſit prima propoſitio: *Licet Chriſtiano Principi leges condere.* Prob. nam inprimis proprium eſt Principis, leges condere, iuxta illud: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Et: *Dominus Rex noſter, Dominus legifer noſter.* Nam Regis eſt iubere, & iubendo dirigere. Porrò lex eſt ipſa iuſſio, & regula: ergò, ſi Chriſtiani eſſe poſſunt Principes, certè etiam poſſunt leges condere.

Prob. 1. *Prou* 8. *Iſa.* 33.

Prob. 2. Secundò prob. ex neceſsitate legum ciuilium. Chriſtiani, ex eo, quod Chriſtiani ſunt, nõ deſinunt eſſe homines, & ciues, & proinde membra Reip. temporalis: ergò debent habere regulam aliquam actionum ſuarum humanarum, quâ dirigantur in commercijs, & conſuetudine cum alijs hominibus. Non ſufficit autem lex naturalis, quia ſolùm principia generalia oſtendit, neque ad particularia deſcendit. Non ſufficit etiam lex Euangelica, quia illa tractat ſolùm de rebus diuinis, & cœleſtibus: lex autem diuina politica Teſtamenti veteris iam ceſſauit: ſolùm enim conueniebat vni populo Iudęorũ, & in illo ſtatu. Ergò neceſſaria eſt aliqua regula humana, nimirum arbitrium Principis, aut lex ciuilis, auctoritate Principis conſtituta. Et quanquam arbitrium Principis aliquo modo ſufficere poſsit, quãdo Princeps eſt ſapiens, & populus eſt exiguus; tamẽ abſolutè neceſſe eſt, populum regi legibus, non ſolùm arbitrio Principis, ſi rectè regi debeat.

L. 1. *hiſtor.* Quòd interdum ſufficiat arbitrium Principis, patet, quia antiquiora ſunt regna, quàm leges. Iuſtinus dicit olim populos ſine vllis legibus, ſolo Principum arbitrio, gubernari ſolitos. Et ex Liuio conſtat Rom. Remp. ad annos CCC. ſine legibus gubernatãm. Denique; Antiquiſsimus legislator, vel eſt Moyſes, vt Ioſep. contendit: vel certè Phoroneus, qui CCC. annis Moyſe fuit antiquior, vt Euſeb. & Auguſtin. docent. Atqui ante Phoroneum conſtituta ſunt regna Aſſyriorum; Argiuorum, Ægyptiorum, & aliorum.

L. 2. *contra Appion.*

Li. 3. *polit. c.* 11. Quòd autem melius ſit regi pop. legibus, quàm ſolo Principis arbitrio, immò quòd ſit hoc aliquo modo neceſſarium, affirmat Ariſtot. Et prob. Primo quia facilius eſt, inuenire vnum, vel duos bonos, & ſapientes, quàm plurimos. Si Reſp. debeat regi arbitrio boni Principis, indigebit infinitis bonis

nis Principibus, quorum vnus alteri ſuccedat. At, ſi gubernetur legibus, ſufficit ſemel fuiſse aliquos, vel vnum ſapientem, qui legem fecerit. Secundo; Qui leges condunt, multi ſunt, & diligenter eas examinant: At Princeps eſt vnus, & ſæpe repentè debet iudicare. Tertio; Qui leges fecerunt, ſine amore, & odio iudicarunt: nam de rebus abſentibus iudicarunt. Princeps de præſentibus iudicat, vbi locum habent amici, propinqui, munera, terrores, &c. Vnde iudicium legum eſt iudicium ſolius rationis: iudiciũ hominis eſt iudiciũ rationis, & libidinis, id eſt, hominis, & beſtiæ. Quarto; iudicium Principis, etiamſi rectiſsimum ſit, vix vnquam caret ſuſpicione, inuidia, querelis, maledictis. At iudicium legis his omnibus caret, quippe quod ſcitur non poſſe corrumpi muneribus. Quinto; Gubernatio per leges poteſt longiſsimo tempore eadem perſeuerare; at iudicia hominum ſæpe mutantur. Sexto; Gubernatio per leges poteſt reduci ad artem, & facilior effici; non autem gubernatio ad arbitrium hominis. Septimo; Melior eſt gubernatio Principis per ſe, quàm per vicarios. Gubernatio autem ſine legibus neceſſariò requirit multos vicarios, qui omnes ad arbitrium ſuum iudicent. Quando autem per leges gubernatur, ipſe Princeps omnia per ſe iudicare cenſetur, cùm eius legibus iudicetur.

Tertio prob. Nam, ſi non liceret Principi Chriſtiano legibus obligare populum, id eſſet propter libertatem Chriſtianam. Sed hoc dici non poteſt: nam tantum abeſt, vt lex opponatur libertati Chriſtianæ, vt potiùs opponatur ſeruituti contrariæ eidem libertati. Id quod oſtendo ex ipſa natura libertatis Chriſtianæ: Nam libertas Chriſtiana opponitur ſeruituti peccati. *Amen, Amen dico vobis; qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: ſeruus autem non manet in domo in æternum; Filius manet in æternum: ſi ergò vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* Et: *Liberati à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Vocatur autem hæc iuſtificatio à peccato, libertas quædam, quia, qui in peccato eſt, donec non liberatur per gratiam, non poteſt velle bonum ordinatum ad vitam æternam. Habet quidem liberum arbitrium, quia poteſt ex pluribus malis eligere vnum, & etiam eligere bonum morale. at eligere bonum diuinum non poteſt niſi ſaltem liberari incipiat per Dei gratiam præuenientem, quia captiuus tenetur à Diabolo ad ipſius voluntatem. At liberum arbitrium liberatum per gratiam poteſt bonum diuinum velle, & facere. Sed maior adhuc erat libertas in ſtatu innocétiæ, quia tunc homo poterat nullum vnquam velle malum, quod nunc etiam iuſti non poſſunt. Maxima autem erit in cœlo, vbi non poterimus velle vllum malum.

Prob. 9. *Ioan. 8.* *Rom. 6.* *2. Tim. 2.*

Itaque triplex eſt gradus libertatis: ſicut etiam triplex gradus vitæ corporalis. Primus eſt, Beatorum, qui ſic poterunt viuere, vt non poſsint mori, & ſic poterunt bene agere, vt non poſsint peccare. Secundus eſt, Adami, & Euæ in ſtatu innocentiæ, qui ſic poterant viuere, vt non poſſent etiam nunquam mori; & ſic poterant bene agere, vt poſſent etiam nunquam peccare. Tertius noſter, qui ſic poſſumus viuere, vt non poſsimus aliquando non mori, & ſic poſſumus bene agere, vt non poſsimus non peccare, ſaltem venialiter. Infra hos gradus non eſt quartus, niſi non viuere, & non bene agere: qui gradus ad damnatos pertinet. Cùm ergò libertas conſiſtat

in eo, vt poſsimus eligere bonum, & reijcere malum, manifeſtum eſt, legem non pugnare cum libertate: non enim impedit, quò minus poſsimus eligere bonum, & reijcere malum, ſed contra potius iuuat, nam præbet materiam exercendæ libertatis. At ſeruituti rectè opponi poteſt lex, quia non poteſt impleri a ſeruo peccati. Vnde Paulus: *Quid ergò*, inquit, *legem deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus.* Deinde probatur hoc idem. Lex diuina non pugnat cum libertate: ergò nec lex humana. Antec. patet, nam Adam liber creatus eſt, & tamen lex ei impoſita fuit, vt non veſceretur ligno ſcientiæ boni, & mali. Prob. conſeq. nam lex diuina, & humana, quoad obligationem, ſunt omninò æquales.

Rom. 3. *Gen 2.* *Propoſitio 2.*

Propoſitio ſecunda: *Lex ciuilis non minùs obligat in conſcientia, quàm lex diuina, etſi minus firma, & ſtabilis ſit hæc, quàm illa.* Explico: Lex diuina, & humana differunt quoad firmitatem, quia diuina non poteſt abrogari ab homine, humana poteſt. At quoad obligationem non differunt: vtraque enim obligat in conſcientia, nunc ad mortale, nunc ad veniale peccatum pro rerum ipſarum grauitate: ita vt nulla ſit melior regula ad diſcernendum, vtrum lex humana obliget ad mortale, an ad veniale, quàm cogitare, legem illam eſſe diuinam, & videre, ſi diuina eſſet, quomodo obligaret.

Prob. 1. Prob. primò: Obligatio vel eſt eſſentia, vel propria paſsio legis: ergo omnis lex, & à quocunque feratur, ſiue à Deo, ſiue ab Angelo, ſiue ab Epiſcopo, ſiue à Rege, ſiue patre, eodem modo obligat. Prob. conſeq. à ſimili. Nam, quia hominis eſſentia eſt, rationale eſſe, & propria paſsio, eſſe riſibilem, omnis homo eſt rationalis, & riſibilis, ſiue ſit creatus a ſolo Deo, vt Adam; ſiue à Deo ex alio homine, vt Eua: ſiue ab hominibus genitus, vt Cain. Antec. patet: nam lex eſt regula morum, regulæ autem proprium eſt intrinſecè ita dirigere, vt receſſus ab ipſa ſit peccatum in motibus: ſicut receſſus à regula in naturalibus dicitur peccatum naturæ, vt ſunt monſtra; & receſſus à regula in artibus eſt peccatum artis.

Vbi notandum, quòd ſicut res cæteræ, quoad exiſtentiam, pendent ab agête, non quoad eſſentiam: eſſentiæ enim ſunt æternæ; ſunt enim quędam participationes poſsibiles diuinæ eſſentiæ: ita etiam lex, quoad exiſtentiam pendet à legislatore; non enim erit lex, niſi dictetur ab eo, qui habet auctoritatem. At quoad eſſentiam, non pendet: quòd enim lex obliget, eſt quid æternum, & immutabile, & participatio quędam legis ęternæ Dei, quæ eſt prima, & ſumma regula. Vnde ſiue quis pręuaricetur legem naturalem, ſiue poſitiuam, ſiue diuinam, ſiue humanam, ſemper peccat contra legem ęternam; quia omnis lex eſt legis ęternæ participatio. Et quanquam non poteſt fieri, vt aliqua vera lex non ſit à Deo, cùm lex non poſsit condi, niſi ab habente poteſtatem, & non ſit poteſtas, niſi à Deo; tamen ſi (per impoſsibile) eſſet lex non à Deo, adhuc obligaret ad culpam: ſicut, ſi (per impoſsibile) homo exiſteret non factus à Deo, adhuc eſſet rationalis.

Rom. 13.

Prob. 2. Prob. ſecundò. Nam ſi obligaret ſolùm lex, quia diuina, omnes leges diuinæ ęqualiter obligarent; nam eadem eſſet obligationis ratio in omnibus. At hoc eſt falſum: nam magis obligat lex: *Non occides*, quam lex: *Non furaberis:* & magis lex; *Non furaberis*, quàm lex, *Non mentieris:* & lex, *Non mentieris*

teris, quàm lex; *Non loqueris verbum ocioſum.*

Prob. tertiò oſtenſiuè. Illa lex diuina magis obligat, cuius violatio eſt magis cõtraria fini legis, id eſt, charitati: ideò enim peius eſt occidere, quã furari, quia magis contra charitatem: & ideò mortale eſt mentiri pernicioſè; veniale, officioſè; quia illud eſt contra charitatẽ, hoc verò pręter charitatem. Sed lex humana etiam habet pro fine charitatem, & ordinat media ad hunc finem. Quòd enim ait Apoſtolus: *Finis præcepti eſt charitas*, de omni pręcepto intelligitur. Et patet, nam lex ciuilis iuſta, ſemper eſt, vel concluſio, vel determinatio legis diuinæ moralis: ergò habent eundem finem: & ſolùm in hoc videntur differre, quòd lex humana dirigit actus humanis in ordine ad actus externos dilectionis, id eſt, ad pacem, & conſeruationem Reip. Lex autem diuina dirigit etiam in ordine ad internos actus charitatis: igitur eadem eſt ratio legis diuinæ, & humanæ, quod attinet ad obligationem. Prob. 3. 1.Tim. 1.

Quartò; Lex diuina poſitiua ideò obligat ad peccatum, quia conſtituit actum, quem pręcipit in genere virtutis, cùm anteà non eſſet: nam, ſi Iudæus non ex contemptu, ſed ex cibi appetitu, moderatè comediſſet carnem ſuillam in lege prohibitam, ſine dubio peccaſſet. Non autem peccaſset contra obedientiam, quia non ex contemptu: ergo contra temperantiam. At moderatè veſci carne ſuilla, ex ſe non eſt contra temperantiam, ſed res quędam indifferens: ergò lex fuit, quæ illam abſtinentiam fecit actum temperantiæ neceſſarium. At hoc idem videmus in lege humana: nam lex diuina non alia de cauſſa facit eſſe actum virtutis eum, qui ex ſe erat indifferens, niſi quia eſt regula morum ab eo poſita, qui habuit auctoritatem pręcipiendi. Sed homo etiam poteſt pręcipere, & regulas morum conſtituere: poteſt igitur lege ſua conſtituere actum, alioqui indifferentem, in genere virtutis: proinde pares ſunt lex diuina, & humana, quoad obligationem. Prob. 4.

Prob. quintò. Lex diuina, & humana ita differunt, vt lex Regis, & Proregis, ſiue lex Pont. & eius Legati. At iſtæ obligant eodem modo, & ſolùm differunt firmitate: ergò & illæ. Propoſitio patet: nam Script. paſsim teſtantur, Reges eſſe miniſtros Dei, & ab illo habere auctoritatem, & loco eius iudicare. Aſsumptio etiam patet: nam auctoritas Proregis eſt à Rege, & Legati à Papa, & experientia idem teſtatur: & confirmatur à SS. Patribus. Prob. 5. Prov. 8. Sap. 6. Rom. 13. 1. Pet. 2.

Prob. ſexto: quia videtur implicare contradictionem poſse Principes obligare ad pœnam, & non ad culpam, ſiquidem culpa, & pœna relatiua ſunt. Quomodo igitur poſsunt Principes damnare ad mortem eos, qui leges ſuas præuaricantur, ſi illi nihil peccauerunt, ſi culpam in conſcientia non contraxerunt? Prob. 6.

Prob. ſeptimò ex Apoſtolorũ doctrina. Nam Paulus multis modis id aſſerit. Primò, cùm ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas, niſi à Deo.* Secundò, cùm ait: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Tertiò cùm ait: *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Id enim de æterna damnatione exponunt Patres Græci, & Latini, in hunc locum. Quartò, cùm ait: *Ideò neceſsitate ſubditi eſtote.* Quintò cùm ait: *Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Sextò, cùm ait: *Miniſtri enim Dei ſunt.* Et: Prob. 7. Rom. 13.

1. Pet. 2. Petrus: *Subiecti eſtote propter Deum*, id eſt, non ſolùm timore pœnæ.

Propoſitio 3. Propoſitio tertia. *Iudicia publica exercere, non eſt illicitum Chriſtianis.* Prob.
Prob. 1. primò, quia proprium eſt Principis, iudicare. Script. enim coniungere ferè
Pſal. 2. ſolet Regem, & Iudicem. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram.*
Iſa. 33. Et: *Dominus Rex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Iudex noſter.* Et: *Regnabit*
Hier. 23. *Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra.* Si ergò licet Chriſtia-
Prob. 2. nis habere Principem, cur non & iudicem? Secundò, quia nihil prodeſſent
& 3. leges, ſi nulla eſſe deberent iudicia. At leges tolli non debent: ergò nec iu-
dicia. Tertiò; Script. vtriuſque Teſtamenti iudicia admittit. Sic enim legi-
Deut. 16. mus: *Iudices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, vt iudicent populum iuſto*
iudicio. Et: *Secularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, hos conſti-*
tuite ad iudicandum. Sic non eſt ſapiens quiſquam in vobis, qui iudicare poſſit fratrem ſuũ?
1. Cor. 6. Vbi Apoſtolus monet Corinthios, vt in ijs cauſsis, in quibus non tenebantur
neceſſariò adire tribunalia Gentilium, conſtituerent inter ſe iudicem.

Propoſitio 4. Propoſitio quarta: *Licet Chriſtiano Magiſtratui gladio punire perturbatores publi-*
Prob 1. *cæ quietis.* Prob. primò Script. Nam in lege naturæ, Moyſis, & Euangeli-
Gen. 9. ca, habemus præcepta, & exempla eius rei. Nam Deus ait: *Qui effuderit huma-*
num ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Quæ verba non poſsunt ſonare prædi-
ctionem, quia prędictio huiuſmodi ſæpe eſset falſa; ſed ordinationem, & prę-
ceptum. Vnde Chaldaica paraphraſis vertit: *Qui effuderit ſanguinem cum teſti-*
Gen. 38. *bus, ex ſententia iudicis fundetur ſanguis illius.* Dixit etiam Iudas. *Producite eam, vt*
comburatur. Vbi Iudas Patriarcha, tanquam Princeps familiæ, adiudicauit
adulteram ad ignis ſupplicium. In lege Moyſis plurima ſunt præcepta, &
Exod. 21. exempla. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur.* Et ipſe Moyſes,
Ioſue, Samuel, Dauid, Helias, alijque ſancti viri plurimos occiderunt. In
Matth. 26. Euang. *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Quæ verba non poſsunt rectè intel-
ligi, niſi hoc modo: Omnis, qui cædem iniuſtam fecerit, debet à magiſtratu
pariter occidi. Reprehendit enim Dominus Petrum, non quòd iuſta defen-
ſio ſit illicita, ſed quod non tam ſe, aut Dominum defendere, quam iniuriam
Domino factam vlciſci vellet, cùm tamen ipſe non haberet publicam aucto-
Rom. 13. ritatem. Apoſtolus etiam: *Si malè egeris, time, non enim ſine cauſſa gladium portat:*
miniſter enim Dei eſt. Vbi Apoſtolus dicit, datum gladium à Deo principibus cō-
tra facinoroſos: ergò, ſi in Eccleſia tales reperiantur, cur gladio feriri non
poterunt?

Prob. 2. Prob. ſecundò ex Patrum teſtimonijs.

& 3. Tertiò ratione. Nam ab bonum Principem, cui bonum commune tuen-
dum commiſsum eſt, pertinet impedire, ne partes, quæ ſunt propter totum,
illud corrumpant, & ideò, ſi non poteſt omnes partes integras conſeruare, po-
tiùs debet vnam partem amputare, quam ſinere, vt bonum commune pereat:
ſicut agricolæ amputant ramos, & ſarmenta, quæ officiunt viti, vel arbori: &
medicus amputat membra, quæ totum corpus inficere poſsent.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt de officio Magiſtratus, in protegenda Rep. ab hoſtibus
externis: quæ tres habet partes. Primò demonſtrandum erit licita aliquan-
do eſse Chriſtianis bella. Dicimus enim, vt ſemper docuit Eccleſia tota, &
verbis, & exemplis, bellum ex natura ſua non eſse illicitum: & non ſo-

lùm

lùm Iudæis, ſed etiam Chriſtianis fas eſſe bellum gerere, modo ſeruentur
conditiones.

Id prob. Script. teſtimonio. *Hæ ſunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt erudiret* *Prob. 1. lici-*
in eis Iſraëlem, & omnes qui nō nouerant bella Chananæorū, & poſtea diſcerent filij eorum *ta eſſe Chri-*
certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi. Hæc ſanè verba non per- *ſtianis bella.* *Iud. 3.*
miſsionem, ſed abſolutam Dei voluntatem oſtendunt. Item: *Hæc dicit Do-*
minus exercituum: Recenſui, quæcunque fecit Amalech Iſraëli: nunc ergò vade, & percute *1. Reg. 15.*
Amalech, & demolire vniuerſa eius, non parcas ei. &c. Hic etiam non permiſsio-
nem, ſed præceptum videmus. Et ſimilium plenum eſt teſtamentum ve-
tus. Item: *Interrogabant eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait* *Luc 3.*
illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs ve-
ſtris.

Prob. ſecundo exemplis Sanctorum, qui bella geſſerunt. Nam, ſi bellum *Prob. 2.*
eſſet malum, certè à Sanctis non gereretur. In veteri Teſtamento Abraham,
Moyſen, Ioſue, Gedeonem, Samſonem, Dauidem, Ioſiam, Machabæos mag-
na cum laude bellum geſsiſſe, legimus. In nouo Teſtam. Centurio, cùm di-
ceret Chriſto: *Habeo ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit,* &c. eius fidem *Matth. 8.*
Dominus laudauit, non, vt militiam deſereret, præcepit. Cornelius item *Act. 10.*
Centurio dicitur *vir iuſtus, & timens Deum.* Ita, vt etiam Angelum videre me-
ruerit, nec poſtea, cùm à S. Petro viam ſalutis doceretur, dictum eſt ei, vt
militiam deſereret. Deinde; Poſt Chriſti in cœlum aſcenſionem, ſemper
fuiſſe Chriſtianos aliquos vere ſanctos, & Deo gratos in militia, etiam ſub
Ethnicis Principibus, docet Tertull. qui refert miraculum inſigne à Chri- *Apolog. c. 5.*
ſtianis militibus factum, cùm ſub M. Aurelio in Germania bellum gererent:
qui certè, vel non militaſſent, ſi hoc eſſet malum; vel, ſi militaſſent, non
ita Deo grati fuiſſent, vt etiam miracula facere poſſent. Conſtantinum quo-
que, Theodoſium, Valentinianum, Carolum Magnum, S. Ludouicum Re-
gem Galliæ, S. Mauritium cum ſua legione Thebeorum, alioſque pluri-
mos ſanctos Chriſtianos bella geſsiſſe, conſtat, quos S. Epiſcopi nun-
quam reprehenderunt: immò Theodoſius conſulebat de euentu belli Ioan-
nem Abbatem.

Prob. tertiò, quia Deus ſæpe iuſta bella adiuuat, quod nullo modo face- *Prob. 3.*
ret, ſi bellum eſſet illicitum: nam mala permitti poſſunt, ſed non etiam ad ea
facienda auxilium dari. Abrahæ, cùm debellaſſet quatuor reges cum ſolis
CCC.XVIII. famulis ſuis, dictum eſt à Melchiſedech: *Benedictus Deus* *Gen. 14.*
excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. Ad preces etiam Moyſis, *Exod. 17.*
Deus dedit victoriam Hebræis contra Amalech. Ioſue pugnante, Sol ſtetit, *Ioſ. 10.*
& Dominus pluebat de cœlo lapides magnos, & plures occidit Deus lapi-
dibus grandinis, quàm filij Iſraël haſtis, & gladijs. Angeli quoque in ſpecie *2. Mach. 10.*
equitum pro Machabæis pugnabant. Legimus etiam, Deum non ſecundum *2. Mach. 15.*
armorum potentiam, ſed, prout ipſi placet, dare dignis victoriam. Con- *L. 9. hiſt. c. 9.*
ſtantinum Dei auxilio miraculis euidenter oſtenſis vicisſe in bello, teſtatur *L. 5. hiſt. c. 24.*
Euſeb. Cum Theodoſio S. Ioannem, & S. Philip. Apoſtolos palàm pugnaſ- *L. 7. hiſt. c. 18.*
ſe contra hoſtes eius, teſtatur Theodoret. Pro Theodoſio iuniore pugnaſ-
ſe Angelos contra Saracenos, ſcribit Socrates. De Clodoueo vide Gregor. *Li. 2. hiſtor. Fran. c. 30.*

Li.5.de ciuit. Dei c.23. Turonicum. Honorij exercitum diuino miraculo victoriam incredibilem retuliſſe, ſcribit B. Auguſtinus.

Prob.4. Prob. quartò ratione. Licet Reip. ſuos defendere ab internis hoſtibus pacis, eos necando varijs generibus ſuppliciorum: ergò etiam licebit bello atq; armis, quando alia via non poteſt, defendere eos ab hoſtibus externis: quia, vt poſsint conſeruari Reſp. neceſſarium eſt, vt omnes hoſtes, tam internos, quã externos, arcere poſsint. Et, cùm hoc ſit ius naturæ, nullo modo credibile eſt per Euangelium eſſe ſublatum.

Prob. vltimo teſtimonijs Patrum.

Pars 2. quæſt. Secunda pars huius quæſtionis eſt: *Quot ſint, & quæ iuſti belli conditiones?* Quatuor autem numerare ſolent. Auctoritatem legittimam, Cauſſam iuſtam, Intentionem bonam, & Modum conuenientem.

Auctoritas legitima. Prima eſt, Auctoritas legittima. Nam ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principem ſit: exequendi autem iuſſa bellica miniſterium, milites debeant paci, ſalutique communi.

Et ratio idem probat. Nam priuati homines, & qui ſuperiorem habent, ſi ab aliquo iniurias accipiant, poſſunt ad ſuperiorem confugere, atque ab eo iudicium petere. At Principes, ſi ab alijs Principibus aliquid patiantur, non habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accuſent; & ideo licet illis bello iniurias publicas propulſare. Reſidet autem hæc auctoritas indicendi belli, ſecundum communem ſententiam, in omnibus Principibus & populis, qui in temporalibus ſuperiorem non habent. Item; Reſp. Venetorum, & ſimiles. Item, nonnulli Duces, & Comites, qui nulli ſubſunt in temporalibus, non autem Duces, & Comites, qui ſubſunt Regibus immediatè: qui enim ſubſunt alijs, non ſunt per ſe capita Reip. ſed potiùs membra.

Nota tamen, hanc auctoritatem non requiri ad bellum defenſiuum, ſed ſolùm ad offenſiuum. Nam defendere ſe, vnicuique licet, non ſolùm Principi, ſed etiam priuato: at indicere bellum, & hoſtem inuadere, ſolius eſt ſupremi capitis.

Iuſta cauſſa. Altera conditio eſt, cauſſa iuſta. Non enim ſine cauſſa bellum indici poteſt, nec etiam propter quodcunque peccatum, ſed tantum propter iniuriam propulſandam. Ratio autem huius eſt, quia Princeps non eſt iudex, niſi hominum ſibi ſubditorum: ergo non poteſt quæcunque peccata aliorum hominũ punire, ſed ſolum ea, quæ cedunt in detrimentum populi ſibi ſubiecti. Nam & ſi non eſt iudex ordinarius aliorum, eſt tamen ſuorum defenſor, & ratione huius neceſsitatis efficitur etiam quodammodo iudex eorum, qui ſuis iniuriã fecerunt, ita vt poſsit eos gladio punire.

Nota. Eſt verò obſeruandum, cauſſam belli debere eſſe non leuem, neque dubiam, ſed magnam, & certam, ne fortè plus incommodi bellum afferat, quàm ſit vtilitas, quæ inde ſperatur. Si autem ſit dubia, diſtinguendum eſt de Principe, & militibus. Nam Princeps ipſe ſine dubio peccat: nam bellum eſt actus iuſtitiæ punitiuæ: iniuſtum eſt autem punire aliquem, cauſſa nondum probata. Milites autem non peccant, niſi conſtaret certò, bellum eſſe illicitum: debent enim ſubditi parere ſuperiori, nec debent diſcutere imperia eius, ſed potius

tius præſumere debent, Principem ſuum habere bonam cauſſam, niſi manifeſtè contrarium nouerint. Sicut etiam, cum dubia eſt culpa alicuius particularis, peccat iudex, qui eum damnat; non carnifex, qui damnatum occidit: non enim tenetur carnifex diſcutere ſententiam iudicis.

Nota tamen, hoc intelligi de militibus, qui ſunt obligati ei Principi, qui bellum gerit; quales ſunt ſubditi eius, & etiam ij, qui ordinarium ab eo ſtipendium habent, etiam tempore pacis; non autem de alijs, qui aliunde adueniunt, cùm eſt bellandum. Qui enim non ſunt obligati militare, non poſſunt tuta conſcientia ad bellum accedere, niſi ſciant bellum eſſe iuſtum. Qui autē nihil cogitant, ſed parati ſunt militare, ſiue bellum ſit iuſtum, ſiue non, modo ſtipendium habeant, ij in ſtatu damnationis verſantur.

Tertia conditio eſt, Intentio bona. Nam, cùm finis belli ſit pax, & tranquillitas publica, non licet bellum ſuſcipere propter alium finem. Vnde grauiter peccant tam Reges, quàm milites, qui, vel vt noceant alicui, vel vt imperium dilatent, vel vt exerceant fortitudinem bellicum, vel alia de cauſſa bellum ſuſcipiunt, quàm propter commune bonum, etiamſi auctoritas legitima, & cauſſa iuſta non deſint. *Intentio bona.*

Sunt autem duo notanda. Primò, quoniam bellum eſt medium quoddam ad pacem, ſed valdè graue, & periculoſum, ideo non eſſe mox inferendum bellum, cum cauſſa exiſtit, ſed eſſe prius procurandam pacem alijs rationibus facilioribus; nimirum pacificè ab hoſtibus petendo debitam ſatisfactionem. *Si quando acceſſeris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem.* *Nota 1.* *Deut. 20.*

Sed quæret aliquis: Quid ſi hoſtis nolit initio ſatisfacere, ſed paulo poſt, bello iam inchoato, petat pacem; an tenebitur alter à bello ceſſare? Dicendum eſt, (ſaluo meliori iudicio) quod ex iuſtitia nunquam tenetur, qui habet iuſtam cauſſam, acceptare ſatisfactionem, nec ante bellum inchoatum, nec poſtea: tamen ex charitate vtraque tempore tenetur, niſi per accidens aliud expediat. Prioris ratio eſt, quia Princeps habens iuſtam cauſſam belli, gerit perſonam iudicis reſpectu alterius Principis, qui iniuriam fecit: iudex autem nō tenetur ex iuſtitia condonare mortem reo, etiamſi offerat ſatisfactionem: quanquam poſsit condonare ex miſericordia, ſi ſit ſupremus iudex, verbi gratia, Rex non tenetur vitam donare furi, etiamſi reſtituat, & ſi ex miſericordia poſsit. Ratio poſterioris eſt quia bellum eſt grauiſsimum ſupplicium, & quo non ſolum punitur, qui peccauit, ſed etiam per accidens multi innocentes inuoluuntur; ideo Chriſtiana charitas ſemper id videtur exigere, vt à bello ceſſetur, quando, qui nocuit, debitam ſatisfactionem offert; niſi fortè per accidens aliud expediat, id eſt, niſi talis ſit hoſtis, contra quem pugnatur, vt bono communi expediat, eum vel ſubiectum eſſe alteri, vel funditus interire: quales erant Amorrhæi, quos Deus iuſsit penitus deleri. *Dubitatio.* *Reſp.* *Deut. 20.*

Secundò notandum, differre hanc tertiam conditionem à duabus primis, quòd illæ, ſi deſint, faciunt bellum eſſe iniuſtum, hæc vero, ſi deſit, facit bellum eſſe malum, ſed non iniuſtum propriè. Qui enim ſine auctoritate, vel ſine iuſta cauſſa bellum mouet, non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam peccat, & non tam eſt miles, quam latro. Qui vero auctoritatem, & *Nota 2.*

 cauſſam.

cauſſam iuſtam habet, & tamen amore vindictæ, vel augendi imperij, vel propter alium finem malum bellat, non agit contra iuſtitiam, ſed ſolum contra charitatem, nec eſt latro, ſed malus miles. Ex quo deducitur, quòd, cum ſolum deeſt hæc tertia conditio, non tenentur milites, nec reges ad vllam reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam: cùm autem deeſt prima, vel ſecunda, tenentur omnes ad reſtitutionem damni illati, niſi excuſentur ignorantia inuincibili. Ignorantia enim craſſa, & culpabilis, ſicut à peccato non excuſat, ita nec à reſtitutione. Qui autem laborat ignorantia inuincibili, non tenetur reſtituere donec ea ignorantia laborat, at, cum cognouerit, bellum fuiſſe iniuſtum, tenetur reſtituere, non damnum tempore belli illatum, ſed ſi quid habet alienum ex illo bello: &, ſi nihil habet in ſpecie, ſed tamen rebus venditis factus eſt ditior, tenetur reſtituere tantum, quantum ditior eſt factus: nam res aliena retineri non poteſt, etiamſi propter ignorantiam ſine peccato acquiſita ſit, ſed reddi debet vel Domino, ſi ſcitur, vel pauperibus.

C. fin. de iniurijs, & dam. dato.

Modus debitus. *Lucæ 3.*

Quarta conditio eſt, modus debitus, qui in eo præcipuè conſiſtit, vt nulli innocenti noceatur. Quod explicuit Ioannes Baptiſta: *Neminem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Quibus verbis prohibet iniurias, quas milites inferre ſolent innocentibus, aut vi, aut fraude, vel in perſona, vel in bonis. Cùm dicit: *Neminem concutiatis,* prohibet iniuriam, quæ aperta violentia infertur perſonæ, vt, cùm ruſticos cædunt, niſi ad nutum obediant. Cùm dicit: *Nulli calumniam faciatis,* prohibet iniuriam, quæ fraudibus, vel calumnia infertur, vt, cùm dicunt aliquem eſſe proditorem, vel hoſtem, etiamſi contrarium nouerint eſſe verum, & eo nomine, vel ipſi eum ſpoliant, aut occidunt, vel deferunt ad Ducem, aut Præfectos. Cùm vero addit: *Contenti eſtote ſtipendijs veſtris,* prohibet iniuriam, quæ alicui non in perſona, ſed in bonis infertur, vt cùm furantur, & rapiunt, vndecunque poſſunt vel etiam exigunt, & extorquent ab ijs, à quibus non debent.

Nota.

Eſt autem obſeruandum tria eſſe genera perſonarum, quibus milites damnum inferre non poſſunt, ſecundum regulam Ioannis Baptiſtæ. Primum eſt eorum omnium, qui ad Remp. hoſtium non pertinent. Ex quo excuſari non poſſunt milites, qui damnum inferunt ciuibus, aut ruſticis amicis, apud quos hoſpitantur, vel per quorum loca tranſeunt. Neque excuſantur, ſi dicant ſibi ſtipendia non ſolui: nam non propterea illis obligata ſunt bona priuatorum ciuium, neque luere debet pœnam ciuis, aut ruſticus, ſi Rex, aut Dux peccat, non ſoluendo ſtipendia militibus, niſi fortè iuſta de cauſſa damnati ſint homines alicuius loci ad hanc pœnam; vt milites alant: quod tamen rarius accidit.

Secundum eſt quorundam, qui, & ſi aliquo modo ad Remp. hoſtium pertinent, tamen excipiuntur, c. Innouamus, De treuga, & pace. Vbi ſic dicitur: *Innouamus, vt Presbyteri, Monachi, conuerſi, peregrini, mercatores, ruſtici euntes, vel redeuntes, vel in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur.* Vbi nomine mercatorum non videntur intelligi ij, qui in ciuitate hoſtium reſident, & ſunt pars quædam ciuitatis, ſed ſolum ij, qui tranſeunt, vel ad nundinas veniunt, qui non ſunt pars ciuitatis.

Ter-

Tertium genus eſt hominum ineptorum ad bellum: quales ſunt pueri, ſenes, mulieres. Tales enim, etſi capi, & ſpoliari poſsint, quia ſunt pars ciuitatis, tamen occidi iuſtè non poſsunt, niſi fortè caſu, vel per accidens occidantur, vt, cùm miles iaculatur in cuneum hoſtium, & fortè occidit puerum, aut mulierem, aut etiam Sacerdotem, non peccat, ſed tunc peccat, cùm ex intẽtione occidit, & poteſt, ſi velit, non occidere. Nam & ratio naturalis hoc docet, & etiam Deus hoc iubebat Hebręis, nimirum vt parcerent paruulis, & mulieribus. Et Theodoſius grauiter ab Ambroſio reprehenſus fuit, quòd, cùm punire vellet Theſſalonicenſes, ſine delectu obuios quoſque necari iuſsit: vt refert Theodoretus. Quòd ſi Moyſes iuſsit aliquando etiam mulieres, & paruulos occidi, non propterea id etiam noſtris militibus licet: nam ille Dei reuelatione clarè cognoſcebat, Deum ſic velle, cui nemo dicere poteſt, cur ita facis? *Deut.20.* *Deut. 2. & 3. & alibi.*

Tertia pars huius quæſt. eſt de bello contra Turcas. Habere autem Chriſtianos iuſtam cauſſam huius belli, patet: nam conſtat Turcas nullo iure occupaſſe regna Chriſtianorum, & quotidie plura occupare velle: conſtat etiã, eum extinguere velle omnem religionem, & dare omnem operam, vt homines ex Chriſtianis fiant Mahumetani. Denique; conſtat & antiquos Pont. vt Vrbanum II. Paſchalem II. Eugenium III. & alios multos; nec nõ Concilia generalia, vt Lateranenſe, Lugdunenſe, Viennenſe, & alia, generale bellum indixiſſe Mahumetanis, & S. Bernardum, alioſque ſanctos viros cõcionibus ſuis publicis excitaſse populos ad hoc bellum, & ſermonem miraculis confirmaſſe. Vt etiam omittam plurimas victorias de Turcis relatas, certè cùm primùm arma illata ſunt in terrã promiſsionis, feliciſsimo euentu Hieruſalem à noſtris recuperata fuit, & regnauerunt Chriſtiani annis LXXXVIII. & ſemper plura, & plura recuperabant, donec oriri cœperunt inter ipſos Chriſtianos Principes contentiones: ſicut & nunc Turca plura occupat ob diſcordiam noſtrorum, quàm ſua virtute: & harum diſcordiarum potiſsima cauſſa fuit Lutherus ipſe. Nam Hungaria perijt. quia Germani vocati in auxilium à Rege Hungariæ, maluerunt Luthero parere tunc concionanti contra bellum in Turcas, quàm cogitare, quid bonum commune poſtularet. Saltem hoc boni habet bellum, quòd impeditur Turca, ne tantùm noceat, quantum vellet. Niſi enim cum eo hactenus pugnatum eſſet, iam dudum omnia obtineret. *3. Pars quæſt.*

CAPVT

CAPVT XXIII.

De officio poteſtatis politicæ in cauſſa Religionis.

Quæſt. 1. DE hoc duæ quæſtiones. Prima eſt: *An ad Magiſtratum pertineat cura religio-*
Reſp. *nis?* An vero permittere poſsit, vt quiſque credat, vt voluerit? Teneri
autem Principes Chriſtianos non permittere ſubditis ſuis libertatem creden-
di, ſed dare operam, vt ea fides ſeruetur, quam Epiſcopi Catholici, & præci-
Prob. 1. *Prou. 20.* puè ſummus Pontif. docet eſſe tenendam, prob. primò ex Script. *Rex, qui ſedet*
in ſolio iudicij, diſsipat omne malum intuitu ſuo. Item: *Diſsipat impios Rex ſapiens.*
Pſal. 2. Porrò impios eſſe hæreticos, negari non poteſt. Item: *Et nunc Reges intelligite,*
erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore. Præterea; In Teſtamen-
Apoc. 2. to nouo reprehenditur Angelus Pergami, quòd haberet apud ſe aliquos te-
nentes doctrinam Nicolaitarum, & Angelus Thiatyræ, quòd permitte-
ret Iezabel ſeducere ſeruos Dei. Ex quibus intelligitur, noxium eſſe Eccleſiæ
Rom. 16. mixtionem hæreticorum cum Catholicis. Et Apoſtolus iubet Chriſtianos
Gal. 5. *Tit.* declinare hæreticos. Et: *Vtinam*, inquit, *abſcindantur.* Item: *Increpa illos durè, ſani*
Iſaia 49. *ſint in fide.* Ergo Reges, qui ſunt Eccleſiæ nutricij, non debent permittere iſtam
confuſionem.

Prob. 2. Secundo prob. teſtimonijs Pont. Leonis, Anaſtaſij II. Gregorij, Agatho-
nis. Imperat. etiam pij idem ſenſerunt. Nam Theodoſius radicitus euulſit
L. cunctos pop. l. de ſumma Trin. & fide Cathol libertatem credendi, quam aliqui Principes permiſerant, & iuſsit omnes cre-
dere eo modo, quo Rom. Pontifex docet eſſe credendum. Valentinianum
iuniorem laudat Ambroſ. quod Romæ repetenti antiquam libertatem in re-
In oratione funebri. ligione, vt colere poſſet ſacrificijs Deos, fortiſsimè reſtiterit. Similiter Mar-
tianus ſeuerè prohibet, ne quis ea, quæ ſunt in Concilijs Epiſc. definita, re-
L. Nemo, C. eod. uoluat, aut de eis publicè diſputare præſumat. Conſtantinus Magnus initio
quidem imperij permiſit libertatem religionis omnibus, tamen poſtea iuſsit
claudi templa idolorum, & ſolam Chriſtianam religionem vigere: quem filij
ſunt imitati, Conſtans, & Conſtantinus. Exilium etiam minatus eſt Conſtā-
tinus ijs omnibus, qui non acquieſcerent Nicæni Concilij definitioni. Qui li-
bertatem credendi conceſſerunt, tres inueniuntur. Iouinianus, qui tamen ne
Catholicos cum hæreticis miſceret, grauiter admonitus eſt à Concilio An-
tiocheno. Valens Imp. Arianus omnibus hæreticis, & Ethnicis liberam per-
miſit religionem. Denique; Iulianus Apoſtata, qui ideo permiſit libertatem,
quia ſic ſperabat poſſe interire Chriſtianiſmum.

Prob 3. Prob. tertiò rationibus. Primò; Poteſtas temporalis, & ſpiritualis, in Ec-
1 Ratio. cleſia non ſunt res diſiunctæ, & ſeparatæ, vt duo regna politica; ſed ſunt con-
iunctæ, ita vt vnum corpus faciant: vel potius ita ſe habent, vt corpus, & ani-

ma

ma in vno homine? eſt enim poteſtas ſpiritualis quaſi anima, & temporalis quaſi corpus. Ergo debet poteſtas temporalis ſpirituali ſeruire, eamque ab hoſtibus ſuis protegere, ac defendere, ac terrenum regnum cœleſti famulari. Sed Eccleſiæ exitialis eſt hæc libertas: nam vinculum Eccleſiæ eſt vnius fidei confeſsio; *Vna fides*; & ideò diſſentio in fide Eccleſiæ eſt diſſolutio. Debent *Ephes. 4.* igitur Principes hanc libertatem nullo modo permittere, ſi fungi munere ſuo volunt.

Secundò; Quando apud Iudæos vera religio florebat, non poterant Reges *2. Ratio.* permittere libertatem religionis: ergo multo minus debent permittere Reges Chriſtiani; non enim minus ordinata debet eſſe Eccleſia, quàm fuerit Synagoga. Antec. patet. Nam ex ſententia iudicis politici iubentur occidi, qui *Deut. 17.* non obediunt Sacerdoti. Et Pſeudoprophetæ ſimiliter exterminari iuben- *Deut. 18.* tur. Idem patet exemplis de Ezechia, Ioſaphat, Ioſia, & alijs pijs Regibus, qui deſtruebant lucos, & templa idolorum, & ſeuerè puniebant idololatras, & populum ad veri Dei cultum compellebant. Quod autem ante Chriſti tempora cęperint permitti variæ hæreſes, ac præcipuè Sadducæorum, qui negabant reſurrectionem, non eſt mirum, quia Synagoga tunc ad interitum propinquabat, nec habebat Regem verè Iudæum, qui iſta curaret, ſed Idumæum Herodem: Pontifices autem nihil poterant.

Tertiò; Libertas credendi eſt pernicioſa, etiam temporali bono regnorum, *3. Ratio.* & publicæ paci. Nam, vbi ſeruatur fides, & obedientia Deo, ibi etiam ſeruatur Principi: nam fides ipſa hoc docet & exigit. Item; Diſſenſio in fide parit animorum, & voluntatum diſſentionem: omne autem regnum in ſeipſo diuiſum deſolabitur; & experientia noſtri temporis adeò manifeſtè hoc oſtendit, vt fruſtra id probare nitamur.

Quartò; Libertas credendi pernicioſa eſt illis ipſis, quibus conceditur. *4. Ratio.* Nam libertas credendi nihil aliud eſt, quam libertas errandi, & errandi in re omnium periculoſiſsima. Nam fides vera non eſt, niſi vna. Ergo libertas ab iſta vna fide recedendi eſt libertas in errorum barathrum ruendi. Sicut ergo non ſalubriter permittitur auibus libertas vagandi per montes; & ſalubriter non liberatur gubernaculo, nec ſinitur liberè à quolibet vento circumferri nauis; ita quoque ſalubriter non conceditur populis libertas credendi, poſteaquam vni veræ fidei ſe adiunxerunt.

Altera quæſtio eſt: *An Magiſtratus debeat hæreticos ab Eccleſia iudicatos, & damnatos punire, tam in libris eorum, quam facultatibus, & in perſonis, etiam vſque ad mortem.* *Quæſt. 2.*

Et primùm quidem libros hæreticorum iure interdici, & exuri, prob. pri- *Prob. 1.* mo ex antiqua, & perpetua conſuetudine, non ſolum Chriſtianorum, ſed etiã *de libris* Ethnicorum. Refert Valer. Max. quòd, cùm Romæ reperti eſſent libri quidã, *hæreticis.* qui nonnihil videbantur ſoluere Religionem, Prætor Vrbanus ex auctorita- *L. 1. c. 1.* te Senatus in conſpectu populi eos cremauit. M. Tullius refert, Protagoram *L. 1. de* Abderitẽ, quod libros noxios religioni ſcripſiſſet, Athenienſiũ iuſſu vrbe, atq; *natur.* agro exterminatũ, libroſq; eius in concione combuſtos. Deinde, tẽpore Apo- *Deorum.* ſtolorũ refert Lucas, multos ab Apoſtolis cõuerſos, libros curioſos, & vanos *Act. 19.*

contuliſſe, & combuſiſſe coram omnibus. Et Clemens dicit, Apoſtolos prohibuiſſe initio fidelibus libros Gentilium & falſorum Prophetarum. Scribit etiam Euſeb. Dionyſium Epiſc. Alexandrinum, qui floruit circa annum CC. L. à fidelibus reprehenſum, quòd libros hęreticorum legeret. Conſequente poſteà tempore creuit zelus fidelium contra libros hæreticorum. Nam Nicænum Concilium libros Arij igni adiudicauit: & Conſtantinus id executioni mandari iuſsit, propoſita pœna capitis, ſi quis libros Arij occultaſset. Marcellus etiam Ancyranus damnatus fuit, quòd libros ſuorum errorum comburere noluiſſet: non enim recipiebantur ad pœnitentiam hęretici, niſi priùs libros ſuos combuſsiſſent. Circa eadem tempora Epiphanius, in Synodo Cypri coacta, vetuit libros Origenis legi. Et Concilium Carthaginenſe IV. permittit ſolis Epiſcopis, vt tempore neceſsitatis libros hæreticorum legant. Non diu poſteà, cùm Neſtorij hæreſis in Concilio Epheſino damnata fuiſſet, libri quoque Neſtorij in eodem Concilio interdicti ſunt & à Theodoſio Imp. exuri iuſsi. Circa idem tempus prodijt lex Honorij & Theodoſij, qua iubetur Mathematici omnes libros ſuos, in quibus aliquid eſt aduerſum catholicæ religioni, in oculis Epiſcoporum cremare.

Li. 1. conſtit. Apoſt c 7. L 7. hiſt. c. 6. Can. 16.

Pari ratione in Concilio Chalcedonenſi damnantur libri Eutychetis, & ab Imp. Valentiniano, & Martiano ſeuera lege prohibetur, ne vllus eos legere, aut habere audeat; ſed omnes diligentiſsimè quæſiti crementur. Eodem tempore B. Leo interdixit lectionem librorum hæreticorum quorundam, & addidit, eos Epiſcopos, qui eos in domibus fidelium haberi ſinerent, hæreticos cenſendos. Pauló pòſt Gelaſius in Concilio L X X. Epiſcoporum propoſuit Indicem hæreticorum, quorum libros à fidelibus vitandos eſſe dicit. Poſtmodum in V. Synodo, damnato Anthymo, damnantur etiam eius libri, & Iuſtinianus grauem pœnam ſtatuit, nimirum amputationis manuũ, in eos, qui eiuſmodi libros deſcribunt, ac iuſsit vbique comburi. B. Gregorius refert, iuſsu Tiberij Imp. crematum librum Eutychij, quem ipſe Gregorius hæreſi conuicerat. In VII. etiam Synodo interdicuntur, & comburi iubentur libri hęreticorũ; excommunicantur etiam, qui libros hęreticorum legunt. Concilium Conſtantienſe confirmat decretum Concilij Rom. quo interdicta fuerat lectio librorum Ioannis VViclef.

Nouel. 42. Lib. 14. Moral. c. 32. Alij uero 5. Can. 9. Seſſ. 8.

Denique Concilium Trident. Indicem librorum hæreticorum fieri iuſsit, vt omnes ſcirent, qui libri cauendi, & exurendi eſſent. Ex quo apparet, ſemper eandem fuiſse conſuetudinem in Eccleſia. Accedit etiam argumentum huius rei, quòd nulli ferè extent libri veterum hæreticorũ. Quomodo enim, euanuerũt tot volumina Valentini, Marcionis, Arij, Eunomij, Neſtorij, Pelagij, & aliorum, quibus ſancti Patres reſpondent.

Prob. 2.

Prob. ſecundò ratione. Nàm colloquia hęreticorum ſunt periculoſiſsima, & ideò diligenter vitanda: ergò multò magis libri ſunt noxij, & peſtilentes, ac vitandi. *Rogo autem vos, Fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſentiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab eis: nam per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentum.* Et: *Hos deuita.* Et: *Hæreticum deuita.* Et Ioannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere in domum, nec Aue, ei dixeritis.*

Rom 16. 2. Tim. 3. Tit. 3. 2. Epiſt. Ioannis.

Idem patet ex Patribus. Si ergo tantopere vitanda ſunt colloquia Hæreticorum,

ticorum, quantò magis libri? Nam oratio in libris ſcripta eſt magis compoſita, & artificij plena, quàm quæ in colloquijs vſurpatur. Deinde; eſt ſemper ad manus: nam conciones, & colloquia ſunt rara, & verba ore prolata mox tranſeunt; at verba in libris manent perpetuò, & ſemper nobis adſunt, nobiſcum peregrinantur, nobiſcum domi ſedent.

Præterea; Libri magis ſparguntur: poteſt enim aliquis per libros toti ferè orbi terrarum ſimul loqui; & multorum domos, & cubicula libri penetrant, quos auctor libri numquam vidit, & ad quos fortè nunquam admitteretur. Denique; Experientia idem docet. Nam Ioannes VViclef. viua voce paucisſimos peruertit; docuit enim ſolùm in Anglia, & ibi penè nullos reliquit erroris ſui hæredes: at per libros totam Boëmiam peruertit.

Iam verò hæreticos incorrigibiles, ac præſertim relapſos, poſſe, ac debere *Prob. 1. de facultatibus, & perſonis hæreticorum.*
ab Eccleſia reijci, & à ſecularibus poteſtatibus temporalibus pœnis, atque ipſa etiam morte mulctari, docent omnes Catholici, atque aliqui etiam ex hæreticis. Et prob. primò ex Script. Vetus Teſtamentum ſeuerisſimè iubet, falſos Prophetas, qui ſuadent colere Deos alienos, ſine vlla miſericordia occidi. Et poſtquam dictum fuerat, vt in rebus diuinis conſuleretur ſummus Sacerdos, mox ſubditur: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex ſententia iudicis moriatur.* Et rurſum Propheta falſus occidi iubetur. Et reipſa legem hanc ſeruarunt Elias, Ioſias, Iehu, & alij, qui falſos Prophetas plurimos occiderunt. Nullum eſt autem ferè diſcrimen inter noſtros hæreticos, & falſos Prophetas illius temporis. Nec ſolùm ſancti Reges, & Prophetæ blaſphemos morte mulctarunt, ſed etiam Nabuchodonoſor edictum conſtituit, vt, quicunque blaſphemaret Deum Danielis, id eſt, verum Deum, interficeretur, & domus eius vaſtaretur: in quo edicto, Deo vero obſequium iuſtisſimum fecit.

Deut. 13. Deut. 17. Deut. 18. 3. Reg. 18. 4. Reg. 10. & 23. Dan. 3.

In nouo Teſtamento habemus inprimis, poſſe Eccleſiam eos, qui obedire nolunt, à ſe reijcere, & habere vt Ethnicos, & Publicanos; ac proinde permittere eos poteſtati ſeculari, tanquam non ampliùs Eccleſiæ filios. Habemus deinde, ſecularem poteſtatem poſſe ſceleſtos homines gladio punire. *Non enim*, inquit Apoſtolus, *ſine cauſſa gladium portat.* Ex quibus locis apertè colligitur licitum eſſe hæreticos, qui omnium iudicio ſunt rebelles Eccleſiæ, & publicæ pacis perturbatores, ab Eccleſia abſcindi, & à ſeculari iudice morte mulctari.

Matth. 18. Rom. 13.

Præterea; Chriſtus, & Apoſtolus eius, hæreticos ijs rebus comparauerũt, quæ ſine controuerſia ferro, & igni repelluntur. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.* Et: *Ego ſcio, quia intrabunt poſt diſceſſum meum lupi rapaces.* Nomine luporum certum eſt hæreticos debere intelligi, vt Ambroſ. explicat. At lupi rapaces optimo iure occiduntur, ſi aliter abigi non poſſunt: plures enim facienda eſt vita ouium, quàm mors luporum. Item: *Qui non intrat per oſtium in ouile, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.* Vbi nomine furis, & latronis, intelliguntur hæretici, & omnes ſeductores, ac ſectarum inuentores, vt Chryſoſt. & Auguſtin. exponunt: fures autem, & latrones quomodò puniantur, notum eſt. Item; Hæreſis comparatur cancro, qui non curatur medicamentis, ſed ferro ex-

Matth. 7. Act. 20. Ioan. 10. 2. Tim. 2.

 ſcindi

ſcindi debet, alioqui perpetuo ſerpit, & totum corpus corrumpit.

Ioan. 2. Act. 5. Act. 13. Denique; Chriſtus flagello coëgit negociatores egredi templum. Petrus Ananiam, & Saphiram, quia mentiri auſi fuerant Spiritui ſancto, occidit. Et Paulus falſum Prophetam, qui proconſulem à fide impedire conabatur, cæcitate percuſsit.

Prob. 2. Prob. ſecundò ſententijs, & legibus Imp. quas Eccleſia ſemper probauit. Conſtantinus I. Imp. ad petitionem Nicenæ Synodi, Arium cum aliquot ſocijs, in exilium relegauit: item, Donatiſtas ſupplicio affecit. Deinde; Theodoſius, Valentinianus, Martianus, & alij religioſiſsimi Imp. leges tulerunt in hæreticos, quibus eos interdum aliquot libris auri, interdum omnibus bonis, interdum exilio, & verberibus, interdum vltimo ſupplicio mulctari voluerunt. Iuſtinianus lege edita omnes hæreticos de finibus totius Imperij eiecit, conceſsis trium menſium ad conuerſionem inducijs. Deinde; Michaël Imp. capitalem pœnam in hæreticos conſtituit.

Prob 3. Prob. tertiò legibus Eccleſiæ, quæ definiuit hæreticos incorrigibiles ſæculari poteſtati tradendos, vt ab eis debito modo puniantur. Item, Conſtan-
Seſſ. 15. tienſe Concilium damnauit ſententiam Ioannis Huſsij, & ipſum Ioannem, & Hieronymum de Praga tradidit ſæculari poteſtati, à qua ambo exuſti fuerunt. Denique, Leo X. articulum Lutheri damnauit.

Prob. 4. Prob. quartò teſtimonijs Patrum.

& 5. Quintò, ratione naturali. Primò, hæretici excommunicari iure poſſunt, vt omnes fatentur: ergo & occidi. Prob. conſeq. quia excommunicatio eſt maior pœna, quàm mors temporalis. Secundò, experientia docet non eſſe aliud remedium: nam Eccleſia paulatim progreſſa eſt, & omnia remedia experta. Primò ſolùm excommunicabat: deinde addidit mulctam pecuniariam: tum exilium: vltimò coacta eſt ad mortem venire. Nam excommunicationem contemnunt hæretici, & dicunt eſſe fulmina frigida. Si mineris mulctam pecuniariam, nec Deum timent, nec homines reuerentur, ſcientes non defuturos ſtultos, qui illis credant, & à quibus alantur. Si in carcerem concludas, vel in exilium mittas, corrumpunt vicinos verbis, & longè poſitos libris, ergò ſolum remedium eſt, mittere eos maturè in locum ſuum. Tertiò, Falſarij omnium iudicio merentur mortem: at hæretici falſarij ſunt verbi Dei. Quartò, Grauius eſt, non ſeruare fidem hominem Deo, quàm fœminam viro: ſed hoc, morte punitur, cur non illud? Quinto, Tres cauſſæ ſunt, propter quas ratio docet homines occidendos eſſe. Prima eſt, ne mali bonis noceant, neue innocentes à nocentibus opprimantur. Atque hinc iuſtiſsimè omnium iudicio occiduntur homicidæ, adulteri, latrones. Secunda eſt, vt paucorum ſupplicio multi corrigantur, & qui noluerunt prodeſſe Reip. viuendo, proſint moriendo. Atque hinc videmus, etiam iuſtiſsimè omnium iudicio quædam horrenda flagitia mortem puniri, licet proximis non noceant, niſi exemplis, vt Necromantiam; quædam nefanda, & contra naturam. Iſta ideo grauiſsimè puniuntur, vt ceteri intelligant, immania eſſe ſcelera, & non audeant ſimilia perpetrare. Tertia eſt, quia ipſis hominibus, qui occiduntur, ſæpe vtile eſt occidi, quando videlicet ſemper fiunt peiores, & non eſt probabile, eos vnquam ad ſanitatem mentis reuerſuros.

Hæ-

Hæ autem omnes rationes ſuadent, hæreticos occidendos. Nam primùm, nocent proximis magis, quàm vllus pyrata, vel latro, quandoquidem animas occidunt; immo tollunt fundamentum omnis boni, & Remp. tumultibus replent, qui neceſſario religionum diuerſitatem ſequuntur. Deinde; Plurimis prodeſt eorum ſupplicium: multos enim, quos impunitas faciebat torpentes, ſupplicia propoſita excitant, vt cogitent, qualis ſit hæreſis, quam ſequuntur, & videant, ne fortè vitam præſentem miſerè finiant, & ad futuram beatitudinem non perueniant. Itaque B. Auguſtinus teſtatur, plurimos conuerſos eſſe, poſtquam leges Imp. non ſinebant hæreticos impunitos, & nos quotidie idem videmus tueri in locis, vbi viget inquiſitio. Denique, hæreticis obſtinatis beneficium eſt, quod de hac vita tollantur: nam quò diutiùs viuunt, eo plures errores excogitant, plures peruertunt, & maiorem ſibi damnationem acquirunt.

DE PVRGATORIO

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Oſtenditur Purgatorium eſſe.

Tria Purgatoria.

Hebr. 1.
Ioan. 1.

TRIA in Script. reperiuntur, quibus tribuitur purgatio peccatorum, & purgatoria dici poſſunt. Primò, Chriſtus ipſe, de quo dicitur; *Purgationem peccatorum faciens.* Et: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Sed de hoc non loquimur; tum, quòd non ſoleat Chriſtus vocari Purgatorium; tum, quòd ſit extra controuerſiam, eum purgatorem peccatorum eſſe. Secundò, tribulationes huius vitæ, de quibus ad litteram videtur intelligendus Malachias: *Ipſe ſedebit, quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum.* Nam, vt rectè exponit B. Hieron. hîc agitur de tribulatione, quæ præcedit diem iudicij ad purganda peccata fidelium. Et: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit, vt fructum plus afferat.* De hoc purgatorio non loquimur, tum quòd ſit extra controuerſiam; tum etiam, quòd non ſemper tribulatio huius vitæ ſit purgatoria. Nam multi iuſti affliguntur, non vt purgentur, ſed vt exerceantur, & probentur, iuxta illud: *Vaſa figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.* Et multi iniuſti affliguntur, non vt purgentur, ſed vt incipiant damnationis ſuæ pœnas guſtare. Vocatur ergo tertiò Purgatorium locus quidam, in quo, tanquam in carcere, poſt hanc vitam purgantur animæ, quæ in hac non plenè purgatæ fuerunt; vt nimirum ſic purgatæ, in cœlum ingredi valeant, quò nihil intrabit coinquinatum.

Malach. 3.

Ioan. 15.

Eccle. 27.

Prob. 1. eſſe Purgatoriũ.

2. Mach. 12.

Itaque Purgatorium eſſe, prob. primò ex veteri Teſtamento. Primus locus eſt, vbi, poſteaquam Script. narrauit, Iudam Machabæum miſiſſe in Hieruſalem 12000. drachmarum argenti in ſacrificia pro mortuis expendenda, ſubiungit: *Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Hinc enim ſequitur. Primò, poſſe mortuos poſt hanc vitam à peccatis ſolui, ac proinde eſſe Purgatorium. Secundò, ſacrificia, & orationes viuorum prodeſſe defunctis. Tertiò, non expiari ſemper in morte omnes reliquias peccatorum, vt Lutherus dicit; nam iſti, pro quibus orari iuſſit Iudas, mortui erant morte violenta, & pro religione, tamen credebat Iudas, adhuc

illos

illos non plenè purgatos. Quartò, poſſe hominẽ ſanctè, & piè mori, & tamẽ habere debitum aliquod ſoluendum, vel propter venialia peccata non remiſſa in vita, vel propter ſatisfactionem pro mortalibus remiſsis non plenè expletam: nam Script. hoc loco dicit, eos, pro quorum peccatis iuſsit orari Iudas, cum pietate dormitionem accepiſſe. Quinto, hoc eſſe de fide.

Secundus locus eſt: *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Huius loci non poteſt eſſe alius ſenſus, quàm is, quem communiter expoſitores tradunt, videlicet; Inſtrue conuiuium, & voca fideles pauperes, vt ipſi poſt acceptam eleëmoſynam orent pro anima defuncti. *Tob.4.*

Tertius eſt, vbi habitatores Iabes Galaad, audita morte Saul, ieiunauerunt ſeptem dies. Et Dauid fleuit, & ieiunauit pro Saule, & Ionatha, & alijs occiſis; quod idem fecit pro Abner. Quamuis enim hæc videbantur fieri in ſignum doloris, & triſtitiæ, tamen credibile eſt, præcipuè facta eſſe ad iuuandas animas defunctorum, vt Beda exponit. Id ex duobus colligimus. Primo ex eo, quod irrationabile fuiſſes, in ſignum doloris ſeptem dies ieiunare. Secundo ex eo, quod Dauid ieiunauit, & orauit pro filio ſuo infantulo, dum ægrotaret; poſteà vero, quando audiuit eum eſſe mortuum, non ampliùs ieiunauit: quo facto ſuo oſtendit, ſe ieiunare ſolitum, vt aliquid à Deo impetraret. Ideo enim pro morte pueri non ieiunauit, quia ſciebat non eſſe puerum ad vitam rediturum, & præterea eum ſuffragijs non egere. Quo etiam ſpectat illa ſollicitudo Patriarcharum, qui cupierunt in terra promiſſionis ſepeliri: nimirum vt eſſent participes precum, & ſacrificiorum, quæ ibi offerebantur. *1.Reg vlt. 2.Reg. 1. 2.Reg.3. In li.1.Reg. 2.Reg.12. Gen.47.50.*

Quartus eſt: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* *Pſal. 37.*
Etſi enim hæc verba variè exponi poſsint, tamen B. Auguſtinus ita exponit, vt in furore argui à Deo, ſit in æternum damnari, & in ira corripi, ſit puniri ſeuerè poſt hanc vitam, ad correctionem tamen, & emendationem. Eodem modo exponit Beda, Haymo, Dionyſ. Carthuſ. & alij.

Quintus eſt: *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* *Pſal.65.* Hic etiam locus poteſt habere varios ſenſus, tamen Origenes, & B. Ambroſ. exponunt per aquam, Baptiſmum; per ignem, Purgatorium.

Sextus eſt: *Purgabit Dominus ſordes filiorum, & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum ſpiritu iudicij, & ſpiritu combuſtionis.* Hunc locum exponit B. Auguſtinus de pœna Purgatorij. *Iſa.4.*

Septimus eſt: *Succenſa eſt, quaſi ignis, impietas, vepres, & ſpinas deuorabit.* Baſilius in hunc locum dicit, per confeſsionem peccatum areſieri, vt igne purgatorio poſt hanc vitam poſsit abſumi, & ex hoc loco probat. *Iſa. 9.*

Octauus eſt: *Ne læteris, inimica mea; nam, ſi cecidi, reſurgam, cùm ſedero in tenebris, iram Domini portabo, donec cauſſam meam iudicet. Adducet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.* Hunc locum afferri ſolitum pro Purgatorio, docet Hieronymus, & Gloſſa ordinaria exponit: *Iram Domini portabo*; Hic, vel in Purgatorio. *Mich. 7.*

Nonus eſt: *Tu autem in ſanguine Teſtamenti noui eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Etſi enim locum hunc adducant paſsim pro liberatione Pa- *Zach.9.*

trum:

trum ex limbo, tamen meliùs conuenit liberationi animarum ex Purgatorio, quas Christus eduxit, cùm eò deſcendit poſt mortem ſuam. Primò, quia iſti rectiùs dicuntur vincti. Secundò, quia in Purgatorio non eſt aqua conſolationis, quæ eſt in limbo: vt patet de Lazaro: *Hic verò conſolatur.*

Luca 16. *Malach. 3.*

Decimus eſt: *Ipſe ſedebit, quaſi ignis conflans, & purgabit filios Leui, & colabit eos.* Hunc locum exponunt de pœna purgatoria Origenes, S. Ambroſ. B. Auguſt. B. Hieronymus. Et quanquam pœna illa purgatoria non eſt ea, de qua nunc agimus, nam illa purgabit viuentes, nos autem agimus de pœna mortuorum, tamen inde rectè infertur Purgatorium. Nam ideo tunc præcedet tribulatio grauiſsima, & poſteà etiam ignis deſcendet, & purgabit celerrimè omnes reliquias peccatorum, in hominibus iuſtis, quia tunc repentè Eccleſia, quæ eſt in terris, aſſumenda erit ad ſponſum, nec erit tempus purgationis vlterius, vt nunc eſt poſt mortem ante iudicium.

Prob. 2. Purgatorii. Prob. ſecundo ex Teſtamento nouo.

Matt. 12. Primus locus eſt, vbi Dominus dicit, eſſe quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Hinc SS. Patres colligunt, quædam peccata remitti in futuro ſæculo per orationes, & ſuffragia Eccleſiæ.

1. Cor. 3. Secundus eſt: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

Nota, iſtum locum Apoſtoli eſſe vnum ex difficillimis, & vtiliſsimis totius Script. nam ex eo ſtatuunt Catholici duo Eccleſiaſtica dogmata, Purgatorium, & venialia peccata, contra hæreticos. Hæc autem ſunt Apoſtoli verba: *Secundum gratiam Dei, quæ data eſt mihi, vt ſapiens Architectus, fundamentum poſui. Alius autem ſuperædificat, vnuſquiſque autem videat quomodo ſuperædificet: fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, lignum, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet; ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Vtitur verò Apoſtolus in hac ſententia ſimilitudine duorum Architectorum, quorum vnus ſuper fundamentum lapideum, & ſolidum, erigit domum ex precioſa materia, & quæ ignem non timet: qualia ſunt aurum, argentum, lapides precioſi, vt Iaſpis, Porphireticus, Parius lapis. Nam ex auro, & argento fiunt laminæ, & columnæ, vt de templo Salomonis legimus: ex lapide pario, & porphiretico etiam integri parietes erigi poſſunt. Alter verò ſuper ſimile fundamentum, id eſt, lapideum, & ſolidum erigit domum more pauperum ruſticorum, ex aſſeribus, & ſtipitibus, eamque tegit fęno, & ſtipulis. Hac poſita ſimilitudine, fingamus vtrique domui adhiberi ignem, videbimus priorem nihil penitùs lædi, &, ſi Architectus intus fortaſſe ſit, ſimiliter nihil pati. At poſteriorem domum videbimus continuò ignem concipere, & breui tempore totam conſumi, &, ſi Architectus intus ſit, & velit ſaluus egredi, videbimus eum exire non poſſe, niſi per ignem. In quo tranſitu non quidem morietur, ſed tamen barba, & capilli non egredientur incolumes, niſi fortaſſe fiat miraculum trium puerorũ, qui in fornace Babylonica non comburebantur.

Sunt

Sunt autem quinque hic difficultates. Prima eſt: Qui ſint Architecti, qui ſuperædificant? B. Auguſtin. cenſet, omnes Chriſtianos dici hic ab Apoſtolo Architectos, & omnes ſuperædificare ſuper fidei fundamentum, vel opera bona, vel mala. Idem docere videntur Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & OEcumenius in hunc locum. Alij permulti docent, Architectos hic ab Apoſtolo non vocari, niſi Doctores, & Prædicatores Euangelij. Ita Ambroſius, & Sedulius in hunc locum. Idem inſinuat Hieron. & recipiunt B. Anſelmus, & B. Thomas, etiamſi priorem ſententiam non reijciant. Idem multi recentiores, vt Carthuſianus, Lyranus, Caietanus, & alij in hunc locũ. Vtraque ſententia eſt bona, & ex vtraque deducitur aſſertio Purgatorij, & peccatorum venialium: tamen magis litteralis eſt poſterior. Id patet manifeſtè ex verbis præcedentibus, & ſequentibus eius capitis. Dixerat enim anteà: *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Deinde in eodem ſenſu ſtatim ſubiungit: *Ego, vt ſapiens Architectus, fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat.* Et ibidem: *Qui plantat, & qui rigat vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem: Dei enim ſumus adiutores, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Vbi apertiſsime comparat ſe, & alios prædicatores Euangelij, agricolis, & architectis; populos autem, qui docentur, comparat agris, & ædificijs. Item, in verbis ſequentibus iterum loquitur de Doctoribus, cùm ait: *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Et rurſum: *Nemo itaq́; glorietur in hominibus; omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas;* id eſt, nolite gloriari in Doctoribus, & Prædicatoribus veſtris, & dicere: *Ego ſum Pauli, ego verò Apollo.* Nam omnes ſunt vnum, & pro vobis omnes laborant. Itaque, ſicut dixerat, ſe plantaſſe, & Apollinem rigaſſe; ita nunc dicit: Ego fundamentum poſui, prædicans Chriſti fidem: alij autem ſuperædificant, docentes ea, quæ ad vitam, & mores pertinent, & etiam explicantes latius fidei noſtræ myſteria.

Altera difficultas eſt: Quid nomine fundamenti intelligatur? Variæ de hâc re ſunt ſententiæ: ſed veriſsima eſt, qua nomine fundamenti intelligitur Chriſtus a primis prædicatoribus annunciatus, quales erant Apoſtoli, qui Chriſti fidem, & Euangelium detulerunt ad eos populos, qui nihil vnquam de Chriſto audierant. Hinc enim B. Paulus ait: *Ego plantaui, & ego, vt ſapiens Architectus, fundamentum poſui.* Hinc etiam, qui primi in aliqua regione fidem prædicant, dicuntur Apoſtoli eius regionis. *Fundamentum.*

Nomine vero auri, argenti, & lapidum precioſorum intelligitur doctrina vtilis, & ſalutaris aliorum prædicatorum, qui eos docent, qui iam fidem receperunt, & docent non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo, ita vt verè auditores ſuos ædificent, & promoueant in religione, & pietate. *Aurum, argentum, lapides precioſi.*

Nomine autem ligni, fœni, & ſtipulæ intelligatur doctrina, non quidem hæretica, vel mala, sed [illegible] ſuperuacanea eorum prædicatorum, qui Catholicum [illegible] Catholicè concionantur, ſed abſque eo fructu, & vtilitate, quam Deus [illegible], ſicut priores cum magno merito concionantur, [illegible] merito, ſed etiam non ſine peccato [illegible]. *Lignum, fœnum, ſtipula.*

Hæc expoſitio [illegible]. Primò, quia nomine ędificantium

tium ſoli Doctores intelliguntur, ergo nomine operis ipſorum intelligi debet doctrina. Secundò, quia valdè conuenit hęc ſimilitudo ſic explicata, Doctoribus Corinthiorum, Erant enim plus æquo dediti eloquentię, & philoſophię, quę, licet ex ſe iuuent, tamen interdum impediunt fructum concionum, quocirca B. Paulus de vtroque Corinthios in hâc epiſtola reprehendit. Tertiò, quia hoc totum caput optimè explanatur: ſiquidem B. Paulus in hoc capite tres ſimilitudines poſuit. Primam, de agricolis plantantibus, & rigantibus, qua ſolum bonos Doct. complexus eſt. Secundam, de ædificantibus ſuper bonum fundamentum, qua non ſolùm bonos, ſed etiam malos Doct. comprehendit. Tertiam, de corruptoribus templi, qua ſolos malos contineri voluit, & malos non quomodocunque, ſed perfectè malos, vt hæreticos errores pro veritate, & vitia pro virtutibus docentes, de quibus non dicit, quod ſalui erunt, quaſi per ignem, ſed quod diſperdet illos Deus.

Dies Domini. Tertia difficultas eſt de die Domini. Et ſi autem plures ſint ſententię, omnes tamen veteres videntur accepiſſe per illam diem, diem vltimi iudicij, vt Theodoretus, Theophylactus, Anſelmus, & alij, quorum mihi videtur veriſsima ſententia. Primò, quia vbique in Script. dies Domini ſignificat diem vltimi iudicij. Secundò, quia dicitur, *In illa die*, quo deſignatur vna quędam certa dies, quo omnium hominum opera ſimul probantur. At dies iudicij particularis non eſt vna, ſed multiplex, neque in ea probantur omnium hominum opera. Tertiò, quia dicit Apoſtolus, *Dies Domini declarabit*, quaſi dicat, tunc erunt omnia omnibus manifeſta: vt capite ſequenti dicit: *Donec veniat* *1. Cor. 4.* *Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium*, id autem non fiet, niſi in nouiſsimo iudicio. Quartò, quia ſequitur: *Quia in igne reuelatur*. Dicitur enim dies iudicij reuelari in igne, quia vltimum ſignum, & omnium notiſsimum erit conflagratio totius mundi, & propterea ſemper fere dies iudicij deſcribitur per ignem: *Ignis ante ipſum præcedet*. Et: *Ante faciem eius ignis vorax*. Et: *In reuelatione Domini noſtri Ieſu Chriſti de cœlo, cum Angelis virtutis eius in flamma ignis*. Et: *Elementa ignis ardore tabeſcent*. Quod ſi non placet hîc per ignem accipere ignem materialem, ſed ipſum iudicium Dei, vt alij exponunt, adhuc non poteſt intelligi per hanc diem, niſi dies vltimi iudicij. Nam tunc ſenſus eſt, quia in igne reuelatur, id eſt, quia illa dies erit notiſsima propter iudicium acerrimum, & maximum, quod in illa exercebitur. At dies iudicij particularis non eſt notiſsima propter iudicium, ſed magis propter mortem. nam ipſum iudicium particulare paucis eſt notum.

Pſal. 96. Ioel. 2. 2. Theſſ. 1. 2. Pet. 3.

Ignis probans. Quarta difficultas eſt, quis ſit ignis, qui in die Domini vniuſcuiuſque opus probabit. Veriſsima videtur ſententia eorum, qui dicunt, hic Apoſtolum loqui de igne ſeueri, & iuſti iudicij Dei, qui non eſt ignis purgans, & affligens, ſed probans, & examinans. Ita exponunt Ambroſ. Sedulius, Dionyſ. Carthuſ. Lyran. Caietanus, & alij in hunc locum. Quod hęc ſententia veriſsima ſit, prob. primo, quia non aliter poteſt intelligi, quomodo ignis probet eos, qui aurum, & argentum ędificarunt. Secundo, quia hęc expoſitio optimè conuenit verbis Apoſtoli, cùm ait; *Vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit: ſi cuius opus manſerit, mercedem accipiet; ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur.* Licet enim opera tranſierint ab oculis hominum, & igne materiali examinari non poſ-

poſsint, tamen non tranſierunt ab oculis Dei, ſed *cuncta, quæ fiunt, adducet Deus* Eccleſ. vlt.
in iudicium, & ea examinabit; &, *ſi cuius opus manſerit*, id eſt, ſi cuius opus iudi-
cium Dei ſuſtinere potuerit, ſicut aurum ſuſtinet ignem, *mercedem accipiet*,
probabitur, & coronabitur a Deo: *ſi cuius opus arſerit*, id eſt, ſi cuius opus iudi-
cium Dei non ſuſtinuerit, ſicut fœnum, & ſtipula non ſuſtinent ignem, *detri-
mentum patietur*, reprobabitur, & reijcietur. Tertiò, quia iudicium Dei rectiſ-
ſimè vocatur ignis, cum ſit puriſsimum, celerrimum, efficaciſsimum, & ma-
ximè penetratiuum. Vnde Daniel: *Fluuius igneus egredietur de ore eius*. Et etiam Dan. 7.
quia Deus totus eſt iuſtitia, totus iudicium: inde enim in Script. vocatur ig-
nis: *Ipſe quaſi ignis conflans*. Et: *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt*. Malach. 3. Hebr. 12.

Quinta difficultas eſt, quid per ignem intelligatur, cùm ait: *Ipſe autem ſaluus* Ignis
erit, ſic tamen quaſi per ignem. Communis Theologorum ſententia eſt, (licet va- ſaluans.
riæ ſint ſententię) intelligi pœnam aliquam purgatoriam; & temporalem, ad
quam poſt mortem adiudicantur, qui in iudicio particulari inueniuntur ædi-
ficaſſe lignum, fœnum, aut ſtipulam. Hæc expoſitio, pręterquam quod opti-
me conuenit textui, ſatis probatur ex communi conſenſu Patrum.

Tertius locus eſt: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſur-* 1. Cor. 15.
gunt? vt quid baptizantur pro illis? Hic locus apertè conuincit, quod volumus.
Sex expoſitiones ſunt, ſed vera, & germana eſt, quod loquatur de Baptiſmo
lachrymarum, & pœnitentiæ, qui ſuſcipitur orando, ieiunando, eleemoſynas
faciendo, &c. vt ſenſus ſit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non
reſurgunt?* id eſt, quid facient, qui orant, ieiunant, gemunt, affligunt ſe pro
mortuis, ſi mortui non reſurgunt? Ita exponunt Ephrem, Pet. Cluniacenſis,
Dionyſius, Hugo, Gagneitis, & alij in hunc locum.

Hęc expoſitio veriſsima eſt: primo, quia, baptizari, paſsim in Script. &
Patribus accipitur pro affligi. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum, &* Marc. 10.
baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Patres paſsim vocant pœnitentię afflictio-
nem, baptiſmum laborioſum, & ſecundam tabulam. Secundo, quia ipſa pęna
Purgatorij a Script. & Patribus vocatur Baptiſma: nam quod legimus: *Ipſe* Matth. 3.
vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni, B. Hieronymus exponit de Spiritu ſancto
in hac vita; igne vero in futura, ſicut & alij. Itaque elegantiſsimè Apoſtolus
dixit, eos baptizari pro mortuis, qui affligentes ſe oratione, & ieiunio, ſu-
munt in ſe partem illius Baptiſmi ignei, quo animę baptizantur in Purgato-
rio. Tertiò, quia hęc expoſitio maximè quadrat cum ſequentibus: *Vt quid nos
periclitamur tota die?* quaſi dicat; Cur quidam ſe affligunt orando pro mortuis,
& ego affligo me prędicando Euangelium, ſi mortuorum reſurrectio non
eſt? Quartò, quia iſta ſententia eadem eſt cum illa: *Si mortui non reſurgunt, ſu-* 2. Mach. 12.
perfluum eſt, & vanum, orare pro mortuis.

Quartus locus eſt: *Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es cum eo in via, ne for-* Matth. 5.
tè tradat te aduerſarius iudici, & iudex tortori, & mittaris in carcerem. Amen dico tibi, Luca 12.
non exies inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem.

Sex hic exponenda ſunt. Primò, via. De qua Chryſoſtomus docet, eam ac- Via.
cipi pro vera via, qua itur ad iudicem in hoc mundo. Exiſtimat enim, nullam In c. 5.
hic eſſe parabolam, ſed Dominum ad litteram terrere diſsidentes communi- Matth.
catione humani periculi, ita vt etiam iudex intelligatur homo, tortor homo,

carcer materialis huius vitæ, & quadrans verus nummus græcus. Quo etiam modo contendit Ochinus, eſſe hunc locum exponendum.

De qua explicatione duo dico. Primò, eam ſimpliciter non eſſe probabilem; tum, quod repugnent omnes alij expoſitores, Origenes, Cyprianus, Hilarius, Ambroſ. Hieron. Auguſtin. Beda, Anſelmus; & recentiores, Abulenſis, Lyranus, Caietanus, Ianſenius, & alij, qui omnes docent, viam hic ſigni-
Pſal. 118. ficare vitam præſentem: vt cùm dicitur: *Beati immaculati in via*; & magna ex parte hunc ſermonem eſſe Metaphoricum: tum etiam, quòd non ſoleat Dominus tam feriò docere, & inſtruere humanam prudentiam, cùm ipſe ſæpe teſtatus ſit, filios huius ſeculi prudentiores eſſe filijs lucis. Adde quòd non tam aſſertiuè Dominus diceret: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem*; ſi loqueretur de humano iudicio, cùm ſæpe videamus contrarium accidere, vt rei liberentur fauore alicuius, vel per ſe fugiant, & nihil ſoluant.

Dico ſecundò; Si Chryſoſtomi ſententia recipi debeat, vt probabilis, ſo-
Matth. 5. lùm recipi poſſe pro ijs verbis, quæ habentur apud Matth. quæ ipſe exponit:
Luca 12. pro ijs autem, quæ apud Lucam, nullo modo recipi poſſe. Bis enim Dominus
Matth. 5. hæc verba eſt locutus, diuerſis oblatis occaſionibus. Nam apud Matth. dixit hæc verba, cùm loqueretur de amore inimicorum, & de iniurijs condonandis; & ideò tolerari vtcunque iſta expoſitio poteſt. Apud Lucam vero Domi-
Luca 12. nus loquitur de iudicio futuro. Dicit enim: *Sint lumbi veſtri præcincti*. Et poſteà: *Vigilate, quia, qua hora non putatis, Dominus veniet*. Et in fine concludit: *Cùm ergo vadis cum aduerſario tuo ad Principem*. Vbi apertè oſtendit, ſe loqui de futuro iudicio, quod erit poſt hanc vitam. Quod etiam confirmatur ex verbis immediatè præcedentibus: *Quid autem & à vobis ipſis non iudicatis, quod iuſtum eſt? Cùm enim vadis cum aduerſario tuo*. Vult enim eos admonere, parabolam hanc ſumptam ex ijs, quæ homines facere ſolent. Vt enim debitores dant omnem operam liberandi ſe à creditore, antequam ad iudicium veniatur; ita, &c. Quocirca Theophylactus, & Euthym. in Matth. ſequuntur Chryſoſtomum; in Lucam tamen dicunt rectè intelligi per viam, vitam; per iudicem, Deum, &c.

Aduerſarius. Secundo, quis ſit Aduerſarius, multæ ſunt opiniones: ſed veriſsima expoſitio eſt, Aduerſarium eſſe Dei legem; ſiue Deum ipſum, quatenus præcipit cõtraria carni; ſiue conſcientiam, quæ Dei legem ſemper obijcit peccanti. Ita exponunt Patres. Nam lex Dei, & conſcientia noſtra, ſemper ſunt in via, ſemper aduerſantur prauis deſiderijs, eiſque vtiliſsimum eſt cito conſentire, & ab eorum inimicitia liberari: denique accuſatores, & teſtes erunt contra nos in iudicio.

Iudex. Tertiò, quis ſit Iudex, conueniunt omnes, Iudicem eſſe Chriſtum: nam
Ioan 5. Script. paſsim hoc docent: *Pater omne iudicium dedit filio*. Quartò, qui ſint Mi-
Miniſtri. niſtri, Ambroſ. & Auguſtinus intelligunt per Miniſtros, Angelos bonos: Gregorius, & Theophylactus malos, ſcilicet dæmones. Vtrumque eſt pro-
Carcer. babile. Quintò, quis ſit Carcer, omnes conueniunt eſſe infernum, in quo tamen multæ ſunt manſiones. Aliæ pro damnatis; aliæ pro his, qui purgantur.

Sextò,

Sextò, conueniunt etiam ferè omnes per nouiſsimum quadrantem intelligi, minuta peccata: quadrans enim eſt minima moneta. Quia tamen non vult Dominus dicere, ſolum quadrantem ſoluendum, ſed totum debitum vſque ad vltimum quadrantem, dubium manet, An hæc ſolutio fiat in Gehenna, an in Purgatorio? Alij dicunt in Gehenna. Alij in Gehenna, & Purgatorio ſimul. Alij denique intelligunt in ſolo Purgatorio. Quæ ſententia veriſſima eſt. *Nouiſſimus quadrans.*

Prob. primò, quia hoc modo hunc locum intellexerunt vetuſtiſsimi Patres.

Prob. ſecundò, quia illud, *Donec ſoluas vltimum quadrantem*, non videtur rectè poſſe dici, niſi aliquando ſit futurus finis ſolutionis. Inferimus enim inde rectè; Ergo aliquando ſoluet vltimum quadrantem, & conſequenter exibit inde.

Prob. tertiò ex fundamento, & ſcopo ipſius parabolæ. Nam ſimilitudo non eſt ſumpta ab homicida, vel adultero, vel proditore qui damnantur ad mortem, vel ad perpetuos carceres, vel triremes, ſed à debitore, qui non propter crimen, ſed propter debitum pecuniarium conijcitur in carcerem, donec ſoluat. Solent autem eiuſmodi homines ordinariè egredi poſt aliquod tempus, vt patet. Itaque ſcopus parabolæ eſt, vt in hac vita componamus cum Deo, quando facilè impetramus remiſsionem pœnæ peccatis noſtris debitæ, nec expectemus ſeculum futurum, in quo ſeueriſsimè agetur.

Quintus locus eſt: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit concilio: qui dixerit, fatue, reus erit Gehennæ ignis.* Certum eſt, hic agi de pœna iniungenda in foro Dei, vt patet ex illo: *Reus erit Gehennæ ignis.* Certum etiam eſt, hic diſtingui tria genera peccatorum, & pęnarum, & damnationem æternam ſolum tribui tertio generi peccatorum, id eſt, criminibus. *Matth. 5.*

Alijs autem, vtpote leuioribus peccatis pœnas leuiores, ac proinde temporales. Ex quibus infertur, animas aliquas poſt hanc vitam puniri temporalibus pœnis. Poteſt enim fieri, vt aliquis moriatur cum peccatis leuibus, quia poteſt mori repente, vel dormiens, ita vt nullum habeat ſpacium pœnitentię. Ergo in hâc vita purgabitur: alioqui vel ibit in cœlum aliquid coinquinatum, vel in [illegible] damnabitur ad pœnas æternas, qui non merebatur, niſi temporales.

Sextus eſt: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Per, *deficere*, intelligunt omnes mori. Per, *amicos*, intelligunt ſanctos qui cum Chriſto regnant: ex quibus ſequitur, homines poſt mortem iuuari precibus Sanctorum. Sed quia poſſet aliquis dicere, hic agi de virtute eleemoſynæ, & ſenſum eſſe, eos, qui eleemoſynam fecerunt, cùm moriuntur, ſaluari propter opera illa bona, [illegible], obſeruandum eſt, non hoc ſolum velle Dominum, ſed etiam velle poſt mortem iuuari animas precibus Sanctorum. Nam primò, ad id cogunt verba illa *Facite amicos qui recipiant.* Nam eleemoſyna, quę datur malis hominibus, bona tamen intentione, meritoria eſt, & tamen non facit amicos, *Lucæ 16.*

qui poſsint recipere in æterna tabernacula. Secundò; Ad id nos cogit ipſa ſimilitudo; nam parabola ſumpta eſt ab œconomo quodam, qui depoſitus ab officio, & egenus factus opem implorabat amicorum ſuorum. Quid autem in applicatione parabolæ, deponi ab officio, ſit mori, Dominus ipſe explicat. Adde, quòd Auguſtin. ex hoc loco purgatorium eſſe demonſtret.

Luc. 23. Septimus eſt: *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Nunquam hoc diceret bonus ille vir à Spiritu ſancto edoctus, niſi crederet, poſt hanc vitā poſſe remitti peccata, & auxilio animas indigere, & iuuari poſſe.

Act. 2. Octauus: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſsibile erat, teneri eum ab iſtis.* Hunc locum ita intelligit B. Auguſtinus, vt ſit ſenſus, Chriſtum, cùm deſcendit ad inferos, multos liberaſſe a cruciatibus inferni. Quod, cùm non poſsit intelligi de damnatis, neceſſario videtur intelligendū de ijs, qui purgabantur. Quod etiam affirmat Epiphanius. Et prob. ex ipſis verbis: nam illud: *Solutis doloribus inferni*, non poteſt intelligi, niſi de doloribus ipſius Chriſti. Dolores enim Chriſti in cruce finiti ſunt, vt patet ex illis verbis: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Nec de doloribus damnatorum, vt patet, quia illi æternis ignibus addicti ſunt. Nec de doloribus ſanctorum Patrum: illi enim nullos patiebantur dolores; vt Auguſtin. & Gregor. docent. Relinquitur igitur, vt de doloribus animarum Purgatorij hoc loco agatur.

Philip. 2. Nonus eſt: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Vtitur hoc loco B. Auguſtinus: quanquam per illud, *Infernorum*, non improbabiliter accipiantur Dæmones. Similis huic eſt ille locus: *Quis dignus eſt aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius? & nemo inuentus eſt, neque in*
Apoc. 5. *cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram.* Per eos, qui ſunt in cœlo, intelliguntur Angeli. Per eos, qui in terra, homines iuſti. Per eos, qui ſub terra non poſſunt intelligi, niſi animæ Purgatorij. Nec enim id damnatis tribueretur: Patres autem, qui fuerant in limbo, iam liberati erant. Vtuntur noſtri hoc loco: ſed tamen non videtur multùm vrgere. Nam probabile eſt, intelligi per eos, qui ſunt infra terram, Patres, qui erant in limbo. Etſi enim, quando Ioannes hæc ſcripſit, Patres exierant ex limbo, non tamen exierant eo tempore, de quo loquitur. Loquitur enim de tempore, quod præceſsit Chriſti mortem: ideò enim ſubiungitur: *Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum*, &c. Chriſtus autem ſua morte aperuit myſteria libri vſque ad illam
Ibid. diem clauſa. Similiter, quod affertur ex hoc eodem capite, vbi dicuntur creaturæ, quæ ſunt in cœlo, & quæ in terra, & quæ ſubtus terram, dediſſe laudem Deo, non conuincit: nam poſſunt hic per creaturas intelligi res inanimæ, vt:
Pſal. 148. *ignis, grando*, &c. quæ in Pſal. ad Deū laudandum inuitantur: præſertim cùm Ioannes addat etiam ea, quæ ſunt in mari.

Prob. 3. Purgatorium. Prob. etiam Purgatorium ex totius Eccleſiæ conſuetudine, & Concilijs generalibus, Lateranenſi, Florent. Tridentino, & omnibus Liturgijs, in quibus fit oratio pro defunctis. Idem prob. ex Patribus Græcis, & Latinis.

Prob. 4. 1. Ratio. Prob. etiam rationibus. Prima ratio: Quædam peccata ſunt venialia, ſoloque

quę temporali pœna digna. At fieri poteſt, vt cum ſolis talibus homo decedat ex hac vita: igitur neceſſe eſt in alia vita poſſe purgari. Eſſe autem quędam peccata venialia, prob. ex Iacobo: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua; concupiſcentia autem, cùm conceperit, parit peccatum; peccatum, cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Iac. 1. Hic deſcribitur peccatum veniale ex imperfectione actus, & explicat hic Iacobus peccatum veniale ſecundum ſe, ac docet poſt tentationem concupiſcentiæ, quæ ſine peccato eſſe poteſt, continuo ſequi peccatum, ſi quis non caueat: nam ex concupiſcentia oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum eſt peccatum, non tamen mortiferum, ſi non adſit conſenſus mentis deliberatus. Ideo enim ſubiungit: *Peccatum cùm conſummatum fuerit, generat mortem*; accedente nimirum pleno conſenſu. Præterea Apoſtolus: *Qui ſuperædificat ligna, fœnum, ſtipulas, ſaluus erit quaſi per ignem.* 1. Cor 3. Hic deſcribitur veniale ex leuitate materiæ: &, quomodocunque intelligamus verba Apoſtoli, ſiue de hac vita, ſiue de alia, ſiue de doctrina, ſiue de omnibus operibus, neceſſariò cogimur exponere per ligna, fœnum, ſtipulas, peccata venialia, quandoquidem, qui iſta habet, ſaluatur, quaſi per ignem.

Prob. vltimò ratione. Nam intelligibile non eſt, quomodo verbum ocioſum ex natura ſua dignum ſit perpetuo odio Dei, & ſempiternis flammis. Hinc enim in terris ſtultiſsimus haberetur, qui ob leuiſsimam offenſionem amici, nec malo animo factam, nollet ampliùs eſſe amicus; immò vſque ad mortem perſequeretur eum, quem amicum paulò anteà habuerat.

Quòd autem cum eiuſmodi peccatis aliqui interdum de hac vita migrent, ac proinde in alia vita purgatione temporali egeant, prob. Nam poteſt quis, dum moritur, habere voluntatem permanendi in peccato veniali: igitur tale peccatum deleri in morte non poteſt. Præterea; Cùm *ſepties in die cadat iuſtus*, Prou. 24. & multi moriantur repentè, quomodo credibile eſt, nō mori aliquos cum peccato veniali?

Secunda ratio: Cùm reconciliantur Deo peccatores, non dimittitur ſemper cum peccato tota pœna temporalis: at poteſt fieri, & ſæpe fit, vt in tota vita aliquis non ſatisfecerit plenè pro temporali illa pœna: ergò neceſſariò ſtatui debet Purgatorium. Maior prob. Nam, cùm Dauid dixiſſet: *Peccaui Domino*, ait Propheta: *Deus quoque tranſtulit à te iniquitatem, ſed quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Cùm Maria murmuraſſet contra Dominum, punita eſt morbo lepræ: orante autem pro ea Moyſe dimiſſa eſt ei culpa; & tamen pœnam voluit Deus vt illa lueret per vnam hebdomadam. Prob. aſſumptio: Nam multi, qui plurima peccata cōmiſerunt, in mortis articulo conuertuntur, quando nullam poſſunt agere pœnitentiam: ex quo certè illud ſequitur, vt poſt hanc vitam ſatisfacere debeant.

Tertia ratio ſumitur à communi opinione omnium Gentium. Id enim cōfitentur Hebræi, Mahumetani, Gentiles, quoque tam Philoſophi, quàm Poëtæ.

Neque dicat aliquis, hoc potiùs argumentum eſſe erroris, & fabularum: nam illa, in quibus omnes ferè nationes conueniunt, vix poſſunt aliunde prouenire, quàm à naturali lumine omnibus hominibus communi: quæ enim

ſunt

2. Ratio.
2. Reg. 12.
Numer. 12
3. Ratio.

ſunt excogitata ab hominibus, varia ſunt, pro Gentium diuerſitate. Sicut ergo, Deum eſſe, in quo omnes nationes conueniunt, dicimus veriſsimum eſſe, nec tamen recipimus in particulari Deos varios, & multiplices, quos ſibi quælibet natio fabricauit: & ſicut poſt hanc vitam eſſe pœnas, & præmia, in quo etiam conueniunt omnes, recipimus vt verum, nec tamen recipimus varias fabulas, quibus hoc explicant: ita etiam Purgatorij confeſsionem, in qua omnes conueniunt ferè Gentes, oportet dicere eſſe confeſsionem luminis naturalis. Eiuſdem enim prouidentiæ diuinæ cognitio docuit Purgatorium, quæ docuit infernum, & Paradiſum, ſaltem generali, & confuſo quodam modo: quia nimirum videmus pœnas, & præmia ita diſtribui in hac vita, vt plura bona habeant mali, & plura mala boni, vt plurimum: inde iudicamus, diuinā prouidentiā in aliam vitam diſtuliſſe iudicium, & veram diſtributionem præmiorum, & pœnarum. Rurſum, Videmus ex iis qui migrant ex hac vita alios eſſe valde bonos, alios valdè malos, alios mediocriter bonos, & mediocriter malos: quocirca iudicamus, poſt hac vitam eſſe pœnas æternas pro valdè malis, & præmia æterna pro valdè bonis, ac pœnas temporarias, & per eas tranſitum ad prœmia pro iis, qui ſunt mediocriter mali, vel boni.

4. *Ratio.* Quarta ratio ſumitur ab apparitionibus animarum, quæ ſe in Purgatorio eſſe renunciauerunt, atque opem à viuis implorauerunt: quas apparitiones, cùm viri grauiſsimi retulerint, non immeritò veras eſſe credimus.

5. *Ratio.* Vltima ratio eſſe poteſt, quia iſta opinio, quæ tollit Purgatorium, nō ſolùm eſt falſa, ſed etiam perniciosa: ſiquidem homines ſocordes facit in peccatis cauendis, & bonis operibus faciendis. Qui enim cogitat, nullum eſſe Purgatorium, ſed omnia peccata per mortem aboleri in iis, qui moriuntur cū fide, facile dicit apud ſe: Quorſum ego laboro in ieiuniis, precibus, continentia, eleēmoſynis, &c.

Dogma fidei. Porrò Purgatorium eſſe, dogma fidei eſt, adeò, vt, qui non credit, Purgatorium eſſe, ad illud nunquam ſit peruenturus, ſed in Gehenna ſempiterno incendio cruciandus. Nam dogmata fidei quatuor modis probari ſolent. Primò, ex teſtimonio expreſſo Script. cum Eccleſiæ declaratione. Quomodo probamus, Chriſtum eſſe ὁμοούσιον. Patri, ex illo: *Filio, & Pater vnum ſumus,* (*Ioan. 10.*) addita Nicæni Concilij declaratione: nam alioquin nunquam lis cum Arianis finiri potuiſſet, cùm eum locum, & omnia alia, quæ afferri ſolent, ipſi aliter exponerent. Secundò, per euidentem deductionem ex iis, quæ habentur expreſſe in Script. Quomodo probamus, Chriſtum habere duas voluntates, diuinam, & humanam, quia ſecundum Script. Deus, & homo eſt, addita Concilij VI. declaratione. Tertiò, ex verbo Dei per Apoſtolos non ſcripto, ſed tradito. Quomodo probamus, Euangelia, & epiſtolas Pauli eſſe diuinas Scripturas. Quarto, per euidentem deductionem ex verbo Dei tradito. Quomodo B. Auguſtinus paſſim probat, peccatum originale eſſe in paruulis neceſſariò credendum, etiamſi in Script. non haberetur, quia de luciter euidenter ex traditione Apoſtolica de Baptiſmo paruulorum. Sufficientia horum quatuor modorum inde patet, quia id ſolum eſt de fide, quod à Deo eſt reuelatum mediatè, vel immediatè: reuelationes autē diuinæ partim ſcriptæ ſunt,

ſunt, partim non ſcriptæ. Itaque decreta Conciliorum, & Pontificum, & Doctorum conſenſus, & omnia alia ad iſta quatuor deducuntur, tunc enim ſolùm faciunt rem de fide, cùm explicant verbum Dei, aut inde aliquid deducunt.

Iam verò his omnibus modis prob. Purgatorium. Nam de primo modo patet ex locis Script. ſupra allatis, quorum aliqua à tota Eccleſia exponuntur de Purgatorio. De ſecundo modo patet ex duabus primis rationibus, quas fecimus. De tertio modo perſpicuum eſt ex eo, quòd non inuenimus initium huius dogmatis; ſed omnes veteres Græci, & Latini ab ipſo tempore Apoſtolorum conſtanter docuerunt, Purgatorium eſſe. Talia enim ad Apoſtolicam traditionem referenda eſſe, B. Auguſtin. affirmat. De quarto modo patet ex Clemente, Tertulliano, Epiphanio, & Chryſoſtomo, qui aſſerunt, orationem pro defunctis eſſe Apoſtolicam traditionem; & nulli vnquam veterum contrarium dixerunt. Hinc enim euidenter colligitur Purgatorium eſſe.

CAPVT II.

De perſonis, quibus Purgatorium conuenit.

PRIMA quæſtio eſt: *Quibus perſonis purgatio poſt hanc vitam conuenit?* Multi de hâc re extiterunt errores: ſed vera ſententia, & Catholica eſt, Purgatorium pro ijs tantùm eſſe, qui cum venialibus culpis tantùm moriuntur, de quibus agitur apud Apoſtolum. Illi enim ſunt, qui ædificant ſuper fundamentum ligna, & ſtipulas, & ſalui erunt quaſi per ignem. Et rurſum, pro illis, qui decedunt cum reatu pœnæ, culpis iam remiſsis, de quibus ibi: *Non exies inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem:* & alijs locis ſupra citatis. *Quæſt. 1. Reſp.* *1. Cor. 3.* *Lucæ 12.*

Altera quæſtio eſt: *An in Purgatorio ſit locus meritis, & peccatis.* Reſp. negatiuè, & prob. ex Script. *Quæſt. 2. Prob. Reſp.*

Primus locus eſt: *Mortui nihil nouerunt ampliùs, nec habent vltra mercedem.* Vt exponit Hieronymus. *Eccle. 9.*

Secundus eſt: *Quodcunque poteſt agere manus tua, inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia eſt apud inferos, quò tu properas.* Non poſſumus dicere, in alia vita nihil agi, aut ſciri, cùm de Epulone legamus, eum & vidiſſe Lazarum in ſinu Abrahæ, & primùm pro ſe, deinde pro fratribus opem imploraſſe: quare loquitur de opere meritorio, vt exponit Hieronymus. Neque loquitur de inferno inferiore, ſed de inferno in genere, vt omnia loca complectitur, ad quę deſcendebant omnes homines ante Chriſti reſurrectionem, vt idem Hieron. exponit. *Ibid.*

Eccleſ. 11. Tertius locus: *Si ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, vbicunque ceciderit, ibi erit.* Hieron. & Bernardus exponunt de immutabilitate animæ poſt hanc vitam, quæ non poteſt de bona fieri mala, nec bona de mala.

Eccli. 14. Quartus eſt: *Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum.*

Eccli. 14. Quintus: *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari.* Quare vſque ad mortem, niſi quia poſt mortem non erit amplius tempus?

Ioan. 9. Sextus eſt: *Venit nox, in qua nemo poteſt operari.* Quod exponunt Patres ſummo conſenſu per noctem, tempus alterius vitæ; per operari, facere opera meritoria, ſignificari.

1. Cor. 5. Septimus. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, ſicut geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Quem locum exponẽs Auguſtinus, monet propria corporis non vocari opera corporalia, quaſi ſpiritualia iudicanda non ſint; ſed vocari omnia opera, quæ fiunt, dum ſumus in corpore, quia poſt hanc vitam non ſupereſt tempus operandi, ſed præmium, aut pœnas recipiendi.

Gal. 6. Octauus eſt: *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et infrà: *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes: ergò, dum tempus habemus, operemur bonum.* Hieronym. in hunc locum docet, tempus ſementis non extendi vltra hanc vitam: ſerere autem eſſe, bene operari.

Luc. 15. Nonus locus eſt: *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris ampliùs villicare.* Exponunt omnes interpretes per depoſitionem à villicatione, mortem; per non poſſe ampliùs villicare, non poſſe amplius mereri, & lucrari.

Apoc. 10. Decimus eſt, vbi Angelus habens vnum pedem ſuper mare, & alterum ſuper terram iurat per viuentem in ſecula ſeculorum, quia tempus non erit ampliùs, nimirum bene operandi. Denique; Scripturæ hoc paſsim teſtantur. Idem prob. ex Patribus.

Quæſt. 3. Tertia quæſtio eſt: *Sintne in Purgatorio animæ certæ de ſua ſalute, an incertæ?*

Reſp. Communis Theologorum ſententia eſt omnes animas, quæ in Purgatorio ſunt, habere ſalutis ſuæ certitudinem. Vt autem intelligatur, quantã habeant certitudinem, notandum eſt tres eſſe gradus certitudinis. Primus eſt ille, qui excludit omnem ſpem, & omnem timorem. Talis eſt beatorum, quibus beatitudo non eſt futura, ſed præſens. Secundus eſt ille, qui excludit omnem timorem, ſed non omnem ſpem. Et talis eſt in Purgatorio: nam beatitudo eſt illis futura, non præſens; & ideò non tollit expectationem. & rurſùm eſt ardua, quia per pœnas ad eam peruenient; & ideò illorum expectatio poteſt vocari ſpes. tamen non eſt contingens, ſed neceſſaria, quia non poſſunt ampliùs ab ea excidere; & ideò tollit omnem timorem. Tertius eſt ille, qui neque ſpem, neque timorem excludit, & dici poteſt coniecturalis certitudinis gradus. Talis eſt noſter: nobis enim beatitudo eſt bonum futurum, non præſens, arduum, non facile, contingens, non neceſſarium, vel impoſsibile; & ideò proprijſsimè ſperamus, & timemus; ſumus enim adhuc in prœlio, in ſtudio, in agone.

Tres gradus certitudinis.

Prob. reſp. Nunc oſtendamus rem ita eſſe. Si animæ non haberent certitudinem ſalutis, id neceſſariò fieret propter vnam ex quatuor cauſsis. Vel, quia adhuc poſſunt

ſunt mereri, & demereri: vel, quia nondum ſunt iudicatæ, vel, quia ignorant ſententiam iudicis, licet lata ſit: vel, quia propter magnitudinem dolorum ita abſorbetur, vel obſcuratur earum iudicium, vt non poſsint videre, & cogitare hanc certitudinem. Sed nihil horum habet locum. Non primum, vt patet. Non ſecundum, quia licet iudicium vniuerſale nondum ſit factum, tamen præter illud eſt particulare, quo iudicantur ſtatim à morte, vt Theologi docent. Prob. autem hoc iudicium particulare ex illo: *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas.* Item: *In fine hominis denudatio operum illius.* Eccli. 11.

Idem etiam colligitur euidenter ex alia veritate: nam de fide eſt, mox à morte impios deſcendere ad æterna ſupplicia: vt patet de diuite: & iuſtos ad æterna gaudia; vt patet de latrone: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* At non eſt vllo modo credibile priùs diſtribui pœnas, & præmia, quàm fiat iudicium. Idem docent Patres. Luc. 16. Luc. 23.

His accedant exempla eorum, qui ſe iudicatos teſtati ſunt. Extat inter alia memoriabile exemplum in vita S. Brunonis de quodam Pariſienſium Doctore. Eſt autem notandum circa talia exempla, tam iudicium eorum, quod ante mortem peractum eſt, quàm iſtius Pariſienſis, quod in triduum poſt mortem dilatum fuit, pertinere ad particularem quandam, & extraordinariam prouidentiam, qua Deus vtitur ad nos, ſiue inſtruendos, ſiue terrendos. Alioqui regulariter credendum eſt, iudicium fieri ſtatim à morte: nam ordinariè tempus pœnitentiæ vtile durat vſque ad extremum ſpiritum: nec eſt ratio, cur poſt mortem retardetur iudicium, cùm Deus non egeat teſtibus, nec allegatione; ſed in inſtanti poſsit iudicare.

Eſt etiam obſeruandum non poſſe certò definiri, an animæ deferantur ad iudicem, an ibi iudicentur, vbi corpus relinquunt: & ſimiliter an iudicentur immediatè à Chriſto in forma humana ſententiam proferente; an ſolum diuina virtute, quæ vbique præſens eſt; An verò per Angelos ſententia manifeſtetur. Quòd enim Script. paſsim dicit, Chriſtum hominem eſſe iudicem viuorum, & mortuorum, intelligitur de nouiſsimo generali iudicio: nam etiam ante Chriſti incarnationem iudicium particulare exercebatur.

Quantùm ad tertiam, quod ſententia iudicis lateat animas, quæ iudicantur, & falſum eſt, & impertinens. Falſum quidem, quia iudicium particulare præcipuè fit ad hoc, vt innoteſcat ſententia ei, qui iudicatur: nam propter alios erit iudicium generale: propter Deum non eſt neceſſarium iudicium: ipſe enim omnia nouit: ergò ſolum fit, vt innoteſcat illi animæ, quæ iudicatur. Eſt etiam impertinens, nam, etſi non eis innoteſceret ſententia iudicis, tamen facilè poſſent per ſe cognoſcere, qualis ſit, ab effectu, quia videbũt ſe ſtatim in inferno, aut in cœlo, aut in Purgatorio.

Quantum ad quartum, quòd animæ illæ propter nimios dolores impediantur à cognitione ſui ſtatus, & proinde putent ſe eſſe in inferno, & in quadam turbatione animi, & deſperatione verſentur, eſt falſiſsimum. Nam primùm; anima diuitis in inferno non impediebatur à cognitione ſui ſtatus, quantò minus impedientur animæ, quæ ſunt in Purgatorio? Secundò; Quòd in hoc mundo impediantur homines à recto iudicio ex intentione dolorum, proue- Luc. 16.

nit ex læſione organi corporei: at ibi eſt pura mens ſpiritualis, & incorruptibilis. Tertiò, quia Eccleſia in Canone Miſſæ dicit: *Memento, Domine, famulorum, famularumq; tuarum*, &c. vbi orat pro animabus Purgatorij. Nam ſubdit: *Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus*, &c. At certè, quæ dormire dicuntur in ſomno pacis, non ſunt anxię, nec deſperant, ſed potiùs habent admixtam cum ſummis cruciatibus incredibilem conſolationem propter certam ſpem ſalutis. Quartò, quia, ſi crederent ſe damnatas, non peterent ſuffragia viuorum, nec dicerent ſe breui liberandas, ſi pro eis oretur, vt ex multis patet exemplis.

CAPVT III.

De loco, & tempore Purgatorij.

Locus Purgatorij. DE loco Purgatorij nihil Eccleſia definiuit. Sunt autem multæ opiniones: ſed communis Scholaſticorum eſt, Purgatorium eſſe infra viſcera terræ inferno ipſi vicinum. Conſtituunt enim Scholaſtici communi conſenſu intra terram quatuor ſinus, ſiue vnum in quatuor partes diuiſum. *Quatuor ſinus.* Vnum pro damnatis: alterum pro purgandis: tertium pro infantibus ſine Baptiſmo abeuntibus: quartum pro iuſtis, qui moriebantur ante Chriſti paſsionem, qui nunc vacuus remanet. Quorum ſufficientia ſumitur penes genera pœnarum. Sunt enim hæc omnia loca pœnalia. Omnis autem pœna, aut eſt tantùm damni, aut etiam ſenſus: & rurſus, aut æterna, aut temporalis. Pro pœna ergò ſolius damni æterna eſt limbus puerorum: pro pęna ſolius damni temporali erat limbus Patrum: pro pœna damni, & ſenſus æterna eſt infernus: pro pœna damni, & ſenſus temporali eſt Purgatorium. Ac quòd intra viſcera terræ ſit locus aliquis animarum, quæ Infernus vocatur generali vocabulo, alibi demonſtratum eſt. Ad quæ argumenta accedunt variæ eruptiones ignis, quæ in terrâ apparent, quas non temerè B. Gregorius putat, eſſe iudicia quædam inferni intra viſcera terræ exiſtentis. *L. 4. Dial. c. 30.* Nam ſcribit ſe certa relatione cognouiſſe, eadem ipſa hora, qua obijt Rex Theodoricus Arianus, viſam fuiſſe animam eius iactari in foueam Vulcani, quæ eſt in Sicilia. *In hiſtor. anni 1537.* Et Surius ſcribit, circa montem Heclam inſulæ Iſlandiæ, vnde erumpunt flammæ, & audiuntur, quaſi quędam tonitrua horribilia, ſępe apparere animas, quę dicant, ſe mitti ad illum montem. Nunc de ſingulis.

Prob. Infernus damnatorum ſub terra. Ac primùm, quòd infernus damnatorum ſit in profundiſsimis terræ partibus, prob. primò, quia intra viſcera terræ eſt infernus: ſed anima diuitis Epulonis dicitur fuiſſe in inferno, & non ſolum in inferno, ſed etiam in loco profundiſsimo; *Luca 16.* quandoquidem, vt videret Lazarum, qui tunc etiam erat in locis ſubterraneis, ſurſum verſus aſpicere debuit.

Pręterea; Ratio ipſa dictat, vt, ſicut locus beatorum eſt in ſummo cœlo,
locus damnatorum ſit in loco remotiſsimo à cęlo: nihil autem remotius cen-
tro terrę.

Deinde; Quòd Purgatorium ſit etiam ſub terra, & inferno damnatorum *Prob. Purgatorium ſub terra.*
vicinum, prob. I. ex illis verbis: *Solutis doloribus inferni*; quæ intelliguntur de
pęnis Purgatorij ab Auguſt. Vnde etiam Eccleſia in Miſſa de defunctis dicit: *Act. 2.*
Libera animas defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu. Deinde; Id confirm. *Epiſt. 99.*
ex viſione, quam refert Beda, vbi apertè viſum eſt Purgatorium inferno dã- *L. 5. hiſt.*
natorum contiguum. Denique; Theologi ferè omnes docent, eodem loco *c. 13.*
eſſe, & eodem igne torqueri damnatos, & animas Purgatorij.

Quòd autem limbus puerorum ſit in inferno, prob. Nam Concil. Florent. *Prob. limbus puerorum.*
diſertè definit, tam eos, qui moriuntur cum peccato mortali, quàm eos, qui *Seſſ. vlt.*
cum ſolo originali, mox in infernum deſcendere, pęnis tamen diſparibus pu-
niendos. Eſt tamen communis opinio Scholaſticorum, limbum puerorum
eſſe in loco inferni altiore, quàm ſit Purgatorium, ita vt ad eum ignis non
perueniat.

Quod denique limbus Patrum ſit in inferno, ſed in parte ſuprema, prob: *Prob. limbus Patrum.*
Nam anima Samuëlis de locis ſubterraneis aſcendere viſa eſt. *Vidi*, inquit *1. Reg. 28.*
Phythoniſſa, *Deos aſcendentes de terra.* Quòd autem verè anima Samuëlis fue-
rit, quæ apparuit, prob. Nam auctores, qui contrarium tenent, aut incerti, aut
obſcuri ſunt: at, qui iſtud docent, certi, & clariſsimi ſunt, tam veteres, quàm
recentiores. Sunt etiam fortiſsimæ rationes. Primò, quia Script. perpetuò
vocat Samuëlem eum, qui apparuit. *Cum vidiſſet*, inquit, *mulier Samuëlem.* Et
rurſum: *Dixit Samuël ad Saul.* Et, *Intellexit ergò Saul, quòd Samuël eſſet.* At certè non
diceret: *intellexit*: ſed, cogitauit, vel putauit, ſi id non eſſet verum. Secundò, *Eccli. 46.*
quia ponitur in laudibus Samuëlis, quòd mortuus prophetauerit, & annun-
ciauerit Regi, quæ ventura ęrant. At quæ eſt laus, quòd diabolus alicuius ſpe-
ciem aſſumat, & decipiat? Tertiò, quia prædixit Sauli futura, quæ diabolus
ſcire non poterat: nimirum ſequenti die eum cum filijs periturum, exercitum
diſsipandum, Dauidem regnaturum, &c.

De prædictis locis ſubterraneis animarum duo quædam à Theologis tra-
ctari ſolent. Primò quærunt: *An præter hæc loca ſit aliquis alius locus, vbi retinean-* *Quæſtiones duæ.*
tur animæ, antequam ad regnum cœlorum perueniant? Secundò: *An ex his locis egredi*
poſsint.

Quantum ad primum, difficultas eſt ſatis magna: quia ex vna parte omnes *Reſp. ad 1.*
Theologi docent, non eſſe alia receptacula præter quatuor numerata; &
Concil. Florent. definit, animas, quæ nihil purgandum habent, mox recipi in *Seſſ. vlt.*
cœlum. Ex altera parte narrat Beda viſionem valdè probabilem, cui ipſe fi- *L. 5. hiſt.*
dem adhibere non dubitauit. Fuit autem oſtenſum in illa animæ cuidam, quæ *c. 13.*
ad corpus poſtea redijt, præter infernum, & Purgatorium, & regnum cœlo-
rum, quoddam quaſi pratum lucidiſsimum, florentiſsimum, odoratum, amę- *Dial. de iudicio particulari.*
num, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, ſed tamen ibi manebant,
quia nondum idoneæ erant viſioni beatæ. Cui reuelationi multas alias con- *art. 31.*
formes adducit Dionyſ. Carthuſ. & Gregorius. Videtur mihi dicendum, non *L. 4. Dial.*
eſſe improbabile, talem aliquem locum reperiri: ceterum eiuſmodi locum ad *c. 36.*

Purgatorium pertinere, etiamſi ibi nulla ſit pœna ſenſus; tamen eſt pœna damni: pœna autem non conuenit, niſi animæ, quę nondum plenè purgata eſt. Itaque erit locus iſte mitiſsimum Purgatorium, & quaſi carcer quidam ſenatorius, atque honoratus.

Alterius quæſtionis triplex poteſt eſſe ſenſus.

Reſp. ad 2. Primò, An poſsint exire nondum rediture, quia nimirum transferantur de vno receptaculo ad aliud.

Secundò, An poſsint redire, vt rurſum redeant ad ſuum locum.

Tertiò, An poſsint ita egredi, vt hic nobiſcum iterum viuant? Quantum ad primum facilè reſponderi poteſt, ex inferno damnatorum, limboque puerorum non dari regreſſum: ex Purgatorio, limboq; Patrum dari. Sunt enim animæ impiorum damnatæ ad perpetuos carceres, & ignes Gehennæ; & ſimiliter animæ puerorum ad perpetuum exilium, & tenebras. Animę autem S S. Patrum damnatę erant ad exilium temporale; & animę Purgatorij ad carceres temporales. Ratio eſt, quia cauſſa carceris, vel exilij damnatorum eſt culpa mortalis, actualis, vel originalis, quę nunquam remittetur: cauſſa autem exilij Patrum fuit debitum temporale, contractum ex peccato primi parentis: ille enim peccato ſuo cęlum clauſerat, quod aperiri non potuit, niſi Chriſti ſanguine reipſa effuſo. Cauſſa verò Purgatorij eſt reatus temporalis: quę pęnæ neceſſario finem habent.

Quantum ad ſecundum, exiſtimant quidam, animas non poſſe vnquam de ſuis receptaculis egredi; ſed omnes apparitiones eſſe dæmonum, qui fingunt
L. de cura pro mort. c. 15. & 17. ſe eſſe animas de Purgatorio exeuntes, & ſuffragia poſtulantes. Veriſsima tamen eſt S. Auguſtini ſententia, nimiæ impudentiæ eſſe, negare, animas interdum ad nos redire Deo iubente, vel permittente. Habemus enim teſtimonia grauiſsimorum auctorum de regreſſu animarum ex omnibus receptaculis; præterquam ex limbo puerorum.

Quantum ad tertium, quod aliqui ex Purgatorio, & limbo Patrum fuerint ad vitam reuocati, nulli dubium eſſe poteſt. Nam mortui, quos excitauit Helias, Helizæus, Dominus Chriſtus, & Petrus, & Paulus, cùm fideles fuerint, creduntur fuiſſe in Purgatorio, aut limbo: neque vllum ſequitur inconueniens, ſi ex his locis aliqui reſurgant; ſiquidem hoc nihil aliud eſt, quàm mutare illis exilium, vel carcerem.

Quod autem ex cœlo, aut inferno reuocari poſsint ad vitam, videretur incredibile, niſi extarent exempla, quæ negari non poſſunt.

L. 1. Dial. c. 9. Nam B. Gregorius ſcribit à S. Fortunato excitatum fuiſſe Marcellum quendam, virum ſanctum, qui ab Angelis in optimum locum ductus fuerat.
C. 12. Et ſcribit à S. Seuero excitatum quendam virum peſsimum, qui à dæmonibus in infernum deducebatur.

L. 3. c. 2. Hegeſippus ſcribit, B. Petrum excitaſſe affinem quendam Cæſaris Ethnicum à morte. Nec dubitari poteſt, quin Apoſtoli aliquos Ethnicos excitauerint.
Serm. 2. de S. Agnete. L. 1. de mirac. S. Stephani. Maximus dicit, à S. Agnete excitatum filium Prefecti, qui in peccato mortali obierat. Euodius dicit, puerulum mortuum ante Baptiſmum, ad reliquias S. Stephani excitatum. Dico igitur, Beatos iam exiſtentes non poſſe reuocari ad vitam; ſiquidem beatitudo includit certitudinem de non amit-

amittenda felicitate. Et ratio eſt manifeſta: quia beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Non habet autem omnia bona, qui non habet illam certitudinem. Si igitur aliqui S. viri redierunt ad corpus, nō fuerunt beati; ſed Deus præuidens eorum excitationem diſtulit eorum beatificationem, & interim detinuit eos in optimo aliquo loco.

De damnatis ſimiliter dico, damnatum abſolutè ad pœnas æternas non poſſe reuocari ad vitam, quia alioqui fieret incerta eorum damnatio. Dicit enim Veritas omnibus, quos damnat, tam in particulari, quàm in vniuerſali iudicio: *Ite in ignem æternum.* Præterea; Nullus eſſet damnatorum, qui non poſſet ſperare ſalutem, & pro quo non poſſemus orare: nunc enim non oramus pro infidelibus damnatis, quia ſecundum fidem credimus, eos non poſſe ſaluari. At, ſi poſſunt, ſaltem ex priuilegio, ſaluari, certè pro illis orandum eſſet: ſicut in hoc mundo oramus pro obſtinatis in malo, vt Deus det illis gratiam efficacem, quæ certè non datur, niſi ex priuilegio. Si qui autem ſunt à morte excitati, cùm mererentur æternas pœnas, dico non fuiſſe damnatos, ſed ſuſpenſam eorum ſententiam, & interim punitos ſecundum præſentem iniuſtitiam. De tempore Purgatorij res incertiſsima eſt, & non, niſi temerè, definiri poteſt. *Matth. 25.* *Tempus Purgatorij.*

CAPVT IV.

De pœnis Purgatorij.

DE pœnis Purgatorij quædam ſunt certa, & quædam dubia. I. Certum eſt, Purgatorij pœnam non eſſe deſperationem, & metum Gehennæ. 2. Certum eſt etiam, vnam Purgatorij pœnam eſſe, carentiam diuinæ viſionis. Non enim poſſunt animæ illæ non dolere, quòd videant ſe propter ſuas culpas impediri à fruitione ſummi boni, quæ vocatur pœna damni. *Certa de pœnis Purgatorij.*
3. Certum eſt, præter hanc pœnam, eſſe etiam aliam pęnam, quam Theologi vocant pœnam ſenſus, quæ cōſiſtit in aliquo dolore, proueniente aliunde, quàm ex carentia viſionis Dei. Vt enim, qui peccat, auertit ſe à ſummo bono, & conuertit inordinatè ad creaturas; ita poſteà puniri debet non ſolùm carentia ſummi boni, ſed etiam afflictione inflicta ab aliquo alio creato obiecto. 4. Certum eſt, in Purgatorio, ſicut etiam in Inferno, eſſe pœnam ignis; ſiue ignis accipiatur propriè, ſiue metaphoricè; ſiue ſignificet pęnam ſenſus, ſiue damni. Quòd enim aliquis ignis ſit in Purgatorio, & in Inferno, patet tum ex illis verbis: *Saluus erit quaſi per ignem.* Et: *Ite in ignem æternum:* tum ex teſtimonijs Patrum; omnes enim ignem appellant pœnam Purgatorij. *1. Cor. 3.* *Matth. 25.*

Sed dubium I. eſt: *An ille ignis ſit propriè dictus ignis, an metaphoricè?* Communis Theologorum ſententia eſt, verum, & proprium eſſe ignem, & eiuſdem *Dubium I.* *Reſp.*

ſpeciei

ſpeciei cum noſtro elementari. Quæ ſententia non eſt quidem de fide, quia nuſquam ab Eccleſia definita eſt: immò in Concil. Florentino Græci apertè *Seſſ. vlt.* profeſsi fuerant, ſe non ponere ignem in Purgatorio, & tamen in definitione facta definitur Purgatorium eſſe, nulla mentione facta ignis. Tamen eſt ſen- *Prob.* tentia probabiliſsima: I. propter conſenſum Scholaſticorum, qui non po- *L. 21. de ciuitat. c. 10.* teſt, niſi temerè, contemni. II. Propter Auguſtini, & Gregorij auctorita- *L. 4. Dial. c. 29.* tem. III. Quia in Script. paſsim pœna impiorum vocatur pœna ignis: & regula Theologorum eſt, vt verba Script. accipiantur propriè, quando nihil abſurdi ſequitur. IIII. Quia corpora damnatorum punientur igne poſt re- *Matt. 25.* ſurrectionem: *Ite in ignem æternum*. At corpora non poſſunt vti, niſi igne corporeo. Eſt autem idem ignis corporum damnatorum, & ſpirituum corpore vacantium. Nam ibidem dicitur: *Qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*. V. Quia *Sap. 11.* *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*: ſed homines peccant ſæpe, ſenſibilia oblectamenta inordinatè cupiendo: ergò ſenſibilibus obiectis puniri debent. Ignis igitur, quo puniuntur, eſt ſenſibilis. VI. Id confirm. ex eruptionibus ignis in monte Æthna, alijſque locis.

Dubium 2. Dubiũ ſecundũ: *Si ſit ignis ille propriè dictus, quomodo agere poſsit in animas ſepara-* *Reſp.* *tas*? Veriſsima ſententia eſt, non poſſe in hac vita ſciri, quomodo ignis corporeus agat in animam incorpoream. Poſſe tamen id fieri, docetur alio ſimili. Videmus enim, animam incorpoream vniri corpori humano, & ei vitam dare, & cum illo ſimul gaudere, & pati, cùm tamen modus huius vnionis ſit planè ineffabilis: nulla enim inter corpus, & ſpiritum eſt proportio.

Dubium 3. Dubium tertium eſt: *A quibus miniſtrentur iſtæ pœnæ, à dæmonibuſve, an ab Ange-* *Reſp.* *lis bonis, an per ſe agant*? Res eſt omninò incerta. Nam, quòd non torqueantur à dæmonibus, nec ab Angelis, ſed à ſolo igne, docent Scholaſtici. Et rationem reddunt; quia omnes animæ Purgatorij in vltimo conflictu diabolum ſuperauerunt; ideò non decet iuſtitiam diuinam, vt ſinat eas ab hoſte deuicto vexari. Deinde; hic in terris etiam perfectos viros dæmones vexant, quia ſperant, ſe poſſe eos ad peccatum pertrahere: at animas Purgatorij ſciunt in gratia confirmatas non poſſe cadere, & vexationem illis neceſſario profuturam ad celeriorem purgationem. Non igitur credibile eſt, dæmonum opera animas illas cruciari. Ex altera parte, quòd à dæmonibus torqueantur, docent multæ reuelationes.

Dubium 4. Dubium quartum: *An iſta pœna ſit maior omnibus pœnis huius vitæ*? Pœnas Pur- *Reſp.* gatorij eſſe atrociſsimas, & cum illis nullas pœnas huius vitæ comparandas eſſe, docent conſtanter Patres. Idem probant multæ reuelationes. Ratio etiã idem probat, ſaltem de pęna ſenſus. Nam tam ad dolorem, quàm ad gaudium, tria concurrunt: potentia, obiectum, & coniunctio vnius cum altero.

Quantum ad potentiam, ſine comparatione capacior eſt doloris potentia rationalis, quàm animalis. Nam quantùm ad apprehenſionem, intellectus eſt veluti fons; ſenſus veluti riuulus: quantum ad appetitum, voluntas eſt veluti fons; appetitus inferior veluti riuulus. Cùm ergò anima ipſa nuda immediatè torqueatur, maximus debet eſſe ille dolor ex parte patientis: nunc enim non tam anima, quàm corpus torquetur, & per corpus aliquis etiam dolor ad animam tranſit.

Quantum ad obiectum, ſi ibi eſt verus ignis, erit omninò acerrimus, cùm ad hoc ſolùm ſit inſtitutus, vt ſit inſtrumentum iuſtitię diuinæ. Si non ſit ignis verus, erit aliquid multò horribilius, quale Deus parare potuit, qui potentiam ſuam in hoc oſtendere voluit.

Quantum ad coniunctionem, maxima erit: nam hic, vbi ſunt omnia corporalia, non fit coniunctio, niſi per contactum extremitatum, & ſuperficierum. At ibi animam ipſam intimè pęna illa penetrabit.

Quamuis autem aliquo modo omnes admittant, pœnas Purgatorij eſſe maiores pœnis huius vitæ; tamen dubium eſt, quomodo hoc intelligatur. D. Bonauentura, docet primò pęnam damni in Purgatorio non eſſe maiorem omni pęna, ſiue Purgatorij, ſiue huius vitę. Secundò docet, Purgatorij pęnas eſſe maiores pęnis huius vitę ſolum hoc ſenſu, quia maxima pęna Purgatorij eſt maior, quam ſit maxima, pęna huius vitę; licet aliqua pęna Purgatorij reperiatur minor aliqua pęna huius vitę. Quę ſententia mihi placet: nam, licet abſentia ſummi boni ex ſe generet in amante ſummam triſtitiam; tamen in Purgatorio mitigabitur hæc triſtitia, & leuatur magna ex parte, propter certam ſpem illius boni acquirendi. Iſta enim certiſsima ſpes affert incredibile gaudium, & quò magis propinquat finis illius exilij, tantò magis gaudium creſcit. Itaque ſolùm in Inferno pęna damni eſt ſumma, quia eſt annexa deſperationi certiſsimæ. Confirm. quia, ſi pęna damni eſſet grauiſsima, etiam in Purgatorio, ſequeretur, Patres in limbo paſſos fuiſſe grauiſsimam pęnam; quod adeò falſum eſt, vt dicat Abraham diuiti damnato de Lazaro: *Tu cruciaris, hic verò conſolatur.* *In 4. diſt. 20. art. 1. q. 2.* *Luca 16.*

Alterum dictum Bonauent. prob. I. quia ex certis reuelationibus conſtat aliquorum pęnam eſſe tam exiguam, vt nihil pati videantur: quales fuit illi, qui albis veſtibus induti viſi ſunt in locis amęnis, & lucidis apud Bedam. II. Quia poteſt fieri, vt quis moriatur, nullum debitum ſecum ferens, niſi vnius verbi otioſi: at incredibile videtur, propter vnum ſolum otioſum verbũ pati debere aliquem ſupplicia grauiora omnibus pęnis huius vitæ. III. Quia, licet ſit quæſtio: An pęnæ Purgatorij ſemper crucient ęquè grauiter ab initio, vſque ad finem purgationis; an verò paulatim minuantur, donec finem accipiant? tamen probabilior ſententia eſt, paulatim remitti. Hinc autem ſequitur, non quamlibet pœnam Purgatorij eſſe maiorem maxima pęna huius vitæ: nam pęna illa Purgat. quæ eſt prope finem, debet eſſe adeò remiſſa, vt amplius remitti non poſsit; hic autem pœnæ inueniuntur intenſiſsimæ, quæ plurimùm remitti poſſent. *L. 5. hiſt. c. 13.*

Prob. ea ſententia; nam S. Bernardus ſcribit, oranti Malachiæ pro ſorore defuncta, ipſam defunctam ter apparuiſſe. I. In veſte nigra, & extra Eccleſiam. II. In veſte ſubfuſca, & intra limen Eccleſiæ. III. In veſte alba, & ad ipſum altare cum ceteris Sanctis. Ex quibus ipſe intellexit, animam ſororis, paulatim remittentibus ſe pœnis, ad finem purgationis veniſſe. *In vita S. Malachiæ.*

CAPVT V.

De Suffragijs, & Funere defunctorum.

QVATVOR de Suffragijs explicanda ſunt. I. *An ſuffragia viuorum proſint*
Quaſt.1. *defunctis?* Quod proſint, probari poteſt Script. Concilijs, Patribus, &
Reſp.prob. apparitionibus animarum, quæ omnia ex I. quęſt. peti debent. Prob. nunc
ratione: Eccleſia tota eſt vnum corpus, cuius caput eſt Chriſtus: ergò debet
habere communicationem tam capitis cum membris, quàm membrorum inter
ſe. Nam pro inuicem ſollicita ſunt membra, & *ſi quid patitur vnum membrũ,*
1.Cor.12. *compatiuntur omnia membra.* Sed iuſti defuncti ſunt membra huius corporis;
nam ſunt colligati nobiſcum, & cum Deo in fide, ſpe, & charitate. Ergò viuentes
poſsunt, ac debent iuuare defunctos, vt membra eiuſdem corporis.

Pręterea, Chriſtus, qui caput eſt, profuit viuens in terris viuentibus, mortuus
mortuis, viuens mortuis, & mortuus viuentibus. Ergò etiam decet,
vt membra inter ſe ita agant, vt iuſti viuentes viuentibus, mortui mortuis,
viuentes mortuis, & mortui viuentibus proſint.

Act.2. Ac primum membrum de Chriſto prob. quia remiſit peccata Magdalenæ,
Matth. 27. Paralytico, Zachæo, Petro, Latroni: curauit etiam corporaliter plurimos.
Luc.7.
Matth.9. Secundum membrum patet: nam deſcendens ad inferos ſoluit plurimos
Luc. 19. à doloribus inferni: & ſimul aperuit ſepulchra, & multa corpora Sanctorum
Luc.23. excitauit.
Luc 23.
Mar.1. Tertium membrum prob. nam puellam in domo, adoleſcentem in via, Lazarum
1.Act.10. in ſepulchro, mortuos reuocauit ad vitam.
& alibi. Quartum membrum patet: nam morte ſua vitam nobis æternam promeruit,
Matth.9. vt nunc in cęlo ſemper interpellat pro nobis, & aduocatum noſtrum
Luc.7. agit.
Ioan. 11.
Heb.7. Prob. 3. Nam ex quatuor membris diuiſionis tria ſunt certe manifeſta: ergò
Ioan.2. & 4. debet habere locum. Nam, quòd viuentes iuuentur à viuentibus, nemo
negat, cùm videamus, doceri, inſtrui, paſci verbo, & Sacramentis, alios
Iac.5. ab alijs: & Iacobus dicit: *Orate pro inuicem, vt ſalueminini.* Quòd etiam mortui
4.Reg. 13. mortuis proſint, patet. Nam Helizeus mortuus, mortuum alium ſuſcitauit:
Luc.16. Abraham mortuus, in ſinum ſuum Lazarum mortuum recepit. Nec vlli
dubium eſſe debet, quin Sanctorum defunctorum animæ cum Chriſto regnantes,
orent prò Sanctorum animabus in Purgatorio laborantibus: nam
& Eccleſia tota in illa oratione: *Deus veniæ largitor* &c. ſupplicat Deo, vt B.
Maria intercedente, & omnibus Sanctis, animas defunctorum ad perpetuæ
beatitudinis conſortium peruenire concedat.

2.Mach.15. Quòd autem mortui proſint viuentibus, patet: nam legimus, Oniam, &
Hiere-

Hieremiam, iam dudum defunctos, viſos fuiſſe orare pro populo Iudæorum viuentium. Porrò beneficia exhibita à Sanctis, hominibus hic viuentibus, innumerabilia ſunt, & certiſsima. Non eſt incredibile etiam animas Purgatorij pro nobis orare, & impetrare; quandoquidem anima Paſchaſij, & S. Seuerini, miracula operabantur, etiamſi in Purgatorio degerent: vt patet ex Gregor. & Petro Damiano. Nam, ſi animæ illæ non orant pro nobis, vel cauſſa eſt, quia non vident Deum, vel quia ſunt in maximis tormentis, vel quia ſunt nobis inferiores. Sed nihil horum dici poteſt. *L. 4. Dial. c. 40.* *Epiſt. de mirac ſui temp.*

Non primum, quia tempore veteris Teſtam. orabant Sancti defuncti pro viuis, cùm tamen nec illi Deum viderent. Non ſecundum, quia diues in Inferno orabat pro fratribus ſuis, cùm eſſet tamen in maioribus tormentis, quã ſint animæ in Purgatorio. Præterea; Martyres in hoc mundo in tormentis conſtituti orabant pro ſe, & alijs: vt patet de S. Stephano. Item; Dolor in animabus non perturbat vllo modo iudicium rationis, nec impedit affectum bonum voluntatis: iſta enim nobis accidunt ratione corporalium organorum, quibus illæ carent. Denique, Non videtur dubium, quin pro ſeipſis orent, non obſtantibus tormentis. Non etiam tertium, quia in hoc mundo nos oramus pro Epiſcopis, & SS. Pontif. qui ſunt nobis ſuperiores: & etiam oramus pro ijs, quos non dubitamus nobis eſſe ſanctiores: ſicut orabant Chriſtiani olim pro Apoſtolo Paulo, qui eorum orationes petebat. *2. Mach. vlt.* *Luc. 16.* *Act. 7.* *Rom. 15. & alibi.*

Præterea, Animæ Purgatorij etiamſi nobis ſint inferiores ratione pœnarum, tamen ſuperiores ſunt ratione gratiæ, & charitatis, in qua iam confirmatæ ſunt. Oratio autem, quæ ex charitate procedit, hanc potiſsimùm ſuperioritatem requirit, ſi vllam requirit. Ergò probabile eſt eas pro nobis orare.

Sed quanquam hæc vera ſint, tamen ſuperfluum videtur ab eis petere, vt pro nobis orent, quia ordinariè non poſſunt cognoſcere, quid agamus in particulari; ſed ſolùm in genere ſciunt, nos in multis periculis verſari; ſicut nos de illis ſolùm in genere ſcimus, eas valdè torqueri: nam nec rebus noſtris interſunt; nec in Deo orationes noſtras vident, cùm non ſint beatæ; nec eſt veriſimile, eis reuelari ordinariè, quid agamus. Si ergò viui proſint viuis, mortui mortuis, mortui viuis, cur non etiam prodeſſe poterunt viui mortuis.

Quantum ad II. tria ſunt genera ſuffragiorum: Sacrificium Miſſæ, Oratio, & opera quælibet pœnalia, & ſatisfactoria: vt eleëmoſyna, ieiunia, peregrinationes, & ſimilia. Porrò diſtinguimus Orationem ab operibus ſatisfactorijs, cùm tamen etiam ipſa ſit ſatisfactoria, quia Oratio duobus modis iuuat defunctorum animas. Vno modo, vt opus quoddam pœnale, & laborioſum: & ſic poterat comprehendi ſub opere ſatisfactorio. Alio modo, vt eſt impetratoria; quod eſt ipſi Orationi proprium: quomodo etiam Beatorum orationes proſunt nobis, & animabus Purgatorij, licet ſatisfactoriæ non ſint. *2. Tria genera Suffragiorum.*

Ad hæc; Iuuantur etiam defuncti indulgentijs: ſed ideò non faciunt illæ quartum genus ſuffragiorum, quia indulgentia nihil eſt aliud, quàm ap-

plicatio ſatisfactionum, ſeu pœnalium operum Chriſti, & Sanctorum, defunctis. Nam idcircò dicuntur indulgentiæ concedi defunctis per modum ſuffragij, non per modum abſolutionis. Non enim poteſt Pontif. abſoluere defunctos à pœnis, quomodo abſoluit viuentes; quia illi non ſunt ei ſubiecti, iſti ſunt. Poteſt tamen, tanquam ſummus diſpenſator theſauri Eccleſiæ, communicare illis bona opera pœnalia, quæ in theſauro ſunt.

Quòd hæc ita ſint, patet ex teſtimonijs Patrum.

Dubium. Vnum hîc ſolùm eſt dubium: An non etiam reſtitutio rei alienæ proſit defunctis, ac proinde ſit quartum genus ſuffragij? Nam dicuntur ſæpe animæ apparere, ac petere, vt reſtitutio pro ipſis fiat earum rerum, quas ipſi obliti ſunt, aut non potuerunt reſtituere.

Reſp. Reſp. eiuſmodi reſtitutionem non iuuare, ſi fiat; nec obeſſe defuncto, ſi non fiat. Nam Deus non punit, niſi pro culpa propria in hac vita contracta. Vel ergò defunctus peccauit non reſtituendo, vel non peccauit: ſi non peccauit, quia fortè non potuit, aut bona fide poſſedit, non debet etiam puniri: ſi autem peccauit, punietur pro culpa negligentiæ illius in Purgat. Sed poſtquam pœnas debitas dederit, ſaluabitur, ſiue res illa reſtituatur, ſiue non: ille enim iam eſt factus impotens ſimpliciter ad reſtituendum, neque debet pendere ſalus eius ab alterius voluntate: alioqui poſſet anima in Purgatorio manere in æternum, ſi nimirum hæres nunquam reſtitueret. Quare, ſi reſtitutio poſsit fieri, & non fiat negligentia hæredis, peccabit quidem hæres, non tamen id nocebit animæ: ſi verò fiat, nihil animæ proderit, quia reſtitutio non eſt ſatisfactio pro culpa: ſatisfactio enim eſt opus bonum pœnale; pœnale autem eſt dare ſuum, non reſtituere alienum.

Ad illas apparitiones reſp. fortè animas non petere reſtitutionem, vt reſtitutionem, ſed vt eleëmoſynam: licet enim non proſit animæ, ſi reſtituat rem alienam ille, qui tenetur reſtituere; tamen bene proderit, ſi reſtituat alius, qui non tenetur: illa enim eleëmoſyna quædam eſt, & proinde ſatisfactio.

A quibus poſsint fieri ſuffragia. Quantum ad 3. qui poteſt ſuffragijs ſuis iuuare animas, eſt is, qui eſt iuſtus: homo enim iniuſtus non poteſt pro ſe ſatisfacere, multò minùs pro alijs.

Quibus proſint. Quantum ad 4. certum eſt, Eccleſiæ ſuffragia non prodeſſe beatis, nec damnatis; ſed ſolùm ijs, qui in Purgatorio degunt; quia priores non egent; poſteriores non poſſunt iuuari.

Conueniunt itaque Theologi in duobus: in vno non conueniunt.

Conueniunt I. quòd ſuffragia omnia proſint omnibus, ſaltem quatenus adferunt nouum gaudium. Id enim commune eſt omni bono operi, vt de illo gaudeant omnes boni, iuxta illud: *Particeps ego ſum omnium timentium te.* *Pſal. 118.*

II. Conueniunt, quòd ſuffragia communia quæ fiunt pro omnibus defunctis, proſint etiam omnibus animabus Purgatorij, non ſolùm in ratione gaudij, ſed etiam in ratione ſatisfactionis; nulla eſt enim

cauſſa,

cauſa, cur aliqui excludantur.

At diſſentiunt de ſuffragijs particularibus. Sed communis ſententia eſt in medio, quod nimirum ſuffragia particularia omni, & ſoli illi proſint in ratione ſatisfactionis, pro quo fiunt. Quod omni, patet; quia fundamentum communicationis ſuffragiorum non eſt aliquod peculiare meritum, ſed ſtatus gratiæ. Quod ſoli, patet: nam applicatio talium bonorum pendet ex intentione applicantis. *Dubium. Reſp.*

Nunc de Sepultura corporum eſt dicendum. Aſſerimus itaque, Sepulturam rem eſſe bonam, & vtilem; & ritus omnes Eccleſiæ in ſepeliendis mortuis eſſe bonos, & ſanctos. Quòd ſit res bona, & meritoria, prob. *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul, & ſepeliſtis eum: & nunc retribuet vobis Dominus.* Angelus etiam extollit inter alia opera Tobiæ, quòd mortuos ſepelierit. Et: *Opus bonum operata eſt in me: mittens enim vnguentũ hoc, ad ſepeliendum me fecit.* *Prob. ſepulturæ corporum. 2. Reg. 2. Tob. 12. Matt. 26.*

Quòd ſit res antiqua, & vtilis, facilè poteſt demonſtrari: nam omnia, quæ nunc in Eccleſia ſeruamus, ſemper in vſu Eccleſiæ fuerunt. *Ritus ſepulturæ.*

I. Corpora mortuorum nunc lauantur: id etiam olim fiebat; vt patet de Tabitha. *Act. 9.*

II. Corpora cum honore, & multitudine comitantium deferuntur ad ſepulchrum: ita etiam legimus olim factum. *Gen. 50. Luc. 7.*

III. Corpora fidelium in templis, & locis ſacris ſepeliuntur: ita olim Iacob, & Ioſeph, Patriarchæ in terra Ægypti mortui, in terra promiſsionis ſepeliri voluerunt, vnde Chriſtus erat naſciturus, & vbi templum Domini futurum erat. Deinde, temporibus Chriſtianorum corpora fidelium in templis ſepulta fuiſſe, teſtantur Patres. *Gen. 46. & 50.*

IV. Corpora fidelium cum Hymnorum, & Pſalmorum cantu ſepelienda teſtantur Patres.

V. Ad funus fidelium lampades, & cerei accenſi adhibebantur; vt nunc etiam fit.

VI. Sacrificium altaris pro ijs offertur: ita etiam olim teſtibus Patribus.

VII. Non ſolùm, cùm ſepeliuntur, ſed etiam die anniuerſaria pro defunctis offertur, & oratur.

VIII. Non ſolum die anniuerſaria; ſed etiam die 3. 7. & 30. id quod etiam nunc ſeruatur.

IX. Eriguntur tituli: idem factum olim fuit. *Gen. 37. 1. Mach. 13.*

X. Dantur eleëmoſynæ pauperibus: idem olim.

Dicimus autem, multiplicem vtilitatem ſepulturæ, tam viuis, quam defunctis: Et viuis quidem quadruplicem. I. Quòd per ſepulturam arcetur fœtor, & horror cadauerum, quæ non parum viuis nocerent. II. Quòd eo ſtudio teſtantur viui fidem reſurrectionis, & immortalitatis animarum. Non enim tam diligenter corpora mortuorum curaremus, niſi putaremus ea reſurrectura. Neque cereos accenderemus, niſi animas viuere corporum poſt mortem ſignificare vellemus. III. Quòd admonentur propriæ mortis: vnde etiam tumuli defunctorum, monimenta dicuntur. *Vtilitas ſepulturæ.*

4. Quòd eo officio ſatisfaciant viui aliquo modo affectui ſuo, quo mortuos proſequebantur. Si enim veſtes, & annulos bene collocari volumus, multò magis corpora.

Porrò mortuis ex ſepultura alia quadruplex accedit vtilitas. I. Quòd cõſulitur honori eorum, adhuc in hominum memorijs viuentium. Non enim caret ignominia quadam, quòd fœditas noſtri corporis aliorum conſpectibus pateat. Quocirca non leuis pœna iudicatur, cùm quis à iudice priuatur ſepultura, & in patibulo, aut rota pendens iubetur eſſe auium eſca. 2. Satisfit deſiderio eorum, quod, dum viuerent, habuerunt. Nemo eſt enim, qui carnem ſuam odio habeat: & ideò quiſque, dum viuit, cupit etiam corpus ſuum honeſtè tractari: imò credibile eſt, animos corpore ſolutos, etiãſi fortè neſciant, quid corporibus eorum accidat, tamen cupere, vt honeſtè habeantur; ſicut etiam cupiunt ad ea reuerti. Atque hinc videmus, Prophetæ inobedienti datum in pœnam, vt non ſepeliretur cum patribus ſuis. 3. Vtilitas naſcitur ex eo, quòd à multis deducuntur ad ſepulchrum: hinc enim per accidens fit, vt à multis pro eis oretur. 4. Ex eo oritur, quòd in templis Sanctorum ſepulchrum habent. Inde enim fit, vt eorum amici, cùm eorum recordentur, ſimul etiam recordentur eius Sancti, in cuius templo ſunt ſepulti, & frequenter eius patrocinio eos commendent.

Epheſ. 5.

3. Reg. 13.

DE

DE INDVLGENTIIS

LIBER SEXTVS.

CAPVT I.

De nomine Indulgentiæ, & Iubilæi.

INDVLGENTIA remiſsionem, & facilitatem; ſiue condeſcenſionem in Script. ſacris & alijs auctoribus, præſertim Eccleſiaſticis ſolet ſignificare. Et quidem priore ſignificatione vſurpatur ab Iſa. interprete S. Luca. Nam, quod legimus in Iſaia: *Prædicare captiuis indulgentiam*; in Euangelio Lucæ redditum videmus: *Prædicare captiuis remiſsionem.* Eadem notione paſsim veteres Patres vſi ſunt. Poſteriore ſignificatione, qua nomen Indulgentiæ pro lenitate, & condeſcenſione accipitur, vſus eſt Apoſtolus: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium.* Eadem ſignificatio apud alios Script. tam ſacros, quàm profanos, frequentiſsima eſt. Eccleſia igitur, & ſcholæ Theologorum vtramque ſignificationem coniungentes Indulgentias vocant remiſsionem pœnarum, quæ ſæpe remanent luendæ poſt remiſsioné culparum, & reconciliationem in Sacram. pœnitentiæ adeptam: quas remiſsiones ſummi Pont. ex paterna lenitate, & condeſcenſione in filios ſuos compatientes eorum infirmitati, certis temporibus, & non ſine iuſta cauſſa concedere ſolent. Videtur autem Eccleſia ad hanc rem ſignificandam nomen hoc deriuaſſe ab vſu veterum Imp. & Iureconſultorũ: ſiquidem illi Indulgentiam ſolenni, proprioque vocabulo vocant remiſsionem generalem criminum, quam aliquando Principes ſæculi publicæ lętitiæ cauſſa faciebant.

Iſa. 16. *Luc. 4.* *1. Cor. 7.*

Porrò *Iubileus* dicitur à voce Hebræa, *Iobel.* Et quamuis aliqui malint Iobeleum, vel Iobileum, quàm Iubileum dicere: nos tamen S. Hieronymum ſequimur, qui vocem *Iobel* perpetuò *Iubileum* reddit. Significat autem Iubileus annum remiſsionis, qui apud Hebræos erat quinquageſimus. Siquidem eo anno remittebantur labores omnes agriculturæ: non enim arabatur, nec ſerebatur, nec metebatur; ſed ex frugibus anni ſuperioris, quas Dominus triplo plures ſuppeditabat, omnes commodè ſuſtentari poterant. Reſtituebantur etiam agri, ac domus venditæ prioribus dominis; &, qui ſeruituti addicti fuerant, libertati priſtinæ reddebantur. Deriuatur autem etymologia

Leuit. 25. & 27. Num. vlt.

Iubi-

Iubilei, vt exiſtimo, à *Iabal*, quod ſignificat germinare, & producere, vnde eſt nomen *Iebul*, quo fruges, & fructus omnes ſignificari ſolent. Fuit autem ſine vllo dubio Iubileus Hebræorum typus, & figura Euangelij, per quod homines remiſsionem peccatorum, & liberationem à ſeruitute Diaboli, poſſeſsionem paradiſi, & domum cœleſtem, ac denique fructus bonorum operum, & innumerabilia alia beneficia per Chriſtum acquirunt. Ad quod alludens Iſa. ſic ait: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam*, &c.

Iſa. 61.

CAPVT II.

An ſint Indulgentiæ.

DVO hic nobis quærenda ſunt. Vnum: *An extet in Eccleſia theſaurus aliquis ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum, qui applicari poſsit ijs, qui rei ſunt pœnæ luendæ poſt culpam in Sacram. pœnitentiæ remiſſam?* Communis Theologorum, tam antiquorum, vt S. Thomæ, & S. Bonauenturæ; nam recentiorum omnium ſententia theſaurum ſatisfactionum: tum Chriſti, tum Sanctorum, ſemper agnouit. Itaque ſit I. propoſitio: In bonis actionibus hominum iuſtorum duplex valor, ſeu pretium aſsignari poteſt: meriti videlicet, & ſatisfactionis.

Prob. I. ex Script. Eleëmoſyna delet peccatum, quod eſt ſatisfactorium eſſe: *Eleëmoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Et: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmoſyna extinguit peccatum.* Et tamen eadem eleëmoſyna, quia eſt opus bonum, & Deo gratum, eſt meritoria vitæ æternæ. *Percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, &c.* Idem dici poteſt de ieiunio, quod verè eſt ſatisfactorium, quia pœnale, vt perſpicuum eſt ex facto Niniuit. & tamen eſt meritorium, ſi fiat ex charitate cùm Dominus dicat: *Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi.* Quid autem reddet, niſi mercedem? Sic enim paulò antè de hypocritis dicitur, qui cupiunt videri ab hominibus ieiunantes: *Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam.* Idem de Oratione dici poteſt. Nam in Oratione Dominica petimus, vt dimittantur nobis debita noſtra, atque hac petitione ſatisfacimus pro peccatis venialibus: & tamen de eadem oratione Dominus dicit: *Tu autem, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Tob. 4. Eccli. 3. Matth. 25. Ion. vlt. Matth. 6. Ibid.

Prob. etiam rationibus. Principiò; Opus bonum ex charitate factum meritorium eſt vitæ æternæ. At nihil detrahitur de bonitate, & dignitate eius operis, ſi acceptetur à Deo ad ſatisfactionem pro pœna, Igitur idem opus meritorium,

ritorium, & ſatisfactorium erit. Ad hæc; Qui orat pro alijs, eiſque impetrat remiſsionem peccati, vel quoduis aliud beneficium Dei, certè non minùs bene operatur, & Deo placet ita orando, quàm ſi pro ſe tantùm oraret; imò meliùs facit, ac magis Deo placet, quia ſimul exercet charitatem in Deum, & in proximum. Igitur non perdit mercedem ſuam apud Deum, quamuis etiam proximo beneficium aliquod ipſo opere impetrauerit.

Præterea; Si duo pij viri cum æquali charitate, & pietate erga Deum orent, aut eleemoſynas tribuant, & vni remittatur pœna aliqua temporalis, cui erat obnoxius; alter non egeat vlla remiſsione; quæro: an par præmium ſibi acquirant in vita æterna, an diuerſum? Si par; igitur opus bonum meritorium, & ſatisfactorium ſimul eſſe poteſt; neque aliquid amittit de ratione meriti propterea quòd ratio ſatisfactionis accedit. Si diuerſum, igitur opus bonũ, aut meritorium non integram à Deo mercedem accipit: nam non poteſt tam parum detrahi de præmio vitæ æternæ, & augmenti gratiæ, quin illud ſit multò precioſius, & maius, quàm remiſsio cuiuſcunque pęnæ temporalis. Hoc autem eſſet abſurdum.

Poſtremò, Poteſt vni, atque idem operi duplex merces deberi: altera ex iuſtitia commutatiua, altera ex diſtributiua. Atqui operi ſatisfactorio debetur remiſsio pœnæ ex iuſtitia commutatiua, operi meritorio debetur prēmiũ ex iuſtitia diſtributiua, ſecundum ſubſtantiam, quamuis ſecundum modum debeatur, & reddatur ſecundum commutatiuam. Igitur poteſt vnum, atque idem bonum opus ſimul ſatisfactorium eſſe, & meritorium. Propoſitio huius argumenti eſt certiſsima. Nam euangelizanti debetur ex iuſtitia commutatiua victus, & veſtitus. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Et Apoſtolus affirmat Dominum ordinaſſe, vt, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant: ac, vt oſtendat id exigi ſecundum iuſtitiam commutatiuam, mercedem illam appellat ſtipendium: *Quis*, inquit, *militat ſuis ſtipendijs vnquam?* Eidē verò Euangelizanti debetur præmium in vita æterna ſecundum iuſtitiam diſtributiuam. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, &, cùm apparuerit Princeps Paſtorum, accipietis immarceſsibilem gloriæ coronam.* Et: *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Videmus id etiam quotidie in rebus humanis. Porro aſſumptio argumenti non minùs eſt certa. Quod enim compenſatio pœnæ pertineat ad iuſtitiam commutatiuam, perſpicuum eſt ex ſacris litteris. *Pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Neque de hac re vlla dubitatio eſſe poteſt. Quòd autem meritis bonorum operum reſpondeat præmium ſecundum iuſtitiam diſtributiuam, ſaltem ſecundum ſubſtantiā, docent Theologi ex eo, quòd in Script. Deus, vt iudex, diſtribuit vnicuique ſecundum opera ſua. vt patet in parabola de talentis, & ex illo: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Et paſsim in ſacris litteris dicitur Deus non eſſe acceptor perſonarum, quod vitium contrarium eſt iuſtitiæ diſtributiuæ.

Luc. 10.
1. Cor. 9.
1. Pet. 5.
1. Cor. 3.
Deut. 45.
Matth. 5.
Act. 10.
Rom. 2.

Propoſitio 2: *Opus bonum, qua parte meritorium eſt, non poteſt alij applicari; poteſt tamen, quà ſatisfactorium eſt.*

Prior pars huius ſententiæ extra controuerſiā eſt: nam is dicitur mereri, qui bene operatur, & ex bono opere dignus eſt præmio. Nō poteſt autem fieri, vt

ex eo, quòd vnus bene operatur, alter cenſeatur bene operari, vt dignus prȩmio habeatur.

Deinde; Nemo poteſt proprio merito ſpoliari, quantumuis pro alijs oret, vel ieiunet, vel eleēmoſynas faciat: Non igitur meritum ſuum cum alijs cō-
municare poteſt. Et hoc eſt, quòd Script. paſsim docent, cùm dicunt: *Vnuſ-*
1 Cor. 3. *quiſque propriam mercedem accipiet.* Et: *Reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Poteſt
Pſal. 61. quidem vnuſquiſque per opera ſua bona impetrare alijs diuina aliqua beneficia; poteſt etiam communicare opera ſua bona, quod attinet ad ſatisfactio-
Pſal. 118. nem pro reatu pœnæ, vel ad gaudium, quod inde percipitur. Sic enim Dauid affirmat ſe participem fuiſſe omnium timentium Deum. Sed, vt alius ex merito alterius ſit dignus prœmio, vel vt, qui bene operatus eſt, merito ſuo priuetur, fieri non poteſt. Poſterior pars huius ſententiæ non difficulter probari poteſt. Nam ſatisfactio eſt compenſatio pœnæ, vel ſolutio debiti: poteſt autem vnus pro alio ita pœnam compenſare, vel debitum ſoluere, vt ille ſatisfeciſſe meritò dici poſsit. Præterea; Qui pro alio ſatisfacit, non poteſt eodem opere pro ſe ſatisfacere: igitur verè ſatisfactionem ſuam cum altero cōmunicauit.

Propoſitio tertia. *Extat in Eccleſia theſaurus ſatisfactionum ex Chriſti paſsionibus infinitus, qui nunquam exhauriri poterit.* Hæc propoſ. in dubium vocari non poteſt: nam Chriſti paſsio pretij fuit infiniti, cùm eſſet paſsio perſonæ infinitæ, verbi videlicet incarnati. Sic enim Apoſtolus loquitur: *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Itaque Deus eſt, qui ſanguinem fudit pro Eccleſia, ſed in
1. Pet. 4. carne humana hypoſtaticè aſſumpta illā fudit; vt ait S. Petrus: *Chriſto*, inquit, *in carne paſſo.* Dignitas autem ſatisfactionis menſuram accipit à dignitate perſonæ ſatisfacientis: ſicut grauitas offenſionis à dignitate perſonæ læſæ.

Deinde Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus eſt: *Pro omnibus mortuus*
1. Cor. 5. *eſt Chriſtus.* Et: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed*
1. Ioan. 2. *pro totius mundi.* Certum eſt autem non omnibus hominibus, qui hactenus vixerunt, pretium mortis Chriſti reipſà applicatum fuiſſe ad eorum expianda peccata: imò maiorem partem hominum morti æternæ addictam eſſe. *Multi*
Matth. 20. *enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Et: *Lata eſt porta, & ſpacioſa via, quæ ducit ad per-*
Matth. 7. *ditionem, & multi ingrediuntur per eam.* Supereſt igitur multum illius pretij, quod ſemper applicari poſsit, etiamſi infinitum non eſſet, ſicut reuerà eſt, & redundabit: prȩſertim cùm tota Chriſti ſatisfactio applicari nobis poſsit, cùm ipſe nulla ſatisfactione indiguerit, qui peccatū nō fecit, nec facere potuit. Nā,
Heb. 7. vt dicit Apoſtolus: *Nō habuit Chriſtus neceſſe priùs pro ſuis delicti ſacrificium offerre, deinde pro populi, cùm fuerit ſemper ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Et, vt idem ait: *Factus eſt peccatum, id eſt, hoſtia pro peccatis, is, qui pec-*
2. Cor. 5.
1. Pet. 2. *catum non nouerat. Ipſe enim peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.*

Propoſitio quarta. *Ad hunc theſaurum ſupereffluentium ſatisfactionum etiam pertinent paſsiones B. Mariæ virginis, & omnium aliorum Sanctorum, qui plus paſsi ſunt, quàm eorum peccata requirerent.*

Prob. I, ex paſsionibus B. Mariæ. Conſtat enim virginem Mariam actualinul-

li nullo peccato maculatam fuiſſe: pium quoque eſt, exiſtimare, ab originali etiam peccato eam fuiſſe immunem; ſed hoc in præſenti ad rem noſtram non pertinet. Non igitur eguit vlla ſatisfactione pro ſe: & tamen plurima paſſa eſt propter Deum, ac præſertim cùm animam ipſius doloris gladius pertranſiuit. *Luc.2.*

Prob. 2. ex paſsionibus S. Ioannis Bapt. quem conſtat in vtero ſanctificatum, innocentiſsimam vitam duxiſſe, vt vix leuiſsimis culpis, & pauciſsimis obnoxius fuerit. Et tamen ex Euang. diſcimus totam eius vitam adeò ſeuerè, & duriter actam, vt exemplar pœnitentiæ omnibus eſſe potuerit, & tandem pro veritate vincula, carcerem; & ipſam capitis obtruncationē paſſum eſſe. Quare in dubium reuocari non poteſt, quin ingens omninò cumulus paſsionum eius ſuperfuerit, quo ipſe ad expianda propria peccata non eguit.

Prob. 3. ex paſsionibus SS. Prophetarum. Fuerunt enim omnes viri ſanctiſsimi, ita vt modica omnino pro ſuis culpis ſatisfactione opus habuerint; & tamen tot anguſtijs, & afflictionibus oppreſsi fuerunt, vt plurima, & maxima peccata expiare potuerint. De ſe B. Iob vnus ex vetuſtiſsimis Prophetis ſic ait. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera, quaſi arena maris hæc grauior appareret.* Similiter dicere potuiſſet Helias, Helizeus, Iſaias, Hieremias, Ezechiel, & alij ſanctiſsimi Prophetæ, qui ab impijs grauiſsimas perſecutiones, vel etiam mortem pertulerunt. De his etiam ſcribit Apoſtolus: *Alij verò ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt in occiſione gladij mortui ſunt: circuerunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* *Iob.6.* *Heb.11.*

Quartò. Idem clariſsimè poteſt demonſtrari ex paſsionibus Apoſtolorū. Nam de ſe Apoſtolus Paulus ait: *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego; vt minus ſapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter,* &c. Et tamen, quàm parum ipſe deberet pro ſuis culpis ſatisfacere, indicat, cùm ait: *Nihil mihi, conſcius ſum.* Et: *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd in ſimplicitate cordis, & in ſinceritate Dei conuerſati ſumus in hoc mundo.* Porrò de omnibus Apoſtolis idem Paulus: *Puto, quòd Deus nos Apoſtolos nouiſsimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos.* Et infrà: *Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris: maledicimur, & benedicimus: blaſphemamur, & obſecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.* *2.Cor.11.* *1.Cor.4.* *2.Cor.1.* *1.Cor.4.*

Quinto. Idem prob. ex paſsionibus Martyrum, quæ planè innumerabiles fuerunt. Conſtat enim Martyrium tam plenam ſatisfactionem eſſe, vt expiare poſsit reatum contractum ex quantumuis ingenti numero, & magnitudine peccatornm. Nam, dummodo conſtat aliquem eſſe verè martyrem, Eccleſia non dubitat eum inter ſanctos, & beatos numerare, etiamſi ante martyrium multis flagitijs fuerit coopertus. Promiſsio enim Domini generalis eſt: *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum corā patre meo.* Et: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Cùm igi- *Matth.10.*

tur martyrium omnem reatum, quamuis grauiſsimum, expiare poſsit, & multi martyres leuiſsimos reatus, aut etiam nullos habuerint ipſo tempore martyrij, certè ſequitur, vt ingens cumulus ſatisfactionum martyribus ſuperfuerit.

Sexto. Idem prob. ex fructibus pœnitentiæ plurimis, & maximis, quos protulerunt tam multi ſancti Confeſſores, ac præſertim Heremitæ, qui longiſsimo tempore vitam ſanctiſsimam, & laborioſiſsimam, id eſt, aſperrimã, & duriſsimam peregerunt, quos non dubium eſt multum in hoc ſpirituale ærarium contuliſſe.

Altera quæſtio eſt: *An in Eccleſia ſit poteſtas applicandi theſaurum ſatisfactionum, ac per hoc indulgentias concedendi?*

Pro quã ſit I. propoſitio: *Satisfactiones Chriſto, & Sanctis ſuperuacaneæ applicari poſſunt alijs, qui rei ſunt luendæ pœnæ temporalis.*

Prob. I. ex articulo ſymboli Apoſtolici, *communionem ſanctorum.* Docemur enim in hoc articulo, fideles omnes eſſe inuicem membra, & quaſi viuum
Rom. 12. 1. Cor. 12. quoddam corpus, vt etiam B. Paulus affirmat: &, ſicut membra viua ſe inuicem iuuant, ita fideles inter ſe bona ſua communicare, præſertim cùm ea,
2. Cor. 12. quæ vni ſuperflua ſunt, alteri neceſſaria, & valdè vtilia eſſe poſsint.
2. Tim. 2. 2. Poteſt probari ex verbis Apoſtoli: *Ego libentiſsimè impendã, & ſuperimpendar*
Col. 1. *ipſe pro animabus veſtris.* Et: *Omnia ſuſtineo propter electos.* Et: *Gaudeo in paſsionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſsionum Chriſti, in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Quamuis enim poſsint hæc verba ita exponi, vt ſignificent Apoſtolum paſſum eſſe multa propter electos, & propter Eccleſiam, quia non potuit Euangelium prædicare, niſi ſe multis periculis exponeret, & multos labores ſubiret; & rurſum, paſſum eſſe propter electos, & propter Eccleſiam, vt exemplo ſuo infirmos confirmaret, & ad brauium ſupernæ vocationis accenderet: tamen negari non poteſt, quin poſsint etiam rectè exponi de communicatione ſatisfactionum: nam ſenſus iſti inter ſe non pugnant, & poſſunt omnes ſimul admitti. Optauit enim Apoſtolus fidelibus prodeſſe omnibus modis, quibus id fieri poterat. Nihil enim excepit, qui dicebat: *Libentiſsimè impendar ipſe pro animabus veſtris.* Potuit autem prodeſſe communicando paſsiones ſuas ad expiandum reatum temporalem, cùm ſibi eiuſmodi ſatisfactiones abundarent: igitur optauit, & voluit etiam hac ratione fidelibus prodeſſe. Quod autem optauit Apoſtolus, optarunt ſine dubio ceteri S. Apoſtoli, alijque pij viri, qui Dei, & proximi charitate flagrabant.

Propoſitio 2. *Eccleſiæ paſtoribus auctoritas diuinitùs conceſſa eſt, theſaurum ſatis-*
Matth. 16. *factionum diſpenſandi, ac per hoc indulgentias concedendi.* Prob. I. ex illis verbis Domini: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Eſt enim hæc promiſsio generalis, & ampliſsima, nec reſtringitur ad peccata, qualis eſt il-
Ioan. 20. la: *Quorum remiſeritis peccata,* &c. ſed complectitur omnia vincula, quæ impedire poſſunt homines à conſecutione ſalutis æternæ. Itaque in hoc verbo fundatur poteſtas, non ſolùm abſoluendi à peccatis in Sacram. Pœnitentiæ, ſed etiam abſoluendi à cenſuris quibuſcunque, nec non diſpenſandi in legibus, votis, & iuramentis, dum rationabilis adeſt cauſſa. Promittitur enim his verbis Apoſtolo Petro ſupremum tribunal Eccleſiaſticæ poteſtatis, vt loco

Chriſti

Chriſti Eccleſiam omnem regere, & iudicare ſumma cum poteſtate poſsit. Quod ei tum demum exhibitum eſt, cùm à Chriſto audiuit. *Paſce oues meas.* Quare, quemadmodum Petrus, vt ſupremus index, loco Chriſti abſoluere poteſt homines peccatores ritè diſpoſitos à culpis quibuſcunque, applicando illis per Sacram. Baptiſmi, vel pœnitentiæ Chriſti merita: ita etiam poteſt abſoluere eoſdem extra ſacramentum à pœnis temporalibus applicando eis Chriſti, & Sanctorum paſsiones.

Ratio autem, cur reatus culpæ in Sacram. ſoluatur; reatus autem pœnæ extra Sacram. eſt in promptu: quamuis enim poteſtas ſoluendi ſit generalis, tamen debent omnia ſolui, prout exigit eorum natura. Culpæ autem lethales non ſoluuntur ſine infuſione gratiæ: infuſio verò gratiæ non datur humano miniſterio, niſi per Sacramenta. At reatus pœnæ remanentis poſt dimiſſam culpam ſoluuntur extra Sacram. quia non requirit infuſionem nouæ gratiæ, ſed eam iam adeptam præſupponit. Eodem pertinent illa verba: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlis; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Ne quis enim Eccleſiam contemneret, de qua paulò antè dictum erat: *Si te non audierit, dic Eccleſiæ; ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus:* addit Chriſtus tantam fore poteſtatem Præſulum Eccleſiæ, vt, quæcunque ipſi ligauerint, & ſoluerint, ſint etiam apud eum ligata, & ſoluta; cùm hæc promiſsio generalis ſit, & cùm ipſos Præſules loco ſuo iudices, & Principes Eccleſiæ eſſe voluerit, nulla eſt ratio, cur non poſsit extendi ad ſolutionem reatus pęnæ temporalis, præſertim cùm diuinæ iuſtitiæ ſatisfiat ex redundantibus ſatisfactionibus Chriſti, & Sanctorum. Matth. 18.

Prob. ſecundo propoſitio ex praxi, & vſu perpetuo Eccleſiæ Catholicæ. Quod enim Eccleſia ſemper in vſu habuit, dubitari non poteſt, quin ſit à Deo, etiamſi fortè fundamentum eius conſuetudinis lateret nos. Ipſo Apoſtolorũ tempore conceſſam fuiſſe indulgentiam, perſpicuum eſt ex illis verbis: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam ego, quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à Sathana.* Rogauerunt Corinthij B. Paulum, vt inceſtuoſo excommunicato, & ſeriam pœnitentiam agenti ignoſceret, & condonaret, quod ſupererat, pœnitentiæ: annuit B. Paulus, & iuſſit, vt ipſi nomine ſuo indulgerent. Ac, vt videamus nihil defuiſſe eorum, quæ ad veram pęnitentiam pertinent, quæ tria à Theologis numerantur; nimirum auctoritas in concedente, pietas in cauſſa, & ſtatus gratiæ in ſuſcipiente; Apoſtolus in perſona Chriſti, id eſt, auctoritate à Chriſto accepta, indulgere ſe dicit, idque propter ipſos, id eſt, propter communem ipſorum vtilitatem, vt non detur locus inſidijs Diaboli ob nimiam Prælati ſeueritatem. Denique, conſtat ex eadem epiſt. Corinthium inceſtuoſum tantum de ſuo peccato dolorem concepiſſe, vt periculum eſſet, ne nimia triſtitia abſorberetur: ex quo intelligimus, eum per veram pęnitentiam ad ſtatum gratiæ perueniſſe. Poſt Apoſtolica tempora extant teſtimonia Tertulliani, & Cypriani, de remiſsione pęnæ, quam Pont. faciebant, vel ad Martyrum interceſsionem, vel alijs de cauſsis. Poſt illa tempora extant Concilia Eccleſiæ antiquiſsima, partim generalia, partim etiam diuerſarum prouinciarum, in qui- 2. Cor. 2.

 bus

Seſſ. 25. bus per Epiſc. indulgentiæ pœnitentibus conceduntur. Concilium etiam Trident. probat vſum indulgentiarum, & emendat abuſus.

Prob. 3. ratione petita ab his ſignis, in quibus internoſcuntur Catholica dogmata ab hæreſibus. Nam Catholicorum dogmatum hoc eſt proprium, vt non inueniatur eorum origo, niſi ad Euangelium, vel Apoſtolos aſcendamus: hæreſum autem ſemper poteſt aſsignari certus auctor, & locus, & tempus, in quo exoriri cœperunt. Iam verò nullus hactenus indicare potuit auctorem indulgentiarum, neque locum, vel tempus, quo prędicari cœperint: omnes enim, qui de Indulgentijs mentionem faciunt, ſiue Doctores, ſiue Pont. ſint, ſiue etiam Concilia, ita de ijs loquuntur, vt de re vſitata, & recepta.

Quinto prob. ex diuinis teſtimonijs reuelationum, & miraculorũ. Nam S. Bernardus prędicauit multis in locis indulgentias, quas Eugenius III. Papa conceſsit ijs, qui accepta cruce ad bellum ſacrum Hieroſolymitanum L. 3. c. 4. proficiſcerentur, & prædictionem ſuam miraculis plurimis, & maximis confirmauit, vt cognoſci poteſt ex vita eius fideliter ſcripta. S. quoque Franciſcus diuina reuelatione indulgentiam à Domino, & eius vicario Rom. Pontifice obtinuit pro Eccleſia S. Mariæ de Angelis. S. Brigitta vidua ſanctiſsima, cuius reuelationes diligenter examinatæ, & approbatæ per viros doctiſ-L. 6. reuelat. c. 102. & 105. ſimos fuerũt, ab ipſo Chriſto non ſemel admonita fuit de indulgentijs maximis, quæ ſunt Romæ.

Vltimò prob. ratione ducta à ſimili. Nam in omni Rep. bene inſtituta pertinet ad Principes, & Magiſtratum diſpenſatio bonorum communium: & rurſum ad eoſdem pertinet admittere ſatisfactionem vnius pro altero, ſi ita iudicent expedire vtilitati Reip. At certum eſt Epiſcopos Principes eſſe populi Chriſtiani, & Rom. Pontificem in vniuerſa Eccleſia loco Chriſti ſummum Magiſtratum gerere. Nec minùs eſt certum, extare in Eccleſia theſaurum ſatisfactionum ex paſsionibus Chriſti, & Sanctorum, quo ipſi nō egent, & in communem fidelium vtilitatem erogari deſiderant. Denique, certum eſt multos eſſe fideles homines, & Dei filios, & amicos, qui tamen reatu pœnæ temporalis adhuc teneantur obſtricti. Cur igitur non poterunt Epiſc. ac potiſsimùm Pont. Max. ſi rationabilis cauſſa ſubſit, ex theſauro illo pro debitoribus ſatisfacere Deo, & nomine ipſius Dei eandem ſatisfactionem pro debitoribus illis acceptare, atque ea ratione indulgentias illis dare, eoſque à reatu pœnæ temporalis abſoluere?

Propoſitio 3. *Prælati Eccleſiæ diſpenſare poſſunt Chriſti paßionem, tum per Sacramenta, tum per indulgentias; paſsiones verò Sanctorum non niſi per indulgentias.* Ratio eſt in promptu. Nam Chriſti paſsio, qua parte diſpenſatur pro iuſtificatione, & reconciliatione peccatorum, non poteſt ab Eccleſiæ Prælatis diſpenſari, niſi per Sacram. Gratiam enim, & gloriam, vt omnes Theologi fatentur, non poteſt donare extra Sacram. niſi Deus poteſtate propria, & Chriſtus per poteſtatem ſibi communicatam à Deo, quam vocant excellentiæ.

Qua parte autem eadem paſsio Chriſti diſpenſatur pro remiſsione pœnæ temporalis, poteſt & pér Sacramenta, & extra Sacramenta diſpenſari. Nam Sacram. Baptiſmi virtute paſsionis Chriſti remittitur omnis pœna, ſiue temporalis,

poralis, ſiue æterna: in Sacram. verò Pœnitentiæ remittitur ſemper pœna ſempiterna, & pars aliqua pœnæ temporalis. Paſsiones verò Sanctorũ nunquã per Sacram. diſpenſari queunt: nunquam enim in Sacram. remittitur pœna ſine remiſsione culpæ; culpæ autem paſsionibus Sanctorum non poſſunt expiari, vt illud omittam, quòd Sacram. ſint inſtrumenta paſsionis ſolius Chriſti, nec vllam vim habeant à paſsionibus Sanctorum, cùm ipſi etiam Sancti per Chriſti Sacram. ſanctificati fuerint. Reſtat igitur, vt paſsiones Sanctorũ, ſi vllo modo diſpenſari debeant, extra Sacram. ſolùm, idque pro ſolutione ſolius reatus pœnæ temporalis diſpenſari debeant.

CAPVT III.

Quid ſit Indulgentia.

DVO hîc quærenda ſunt. I. *An Indulgentia propriè ſit abſolutio, an ſolutio?* Poſteriores Theologi definierunt, vtrumque ſimul in Indulgentijs reperiri; ſolutionem ſcilicet, id eſt, compenſationem pœnarum ex theſauro meritorum Chriſti, & Sanct. depromptam, & applicatam auctoritate Pontificis; & iudiciariam abſolutionem. Sit igitur I. propoſitio: *Indulgentia propriè eſt abſolutio iudiciaria, annexam habens ſolutionem ex theſauro.*

Prob. pars prior propoſitionis I. ex teſtimonijs Script. in quibus fundari diximus Indulgentias. Nam illud: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis:* & illud: *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis;* intelliguntur ſine dubio de poteſtate iudiciaria abſoluendi. *Matth. 16.* *Matth. 18.*

Prob. ſecundo ex teſtimonijs ſacrorum canonum.

Prob. tertio ratione. Nam cur, quæſo, pro defunctis non conceduntur indulgentiæ, niſi per modum ſuffragij? Certè nulla eſt ratio, niſi quia defuncti non poſſunt propriè iudicialiter abſolui. Ergò indulgentia, quæ viuentibus ſimpliciter datur, abſolutio iudiciaria eſt. Deinde; Si non eſſet neceſſaria iuriſdictio ad indulgentias concedendas, quicunque applicare vellet alteri ſatisfactionem ſuam, is dici poſſet indulgentiam dare: quod tamen eſt omninò inauditum.

Poſterior pars prob. I. auctoritate Clementis VI. qui manifeſtè hoc docet. Deinde ratione: nam Prælati Eccleſiæ, & ipſi etiam ſummi Pontifices non ſunt abſoluti domini, vt poſsint pro arbitrio, ſine vlla compenſatione, condonare hominibus culpas, vel pœnas, quarum rei ſunt in foro Dei: ſed ſunt iudices à Deo conſtituti, qui poſſunt quidem pro poteſtate ſibi à Deo cõceſſa remittere culpas, & pœnas nomine Dei; ſic tamen, vt iuſtitiæ ſatisfiat. Et confirm. à ſimili. Nam, cùm Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ abſoluunt reos pœnitentes à culpis, & ab aliqua parte temporalis pœnæ, non id faciunt ſine compenſatione; ſed applicant pretium ſanguinis Domini, vt diuinæ iu- *Extrauag. Vnigenitus.*

ſtitiæ

ſtitiæ ſatisfiat. Igitur eodem modo, cùm per indulgentias Prælati Eccleſiæ ſubditos ſuos abſoluunt à pœnæ temporalis reatu, id faciunt applicando ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum.

Propoſitio 2. *Quamuis in Indulgentijs abſolutio cum ſolutione ordinariè coniungatur, poſſet tamen ſummus Pont. indulgentiam concedere per ſolam ſolutionem; non tamen per ſolam abſolutionem.* Quòd per ſolam ſolutionem, certum eſt ex indulgentijs, quæ dantur pro defunctis. Nam quemadmodum defunctis indulgentiæ conceduntùr per hoc ſolum, quòd ſummus Pont. applicat ex theſauro, quantum ſatis eſt ad compenſandam pœnam, quam illi in Purgatorio luituri erant; ſic etiam poſſet viuenti alicui applicare ſatisfactionem ex theſauro Eccleſiæ, & eo modo eum liberare à debito pœnæ, etiamſi non propriè illum abſolueret. Ceterum illa non eſſet eiuſdem rationis indulgentia cum ea, quæ ordinariè viuentibus tribuitur. Altera pars perſpicua eſt ex dictis.

Altera quæſtio eſt: *A quo vinculo per indulgentias ſoluamur, vel abſoluamur?* Sciendum, duplex eſſe vinculum ſeu debitum, ſiue reatum peccati: alterum culpæ, alterum pœnæ. Rurſus autem reatum pœnæ iterum eſſe duplicem: alterum pœnæ naturalis, qualis eſt mors, morbus, ignorantia, concupiſcentia, & ſimilia; alterum pœnæ perſonalis, quæ conſequitur peccatum actuale; qualis fuit peſtis immiſſa in pop. ob peccatum Dauidis. Rurſus, reatum pœnæ perſonalis, alterum pertinere ad forum externum; alterum ad forum internū. Rurſum, reatum pœnæ debitæ in foro interno, ſeu pœnitentiali, alterum eſſe pœnæ iniunctæ, alterum iniungendæ. Denique, reatum eiuſdem pœnæ, ſiue iniunctæ, ſiue iniungendæ, vel eſſe debitum, vt ſatisfiat ſoli Eccleſiæ, vel vt ſatisfiat etiam Deo.

Sit itaque I. propoſitio: *Per indulgentias non abſoluimur, nec ſoluimur à reatu culpæ vllius,* id eſt, *nec lethalis, nec venialis.* Et quidem de culpa lethali nulla dubitatio eſſe poteſt: nam, cùm ea tolli non poſſit, niſi infuſione gratiæ, & gratia non infundatur miniſterio humano, niſi per Sacramenta, pro comperto habendum eſt, eam per indulgentias non poſſe tolli. De veniali probabilis eſt ſententia communis, per indulgentias non tolli, niſi reatum pœnæ temporalis, qui remanet culpa dimiſſa: ſiquidem indulgentia ſupplet locum ſatisfactionis pœnitentialis.

Præterea; Cùm Pont. indulgentias concedunt, ſæpe declarant ſe condonare pœnitentiam iniunctam; ſæpe etiam dicunt ſe largiri certum numerum annorum, vel dierum indulgentiæ, quæ nullo modo ad peccata venialia, ſed ad ſolas pœnas accommodari poſſunt. Item; Si quando in litteris indulgentiarum legatur, concedi abſolutionem à culpa, & pœna, intelligendum eſt id propterea dici, quòd indulgentia coniungitur ordinariè cum Sacramentali confeſsione, & facit, vt, qui per Sacramentalem confeſsionem fuit abſolutus à culpa, per indulgentiam abſoluatur à pœna. Pari ratione, cùm dicunt Pontifices ſe per indulgentias abſoluere pœnitentes à peccatis, vel condonare omnia peccata, vel dimidiam, aut tertiam partem peccatorum, ſemper loquuntur de peccatis, quoad pœnam, non quoad culpam, quæ ante indulgentiam remiſſa eſſe creditur.

Propoſitio ſecunda. *Per indulgentias non liberamur à pœnis naturalibus.* In hac con-

conueniunt omnes Doct. Conſtat enim definitum eſſe à Deo, vt pęnæ illæ naturales non tollantur, niſi cùm natura ipſa mutabitur, id eſt, cùm per reſurrectionem mortale hoc induet immortalitatem. 1. Cor. 15.

Propoſitio tertia. *Nec pœnas, quæ in foro externo, contentioſo, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſæculari infliguntur, indulgentiæ tollere poſſunt.* Nam pęnæ fori externi propter bonum Reip. infliguntur, vt facinoroſi deterreantur à peccatis, & probi homines ſecuritate fruantur. Prętereà, Indulgentiæ non conceduntur, niſi pęnitentibus, & Deo reconciliatis: pęnæ autem illę infliguntur maximè pertinacibus, & rebellibus. Denique; Indulgentię locum obtinent ſatisfactionis pęnitentialis: quare non aliam pęnam tollunt, niſi quam debemus in foro ſecreto, & pęnitentiali.

Propoſitio quarta. *Indulgentiæ liberant homines reatu pœnæ, non ſolum coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo.* Hęc propoſitio olim negabatur à nonnullis Catholicis: & hoc tempore à Luthero, & Caluino, ceteriſque ſectarijs. Et quidem aduerſus Catholicos prob. propoſitio. Quoniam, ſi ſolùm deberet Eccleſiæ ſatisfieri, ſiue tolli pręceptum agendę pęnitentię ab Eccleſia poſitum, non eſſet opus theſauro meritorum Chriſti, & Sanctorũ. Secundò, Non eſſet vtilis, ſed noxia indulgentia, & Eccleſia filios ſuos in hac re maximè graui decipere videretur: liberaret enim eos à pęna huius vitę mitiſsima, & remitteret ad pęnam atrociſsimam Purgatorij. Tertiò, Non poſſent concedi indulgentię pro defunctis, quippe qui non ligantur Eccleſię pręceptis, neque aut ipſi diſciplina indigent, aut exemplo eſſe poſſunt. Quartò, Multi fideles indulgentias percepturi confitentur Sacerdotibus peccata, & ſatisfactionem iniunctam explent. Interdum etiam Pontifices in litteris indulgentiarum pręſcribunt, vt Sacerdotes iniungant pęnitentias ſalutares ijs, qui indulgentiam conſequi deſiderant. Igitur & populi, qui ſuſcipiunt indulgentias, & Pontif. qui eas tribuunt, eius ſententię ſe eſſe teſtantur, vt indulgentię potiſsimum proſint ad pęnam Purgatorij expiandam. Denique; hoc ſignificare videntur illa verba: *de vera indulgentia*, quæ addi ſolent, cùm indulgentię in ſacello Pontificio promulgantur; vera enim indulgentia dicitur, quę reatum pęnæ, non ſolum coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo verè tollit.

Iam verò aduerſus hæreticos, prob. I. indulgentiam valere ad relaxandam pęnam coram Deo, ex verbis Chriſti: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlo.* Et: *Quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quorſum enim additur: *& in cœlo*, ſi non ſoluitur vinculum niſi humanum. Matt. 16. Matt. 18.

Prob. ſecundo ex Patribus.

Prob. III. ratione ducta à ſimili. Pęnitentiæ ſiquidem à Sacerdotibus impoſitæ, & eæ, quæ aſſumuntur ſponte, ſunt omninò ſimiles: conſtant enim ex ijſdem rebus, oratione videlicet, ieiunijs, & eleemoſyna; & ad eundem finem tendunt, & aliæ alias iuuant: immò Sacerdotes, cùm pęnitentias iniungunt, hortantur pœnitentes, vt ipſi etiam ſponte aſſumant alias, cum credibile ſit impoſitas non eſſe ęquales criminibus. Certum autem eſt, per pœnitentias ſponte aſſumptas ſatisfieri Deo, vt perſpicuum eſt ex eo, quòd occultæ eſſe ſolent, iuxta illud: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Igitur pœnitentiæ à Sacerdotibus non ſolùm exempli, & Pſalm. 6.

diſciplinæ cauſſa, ſed etiam ad ſatisfaciendum Deo imponi ſolebant.

Pręterea; Pęnitentiæ pro occultis criminibus occultè iniungebantur, ſicut & ipſa confeſsio ſecreta eſſe debebat. Nō igitur ſemper iniungebantur exempli, & diſciplinæ cauſſa.

Denique; Omnia argumenta, quibus in libro de Purgatorio demonſtrauimus, poſt hanc vitam extare loca pœnalia, in quibus exerceantur animæ eorum, qui, dum viuerent, pro ſuis peccatis non integrè ſatisfecerunt Deo, probant etiam, Indulgentias homines liberare à reatu pœnæ, non ſolùm coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo. Nam nec ipſi Lutherani indulgentias negarent, ſi Purgatorium crederent.

Eſt etiam notandum, Indulgentias, quæ conceduntur in hac vita, immediatè, & principaliter liberare à debito pœnæ perſoluendæ in hac vita: mediatè verò, & quaſi ſecundariò à debito pęnæ perſoluendæ in Purgatorio.

Extran. Antiquorum.

Propoſitio 5. *Cùm in forma Indulgentiæ palam exprimitur, concedi remiſsionem pœnitentiæ iniunctæ, non intelligitur concedi remiſsio eius pœnitentiæ, quam Sacerdos in Sacramento Confeſsionis iniunxit.* Nam pęnitentia non dicitur propriè iniungi, niſi à Sacerdote, qui in particulari obligat prȩcepto ſuo pœnitentem ad certa opera pœnalia peragenda. Canones enim pęnitentiales exprimunt quidem, generatim, quæ pęnitentia quibus peccatis conueniat: ſed, quoniā nō eſt ſatis ad iuſtā pęnitentiam imponendam, ſcire, quid congruat peccato ſecundum ſe; niſi ſimul attendantur variæ circumſtantiæ, maximè circa perſonam pœnitentis; ideò non poteſt à canone pęnitentiali pęnitentia abſolutè iniungi, neque vllus tenetur ad eam pęnitentiam ſubeundam, quæ notatur in canone pęnitentiali, niſi ab aliquo iudice iniungatur. Pari ratione dicitur, Deum non iniungere pęnitentiam, ſed exigere eam, quæ ſequitur ex natura rei, ad peccati grauitatem.

Accedat præterea, quòd, cùm Indulgentiæ conceſsio ſecundum iura ſit res odioſa, quippe quæ relaxat pęnitentiæ rigorem, non debent extendi verba litterarum Pontificiarum ad pęnitentias iniunctas largo modo, & impropriè, ſed reſtringi ad iniunctas propriè; quales non ſunt, niſi eæ, quæ à Sacerdotibus in Sacram. Pęnitentiæ iniunguntur. Quæ enim definiuntur in Canonibus, vel exiguntur, nō poſſunt dici iniunctę, niſi largo modo, & impropriè.

Concluſio 6. *Cùm non ſit mentio iniunctarum pœnitentiarum, ſed abſolutè conceduntur indulgentiæ, intelligendum eſt, condonari omnes pœnitentias, ſiue iniunctæ ſint, ſiue iniungi potuerint.*

Prob. propoſitio primo ex conſtitutione extrauag. Bonifacij VIII. in qua legimus indulgentiam datam eſſe plenam, pleniorem, & pleniſsimam. At certè, ſi non concederetur indulgentia niſi de iniunctis pęnitentijs, ſatis fuiſſet dicere concedi *plenam* ſeu *plenariam.* Quid igitur ſibi vult, *plenior* & *pleniſsima*? Adde, quod Gloſſa ſcribat, Bonifacium de hoc interrogatum reſpondiſſe, per pleniſsimam indulgentiam ſe intellexiſſe illam omnem indulgentiam, ad quam claues Eccleſiæ poſsunt extendi. Non poteſt autem dubitari, quin claues Eccleſiæ ad indulgendas pęnitentias non iniunctas, ſed tamē debitas in iudicio Dei poſsint extendi. Adde, quòd ab eodem Pont. fuerit

pro-

prohibitum pęnitentiario, ne confitentibus peccata anno illo Iubilęi ſatisfactiones iniungeret. Non igitur dubitari poteſt, quin Pont. ille indulgentias de non iniunctis dare voluerit. Simile eſt, quod de Pio V. refertur. Is enim priuatim interrogatus affirmauit indulgentias abſolutè pronunciatas non reſtringi ad pęnitentias iniunctas, ſed etiam extendi ad non iniunctas. Et quamuis duo illi Pont. non ediderint publicam huius quæſtionis explicationem, per reſcriptum aliquod Pontif. tamen non eſt leuis momenti tantorum virorum etiam priuata auctoritas.

Prob. ſecundo ex conſuetudine noſtrorum temporum. Nunc enim vix vnquam iniunguntur pœnitentiæ multorum annorum; & tamen Pont. qui hoc non ignorant, adhuc promulgant indulgentias ſeptem, vel decem annorum, atque alias ſimiles. Igitur non volunt Pont. hoc ſaltem tempore, indulgentias reſtringere ad pœnitentias iniunctas; ſed extendunt etiam ad eas quæ meritò iniungi poſſent, ſi pœnitentiæ criminibus ęquales iniungerentur.

Præterea; hoc tempore, qui ſe parant ad indulgentias conſequendas, confiteri ſolent peccata Sacerdoti, & iniunctam ſatisfactionem implere: non igitur exiſtimant ſibi tantùm iniunctas pœnitentias condonari, ſed alias longè maiores. Quòd ſi hæc populorum exiſtimatio non eſſet vera, manifeſtè falletur pop. & huius deceptionis cauſſa in prælatos Eccleſiæ referri poſſet. Denique; In litteris indulgentiarum aliquando ponitur, vt Sacerdotes imponant ſalutares pœnitentias ijs, qui indulgentias conſecuti ſunt. Non igitur indulgentia earum litterarum ad iniunctas pœnitentias, ſed ad non iniunctas pertinet: neque enim Pont. relaxare intendũt pœnitentias illas ſalutares, quas iubent imponi.

CAPVT IV.

De varietate, & vtilitate Indulgentiarum.

DE variętate inuenio Indulgentias quinque modis conſueuiſſe concedi: Interdum enim conceduntur aliquot dies, vel anni indulgentiarum. Interdum quadragenæ dierum; modò tertia, vel quarta, vel alia peccatorum pars; aliàs Indulgentia plenaria: Tandem Indulgentia plena, plenior, & pleniſsima in forma Iubilæi: Rurſus, hæc omnia vel conceduntur in vita, vel in articulo mortis: Denique, vel ſunt Indulgentiæ temporariæ, vel perpetuæ.

Et quidem *Indulgentia tot dierum, vel annorum* ſecundum veriorem opinionem, ſignificat remiſsionem pœnitentiæ, quæ peragenda fuiſſet tot diebus, vel annis, ſecundum Eccleſiæ ritum. Conſtat enim pœnitentibus multa fuiſſe imperata, multa etiam interdicta: vt, exempli gratia, impe-

rabatur ieiunium feria 2. 4. & 6. interdicebatur vſus balnei, equitationis, vxoris etiam interdum, & potiſsimum tempore ſacræ communionis.

Indulgentia Quadragena ſignificat remiſsionem pœnitentiæ, quæ 40. continuaris diebus in ieiunijs, alijſque laborioſis operibus agenda fuiſſet. Quæ Quadragena, quando imperabatur acrior, ita vt ſolo pane, & aqua contenti eſſe deberent, qui eam peragebant, carena dici ſolebat, quòd videlicet carentiam omnium ferè ciborum contineret. Talis carena præmitti ſolebat ante ſeptennem pœnitentiam. Porrò cùm Indulgentia condonat aliquam partem, vt tertiam, vel quartam peccatorum, nihil ſignificatur aliud, niſi remitti pœnitentiam, quæ pro tanta parte pęnæ peccatis debitæ expianda neceſſaria fuiſſet.

Indulgentia verò plenaria totum pęnæ reatum tollit, qui poſt culpam remiſſam fortè remanſit. Denique, *Indulgentia plenior, vel pleniſsima*, etiam in Iubilęo, non differt reuerà à plenaria ſimpliciter, & abſolutè conceſſa: poſſet tamen
Extrau. Antiquorū. fieri, vt Bonifacius VIII. qui primus vſus eſt illis vocibus, retulerit plenam Indulgentiam ad remiſsionem totius pęnitentiæ iniunctæ; pleniorem, ſeu largiorem ad remiſsionem totius pęnitentię, quę ſecundum Canones iniungi debuiſſet; pleniſsimam ad remiſsionem totius pœnitentiæ, quę à diuino iudicio poſſet exigi.

Exiſtit autem hîc dubitatio: Num Indulgentia aliquot dierum, vel annorum huius vitæ reſpondeat in Purgatorio relaxationi totidem dierum, vel annorum? Et quidem omnes conueniunt, cùm per indulgentias condonantur pęnitentiæ aliquot dierum, vel annorum, conſequenter etiam remitti pęnam Purgatorij, quę pęnitentiæ condonatę reſpondet.

Sed, vtrum pęnitentia vnius diei, vel vnius anni in hac vita tantum reatus pęnæ coram Deo expiare valeat, quantum expiaret vnus dies, vel annus in Purgatorio exactus, quęſtio eſt. Communis ſententia docet, quòd ſic. Quamuis enim pęna Purgatorij ſit acrior omnibus pęnis, quas in hac vita experti ſumus, vt Patres docent, tamen ad expiandum reatum pęnæ efficacior eſt pęna voluntaria huius vitę, quàm pęna acrior Purgatorij; quia hoc eſt tempus miſericordię, illud iuſtitię. Itaque in hac vita non eſt debitum vllum pęnæ tam grande, quod non poſsit vno die, vel etiam vna hora per martyrium omninò diſſolui, pro quo tamen ſoluendo in Purgatorio vix multi anni ſufficerent. Quod quidem de vehementiſsima contritione dici poteſt: de qua re multa extant exempla in hiſtorijs.

L. de ſcala parad gradu 4. Ioan. Climachus ſcribit latronem quendam omni ſcelerum genere coopertum, tanto ardore animi peccata ſua publicè patefeciſſe, vt reuelatum ſit ſanctis aliquibus viris, illa omnia continuò ſatisfactione illa purgata fuiſſe, atque deleta.

L. 5. hiſtor. Anglic. c. 13. Conſtat pręterea ex Beda, alijſque probatis auctoribus, plurimas animas in Purgatorio vſque ad diem iudicij, id eſt, per multas annorum centurias cruciandas: cùm tamen nulla ſit multitudo, vel grauitas peccatorum, quę nō poſsit in hac vita per pęnitentiam deleri, non ſolùm quoad culpam, ſed etiam quoad pęnam.

Denique; legimus viros aliquos ſanctos ob vnum ſolum peccatum non

paruo

paruo tēpore in Purgatorio cruciatos, vt patet de Paſchaſio Cardinali Rom. apud S.Gregorium: & de Seuerino Epiſcopo Colonienſi apud S. Petrum Damianum: & de S.quadam virgine apud Gregorium Turonenſem. In præſenti autem vita eiuſmodi peccata leui, ac breui pœnitentia dilui poſſent. *l. 4. Dial. c. 40.* *in epiſt. de mirac. ſui temporis ad Deſiderium.* *L. de gloria confeſſ. c. 5.*

De *Indulgentia in mortis articulo* quæri poteſt: Quid intelligendum ſit per mortis articulum? Sed reſp. facilis eſt: nam, ſi litteris Pontificijs exprimatur *mortis articulus verus*, tunc ſine dubio non aſſequitur illam indulgentiam, niſi qui reuera paulò pòſt acceptam abſolutionem moritur. Si verò non exprimatur, ſed generatim dicatur, *in mortis articulo*, tunc ſententia communior eſt, indulgentiam obtineri etiam in mortis articulo præſumpto, quamuis reuerà mors non ſequatur. An autem, qui Indulgentiam conſecutus eſt in articulo mortis præſumpto, poſsit rurſus eandem aſſequi, cùm iterum veniet ad mortis articulum, Doct. diſſentiunt: ſed iſtæ quæſtiones, vt plurimùm, ex inſpectione litterarum diſſolui poſſunt. *Indulgentiæ temporariæ* dicuntur, quæ conceduntur definito ſpacio temporum, quo indulgentia percipi poteſt: vt cùm definiuntur 24. horæ, vel vna, aut altera hebdomada, vel integer annus, vt in Iubilæis. *Perpetuæ* verò dicuntur, quæ ſunt alligatæ certis locis; vt Eccleſijs, vel altaribus; vel etiam rebus mobilibus, vt roſarijs, granis benedictis, ſine vlla temporis determinatione.

Vtilitas pręcipua Indulgentię eſt remiſsio pœnæ temporalis. De qua re id ſolùm quæri poteſt: An ſit vtilis omnium hominum generi remiſsio pœnæ temporalis? Sed apud Catholicos res eſt certiſsima, Indulgentias omnibus eſſe vtiles, & ab ijs etiam, qui perfectioni dant operam, rectè quæri, & ſuſcipi poſſe. Nā omnibus vtile eſt, liberari ab ijs rebus, quæ retardare poſſent adeptionem ſummi boni: talis autem eſt reatus pęnæ temporalis, cum quo ſi quis ex hac vita migrauerit, non poterit continuò pertingere ad vitam æternam. Sunt etiam aliæ vtilitates adiunctæ, quando in forma Iubilæi Indulgentiæ publicantur. Nam & datur facultas eligendi Confeſſarium, ex approbatis tamen, iuxta decretum Concilij Trident. Item, datur auctoritas confeſſarijs abſoluendi à multis caſibus reſeruatis, multiſque cenſuris Eccleſiaſticis, nec non vota nonnulla in alia pia opera commutandi: atque alia id genus. *Seſſ. 23. c. 15.*

Sed duæ hoc loco exiſtunt dubitationes. I. Si quis tempore Iubilæi abſolutionem à reſeruatis accipiat, & poſtea tamen negligat ea perficere, quę ad indulgentiam conſequendam neceſſaria ſunt, an abſolutio illa rata ſit? Reſponſio communis eſt, ratam eſſe: quia abſolutio non pendet à futura conditione, & ne pendere quidem poteſt. II. Dubitatio: Si quis ſpe futuri Iubilæi in peccatum reſeruatum ſponte incidat, an ab eo peccato poſsit abſolui? Reſpondent aliqui, non poſſe: ſed alij contra ſentiunt.

Quis poſsit Indulgentias concedere?

CAPVT V.

VT Indulgentia rata ſit, duo requiruntur ex parte concedentis: auctoritas legittima, & cauſſa. Auctoritatem requiri, extra controuerſiam eſt: nam abſoluere, vel ligare non poteſt, niſi is, qui iuriſdictionem habet: indulgentias autem dare, abſoluere eſt. Præterea; Diſtribuere communia bona non poteſt niſi Magiſtratus, vel Princeps, cui bonorum communium adminiſtratio commiſſa eſt, & diſpenſatio credita: Indulgentiæ verò, præter abſolutionem, continent etiam applicationem theſauri ſpiritualis. Porrò auctoritas hæc potiſsimum reſidet in ſummo Pontif. ac propterea poteſt ipſe indulgentias etiam plenarias omnibus fidelibus elargiri. De qua re nulla diſſenſio eſt. Nam conſtat Apoſtolo Petro, cui ſummus Pontif. ſuccedit, propriè dictum

Matth. 16. eſſe à Domino: *Quodcunque ſolueris*, &c. Deinde, conſtat ex iure Canonico, in

c. Cùm ex eo, de pœnitent. & remiſſ. ſummo Pontifice ad indulgentias concedendas eſſe plenitudinem poteſtatis. Denique, conſtat ex re ipſa, ſummos Pontif. frequentiſsimè indulgentias plenarias conceſsiſſe.

De Epiſcopis, & Metropolitanis res eſt etiam extra controuerſiam, poſſe illos in ſua diœceſi, iſtos in ſua prouincia indulgentias tribuere: ſic tamen vt indulgentiam vnius anni in dedicatione Eccleſiæ, vel 40. dierum alijs temporibus de iniunctis pœnitentijs non excedant. Nec minus certum eſt, non requiri poteſtatem ordinis, ſed ſolùm poteſtatem iuriſdictionis ad indulgentias concedendas: proinde poterit Pontif. Max. vel Epiſcopus indulgentias concedere, etiamſi nondum ſit ſacris ordinibus inſignitus. Neque amittitur hæc poteſtas per peccatum lethale.

De Legatis Apoſtolicis, poſſe eos concedere ex commiſsione ſpeciali, vel generali ſummi Pontif. indulgentias in omni loco, ad quem ſua legatio ſe ex-

In 4. diſt. 20. q. 4. ar. 2. tendit, nemo dubitat. Summum Pœnitentiarium poſſe concedere centū dierum indulgentias, teſtatur Petrus Palud. Quod idem de alijs Cardinalibus

De Iubil. notab. 31. num. 17. teſtatur Nauarrus: quamuis id magis conſuetudine, quàm lege nitatur. Atq; hæc quidem videntur eſſe certa, & rata.

Primùm autem quæri poteſt de Concilio generali: an poſsit plenarias indulgentias dare? Quamuis verò neminem legerim, qui expreſsè doceat, Concilium generale non poſſe indulgentias dare; tamen videntur ita ſentire Doct. qui ſcribunt, ad ſummum Pontif. ſolum ſpectare poteſtatem indulgentias concedendi plenarias, & de Concilio generali nihil dicunt. Nam nullum

Seſſ. 4. huius rei exemplum habemus, niſi Concilij Baſileenſis: quod Concilium eo tempore erat ſchiſmaticum, neque eius decreta, & multò minus exempla,

certam

certam fidem faciunt. Concilium autem Conſtantienſe propè finem indulgẽtias concedit non plenarias, ſed ſolùm 100. vel 40. dierum: quod rectè poterat facere, cum in eo Concilio non ſolùm eſſent multi Epiſcopi, & Archiepiſcopi, ſed etiam Cardinales. *Seſſ. 17.*

Præterea; Concilium generale, ſecluſo Papa, non habet Papalem auctoritem, nec formaliter, nec eminenter, nec vllo alio modo. Non igitur poteſt Concilium, ſecluſo Papa, ea facere, quæ propriè ad ſummum Pont. pertinẽt, ſed ea ſolùm, ad quæ ſe extendit Epiſcopalis auctoritas. Conſtat autem non poſſe Epiſcopos, etiam multos ſimul coniunctos, indulgentiam dare, niſi vnius anni, vel 40. dierum.

Altera dubitatio eſt de Iure, quo Epiſcopi poſſunt indulgẽtias elargiri. Aliqui enim exiſtimant, Epiſc. iure diuino id poſſe: alij negant. Sed hæc quæſtio ex alia pendet: *Vtrum iuriſdictionem accipiant Epiſcopi à Deo immediatè; an verò per ſummum Pontificẽ?* Exiſtimamus autem, Epiſc. à ſummo Pont. iuriſdictionem omnem, ac per hoc poteſtatem indulgentias conferendi accipere. Cuius rei argumentum eſt, quod videamus à ſummo Pont. reſtrictam, & limitatam Epiſcopis hanc poteſtatem fuiſſe: neque dubium eſt, quin ab eodem penitùs tolli, vel etiam augeri, & extendi poſsit. Quòd ſi à Deo immediatè illam haberent, poſſet quidem ſummus Pont. interdicere illis vſum eius poteſtatis; tamen ſi obſtinatè ea vti vellent, non poſſet ſummus Pont. impedire, quò minus ratum eſſet, quod illi feciſſent. Sicut cùm ſummis Pont. interdicit alicui Epiſc. ne vtatur facultate, quam habet à Deo conferendi Sacram. Confirmationis, vel Ordinis, peccat quidem Epiſc. non obtemperans Pont. Max. tamen collatio illa Sacram. Confirmationis, vel Ordinis rata eſt.

3. Dubitatio eſt de Abbatibus, Parochis, alijſque Sacerdotibus; *an poſſint indulgentias tribuere?* At ſententia communis docet, nullos omninò Sacerdotes Epiſcopis inferiores poſſe iure communi tribuere indulgentias; ſed ſolùm ex commiſsione ſummi Pont. vel Epiſc. Extat enim de hac re expreſsus textus iuris. Præterea; S. Thomas pulchrè docet, nullos eſſe abſolutè Prçlatos, niſi Epiſcopos. Ipſi enim ſunt rectores integri populi, & quaſi Reges in para uo regno; atque ita præſunt hominibus omnium ordinum, ætatum, ſexuum, conditionum. Abbates autem ſunt quaſi patres vnius familiæ; & domus, & præſunt ſolis Monachis. Parochi quoque non præſunt, niſi vni parochiæ, quaſi vni familiæ. Poteſtas autem diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ non conuenit, niſi veris Prælatis, qui ſunt Principes populi Dei. *c. Accedentibus, de exceſſ. Prælatorum. In 4. diſt. 20. q. 1. ar. 4.*

CAPVT

CAPVT VI.

De cauſſa iuſta Indulgentiarum.

VT ſeiungamus certa ab incertis, conuenit primo inter omnes ſcriptores, ſine iuſta cauſſa ratam Indulgentiæ conceſsionem, quoad ea, quæ pendent ex ſolo iure Eccleſiaſtico: qualia ſunt priuilegia eligendi Confeſſarium, qui poſsit etiam à reſeruatis peccatis abſoluere; & alia id genus. Ratio eſt, quoniam, cùm ſummus Pontif. diſpenſat in iure Eccleſiaſtico, diſpenſatio eſt rata, etiamſi non adſit cauſſa iuſta: ſatis enim eſt, ſi conſtet, eum voluiſſe diſpenſare, cùm id totum ab eius arbitrio, & voluntate dependeat.

Secundò, Conuenit inter omnes, ſine iuſta cauſſa Indulgentiam non eſſe ratam, quod attinet ad expiandum reatum pœnæ coram Deo, vel in hac vita, vel in alia. Ratio eſt, quia hæc pœna expianda eſt iure diuino: non poteſt autem ſummus Pontif. ſine iuſta cauſſa diſpenſare in ijs, quæ aliquo modo pertinent ad ius diuinum, quoniam miniſter Dei eſt, non Dominus. Id quod etiā videmus accidere in diſpenſatione iuramenti, & voti: relaxat enim obligationem in nomine Dei, quando cauſſam habet eiuſmodi, vt credibile ſit, id placiturum Domino. Quod ſi pro arbitrio ſine vlla iuſta cauſſa diſpenſet, Deus non habet ratam diſpenſationem.

Præterea; Summus Pontif. non ſolùm non eſt ſupra ius diuinum, vt poſsit illud pro arbitrio tollere; ſed neque eſt Dominus, ſed diſpenſator theſauri ſpiritualis: diſpenſator autem fidelis, & prudens eſſe debet; alioqui nòn diſpenſator, ſed diſsipator dicendus erit. Quare in litteris indulgentiarum ſemper exprimitur cauſſa, cur indulgentiæ concedantur.

Tertiò, Conuenit inter omnes, ad iuſtam cauſſam non requiri, vt opus iniunctum ſit in ſe ita ſatisfactorium, vt planè compenſet debitum pœnæ, quod remittitur per indulgentiam: tunc enim indulgentia non eſſet remiſsio, ſed commutatio, vel redemptio.

Quæſtio igitur in eo ſolum verſatur: *An ad iuſtam cauſſam requiratur proportio aliqua operis iniuncti cum indulgentia, ita vt pro maiori indulgentia maior cauſſa requiratur; an vero poſsit pro opere minimo dari indulgentia maxima?* Communior, & verior ſententia videtur eſſe eorum, qui contendunt, ad iuſtam cauſſam requiri aliquid, non ſolum pium, & vtile; ſed etiam, quod proportionem habeat cum indulgentia, ita vt non ſit ratum, ſi detur pro cauſſa leuiſsima indulgentia maxima.

Rationes ſunt hæ. I. Quia videntur abuti vocabulis, qui dicunt, requiri iuſtam cauſſam ad conceſsionem indulgentiarum; & tamen volunt pro opere quocunque, etiam leuiſsimo, concedi poſſe indulgentiam maximam. Quomodo

Quomodo enim iuſta cauſſa dici poteſt, quæ nullam habet proportionem cũ effectu.

II. Quoniam non ſolùm infidelis diſpenſator dicitur, qui nulla de cauſſa donat bona Domini ſui, ſed etiam, qui pro minima profundit, ac prodigit theſauros precioſos eiuſdem Domini ſui.

III. Quia ſi pro quacunque cauſſa pia conceſſæ indulgentiæ ratæ eſsent, nullæ dici poſsent ſuperfluæ, vel indiſcretæ, cùm ſemper ſit in promptu aliqua pia cauſa, quæ alligari poſsit.

IV. Quoniam non diſsimilis eſt indulgentiæ largitio diſpenſationi votorum. In votis autem conueniunt omnes, non poſse diſpenſari, niſi pro maxima cauſa, quæ magis placeat Deo, quàm ipſa impletio voti.

V. Quia alioqui poſset ſummus Pontif. in momento liberare omnes animas Purgatorij: quia poſset dici, non deeſse cauſam piam, cùm ad gloriam Dei pertineat, vt tot animæ citiſsimè volent ad cœlum, vbi perpetuo Deum laudabunt.

Sed vt magis res explicetur, notandum eſt primo ad cauſam iuſtam, vt plurimum, duo requiri. Primo finem aliquem pium, & Deo gratum, cuius aſſecutio magis placeat Deo, quàm pœnitentialis ſatisfactio, quæ per indulgentiam relaxatur. Is enim fidelis, & prudens eſt diſpenſator theſauri, qui fideliter egit cauſſam Domini ſui, & iuxta eius voluntatem operatur. Secundo opus aliquod, per quod reuerà finis ille probabiliter obtineri poſsit: nam ſi finis quidem valdè placeat Deo, ſed per opus iniunctum nullo modo valeat obtineri, non videtur iuſta cauſſa dandæ indulgentiæ. Vt, exempli cauſſa, ſi detur indulgentia plenaria ijs, qui ſemel recitant orationem Dominicam pro conuerſione hæreticorum, cauſſa non videtur iuſta, quia tametſi conuerſio hæreticorum res eſt maxima, & Deo gratior, quàm pœnitentialis ſatisfactio; tamen non eſt probabile, conuertendos hæreticos per eam ſolam, breuiſsimamque orationem.

Obſeruandum ſecundò, non requiri ad proportionem cauſſæ cum indulgentia, vt opus iniunctum ſit in ſe valdè meritorium, vel ſatisfactorium, vel difficile, vel laborioſum, quamuis hæc etiam ſpectari debeant: ſed requiri, vt ſit medium aptum, atque vtile ad conſequendum finem, cuius gratia conceditur indulgentia. Itaque fieri poteſt, vt per opus in ſe ſatis leue, & facile, magna indulgentia acquiratur. Vt cùm datur indulgentia plenaria omnibus, qui ante fores Baſilicæ S. Petri adſtant, dum ſummus Pont. in die Paſchæ ſolenniter populo benedicit. Et ſi enim aſsiſtentia iſta res minima ſit, ſi per ſe abſolutè conſideretur, tamen magna, & iuſta cauſſa eſt, quia frequentia illa populi eo tempore medium eſt aptum, & vtile ad proteſtationem fidei de capite Eccleſiæ, atque in honorem ſedis Apoſtolicæ; qui eſt finis illius indulgentiæ.

Obſeruandum tertiò, non eodem modo iudicandum eſſe de cauſſa indulgentiæ, cùm datur vni alicui particulari, & cùm datur in communi multis: nam, cùm datur vni particulari, oportet, vt opus iniunctum illi ſoli ſit proportionatum fini, cuius gratia indulgentia datur: at, cum datur in communi multis, non eſt neceſſe, vt opus ſingulorum, ſed tãtum vt opus omnium ſimul

ſit proportionatum fini. Atque hinc accidere poteſt, vt indulgentia maxima ſit iuſtiſsima, etiamſi opus iniunctum ſingulis videatur lene.

Obſeruandum quarto plerumque in cauſſa iuſta duo contineri, vt ſupra dictum eſt: finem, & media ad finem: quoniam aliquando ſolus finis ſatis eſſe videtur, ſine vllis medijs, id eſt, ſine aliquo opere iniuncto; quando videlicet finis non pendet ab aliquo opere, & per ſe ſufficit ad indulgentiam iuſtam efficiendam. Sic olim ad petitionem Martyrum dabantur indulgentiæ ſine aliquo opere iniuncto, quia iudicabat Eccleſia, ſatis magnam cauſsam eſſe, petitionem Martyrum, vt videlicet homines accenderentur ad martyrium, cũ viderent, tanti fieri Martyrum preces. Vocabantur autem tunc Martyres, qui in carceribus incluſi, & iam aliquid paſsi fuerant ob confeſsionem fidei, & cõſummationem martyrij expectabant. Quomodo etiam in articulo mortis hominibus bene meritis de Eccleſia dantur aliquãdo indulgentiæ, neque opus vllum iniungitur; quia videtur cauſsa eſſe ſatis iuſta, ipſa neceſsitas extrema coniuncta cum præcedentibus meritis. Itaque ſine opere iniuncto concedi poteſt aliquando indulgentia: ſine cauſsa verò, eaque iuſta, & rationabili nunquam poteſt.

Obſeruandum quarto iuſtam quidem ſemper cauſsam requiri, ſed non eſſe ſubditorum, iudicare, vtrum cauſsa ſit iuſta, vel iniuſta: debent enim ſimplicitet exiſtimare, iuſtam eſse. Nihilominus tamen ſicut probandum non eſt, quòd aliqui pio zelo, ſed nimio fortaſsis, de indulgentijs quibuſdam leuibus de cauſsis conceſsis obloquuntur: ſic laudandus eſt Clemens VIII.
Seſs. 25. Pont. Max. quòd decretum Concilij Lateranenſis ſub Innocent. III. de moderandis indulgentijs indiſcretis, & decretum Concilij Trident. de reuocandis indulgentijs ad veterem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem executioni mandare ſtuduerit. Veteres enim parciſsimos fuiſse in conferendis indulgentijs, notiſsimum eſt. Siquidem Sergius II. trium tantùm annorũ dedit indulgentiam: Paſchalis II. 40 ſolùm dierum. Teſtatur quoque Inno-
c. Cum ex eo, de pœnit. & remiſſ. cent. III. Apoſtolicam ſedem ſolitam eſse ordinariè non extendere indulgentias vltra condonationem pœnitentiæ vnius anni, vel 40. dierum: & iuxta hoc Innocent. decretũ Nicolaus IV. in indulgentijs varijs, quas conceſsit Eccleſiæ S. Praxedis, quæ leguntur in introitu capellæ S. Zenonis, nunquam excedit annum vnum, vel dies 40. Denique; S. Thomas ſcribit, venientibus
In 4. diſt. 20. q. 1. ar. 3. q. 2. ad 4. ad limina Apoſtolorum ex regionibus vltramarinis dari indulgentiam 5. annorum: ex regionibus vltramontanis, trium annorum: ex alijs locis vicinioribus, vnius anni dumtaxat.

CAPVT

CAPVT VII.

De ſuſcipientibus indulgentias.

IN eo, qui cupit reuera fructum ex indulgentijs capere, duo requiruntur: vt ſit in ſtatu gratiæ, & vt perficiat id, quod pro indulgentia iniunctum fuerit. Et quidem exigi ſtatum gratiæ, docent communiter Doctores. Et ratio eſt apertiſsima, quia indulgentia, cùm remittat reatum pœnæ temporalis relictum poſt remiſsionem culpæ, ſine dubio requirit, vt culpa ſit iam remiſſa, ac per hoc translatus ſit homo per infuſionem gratiæ, & charitatis, de ſtatu peccati in ſtatum filiorum Dei.

Præterea; Nulla ratio patitur, vt pœna remittatur ei, qui adhuc hæret in culpa, vel debitum ei condonetur nomine Dei, qui adhuc eſt aduerſarius à Deo, & hoſtis, ac inimicus. Denique; Nomen ipſum indulgentiæ ſonat paternam facilitatem in filios, quæ non debet eſſe communis cum ſeruis, maximè fugitiuis: quales ſunt omnes, qui, Deo deſerto, Diabolum ſequuntur. Pari ratione, exigi, vt opus iniunctum perficiatur, conuenit inter omnes.

Sed multæ ſunt quæſtiones. I. *An requiratur ſtatus gratiæ ſolùm eo tempore, quo percipitur indulgentia; an etiam, cùm perficiuntur opera iniuncta; vel etiam, cùm primùm indulgentiæ pronunciantur, aut earum litteræ recipiuntur?* Aliqui contendunt, non requiri ſtatum gratiæ, cùm indulgentiæ publicantur, vel indulgẽtiarum litteræ recipiuntur, niſi fortè idem ſit tempus publicationis, & perceptionis; vt cùm in ſacello Pontificio dantur indulgentiæ omnibus, qui officijs diuinis eo loco interfuerunt: tamen requiri ſtatum gratiæ, non ſolùm, cùm indulgentia percipitur, ſed etiam cùm perficitur opus iniunctum.

Ratio eſt, tum quia in litteris Pontificijs, vt plurimùm, exprimitur, indulgentias concedi ijs, qui verè pœnitentes Eccleſiam viſitauerint, aut tale, vel tale opus fecerint: tum etiam, quia indulgentia non acquiritur, niſi per opera viua, verè meritoria, & ſatisfactoria; qualia non ſunt, niſi ea, quæ fiunt in ſtatu gratiæ. Alij tamen grauiſsimi auctores contrà ſentiunt, non requiri ſtatum gratiæ, niſi cùm ipſa indulgentia percipienda eſt. Ratio huius eſt, quia indulgentia non nititur noſtra ſatisfactione, ſed Chriſti; & ideò non videtur neceſsarium, vt opus iniunctum, ſit opus viuum, & ſatisfactorium. Deinde, quia Bonifacius VIII. dicit ſe concedere indulgentiam ijs, qui viſitabunt Eccleſias, pœnitentes, & confeſsi, vel qui pœnitebunt, & confitebuntur. *Extrav. Antiquorum.*

Ex his ſententijs prior ſine dubio tutior eſt: eſt etiam certa, quando opus iniunctum in litteris Pontificijs expreſsè iubetur perfici in ſtatu gratiæ. Denique, verior mihi eſſe videtur, etiamſi in litteris Pontificijs id non exprimatur, quando opus iniunctũ tale eſt, vt non conferat ad finem, niſi fiat in ſtatu gratiæ. Vt, ſi finis indulgentiæ ſit, placare Deum Chriſtiano pop. & ideò

iniungantur preces, eleemoſynæ, viſitationes Eccleſiarum,& ſimilia; cùm Deus non placetur per opera mortua, neceſſarium eſſe videtur, vt opera illa fiant in ſtatu gratiæ;alioqui nihil conferunt ad finem,& proinde non eſt intẽtio concedentis,vt indulgentiam lucrentur,qui in ſtatu peccati illa opera faciunt. At poſterior opinio vera eſſe videtur,quando opus iniunctum vtile eſt ad finem,pro quo datur indulgentia,etiamſi non fiat in ſtatu gratiæ. Vt v.g. ſi finis indulgentiæ ſit ædificatio Baſilicæ,aut ſubuentio pauperum, aut recuperatio Ieroſolymæ,& propter iſta dentur indulgentiæ contribuentibus pecunias,vel arma;quia non minus ad finem conducunt pecuniæ illæ, vel arma, ſi dentur ab homine peccatore,quàm à iuſto,probabile eſt,prodeſſe illa opera, etiamſi facta ſint in ſtatu peccati,modo is,qui fecit ea,ſit in ſtatu gratię,quando reipſa percipit indulgentiam.

II. Quæſtio eſt: *Vtrum requiratur non ſolùm ſtatus gratiæ ad indulgentiam obtinendam,ſed etiam carentia omnis culpæ venialis.* Sed facilis eſt reſp.ſi diſtinctione vtamur. Nam vel quæſtio eſt de tempore, quo perficiuntur opera iniuncta: vel de tempore,quo percipitur fructus indulgentiæ.Si de priore tempore quęſtio eſt,vel peccatum veniale vitiat opus iniunctum;vt,ſi quis oret,vel ieiunet ex vana gloria: vel non vitiat, ſed per accidens ei coniungitur; vt, ſi quis, dum viſitat Eccleſiam,loquatur verbum ocioſum. Quod ſi bonum opus non vitietur,certum eſt,non impediri fructum indulgentię.Si verò bonum opus vitietur,ita vt ipſum efficiatur veniale peccatum, tum ſine dubio impeditur fructus indulgentiæ,ſi opus illud faciendum erat ad placandum Deum, vel ſatiſfaciendum pro peccato:non enim per peccatum veniale placatur Deus,neque ſatisfit. Quòd ſi opus faciendum non erat ad placandum Deum, neque ad ſatisfaciendum,ſed ſolum ad ſubuentionem pauperum, vel alium finem, qui poteſt obtineri,etiamſi opus non fiat in ſtatu gratiæ, tum non impeditur fructus indulgentiæ,quamuis opus peccato veniali fuerit vitiatum.

At ſi de poſteriore tempore quæſtio ſit, reſpondendum erit, non impediri fructum indulgentiæ,ſi quis eo tempore habeat,vel committat peccatum veniale, niſi quoad remiſsionem pœnæ debitæ propter illam culpam venialem: non dimittitur enim pœna,niſi prius dimiſſa fuerit culpa. Nulla autem eſt ratio,cur non poſſit percipi fructus indulgentiæ,quoad remiſsionem pœnæ debitæ propter alias culpas,ſiue lethales,ſiue veniales iam remiſſas, etiamſi culpa aliqua venialis hæreat in anima: nam peccatum veniale non impedit ſtatum gratiæ,qui requiritur ad hoc, vt homo ſit capax indulgentiæ.

III. Quæſtio eſt de Confeſsione,quę vt plurimum, requiritur, vt pars operis iniuncti:an exigatur ſemper in re,an verò ſufficiat in propoſito? Reſponſio facilis eſt. Nam,quando in forma indulgentię diſertè ponitur,vt,qui eam lucrari cupiunt, confiteantur peccata ſua intra tot dies, tunc ſine dubio exigitur confeſsio in re,quoniam ponitur in forma indulgentię,vt conditio quędam,ſiue vt pars operis iniuncti, & non ſolum ad hoc, vt homo transferatur de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ:Quando autem in forma indulgentiæ nõ iniungitur expreſsè opus confeſsionis, ſed ſimpliciter dicitur,concedi indulgẽtiam verè pœnitentibus, & confeſsis, tum non videtur requiri confeſsio, vt pars operis iniuncti,ſed ſolum vt homo ſit in ſtatu gratię. Et ideo,ſi quis non

habeat

habeat peccata lethalia, nō neceſſario confiteri tenebitur: & ſi habeat peccata lethalia, probabile eſt, ſufficere illi contritionem cum propoſito confitendi; nam per hoc adipiſcetur ſtatum gratię. Tutius tamen, & probabilius videtur, requiri confeſsionem in re, & non ſolum in voto, quotieſcunque dicitur, indulgentiam concedi pęnitentibus, & confeſsis.

IV. Quæſtio eſt: *An percipiat indulgentiam, qui non perficit omnia opera iniuncta, ſed aliqua tantùm, ob inopiam, vel morbum, vel aliam iuſtam cauſſam impeditus?* Reſponſio communis eſt, non percipi indulgentiam, niſi ab ijs, qui integrè omnia opera iniuncta perficiunt: conceſsio enim conditionata non valet, niſi conditio impleatur. Atque in hanc quoque ſententiam allegari ſolet dictum illud commune: Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant. Nam ſummi Pont. quādo volunt percipi indulgentiam ab iſs, qui legittimè impediti non perficiunt omnia opera iniuncta, addere ſolent, vt confeſſarij commutent opera iniuncta in alia pia opera; vel diſertis verbis explicant, obtineri indulgentiā ab ijs, qui inchoarunt opera iniuncta, & perficere non potuerunt.

De indulgentijs, quæ accipiuntur pro defunctis I. quæſtio eſt: *An proſint defunctis?* Res certiſsima eſt, & apud Catholicos indubitata, indulgentijs iuuari poſſe animas, quæ in Purgatorio pęna luunt. Prob. ratione deducta ex Script. Concilijs, Patribus. Conſtat enim, animas defunctorum poſſe iuuari ſuffragijs viuentium, id eſt, eleemoſynis, precibus, ieiunijs, ſacrificijs Miſſarum, alijſque pijs operibus. Et quamuis ſuffragia defunctis per modum impetrationis proſint, & præſertim preces, & oblatio ſacrificij: tamen nulla reddi poteſt ratio, cur non proſint etiam per modum ſatisfactionis; & præſertim ieiunia, & eleemoſynæ. Nam hæc opera ſatisfactoria eſſe, alibi à nobis probatum eſt. Et defunctos, quibus hæc ſuffragia applicantur à viuis, ſatisfactione indigere, non eſt dubium. Conſtat præterea, illam eſſe rationem, cur ſuffragia viuentiū prodeſſe poſsint defunctis, quia fideles defuncti ita coniuncti ſunt cum fidelibus viuentibus eiuſdem fidei, & caritatis vinculo vt vnam Eccleſiam, & vnū corpus efficiant.

Ex his duobus fundamentis apertè colligitur, poſſe etiam priuatos homines offerre Deo pro defunctis, tanquam membris eiuſdem corporis, ſuas ſatiſfactiones, ieiunia, eleemoſynas, peregrinationes, & ſimilia opera laborioſa: cur ergò non poſſet ſummus Pont. applicare eiſdem ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ ſunt in theſauro ſpirituali, cuius ipſe diſpenſator eſt? Præterea; Idem prob. ex vſu Eccleſiæ. Conſtat enim, Paſchalem ſummum Pontif. ante annos 700. conceſsiſſe indulgentia pro defunctis, quæ habetur in Eccleſia S. Praxedis, in introitu capellæ S. Zenonis. Multi etiam alij Pont. pro defunctis indulgentias conceſſerunt. Denique; Conſentiunt Theologi, & Canoniſtæ.

II. Quęſtio eſt de modo, quo indulgentiæ poſſunt prodeſſe defunctis: An videlicet ſummus Pont. poſsit animas defunctorum, quæ ſunt in Purgat. iudicialiter abſoluere, vt facit cum viuentibus; dum indulgentias concedit? Cōmunis ſententia eſt, quòd non. Prob. I. quia non poteſt Eccleſia mortuorum animas citare, non poteſt earum cauſſam cognoſcere, non poteſt eas cogere ad obedientiam; non igitur poteſt abſoluere, vel ligare. II. Pontif. non ha-

Ioan.21. bet auctoritatem, niſi in oues, quas paſcendas ſuſcepit, iuxta illud: *Paſce oues meas.* At animæ defunctorum non poſſunt paſci à Pont. cùm non poſſint ab eo doctrinam, vel Sacramenta, vel leges, & iura percipere. Nō igitur ſunt ei ſubiectæ: & proinde non poſſunt ab eo ligari, & ſolui. 3. Pontifices etiam ordinariè, cùm extendunt indulgentias ad mortuos, addunt particulam, *per modum ſuffragij.*

Tertia quęſtio eſt: Quid ſignificet illud: *per modum ſuffragij*? Vera ſententia eſt, indulgentias prodeſſe per modum ſuffragij, quia non proſunt per modum abſolutionis iuridicæ, ſed per modum ſolutionis: quomodo proſunt ſuffragia, quæ vel publicè, vel priuatim pro defunctis fieri ſolent. Sed cùm ſuffragia tribus modis defunctos iuuent: per modum meriti de congruo: per modum impetrationis: & per modum ſatisfactionis; indulgentiæ autem non ſint, niſi ſatisfactoriæ, intelligendum eſt, indulgentias dari defunctis per modum ſuffragij tantùm ſatisfactorij. Itaque quemadmodum, cùm quis dat eleemoſynam, vel ieiunat, vel peregrinatur ad loca ſancta, pro defunctis, non abſoluit defunctos à reatu pœnæ, ſed offert Deo ſatisfactionem illam pro defunctis, vt Deus eam acceptans, liberet defunctos à debita pœna, quam luituri erant: ſic Pont. non abſoluit animas defunctorum, ſed offert Deo ex theſauro ſatisfactionum, quantum neceſſe eſt ad eas liberandas; & Deus acceptans alienam ſatisfactionem communicatam animabus defunctorum, eas liberat ab illo reatu pœnæ. Sed hoc intereſt inter ſuffragia, & indulgentias: quòd, vt ſuffragia offerantur, non requiritur aliqua iuriſdictio: ſed, vt indulgentiæ dentur, requiritur iuriſdictio; quia non poteſt theſaurū diſpenſare, niſi qui habet claues Eccleſiaſticas.

Pręterea, qui offert ſuffragia, neſcit, an id, quod offert, ſufficiat ad animā liberandam, vel ſolùm refrigerandam: at Pont. poteſt offerre ex theſauro illo infinito, quantum requiritur ad ſatisfaciendum integrè pro reatu cuiuſcunque pœnæ: & ideò dicitur dare indulgentiam plenariam, atque animas liberare per modum ſuffragij, quia offert, quantum ad plenam ſatisfactionem ſatis eſt.

Quarta quęſtio eſt: *Vtrum ex iuſtitia, ſine certa lege, & ex condigno proſint indulgentiæ defunctis, an ſolùm ex benignitate* Dei, *& ex congruo*? Aliqui docent, indulgentias ex condigno, ſiue ex iuſtitia defunctis prodeſſe. Ratio eorum eſt, quia poteſt vnus viuens pro alio viuente ex condigno ſatisfacere: igitur poteſt etiam viuens pro mortuo ſatisfacere ex condigno. Eadem enim eſt ratio vtriuſque ſatisfactionis, vnio videlicet, quæ eſt inter membra eiuſdem corporis Eccleſiæ: nam viuens pro viuente ſatisfacit ex condigno, quia ſunt membra eiuſdem corporis, glutino fidei, & charitatis coniuncta. At etiam mortui qui in Purgatorio degunt, membra ſunt eiuſdem corporis, glutino fidei, & charitatis vnita. Quod ſi priuatorum ſuffragia ex condigno proſint defunctis, certè multò magis ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, iiſdem mortuis fidelibus, à capite Eccleſiæ, id eſt, Pont. Max. applicatæ proderunt ex condigno. Alij contrà ſentiunt indulgentias, quæ defunctis dantur, niſi miſericordia, & benignitate Dei, ac per hoc ex congruo, non ex condigno eis prodeſſe.

Ra-

Rationes ſententiæ huius ſunt. I. quia non videtur certum, poſſe viuẽtes pro viuentibus ſatisfacere ex condigno: quod erat fundamentum prioris opinionis. Vnio enim fidei, & charitatis, qua colligantur inter ſe viua membra Eccleſiæ, facit quidem, vt poſsimus inuicem adiuuare, & bona noſtra communicare, & vnus pro alio ſaltem ex congruo ſatisfacere; ſed non videtur facere, vt teneatur Deus ex iuſtitia acceptare ſatisfactionem pro altero, niſi oſtendatur de hac re pactum, vel promiſsio aliqua ipſius Dei; quamuis poſsit Deus, & ſoleat acceptare ex benignitate ſua. Sicut in foro externo non tenetur iudex acceptare, vt vnus flagelletur pro alio. Denique, videtur eſſe proprium ſolius Chriſti, poſſe pro aliis ex condigno, vt mereri, ita etiam ſatisfacere: quoniam eſt caput corporis Eccleſiæ, &c, dum pro nobis ſatisfecit, pro corpore ſuo ſatisfecit.

Secunda ratio, quia, etiamſi certum eſſet, poſſe in pręſenti vita vnum pro alio ex condigno ſatisfacere; tamen non videtur eadem ratio de ſatisfactione pro defunctis: hic enim poſſumus ſoluere pœnas eiuſdem generis, vt noſtro ieiunio, vel eleemoſyna ſatisfacere pro alio, qui ieiunij, vel eleemoſynæ pœnam ſubiturus erat: at pœnæ, quibus iam addictæ ſunt animæ Purgatorio, ſunt alterius generis: & ideò, ſicut non tenetur iudex remittere pęnam corporalem vni alicui reo propter mulctam pecuniariam, quam alius offert; ita non videtur teneri Deum ex iuſtitia admittere ſatisfactiones huius vitæ pro remiſsione pœnarum Purgatorij, ad quas animæ illæ iam ſunt addictæ.

Tertia ratio quoniam ipſæ animæ, vt ex hiſtorijs grauiſsimorum auctorũ colligimus, hoc ipſum declaraſſe videntur. Nam Petrus Damiani ſcribit, Animam Benedicti Pont. Rom. in Purgatorio conſtitutam apparuiſſe, Deo permittente, cuidam, atque ab eo petijſſe, vt pro ipſa ſuffragia fierent, & addidiſſe, ſe per ea ſuffragia liberandam, quãdo hoc miſeratio diuina decreuerit. Petrus quoque Cluniacenſis ſcribit, animam defuncti apparuiſſe alicui, & poſtulatis ſuffragijs adieciſſe, per ineffabilem miſericordiam Dei ſe liberandam, ſi ei per ſuffragia ſubuentum fuiſset. Scribit etiam aliam animam ſimiliter apparentem, & ſuffragia poſtulantem adieciſſe, Conditoris mediante clemẽtia, ſe per ea liberandam. Quòd ſi ſuffragia nituntur pietate diuina, & indulgẽtiæ defunctis non dantur, niſi per modum ſuffragij, certè ſequi videtur, vt etiam indulgentiæ ex diuina pietate defunctis proſint. Ex his ſententijs neutram reprobare audeo: videtur enim prior admodum pia: poſterior verò valdè rationabilis.

Epiſt. 5. ad Dominicum c. 4.

L. 1. de mirac. c. 10.

C. 27.

Quinta quæſtio eſt: *Quid requiratur ad hoc, vt indulgentiæ defunctis proſint?* Et quidẽ certum eſt, I. auctoritatem requiri, eamque ſummã, id eſt, Apoſtolicæ ſedis. Nõ enim Epiſcopi, aliique Pręlati ſummo Pont. inferiores indulgẽtias defunctis concedere poſſunt: quoniam ſolus Chriſti Vicarius habet poteſtatẽ diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ abſolutè. Epiſcopi enim ſolum applicare poſſunt ſubditis ſuis ſecundũ menſuram ſibi à ſede Apoſtolica determinatam.

Secundo certũ eſt, requiri cauſſam iuſtã. Nõ enim poteſt ſummus Pont. pro arbitrio liberare animas à pœnis Purgatorij; neque ſufficit pro cauſſa vtilitas illarũ animarũ, vel gloria Dei, quæ redundaret ex animarũ illarũ liberatione: nam

nam ſi iſta ſufficerent, Chriſtus ipſe omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur cauſſa aliqua particularis, pertinens ad honorem Dei, & Eccleſię vtilitatē, ita vt ſummus Pontifex arbitretur, gratiorem eſſe Deo rem illam, cuius gratia indulgentię conceduntur, quàm executionem iuſtitię, quę exercetur in expiandis animabus Purgatorij.

Tertiò requiritur, vt, qui pro defunctis indulgentias ſuſcipit, adimpleat opus iniunctum. Nam indulgentiæ primariò, & directè non dantur, niſi viuentibus, qui poſſunt opera iniuncta perficere; defunctis autem dantur ſecundariò, & indirectè, quatenus viuentes pro mortuis opera iniuncta perficiunt. Ex quo etiam requiritur, vt, qui opera illa perficit, ſit in ſtatu gratiæ, ſi opera ipſa id requirant. Nam, ſi opus iniunctum id non requirat, probabiliter dici poteſt, prodeſſe defunctis indulgentias, etiamſi is, qui pro defunctis eas ſuſcipit, non ſit in ſtatu gratiæ. Sed omninò tutius eſt, vt, qui cupit mortuis indulgentias obtinere, prius det operam, vt ipſe indulgentiam à culpa per Sacram. Confeſsionis obtineat.

Poſtrema quæſtio eſt: *An indulgentiæ proſint illis, pro quibus in particulari ſuſcipiuntur; an omnibus in communi?* Reſp. communis Doct. eſt, tam ſuffragia, quàm indulgentias, prodeſſe omnibus defunctis, quoad gaudium quoddam accidētarium: caritas enim facit omnia communia in hoc ſenſu, quod omnes qui ſunt præditi caritate, gaudent de bonis aliorum, ac ſi propria eſſent: ſed quoad ſatisfactionem, & liberationem à pęnis, ſuffragia Eccleſię communia prodeſſe omnibus in communi; ſed ſuffragia particularia, & indulgentijs, quæ pro certis animabus ſuſcipiuntur, non prodeſſe, niſi illis, quibus ex intentione viuentium applicantur.

Atque hoc eſſe veriſsimum, perſpicuum eſt, I. ex ipſis Pontificijs conceſſionibus: nam Paſchalis I. indulgentiam ita conceſsit, vt, qui pro anima patris, vel alicuius particularis perſonæ defunctæ, tot Miſſas celebrauerit in capella S. Zenonis, quę eſt in Eccleſia S. Praxedis, animas illas de Purgatorij pœnis eripiat. Item; Alexander VI. & Clemens VII. alijque Pont. in conſtitutionibus, de indictione Iubilęi, diſertis verbis dicunt, indulgentias illas anni Iubilæi, extendi per modum ſuffragij ad animas patris, vel matris, vel alterius perſonæ particularis, pro quibus ſuſcipientur. Secundò quoniam hic eſt ſenſus totius Eccleſiæ, omniumque fidelium. Tertiò denique, quoniam nulla eſt ratio, cur ſatisfactiones vni alicui animæ per intentionem ſatisfacientis applicatę, aut illi non proſint magis, quàm alij, aut alijs vllo modo proſint.

FINIS.

D.E.

DE ECCLESIA TRIVMPHANTE

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I.

De Sanctorum beatitudine.

PRIMA quæſtio eſt: *Sintne piorum hominum ſpiritus, qui & corpore ſoluti ſunt, & nulla purgatione egent, iam ad fruendam beatitudinem, quæ in clara Dei viſione ſita eſt, admiſſi?* Affirmatiua pars prob. I. ex teſtimonio Eccleſiæ, quæ in oratione de S. Gregorio dicit: *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti*, &c.
Habemus etiam duo Concilia OEcumenica, nam hoc ipſum definitum eſt
in Concilio Florent. in decreto vnionis Latinorum cum Græcis: & in Con- *Seſſ. vlt.*
cilio Trident. Idem quoque diſertis verbis docet Innocent. III. Idem deni- *Seſſ. 25.* *C. Apoſtolicam, Ext.*
que poſt longas diſputationes Benedictus XII. definiuit. *de presbyt. non bap.* *Extrau. Benedictus Deus.*

Prob. 2. ex Script. legimus enim I. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere vnicuiq; ſecundum vias ſuas.* Vbi illud, *Facile eſt*, non ſignificat, poſſet Deus, ſi vellet: ſed, reddit Deus, & facilè reddit vnicuique ſecundum opera ſua in die obitus ſui: alioqui fruſtra nos Sapiens hortaretur hoc argumento ad benefaciendum. Præterea; cùm dicat Spiritus ſanctus: *In fine hominis denudatio operum eius*, *Eccli. 11.* indicat etiam, in fine hominis reddi vnicuique ſecundum opera: nam ad hoc *Ibid.* fit iudicium illud, & denudatio operum, vt ſequatur remuneratio.

II. *Scimus, quia, ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, ædificationem* *2. Cor. 5.* *ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Nam in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt, ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti, & non nudi inueniamur: nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* Vbi communis Græcorum, & Latinorum opinio pro domo hac terreſtri accipit corpus hoc mortale, ſeu vitam pręſentē corporalem. Et ratio eſt, quia in fine capitis ſuperioris dixit Apoſtolus: *Si exterior homo noſter corrumpitur, interior renouatur de die in diem.* Itaque quod hîc dicit terreſtrem domum, ibi dixit hominem exteriorē. Præterea; Clarius dicit infrà: *Dum ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino.* Vbi apertè vocat corpus, quod anteà vocauerat exteriorem hominē, domum terreſtrē, tabernaculū, &c. Per domū autem æternā, & cęleſtē, quā opponit Apoſtolus domui terreſtri, intelligitur à Patribus, vel corpus immortale, vel vita

æterna, id eſt, viſio Dei. Et ſine dubio verior eſt poſterior expoſitio. Nam inprimis Apoſtolus ait de præſenti; Si domus hæc terrena diſſoluitur, habemus aliam æternam in cœlo: debuiſſet enim dicere, ſi de corpore glorioſo loqueretur; habebimus, non, habemus: nam corpus immortale non habemus nunc in cœlo.

Prętereà; Apoſtolus, cùm dicit: Si hæc domus diſſoluitur, habemus aliam; vult dicere; Non eſt, quod timeamus nobis domum defuturam vnquam; nã, ſi hinc pellimur, habemus aliam. At ſi per domum cœleſtem intelligit corpus immortale, non eſt verum, nobis vnquam defuturam domum: deerit enim à die mortis vſque ad diem reſurrectionis.

Prætereà; Idipſum vocat domum cœleſtem, quod paulò antè vocauerat, 2. Cor. 4. *Æternum gloriæ pondus.* Nam poſtquam dixerat: *Id enim, quod in præſenti eſt leue, & momentaneum tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* ſubiungit explicans: *Si enim terreſtris domus*, &c. At per illud: *Æternum gloriæ pondus*, omnes intelligunt ipſam eſſentialem beatitudinem.

Denique; Niſi Apoſtolus hìc per domum cœleſtem intelligeret beatitudinem, non benè concluderet paulò inferiùs: *Audentes igitur, & ſcientes, quia, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, audemus; & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Nec enim ſequitur: Si hoc mortale corpus corrumpitur, habebimus aliud immortale poſt reſurrectionem: ergò bonum eſt nunc mori, & peregrinari à corpore. Imò contrarium ſequitur, nimirum non eſſe bonum mori vſque ad diem reſurrectionis, quia etſi ſit melius corpus immortale, quàm mortale, tamen melius eſt corpus mortale, quàm nullum. At, ſi per domum cœleſtem intelligamus beatitudinem, Apoſtoli argumentatio optima eſt; nimirum iſta: Si vita hæc mortalis perit, habemus ſtatim aliam longè meliorem in cœlo. Ergò bonum eſt, citò mori in mundo, vt citò viuamus in cœlo.

3. Eſt paulò infrà: *Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati, eò quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri. Audentes igitur, & ſcientes, quia, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem: audemus, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Nota, Apoſtolum hic docere, duo deſideria eſſe in nobis: vnum naturæ, ad viuendum corporaliter: alterum gratiæ, ad videndum Deum: & quidem homines pios velle quidem vtrumque, ſi poſsint, ſimul implere, ſed, cùm non poſsint, anteponere deſiderium gratiæ deſiderio naturæ; & proinde appetere mortem corporis, vt poſsint cum Deo viuere: homines impios è contrario omnia referre ad vitam corporis, & deſiderium naturæ.

Ex quibus deducitur euidens argumentum pro ſententia noſtra. Nam; ſi non poſſemus videre Deum, niſi poſt reſurrectionem, non diceret Paulus, ſe optare, peregrinari à corpore, vt non peregrinetur, à Domino. His enim verbis oſtendit, eſſe aliquem ſtatum animæ, in qua peregrinetur à corpore, & non à Domino. At talis ſtatus non eſſet vnquam, niſi ante reſurrectionem videretur Deus.

4. Te-

4. Teſtimonium: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Vbi vera eſt expoſitio Theophylacti, Ambroſij, Bedæ, & aliorum, qui per *Paradiſum* intelligunt regnum cœlorum. Ne fortè enim latro per *Regnum* intelligeret aliquid humanum, Chriſtus declarauit, regnum ſuum eſſe paradiſum, id eſt, ſummam, & ſempiternam felicitatem. *Luca 23.*

5. Eſt: *Chriſtus aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* Quo loco per vocem, *altum*, non poteſt intelligi, niſi ſummum cœlum. Et ſi enim quidam intelligant crucem, tamen Paulus ſe exponit paulò infrà, cùm ait: *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos.* Porrò nomine captiuitatis, quam ſecum duxit in cœlum, quid poteſt intelligi, niſi multitudo ſanctarum animarum, quas ex limbo ad cœlum euexit. *Epheſ. 4.*

6. Eſt: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* At, ſi animæ ſeruantur in aliquo loco extra cœlum, fruſtra hoc deſiderabat Paulus: nam Chriſtus in cœlis eſt. *Philip. 1.*

7. Eſt: *Hoc ſignificante Spiritu S. nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum.* Quod exponunt Primaſius, Anſelmus, Theophylactus, OEcumenius, in hunc modum: quòd in Sancta Sanctorum non poſſent ingredi Sacerdotes, nec populus, ſignificabat, toto tempore Teſtamenti veteris non fuiſſe apertam viam ad cœlum; & ideo etiam iuſtiſsimos quoſque ad inferos deſcendiſſe: quia non poterant ſimul vigere figura, & figuratum. At poſteaquam Chriſtus perrupit velum tabernaculi, & figuræ ceſſauerunt, iam propalata eſt via Sanctorum ad Sanctuarium cœleſte. *Hebr. 9.*

8. Eſt: *Non acceſsiſtis ad montem Sion, &c. ſed ad Sion montem, & Hieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & ſpiritus iuſtorum perfectorum.* Hic deſcribitur (vt Anſelmus exponit) Eccleſia triumphans, & in ea dicuntur eſſe, tanquam ciues, primùm Angeli; deinde animæ primitiuorum, id eſt, eorum, qui primi crediderant, & iam mortui fuerant, vt Iacobi Apoſtoli, Stephani, & aliorum: qui dicuntur conſcripti in cœlis, quia adſcripti ſunt, & cooptati cum Angelis in ordinem ciuium cœleſtium; quomodo dicebantur Romæ Senatores, Patres conſcripti. Niſi fortè magis placeat, per Eccleſiam primitiuorum in cœlis conſcriptorum, intelligi animas Patriarcharum, & Prophetarum cum Chriſto regnantium: per ſpiritus autem perfectorum, animas Apoſtolorum, & Martyrum. Semper tamen eadem eſt ſententia, iam nunc ſpiritus ſanctorum hominum beatos eſſe, ea beatitudine, qua ſancti Angeli ſoli antea fruebantur. *Hebr. 12.*

9. Eſt, vbi Stephanus moriturus vidit cęlos apertos, & gloriam Dei, Chriſtumque ſtantem à dextris Patris. Cur autem hoc vidit, niſi vt intelligeret, ſibi cœlum patere, & ſe ſtatim à Domino recipiendum in illam gloriam? Id enim intelligens exclamauit: *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum.* *Act. 7.*

10. Eſt, vbi dantur Martyribus ſingulæ ſtolæ albæ, quæ gloriam animæ ſignificant: nam alteram ſtolam, id eſt, gloriam corporis, poſt reſurrectionem habebunt. *Apoc. 6.*

11. Eſt, vbi de iſtis dicitur: *Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, ſunt ante thronum Dei,* *Apoc. 7.*

& ſeruiunt die, ac nocte in templo eius. Ex quo habemus, illos eſſe verè in cœlo, & videre Deum.

Prob. 3. veritas ex Patribus Græcis, & Latinis.

Prob. 4. rationibus.

I. Ratio ſumi poteſt ex ſupplicijs damnatorum. Siquidem Deus non eſt pronior ad puniendum, quam ad remunerandum. Quare, cùm impij iam nunc in tormentis ſint, æquum certè videtur, vt etiam iuſti prę̨mia ſua percipiant. Eſſe autem nunc impios in tormentis, Euangelium teſtatur: *Diues autem cùm in tormentis eſſet.*

Luca 16.

II. Ratio: Tota Eccleſia inuocat Sanctos poſt Chriſti aduentum; & omnes Patres Græci, & Latini docent, Sanctos eſſe inuocandos, cùm tamen ante Chriſti aduentum non legatur, id fieri ſolitum eſſe. At ſi Sancti eſſent etiá nunc ſub terra in ſinu Abrahæ, non differentem ſtatum à Sanctorum Teſtamenti veteris ſtatu haberent.

III. Ratio: Ante Chriſti aduentum, Sanctorum mors deflebatur. At poſt Chriſti aduentum ſumma cum lætitia celebramus dies mortis Sanctorum. Quare hoc, niſi quia tunc mori miſeria erat, nunc eſt felicitatis initium? Et confirm. nam diem mortis nunc vocamus diem natalem, quia videlicet Sancti morientes in terris, naſcuntur in cœlo.

4. Ratio ex viſionibus eorum, qui viderunt animas aliquas in tormentis gehennæ, alias in Purgatorio, alias in Paradiſo. Vide Gregorium, & Bedam.

L. 4. Dial. c. 37. L. 5. hiſt. c. 13.

5. Ratio: Sancti habent nunc meritum vitæ æternæ, vel, ſi non habent, nunquam habebunt quia poſt finem vitæ non eſt locus nouis meritis; & nullum eſt impedimentum, quò minùs vitam æternam nunc habere poſsint, cùm cœlum antea clauſum nunc pateat. Igitur fatendum eſt, eos iam nunc prœmium ſuum accepiſſe.

Luca 19. 6. Ratio: Deus ſcribi iuſsit: *Non morabitur apud te opus mercenarij vſque manè:* ergò, ne Deus contrarius ſibiipſe videatur, non retinebit mercedem Sanctorum vſque ad mundi conſummationem.

Prou. 3. 7. Eſt: *Spes, quæ differtur, affligit animam.* At non conuenit, vt ij affligantur, qui nullum habent peccatum.

CAPVT II.

De canonizatione Sanctorum.

QVATVOR hic quæſtiones ſunt. I. eſt: *An Sancti ſint canonizandi?* Sed breuiter explicandum eſt, quid ſit canonizatio. *Canonizatio* nihil aliud eſt, quàm publicum Eccleſiæ teſtimonium de vera ſanctitate, & gloria alicuius hominis iam defuncti: & ſimul eſt iudicium, ac ſententia, qua decernuntur ei honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo feliciter regnant. Qui quidem honores 7. eſſe ſolent. 1. Qui canonizantur, inſcribuntur in catalogo Sanctorum, id eſt, ſtatuitur, ac iubetur, vt ab omnibus publicè habeantur, & dicantur Sancti. 2. Inuocantur in publicis precibus Eccleſiæ. 3. Templa, & aræ in eorum memoriam dicantur Deo. 4. Sacrificia tam Euchariſtiæ, quàm laudum, & precum, quod vulgò officium, ſiue horæ canonicæ nuncupatur, in honorem eorum Deo publicè offeruntur. 5. Dies feſti in eorum memoriam celebrantur. 6. Pinguntur eorum imagines, addito certo quodam lumine in ſignum gloriæ, quam habent in cœlis. 7. Eorum reliquiæ precioſis thecis includuntur, & publicè honorantur.

His præmiſsis, vtile eſſe, Sanctos canonizari, his argumentis poteſt demonſtrari. I. Deus ipſe voluit à ſanctis ſcriptoribus annotari in particulari glorioſam vitam, & mortem eorum, qui tempore ipſorum floruerunt; vt patet de Eccleſiaſtico, qui canonizauit plurimos Sanctos, vt Enoch, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſen, Aaronem, Phinees, Ioſue, Caleb, Samuëlem, Dauidem, Eliam, Elizæum, &c. Item, in Teſtamento nouo S. Lucas in actis canonizauit Stephanum, Iacobum maiorem, nec non Petrum, Paulum, Barnabam, Silam, & alios: igitur credibile eſt, eodem modo Deum velle, vt deinceps fiat. *Eccli. 44. & ſeq.*

2. Tenemur Sanctos honorare, & laudare: tum quia Script. hoc iubet: Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuncient Eccleſiæ: tum quia virtus ipſorum hoc meretur. Eſt enim quaſi naturale præmium virtutis, honor. Tum denique, quia id nobis vtile eſt ad plurima beneficia eorum interceſsione promerenda: at, niſi ſciamus, qui ſint verè ſancti, & qui non, non poſſumus eos colere, vt oportet.

3. Prob. ex ratione imitationis. Sancti enim ſunt exempla quædam virtutum, & norma rectæ vitæ, & quaſi lucernæ quædam à Deo accenſæ, vt omnibus alijs præluceant. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis verbum, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* At non poſſumus accendi ad imitationem, niſi in particulari ſciamus, qui ſint imitandi, & quid illi egerint, aut paſsi fuerint; & lucerna in candelabro poni debet; id quod fit per canonizationem. *Hebr. 13.*

4. Ex coniunctione, quam cum illis habemus: ſiquidem ſumus membra vnius corporis, & membra inuicem compatiuntur, & congaudent: oportet ergo eos nobis compati, & pro nobis ſollicitos eſſe; quod ſine dubio faciunt, etiam in particulari; & è contrario nos illis congaudere, & pro illorum gloria Deo gratias agere, quæ ſine particulari notitia fieri non poſſunt.

5. Ex incommodis. Nam niſi iudicio Eccleſiæ certi Sancti proponerentur colendi, facilè fieri poſſet, vt pop. ſæpe erraret, & damnatos pro beatis coleret; vt accidit tempore S. Martini. Scribit enim Sulpitius, quòd, cùm pop. coleret, neſcio quem, hominem mortuum pro Martyre, & B. Martino ſuſpecta eſſet illa religio, quòd nihil certi à maioribus de Sancto illo accepiſſet; tandem oranti Martino apparuit anima eius, qui ibi colebatur, & confeſſa eſt, ſe animam damnatam eſſe latronis cuiuſdam, qui pro ſuis ſceleribus extremi ſupplicij pœnas luerat. Idem accidit tempore Alex. III. qui reprehendit quoſdam, quod hominem in ebrietate occiſum pro Martyre venerabantur.

C. Audiuimus, ext. de reliquijs.

2. Quæſtio eſt: *Cuius ſit Sanctos canonizare?* Notandum eſt, duobus modis poſſe aliquem canonizari. Vno modo particulariter, ita vt ſolùm in prouincia vna, aut diœceſi habeatur Sanctus, & colatur pro Sancto. Alio modo generaliter, ita vt in tota Eccleſia habeatur pro Sancto, nec vlli liceat de ſanctitate eius dubitare.

Primo modo, canonizare poterat quilibet Epiſc. vt patet de multis Sanctis, quos ita colunt quędam prouinciæ, vt tamen planè ignoti ſint alijs prouincijs. Vnde in Concilio Florent. dicunt Latini, Simeonem Metaphraſten in Eccleſijs Græcorum pro Sancto coli, cuius apud Latinos nulla memoria vnquam extitit. Hoc tamen; quod olim licuit, modò non licet: ſiquidem Alexander III. & poſteà Innocentius III. videntes abuſus, qui oriebantur circa cultum Sanctorum, prohibuerunt ne deinceps aliquis pro Sancto coli inciperet, ſine Rom. Pontificis approbatione.

Seſſ. 7.

C. 1. & 2. De reliquijs, & Sáct. vener.

Secundo modo canonizare, communis ſententia eſt, pertinere ad ſummũ Pont. Nam id habetur ex iure canonico: & patet etiam ratione. Nam ad eum ſpectat, proponere toti Eccleſiæ, quid ſit credendum, & quid agendum in ijs, quæ religionis ſunt, qui toti Eccleſiæ præeſt. Item, ex contrario, declarare, qui ſint hæretici, ita vt à tota Eccleſia pro talibus habeantur, eſt ſummi Pontif. Ergò, declarare, qui ſint ſancti, & colendi, eiuſdem erit ſummi Pont.

C. audiuimus, & c. cũ ex eo, De reliq. & Sãct. vener.

C. venerabilis, de teſtibus & atteſtat.

Dices: Plurimi Sancti, qui in tota Eccleſia coluntur, quos non canonizauit ſummus Pont. reperiuntur. Primus enim Pont. (ni fallor) qui Sanctos legatur canonizaſſe, videtur fuiſſe Leo III. qui S. Suibertum canonizauit: poſteà autem Innocent. II. canonizauit S. Hugonem Epiſc. Gratianopolis. Inde verò Alexan. III. S. Bernardum in Sanctos retulit: à quo tempore omnes alij, qui ſancti habiti ſunt, vt Thomas Cantuar. Dominicus, Franciſcus, & alij à Pontif. in numerum Sanctorum relati ſunt. Quid ergò dicemus de tot Sanctis, qui ante ea tempora colebantur in Eccleſia?

Reſp. Sanctos veteres cœpiſſe coli in Eccleſia vniuerſali, non tam lege aliqua, quam conſuetudine. Sed ſicut conſuetudines aliæ vim habent legis ex taci-

tacito conſenſu Principis, & ſine eo nullam vim habent: ita Sancti alicuius cultus ex conſuetudine Eccleſiarum generaliter introductus, vim habet ex approbatione tacita, vel expreſsa ſummi Pont.

3. Quæſtio eſt: *Sitne infallibile iudicium eius, qui canonizat?* Sententia Catholicorum eſt, certum eſſe Eccleſiam non errare in Sanctorum canonizatione, ita vt ſine vlla dubitatione Sancti canonizati ab Eccleſia venerandi ſint.

Prob. I. quia, ſi liceret dubitare, an Sanctus canonizatus ſit ſanctus, etiã liceret dubitare, an ſit colendus. At hoc eſt falſum: ſiquidem D. Auguſtinus dicit, inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe, diſputare, an ſit faciendum, quod tota Eccleſia facit. Præterea; Omnes veteres ſine vlla dubitatione Sanctos coluerunt, & colendos aſſeruerunt. Denique; Tenemur obedire Pontif. indicenti diem feſtum alicuius Sancti, nec tamen poſſumus contra conſcientiam aliquid agere. Ergò non poſſumus dubitare, an ſit colendus ille, quia ab Eccleſia eſt canonizatus. Epiſt. 118.

Prob. 2. ex incommodis duobus. Nam inprimis fraudarentur non Sancti ſuffragijs viuorum: nam pro canonizatis non licet orare. At, ſi in hoc Eccleſia erraret, defraudaret eum, qui haberetur ſanctus, & non eſt, quicunque non oraret pro eo. Deinde; Fraudarentur etiam viuentes interceſsionibus Sanctorum: inuocarent enim ſæpe damnatos pro beatis.

Præterea; Eccleſia peteret ſibi maledictionem pro benedictione, cùm in orationibus Sanctorum petit, vt, ſicut illos Deus glorificauit in cœlis, ſic nobis gratiam largiatur in terris: & quamuis eam maledictionem non peteret, niſi materialiter, tamen hoc ipſum abſurdum videtur.

Prob. 3. Miracula magna, & diligenter examinata, faciunt rem euidenter credibilem. At Sancti à Pont. non canonizantur ordinariè, niſi magnis, & certis miraculis claruerint. Et confirm. Nam, ſi credimus ſine vlla hęſitatione, Cæſarem, & Pompeium fuiſſe, quia id teſtantur communi conſenſu hiſtorici, qui tamen homines fuerunt, & mentiri potuerunt: cur non credemus ſine hęſitatione, quod teſtatur Deus ipſe per miracula, quando nulla eſt ratio ſuſpicandi contrarium?

Prob. 4. ex pręparatione. Nam antequam Sancti canonizentur, indicuntur ieiunia, & preces publicæ, & tota res diu, & diligentiſsimè examinatur. Non eſt autem credibile, Deum non adeſſe Eccleſiæ ſuæ ſic diſpoſitæ, & ſupplicanti.

Prob. vltimò à poſteriori quia in alijs rebus, in quibus Pont. errare poſſunt, aliquando reipſa deprehenduntur errores. At in hoc nullus vſquam error deprehenſus fuit.

4. Quæſtio eſt: *An liceat Sanctos nondum canonizatos colere?* Reſp. licere priuato cultu, non publico; vt Doct. cõmuniter affirmant in c. 1. & 2. de reliquijs, & veneratione Sanct. Siquidem ſummus Pont. eo loco prohibet publicum cultum: ergò à contrario ſenſu priuatum cenſetur permittere. Vocamus autem publicum cultum, non eum, qui coram alijs exhibetur, ſed qui nomine totius Eccleſiæ & tanquam ab Eccleſia inſtitutus exhibetur. Ex quo intelligimus, quid ſit dicendum de illis ſeptem honorum generibus anteà numeratis.

meratis. Nam quantum ad 1. licet non canonizatum credere, & vocare Sanctum; non tamen prędicare eum, tanquam ab Eccleſia inſcriptum Sanctorum catalogo.

Quantum ad 2. licet inuocare non canonizatum, etiam audientibus alijs: vt patet ex Hieronymo in vita Paulæ, & Gregorio Nazianzeno in vita Athanaſij, & Baſilij : vterque enim inuocat, quos laudat, ante canonizationem. Pręterea; Oramus viuentes, etiamſi neſciamus eſſe ſanctos, cur non defunctos, quos maiori ratione confidimus eſſe ſanctos? At non liceret in publicis Litanijs, & ſacro officio id facere.

Quantum ad 3. & 4. non videtur licere vllo modo, eos honores ſanctis non canonizatis deferre: nam templa, & altaria, & ſacrificia ſunt ex natura ſua publici cultus: nullum eſt enim ſacrificium in Eccleſia, niſi commune, & à Deo ipſo inſtitutum: templa autem & altaria, & ſacrificia ſunt ex natura ſua publici cultus: nullum enim eſt ſacrificium in Eccleſia, niſi commune, & à Deo ipſe inſtitutum : templa autem, & altaria ad ſacrificia referuntur.

Quantum ad 5. non licet publicum feſtum celebrare : liceret tamẽ in die natali Sancti non canonizati peculiariter lætari, & Deo vacare in memoriam eius: quod etiam veteres fecerunt.

Quantum ad 6. licet imaginem pingere, & venerari; non tamen in templo conſtituere eo modo, quo aliorum Sanctorum.

Quantum ad 7. non licet reliquias non canonizati hominis in templo cõſtituere publicè honorandas: licet tamen eas habere, venerari, etiam alijs videntibus, modò ſcandalum abſit. Id enim habet praxis Eccleſiæ: nam mòx ac martyres erant defuncti, currebant fideles ad reliquias rapiendas; & ſimiliter, quando moriuntur homines clari ſanctitate, multi deuotè oſculantur manus, & pedes, de veſtibus eorum pro reliquijs ſeruant; nec id vnquam fuit prohibitum. Præterea; Si licet honorare viuentes, quos credimus ſanctos, cur non mortuos?

CAPVT III.

De cultu Sanctorum.

NOtandum I. adorationem tres actus complecti I. actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicuius. 2. actum voluntatis, quo nos interiùs illi inclinamur, & aliquid volumus facere actu interiore, vel exteriore, quo proteſtemur excellentiam eius, & noſtram ſubiectionem. 3. actum exteriorem quo caput inclinamus, vel genu flectimus, vel aliquod aliud ſignum ſubiectionis oſtendimus. Ex quibus actus ſecundus eſt maximè proprius, & eſſentialis: nam primus actus poteſt eſſe ſine adoratione; tertius etiam cum irriſione.

Notan-

Notandum 2. tot eſſe ſpecies adorationis, ſiue cultus, quot ſpecies excellentiæ. Honor enim, ſiue cultus debetur perſonæ propter eius excellentiã. Sed, quod ad pręſens inſtitutum pertinet, tres ſunt ſpecies excellentiæ. I. eſt excellentia diuina, & infinita, cui reſpondet prima ſpecies cultus, qui à Theologis dicitur latria. 2. eſt excellentia humana, ſeu naturalis, quæ poſita eſt in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus, &c. cui reſpondet ſecunda ſpecies, quæ dicitur cultus ciuilis, & obſeruantia quædam humana. Quanquam hæc in alias multas ſpecies diuidi poteſt: nam alius honor debetur patri, alius Principi, alius pręceptori, alius ſapienti, vel erudito, &c. 3. eſt excellentia quædam media inter diuinam, & humanam: qualis eſt gratia, & gloria Sanctorum. Et huic excellentiæ reſpondet tertia ſpecies cultus, quam Theologi vocant Duliam. Et quia inter ſanctas creaturas humanitas Chriſti, ſi ſeorſim conſideretur, ſingulariter excellit, propter vnionem ad Verbum; & ſimiliter B. Virgo, vt mater Filij Dei, ita pręſtat alijs Sanctis, vt dici poſsit Domina, & Regina noſtra, quod alijs Sanctis non conuenit, niſi admodum imperfectè: ideò Theologi hanc tertiam ſpeciem, quam vocant Duliam, diuidunt in Duliam propriè dictam, & Huperduliam; tribuentes illam Sanctis ceteris; iſtam ſoli humanitati Chriſti, & matri eius.

Notandum 3. Has tres adorationis ſpecies non eſſe vniuocas, ſed analogas. Vt enim excellentia non dicitur vniuocè de excellentia Dei, & creaturarum; ita cultus debitus ob excellentiam non poteſt dici vniuocè de cultu Dei, & creaturarum.

Notandum 4. Has ipſas ſpecies adorationis, quantum ad actus interiores, optimè diſtingui. Nam I. ſpecies, id eſt, latria, eſt ſumma quædam voluntatis proſtratio, & inclinatio, cum apprehenſione Dei, vt primi principij, & vltimi finis, atque adeò ſummi boni, qualis adoratio ſoli Deo conuenit. 2. eſt longè minor inclinatio voluntatis cum apprehenſione certa humanæ excellẽtiæ. 3. eſt media quædam inclinatio voluntatis, cum apprehenſione excellentiæ pluſquam humanæ, & minùs quàm diuinæ. At, quantum ad actus exteriores, non eſt facile ſpecies adorationum diſtinguere. Nam omnes ferè actus exteriores communes ſunt omni adorationi, excepto ſacrificio, & quæ ad illud referuntur, templis, altaribus, Sacerdotibus. Voluit enim Deus hunc cultũ ſacrificij ſibi ſoli exhiberi: vt patet ex illo: *Qui ſacrificat Dijs, eradicabitur, præterquam Domino ſoli*. Ex alijs actibus exterioribus, qui ſunt communes cultui Dei, & cultui creaturæ, non poteſt euidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturis; nec ne: nam Abraham eodem actu incuruationis vſque ad terram adorauit Deum, angelos, & homines. *Exod.* 22. *Gen.* 17. 18. 23.

Notandum 5. Latriam interdum ſumi pro ipſo actu, quo Deus colitur: interdum pro habitu, quo homo redditur promptus ad Deum colendum: hunc autem habitum eſſe virtutem quandam ſpecialem, & moralem. Et ſicut charitas, & prudentia ſunt virtutes ſpeciales, quia habent ſpeciale obiectum; & tamen ſimul ſunt aliquo modo generales, quia dirigunt, aut ordinant actus omnium virtutum: ita latria virtus eſt ſpecialis propter ſpeciale obiectum ſuum, id eſt, honorem diuinum; & tamen ſimul eſt generalis, quia vtitur ad honorandum Deum actibus omnium virtutum, & pręcipuè fidei, ſpei, & charitatis.

ritatis. Nam ſummus honor Deo defertur, cùm per fidem proteſtamur, eum eſſe primam veritatem: per ſpem, potentiſsimum eſſe: per charitatem, eſſe optimum. Itaque ipſius actus fidei obiectum eſt Deus: actus autem ipſe fidei eſt obiectum religionis: & ideò fides eſt virtus Theologica, quia circa Deum verſatur; Religio non eſt virtus Theologica, quia verſatur circa creaturam: actus enim fidei non eſt Deus, ſed quid creatum. Idem dici de ſpe, & charitate poteſt: obiectum enim earum eſt Deus; actus verò ipſarum ad obiectum religionis pertinere poteſt.

Notandum 6. quantum ad nomina, in lingua Hebræa nullum eſſe nomen, quo propriè deſignetur cultus ſolius Dei; ſed omnia eſſe communia, & idem nomen nunc tribui cultui creaturæ, nunc negari, prout nimirum aliter, atque aliter accipitur. In lingua Latina ſimiliter non habemus vllum vocabulum, quod ſolum dicatur de cultu Dei: & hinc eſt, quòd Patres vocabula adorationis, & religionis, nunc concedant creaturis, nunc negant, prout variè accipiuntur. In lingua Græca vna vox eſt propria cultui Dei, nempe θεοσέβεια. quæ non multùm eſt in vſu. Præter iſtam vocem ſunt alia quatuor εὐσέβεια, pietas: θρησκεία, religio: λατρεία, & δουλεία, ſeruitus: ſed nullum horũ eſt, quod interdum non tribuatur etiam creaturis.

Sed quamuis iſta vocabula non ſint propria diuino cultui, ſecundum primam ipſorum inſtitutionem; tamẽ Schola Theologorum, non ſine cauſſa excogitauit illam diſtinctionem de latria, & dulia. Nam, cùm in re inueniatur manifeſta diſtinctio inter cultum Dei, & Sanctorum; oportebat etiam ad vitandam æquiuocationem inuenire diſtincta vocabula. Optima autem erant iſta duo: primò, quia Scriptores ſacri vocem λατρεία numquam vſurpant, niſi pro cultu ſolius Dei; vt patet ex nouo Teſtamento: vocem autem δουλεία vſurpant pro omni ſeruitute, tam Dei, quàm hominum. Deinde, antiqui Patres nunquam nomen latriæ tribuunt, niſi Deo, cùm tamen etiam Sanctos coli dicant.

Supereſt iam, vt probemus, cultum aliquem minorem diuino, & maiorem ciuili, & merè humano, ſacris rebus, ſanctis Angelis, & hominibus deberi.

Pſal. 98. I. Argumentum ſumitur ex illo: *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Vbi ad litteram per ſcabellum pedum Domini intelligitur arca Te-
1. Paral. 28. ſtam. Nam Salomon dicit: *Paraui domum, vbi requieſceret arca Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Nec ſine cauſſa dicebatur arca ſcabellum pedum Domi-
Pſal. 98. ni: nam ſupra arcam erat propitiatorium, quaſi ſedes Dei, quæ tenebatur manibus duorum Cherubim, de qua dicitur in principio huius Pſalmi: *Qui ſedes*
Pſal. 131. *ſuper Cherubim, moueatur terra,* &c. Idem habetur in illis verbis: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Nam in Hebræo eſt: *Adorabimus ſcabellum pedum eius.* Et, quòd loquatur de arca, patet, quia præcedit: *Introibimus in tabernaculum eius.* Et ſtatim etiam ſequitur: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ.* Et hoc idem clariùs colligitur
2. Reg. 6. ex eo: *Arcam,* inquit, *ſupra quam inuocatum eſt nomen Domini ſedentis in Cherubim ſuper eam.*

Iam verò, quòd in his locis præcipiatur aliquis cultus, patet ex verbo, adorare,

rare, quod Hebraicè etiam eſt proprium verbum adorationis. Quòd autem arca ſit creatura, nulli dubium eſſe poteſt. Quòd denique iſte cultus non ſit ciuilis, ſed religionis, patet ex ratione Dauidis: *quoniam ſanctum eſt*, hoc videlicet ſcabellum. Cultus enim ciuilis debetur rebus propter ciuilem, & humanam excellentiam. *Pſal. 98.*

II. Argumentum ſumitur ex adoratione exhibita Angelis ab hominibus pijs, & prudentibus. Nam Abraham pronus in terram adorauit Angelum. Et ſimiliter fecit Loth. Sed quia poſſet reſponderi, tam Abrahamum, quàm Loth, non cognouiſſe Angelos, ſed homines putaſſe in initio, cùm eos adorauerunt, & ciuiliter tantùm adoraſſe; proferamus loca clariora: *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio, adorauitque eũ pronus in terram.* Hic certè non priùs adorauit, quàm Angelum agnouit. Angelis autem, ridiculum eſt dicere, deberi ciuilem honorem. Item, cùm vidiſſet Ioſue virum ſtantem euaginato gladio, dixit: *Noſter es, an aduerſariorum?* Ille: *Nequaquam*, inquit, *ſed Princeps ſum exercitus Domini. Continuò cecidit Ioſue pronus in terram, & adorauit.* Hic apertè videmus adorationem illam mediam, quam quærimus. Nam, quòd Ioſue non putauerit illum, quem adorabat eſſe Deum, patet, quia Angelus dixerat, ſe eſſe Dei miniſtrum. Quòd etiam non adorauerit ciuiliter, ſed religioſè, patet, quia non priùs adorauit, quàm intellexit eſſe Angelum Dei legatum. Quòd denique non malè fecerit adorando, patet, quia Angelus non ſolùm non prohibuit eum ab adorando, ſed etiam iuſsit adhuc maiorem honorem ſibi exhiberi, dicens: *Solue calceamenta pedum tuorum: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt.* Non erat autem ſanctus locus, niſi ob Angeli præſentiam: non enim erat tunc Ioſue in loco ſacro, ſed in campeſtribus Iericho. *Gen. 18.* *Gen. 19.* *Num. 22.*

III. Argumentum ſumitur ex adoratione Sanctorum in Script. Saul adorat animam Samuelis ſibi apparentem. Certum autem eſt, non conuenire ciuilem honorem animabus defunctorũ: neque dici poteſt, in hoc erraſſe Saulem, quandoquidem nec ipſe Samuel, nec Script. Saulem reprehendit. Abdias vir ſanctus adorabat Eliam pronus in terram. Nec poſſumus dicere, hunc ciuilem cultum fuiſſe: nam, quantùm ad humanam excellentiam, maior erat Abdias, quàm Elias: iſte enim priuatus homo erat; ille autem vnus ex Principibus regni. Adorauit ergò eum, vt Prophetam, ac Dei hominem ſingulari ſanctitate excellentem. Filij etiam Prophetarum, cùm audiſſent ſpiritum Eliæ requieuiſſe ſuper Elizeum, accedentes adorauerunt eum proni in terram. Denique; Nabuchodonoſor adorat Danielem. Quis autem diceret, aut crederet, à Rege ſummo adoratum ciuiliter vnum ex captiuis, qualis erat Daniel? Adorauit ergò eum religioſè, vt hominem Deo plenum. Neque per errorem adorauit, Deum illum exiſtimans: nam adorans ait: *Verè Deus veſter, Deus Deorum eſt, & Dominus Regum, & reuelans myſteria, quoniam tu potuiſti aperire hoc Sacramentum.* Quod etiam feciſſe Alexandrum Regem Pontifici, Iaddo, ſcribit Ioſephus. *1. Reg. 28.* *3. Reg. 18.* *4. Reg. 2.* *Dan. 2.* *L. 11. antiq. c. 8.*

IV. Argumentum ſumitur ex confeſsione Patrum, qui à temporibus Apoſtolorum vſque ad noſtra tempora floruerunt.

V. Sumitur ex inuocatione, templis, feſtis, votis, peregrinationibus, ima-

imaginibus,& alijs; cùm hæc omnia ad cultum Sanctorum non dubium eſt pertinere.

6. Sumitur ex eo, quòd ſemper Ethnici, Iudæi, Hæretici accuſauerunt Chriſtianos idololatriæ propter cultum Sanctorum: quod certè non feciſſent, niſi vidiſſent à Chriſtianis ſanctos paſsim religiosè coli.

7. Sumitur ex ratione. Nam, ſi honor ciuilis debetur virtuti ciuili, ſapientiæ, potentiæ, nobilitati: ergò honor pluſquam ciuilis debetur ſupernaturali virtuti, ſapientiæ, poteſtati, nobilitati. Sed ſancti quoad virtutes ſupernaturales excellunt omninò, cùm ferueant diuina charitate, & non poſsint peccare: nihil enim inquinatum poteſt intrare in regnum cœlorum: quoad ſapientiam, vident ipſam ſapientiam increatam, & in ea cognoſcunt rerum omnium cauſſas, iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Quoad poteſtatem, ſunt Reges cœlorum, & participes ipſius throni diuini: *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.* Et: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum.* Quoad nobilitatem, ſunt filij Dei, reipſa iam adoptione confirmata per gloriam. Igitur meritò, iureque optimo religioſo cultu proſequendi ſunt.

Apoc. 21. *Matth. 5.* *Apoc. 3.* *Luca 22.*

Denique; Deus ſanctis honorem, & gloriam promiſit: *Qui honorificauerit me, glorificabo eum.* Et: *Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Et: *Gloria, & honor omni operanti bonum.* Ergò debetur illis honor; & certè non ab alijs, quàm à nobis, qui illis inferiores ſumus: non conuenit autem mortuis honor ciuilis: ergò religioſus illis debetur.

1. Reg. 2. *Ioan. 12.* *Rom. 2.*

CAPVT IV.

De inuocatione Sanctorum.

PEculiaris difficultas eſt de cultu inuocationis de quo ſit I. propoſitio: *Non licet à Sanctis petere, vt nobis, tanquam auctores diuinorum beneficiorum, gloriã, vel gratiam, aliaque ad beatitudinem media concedant.*

Prob. I. ex Script. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Et: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Montes ſunt homines ſancti, vt exponit S. Auguſtinus. Vt autem ab ijs intelligamus auxilium expectandum, non vt ab auctoribus, ſed vt ab impetratoribus; ideò ſtatim ſubditur: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram.* Item; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.*

Pſal. 83. *Pſal. 120.* *Iac. 1.*

Prob. 2. ex vſu Eccleſiæ: nam in orationibus, quæ leguntur in Miſſa, vel in officio, in celebritatibus ſanctorum, nihil vnquam aliud petimus, quàm vt eorum precibus nobis à Deo beneficia concedantur.

Prob. 3. ex Patribus.

4. Ratione. Nam ea, quibus indigemus ſuperant vires creaturæ: ac proinde etiam ſanctorum. Ergò nihil debemus à ſanctis petere, niſi vt à Deo impe-

impetrent, quæ vtilia nobis ſunt. Eſt tamen notandum, cùm dicimus, non debere peti à Sanctis, niſi vt orent pro nobis, nos non agere de verbis, ſed de ſenſu verborum. Nam, quantùm ad verba, licet dicere: S. Petre, miſerere mei, ſalua me, aperi mihi aditum cœli: item, da mihi ſanitatem corporis, da patientiam, fortitudinem, &c. dummodo intelligamus, orando pro me, aut, tuis precibus, & meritis. Sic enim orat Eccleſia vniuerſa:

Tu nos ab hoſte protege, Et: Sanate ægros moribus,
Et hora mortis ſuſcipe. Nos redeuntes virtutibus.

Sic etiam Apoſtolus de ſe dicit: *Vt ſaluos facerem aliquos ex illis.* Et: *Vt omnes facerem ſaluos*; non vt Deus, ſed iuuando concionibus, precibus, &c. Rom. 11.

Propoſitio 2. *Sancti non ſunt immediati interceſſores noſtri apud Deum, ſed quidquid à Deo nobis impetrant, per Chriſtum impetrant.* Nota, tres perſonas poſſe conſiderari, quando nos Deum oramus: vnam ipſius Dei, à quo petimus beneficia: alterum Chriſti, per cuius meritum ea cupimus nobis dari: tertiam eius, qui petit beneficia per Chriſtum. Ex his tribus non poteſt prima Sanctis tribui, vt iam probauimus; nec ſecunda, vt nunc oſtendemus; ſed ſolùm tertia. Itaque Sanctos inuocamus ad hoc ſolùm, vt faciant id, quod nos facimus, quia meliùs, & efficaciùs ipſi facere poſſunt, quàm nos; & melius illi, & nos ſimul, quàm nos ſoli.

Prob. propoſitio: Solus Chriſtus eſt, qui mundum reconciliauit Deo, & qui meruit nobis gloriam, & gratiam, & omnia neceſſaria ad ſalutem: *Quia in ipſo complacuit omnium plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, pacificans per ſanguinem crucis eius, quæ in terris, & quæ in cælis ſunt.* Et: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed pro totius mundi.* Atque hinc Chriſtus dicitur *oſtium:* & *via:* quia, vt ipſe ait, *nemo venit ad Patrem,* niſi per ipſum. Hinc etiam dicitur: *Petite in nomine meo.* Hinc dicitur Mediator Dei, & hominum: & aduocatus apud Patrem. Ergò nihil à Sanctis petere poſſumus, niſi vt intercedant apud Deum, quo nobis Chriſti meritum applicetur, & per Chriſtum gratiam, & gloriam conſequamur. Coloſſ. 1. 1. Ioan. 2. Ioan. 10. Ioan. 14. Ioan. 16. 1. Tim. 2. 1. Ioan. 2.

Prob. ſecundò ex Patribus.

Tertiò ex orationibus Eccleſiæ. Omnes enim, quæ de Sanctis ſunt, illam formam habent: *Concede nobis, Deus, interceſsione huius Sancti tale beneficium, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Habemus igitur, quomodo Sancti inuocandi non ſint: nunc vt intelligamus, quomodo inuocandi ſint, ſit 3. propoſitio.

Sancti orant pro nobis, ſaltem in genere, ſecundum Script. Prob. 1. ex ijs Script. quę agunt ſolùm de ſanctis hominibus. 1. *Dixit Dominus ad me: ſi ſteterint Moyſes, & Samuël coram me, non eſt anima mea ad pop. iſtum.* Ergò Moyſes, & Samuël iam mortui poterant, & ſolebant orare pro pop. Iudæorum. 2. Locus eſt, vbi Iudas in viſione quadam vidit Oniam Pontificem, & Ieremiam Prophetam, qui obierant, orantes pro pop. Iudæorum. 3. Eſt, vbi deſcribuntur XXIV. ſeniores in cœlo coram throno Dei procidiſſe, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum. 4. Eſt: *Dabo autem operam & frequentes habere vos,* nimirum commendatos, ſiue in animo, *poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis.* Vt enim exponunt Scolia Græca apud OEcumen. aliqui veteres non ineptè hinc colligebant, Ierem. 15. 2. Mach. vlt. Apoc. 5. 2. Pet. 1.

 Sanctos

Sanctos poſt obitum gerere curam viuentium, Et quamuis hoc non ſit eui-
dens argumentum, tamen eſt probabile. 5. eſt, vbi diues Epulo orat pro
Luca 16. fratribus ſuis: ergò multò magis orant iuſti pro tota Eccleſia. 6. eſt, vbi
Apoc. 6. animæ Sanctorum Martyrum magno clamore petunt vindictam de in-
terfectoribus ſuis: ergò multò magis petunt miſericordiam fratribus
ſuis.

Accedat vltimò, quòd Script. apertè docent communionē Eccleſiæ trium-
Epheſ. 2. phantis cum militante. Nam Apoſtolus dicit, nos accesſiſſe ad Eccleſiam
Gal. 4. primitiuorum, qui ſunt in cœlis, id eſt, ciues illorum eſſe: & dicit, matrem
Coloſſ. 1. noſtram eſſe Ieruſalem, quæ eſt in cœlis: & dicit Chriſtum eſſe caput ſu-
Epheſ. 4. per omnem Eccleſiam; & certè non excluditur cœleſtis Eccleſia. At commu-
nio iſta exigit neceſſariò, vt membra pro inuicem ſollicita ſint, & inuicem
Rom. 12. ſe iuuent: hæc enim eſt natura membrorum ſub vno capite viuentiũ, vt Apo-
1. Cor. 12. ſtolus docet.

Tob. 12. 4. Propoſitio: *Sancti, qui regnant cum Chriſto, pro nobis orant, non ſolùm in gene-*
Zach. 1. *re, ſed etiam in particulari.*

Apoc. 8. Prob. I. Angeli orant pro nobis, & curam noſtri gerunt, etiam in ſpeciali:
Dan. 10. ergò multò magis id ſpiritus hominum beatorum faciunt. Nam inprimis ni-
Pſal. 90.
Matth. 18. hil eis deeſt eorum, quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus pertinet, cũ
ſint pręditi intelligentia, & voluntate, & adſint ſemper Deo, & nos vehe-
Luca 20. menter diligant, ac demum ſint æquales Angelis. Deinde, aliquid habent præ
Angelis, quòd ſint membra corporis Eccleſiæ nobis magis coniuncta, quàm
ſint Angeli; & experti ſunt miſerias, & pericula noſtra, quæ Angeli non ſunt
experti.

Prob. ſecundo. Nam non ſolùm ab Angelis, ſed etiam à ſpiritibus beatorũ
hominum reguntur, & gubernantur fideles viuentes. Id enim promiſit Chri-
Apoc. 2. ſtus: *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gen-*
tes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi
Apoc. 3. *à Patre meo.* Et: *Qui vicerit, faciam illum colùmnam in templo Dei mei.* Et infrà: *Qui*
vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in
throno eius. Hîc loquitur Ioannes de ſpiritibus mortuorum, vt patet ex illis
verbis: *Et cuſtodierit vſque in finem opera mea.* Et loquitur de tempore ante re-
ſurrectionem, vt patet ex eo, quòd dicit: *Reges eas in virga ferrea.* Nam, regere
in virga ferrea, non ſignificat punire, quod etiam poſt reſurrectionem fiet; ſed
ſignificat, regere virga paſtorali, quod ſolùm fit ante reſurrectionem. Dici-
Pſal. 44. tur autem virga ferrea, quia inflexibilis eſt ad iniuſtitiam: *Virga áirectionis*, id
Luca 1. eſt, virga rectiſsima, *virga regni tui.* Et etiam ſempiterna, nam *regni eius non erit*
Apoc. 2. *finis.* Quòd autem ſequitur: *Et tamquam vas figuli, confringet eos*; non ſignifi-
Act. 10. cat, homines perdendos; ſed peccatores, Chriſto peccata conterente, & de-
lente, iuxta illud: *Occide, & manduca.* Vel reguntur, ſiue paſcuntur electi in
virga ferrea: reprobi autem, tamquam vas figuli, confringuntur.

Quòd verò hoc ſignificet, regere in virga ferrea, patet I. ex verbo He-
Pſal. 2. bræo, quo vtitur Dauid: & ex Græco Ioannis, quod eſt, *ποιμανεῖς*, id eſt, paſ-
Apoc. 2. 12. 19 ces, ſiue paſtoraliter reges. 2. ex eo, quòd dicitur: *Peperit filium, qui recturus erat*
Apoc. 12. *omnes gentes in virga ferrea.* Chriſtus autem non punit omnes gentes, ſed regit
paſto-

paſtoraliter. 3. quia in Pſalmo illo, vnde Ioannes verba ſua deſumpſit, dicitur Chriſtus totam hæreditatẽ ſuam regere in virga ferrea. *Poſtula à me*, &c. *Pſal. 2.* Nec tamen ſuſpicari poſſumus, totam Eccleſiam à Chriſto eſſe deſtruendam. 4. quia ſic exponunt Patres. Habemus igitur, ſpiritus hominum beatorum poſt mortem, ante diem reſurrectionis accipere poteſtatem in gentes, & regere, & paſcere eas: nec non eſſe columnas in templo Dei, id eſt, ſuſtentare Eccleſiam, quod propriè ſanctis Martyribus conuenit: ac demum ſedere in throno Chriſti, id eſt, cum illo pręſidere toti mundo, & Eccleſiam regere, & gubernare. Idem colligitur ex illo: *Beatus ille ſeruus, quem, cùm venerit Dominus, inuenerit ſic facientem: amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*. *Matth. 24.* Bona enim Domini, Eccleſia eſt, vt Hilarius docet: quod etiam apertè legimus in præfatione de Apoſtolis, quam vnam eſſe ex nouem antiquiſsimis, teſtatur Pelagius Papa II. qui ſanctum Gregorium præceſsit. *Epiſt. 4. decret.* Id etiam Patres apertè docent.

Prob. vltimò ex apparitionibus Sanctorum, qui apertè teſtati ſunt, ſe orare pro nobis, etiam in particulari. Scribit Euſebius, Potamiœnam carnifici *L. 4. hiſt. c. 5.* promiſiſſe, ſe, cùm ad Dominum perueniſſet, aliquid ei bonum impetraturã: deinde, poſt tres dies à conſummato martyrio carnifici per quietem apparuiſſe, atque eius capiti coronam impoſuiſſe, paulòque pòſt, iuxta Martyris prędictionem, & ipſum ex impio carnifice pium Martyrem effectum. Alia id genus plurima ſunt.

Propoſitio 5. Sancti, ſiue Angeli, ſiue homines, piè, & vtiliter à viuentibus inuocantur. Prob. I. ex Script. Iacob benedicens filijs Ioſeph, ſic ait: *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis*. *Gen. 48.* Hic Angelum apertè S. Iacob inuocauit. Item; *Voca, ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere*. *Iob. 5.* Vbi nomine Sanctorum intelligit Angelos, vt D. Auguſt. exponit: qui etiam illud: *Miſeremini mei, amici mei*; ad Angelos dici exiſtimat, *Annotat. in Iob.* iuxta quod dicitur: *Si fuerit Angelus loquens pro eo vnus de millibus, miſerebitur eis, & dicet; libera eum*. *Iob. 19.* Sicut etiam, cùm dicit: *Ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis*; *Iob. 33.* nomine Sanctorum intelliguntur Angeli. Nam idem alibi habetur his verbis: *Ecce, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit prauitatem*. *Iob. 15.* *Iob. 4.* Quamuis autem hæc verba non videantur conuincere, quia non ſunt ipſius ſcriptoris libri, ſed Eliphaz, amici Iob; tamen ideò conuincunt, quia indicant, tunc fuiſſe conſuetudinem inuocandi patrocinium ſanctorum Angelorum. Item; Moyſes orat: *Recordare, Domine, Abraham, Iſaac, & Iſraël, ſeruorum tuorum*. *Exod. 32.*

Vbi notandum, quia ante Chriſti aduentum Sancti, qui moriebantur, non intrabant in cœlum, nec Deum videbant, nec cognoſcere poterant ordinariè preces ſupplicantium; ideò non fuiſſe conſuetum in Teſtamento veteri, vt dicerent: *S. Abraham, ora pro me*, &c: ſed ſolùm orabant homines eius temporis Deum, & allegabant merita Sanctorum, qui iam obierant, vt illis ipſorum orationes iuuarentur.

Præterea; In vtroque Teſtamento ſæpe legimus, viuentes à viuentibus inuocatos. Nam Filij Iſraël dicunt ad Samuelem: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſtinorum*. *1. Reg. 7.* Et; *Ite ad ſeruum*

meum

Rom 15. *meum, Iob, ille orabit pro vobis*. Et Paulus ait: *Obſecro vos, fratres, vt adiuuetis me in*
Ephes. 6. *orationibus pro me ad Deum*. Idem repetit alibi. Ergò licebit etiam nunc inuoca-
1. Theſſ. 5. 2. Theſſ. 3. re eoſdem Sanctos cum Chriſto regnantes. Nam, ſi nunc non licet, vel non
Col. 3. licet, quia nolunt; & hoc non, cùm ſint maiori charitate præditi, quàm anteà,
Hebr. 12. de ſua immortalitate ſecuri, & de noſtra incolumitate ſolliciti: vel, quia non poſſunt; & hoc non, quia, ſi poterant, cùm hic eſſent peregrini, quantò magis
Luca 15. nunc poterunt in patria? Vel quòd non ſciunt, quod oremus: & hoc non, quia, vnde ſciunt Angeli conuerſionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cœlis; inde ſciunt Sancti noſtras preces. Vel denique, quia, iniuria fit Deo, vel Chriſto, ſi alius, quàm ipſe, inuocetur: & hoc non, quia tunc non liceret viuentes inuocare.

Prob. 3. ex Concilijs.

4. Teſtimonijs Græcorum, & Latinorum Patrum.

L. 3. vita eius c. 5. 5. Ex miraculis B. Bernardi factis contra hanc hæreſin: quibus accedant miracula infinita, quibus ſæpiſſimè Sancti demonſtrarunt, ſe audire preces viuentium, & poſſe, ac velle eos iuuare, à quibus inuocantur.

CAPVT V.

De Reliquijs Sanctorum.

NVnc de veneratione earum rerum, quæ ad Sanctos pertinent, id eſt, reliquiarum, imaginum, &c. differendum eſt. Et 1. argumentū pro Reliquijs ſumi poteſt ab exemplis ſcript. Nam Moyſes diſceſſurus cum pop. ex
Exod. 13. Ægypto in Palæſtinam, noluit ibi relinquere oſſa S. Ioſeph iamdudum mortui; ſed ea honorificè ſecum aſportauit, & tranſtulit in terram promiſsionis. Non ergò ſuperſtitioſum, neque nouum eſt, transferre oſſa Sanctorum.
Deut. vlt. Item; Deus ipſe corpus Moyſis honorauit, dum illud proprijs manibus ſepe-
4. Reg. 13. liuit. Item; Oſſa Elizæi, cùm tetigiſſent mortuum quendam hominem, continuo illum reuocarunt ad vitam. Non igitur Deus contemnit oſſa Sanctorum, ſed ea honorat, & honorari cupit, dum per illa miraculum tam inſigne
4. Reg. 23. patrauit. Item; Cùm Ioſias delubra idolorum euerteret, & omnem idololatriam delere vellet, tantùm abeſt, vt reliquias Sanctorum delendam eſſe exiſtimaret, vt, cùm aliorum mortuorum oſſa effodiſſet, & in cineres redegiſſet, oſſa tamen S. Prophetæ ibidem reperta aſſeruari iuſſerit.

Iſa. 11. Ad hæc; de ſepulchro Domini legimus: *In eum*, (Meſsiam videlicet) *Gentes ſperabunt, & erit ſepulchrum eius glorioſum*. Hunc locum de ſepulchro Chriſti in-
Rom. 15. telligi, certum eſt, tum ex ipſis verbis, tum ex Apoſtolo. Denique; Si Chriſtus hic adeſſet, & nos veſtem eius deuotè oſcularemur, continuo nos idololatras
Matth. 9. eſſe Lutherus, & Caluinus dicerent: at mulier hæmorrhoiſſa ſolam fimbriam
Act. 5. Chriſti fideliter tetigit, & ſanata eſt. Neque ſunt reprehenſi populi, qui certatim ad vmbram Petri eo modo, quo poterant, attingendam occurrebant;

ſed potius fidei ſuæ præmium retuliſſe dicuntur: & tamen quæ reliquiæ viliores ipſa vmbra cogitari poſſunt? Neque habiti ſunt ſuperſtitioſi, qui Pauli ſudaria, & ſemicintia deferebant ad ægrotos, vt etiam nos modo facimus; ſed potius religionem illorum miraculis confirmabat Deus. *Act. 19.*

2. Argumentum ſumitur ex Concilijs diuerſarum partium orbis terræ.

3. Ex Patribus.

4. Ex miraculis factis ad reliquias, quæ certè non fierent, ſi Deo cultus reliquiarum non placeret.

5. Ex miraculis, quæ ſæpe in ipſis Sanctorum mortuis corporibus cernuntur, per quæ Deus apertiſsimè nos ad eorum venerationem quaſi inuitare videtur.

6. Ex inuentione, & reuelatione diuinitus facta Sanctorum corporum. Si enim Deo cultus reliquiarum non placeret, cur ipſe ſeruis ſuis corpora Sanctorum, quæ latebant, oſtenderet.

7. Prob. ex tranſlatione reliquiarum de vno loco ad alium, honoris gratia ab antiquis celebrari ſolita: quæ certè ad honorem oſsium ſacrorum pertinet.

8. Prob. ex eo, quòd reliquiæ ſub altari reconduntur: quæ conſuetudo cœpiſſe videtur tempore Apoſtolorum. Nam ideo Ioanni ſunt oſtenſæ in cœlo animæ Martyrum ſub altari, quia corpora eorum in terris ſub altaribus requieſcunt. Pertinere autem hunc locum reliquiarum ad magnum honorem, res ipſa docet: ſemper enim altaria in magno honore fuerunt, ita vt etiam ſuo modo adorentur. *Apoc 6.*

9. Prob. ex vſu cereorum, & lampadum, quibus ſacræ reliquiæ honorantur. Nam, quòd lumen ſit honoris ſignum, nec ſit ſuperſtitioſum, lumen accendere ante rem inanimam, etiam lucente Sole, patet ex candelabro, quod ſemper lucebat ante arcam teſtimonij. *Exod. 25.*

10. Prob. ratione ducta ab vtili, & honeſto. Ratio ab vtili eſt: Nam Deus nihil ferè vtilius nobis reliquit ad ſalutem Sanctorum reliquijs: nihil enim efficacius repræſentat, & infigit in animo memoriam Sanctorum, quàm ſepulchrum ipſorum: nam ſtatim, atque videmus ſepulchrum alicuius Sancti, illius recordamur, & virtutum eius, patientiæ, charitatis, caſtitatis, pietatis; & ſimul cogitamus, quanta gloria fruatur in cœlis pro labore breuiſsimo huius vitæ, &c.

Ratio ducta ab honeſto eſt multiplex. 1. enim corpora Sanctorum fuerunt organa animarum ad omne opus bonum. 2. Fuerunt, & ſunt inſtrumenta Dei ad miracula. 3. Sunt pignora patronorum. 4. Sunt exuuiæ chariſsimorum. 5. Sunt trophæa triumphantium. 6. Deſignata ſunt ad gloriã incredibilem, nimirum vt ſint poſt reſurrectionem corpora Sole clariora, & vſque adeò corporibus omnibus præſtant, vt ſuper omnia merito collocentur.

CAPVT VI.

De Imaginibus.

INTER Imaginem, & Idolum hoc intereſt, quòd Imago ſit vera rei ſimilitudo: vt cùm pingimus hominem, equum, &c. Imago enim ab imitando dicta eſt. Idolum autem eſt falſa ſimilitudo, id eſt, repræſentat id, quod reuerà non eſt, vt, cùm Gentiles ponebant ſtatuas Veneris, aut Mineruæ, illa ſigna idola erant, quia repræſentabant Deos generis fœminei, quales Dij nec ſunt, nec eſſe poſſunt: atque ita nec verè repręſentabant, ſed erant falſæ imagines: id enim, quod non eſt, repræſentari non poteſt. Ex quo intelligimus, imagines Chriſti, & Sanctorum non eſſe idola. Sed nec Trinitatis, aut Angelorum imagines idola ſunt, quia non ſiunt factæ ad repręſentandam naturam Trinitatis, vel Angelorum, ſed ad exprimendam formam, in qua apparuerũt, vel certè eorum proprietates.

Hanc eſſe veram differentiam illarum vocum ſecundum Eccleſiaſticos, prob. I. quia Script. nuſquam tribuit nomen Idoli vlli veræ imagini, ſed ſolùm ſimulacris Gentilium, quæ falſos Deos referebant. Vocat enim Script. Filium imaginem Patris: at nunquam vocat Idolum Patris. Item; Salomon dicitur feciſſe ad ornatum templi imagines Cherubim ad ſimilitudinem hominum: item, imagines leonum, boum, palmarum, malogranatorũ, florum, &c. nec vnquam iſta vocantur idola, quia nimirum rerum verarum ſimilitudines erant.

Sap. 7. Coloſſ. 1. Heb. 1. 3. Reg. 7.

II. Quia voces, quibus Script. Teſtamenti veteris Idola vocat, ſignificãt, vanum, falſum, mendacium: & apud Habacuc: *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus conflatile, & imaginem falſam?* clariſsimè definitur idolum imago falſa.

Habac. 2.

III. Quia B. Paulus: *Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo*: idolum nihil eſſe dicit, quia licet ſit aliquid ſecundum materiam, tamen nihil eſt formaliter, cùm id repræſentet, quod nihil eſt, & proinde nec verè repræſentet, & conſequenter nec ſit. Cui loco ſimilem adducit Hieronymus ad probandum idolum nihil eſſe: nam ſecundum L X X. dicitur: *Ne tradas ſceptrum tuum his, qui non ſunt*, id eſt, Idolis.

1. Cor. 8. In c. 7. Oſe. Heſt 14.

IV. Quia B. Hieron. paſsim confert hęreſes cum idolis: quia, vt idolum eſt imago falſa, ita hæreſis eſt falſa imaginatio.

V. Ex ipſa vocis proprietate: nam idolum diminutiuum eſt ab εἶδος, id eſt, forma, & ſignificat formam paruam non quantitate, ſed perfectione. Eſt enim propriè idolum (vt exponit Euſtatius) imago inanis, qualis eſt, quæ cernitur in vmbra hominis, & qualia ſunt phantaſmata, id eſt, imagines, quas imaginatione fabricamus, quibus ſæpe nihil reſpondet in re; & qualia denique ſunt ſpectra, & vmbræ mortuorum, quæ videntur quidem eſſe aliquid

In l. 11. Odyſſ.

quid ſolidum, ſed inanes ſunt. Hinc ſcriptores ſacri, & Eccleſiaſtici Doct. vocauerunt idola ſtatuas falſorum Deorum, quia, licet ſolidæ ſint quoad materiam, tamen inanes ſunt quoad formam, id eſt, quoad repræſentationem.

Nomen Simulachri eſt quidem paulò communius, nam omnis vera imago dici poteſt ſimulachrum. Verius tamen eſt, ſimulachrum dici à ſimilando, non à ſimilitudine: in Script. ſimulachra vbique ponuntur pro idolis. Semper enim, vbi Latinus interpres poſuit, ſimulachra, in Græco eſt, εἴδωλα. *Act. 15. Pſal. 113. 1. Ioan vlt. & alibi.*

I. Quæſtio de imaginibus eſt: *An liceat habere imagines?* Pro qua ſit I. propoſitio. *Non eſt prohibitum iure diuino, efficere imagines.* Prob. I. quia ibi: Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, ſine dubio non prohibetur omnis imago, ſed ſolùm illa, quæ dici poteſt idolum, id eſt, imago, quæ habetur pro Deo, vel quæ repræſentat, tanquam Deum, eam rem, quæ non eſt Deus. Cùm enim additur: *Non habebis Deos alienos*, prohibetur actus interior *idololatriæ*. Cùm autem additur; *Non facies tibi ſculptile*, prohibetur actus exterior. *Exod. 20.*

Prob. hęc ſententia, quia, ſi prohiberetur omnis imago, ſequeretur, præcepta Decalogi non eſſe tantùm decem, ſed vndecim, vel duodecim, contra Script. quæ dicit eſſe decem. Nam conſtat vnum pręceptum eſſe: *Non habebis Deos alienos.* Alterum: *Non aſſumes nomen Dei in vanum. 3. Sabbatha ſanctifices. 4. Honora parentes. 5. Non occides. 6. Non mœchaberis. 7. Non furaberis. 8. Non dices falſum teſtimonium. 9. Non concupiſces.* Iſta nouem ſiue controuerſia ſunt diſtincta. Porrò illud: *Non concupiſces*, vel debet diuidi in duo, vt 9. ſit: *Non concupiſces vxorem alienam: 10. Non concupiſces rem alienam:* vel iſta omnia ad vnum pertinent. Si debet diuidi in duo: ergò illud: *Non facies tibi ſculptile*, erit 11. vel oportebit dicere, illud non eſſe pręceptum diſtinctum à primo, vt communiter docent Scholaſtici, & Catechiſmi omnes Latini: & tunc non prohibetur ſculptile quodcumque, ſed ſolũ ſculptile, quod pro Deo alieno habetur. Si autem: *Non concupiſces*, eſt vnum tantùm, vt aliqui exiſtimant; tunc illa omnia verba erunt vnum pręceptum: *Non facies tibi ſculptile*, &c. Et: *Non adorabis ea, neque coles.* Sed facere imagines abſolutè, & adorare eaſdem, ſunt res diſtinctæ, vt patet: quia poteſt vnus adorare ſculptile, quod non fecit, & alius adorare, quod fecit. Ergò vnum tantùm horum eſt prohibitum: alioqui eſſent vndecim pręcepta. Sed certum eſt; prohiberi cultum: ergò non prohibetur fabricatio per ſe, ſed ſolum in ordine ad cultum: proinde peccat, qui facit, vt adoret; non qui facit ad alium vſum. *Exod 31. & 34. Deut. 4. 9. & 10.*

Prob. 2. propoſitio ex eo, quod in ipſa Script. legimus, imagines factas Dei iuſſu. Nam Deus fieri iuſſit imagines Cherubim ſuper arcam: ſerpentem æneum: Cherubim, boues, leones, & alia. *Exod. 25. Num. 21. 3. Reg. 6. & 7.*

Prob. 3. quia nunquam intelligitur prohibitum id, quod nullo modo aduerſatur fini legis: finis autem præceptorum primæ tabulæ eſt, vt ſeruetur Deo ſuus honos illi datus; vt patet ex initio Decalogi: *Ego ſum Dominus, Deus tuus.* Item, ex illa comminatione: *Ego ſum Deus Zelotes.* Item, ex illa explicatione: *Non facies mecum Deos aureos, & Deos argenteos.* Item: *Non facies* *Exod. 20. Leuit. 26.*

Iſa.42. *tis ſculptile, & idolum, ut a* [illegible] Denique [illegible]
teri non dabo & la[illegible]*dem meam* [illegible]. At imago [illegible]
non ad[illegible]erſatur [illegible] Dei. Non igitur [illegible]hibita eſt.

Prob. 4. Ars pingendi, & ſculpe[illegible] bona e[illegible], [illegible] à Deo. D[illegible]tur [illegible] diſſe
Exod.31. Deus duobus viris, Beſeleel, & Ooliab ſpiritum ſuum, ſapientiam, & ſ[illegible]-
& 35. tiam ad ſculpendum, & excogitandum multa pro ornatu taberna[illegible].

Quintò, Deus primus auctor eſt omnium imaginum naturalium, & artificialium: nam genuit filium ad imaginem ſuam: & formauit hom[illegible]em ad imaginem ſuam.

Sextò, Imago eſt ſecundum naturam, & neceſſaria. Nam inprimis omnia naturalia producunt aliquid ſibi ſimile, id eſt, imaginem ſui. Homo, quidquid cognoſcit, ſiue ſenſu, ſiue intellectu, per imagines cognoſcit. Non poſſumus in lumine verſari, quin corpora noſtra vmbram efficiant, quæ eſt imago corporis. Veſtes omnes imagines ſunt eorum membrorum, ad quæ tegenda factæ ſunt.

Matth.22. Denique; Iudæi tempore Chriſti habebant imaginem Cæſaris in nummis: & nunc etiam retinent imagines Principum in pecunijs: cur ergò dicunt, non licere vllam imaginem habere?

Exod 25. Propoſitio 2. *Non ſunt prohibitæ imagines Dei.* Prob. I. quia Angeli ſunt incor-
1.Reg. 6. porei, & tamen depicti, & ſculpti ſunt in Teſtamento veteri.

Gen.3. 2. Deus viſus eſt ſpecie corporea. Nam Adæ apparuit, *tanquam homo deam-*
Gen 28. *bulans in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* Iacob vidit Deum *innixum ſummitati*
Exod 33. *ſcalæ,* & proinde forma corporea. Moyſes vidit *poſteriora Dei,* id eſt, terga, &
Iſaæ 6. humeros. Iſaias, & Michęas viderunt *Dominum ſedentem in ſolio* ad formam ho-
3.Reg. vlt. minis Regis. Amos vidit Dominum *ſtantem ſuper altare.* Daniel vidit eum *ſe-*
Amos 9. *dentem in throno:* & deſcribit caput, & capillos eius canos, & veſtimenta eius
Dan 7. alba. Spiritus S. apparuit in forma columbæ. Denique Angeli apparuerunt
Matth.1. frequentiſsimè in forma humana: viſi ſunt etiam cum alijs: & in ſtola candi-
Gen 18.19. da: quid ergò prohibet ſic pingi?
& in l. Tob.
Iſaia 6.

Dan. 9 3. Scriptura verbis tribuit Deo omnia humana membra. Dum enim dicit
Matth.vlt. ſtare, ſedere, ambulare, nominat eius caput, pedes, brachia: tribuit ei ſedem,
Luc. vlt. thronum, ſcabellum, &c. Cur igitur non poterat pictura exiberi, qualis de-
Ioan.2. pingitur in Scriptura?

4. Pinguntur ea, quæ minus videntur poſſe pingi, quam Deus, nimirum virtutes, quę non ſolùm ſpirituales, ſed etiam accidentia ſunt: cur ergo non poterit pingi Deus?

5. Homo eſt vera imago Dei: ſed hominis poteſt pingi imago: ergo & Dei. Nam, quæ eſt imago imaginis, eſt etiam exemplaris: quæ enim ſunt ſimilia vni tertio, ſunt etiam inter ſe ſimilia.

Prob. vltimò ex vſu Eccleſiæ. Iam enim receptę ſunt ferè vbique tales imagines: neque credibile eſt, Eccleſiam toleraturam vniuerſaliter aliquid il-
Act. 5. licitum. Adde, quod Concilium VII. approbat imaginem Spiritus ſancti in
Seſſ.25. forma columbę. Et Concilium Trident. admittit imagines Dei pręcipuè in picturis hiſtoriarum.

Propoſitio 3. *Imagines in templis rectè collocantur.*

Prob.

Prob.1 quia in Testamento veteri, quando Iudęi propenſiſsimi erant ad idololatriam, in templo fuerunt imagines Cherubim. *Exod. 25.* *3. Reg. 6.*

Prob.2.ex conſuetudine Eccleſię, quę fuit primis quingentis annis.

Prob.3.ex quatuor Concilijs, duobus Orientalibus, & duobus Occidentalibus. In Oriente celebrata eſt VII. Synodus tota pro hac re. Item, in VIII. Synodo renouantur decreta VII. Synodi. In Occidente celebratum eſt Cõcilium Rom. ſub Gregorio III. quod quidem nationale fuit, ſed concurrerunt ad id Concilium ferè mille Epiſcopi. In eo Concilio damnata eſt hæreſis Iconomachorum imagines è templis deturbantium ſub ipſis initijs huius cõtentionis. Celebratum eſt etiam Concilium tempore Stephani, & Caroli magni pro eadem re. *Can. 3.*

Prob. 4. ratione. Nam ſigna ſacra nuſquam meliùs, quàm in ſacris locis collocari poſſunt. Deinde, nullum eſt ornamentum templorum melius, quã ſacrarum imaginum, quia imagines ſimul templum ornant, & continent mẽtes hominum, ne vagentur inanibus cogitationibus.

Præterea; Templum eſt imago quędam cœli: nam Apoſtolus comparat tabernaculũ Moyſaicum cum cœlo. Ita ergò decet, vt in ipſo templo ſint imagines eorum, qui in cœlis ſunt, id eſt, Chriſti, & Sanctorum. Denique; Vbi melius collocentur imagines Sanctorum, quàm in domibus ipſorum, id eſt, in baſilicis Sanctorum, vbi reliquiæ ipſorum quieſcunt? *Hebr. 9.*

Propoſitio 4. *Imagines Sanctorum etiam extra hiſtoriam vtiles ſunt.*

Prob.1. quia Deus in templo ſuo iuſsit fieri imagines Cherubin, ſine vlla hiſtorię notatione. Et certè non ſine cauſſa. *Exod. 25.*

2. Quia ſemper Chriſtiani habuerunt imagines, etiam ſolitarias, & extra hiſtoriam, cùm tamen primi Chriſtiani non ducerentur ſola delectatione.

Prob.3.ab vtilitatibus. Prima eſt, inſtructio, & eruditio. Melius enim interdum docet pictura, quàm Script. Secunda vtiles ſunt imagines, quamuis ſolitariæ, ad charitatem erga Deum, & Sanctos fouendam, & augendam. Tertia eſt, excitatio ad imitandum. Quarta, conſeruant in nobis memoriam Chriſti, & Sanctorum; & ſimul in anguſtijs docẽt, nos habere patronos, quos inuocemus. Quinta eſt, confeſsio fidei. Dum enim diligimus, & honoramus Sanctorum imagines, teſtamur, nobis placere eorum fidem, doctrinã, & ſanctos mores; & ſimul nos deteſtari omnem impietatem, & idololatriam, cõtra quam ipſi vſque ad mortem pugnarunt. Sexta eſt, honor Dei & ſanctorum. Nemo enim vnquam dubitauit, quin erigere ſtatuas, vel imagines magnis viris, ad honorem eorum pertineat.

2. Quæſtio eſt: *An imagines Chriſti, & Sanctorum rectè colantur?* Nos cum Eccleſia aſſerimus, eas colendas eſſe, modo tamen (vt declaratur in Concil. Trid.) in imaginibus nõ collocetur fiducia, nec ab ijs aliquid petatur, nec in ijs ineſſe credatur vlla diuinitas; ſed ſolum honorentur propter eos, quos nobis repręſentant. *Seſſ. 25.*

Quæ ſententia prob. 1. Teſtimonio Script. 1. genus teſtimoniorum eſt earum Script. quæ expreſsè agunt de imaginibus. Imagines enim Cherubim ſuper arcam exiſtentes neceſſario adorabantur ab ijs, qui *Exod. 25.*

arcam adorabant. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cùm in
Num. 21. loco ſublimi à Deo poſitus eſſet, & ſalutem miſeris in ſe aſpicientibus adferret. Iam verò, ſi licuit venerari imagines Angelorum: cur non etiam ſanctorum? Si licuit venerari imaginem Chriſti in forma ſerpentis: cur non potiùs venerabilis erit imago Chriſti in forma hominis.

2. Genus teſtimoniorum eſt eorum, quæ docent, creaturas honorandas
Pſal. 95. religioſè propter ſolam relationem ad Deum. *Adorate ſcabellum pedum eius.* Et
Matth. 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Vbi nota, iuramentum eſſe actum religionis, quo honoratur primariò Deus, ſecundariò id, per quod iuratur. Prohibet ergò Deus iuramentum ſine debitis circumſtantijs, per cœlum, & terram, ne contumelia fiat eiuſmodi creaturis, quatenus relationem ad Deum habent. Sed ſimilem relationem habent imagines: igitur eadem ratione colendæ ſunt.

Vltimum genus teſtimoniorum eſt eorum, quæ docent, creaturas dici ſa-
Exod. 3. cras, vel ſanctas, propter relationem ad res ſacras. *Locus, in quo ſtas, terra ſan-*
Exod. 12. *cta eſt*; propter Angeli ſcilicet præſentiam. Dicitur etiam dies ſancta, & ve-
Exod. 28. nerabilis propter ſignificationem, & quia dedicata erat cultui diuino. Dicun-
Iſa. 11. 2. Tim. 3. tur veſtes Sacerdotum ſanctæ propter eandem cauſſam. Dicitur ſepulchrum Chriſti glorioſum. Dicuntur Scripturæ, ſacræ litteræ: *Ab infantia ſacras litteras noſti.* Cur autem dicuntur ſacræ, niſi quia ſigna ſunt rerum ſacrarum? Nec ſolum litteras, ſed etiam verba ipſa prolata venerari conſueuimus, præſertim nomen, Ieſus: & Euangelium audimus ſtantes, detecto capite, imò etiam luminibus accenſis, quamuis in meridie. At imagines Chriſti, & Sanctorum ſunt etiam inſtitutæ ad ſignificandas, & repræſentandas res ſacras: cur ergò eas venerari non liceat? Nam rem ſanctam, hoc ipſo, quòd ſancta
Exod. 12. eſt, venerabilem eſſe, patet ex illis verbis: *Dies prima erit ſancta, & ſeptima eadem religione venerabilis.* Vbi vides, pro eodem accipi, rem ſanctam, & religioſè venerabilem.

Prob. 2. ex Concilijs Eccleſiæ.

Prob. 3. ex Patribus.

Prob. 4. à miraculis. Deus enim per imagines Chriſti, & ſanctorum multa miracula operatur; ex quo intelligimus, placere illi, vt imagines honorentur.

Prob. 5. rationibus. I. Ratio: homo dignus eſt veneratione, quia imago Dei eſt: ergò & ceteræ imagines Chriſti, vel ſanctorum dignæ ſunt veneratione. Quod enim vni imagini conuenit, quia imago eſt, id neceſſariò omnibus imaginibus conuenit. 2. Ratio: Imago Regis eſt venerabilis ciuili quodā honore: ergò imagines Chriſti, & ſanctorum ſunt venerabiles cultu religioſo. 3. Ratio: Imago capax eſt iniuriæ, & contumeliæ: ergò & honoris, atque cultus. Nam Iulianus Apoſtata Chriſti ſtatuam non deieciſſet, niſi eo modo Chriſto iniuriam fieri credidiſſet. Neque Deus Iuliani ſtatuam fulmine percuſſiſſet, niſi ab eo iniuriam accepiſſet, & niſi ad Iuliani contumeliam id pertinere viſum eſſet. 4. Ratio: Idola Gentilium meritò execramur, & confringimus. Et hinc laudatur valdè Theodoſius Imp. quod iuſſerit idola vbique deſtrui. At certè id non fit, niſi ratione ſignificationis, quia ſunt imagi-

imagines falſorum Deorum. Igitur è contrario, imagines Chriſti, & ſanctorum, quia res verè bonas, & ſanctas ſignificant, ſunt honorabiles.

5. Ratio ab improbitate Iconomachorum ſumitur, & pietate eorum, qui imagines colunt, & coluerunt. Nam Iconomachi fuerunt omnes aut Iudæi, aut Samaritani, aut Mahumetici, aut Necromantici, aut manifeſtè hęretici, quos impios eſſe, negare nemo poteſt. At, qui defenderunt imagines, fuerunt ſancti viri, & docti, vt Gregorius, & Adrianus ſummi Pontif. Germanus, & Tharaſius, Epiſcopi Conſtantinop. Ioannes Damaſcenus, Methodius, Leontius, Ionas Aurelianenſis, Paulus Diaconus, & alij pij, doctique viri omnium conſenſu. Non eſt autem credibile, Deum per hoſtes ſuos potius, quàm per amicos, & ſanctos Eccleſiam docere voluiſſe. Quid quod ipſe Diabolus odit imagines, vt patet exemplis? 6. Ratio ſumitur ab infelici exitu Iconomachorum, & felicitate eorum, qui imagines defenderunt.

Nam inprimis tempore Leonis Iconomachi, poſteaquam imagines ſanctorum in foro Conſtantinopolitano concrematæ fuerunt, orta eſt peſtilentia tam grauis, vt Conſtantinopoli trecenta hominũ millia interirent. Item, eadem occaſione amiſit idem Leo, & ſucceſſores eius, imperium Italiæ, nec vnquam amplius recuperare potuerunt. Eodem tempore Rex Arabum, Ezides, qui imagines Chriſtianorum confringi iuſſerat, non ſuperuixit vnum annum, cùm tamen XXX. anni promiſsi illi fuiſſent ab eo, qui illum ad Iconomachiã excitauit. Tempore Conſtantini Copronymi inauditæ calamitates Orientem inuaſerunt. Nam terræ motus ingentes integras vrbes deiecerunt, & multa millia hominum occiderunt. Item, peſtis grauiſsima orta eſt, ita vt vineæ, horti, putei, aliáque loca vix ſufficerent ſepeliendis hominibus. Et ne dubitaretur, quam ob cauſſam iſta acciderent, ſimul vbique in veſtibus hominum, in velis ſacris, indumentis ſacerdotalibus diuinitùs exiſtebant cruces paruæ, quaſi oleo deſignatæ. Deus enim indicare volebat, velle ſe vbique cõſpici crucis imaginem, quam Conſtantinus Copron. eo tempore oblitterare contendebat. Ad hæc tam horribile frigus acceſsit, vt Ponticum mare ad 100. milliaria cõgelaretur, eſſetque glacies profunditatis 30. cubitorum: cui ſuperueńit nix, quæ etiam in glaciem verſa eſt ad altitudinem 20. cubitorum. Paulò pòſt cœpit ſolui glacies, & fragmenta ingentia inſtar magnorum mõtium, vel inſularum, magno impetu diſcurrebant: quædam etiam ad Conſtantinopolim alliſa, partem mœnium, & vicinas domos euerterunt. Eodem anno tanta ſiccitas poſtea fuit, vt flumina, fontes, putei, ferè omnes ſiccarentur, ita vt omnes intelligerent, & dicerent, propter impietatem in Deũ, & Sanctos, quam exercuerant Iconomachi, iſta omnia fieri. Denique; Imp. Conſtantinus obſtinatus ita perijt, vt in morte clamaret, ſe adhuc viuum igni inextinguibili traditum comburendum. E contrario, Pipinus, & Carolus filius eius, qui cum Rom. Pontifice imagines defenderunt, ad regnum, & imperium prouecti, fœliciſsimè vixerunt, & regnarunt.

3. Quæſtio eſt: Quo genere cultus imagines ſint honorandæ? Notandæ ſunt tres diſtinctiones: Id enim quod honoratur poteſt honorari per ſe, vel per accidens: propter ſe, vel propter aliud: propriè, vel impropriè. *Per ſe* honoratur ſuppoſitum, in quo eſt ratio venerationis. *Per accidens* id, quod

eſt

eſt coniunctum rei, quæ adoratur, nec eſt ipſa ratio adorationis: vt cùm honoratur Rex, per ſe honoratur homo ille, qui eſt Rex; per accidens honoratur purpura, & reliqua illi adiuncta, & accidentia omnia eius, excepta regia dignitate, quæ licet non ſit id, quod honoratur, eſt tamen id, quo ille homo honoratur. Itaque perſona honoratur per ſe, vt quæ: regia dignitas honoratur per ſe, vt qua: reliqua honorantur per accidens. *Propter ſe* honoratur, quod habet in ſe rationem venerationis non dependentem aliunde: & hoc modo ſola natura rationalis venerabilis eſt. *Propter aliud* honoratur id, quod habet quidem in ſe cauſſam honoris, ſed illa cauſſa tota pendet ab alio: & hoc modo ſigna rerum ſacrarum ſunt venerabilia; habent enim in ſe rationem ſimilitudinis, ſiue repræſentationem rei ſacræ, & proinde quandam excellentiam; ſed illa tota pendet ab ipſa re ſacra. *Propriè* honoratur id, quod verè ratione ſui ipſius honoratur. *Impropriè*, quod honoratur loco alterius. Legatus Regis aliquando honoratur, vt Legatus; & tunc ipſe propriè honoratur, licet propter alium: aliquando honoratur loco Regis, honore proprio Regibus; & tunc ipſe impropriè honoratur, propriè autem Rex.

His poſitis ſit 1. propoſitio: *Imagines Chriſti, & Sanctorum venerandæ ſunt, non ſolùm per accidens, vel impropriè, ſed etiam per ſe, & propriè, ita vt ipſæ terminent venerationem, vt in ſe conſiderantur, & non ſolùm vt vicem gerunt exemplaris.*

Act.7. Prob. 1. quia Concilium VII. definiuit, imagines Chriſti eſſe venerandas, ſed non latria: vult igitur, eſſe venerandas per ſe, & propriè aliquo cultu. Alioqui non diceret, non debere adorari latria: Chriſtus enim latria adoratur.

2. Si imago non eſſet veneranda, niſi impropriè, quia nimirum coram illa, aut in illa, aut per illam adoratur exemplar, certè licebit ſimpliciter negare, imagines eſſe venerandas. Quod enim non dicitur, niſi impropriè, ſimpliciter negari poteſt. At Concilium VII. anathema dicit ijs, qui negant, imagines eſſe venerandas.

3. Concilium ibidem definit, imagines eſſe venerandas eo modo, quo veneramur Euangelia, & ſacra vaſa: atque iſta honorantur per ſe, & propriè, vt omnes fatentur; nec enim perſonam alicuius alterius gerunt. Igitur & imagines per ſe, & propriè venerandæ ſunt.

4. In ipſa imagine verè ineſt aliquid ſacrum, nimirum ſimilitudo ad rem ſacram, & ipſa dedicatio, ſiue conſecratio diuino cultui. Ergò ipſe in ſe, & nõ ſolùm, vt prototypi vicem gerunt, honore dignæ ſunt.

2. Propoſitio: *Quantum ad modum loquendi, præſertim in concione ad pop. non eſt dicendum, imagines vllas adorari debere latria, ſed è contrario non debere ſic adorari.*

Prob. I. Quia Concilia non affirmant, ſed ſimpliciter negant, imagines adorari latria. Igitur & nos eodem modo loqui debemus. Nam modus loquendi Conciliorum eſt modus loquendi Eccleſiæ; & proinde ſequendus ab ijs, qui nolunt errare.

2. Quia Patres paſsim dicunt, imagines non eſſe adorandas.

3. Nullæ ſunt exactiores formulæ loquendi in materia fidei, quam eæ, qui-
Act.1. bus vtuntur, qui hæreſin abiurant. At qui in VII. Synodo Baſilius Ancira-
nus,

nus,& Conſtantinus Cypri Epiſcopus,abiurantes hęreſin, dicunt, ſe recipere,& colere imagines,non tamen latria. *Act. 3.*

4. Dicere populo,imaginem Chriſti,vel crucem adorandam eſſe cultu latrię,illo ipſo,quo adoratur Deus, non caret magno periculo: nam, qui defendunt, imagines adorari latria, coguntur vti ſubtiliſsimis diſtinctionibus, quas vix ipſimet intelligunt, nedum populus imperitus.

5. Secundum rei veritatem non poteſt dici,adorari imagines latria, niſi per accidens,vel impropriè:per ſe autem,& propriè nullo modo. Ordinaria enim adoratio eſt illa, quę exhibetur imaginibus externis per ſe, & propriè. At, quod ſimpliciter dicitur,non intelligitur de eo,quod per accidens,vel impropriè,& aliquando conuenit rei:ſed de eo,quod per ſe, & propriè, & vt plurimum conuenit.

3. Propoſitio: *Si de re ipſa agatur, admitti poteſt, imagines poſſe coli impropriè, vel per accidens,eodem genere cultus,quo exemplar ipſum colitur.* Ac primùm, quòd imago poſsit coli impropriè eo cultu, quo ipſum exemplar, prob. nam aliquando imago accipitur pro ipſo exemplari,& ea,quæ fierent circa ipſum exemplar, ſi adeſſet pręſens,fiunt circa imaginem,mente tamen defixa in exemplari. Sic concionatores alloquuntur imaginem crucifixi: & in die Paraſceues, cùm crucifixus paulatim detegitur, & oſtenditur, & adorandus proponitur, illa omnia per imaginem ipſi Chriſto vero exhiberi intelliguntur. Tunc autem propriè nullus honor defertur imagini, ſed ſoli exemplari; tamen impropriè dici poteſt ipſa etiam imago honorari.

Quòd autem poſsit imago adorari adoratione ipſius exemplaris, propriè quidem,ſed per accidens,prob. nam aliquando non accipimus imaginem pro exemplari,nec conſideramus ſolam imaginem,vel ſolum exemplar; ſed conſideramus exemplar,vt obiectiuè relucet in imagine, & ipſum ſic repręſentatum,& quaſi veſtitum imagine veneramur. Tunc autem neceſſario adoramus imaginem eodem cultu,quo exemplar ipſum,ſed per accidens: nam, qui adorat aliquem,adorat etiam omnia, quæ cum illo coniuncta ſunt: ſed ipſa imago concipitur eo tempore coniuncta cum exemplari,quod adoratur: igitur etiam ipſa adoratur, per accidens tamen, quia ipſa nec eſt ſuppoſitum, quod adoratur, nec ratio adorationis, ſed quiddam adiunctum.

4. Propoſitio: *Imago per ſe,& propriè non eſt adoranda eodem cultu, quo ipſum exemplar,& proinde nulla imago eſt adoranda cultu latriæ per ſe, & propriè.*

Prob. 1. ex Concilio VII. vbi legimus, imaginem Chriſti non eſſe adorandam latria: id autem falſum eſſet, ſi imagini per ſe, & propriè deberetur idem cultus, qui debetur exemplari. Chriſtus enim cultu latriæ adorandus eſt. *Act.7.*

2. Prob. ex Auguſtino, Gregorio, Damaſceno, & ex Concilijs Senonenſi, & Moguntino,quæ docent, imagines non eſſe colendas cultu diuino.

3. Latria eſt cultus proprius Deo. Sed nulla imago per ſe, & propriè eſt Deus,ſiue conſideretur ratione materiæ,ſiue ratione figuræ,& colorum, ſiue ratione relationis. Ergò per ſe, & propriè non debetur vlli imagini cultus latriæ.

4. Imagini non conuenit cultus internus, nec externus veræ latriæ: nam

internus cultus eſt apprehenſio rei, vt primi principij, & proſtratio voluntatis conueniens illi apprehenſioni: actus autem externus proprius eſt ſacrificium. Certè autem nec apprehendimus imaginem, vt primum principium, nec illi ſacrificamus. Non igitur illam adoramus cultu latriæ.

5. Imago, vt imago, opponitur exemplari, & eſt illo inferior: ergò non poteſt coli eodem cultu, ſed minori. Nam vnumquodque honorandum eſt pro ſua dignitate.

6. Qui colebant imaginem Chriſti diuinis honoribus, inter hæreticos numerātur. Atqui iſti, cùm Chriſtum colerent, ſine dubio imaginem eius propter ipſum colebant. Non igitur licet imagines colere diuinis honoribus, id eſt, cultu latriæ, etiamſi quis dicat, id ſe facere propter Deum, vel Chriſtum, non propter imagines. Nam hoc ipſo, quòd eas colat diuinis honoribus, conuincitur eas colere propter ipſas, non propter Deum, quidquid verbis ipſe dicat.

5. Propoſitio: *Cultus, qui per ſe, & propriè debetur imaginibus, eſt cultus quidam imperfectus, qui analogicè, & reductiuè pertinet ad ſpeciem eius cultus, qui debetur exemplari.* Explico: Imaginibus non conuenit propriè nec latria, nec Hyperdulia, nec vllus alius eorum, qui tribuuntur naturæ intelligenti. Non enim eſt capax res inanima, & rationis expers, eiuſmodi cultum; ſed cultus quidam inferior, & varius pro varietate imaginum. Itaque imaginibus Sanctorum non debetur propriè dulia, ſed cultus inferior, qui dici poteſt dulia ſecundum quid, vel dulia analogicè, ſiue reductiuè. Similiter; Imaginibus B. Virginis nō debetur Hyperdulia ſimpliciter, ſed Hyperdulia ſecundum quid, ſiue analogicè, & reductiuè. Denique; Imaginibus Chriſti non debetur latria vera, & ſimpliciter, ſed cultus ſine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, vt imperfectum ad perfectum.

Prob. Sicut ſe habet imago ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago eſt ipſum exemplar analogicè, & ſecundum quid: nam homo pictus eſt homo ſecundum quid, & analogicè. Ergò etiam imagini debetur cultus exemplari debitus, imperfectus, & analogicus.

Præterea; Imago reducitur ad ſpeciem exemplaris: nam homo pictus, & equus pictus differunt ſpecie, quia homo verus, & equus verus differunt ſpecie. Ergò etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris.

Ex his habemus etiam, quid ſit dicendum de vera cruce Domini, de clauis, ſpinis, alijſque reliquijs. Sunt enim hæc omnia honoranda minore cultu, quàm Chriſtus, vel Sancti, quorum reliquiæ ſunt; ſed tamen tali, qui analogicè, & reductiuè pertineat ad ſpeciem cultus, quo Chriſtus, vel Sancti coluntur. Nam reliquiæ merentur ideò honorem, quia ratione contactus, vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorum ſunt reliquiæ.

CAPVT

CAPVT VII.

De Cruce.

TRIA hîc agemus. I. de ipſa cruce vera Domini. Sciendum, hanc cru-
cem ex tribus lignis factum eſſe, quorum vnum erat longum, cui adhæ-
rebat corpus: alterum tranſuerſum, ſuperpoſitum longo, quibus affigeban-
tur manus: tertium lignum erat infixum in ligno longo, vt in eo pedes cru-
cifixi ſtarent, & poſſet figi clauis. Vtrum autem lignum tranſuerſum eſſet ſu-
prapoſitum ligno longo, ita vt non emineret lignum longum ſurſum verſus,
non eſt certum: nam Beda dicit crucem ſimilem fuiſſe litteræ Grææ T. qua- *Epiſt. 120. c.*
lem etiam olim fuiſſe Hebraicum Thau, docet Hieron. At Auguſtinus dicit, *26.*
lignum longum eminuiſſe ſupra tranſuerſum. Et hoc eſt probabilius: nam eſt
conformius verbis Apoſtoli, qui alludens ad figuram crucis nominat ſubli- *Epheſ. 3.*
mitatem, profundum, longitudinem, latitudinem. Modus autem crucifi-
gendi communis non erat, vt multi putant, funibus alligando, ſed clauis fi-
gendo. Pictores verò ſolent ſolum Chriſtum depingere clauis affixum: la-
trones autem, & S. Petrum, & Andræam funibus. Sed non ita eſt: omnes
enim clauis figebantur; imò & omnes crucem ſuam ferebant, omneſque an-
teà flagellis cædebantur. Ideò enim dubitabatur, quænam ex tribus repertis
crucibus eſſet crux Dominica, quia omnes tres habebant ſimilia foramina, &
clauos.

His prænotatis, quòd lignum crucis venerabile ſit, prob. I. ratione ex
Script. deſumpta. Nam Script. teſtantur, Chriſtum non crucifixum caſu
vel inuitum, vel propter ſua peccata; ſed ipſum ſponte elegiſſe crucem, & ele-
giſſe, vt altare ſummi ſacrificij, quo placetur Deus; vt ſcalam ſibi ipſi ad reg-
num; vt inſtrumentum liberationis generis humani; ac demum vt inſtrumē-
tum, quo Diabolum vinceret, ac de eo triumpharet. Ex quo ſequitur, cru-
cem illam veram mirificè à Deo fuiſſe honoratam, & nobis omnibus ama-
bilem, & venerabilem eſſe debere. Quòd ſponte illam elegerit, patet: *Iſa. 53.*
Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et: *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me,* *Ioan. 10.*
ſed ego pono eam. Et: *Hunc definito Concilio, & præſcientia Dei traditum interemiſtis.* *Act. 2.*
Et: *Deus, qui prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Chriſtum ſuum, imple-* *Act. 3.*
uit ſic. Et: *Conuenerunt verè in ciuitate iſta Herodes, & Pontius Pilatus cum* *Act. 4.*
Gentibus, & populus Iſraël facere, quæ manus tua, & Concilium tuum decreuerunt
fieri. Quòd crux fuerit Ara ſummi ſacrificij, patet, quia Chriſtus ipſe cruci- *Heb. 7.*
fixus eſt ſacrificium ſummum. *Pacificans per ſanguinem crucis eius,* id eſt, per ſan- *Coloſs. 1.*
guinem eius in cruce, quaſi in altari fuſum. Et hoc ſignificauit lapis ere- *Gen. 28.*
ctus, & inunctus, & domus Dei vocatus à Iacob. Quòd crux fuerit ſcala
Chriſto ad regnum, patet: *Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & ego, ſi* *Ioan. 12.*
exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Hoc autem dicebat, ſignificans,

Philip. 2. *qua morte eſſet moriturus*. Et: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Quòd fuerit inſtrumentum liberationis, docent plurimæ figuræ. Id enim ſignificauit lignum vitæ in Paradiſo: arca lignea Noë domum eius ſaluans: virga Moyſis aperiens mare: lignum aquas dulces reddens. Sed præcipuè ſerpens æneus exaltatus in deſerto: de quo Dominus: *Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Hinc videlicet Eccleſia ſecuta Paulum, dicit: *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra*. Quod cruce diabolum vicerit, & de eo triumphauerit, pater: *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio: affigens illud cruci, expolians principatus, & poteſtates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in ſemetipſo*. Origenes dicit, in Græcis haberi: Triumphans illos in ligno crucis: & licet nunc non habeamus, In ligno, ſed, ἐν αὐτῷ, id eſt, in ipſo; tamen optimè referri poteſt ad crucem, de qua dixerat: ἐν τῷ σταυρῷ. Dicit ergò Origenes, in cruce duos fuiſſe affixos, Chriſtum viſibiliter, ſponte ſua, & ad tempus; diabolum autem inuiſibiliter, inuitum, & in ſempiternum eius opprobrium. Et hoc probat ex Paulo, qui iſto loco vtitur metaphora triumphi, indicare volens, crucem eſſe currum triumphalem, in cuius ſumma parte ſedet Chriſtus triumphans; in parte ima trahitur diabolus alligatus, oſtentatur quaſi in pompa.

Gen. 2. Gen. 7. Exod. 14. Exod. 15. Num. 21. Ioan 3. Gal. 6. Coloſſ. 2. Homil. 8. in Ieſue.

Prob. 2. à myſterijs in ipſa cruce ſignificatis. Nam Patres de cruce exponunt illa verba Pauli: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum*. Nam latitudo vocatur lignum tranſuerſum: ſublimitas, pars ligni, vbi eſt titulus ſupra tranſuerſum: longitudo ligni, pars à tranſuerſo vſque ad terram: profundum, pars eiuſdem, quæ latet ſub terra. Significat autem iſta figura 1. totam perfectionem Chriſtianam: profundum, fidem: ſublimitas, ſpem: latitudo, charitatem: longitudo, perſeuerantiam. 2. Chriſti paſsionis effectum. Nam lignum ſupremum ſignificat cœlum Chriſti paſsione apertum, & Deum placatum: lignum ſub terra infixum ſignificat infernum euacuatum, & diabolum deuictum: lignum tranſuerſum, reſpiciens Ortum, & Occaſum, totum orbem terrarum redemptum. Itemque propterea Chriſtum crucifixum adorant cœleſtia, terreſtria, & inferna. 3. Duo brachia crucis ſub vno titulo Saluatoris, ſignificant duos populos ſub vno capite, Chriſto inter ſe connexos, iuxta illud: *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*.

Epheſ. 3. Ioan. 12.

Quid, quod crucis figura etiam naturaliter ſalutaris eſt? Nam aues nunquam volarent, niſi expanſis alis formam crucis imitarentur: & nauis non moueretur, niſi ex malo, & antenna crux fieret: & arator terram non ſcinderet, niſi ex aratro, & ſtiua crucem faceret; & rurſum aliam ex iugo, & temone. Cœlum ipſum crucem facit, ſi lineæ ducantur ab ortu ad occaſum, & ab aquilone ad auſtrum. Denique etiam Ægyptijs, qui Hieroglyphicis characteribus vtebantur, crux vitam venturam ſignificabat.

Prob. 3. ab inuentione crucis: ex qua multiplex teſtimoniũ ſumitur, quòd veneratio ligni crucis Deo placeat.

Primò quòd non permiſerit Deus lignum illud mergi in mare, vel flammis abſumi.

abſumi. Quod enim hoſtes Chriſtianorum ſint conati abolere crucem, eiuſque omnia veſtigia, patet ex eo, quòd altiſsimè crucem ſub terram abſconderunt, & in loco crucis, Veneris ſimulachrum; in loco reſurrectionis, Iouis; in loco natiuitatis, Adonidis poſuerunt. Cur, quæſo, non cremarunt crucem, cùm vellent, & poſſent, niſi quia Deus abſtulit illis mentem, vt ad ſolatium piorum lignum pretioſiſsimum ſeruaretur?

Secundò, quòd Deus eo tempore crucem inueniri voluerit, quo tutò poterat coli; nimirum ad initium Imperij Conſtantini. Nam, ſi anteà reſerata fuiſſet regnantibus perſecutoribus, magis ludibrio, quàm honore excepta fuiſſet. Si autem diu poſt tempora Conſtantini fuiſſet inuenta, fraudata fuiſſet ſancta crux debito honore.

Tertiò, quia per euidentia miracula demonſtratum eſt, eſſe veram crucem, & proinde crucis inuentionem, ac reuelationem illam eſſe à Deo.

Quartò, quia Helena non ex ſe inclinata eſt ad crucem Domini quærendam, ſed diuinis admonitu reuelationibus.

Prob. 4. à teſtimonijs veterum, qui paſsim referunt, quanto deſiderio tenerentur fideles habendi, aut certè videndi particulas veræ crucis.

Prob. 5. ab exaltatione S. Crucis. Conſtat enim, Heraclium in recuperatione crucis, quam Perſæ Ieroſolymis abſtulerant, diuinitus adiutum, ita vt etiam de cœlo Deus lapidibus grandinis pugnaret contra Perſas, vt olim fecerat cum Ioſue. In ipſa etiam reſtitutione crucis in ſuum locum, quædam miracula contigerunt.

Prob. 6. Si locus, in quo Angelus ſtetit, terra ſancta eſt, cur non, magis crux, vbi ſtetit Chriſtus? Si ſudaria, & ſemicinctia Pauli honorabantur propter contactum, cur non magis crux Chriſti ſanguine reſperſa? Si Sacramenta honorantur, quia inſtrumenta gratiæ, cur non crux, quæ inſtrumentum eſt redemptionis? *Exod. 3.* *Ioſ. 5.*

2. Agendum eſt de Imagine crucis. De qua prob. I. *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo*: ex qua apparitione miro modo venerabile redditur ſignum illud, id eſt, crux. Hinc multiplex argumentum ducitur ad probandum honorem crucis. Nam I. honorabilis eſt crux, quia ab ipſo Chriſto vocatur ſignum eius, id eſt, vexillum Chriſti: ſi enim vexillum Imperatoris milites adorant, cur vexillum Chriſti non adorabitur. 2. Honorabilis eſt, quia in cœlo apparebit, loco ſcilicet ſublimi, & honorifico. 3. Quia manibus Angelorum feretur, vt docet Auguſtinus. 4. Quia ſplendebit clariùs Sole. Quod probant Auguſtinus, & Chryſoſt. quia tunc apparebit, & conſpicietur ab omnibus, quando Sol, & Luna, & ſtellæ obſcuratæ fuerint: vt patet ex Matthæo. Quidam autem non omnino improbabiliter docent, ipſam veram crucem ligneam, quæ nunc diuiſa eſt in multas particulas, tunc reformandam, & colligendam, & apparituram in cœlo. Sed ſi hoc non admittatur, ſaltem imago crucis lucida in cœlo apparebit ex aëre, vel igne condenſato. *Matt. 24.* *Serm. 103.* *Matt. 24.*

Prob. 2. Venerabilem imaginem crucis teſtimonijs ſacrorum Conciliorum.

3. Ab vſu, & teſtimonijs veterum.

Prob. 4. ab apparitione, & miraculis Crucis. I. Apparuit Conſtantino

 crux

L. 1. de vita Conſtant. crux lucidiſsima in aëre, cum illis, ἐν τούτῳ νίκα, id eſt, *In hoc vince*; vt Euſebius tradit. Qui etiam addit, ſe id accepiſſe ab ipſo Conſtantino iurante, rem ita ſe habere. Neque apparuit illi crux in ſomno, ſed planè vigilanti, & iter facienti cum toto exercitu. Porrò non fruſtra hoc dictum eſſe Conſtantino, patet ex victorijs eius. *L. 2. de vita Conſtant.* Nam ſcribit Euſebius, in prœlijs iuſsiſſe Conſtantinũ, ſemper deferri labarum cruce inſignitum ad eam partem agminis, quæ magis laborabat, & quòcunque labarum acceſsiſſet, mox etiam victoriã ſequi ſolitam. Addit ibidem, eum, qui labarum deferebat, cùm metu hoſtium irruentiũ reliquiſſet labarum, necatum eſſe continuò: qui autem illud de manu abijcientis ſuſcepit, nunquam feriri potuiſſe, etiamſi innumerabilia propè tela in illum coniecta fuiſſent: omnia enim (mirabile dictu) in haſta crucis infigebantur.

2. Apparuit Crux lucidiſsima ſuprà montẽ Oliueti tempore Cõſtantij Imp.

3. Apparuit tempore Iuliani Apoſtatæ, qui eam perſequebatur. Nam, cùm Iulianus inſpiceret exta pecudum aruſpicij gratia, inuenit crucem coronatã. Et quidem Aruſpices periti dicebant, ſignificari, religionem Chriſtianam, quæ crucem venerabatur, forè perpetuam, nec poſſe vinci à Iuliano. Adulatores autem eius dicebant, ſignificari anguſtias, & quaſi carceres crucis: ſed euentus priorem ſententiam veram oſtendit. Eodem tempore, cùm Iudæi Iuliani iuſſu, extruere vellent templum Ieroſolymis in dedecus Crucifixi, apparuit rurſum in aëre circulus ingens lucidus, crucem ſplendidiſsimam ambiens, & prçterea in veſtibus ferè omnium hominum eius loci apparuerunt cruces, quaſi ſummo artificio elaboratæ.

4. Apparuit crux in aëre tempore Arcadij, cùm Imp. bellum ſuſciperet pro fide cõtra Perſas Chriſtianorum perſecutores: in quo bello diuinitus adiutus fuit.

5. Appareurunt cruces tempore Leonis Iconomachi, cùm hæretici cõtra ſacras imagines inſanirent. Præter has apparitiones miracula ſine numero per figuram crucis effecta referri poſſunt.

Prob. vltimò ratione. Nam, ſi ſigna rerum ſanctarum ſancta, & venerabilia ſunt, certè quælibet crux ſancta, & venerabilis eſt, quia gerit imaginem Chriſti crucifixi, id eſt, Chriſti in ipſo opere redemptionis occupati: quo nihil ſanctius cogitari poteſt.

3. Agendũ de ſigno crucis, quod in fronte, vel in aëre, vel ſuper quaſcunque res digito exprimitur. Quod ſignũ ſacrũ eſſe, & venerabile I. oſtẽdi poteſt ex *Exod. 12.* figuris Teſtamenti veteris. Nam ſanguis Agni in poſtibus domorũ nihil aliud *Ezech 9.* ſignificabat, niſi ſignũ crucis in frontibus Chriſtianorũ. Item; Illud Tau, quod iubetur deſcribi in frontibus gementium, apertiſsimè ſignum crucis, quod in *Apoc. 14.* frontibus potiſsimùm pingimus, indicabat. His adde illud: *Habentes nomẽ eius, & nomen Patris eius in frontibus ſuis*; id eſt, ſignum crucis. Item illud: *Nolite nocere* *Apoc. 7.* *terræ, & mari, neque arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Iacob quoque, cũ cancellatis manibus benedixit filijs Ioſeph ſignificauit; fore *Gen. 48.* aliquando tempus, quo benedictiones ſigno crucis fierent.

Prob. 2. ex teſtimonijs veterum, qui primis quingentis annis floruerunt.

Prob. 3. ex miraculis ſigno crucis factis, quæ ferè infinita ſunt.

CAPVT

CAPVT VIII

De Templis.

QVATVOR de Templis dicenda ſunt. I. de Forma. De qua non eſt, quòd multa dicamus, cùm antiquiſsimæ adhuc Eccleſiæ viſantur.

Duo tamé notanda ſunt. Vnú, ad ſimilitudinem templi Salomonis, in quo erat atriú, Sancta, & Sancta Sanctorũ, Eccleſias ferè omnes habuiſſe tres partes. I. porticus ante ingreſſum in templum: quem locum Græci πρόναον; noſtri veſtibulum dicunt; vbi manebant pœnitentes. Deinde, erat ναός, id eſt, templum, ſiue nauis. Vltimò, βῆμα, ſiue ἱερατεῖον, id eſt, ſacrarium, ſiue ſanctuarium, ſiue adyta; quæ erat pars interior templi, vbi erat altare, quæque diuiſa erat à reliquo templo gradibus, cancellis, & velis, ſiue auleis: neque penetrabant eò alij, quàm Sacerdotes cum ſuis miniſtris clericis. Præter has templi partes erat etiam domuncula annexa templo, quæ dicebatur ædicula ſalutatoria, vbi ſedebat Epiſcopus, cùm ſepararet ad ſacra facienda.

Alterum eſt; Eccleſias Chriſtianorum vt plurimùm ad Orientem conuerſas fuiſſe, & quatuor latera habuiſſe, quibus quatuor mundi partes aſpicerét; exceptis quibuſdam, quæ propter loci commoditatem aliter conſtitutæ ſunt. Scribunt autem veteres, Apoſtolicam eſſe traditionem, vt oremus conuerſi ad Orientem: id enim præcipuè ſeruari par eſt in ſolemnibus precibus, quæ in templis funduntur.

Rationes autem huius cæremoniæ ſunt 5. 1. quia ad Orientem erat Paradiſus ſecundum verſionem LXX. Vbi enim habet vulgata edito: *Plantauerat Deus Paradiſum à principio*; Græca habet: ἐφύτευσεν παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατὰ ἀνατολάς. Et certè verbum Hebraicum vtroque modo rectè verti poteſt: ſignificat enim, Ante, & Orientem, quæ eſt pars mundi anterior. Vnde etiam noſter interpres vertit idem nomen, *ad Orientalem plagam*. Oramus igitur cõuerſi ad Orientem, quia profitemur, nos peregrinos, & ad patriam noſtram, vnde electi ſumus, ſuſpiramus. 2. Ratio, quia ab Oriente cœlum ſurgere, & moueri incipit, eſtque propterea pars illa totius mundi corporalis excellentiſsima. Ideò autem orantes conuertimus faciem corporalem ad corpus excellentiſsimum: tum, quia Deo ſunt danda ſemper meliora, tum etiam vt admoneamur conuertere faciem ſpiritualem animæ ad ſpiritũ excellentiſsimũ, qui eſt Deus. 3. Ratio: quia Chriſtus, quem oramus, eſt lux mundi: *Et vir, Oriens nomen eius*. Vt igitur ſignificemus, nos in oratione illuſtrari à Chriſto ſole iuſtitiæ, ſicut illuſtrantur à ſole corporeo, qui ad Orientem reſpiciunt, ideò hac cæremonia vtimur. 4. Ratio: quia Dominus ipſe moriens in cruce, Occidentem reſpiciebat: nos ad Orientem oramus, vt quaſi in faciem crucifixi intueamur. Et quia ipſe *aſcendit in cœlum cœlorum ad Orientem*

Gen. 2.
Ioan. 8.
Zach. 6.
Pſalm. 67.

nos,

nos ad Orientem conuertimur, vt quaſi eum aſcendentem votis, ac precibus
Matth. 23. deducamus. Ac demum, quia ipſe ad Orientem venturus creditur ad iudicium: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & patet vſque in Occidentem; ita erit aduentus Filij hominis*: nos ad Orientem precamur, quaſi venturum iudicem expectantes. Poſſumus addere 5. Rationem: quia Iudæi orabant, & orant ad Occidentem:
Exod. 26. nam oſtium tabernaculi ad Orientem verſum fuit: *Ecce in oſtio templi Domini*
Ezech. 8. *inter veſtibulū, & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra templū Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis*. Reprehendit enim Script. quoſdam, qui contra ritum eius temporis adorabant ad Orientem. Nos igitur ad Orientem reſpicimus, dum Iudæi reſpiciunt ad Occidentem, vt ſignificemus, eorum eſſe litteram occidentem; noſtrum autem ſpiritum viuificantē: & velamen adhuc manere ſuper cor eorum; nos autem conuerſos ad Dominum depoſuiſſe velamen.

2. Agendum de fine Templorum. Nam ob quatuor fines eriguntur ſacræ ædes; vnde etiam quatuor nomina ſortiuntur. 1. Ad ſacrificandum Deo; & hinc dicuntur Templa. 2. Ad adorandum; & hinc dicuntur Oratoria. 3. Ad Martyrum reliquias honorificè conſeruandas; & hinc dicuntur baſilicæ, ſeu memoriæ, ſeu martyria. 4. Ad populum verbo Dei, & Sacramentis paſcendum; & hinc dicuntur Eccleſiæ.

Propoſitio. I. *Rectè inſtituuntur certa loca, in quibus verbum Dei, & Sacramenta pop. miniſtrentur.*

Prob. I. exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, qui, etſi interdum data occaſione in varijs locis verbum Dei ſeminarent, tamen ordinariè in templo, vel
Matth. 26. ſynagogis, quæ erant eius temporis Eccleſiæ, id faciebant. *Quotidie apud vos ſe-*
Ioan. 18. *debam docens in templo, & non me tenuiſtis.* Et: *Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto*
Act. 5. *locutus ſum nihil.* Item; Angelus educens Apoſtolos de carcere, dicit illis: *Ite, & ſtantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ huius. Qui, cùm audiſſent, in-*
Act. 13. *trauerunt diluculò in templum, & docebant.* Et Paulus, & Barnabas miſſi ad prædicandum, primùm intrant in Synagogam, & ibi prædicant.

Prob. 2. exemplo primorum Chriſtianorum. Nam, quòd primi Chri-
1. Cor. 11. ſtiani habuerunt Eccleſias à priuatis domibus diſtinctas, patet: *Conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* Et quòd iſta Eccleſia non eſſet priuata domus, patet ex ſequentibus: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis?* Et rurſus: *Si quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Et: *Mulieres in Eccleſiis taceant, ſi quid autem*
1. Cor. 14. *volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Idem confirmatur ex antiquiſsimis Patribus.

Prob. 3. ratione. Nam pop. Chriſtianus debet aliquando neceſſariò conuenire ad res ſacras: nec enim concio poteſt fieri ad ſingulos ſeorſim, nec etiā celebratio Euchariſtiæ. Et etiamſi poſſet, non expediret tamen, quia conuentus hominum vtiliſsimus eſt ad alendam animorum vnionem. Igitur neceſſe eſt, vt aliquis certus locus conſtituatur, vbi eiuſmodi conuentus fiant.

Præterea; Si habemus certa loca ad alia miniſteria; vt ad iudicia, conuiuia, ſomnum, &c. cur non etiam ad res ſacras?

Propo-

Propoſitio 2. *Eccleſiæ Chriſtianorum ad ſacrificia offerenda inſtitutæ ſunt; & ideò* *Propoſ.2.*
verè, & propriè templa appellari poſſunt. Probari poſſet I. omnibus argumentis, *Prob.*
quæ probant Euchariſtiam eſſe ſacrificium.

Prob. 2. Eccleſiæ Chriſtianorum ſemper habuerunt altaria: ergò ſemper
vera templa fuerunt. Nam templum nihil aliud eſt, quàm locus altaris: &
præterea, magis indicat ſacrificij ritum altare, quàm templum: nam ſine altari
non poteſt ſacrificari; ſine templo poteſt. Quare, ſi hæretici negent templa, vt
excludant ſacrificia, multò magis deberent negare altaria. Sed altaria nullo
modo negare poſſunt, vt patet ex illo: *Non poteſtis menſæ Domini, & menſæ dæmo-* *1.Cor.10.*
niorum participes eſſe. Vbi Apoſtolus opponit menſam Euchariſtiæ menſis Ido-
lothytorum: menſæ autem Idolothytorum erant vera altaria. Item: *Habemus* *Hebr.13.*
altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt. Quem locum
Patres paſsim intelligunt de ſacrificio Euchariſtiæ. Accedit traditio omnium
Patrum: nullus ferè eſt veterum, qui non meminerit altaris Eccleſiæ.

Propoſitio 3. *Eccleſiæ Chriſtianorum certè ad orandum, etiam priuata ratione, inſti-* *Propoſ.3.*
tuuntur. Prob. I. Script. teſtimonijs. Salomon affirmat, templum factum eſſe, *Prob.1.* *3.Reg.8.*
vt ſit locus orationis, & petit à Deo, vt, quicunque ibi orauerit, exaudiatur. *2.Par.6.*
Item; Deus apparens Salomoni, pollicetur, ita futurum, vt ille petierat. Et: *3.Reg.9.*
Domus mea domus orationis vocabitur. Quod ipſum confirmat Dominus. *Iſa 56.* *Matt.21.*

Prob. 2. exemplis Script. Anna precatura Dominum ad tabernaculum ac- *Prob.2.*
cedit, vbi erat Arca, ibiq́ue orans exaudita eſt. Dauid ſimiliter precaturus per- *1.Reg.1.*
rexit ad tabernaculum, & coram Arca Domini orare cœpit. At certè, niſi pu- *2.Reg.7.*
taſſet, ibi Dominum magis eſſe præſentem, & facilius orationem exaudiri,
domi ſuæ manſiſſet. Idem etiam voluit ire ad tabernaculum Domini in Ga- *1.Par.21.*
baon, vt oraret pro auertenda peſte à populo; ſed non præualuit nimio timo-
re perterritus: ideò in ipſa Ieruſalem extruxit altare. Daniel oraturus, quia *Dan.6.*
non poterat ingredi templum, in Babylone exiſtens captiuus, ſaltem aperta
feneſtra orabat ad eam partem conuerſus, vbi fuerat templum Domini. Anna
filia Phanuëlis *non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiēs die, ac nocte.* *Luca 2.*
Et Publicanus in templo orans iuſtificatur. Et: *Petrus, & Ioannes aſcendebant in* *Luca 18.* *Act.3.*
templum, ad horam orationis nonam. Eunuchus Reginæ Æthiopum *venerat adorare* *Act.8.*
in Ieruſalem.

Prob. 3. ex Patribus.

4. Rationibus. I. Ratio: Deus eſt in templo magis, quàm alibi: nam alio-
qui non diceret Paulus: *Neſcitis, quia eſtis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in* *1.Cor.3.*
vobis? Et non diceretur: *Membra veſtra templum ſunt Spiritus S. quem habetis in vo-* *1.Cor.6.*
bis: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Et: *Vos eſtis templum Dei viui, ſicut di-* *2.Cor.6.*
cit Dominus, quoniam habitabo in illis, & inambulabo. Apoſtolus enim accipit ſimili-
tudinem à veris templis: quia enim templum eſt domus Dei, in qua ipſe pecu-
liari modo inhabitat, ideò ipſe, vt oſtenderet in nobis eſſe Deum peculiari
modo, corpora noſtra appellauit templum. Magis ergò expedit orare in tem-
plis, quàm alibi. 2. Ratio: Deus in templo citius exaudit. Quod enim Deus *3.Reg.9.*
promiſit templo Salomonis, ſine dubio promiſit etiam templis Chriſtianorū.
Nam, quod petijt Salomon, cùm templum dedicauit, idem etiam petit Eccle-
ſia, cùm noua templa dedicat: nimirum, vt aures Dei in eo loco ſint apertæ.

Non eſt autem credibile, Deũ exaudiſſe preces Salomonis, & nõ exaudire etiã preces Eccleſiæ ſuæ: imò hic eſt modus, quo Deus eſt in templo peculiariter, nimirum, quia ibi eſt per exauditionem. 3. Ratio: Oratio eſt res nobiliſsima: & proinde debetur ei locus nobiliſsimus, qualis eſt locus ſacer. 4. Ratio: In Eccleſia ſunt omnia accommodata ad deuotionem excitandã, quæ in oratione maximè neceſſaria eſt. Nã altaria, cruces, imagines, reliquiæ, ipſi etiam parietes Deo dicati mouent ad pietatem: quæ certè alibi non inueniuntur. 5. Ratio: quia in templis ordinariè pręter Dei pręſentiam, quæ eſt vbique, eſt etiam pręſentia Mediatoris, Chriſti corporaliter in Euchariſtia: quæ certè auget ſpem, & fiduciam orantis. Non poteſt etiam nõ incutere mẽti religioſæ horrorem, & reuerentiam. Nam, vbi eſt Chriſtus in Euchariſtia, ibi etiam non deeſt Angelorum frequentia: vbi autem eſt talis Rex, & tales Principes, ibi eſt cœleſte palatium, imò cœlum ipſum.

Prob. 5. ex nomine: nam Eccleſiæ à Græcis ſæpe vocantur, εὐκτήρια; à Latinis, Oratoria.

Propoſitio 4. *Sacræ domus non ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis rectè ædificantur, & dedicantur.* Prob. I. Nam templum Salomonis nõ ſolùm fuit erectum ad ſacrificia, & orationes, ſed etiam ad conſeruandam arcam Domini. Nam Dauid
1.Paral 17. volens ædificare templum, dicit ad Nathan: *Vides, quòd ego habitem in domo ce-*
1.Paral.28. *drina, & arca Dei ſub pellibus.* Et: *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Extructo etiam templo intro-
2.Paral 5. duxerunt arcam in illud cum magna celebritate. Dauid quoque dicitur vo-
Pſalm. 131. uiſſe votum Deo de ædificanda domo arcæ Dei. Et legimus: *Ingredere, Domine, in requiem tuam, tu, & arca ſanctificationis tuæ.* Sed idem honor, vel etiam maior debetur ſacris reliquijs Chriſti, & Sanctorum, quàm arcæ illi Moyſaicæ. Ergò, ſicut ſuper arcam extrui potuit domus, ita etiam ſuper Chriſti ſepulchrum: Ergò etiam ſuper ſepulchra Sanctorum: nam eadem eſt ratio omniũ ſolùm enim differunt ſecundum magis, & minus.

Pręterea, quòd reliquiæ Sanctorum ſint venerabiles eo modo, quo arca Domini, prob. nam arca, quatenus lignea erat, nullum honorem merebatur; ſed ideò honorabatur, quia repræſentabat ſedem Dei, & quia per eam Deus loquebatur. At corpora ſanctorum fuerunt viuæ ſedes Dei, & viua organa, per quæ Deus locutus eſt: *Membra noſtra templum ſunt Spiritus S.* Et: *An experimen-*
1.Cor.6. *tum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus?* Ergo licebit etiam extruere ſacras
2.Cor.13. ædes ad ſanctorum ſepulchra ornanda, & conſeruanda.

3. Agendũ eſt de dedicatione, & conſecratione Templorum: de qua ſit I. propoſitio: *Meritò templa Dei cum ingenti lætitia, & ſolennitate dedicantur.* Prob. I. ex Teſtam. veteri. Legimus enim celeberrimam dedicationẽ tabernaculi, &
Num.7. altaris. Item; Ter légimus factam templi dedicationem cum ingenti lætitia,
2.Paral.7. & celebritate. I. à Salomone: 2. ab Eſdra: 3. à Machabæis, cùm poſt profana-
1.Eſd.6. tionem iterum eſſet renouatum, & ſanctificatum, ad quam ſolennitatẽ, quæ
1.Mach.4. annis ſingulis iterum agebatur, Chriſtus etiam acceſsit.

Prob. 2. ex praxi Eccleſiæ, & veterum traditione.

Ioan.10. Propoſitio 2. *Meritò ab Eccleſia varijs precibus, & cæremonijs templa conſecrantur.*

Prob. I. Script. teſtimonio. Siquidem ex Script. habemus conſecrationem

templi,

templi, vel altaris, in ſtatu naturæ, legis, & gratiæ. In ſtatu naturæ Iacob erexit lapidem, vt ibi ſacrificaret, eumque conſecrauit fundens oleum deſuper, & inde eum locum appellauit Bethel, id eſt, domum Dei. Rurſus, monitus à Deo, vt faceret altare, ibidem erexit lapidem, eumque inungendo cõſecrauit & libauit ſuper eum libamina. Certè hoc non pertinet ad magiam, cùm laudetur hoc factũ ab omnibus, & conſtet placuiſſe Deo. Nec etiam pertinet ad cęremonias legis, quæ adhuc data non erat. Cur ergò non liceat nobis idem facere? In ſtatu legis videmus, Moyſem conſecraſſe oleo ſancto, alijſque cęremonijs tabernaculum, altare, & omnia vaſa eius. Et licet cęremoniæ fuerint veteris legis, tamẽ quia non fuerunt propriæ eius, quippe quæ in ratione fundantur, nihil obſtat, quò minùs à nobis etiam aſſumi poſsint. *Gen. 28.* *Gen. 35.* *Exod. 40.* *Num. 7.*

In ſtatu Euangelij non habemus tam expreſſa teſtimonia Script. Interim tamen ex eo, quòd Paulus Corinthios arguit, tanquam Eccleſiæ contemptores, quia in Eccleſia comedebant, ſatis innuitur, tunc etiam Eccleſiam aliquo modo ſacratam fuiſſe. *1. Cor. 11.*

Prob. 2. ex decretis Conciliorum.

Tertio ex Patribus.

Quarto ratione deſumpta ex fine illarum cæremoniarum. Finis enim pręcipuus eſt, ad ſignificandum, templum illud Deo, & ſacris actionibus dedicari, neque eſſe domum prophanam, ſed ſacram. Nam etiamſi iſta dedicatio eſſentialiter conſiſtit in voluntate, & intentione dedicatoris; tamen neceſſe eſt, vt hæc intentio, & voluntas ſignis externis prodatur alijs hominibus. Quomodo etiam humani contractus conſiſtunt in intentione, & voluntate contrahentium; tamen vt innoteſcat voluntas, & vt firma, & rata ſit, non ſolùm proferuntur verba, ſed etiam multæ adhibentur cæremoniæ; vt patet in nuptijs, & coronatione Regum, &c.

Quoniam ergò templum dedicatur Chriſto, ideò ad hoc ſignificandũ pingitur ſignum eius, id eſt, crux. Pinguntur autem cruces numero XII. ita inter ſe diſtantes, vt totum templum occupent, & ad ſingulas ſingulæ lampades accenduntur, ad ſignificandum, quòd Apoſtoli XII. hoc vexillum Chriſti per totũ orbem terrarum portauerunt, & ſua pędicatione mundũ illuſtrarũt. Et quia templum non debet eſſe prophana, & cõmunis domus, ſed ſacra: ideò ad hoc ſignificandũ inungitur. Oleum enim eſt euidentiſsimum, & communiſsimum ſymbolum conſecrationis. Quia enim eſt liquor nobiliſsimus, quippe qui omnibus ſupereminet, & maximè omniũ penetrat, & ſanat, ac roborat, ac demum res illuſtres facit, ideò placuit omnibus Gentibus, & ipſi etiam Deo, illo vti ad conſecrationem ſignificandam. Quia rurſus templum deſtinatur diuinis ſacrificijs, & orationibus, alijſque ſanctis, & puris actionibus, non autem ſordibus, & tenebris negotiorum ſæcularium, ideò ad hanc munditiem, & claritatem ſignificandam aſpergitur aqua, thus adoletur, cerei accenduntur. Quia etiam templum ſacratur ad concionandum, & docendum fidem, quæ eſt fundamentũ totius iuſtitiæ; ideò deſcribitur alphabetum in pauimẽto. Deſcribitur autẽ Gręcè, & Latinè, quia illis linguis pędicata eſt fides, & illis linguis vtebatur tota ferè Eccleſia eo tempore, quo hæ cæremoniæ ſunt inſtitutæ. Et quia in templo non ſolùm do-

docentur homines,ſed etiam monentur,& inflammantur ad virtutem,& vitæ nouitatem;idcirco fit illa mixtio aquæ,cineris,ſalis,& vini,& inde templũ aſpergitur. Quia denique in templo diabolus eijcitur, neque ibi habitare ſinitur,ſed è contrario oratur Deus,aduocantur Angeli, alijque Sancti, vt in eo loco habitare dignentur,ideò pulſatur oſtium,iubetur diabolus recedere, & reliquiæ Sanctorum introducuntur.

Alius finis harum cæremoniarum eſt, ad ſignificandum Chriſtum, & Eccleſiam. Eccleſia enim materialis Eccleſiam ſpiritualem deſignat: altare verò ſignificat Chriſtum. Hinc igitur altare fit ex lapide, & inungitur,& ſummo loco ponitur,& ſub ipſo abſconduntur reliquiæ: qui Chriſtus dicitur petra: & vnctus fuit Spiritu S. *præ conſortibus ſuis: & caput eſt totius Eccleſiæ: & in ipſo* (1.Cor.10. Pſalm.44.) *abſcondita eſt vita,& gloria Sanctorum*. Vnde etiam in cœlo vidit Ioannes animas (Col. 1.) Sanctorum ſub altari.

(Col. 3. Apoc. 6.) Porrò cæremoniæ,quæ fiunt in ipſa conſecratione, totum progreſſum fidelium demonſtrant. Nam 1. pulſatur,& aperitur templum baculo paſtorali ab Epiſc. quia prædicatores poteſtate à Chriſto accepta corda infidelium pulſant, & ad fidem ſuſcipiendam aperiunt. 2. Ingreſſus Epiſc. eodem baculo deſcribit in pauimento cinere conſperſo alphabetum,quia prædicatores eadẽ poteſtate in cordibus pœnitentium inſcribunt rudimenta fidei, eoſque catechumenos faciunt. 3. Aſpergitur templum aqua,& cerei accenduntur, quia poſt Catechiſmum ſequitur Baptiſmus,quod eſt Sacramentum illuminationis. 4. In parietibus pinguntur,& inunguntur cruces,ad ſignificandam confirmationem, quæ poſt Baptiſmum cruce,& criſmate perficitur. 5. Fit mixtio quædam aquæ,cineris,ſalis,& vini,quia tota vita fidelium conſumi debet in mortificandis vitijs,& vitæ nouitate quærenda, & retinenda. Nam aqua ſignificat hominem,qualis eſt ex ſe poſt peccatum: eſt enim frigidus, & inſipidus. Cinis ſignificat pœnitentiam,& mortificationem vitiorum. Sal ſaporem: vinum lætitiam, & feruorem nouæ vitæ. 6. Agitur dies feſtus cum lætitia, finita conſecratione, quia poſt finem huius vitæ fideles intrabunt in gaudium Domini,vbi perpetuò lætabuntur.

Propoſitio 3. *Templum conſecratum meritò ſanctum,& venerabile,ac diuina quadam virtute præditum exiſtimari debet.* Prob. 1. ex relatione ad Deum. Templum eſt dedicatum Deo: ergò eſt res Dei: ergò ſanctum eſt. Nam omnis res Deo (Leuit. vlt.) dicata eo ipſo eſt ſancta. *Animal, quod immolari poteſt Domino, ſi quis vouerit, ſanctum erit*. Et infrà: *Quidquid ſemel fuerit conſecratum Domino, ſanctum ſanctorum* (Matth. 23.) *erit*. Et: *Væ vobis, duces cæci,qui dicitis: quicunque iurauerit per templum,nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti,& cæci! Quid enim maius eſt, aurum, an templum,quod ſanctificat aurum?* Vbi Dominus vult templum lapideum nobilius eſſe ipſo auro, quod videlicet auro communicet ſanctitatem: nam licet lapides ſint abſolutè inferiores auro; tamen ratione relationis ad Deum ſunt longè nobiliores,& ſanctiores auro.

(1.Tim. 4.) Prob. 2. ex precibus,& benedictione Epiſcopali. *Nihil abijciendum,quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei,& orationem.* Iam,ſi cibi ſanctificantur per verbum Dei,& orationem, cur non etiám templa ſanctificabuntur,quæ per ſacras perſonas publicis precibus,& benedictione conſecran-

ſecrantur? Præterea; Sanctificante Salomone templũ, Deus etiam illud ſanctificauit: *Exaudiui*, inquit, *orationem tuam, & ſanctificaui domum hanc, quam ædificaſti*. At non minùs efficaces ſunt preces Eccleſiæ, quam Salomonis. 3. Reg. 9.

Prob. 3. ex ijs, quæ ſunt in templo: nam locus rerum ſanctarum ſanctus quoque ſit, neceſſe eſt: *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Iam verò in templo ſunt multæ res ſanctæ. I. Crux, & imagines Chriſti, & Sanctorum. 2. Reliquiæ Sanctorum. 3. Præſentia corporis Domini in Euchariſtia. 4. Præſentia Angelorum. Nam credibile eſt, aut ſemper, aut frequentiſsimè in templis Angelos adeſſe. 5. Adeſt Deus per ſingularem quandam protectionem, & virtutẽ: in cuius rei ſignum, quando tabernaculũ à Moyſe eſt dedicatum, caligo mox, ſeu nubes quædam gloriæ Domini tabernaculum texit. Similiter fecit, cùm templum à Salomone dedicatum eſt: *Nebula enim gloriæ impleuit domum Domini*. Quare Heliodorus dixit: *In loco illo eſt verè Dei virtus quædam: nam ipſe, qui habitat in cælis, viſitator, & adiutor eſt loci illius*. Exod. 3. Exod vlt. 3. Reg. 8. 2. Mach. 3.

Prob. ex abſentia dæmonis, vt exemplis poteſt oſtendi.

4. Agendum eſt de ornatu templorum: de quo ſit I. propoſitio: *Opus bonum, & pium ex genere ſuo eſt, ingentibus ſumptibus templa Dei ædificare, aut ornare*. Prob. I. ex Teſtamento veteri: nam Deus voluit, tabernaculum ornatiſsimum eſſe, ita vt omnia ferè inſtrumenta ſanctuarij aurea eſſent, vſque ad emunctoria lampadum: cortinas autem tabernaculi, & veſtes Sacerdotis eſſe voluit preciosiſsimas, ex ſerico, byſſo, purpura, gemmis, &c. Et, ne deeſſent artifices, donauit ſapientiam, & artem omnia illa faciendi certis quibuſdam viris: vt patet ex Exodo. Deinde; Singuli Principes obtulerunt in ornatum tabernaculi immenſa donaria auri, & argenti. Dauid parauit in ſumptibus templi tantũ auri, & argenti, & lapidum pretioſorum, vt incredibile videatur. De ornatu Templorum. Propoſitio 1. Num. 7. L. 1. Paral. penul. & vlt. 2. Paral. 3. 4. & 5.

Prob. 2. ex Teſtam. nouo. Nã Chriſtus laudauit viduam, quæ in gazophylacium templi miſit duo minuta, id eſt, omnem victum ſuum. Quomodo ergo argui poſſunt, qui donant ſaltem partem bonorum ſuorum ad ornandam Dei domum? Item; Dicentibus Apoſtolis. *Magiſter, aſpice, quales lapides, & quales ſtructuræ*, Dominus occaſionem habuit optimam reprehendendi magnificentiam illam templi, vel ſaltem inſtruendi diſcipulos, dicendo licuiſſe in Teſtamento vet. ornare templa; at in lege Euangelica non fore licitum: at Dominus nihil tale dixit. Item; Cùm Iudas ægrè ferret, quòd Magdalena in vnctionẽ capitis Domini tantos ſumptus faceret, ac diceret: *Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt?* &c. Dominus reſpondit: *Bonum opus operata eſt in me*. At, ſi licuit prætermiſsis pauperibus tanto ſumptu inungere caput Domini; cur non liceat etiã magno ſumptu ædificare domum ipſi Domino? Marc. 12. Marc. 13. Marc. 14.

Prob. 3. ex vaticinio Iſaiæ: nam, vbi fatentur præcipui expoſitores, ad litteram agi de Eccleſia Chriſtiana in terris exiſtente, ſic legimus: *Domum maieſtatis meæ glorificabo*. Et infrà: *Me enim inſulæ expectant, vt adducam filios tuos de longè: aurũ eorũ, & argentũ eorũ nomini Domini Dei tui*. Et infrà: *Aedificabunt filij peregrinorũ muros tuos; & reges eorum miniſtrabunt tibi*. Et infrà: *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo*. Quę prophetia ad litterã impleta eſt tempore Conſtãtini, aliorumq; Principum, qui Eccleſias magnificentiſsimas extruxerunt, & ornarunt. Iſa. 60.

Prob.4. ex Patribus. Quintò, ex pietate eorum, qui Eccleſias ædificauerunt: nam præcipui eorũ fuerunt quatuor; Cõſtantinus, Iuſtinianus, Carolus Magnus, & Carolus I V. Conſtat autẽ, Conſtantinum ſanctũ Imp. fuiſſe; nam in Calendario Græcorum eius nomen inter Sanctorũ nomina habetur, & à Patribus paſsim ſanctus, & beatus appellatur. Similiter Carolus Magnus tãquam ſanctus colitur, pręcipuè Pariſijs, & Aquiſgrani, & ab omnibus hiſtoricis mirificè laudatur. Iuſtinianus, excepta hæreſi, in quã incidit in extrema ætate, laudatiſsimus Princeps fuit. Carolus I V. quoq; optimus, & religioſiſsimus Princeps fuit. Multas item ædificauerunt & ornauerunt Baſilicas ſanctiſsimi Pontifices, Iulius, Damaſus, Leo, Symmachus, & alij, qui & ante mille annos floruerunt, & verè ſancti ſcriptorum omnium conſenſu habiti ſunt. Non eſt autem credibile, ita pios Principes, tum Eccleſiaſticos, tum politicos, in eiuſmodi opera conſpirare potuiſſe, ſi ea Deo non placerent.

Prob.6. Rationibus. I. Ratio ex magnitudine Dei: nam domus, quò maiori Principi ædificatur, eò debet eſſe maior. Quis autem Deo maior? Quare Salo-
2.Paral.2. mon: *Domus*, inquit, *quã ædificare cupio, magna eſt; magnus enim Deus noſter ſuper omnes Deos.* 2. Ratio ex ipſo genere operis: nã extruere Deo ſplendidum templũ, eſt ex genere ſuo actus duarum excellentiũ virtutũ, religionis, & magnificentię: proinde bonus ex genere ſuo. 3. Ratio; quia non ſolũ eſt actus illarũ virtutũ, ſed etiam eſt exercitium, & ſignum aliarum. Nam, qui magnificum templum erigit, fidei ſuæ magnificum teſtimonium edit, & charitatis erga Deum; nec non pietatis, & gratitudinis. Et quia pecuniæ ſummopere diligi ſolent, qui liberaliter eas ad honorem Dei expendit, indicat, ſe diligere verè Deum ſuper omnia. 4. Ratio ab vtilitate. Nam templum magnificè ornatũ multas habet vtilitates. I. Attrahit homines faciliùs ad res pias, quę in templis geruntur: nec enim obſcura, & ſordida loca frequentantur libenter. 2. Conſeruat maieſtatem Sacramentorum, & reuerentiam, quæ rebus diuinis debetur: nam, quando videmus altare ſplendidum, & ornatum, facilè erigimus mentem, & cogitamus, magnum eſſe Deum, cui talia exhibentur: & è contrario facilè contemnitur, quod ſine apparatu proponitur. 3. Iuuatur pietas, & deuotio maximè ſimplicium, quorum maximus eſt numerus. 4. Magnifica templa diutiùs conſeruantur, & magno ſplendori ſunt ciuitati. Multitudo quoque aureorum, & argenteorum vaſorum, ſæpe fuit ſaluti toti Reip. dum in communi captiuitate, famè, aut peſte, theſaurus Eccleſiæ multis millibus miſerorum opem tulit, vt quaſi in id tempus diuinitus datus, & conſeruatus videretur. 5. Ratio à contrario. Qui Eccleſias vaſtauerunt, aut diripuerunt ſem-
Dan.5. per ſacrilegi, & perditi habiti ſunt. Vt patet de Balthaſare, Heliodoro, An-
2.Mach.3. 2.Mach.9. tiocho. Quo tempore etiam Iulianus Apoſtata iuſsit diripi templorum ornamenta, & præcipuè ſacra vaſa, mox quæſtor regis per medium diruptus expirauit, & Iuliani Auunculus à vermibus corroſus interijt. Leo etiam, filius Conſtantini Copronymi, cùm abſtuliſſet à templo inſignem coronam, quam Mauricius Imp. donauerat ad ornatum templi, mox ſenſit in capite ſuo ignitos carbunculos, & inde concepta febre ardentiſsima perijt.

2. Propoſitio: *AEdificare, vel ornare templa, licet ſit opus pium, & bonum; poteſt tamen eiuſmodi opus ex defectu circumſtantiarum facilè vitiari.*

Prob.

Prob. nam quatuor circumſtantiæ præcipuæ ſunt, ex quarum defectu malũ erit, ornare templa: nimirum tempus, modus, locus, & perſona. Nã inprimis, quando quis tenetur iuuare proximum, ac præſertim parentes, aut filios, & non poteſt ſimul prouidere proximo, & donare templo, tum non rectè facit, ſi neglectis parentibus, vel proximis, ædificet templa. Ait enim Dominus: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Et reprehenduntur Phariſæi, qui docebant filiosfamilias offerre templo donaria, cum detrimento parentum. Patet id etiam ex Paulo, qui docet non eſſe facienda mala, vt veniant bona. Denique, ex praxi Sanctorum, qui tempore magnæ neceſsitatis pauperum conflarunt calices, & vendiderunt. *Oſeæ 7.* *Matt 7.* *Rom. 3.*

Quantum ad locum, certum eſt, non omnia loca æqualem ornatum requirere: nam in magnis vrbibus, ad quas multi confluunt, ſplendida templa eſſe debent. At in locis deſertis, vbi Monachi ſoli verſantur, non videtur conuenire, vt tot ſumptus fiant in ædificijs templorum. Quantum ad modum, peccatur, cùm ornamenta templorum ſunt vana, ac potiùs curioſitati, quàm religioni deſeruientia. Quantum ad perſonam, peccatur, quando quis ſupra ſuum ſtatum, & conditionem vult ornare templa. Nam ſi, qui paupertatem profitentur, & victum ab alijs emendicant vellent ędificare templum marmoreũ, & auro, ac gemmis ornare, etiamſi fortè poſſent eleemoſynis hinc inde conquiſitis id facere, tamen non deceret eorum profeſsionem. Magnificẽtia enim non eſt Monachorum, ſed Principum.

CAPVT IX.

De ijs, quæ referuntur ad templa.

PRimo referuntur ad templa benedictiones aquæ, ſalis, cinerum, cerei, &c. de quibus ſit I. propoſitio: *Rectè benedicuntur aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami, & ſimilia.* Prob. I. ex Script. quæ continent exemplum, & documentum. Exemplum eſt Domini, qui panes multiplicaturus aſpexit in cœlum, & benedixit eis, & ea benedictione multiplicauit. Certè, quod Dominus fecit, argui non poteſt. Documentum eſt Pauli: *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* In quem locum Chryſoſtomus, & Theophylactus ſcribunt, Apoſtolũ loqui ex hypotheſi: id eſt, omnis quidem creatura bona, & munda eſt, tamen etiamſi eſſet immunda, facilè poſſes eam ſanctificare adhibito ſigno crucis, & oratione. Si ergò res immundæ ſanctificantur per ſignum crucis, & orationẽ, quanto magis res alioqui bonæ fient meliores, & ſanctiores per ſignũ crucis, & orationem? Prob. 2. ex traditione veterum. *Matt. 14.* *Luca 9.* *1. Tim. 4.*

Propoſ. 2. *Rectè ad effectus ſupernaturales efficiendos, & ſignificandos, vtimur aqua, oleo, alijſq; rebus benedictione cõſecratis.* Nota, illa omnia, quę diximus, benedici in Eccleſia propter tres fines. I. Ad ſignificandos ſpirituales effectus. Nã cineris aſperſio ſignificat pęnitentiam; palmę, victoriam; cerei Paſchalis, reſurrectionis gloriam. 2. Ad deletionẽ venialium peccatorũ. 3. Ad fugandos dęmones, &

& curandos morbos: vt ex precibus patet, quibus conſecrantur. Verum eſt tamē, quòd non operantur infallibiliter, ſicut operantur Sacramenta: tū, quia vim habent eiuſmodi res non ex pacto Dei expreſſo, ſicut Sacramenta; ſed ex precibus Eccleſiæ, & deuotione vtentium: tum etiam, quia aliquando nō expedit nobis, vt liberemur vel à morbo, vel à Dæmonis vexatione.

Num. 5. Prob. propoſitio quoad iſtum tertium effectum. I. exemplis Script. Nam aquæ, ſuper quas maledictiones à Sacerdote pronunciatę fuerant, ſi ab adultera epotæ fuiſſent, mox ventrem eius inflari, & femur putreſcere faciebant.
Num. 19. Item; Aqua cineribus mixta dicebatur aqua expiationis, eaque mundabātur
Heb. 9. Iudæi, non quidē à peccatis, ſed à legalibus ſordibus; vt Apoſtolus dicit. Simi-
4 Reg. 2. liter, Elizeus ad ſanandas aquas miraculo adhibuit ſalem. Et ad curandam le-
4. Reg. 5. pram Naaman Syri adhibuit aquam Iordanis. Apoſtoli vngebant, oleo, & æ-
Mar. 4. gri curabantur. Prob. 2. exemplis Patrum. Referuntur 2. ad templa Peregrinationes: de quibus dicimus, quòd peregrinationes ad loca ſancta piæ
Seſſ. 25. ſint, & religioſæ; vt Concilium Trident. docet.

Prob. I. ex Script. Deus inſtituit, vt omnes filij Iſraël ter in anno ad taber-
Deut. 16. naculum, vel templum Domini peregrinarentur: quod præceptum ſtudioſè
1. Reg. 1. ſeruabat Helcana, & Anna vxor eius; nec non Chriſtus ipſe cum matre ſua,
Luc. 2. & Ioſepho. Gentiles etiam veniebant adorare in Ieruſalem propria religione
Ioan. 12. relicta. Eunuchus Æthiops ex longinqua regione veniebat adorare in Ieru-
Act. 8. ſalem. Paulus ipſe feſtinabat in itinere, vt in Ieruſalem faceret Pentecoſten.
Act. 20.

Prob. 2. ex Patribus. 3. Ratione ſumpta ab vtilitate. Nam tria bona peregrinationes afferunt. I. Cedunt in honorem Dei, & Sanctorum nō mediocrem. 2. Sunt opus pœnitentiæ, & ſatisfactionum, quia laborioſum, & pœnale. 3. Augent deuotionem, nam præſentia loci ſancti, vix dici poteſt, quātum incutiat horrorem, quantam excitet reuerentiam. Et licet vbique ſint aliqua ſancta loca; tamen ſæpe alibi ſunt loca ſanctiora, ad quæ vtile eſt peregrinari: vel ſi non ſint ſanctiora, ſunt tamen alia ab his, quæ in noſtra patria inueniuntur, & ipſa nouitas iuuat ad excitandam deuotionem.

3. Agendum eſt de votis, quæ Sanctis nuncupantur: nam certiſsimum eſt, poſſe aliquo modo Sanctis vota nuncupari. Et prob. teſtimonijs veterum. Nec obſtat, quod votū ſit actus religionis ſoli Deo debitus; qualis eſt etiam iuramentum, & ſacrificium. Nam vota fiunt Sanctis, non vt ſunt creaturæ quędam rationis participes, ſed vt in eis Deus habitat per gloriam, ita vt vota, quæ dicuntur fieri Sanctis, fiant Deo in Sanctis: quomodo maledicta in Sanctos dicuntur blaſphemiæ, quia Deus in ſanctis maledicitur.

CAPVT X.

De Feſtis diebus.

Rom. 14. PRopoſitio I. *Nullo modo licet Chriſtianis, Sabbathum Iudæorum, aut alias ferias Teſtamenti veteris obſeruare.* Prob. I. ex tribus locis Pauli: *Alius iudicat diem inter diem, alius iudicat omnem diem.* Id eſt, alius putat, vnum diem eſſe ſanctum, alium

alium prophanum: alius verò omnes dies putat eſſe æquales. Et: *Dies obſeruatis, & menſes, & annos; timeo vos, ne fruſtra laborauerim in vobis.* Et: *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti.* Adeò enim Paulus reprehendit apertè Sabbathi obſeruatores, vt Ebionitæ propterea non reciperent Paulum, ſed Apoſtatam eſſe dicerent. Prob. 2. ex Concil. Laodiceno, vbi anathema dicitur ijs, qui Sabbathum colunt, atque in eo vacant ab operibus. *Gal. 4.* *Coloſſ. 2.* *Cap. 29.* *L. 11. epiſt. 3*

Prob. 3. ex S. Gregorio. 4. Ratione: quia Sabbathum erat pręcipua cęremonia Iudaica, & præcipua figura Teſtamenti veteris: *Aut Neomeniæ, aut Sabbathorum, quæ ſunt vmbræ futurorum, corpus autem Chriſti.* Igitur, vbi Chriſtus venit, Sabbathum neceſſariò finem habet. *Coloſſ. 3.*

Propoſitio 2. *Feſta Chriſtianorum non ſolùm ratione ordinis, & politiæ, ſed etiam ratione myſterij celebrantur; ſuntque dies feſti verè alijs ſanctiores, & ſacratiores, & pars quædam diuini cultus.* Prob. I. ex die Dominico: nam illum omnes celebramus, tam nos, quàm aduerſarij. At certum eſt, diem illum celebrari in memoriam reſurrectionis Domini. Prob. 2. quia alioqui tollendi eſſent dies ſolennes, Natalis, Paſsionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes, quod de Apoſtolica traditione deſcendere, & in tota Eccleſia ſeruari, docet Auguſt. & aduerſarij etiam coli volunt. Nam, ſi ſolùm ratione ordinis ſeruarētur dies illi, temerè fuiſſent conſtituti. Quis enim eſt iſte ordo, vt inter diem Paſsionis, & Reſurrectionis, nō ſit, niſi vnus dies medius: inter Reſurrectionis, & Aſcēſionis ſint quadraginta? inter Aſcenſionem, & Pentecoſten ſint decem: inter Pentecoſten, & Natalem ſint pluſquam ſex menſes? Deinde; Cur ſequimur lunam in feſtis mobilibus inueniendis? Item, cur habent iſta nomina, Paſcha, Pentecoſtes, &c. ſi nihil ſacrum ſignificant? Denique; Patres diſertè docent, feſta illa celebrari ad ſignificanda myſteria redemptionis, & ea externo ritu repræſentanda. Prob. 3. ex eo, quòd dies feſti à Patribus dicuntur ſancti, ſacri, myſtici, & religioſè colendi: quæ cum ceteris diebus non ſunt communia. *Epiſt. 118, & 119.*

Prob. 4. Si ſolùm ratione ordinis diſtinguerentur omnes dies feſti eſſent ęquales, nec vnus alio maior, vna eſſet ratio celebritatis omnium. At nō ita eſt.

Prob. 5. Obſeruatio feſtorum, quæ pręcipitur, ad cultum Dei pertinet: nam eſt pręceptum Dei, & pręceptum primæ tabulæ. Sed illud pręceptum eſt aliquo modo naturale, & ad nos pertinet. Ergò etiam nos habere debemus aliquos dies, quorum obſeruatio ad cultum Dei pertineat. Non habemus autem alia feſta, quàm diem Dominicum, Paſcha, Pentecoſten, & ſimilia. Ergò horū obſeruatio eſt cultus Dei, & ſancta, & religioſa. Licet enim determinatio huius, aut illius diei ſit facta ab hominibus, tamen ipſa ſubſtantia feſti imperata eſt à Deo in I. tabula. Prob. 6. ratione alia: Chriſtus naſcens conſecrauit locum, id eſt, præſepe: moriens cōſecrauit crucem: reſurgens conſecrauit tumulum, vnde exiuit: cur non etiam conſecrauit tempus, id eſt, dies illos, quibus natus, vel paſſus, vel redditus fuit nobis deuicta morte? Cur pręceteris locis ſanctus ille vocatur, vbi Dominus reſurrexit; & præ ceteris non erit dies illa ſancta, in qua reſurrexit? Præterea; ſi templa, & altaria dicuntur domus Dei, & loca ſancta, quia Deo ſacrata ſunt, ſcilicet, vt in ijs colatur Deus; cur non etiam ſancti, & ſacri erunt dies, qui cultui diuino ſacrati ſunt? *Exod. 20.*

Propoſitio 3. *Obſeruatio certorum dierum feſtorum rectè præcipitur in Eccleſia, lege*

obligante in conſcientia, etiam citra contemptum, & ſcandalum. Nota I. Lege feſtorum duo quædam pręcipi: I. vt omnes interſint Miſſæ ſacrificio. 2. vt vacent ab opere ſeruili. Nota 2. opus ſeruile poſſe tribus modis accipi. Quædam enim ſunt opera, quibus homo ſeruit cupiditatibus ſuis, nimirum peccata. Et hæc non dicuntur propriè ſeruilia, ſed metaphoricè tantū: non enim ſunt propria ſeruorum, ſed communia omnibus, & maximè diuitibus, & nobilibus, qui alijs dominantur. Neque prohibentur hæc ſpeciali pręcepto, ſed omnibus præceptis ſimul. Alia opera ſunt, quibus homo ſeruit Deo; vt immolatio ſacrificij, oblatio thuris, & ſimilia. Et hæc ita ſeruilia ſunt, vt ſint etiam regalia: nam ſeruire Deo, regnare eſt. Et hæc non modò non prohibentur, ſed etiam præcipiuntur maximè die feſto. Alia ſunt, quibus homo homini ſeruit: qualia ſunt, quę per ſe ſpectant ad eos, quos propriè vocamus ſeruos: qualia ſunt omnia mechanica artificia, agricolarū labores, & ſimilia. Et hæc propriè ſeruilia dicuntur, & prohibita in feſtis intelliguntur.

Nota 3. quòd, licet ſola illa opera per ſe prohibeantur in feſtis, tamē iuſtis de cauſſis quædam ſpiritualia, & liberalia etiam interdicuntur; & quædam corporalia, ac ſeruilia permittuntur. Liberalia, quæ prohibentur in feſtis, ſunt quatuor: mercatum facere, agere cauſſas, ius dicere, & iuramentum ſolenne in iudicijs præſtare, niſi ob cauſſam pacis, vel aliam neceſſitatem. Corporalia, quæ permittuntur, ſunt etiam quatuor. I. Ea, quæ ad opera religionis, vel ſpiritualia per ſe ordinātur. Hoc modo licet in feſtis campanas pulſare, vt olim

Matth. 12. licebat mactare boues, & oues ad ſacrificia. *Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt.* Sic etiam licet ſcribere in ordine ad intellectum, vel ad parandam lectionem, vel concionem: nō tamen licet tranſſcribere ſine neceſſitate libros lucri gratia. 2. Opera illa permittuntur, quæ vel propriè, vel aliorum ſaluti neceſſaria ſunt; vt eſt labor pharmacopolarum, chirurgorum, coquorum, &c. Quomodo etiam Iudæis in Sabbatho licebat educere iumenta de fouea, ſi fortè cecidiſſent, & ducere ad fontem ad bibendum. 3. Opera à Prælatis conceſſa. 4. Opera, quæ ex conſuetudine facta ſunt licita. Nunquā enim Eccleſia tam ſeuere pręcepit vacare ab opere, quàm lex Iudaica. Et ratio eſt: quia vacatio apud Iudęos erat figura futurorum: figuræ autem debent exactæ eſſe; alioqui non bene ſignificant. Noſtra autem vacatio, etiamſi interdū ſignificet aliquid futurum, tamen non eſt hic eius pręcipuus finis, ſed, non impedire opera ſpiritualia

Prob. propoſitio I. omnibus argumentis, quibus aliàs probauimus, Eccleſiæ pręcepta obligare in conſcientia.

Prob. 2. Iure diuino præcipitur, vt aliqui dies feſti obſeruentur; & tamen nulli ſunt certi dies à iure diuino determinati. Ergò debuit in Eccleſia eſſe poteſtas determinandi certos dies, & obligādi ad eorum conſeruationē: quia alioqui non ſeruaretur ius diuinum. Si enim determinatio Eccleſiæ non obligat, poterunt fideles non ſeruare diem Dominicum, nec Paſcha, nec alia feſta indicta, & proinde nulla. Nec enim vlla alia feſta ſunt, quæ ſeruari poſſunt: feſta enim debent eſſe cōmunia toti Eccleſiæ: nulla autem poſſunt eſſe cōmunia, niſi quæ à publica poteſtate indicuntur. Prob. 3. Mardochęus, & ceteri Iudęi cum Regina Eſther inſtituerunt feſtum, quod Deus nō pręceperat, & obligauerunt

uerunt ad illud ſeruandũ: *Nulli liceat hos duos dies abſque ſolennitate tranſigere*, &c. *Eſt. 9.*
Ergò idẽ licebit Eccleſiæ. Nam tota cauſſa, cur credant hęretici, nõ licere Eccleſiæ obligare fideles ad iſtam feſtorũ obſeruationẽ, eſt, quia Deus hæc feſta in particulari non præcepit. At uec pręceperat feſtũ illud Sortium, quod Mardochęus inſtituit. Prob. 4. Antiqua Eccleſia feſta cũ imperio indicebat: nec fuit vllus vnquam pręter hæreticos, qui eiuſmodi præcepta reprehenderit.

Propoſitio 4. *Non tenemur feſtis diebus ex præcepto particulari ad non peccandũ, ſiue ad actum contritionis, vel dilectionis Dei.* Prob. I. quia ius diuinũ ſolùm pręcipiebat abſtinere ab opere ſeruili: peccata autem non ſunt opera ſeruilia, niſi metaphoricè. 2. Eccleſia determinauit tempus, & modũ obſeruandi ius diuinum de obſeruatione pręceptorũ. At Eccleſia nuſquam præcipit actus illos internos. 3. Id habet cõmunis ſenſus fideliũ. Actus ille internus eſt finis huius pręcepti: non autẽ finis, ſed media propriè imperãtur. 5. Cultus internus pręceptus iam erat in I. mandato: nam hic eſt ordo I. tabulæ: in I. pręcepto mãdatur cultus cordis, in 2. cultus oris, in 3. cultus operis. 6. Pręceptum de colendo Sabbatho eſt pręceptũ religionis: at contritio eſt actus pœnitentię, nõ religionis. 7. quia alioqui eſſet valdè noxiũ, tot feſta multiplicare: eſſet enim tendere laqueos animabus. De Dominica die tria dicenda ſunt. I. de antiquitate. Nã ſine dubio feſtũ Dominicæ eſt antiquiſsimum omnium Chriſtianorũ feſtorũ. Nam Eccleſia Chriſtiana propriè cœpit in die Pentecoſtes. Tũc enim impletis omnibus myſterijs redemptionis promulgatũ fuit publicè Euangelium. Poſt hũc autẽ diem cœperunt omitti feſta Iudęorũ, & eis ſubſtitui feſta Chriſtiana. Primus autem dies feſtus occurrens ſine dubio fuit Dominicus: nam feſtũ Natalis Domini, & Paſchæ, quæ antiquiſsima etiam ſunt, non niſi poſt aliquot menſes occurrerũt. Atteſtantur autem huic antiquitati I. Script. *Vna Sabbathi, cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* Et: *Per vnam Sabbathi vnuſquiſque apud ſe reponat*, &c. Priorem locũ de die Dominico exponunt Chryſoſtomus, & Beda. *Act. 20.*
Poſteriorem omnes interpretes Gręci, & Latini. Chriſtus etiã dicitur reſurrexiſſe vna Sabbathorũ: at cõſtat eum reſurrexiſſe die Dominico. Præterea; *Mar. 16.*
Cõſtat, Paulũ multis Hebraiſmis abundare: eſt autem Hebraiſmus frequẽtiſſimus, dicere vnũ pro primo. Denique Paulus arguit Coloſſenſes, & Galatas ſeueriſſimè, quòd Sabbathũ, & Iudęorum feſta ſeruarẽt: quomodo ergò credibile eſt, eum ſeruaſſe Sabbathum Iudæorũ? habemus & aliud teſtimonium: *Ego Ioannes fui in ſpiritu in Dominica die.* Quem locũ de noſtra Dominica exponunt ferè omnes. Denique; Habemus teſtimonia Patrum antiquiſsima. *Apoc. 1.*

2. Dicendum eſt de ratione inſtitutionis, quæ fuit, vt ſuccederet Sabbatho. Nam ius diuinũ requirebat, vt vnus dies Hebdomadę dicaretur cultui diuino: nõ autẽ conueniebat, vt ſeruaretur Sabbathum. Itaque Sabbathũ ab Apoſtolis in diẽ Dominicũ verſum eſt. Vt autẽ intelligatur, quàm rectè id factũ ſit, notandum eſt, Sabbathum fuiſſe feſtũ antiquiſsimum, & pręſtantiſsimũ apud Iudæos, & ideò ſolius Sabbathi mentionem factam in Decalogo. Erat autem Sabbathum feſtum excellentiſsimum: quia, cùm omnia feſta celebrentur vel in memoriam beneficij præteriti, vel ad ſignificandum aliquid futurum, Sabbathum in vtroque excellebat. Nam, quantum ad præteritum, colebatur in memoriam primi, & communiſsimi beneficij, id eſt, creationis mundi.

Quantum ad futurum, Sabbathum erat figura trium beneficiorum Dei, ad quæ omnia alia reuocantur. I. Figura fuit in ſenſu allegorico quietis Chriſti in ſepulchro. Vt enim Deus quieuit Sabbatho ab opere creationis; ita Chriſtus quieuit Sabbatho ab opere redemptionis; vt Apoſtolus obſeruauit. 2. Figura fuit in ſenſu tropologico quietis mentis humanæ ab operibus ſeruilibus peccatorum. Iudæi enim, dum Sabbatho otiabantur, ſignificabant venturum eſſe tempus gratiæ, quo liberati homines per Chriſtum à ſeruitute peccati, quiete, & otio ſpirituali fruerentur. 3. Figura erat in ſenſu anagogico quietis ſanctarum animarum, quam poſt mortem in ſinu Abrahæ expectabant.

Heb. 4.

Iam verò propter has ipſas cauſſas deducitur, vt poſt Chriſti aduentũ Sabbathum mutaretur in diem Dominicum. Nam quantum ad memoriá præteritorum, Dominica dies longè excellit Sabbatho. Nam refert nobis memoriá Natalis Chriſti, & Reſurrectionem eiuſdem, & aduentus Spiritus S. quo die quodammodo nata eſt Eccleſia. Nam Chriſtus die Dominica natus eſt: vt patet, quia illo anno currebat littera Dominicalis B; vt omnes Mathematici docent, & poteſt oſtendi in Cyclo litterarum Dominicalium retrocedendo: cõſtat autem litteram B. haberi die XXV. Decembris, quo die Chriſtus natus eſt. Quòd autem idem Chriſtus reſurrexerit die Dominica, ex Euangelijs cõſtat. Quòd denique aduentus Spiritus S. fuerit die Dominica, patet, quia fuit in die Pentecoſtes, id eſt, quinquageſimo die à Paſchate, qui neceſſario eſt dies Dominicus. Itaq; Dominica dies repræſentat nobis natalem diem Chriſti, & Eccleſiæ, & Chriſti non ſimplicem, ſed duplicem. Repræſentat etiam memoriam creationis mundi non minùs, quã Sabbathum: nam die Dominica cœpit mundus fieri; imò eo die ſunt factæ omnes partes mundi principales, cœlum, terra, Angeli, lux, &c. Quantum ad futurorum ſignificationem Sabbathum planè ceſſare debuit, quia omnia, quæ per Sabbathum ſignificabantur futura, iã ſunt completa; nam Chriſtus iam in ſepulchro iacuit, & quies animorum in Deo iã agitur. Porrò quies ſpirituum defunctorum in ſinu Abrahæ, iam eſt mutata in gloriam, & beatitudinem; & nunc non ampliùs expectamus ſimplicem illam quietem, ſed quietem glorioſam: gloria autem meliùs ſignificatur per dié Dominicam, quã per Sabbathum. 3. Dicendũ eſt de ritu Dominicę, qui erat quadruplex. I. Conueniebant in Eccleſia ad lectioné, concioné, ſacrificiũ, communionem, &c. 2. Vacabant ab operibus ſeruilibus. 3. Non ieiunabát. 4. Nõ flectebát genua, ſed precabátur ſtãtes. Nondũ auté ſunt quingẽti anni, ex quo hic ritus ceſſauit: nam tres priores adhuc in vniuerſa Eccleſia obſeruantur.

Paſcha ſignificat tranſcenſioné Angeli, & quaſi ſaltum ſuper domos Iudæorum, vt patet ex ratione. Nam, vbi dixerat Moyſes: *Eſt enim Phaſe*: ſubiungit rationem: *Tranſibo enim per terram Ægypti nocte illa, & percutiam primogenita Ægyptiorum: erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus veſtris, & videbo ſanguinẽ, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga.* Verumtamen hoc ipſum nomen etiam traducitur ad alia tria ſignificanda. I. Significat tranſilitionem Angeli. 2. Ipſum Agnum Paſchalem, qui per immolationem tranſibat de vita ad morté. Vnde dicitur: *Neceſſe erat occidi Paſcha.* 3. Tranſitum populi, quia illa ipſa nocte liberatus à tyrannide Pharaonis tranſiuit per mare rubrum, vt iret in terrã promiſsionis. 4. Ipſum feſtum diem: *Appropinquabit dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha.*

Exod. 12. Lucæ 22. Ibid.

Porrò

Porrò hæc ipſa quatuor ſunt etiam apud Chriſtianos ſuo modo, id eſt, vt exemplaria illorum typorum. Nam Angelus tranſiliens, & occidens primogenita Ægypti, & ſaluãs filios Iſraël, eſt Chriſtus magni concilij Angelus, qui, dum tranſiret de morte ad vitam, ſaluauit omnes, qui eius ſanguine aſpergẽdi erant, relictis ceteris in manu vaſtatoris. Agnus Paſchalis idem eſt Chriſtus pro nobis immolatus. Chriſtum enim repræſentarũt Agnus, & Angelus: quia Chriſtus occidi, & occidere debuit. Agnus autem occidi poterat, ſed nõ occidere: Angelus occidere, ſed nõ occidi. Tranſitus per mare rubrũ ſignificat trãſitum populorũ per aquas Baptiſmi: & ideò in Paſchate olim ordinariè baptizabantur Catechumeni. Denique; feſtus dies illorum, noſtrũ feſtũ figurabat.

Pentecoſtes meminit Paulus: *Manebo Epheſi vſque ad Pentecoſten.* Et: *Feſtinabat,* 1.Cor.16. *vt, ſi quo modo poſſet, Pentecoſten ageret Ieroſolymis.* Quamuis non ſit omninò certũ, Act.20. an loquantur hæ Script. de Pentecoſte Iudæorum, an Chriſtianorum: tamen Epiphanius exponit de Pentecoſte Chriſtianorum. *Hæreſ.75.*

Septuageſima, Sexageſima, & ſequentes dicuntur non à numero dierũ, ſed à numero Dominicarum. Voluit enim Eccleſia ante Dominicã Paſsionis præmittere 7. celebres Dominicas, quibus reuocaret nobis in memoriam ſpiritualem noſtram captiuitatem: ſicut per Dominicam Paſsionis, & ſequentem, commemoratur redemptio à captiuitate.

De feſtis Sanctorum, pium, & bonum eſſe, colere feſtos dies, facilè demonſtratur auctoritate, & ratione. Auctoritas eſt totius Eccleſiæ Catholicæ, quæ omni tempore id ſeruauit. Ratio fundatur in diuinis litteris: Feſti dies rectè inſtituuntur ad diuina recolenda beneficia, vt patet de feſto Sabbathi, & feſto Sortium apud Iudæos, & de feſtis Domini apud Chriſtianos. Sed nõ eſt paruũ Dei beneficium, beata conſummatio alicuius Sancti, & præcipuè per martyrium: inde enim datur toti Eccleſiæ militanti exemplum fortitudinis, & vnus nouus patronus apud Deum: datur etiam toti Eccleſiæ triumphanti nouum gaudium de acceſsione vnius ciuis: denique tunc agitur nouus, & perfectus triumphus de diabolo. Confirm. Nam omnes cauſſæ, propter quas homines etiam profani celebrant feſtos dies, concurrunt in obitu Sanctorũ. Homines enim feſta celebrant ob diem natalem Principum: item, ob aſſumptionem alicuius ad ſummam aliquam dignitatem: denique ob partam victoriam.

De Vigilijs ſciendum, quòd in profeſtis magnorum dierum conſueuerat Eccleſia vigilare, & ieiunare: & in primis Vigilia Paſchæ, quæ nocte præcedẽte Dominicam reſurrectionis agebatur, celeberrima ſemper fuit. Ceterum quoniam paulatim occaſione nocturnarum Vigiliarum abuſus quidam irrepere cœperant, vel potiùs flagitia non rarò committi; placuit Eccleſiæ nocturnos conuentus, & Vigilias propriè dictas interimere, ac ſolùm in iiſdem diebus celebrare ieiunia.

FINIS.

INDEX CAPITVM
PRIMÆ PARTIS
Fundamenti Chriſtianæ fidei.

LIBER I.

De Verbo Dei.

CAp. I. De numero, & auctoritate ſacrorum librorum.
II. De varijs editionibus ſacrorum librorum.
III. De Verbi Dei interpretatione.
IV. De Verbo Dei non ſcripto.

LIBER II.

De Chriſto, capite totius Eccleſiæ.

I. De diuinitate Chriſti.
II. De vocibus quibuſdam in diuinis.
III. Oſtenditur diſtinctio Perſonarum.
IV. De Incarnatione Chriſti.
V. De communicatione idiomatum.
VI. De Chriſti anima.
VII. De Chriſto Mediatore, & eius Merito.

LIBER III.

De Romano Pontifice.

I. Quodnam ſit optimum regimen?
II. Debeatne Eccleſiaſticum regimen eſſe Monarchicum?
III. Fueritne Apoſtolus Petrus Eccleſiæ totius caput, & Princeps loco Chriſti, ab ipſo Chriſto conſtitutus?
IV. An B. Petrus Romæ fuerit, ibique Epiſcopus exiſtens mortuus ſit?
V. Romanum Pontificem Petro ſuccedere in Eccleſiaſtica Monarchia.
VI. De nomine Antichriſti: & an ſit vnus homo, an genus hominum?
VII. De tempore aduentus Antichriſti, & mortis eius.
VIII. De nomine proprio, gente, ſede, doctrina, miraculis, regno, & prœlijs Antichriſti.
IX. De Eccleſiaſtica iuriſdictione Pontificis.
X. De poteſtate temporali Pontificis.
XI. De tranſlatione Rom. Imperij.

LIBER

LIBER IV.

De Eccleſia Militante.

I. De nomine Concilij, origine, & partitione.
II. De cauſſa finali, efficiente, materiali, & formali Conciliorum.
III. De auctoritate Conciliorum abſoluta.
IV. De auctoritate Conciliorum comparata ad alia fidei principia.
V. De nomine, & definitione Eccleſiæ.
VI. De qualitate Eccleſiæ.
VII. De notis Eccleſiæ.
VIII. De nomine Clerici, & Laici.
IX. De inſtitutione miniſtrorum Eccleſiæ.
X. De diſtinctione miniſtrorum Eccleſiæ.
XI. De cœlibatu Sacerdotum.
XII. De temporalibus bonis Clericorum, & libertate Eccleſiaſtica.
XIII. De origine, ratione, & varietate religionum.
XIV. De Concilijs Euangelicis.
XV. De Votis Monaſticis in genere.
XVI. De Votis Monaſticis in particulari.
XVII. De ijs, qui vota monaſtica ſuſcipere, ac nuncupare poſſunt.
XVIII. De Eremitis.
XIX. De habitu, & tonſura Monachorum.
XX. De bonis Monachorum.
XXI. De ipſa politica poteſtate.
XXII. De officio poteſtatis politicæ in rebus politicis.
XXIII. De officio poteſtatis politicæ in rebus Religionis.

LIBER V.

De Purgatorio.

I. Oſtenditur Purgatorium eſſe.
II. De perſonis, quibus Purgatorium conuenit.
III. De loco, & tempore Purgatorij.
IV. De pœnis Purgatorij.
V. De ſuffragijs, & funere defunctorum.

LIBER VI.

De Indulgentijs.

I. De nomine Indulgentiæ, & Iubilæi.
II. An ſint Indulgentiæ?

III. Quid ſit Indulgentia?
IV. De varietate, & vtilitate Indulgentiarum.
V. Quis poſsit Indulgentias concedere?
VI. De cauſſa iuſta Indulgentiarum.
VII. De ſuſcipientibus Indulgentias.

LIBER VII.

De Eccleſia Triumphante.

I. De Sanctorum beatitudine.
II. De canonizatione Sanctorum.
III. De cultu Sanctorum.
IV. De inuocatione Sanctorum.
V. De Reliquijs Sanctorum.
VI. De Imaginibus.
VII. De Cruce.
VIII. De Templis.
IX. De ijs, quæ referuntur ad templa.
X. De Feſtis diebus.

FINIS.

ROBERTI BELLARMINI POLITIANI, S. R. E. CARDINALIS

Fundamenti Chriſtianæ Fidei,

PARS SECVNDA.

OPERA

V. P. F. BALDVINI IVNII Ordinis Minorum,
Ex controuerſijs deſumpta.



ANTVERPIÆ,
Sumptibus Hæredum MARTINI NVTII.
M. DC. XI.
Cum gratia, & Priuilegio.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De nomine Sacramenti.

NOMEN *Sacramenti* vſurpandum eſſe, & conſeruandum, *Sacramenti vox.* patet, quia reperitur in Scripturis. Nam in Daniele ſępiſſimè vocatur *Myſterium*, vel *Sacramentum* (idem enim omninò eſt Latinis Sacramentum, quod Græcis μυςήριον) ſtatua *Dan. 2.* Nabuchodonoſor, quia erat ſignum rei latentis, id eſt, ſucceſsionis quatuor regnorum, & regni Chriſti poſt illa exorituri. *Et in fronte eius nomen ſcriptum Myſterium.* Et infra: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris.* *Apoc. 17.* Hinc enim habemus mulierem illam forma meretricia, quam Ioannes vidit, fuiſſe quoddam Sacramentum, id eſt, ſignum rei latentis; nimirum Romani Imperij, vel Antichriſti. Non enim res ipſa latens; ſed mulier, quæ videbatur, appellatur Myſterium, & Sacramentum ob ſignificationem, quam continebat; vt patet ex nomine ſcripto in fronte. Et: *Nam Myſterium iam operatur iniquitatis.* *2. Theſſ. 2.* Vocat enim Apoſtolus Myſterium iniquitatis perſecutiones Eccleſiæ primitiuæ ab Imperatoribus, & hęreticis excitatas, quia ſignificabant perſecutiones excitandas in nouiſsimis diebus ab Antichriſto. Denique: *Sacramentum hoc magnum eſt.* *Epheſ. 5.* Quòd enim Paulus Sacram. nomen non tribuat Chriſto, & Eccleſiæ; ſed coniunctioni viri, & fœminæ, patet, tum ex relatiuo pronomine, *Hoc*: quod refert, id, quod dictum fuerat, nimirum; *Erunt duo in carne vna*: tum etiam, quia periret tota ratio Apoſtoli: vult enim probare debere viros diligere vxores ſuas: quia ſcilicet illud, *Erunt duo in carne vna*, eſt magnum Sacramentum in Chriſto, & Eccleſia. Quòd ſi totum hoc Myſterium eſt in coniunctione Chriſti, & Eccleſiæ, & ad coniugium nihil pertinet, quid, quæſo, Paulus probat? Coniunctio igitur ſenſibilis, & externa viri, & fęminæ Sacramentum eſt, id eſt ſignum rei ſacræ ſpiritualis, & latentis, id eſt, coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ.

Colligimus etiam ex Patrum ſententijs nomen hoc eſſe antiquiſsimum,

& proinde retinendum, etiamſi in Script. non haberetur: quomodo retinemus multa alia nomina, quæ non ſunt in Script. vt Trinitatem, Conſubſtantialem, Perſonam, &c. Periculoſiſsima eſt enim vocum nouarum libertas in Eccleſia, cùm paulatim ex nouis vocibus nouæ etiam res oriantur, quando vnicuique licet in rebus diuinis nomina fingere. Adde poſtremò, quòd omnes linguæ vulgares in Latina Eccleſia hoc nomen retinuerunt, vt Italica, Gallica, Hiſpanica, Germanica, & aliæ. Quod eſt argumentum ſemper fuiſſe hoc nomen *Sacramentum* in Eccleſia venerabile.

Myſterium. Porrò vocis *Myſterium* tres ſunt ſignificationes. Prima, & præcipua eſt, vt Myſterium dicatur ea cęremonia, qua homines ſacris initiantur. Et ita deriuatur à μυῶ, quod eſt, initio. Secunda eſt, qua Myſterium dicitur omne id, quod arcanum, & ſecretum eſt. Hinc eſt illud Apoſtoli; *Si nouerim Myſteria omnia.* Et: *Vobis datum eſt noſſe Myſteria regni Dei.* Tertia ex ſecunda nata eſt, qua videlicet Myſterium dicitur omne ſignum externum rei arcanæ, & latentis: qua ſignificatione omnes figuræ Teſtamenti veteris dicuntur Myſteria; nec non parabolæ, & ſimilitudines, quæ habentur in Euangelio, vel Apocalypſi.

1. Cor. 13. Matt. 13.

Sacramenti prima ſignificatio. *Sacramentum* autem dicitur à ſacro, & multas habet ſignificationes. Prima eſt, vt Sacramentum dicatur pignus à litigantibus in loco ſacro poſitum. Mos enim erat apud Rom. vt, cùm duo litigarent, deponerent ambo quingentos æris in loco ſacro apud Pontificem; finita verò lite, qui vicerat, depoſitum ſuum recipiebat; qui vincebatur, perdebat; eiuſque depoſitum ærario cedebat in pœnam iniuſtæ litigationis.

2. Signific. Secunda, qua Sacramentum idem eſt, quod iuramentum: quod quidem, niſi per rem ſacram, fieri non poteſt, cum Deum ipſum teſtem citet omnis, qui iurat.

Tertia. Tertia, qua Sacramentum idem eſt, quod Myſterium: & proinde ſignificet tria illa, quæ Myſterij voce ſignificantur; nimirum rem ſecretam, & ſignum rei ſecretæ; & rem ſacrantem, & initiantem.

Quarta. Quarta, qua Sacramentum dicitur quæcunque res ſacra, arcana, vel ſignum rei ſacræ.

Quinta. Quinta, qua Sacramentum ſignificat cæremoniam initiantem, & conſecrantem hominem Deo: ſiue (quod ferè eſt idem) ſignum rei ſacrę non cuiuſcunque; ſed rei ſacræ ſacrantis; & initiantis hominem. Et hęc proprijſsima eſt. Nam ſolis Sacramentis conuenit. Deinde reſpondet apertiſsimè etymologiæ Myſterij, & Sacramenti: nam Myſterium deduximus à μυῶ, quod eſt, initio; & Sacram. à ſacrando. Denique Sacramenta veteris legis nunquam vocantur in Script. veteris Teſtam. ſecreta, vel ſigna rei ſecretæ; ſed ſemper appellabantur conſecrationes, & initiationes, vel ceremoniæ.

CAPVT

CAPVT II.

De Definitione Sacramenti.

AD Sacramentum nouæ legis conſtituendum octo requiruntur. Pri- *Octo neceſſaria ad Sacram.*
mùm, vt ſit ſignum. Debet autem ſignum eſſe res aliqua cognoſcibilis;
debet etiam, ducere in cognitionem alterius. Et, quia ſecundum hoc in ſigno 1.
eſt potiſsimum, ideò oportet ſignum, quatenus ſignum, eſſe imperfectius illa
re, quam ſignificat; & magis illam, quàm ſeipſum repræſentare. Quare homo
non dicitur ſignum ſuæ imaginis, ſed contrà. Iam verò, quòd Sacramentum
ſignum quoddam ſit, patet tum ex Patribus, tum ex Scriptura. Nam circum-
ciſio dicitur ſignum fœderis. Baptiſmus ſignum ſepulturæ, & reſurrectionis. *Gen. 17.* *Rom. 6.*
Euchariſtia ſignum paſsionis, & mortis Chriſti. Matrimonium ſignum con- *1. Cor. 11.*
iunctionis Chriſti, & Eccleſiæ. *Epheſ. 5.*
Secundum eſt, vt hoc ſignum ſit ſenſibile. Sacramentum enim intrinſe- 2.
cè, & eſſentialiter eſt cæremonia religionis; cæremonia autem eſt actus ex-
ternus.
Tertium eſt, vt hoc ſignum ſit voluntarium, ſiue datum; non naturale. 3.
Quædam enim ſigna ſunt naturalia, quæ non pendent ex noua inſtitutione,
ſed ex natura ſua ſignificant; vt eſt fumus ſignum incendij, & aurora ſignum
vicini ſolis. Alia ſigna ſunt ex arbitrio inſtituentis; vt vexilla militum. Et ta-
lia docet Auguſtinus Sacramenta debere eſſe ſigna.
Quartum eſt, vt hoc ſignum habeat cum re, quam ſignificat, analogiam, & 4.
ſimilitudinem aliquam. Tria enim inueniuntur ſignorum genera. Quædam
tantam habent cum re ſignificata ſimilitudinem, vt ſine vlla inſtitutione na-
turaliter ſignificent; vt veſtigium ſignum eſt pedis. Quædam nullam habent
cum re ſignificata ſimilitudinem, & ideo tota pendent ab inſtitutione. Vt ſo-
nus campanæ ſignum eſt habendi ſenatus. Quædam medio modo ſe habent.
Nam habent quidem aliquam analogiam cum re; ſed tam indeterminatam, &
confuſam, vt magis apta ſint ad ſignificandum, quàm actu ſignificent, niſi de-
terminentur. Vt imago hominis non facta ad alicuius particularis hominis
ſimilitudinem.
Huius tertij generis ſunt omnia Sacramenta: nam nec per ſe ſignificant
actu, niſi determinentur; & tamen apta ſunt ſignificare, ſi determinentur. Sic
ablutio externa internæ ablutionis ſimilitudinem gerit; proinde aptiſsima eſt
ad eam ſignificandam, ſi ad id adhibeatur. Idem de Vnctione, alimento cor-
poris Dominici, alijſque Sacramentis dici poteſt. In Sacramento autem Pœ-
nitentiæ illa verba; *Ego te abſoluo*, non ſunt Sacramentum, quatenus ſignificant
ex humana inſtitutione, id eſt, quatenus verba ſunt; ſed quatenus ſunt velut
res quædam à Deo inſtitutæ ad ſignificandam, & efficiendam iuſtificationem
à peccatis. Et ita habet exterior abſolutio, quę ore pronunciatur analogiam
cum interna iuſtificatione, quæ à Deo efficitur.

5. Quintum, vt hoc ſignum repræſentet rem aliquam ſacram, non prophanam. Sunt enim Sacramenta cæremoniæ religionis: vnde etiam illa violare omnium conſenſu ſacrilegium eſt. Porro res illa ſacra, quam Sacramenta nouæ legis ſignificant, triplex eſt. Gratia iuſtificans, quæ vt præſens demonſtratur: paſsio Chriſti, quæ eſt cauſa gratiæ, & vt prçterita commemoratur: & vita æterna, quæ eſt effectus gratiæ, & vt futura prçfiguratur. Ac de Baptiſmo quidem, & Euchariſtia res notiſsima eſt. Nam quòd Baptiſmus ſit memoria paſsionis, oſtendit Paulus: *Quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus.* Et infrà de gratia iuſtificationis: *Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccatis.* Et: *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem vt, quemodo Chriſtus reſurrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Denique de vita æterna ibidem: *Si complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.*

Rom. 6.

Lucæ 22. 1.Cor.11. Ioan.6.

Pari ratione de Euchariſtia: *Hoc facite in meam commemorationem*, id eſt, in memoriam paſsionis: nam, vt exponit Paulus: *Quotieſcunque manducamus panem hunc, mortem Domini annunciamus.* Item de gratia: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* De gloria: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ.* Vnde canit Eccleſia: *O ſacrum conuiuium*, &c.

De alijs Sacramentis non eſt ita notum: tamen certum eſt ſaltem implicitè illa omnia ſignificare; quia cùm omnia ſignificent gratiam, conſequenter etiam ſignificant principium, & finem eiuſdem gratiæ. Sciendum autem prçcipuè, & eſſentialiter ſignificari per Sacramentum nouæ legis ſolam gratiam iuſtificantem: nam iſta efficiunt, quod ſignificant: at non efficiunt paſsionem Chriſti, nec vitam beatam, ſed ſolam iuſtificationem: paſsionem enim præſupponunt, & vitam beatam promittunt; iuſtificationem autem propriè adferunt. Prçterea; Sacramenta ſunt inſtituta ad ſanctificandum: at quo propriè, & formaliter ſanctificamur, gratia eſt; paſsio Chriſti, & vita beata extrinſeca ſunt. Denique; Id propriè ſacramenta ſignificant, quod per verba exprimitur: at ſola iuſtificatio illis plerumque exprimitur; vt patet; *Ego te abſoluo; Ego te confirmo*, &c. Verba etiam Euchariſtiæ, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant corpus Domini vt cibum animarum, & ſpiritualem mentis refectionem, quæ per internam gratiam fit. Atque ex hoc capite multa ſacra ſigna excluduntur à ratione Sacramenti; vt res creatæ omnes, quæ ſunt ſigna pœnitentiæ, & ſapientiæ. Item omnes ſacræ imagines Chriſti, & ſanctorum; ſacræ litteræ, ſignum crucis, & alia id genus.

Matth. 26.

6. Sextum eſt, vt hoc ſignum ita ſignificet ſanctificationem, vt etiam, cùm Sacramentum adhibetur, tunc fiat. Ita à ratione Sacramenti excluditur Manna, quod ſignificabat ſpiritualem refectionem, & dulcedinẽ, vt futurã in Euchariſtia; nõ quę tunc daretur. Sic etiam columba, quæ apparuit in Baptiſmo Chriſti, ſignum erat ſanctitatis, & innocentiæ eius; ſed nõ quæ tunc primũ inciperet, vel creſceret: iam enim ab incarnatione plenus fuerat Spiritu Sancto.

Matth.3.

7. Septimum eſt, vt Sacramenta nouæ legis ſignificent ſanctificationem, quę fiat vi ipſius ſacramenti, ita vt ſacramentum ſit cauſa inſtrumentalis ſanctificationis. Ita excluduntur à ratione Sacramenti linguę illæ igneę, quæ apparuerunt ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes: ſignificabant enim charitatem arden-

Act.2.

ardentiſsimam, quæ tunc Apoſtolis infundebatur vnà cum ſapientia, & eloquentia planè diuina; ſed ſacramentum non erant, quia non vi earũ linguarum infundebatur illis charitas.

Octauum eſt, vt ſit cęremonia religionis ſtata, & ſolennis, quæ hominem 8.
Deo conſecret. Quocirca in veteri Teſtamento dicuntur ſacramenta eius tẽporis ritu perpetuo ſeruanda, id eſt, nunquam finem habitura, niſi in aduentu Chriſti, quando vetus ipſum Teſtamentum finem habiturum erat. *Exod. 12.* Sic etiam de ipſo Euchariſtiæ ſacram. Paulus ait: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, aut calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* *1. Cor. 11.* Id eſt, durabit hic ritus, quo mortem Domini cõmemoramus, donec mundus ipſe finiatur, & Dominus ad iudicandum veniat. Hinc ſacramentum non fuit illud Chriſti verbum ad peccatricem: *Remittuntur tibi peccata tua.* *Luc. 7.* Et inſufflatio in Apoſtolos, cùm diceret: *Accipite Spiritum Sanctum,* &c. *Ioan. 20.* Nam iſta Chriſtus ſemel fecit, non autem inde cæremoniam in Eccleſia frequentandam inſtituit. Iam verò ſacramentum phyſicè conſideratum propriè definiri non poteſt, quia ſic vel eſt aggregatum quoddam per accidens, cùm conſtet ex rebus, & verbis; vel eſt ens rationis, ſi conſideretur formaliter, vt ſignum ex arbitraria inſtitutione ſignificans. Si verò conſideretur moraliter, vt verè à Theologo conſiderari debet, eſt ens reale, & ſuo modo vnum; & eo modo poteſt definiri.

Prima itaque definitio eſt: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ.* *Definitio 1.* Altera: *Inuiſibilis gratiæ viſibilis forma.* *Definitio 2.* Quæ definitiones colliguntur ex S. Auguſt.: & ſi accipiantur, vt verba abſolutè ſonant, imperfectę ſunt: multò enim plura ſunt ſigna rerum ſacrarum, aut inuiſibilis gratiæ, quàm ſint ſacramenta. Si accipiantur tamen ſecundum ſenſum, & intentionem Eccleſiæ, & Doctorum, bonæ ſunt. ſiquidem per ſignum intelligunt ſignum ſenſibile. inſtitutũ, practicum, rei ſignatæ ſimilitudinem gerens: per rem ſacram intelligunt gratiam iuſtificantem.

Tertia definitio eſt Hugonis: *Sacramentum eſt corporale, vel materiale elementum foris ſenſibiliter propoſitum, ex ſimilitudine repreſentans, & ex intentione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem, & ſpiritualem gratiam.* *Definitio 3.* Vbi nota primò, quòd per elementum intelligatur quęlibet res, vt à verbo diſtinguitur: vocat enim elementum materias omnium ſacramentorũ, quia in primo Sacramento verum elementum aquæ materia eſt: vel etiam, quia elementum materiam aptiſsimè ſignificat, cùm ſit corpus imperfectum, & natura ſua ordinatum ad componendum mixtum. Nota ſecundò, quòd per ſanctificationem non intelligatur aliqua benedictio, vel conſecratio pręcedens, vt eſt illa, qua benedicitur aqua, (nam ſine iſta benedictione Sacramentum Baptiſmi conferri poteſt) ſed verbum Dei, quod eſt veluti forma perficiens Sacramentum. Porrò hæc definitio ſatis integrè complectitur totam naturam Sacramenti.

Quarta definitio eſt Magiſtri Sent. *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma eiuſdem gratiæ imaginem gerens, & cauſſa exiſtens.* *Definitio 4.* Quæ quoad ſenſum nihil à priore differt. Solùm enim videtur hic deſiderari explicatio ſigni; naturalene, an ex inſtitutione ſit: ſed hoc manifeſtè colligitur ex illa particula,

cauſſa

cauſſa exiſtens. Nullum enim ſignum ſenſibile poteſt eſſe cauſſa gratiæ, nec illam infallibiliter, ſignificare, niſi ex Dei inſtitutione.

Definitio 5. Quinta definitio eſt Catechiſmi Concil. Trident.: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & iuſtitiæ, tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.* Hæc definitio comprehendit illa octo ad naturam Sacramenti neceſſaria. Primo, quòd Sacramentum ſit ſignum, patet ex particula, *ſignificandæ.* Secundò, quòd ſenſibile, ex illa, *ſenſibus ſubiecta.* Tertiò, quod voluntarium, ex illa, *Ex Dei inſtitutione.* Quartò, quòd rei ſacræ, ex illa, *ſanctitatis, & iuſtitiæ.* Quintò, quòd ſanctitatis, quæ tunc fiat vi ipſius ſacramenti, ex illa, *vim habet.* Sextò, quòd ſit ceremonia ſolennis, ex eo colligitur, quòd dicitur eſſe *res ſenſibus ſubiecta, inſtituta ad ſanctificandum.*

Septimò, quòd ſimilitudinem gerat rei ſignificatæ, non habetur expreſſè in hac definitione; tamen poteſt colligi ex illa particula *ſignificandæ*; & ex illa, *ex Dei inſtitutione.* Deus enim, qui ſuauiter omnia diſponit, nunquam inſtituiſſet rem vnam ad aliam ſignificandam, niſi cum ea analogiam aliquam haberet.

Definitio 6. Extat & alia definitio apud Gratianum: *Sacramentum eſt, per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretiùs ſalutem operatur.* Iam verò aliquorum eſt ſententia nullam definitionem conuenire vniuocè Sacramentis nouæ, & veteris legis: ſed omnes conuenire propriè, & perfectè Sacramentis nouæ legis; Sacramentis autem veteris legis; analogicè, & imperfectè. Fundamentum eſt, quia exiſtimant de ratione Sacramenti etiam in genere non eſſe ſolùm ſignificare, ſed etiam efficere ſanctificationem: & rurſus Sacramenta veteris legis non efficere veram ſanctificationem, ſed ſolùm quandam legalem, quæ eſt figura veræ ſanctificationis, quam ſola Sacramenta nouæ legis efficiunt.

Alij docent illam definitionem, *ſacræ rei ſignum*, vniuocè conuenire Sacramentis nouæ legis, & veteris. Fundamentum eorum eſt, quia exiſtimant ad rationem Sacramenti in genere non requiri, vt ſit cauſſa ſanctificationis; ſed ſolùm, vt eam ſignificet. Addunt etiam Sacramenta veteris legis fuiſſe veriſſima ſigna veriſſimè ſanctificationis, quia nimirum ſignificabant gratiã iuſtificantem nobis dandam per Chriſtum. Ex his rectè concludunt ſacramenta legis veteris vniuocè conuenire cum noſtris in genere, licet in ſpecie diſtinguantur: quia noſtra efficiunt ſanctificationem, vetera non efficiebant.

Propoſitio 1. Sit igitur prima propoſitio: *Ad rationem Sacramenti, in genere non ſatis eſt, quod ſignificet; ſed requiritur etiam, vt efficiat ſanctitatem, ſeu ſanctificationem: imò magis proprium eſt Sacramento ſanctificare, quàm ſignificare.*

Prob. Exod. 28. & Leuit. 8. Probatur, quia in Teſtamento veteri Sacramenta rarò dicuntur ſignificare; frequentiſſimè autem dicuntur conſecrare, & ſanctificare, ſeu initiare. In Teſtamento etiam nouo Baptiſmus dicitur *lauacrum regenerationis*: & *Tit. 3.* certè regenerare magis efficere, quàm ſignificare eſt. Deinde omnia nomina ſimilia ſacramento actionem ſignificant, non ſignum: vt patet de nomine veſtimenti, calceamenti, impedimenti, &c.

Propoſitio 2. Secunda Propoſitio: *Sacramenta veteris legis non ideo Sacramenta ſunt, quia ſignificant*

nificant gratiam iuſtificantem; ſed quia ſignificant, & efficiunt ſanctitatem legalem.

Probatur ex præcedenti concl. Si enim ad Sacramentum in genere magis requiritur ſanctificare, quàm ſignificare; profectò Sacramenta in genere, ſi vllo modo Sacramenta erant, non ſolùm ſignificabant, ſed etiam efficiebant. *Prob. 1.*

Secundò, quia ſignificare gratiam alijs dandam non eſt proprium Sacramenti, vt Sacramentum eſt; ſed vt figura, & typus rei futuræ. Nam Sacramentum, vt Sacramentum, dicit ordinem ad eum, qui Sacramento initiatur, non ad alios: figura autem dicit ordinem ad futura. Et confirmatur; quia ſignificare gratiam dandam alijs non erat proprium Sacramentis veteribus, ſed etiam Sacrificijs, alijſque obſeruantijs Hebræorum. Nec ſolùm illa; ſed etiam ſerpens æneus ſignificabat curationem à peccatis, quam Chriſtus allaturus erat: Manna dulcedinem Euchariſtiæ: & tranſitus maris rubri ſalutem per Baptiſmum: & tamen nec ſerpens ille, nec manna, nec arca Sacramenta erant Teſtamenti veteris, aut noui. *Prob. 2.* *Ioan. 3.* *1. Cor. 10.*

Tertia propoſitio: *Sacramentum eſt genus vniuocum ad Sacramenta legis veteris, & nouæ; proinde Sacramenta vetera erant ſimpliciter, & abſolutè Sacramenta.* *Propoſitio 3.*

Probatur; Nam Sacramentum in genere nihil aliud requirit, niſi cæremoniam ſignificantem, & efficientem alicuius conſecrationis, ſeu ſanctificationis: non autem requirit, vt illa ſanctificatio ſit per gratiam mundantem animam à peccatis; iſta enim ſpecialis ſanctificatio conſtituit ſpeciem quandam Sacramenti, non ipſum genus abſolutè. Sacramenta autem veteris legis verè ſignificabant, & efficiebant quandam conſecrationem. Nam per Circumciſionem initiabantur Iudæi, & conſecrabantur Deo, vt eſſent populus eius peculiaris: per Vnctionem ſacerdotalem verò conſecrabantur Deo Filij Aaron, vt fungerentur ſacerdotio. Simile de alijs eorum Sacramentis.

Deinde; Nulla poteſt eſſe religio ſine Sacramentis. Sed in Teſtamento veteri erat vera Eccleſia, vera religio, verum Sacrificium. Erant igitur illa verè, & propriè Sacramenta. Neque obſtat, quòd omnia contingebant Iudæis in figura: quia Sacramenta Iudaica erant quidem figura Sacramentorum noſtrorum, ſed non ſolùm figura, verum etiam res per ſe: ſicut & ipſe populus Iudaicus figura erat populi Chriſtiani; & tamen quis ambigere poteſt, an fuerit etiam per ſe verè quidam populus? *1. Cor. 10.* *Ibid.*

Quarta propoſitio: *Illa definitio (ſacræ rei ſignum) conuenit vniuocè Sacramentis omnibus, tam veteribus quàm nouis.* Tribus modis poteſt iſta definitio exponi. Primùm, vt per ſignum intelligatur ſignum practicum: per rem ſacram gratia iuſtificans. Et hoc modo non conuenit definitio propriè niſi ſacramentis nouæ legis: veteribus autem ſolum analogicè, quia ſcilicet illa erãt ſigna practica munditiæ legalis, quæ non eſt gratia iuſtificans; niſi typicè. Secundò, vt per ſignum intelligatur ſignum practicum per rem ſacram conſecratio in genere, non deſcendendo ad iuſtificationem internam, vel legalẽ: & ſic conuenit omnibus Sacramentis vniuocè, ſed non eſt ad mentem Auguſtini. Tertiò, vt per ſignum intelligamus nudum ſignum: per rem ſacram gratiam iuſtificantem. Et ſic conuenit vniuocè omnibus ſacramentis, ſed non eſt perfecta definitio, cùm etiam Sacrificio conueniat. Porro definitiones cæteræ Hugonis ſcilicet, Magiſtri, & Catechiſmi Romani nõ conueniunt *Propoſitio. 4.*

 niſi

niſi ſacramentis nouæ legis: poſſent tamen facilè accommodari ad ſacramentum in genere, ſi loco, *inuiſibilis gratiæ*, ſeu, *iuſtitiæ*, poneretur, *conſecrationis cuiuſdam*, hoc modo: *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione conſecrationi cuiuſdam tam ſignificandæ, quàm efficiendæ vim habet.*

CAPVT III.

De Materia, & Forma Sacramenti.

Quæſt. 1. Propoſitio 1. Prob. 1. PRIMA hic eſt quæſtio: *An Sacramenta conſtent ex rebus, vt materia; & verbis, vt forma?* Pro qua ſit prima propoſitio: *Sacramenta veteris legis probabile eſt non habuiſſe res, & verba; ſed ſolas res.* Ratio, quia in Scriptura veteri, vbi præſcribuntur præcipui ritus Sacramentorum, nulla ſit mentio verborũ vt
Gen. 17. Exod. 12. Leuit. 8. patet in ritu Circumciſionis; Agni Paſchalis; & in ritu Ordinationis.

Prob. 2. Ratio etiam poſtulare videtur, vt Sacramenta noua ab ipſo Chriſto inſtituta ſigna ſint clariora, quàm vetera, quæ Moyſes, vt miniſter Dei, inſtituit.
Obiect. Leuit. 4. Solut. Nec obſtat, quòd in Sacrificio pro peccato præſcribatur, vt oret Sacerdos pro ijs, quorum eſt ſacrificium: quia illa oratio non fuit de eſſentia Sacrificij pro peccato; ſed ſolùm addi debuit in vſu, ſeu adminiſtratione Sacramenti illius, ad faciliùs impetrandum. Quod patet ex eo quòd in ſacrificio pro peccato ſacerdotis nulla oratio adhibebatur, ſed ſolùm in ſacrificio pro peccato aliorum de populo. Illud autem, quod habetur de verbis præſcriptis in
Num. 5. ceremonia zelotypiæ, non eſt ad rem. Illa enim ceremonia non erat Sacramentum, cùm non eſſet inſtituta ad ſanctificandum; ſed ad inueſtigandum, & puniendum adulterium.

Propoſitio 2. Prob. Propoſitio ſecunda. *In Sacramentis omnibus nouæ legis inueniuntur res, vt materia; & verba, vt forma.* Habetur expreſsè in Concilio Florentino, & eſt communis ſententia veterum Theologorum. Præterea, habemus in Scripturis expreſsè res, & verba in quatuor Sacramentis, nimirum in Baptiſmo,
Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* In Euchariſtia ponitur panis, &
Matth. 26. verbum; *Hoc eſt corpus meum*: In Confirmatione ponitur manus impoſitio, &
Act. 8. Iacob. 5. oratio, quæ verbis fit. In extrema vnctione ponitur vnctio, & oratio. Credibile igitur eſt alia Sacramenta etiam conſtare rebus, & verbis, licet non habeantur ita expreſsè in ſcripturis.

Propoſitio 3. Propoſitio tertia. *Non ſolùm quod eſt materiale in Sacramento, ſed ipſum totum Sacramentum rectè dicitur conſtare ex rebus, vt materia; & verbis, vt forma.* Nam totum verbum cum ſua ſignificatione eſt forma: & totum elementum cum ſua ſignificatione eſt materia.

Prob. Prob. propoſitio quia ita loquitur Concilium Florentinum, & veteres Theologi. Deinde probatur ratione: Nam ſignificatio Sacramenti non eſt vna ſignificatio ſimplex; ſed duæ ſunt partiales, ex quibus vna totalis componitur. Ergò ipſa etiam ſignificatio ex materia, & forma conſtitui:

tui poteſt: proinde totum Sacramentum ex materia, & forma componetur, vt ex partibus eſſentialibus.

Antecedens probatur primò: Antequam fiat coniunctio elementi, & verbi, vtrumque habet ſuam ſignificationem: ſed ex coniunctione non perit vlla ſignificatio: Non enim poteſt verbum tollere ſignificationem elementi, quæ eſt naturalis, ſed ſolum determinare eam; exempli gratia, cùm aqua naturaliter ſignificare poſsit quamlibet purgationem, determinetur à verbò ad ſignificandam purgationem à peccatis. Manet igitur vtraque ſignificatio, ſed coniunguntur inter ſe ita, vt ex duabus partialibus fiat vna integra, & totalis. *Prob. Antec. 1.*

Secundò: Tam verbum, quàm elementum in Sacramentis ſignificat aliquid. Sed verbum non communicat elemento ſuam ſignificationem, neque verbo elementum: duæ ſunt igitur, non vna. Prob. aſſumptio; quia elementi ſignificatio naturalis eſt, verbi autem voluntaria. Si igitur ſignificatio elementi communicetur verbo, naturalis erit, non voluntaria verbi ſignificatio: & contra ſi ſignificatio verbi communicetur elemento, erit ſignificatio elementi voluntaria, & nullo modo naturalis. *Prob. 2.*

Propoſitio 4: *Vt Sacramenta conſtare dicantur rebus, & verbis, non eſt neceſſe, vt res non ſint verba, & verba non ſint res; ſed ſat eſt, ſi aliquid fungatur vice rei, aliud vice verbi.* *Propoſitio 4.*

Probatur: Nam in Sacramento Pœnitentiæ poteſt fieri, vt nulla ſint alia ſigna pręter verba. Ex communi enim conſenſu Theologorum in hoc Sacramento forma eſt Abſolutio; materia remota ſunt peccata; materia proxima actus pęnitentis, id eſt, contritio, confeſsio, & ſatisfactio, quatenus ſigno exteriori produntur. Poteſt autem fieri, vt quis non habeat, niſi peccata verbo commiſſa; & tunc materia remota erunt ſola verba. Poteſt etiam fieri, vt non oſtendat ſigna contritionis, confeſsionis, & ſatisfactionis, niſi verbis. Non enim eſt de eſſentia Sacramenti, vt pœnitens ploret, ſuſpiret, flectat genua, &c. ſed ſi tantùm verbo dicat ſua peccata, & dicat ſe eſſe contritum, & velle ſatisfacere, poteſt abſolui: quare etiam materia proxima tunc nõ erunt, niſi verba. Verè tamen dicuntur in eo ſacramento eſſe res, & verba, quia peccatum verbo commiſſum, non vt verbum, ſed vt peccatum, eſt materia confeſsionis: peccatum autem formaliter non eſt verbum, ſed res à verbi ratione valdè diſtincta. Sic etiam confeſsio non eſt propriè materia Sacramenti, vt oratio quędam; ſed vt actio pęnitentis. Singulare enim eſt in hoc Sacramento, vt actio ſuſcipientis ſit pars eſſentialis Sacramenti. Idem etiam de forma oſtendere poſſumus. Nam in Sacramento Matrimonij omnium conſenſu loco verborum ſufficiunt nutus, aut litterę; modò ſufficienter exprimatur conſenſus vtriuſque partis. *Prob.* *2.*

Propoſitio 5: *Non eſt neceſſe, vt in omni Sacramento res, & verba ita coniungantur, vt partes eſſentiales eiuſdem rei.* Sacramentum enim habet quandam ſimilitudinem cum rebus naturalibus, quæ conſtant ex materia, & forma; tamen reuera non ſunt compoſitum naturale. *Propoſitio 5.*

Prob. propoſitio ex Euchariſtiæ Sacramento. Siquidem in Euchariſtia omnium conſenſu inueniuntur res pro materia, id eſt, panis, & vinum; & verba *Prob.*

pro forma, *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis meus*: & tamen nunquam res iſtæ, & verba ita coniunguntur, vt materia, & forma in rebus naturalibus. Nam vel Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſolùm res ipſa conſecrata, id eſt, ſpecies panis, & vini, vt continent corpus, & ſanguinem Chriſti: vel etiam conſecratio, aut ſumptio, (vt quidam volunt) sacramenta dici poſſunt. Si conſecratio dicatur sacramentum, tum verba habemus, ſed rem non habemus, ex qua sacramentum componatur: tota enim conſecratio in verbis conſiſtit; nam panis, & vinum non concurrunt, vt pars conſecrationis; ſed vt ſubiectum, circa quod agit sacerdos, & in quo recipitur actio conſecrantis. Cùm verò sacramentum dicitur res ipſa conſecrata, vel ſumptio, tunc rem habemus, verba non habemus, ex quibus sacramentum componatur. Verba igitur reſpectu rei conſecratæ non ſunt pars eſſentialis, ſed principium productiuum; pars enim eſſentialis manet cum ipſa; verba autem non manent cum re conſecrata; imò tunc primùm incipit eſſe res conſecrata, cum verba deſinunt eſſe.

Idem oſtendi poteſt ex sacramento Confeſsionis. Nam non ſolùm in eo sacramento materia ſunt verba, quæ gerunt vicem rerum: ſed etiam poteſt fieri, vt vno die fiat confeſsio, & altero die detur abſolutio, quod in nullo compoſito verè phyſico reperitur.

Quæſt. 2. Altera quæſtio hic eſt: *Quæ ſint illæ res, & verba Sacramentorum?* Pro qua
Propoſitio 1. ſit propoſitio prima. *Non ſolùm in Baptiſmo, ſed etiam in cæteris Sacramentis, requiruntur verba in ipſa celebratione myſterij.*

Prob. Prob. Nam in Euchariſtia Dominus, dum panem benedixit, certa verba pronunciauit, nimirum: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* ac deinde iuſsit, vt idem faceremus nos: *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.*
Lucæ 22. Debemus igitur & nos certis verbis vti, ſi facere volumus, quod ipſe fecit, vt nobis imperauit. Nam, *Hoc facite*, refertur ad totam actionem Chriſti, ita vt comprehendat etiam verba. Id diſcimus (vt alia nunc omittam argumenta) ex traditione, & vſu Eccleſiæ Catholicæ: quæ traditio ſi non recipiatur, in dubium reuocabitur etiam forma Baptiſmi. Nam vnde, quæſo, colligitur, dum aqua aſpergetur dicenda eſſe illa verba: *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti?* Certè non aliunde, quàm ex illis verbis: *Docete*
Matth. vlt. *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti.* . Ac ex hoc loco id non poteſt certè colligi, niſi recipiatur Eccleſiæ traditio.

De alijs sacramentis idem probari poteſt. In Confirmatione perſpicuum
Act. 8. eſt eſſe adhibenda illa verba ex Actibus, vbi Apoſtoli manus imponentes ſimul orabant. In Sacram. Pœnitentiæ requiri etiam verba patet ex illo:
Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur*; enim id fieri poteſt ſine verbis. In Sacram. Ordinis requiri verba docet Ambroſius, & Hieronymus. In Sacramento vnctionis ægrotorum planum eſt requiri verba ex illo: *Inducat*
Iacob. 5. *presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini*, &c. Denique de Matrimonio res eſt perſpicua, cum non poſsit conſtare mutua conſenſio, niſi verbis, aut ſignis æquiualentibus exprimatur.

Propoſitio 2. Propoſitio ſecunda. *Non requiritur verbum concionale ad eſſentiam vllius Sacramenti.*

Prob.

Prob. primò, quia in Script. fit mentio Baptiſmi: vt; *Niſi quis renatus fuerit,* *Prob. 1.*
&c. Deinde habemus Dominum per diſcipulos baptizaſſe. Item; *Qui credide-* *Ioan. 3.*
rit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et: *Saluos nos fecit per lauacrum.* Et: *Vos ſaluos fa-* *Ioan. 4.* *Mar. vlt.*
cit Baptiſma. Sed in his locis nulla fit mentio verbi, neque concionis. *Tit. 3.*

Duo tamen loca ſunt, vbi mentio fit verborum. Vnus; *Mundans eam lauacro* *1. Pet. 3.*
aquæ in verbo vitæ. Alter; *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij,* *Epheſ. 5.*
& Spiritus S. Prior locus explicari debet per poſteriorem. Nam Chryſoſto- *Matt. vlt.*
mus, Theodoretus, Theophylactus, Anſelmus, alijque interpretes docent,
In verbo vitæ, ſignificare: *In nomine Patris, & filij, & Spiritus S.* Iſto ergò loco non
negamus iuberi, vt inſtructio præcedat Baptiſmum: imò hoc ipſum nos do-
cemus, & facimus; Non enim baptizamus vllos adultos, niſi priùs diu, mul-
tumque inſtructi fuerint. Sed negamus hoc loco præſcribi concionem tan-
quam partem eſſentialem Sacramenri; immò aſſerimus apertè hoc loco di-
ſtingui doctrinam à Sacramento.

Idem dici poſſet de Euchariſtia. Nam nec Dominus nec Paulus dicunt fieri *Matth. 26.*
debere concionem, cùm celebratur cœna dominica: nec ipſe Dominus vllam *1. Cor. 11.*
habuit concionem nec explicuit vim Euchariſtiæ in ipſa cœnæ celebratione.
Habuit quidem poſtea longiſsimum ſermonem, quem Ioannes deſcribit: ſed *Ioan. 14.*
is nihil ad cœnam pertinebat; tum, quòd poſt cœnam habitus ſit; tum etiam, *15. 16.*
quòd nihil in eo de cœna Dominus diſſeruerit.

Secundò prob. concluſio: Nam, ſi concio eſſet de eſſentia Sacramenti, non *Prob. 2.*
diſtinguerentur officia concionandi, & baptizandi. Quicunque enim concio-
naretur, hoc ipſo baptizaret, quandoquidem miniſtraret formam Baptiſmi:
& contrà, qui baptizaret, concionaretur, cum Baptiſmus formaliter nihil a-
liud eſſet, niſi concio. At contradicit B. Paulus: *Non miſit me*, inquit, *Chriſtus* *1. Cor. 1.*
baptizare, ſed euangelizare. Vnde etiam Petrus, poſt quam prædicauerat Corne- *Act. 10.*
lio, non ipſe eum baptizauit, ſed iuſsit à miniſtris inferioribus baptizari.

Tertiò prob. Si forma Baptiſmi eſſet concio, varia eſſent Baptiſmata pro *Prob. 3.*
varietate concionum: non enim omnes eodem modo concionantur. At vnum
Baptiſma eſſe, ſicut vnus eſt Deus, & vnus Dominus, teſtatur Apoſtolus, & *Epheſ. 4.*
Symbolum Conſtantinopolitanum.

Quartò prob. Si forma Baptiſmi eſſet concio, falſum Baptiſmum habe- 4.
rent hæretici, ac proinde baptizati ab eis eſſent rebaptizandi: non enim poteſt
eſſe vera prædicatio hæreticorum. At Eccleſia approbat Baptiſma quorumli-
bet hæreticorum, modò detur verbis præſcriptis, id eſt, *In nomine Patris, & Filij,*
& Spiritus ſancti: etiamſi addant ipſi peruerſiſsimam concionem, & explica-
tionem.

Quintò prob. Baptiſmus Catholicorum datur ſine vlla concione. Et ſi 5.
enim præcedit Catechiſmus, & ſermones, ac prædicationes permultæ, tamen
eo die, quo fit Baptiſmus, ordinariè concio fieri non ſolet.

Sextò, Si forma Baptiſmi eſſet concio, paruuli certè baptizandi non eſſent. 6.
Non enim fieri debet concio, vbi non eſt, qui audiat, & intelligat.

Propoſitio tertia. *Requiritur ad eſſentiam Sacramenti certa forma verborum, quæ* *Propoſ. 3.*
non tam inſtruat circumſtantes, quàm conſecret, & ſanctificet elementum.

Prob. primò, Verba à Domino præſcripta in Baptiſmo non habent formam *Prob. 1.*

 inſtru-

inſtructionis, ſed inuocationis, & benedictionis: vt patet ex ipſa formula lo-
quendi Chriſti. Non enim ait; Docete omnes gentes nomen Patris, &c; ſed:
Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, &c.* Vbi verba illa, *In nomine Patris*, &c.
reſpiciunt actum baptizandi, non actum docendi: proinde ſonant inuoca-
tionem Trinitatis ſuper aquæ aſperſionem non declarationem myſterij ad
auditores.

Mar. vlt. Ita etiam accipitur illa forma loquendi in alijs locis, vt; *In nomine meo dæ-*
Act. 3. *monia ejicient.* Et: *In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula.* Et; *Nónne in nomine tuo*
Matth. 7. *dæmonia eiecemus?* Et alibi paſsim. Deinde; Si verba illa ad inſtructionem
pertinerent, valdè profectò imperfecta eſſent: non enim ſolùm inſtrui debent
de Trinitate, qui baptizantur, ſed etiam de Incarnatione, & Paſsione Domi-
ni, & præcipuè de promiſsione gratiæ ob Chriſti meritum, quarum rerum
nulla in his verbis mentio fit.

Prob. 2. Secundò: Verba quæ dicuntur de myſterio Euchariſtiæ ab Apoſtolo, dicũ-
tur verba benedictionis: quod certè non inſtructionem, ſed conſecrationem
1. Cor. 10. ſonat: vt, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?*
Idem argumentum duci poſſet ab alijs Sacramentis.

Prob. 3. Tertio prob. ex eo: *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomi-*
1. Cor. 1. *ne Pauli baptizati eſtis?* Vbi Apoſtolus demonſtrare vult Sacramentorum au-
ctores non eſſe eos homines, qui illa miniſtrant, ſed Deum: idque inde pro-
bat, quia non dantur in nomine miniſtrorum, ſed Dei, id eſt, *Patris, & Filij, &*
Spiritus S. Nomen igitur in verbis Sacramentorum inuocationem ſignificat,
ex qua colligitur auctoritas.

Probatur idem etiam ex traditione Conciliorum, & Patrum.

Quæſt. 3. Tertia quæſtio eſt: *An res, & verba ita ſint determinata, vt nihil in eis mutari poſ-*
Propoſitio 1. *ſet?* Pro qua ſit prima propoſitio: *Res certæ, & determinatæ ab ipſo Deo eſſe de-*
bent.

Prob.
1. Cor. 6. Prob. quia Sacramenta nouæ legis ſunt cauſſa gratiæ, & iuſtificationis.
Epheſ. 5. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Et: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* At nemo
potuit gratiam dare, niſi ſolus Deus: ſolus igitur potuit Deus ea determinare,
quæ ad eſſentiam Sacramentorum pertinent.

De Sacramentis legis Moſaicæ, & legis naturæ nonnulli dubitare viden-
tur; tamen ſi verè Sacramenta erant, vt reuerà erant, omnino ſentiendum eſt
fuiſſe à Deo determinatas res eorum Sacramentorum. Nam inprimis de fa-
cto conſtat omnia Sacramenta ferè, quæ ad notitiam noſtram venerũt, à Deo
Gen. 17. fuiſſe determinata. Nam Circumciſio Sacramentum fuit legis naturæ, &
conſtat ab ipſo Deo determinatum, quid, quomodo, & quo tempore facien-
Exod. 12. dum eſſet. Agnus Paſchalis Sacramentum erat legis ſcriptæ, & à Deo determi-
natum eum ritum nouimus. Et ſic de cæteris.

Deinde; ſacramenta vetera erant figuræ, ac typi ſacramentorum noſtro-
rum. At determinate certas res, quæ infallibiliter aliquid ſignificent futu-
rum, non poteſt conuenire, niſi Deo qui certo nouit illas res futuras.

Denique; Etiamſi ſacramenta vetera non efficiebant gratiam iuſtifican-
tem, tamen efficiebant legalem munditiam, & introducebant in populum
Dei; at nemo poteſt determinare aliquid ad legalem munditiam efficien-

dam

dam, aut ad introducendum in certam Remp., niſi qui auctor eſt illius legis, & Reip.

Propoſitio ſecunda: *Non ſolùm res, ſed etiam verba in Sacramentis nouæ legis à Deo determinata ſunt, vt non liceat quidquam immutare.* *Propoſitio 2.*

Prob. primo. Sacramenta à Deo ſunt inſtituta: ergò pars ſacramenti præcipua, ſcilicet forma verborum, à Deo inſtituta eſt: ergò, qui eam mutat, peccat contra Deum, & ſæpè non perficit ſacramentum, nimirum cum ſubſtantialiter mutat. *Prob. 1*

Prob. ſecundò. Mutare ſacramentorum materiam graue ſacrilegium eſſet, nec perficeretur ſacramentum: cur igitur non ſit eadem ratio de forma, quæ in verbis conſiſtit? 2.

Prob. tertiò. Addere ad verba ſcript. vel ea mutare nullo pacto licet: ergo nec verba ſacramentorum mutari vllo modo debent, aut poſſunt; præſertim cùm verba ſcript. ſolùm ad ſignificandum, verba ſacramentorum ad ſignificandum, & ſanctificandum inſtituta ſint. Probari etiam poſſet ex teſtimonijs Patrum, & Concilio Arelatenſi. 3.

CAPVT IV.

De fine, & neceſsitate Sacramentorum.

FINIS ſacramentorum eſt, quod inſtituta ſint ad iuſtificandos homines, atque vt ſint ſigna, & cauſſæ inſtrumentales gratiæ Dei. *Finis Sacramentorum.*

De neceſsitate autem multæ rationes ſunt, cur vtile fuerit Sacramenta, id eſt, ſenſibilia ſigna inſtituere ad iuſtificandos homines. Præcipuæ ſunt: Prima, quia ſic congruit naturæ humanæ, quæ ex corpore, & ſpiritu conſtat. Secunda, vt clariùs appareret gratiam, quæ datur per ſacramenta, à ſolo Deo eſſe. Si enim daretur per actiones aliquas ſpirituales, ſuſpicari homines potuiſſent vi propria illius actionis nos iuſtificari: nunc autem cum per res corporales & abiectas detur tam excellens donum, nullus relinquitur locus eiuſmodi ſuſpicionis. Qua etiam de cauſſa Dominus cæcum illuminauit ſputo, & luto, non aliquo precioſo vnguento: & mundum ſibi ſubijcere voluit per homines pauperes, & obſcuros. Tertia, vt ſimul eſſet inſtrumenta iuſtificationis, & ſigna, quibus diſcernerentur fideles ab infidelibus, & quibus colligeretur populus Dei; & quibus etiam, vt ſacris cæremonijs coleretur Deus. *Neceſsitas Sacramentorum.* 1. 2. *Ioan. 9.* 3.

Notandum autem duplicem eſſe neceſsitatem. Vna eſt neceſsitas præcepti. Altera eſt neceſsitas medij. Et quanquam interdum hæ duæ neceſsitates coniunctæ ſint; nam hoc ipſo, quod aliquid eſt medium ad ſalutem neceſſarium, ſimul etiam eſt præceptum naturale: tamen hoc intereſt, quòd, cùm quis ex ignorantia inuincibili, aut alia iuſta de cauſſa non implet præceptum, is nihil detrimenti accipit: at ſiquis non accipiat medium neceſſarium, is magnum detrimentum capit, quia non aſſequitur finem, licet ex ignorantia inuincibili id ei accidat. Id facile *Neceſsitas duplex.*

eſt

ſt declarare in Baptiſmo, & Confirmatione. Rurſus; Neceſsitas medij, aut ſt neceſsitas ſimpliciter, quomodo alæ neceſſariæ ſunt ad volandum; aut ad bene eſſe, quomodò equus neceſſarius eſt ad iter faciendum.

Denique; Vtraque neceſsitas, aut eſt abſoluta, & naturalis, vt in exemplis poſitis; aut ex inſtitutione, & arbitratu alterius; quomodò attingere metam eſt neceſſarium medium ad brauium; aut eſt partim ex inſtitutione, partim ex naturali congruentia; vt, cùm Imperator concedit militibus vrbem aliquam diripiendam, ſi eam ceperint.

Propoſitio 1. Prima ergo ſit propoſitio: *Nulla Sacramenta habent abſolutam neceſsitatem; ſed omnis eorum neceſsitas pendet ex præcepto, & inſtitutione diuina adiuncta naturali congruitate.*

Propoſitio 2. Secunda Propoſitio: *Omnia Sacramenta neceſſaria ſunt neceſsitate præcepti, licet non ſingulis.*

Propoſitio 3. Tertia Propoſitio: *Baptiſmus, & Pœnitentia neceſſaria ſunt poſita inſtitutione diuina neceſsitate medij ſimpliciter; Baptiſmus quidem omnibus; Pœnitentia ijs, qui poſt Baptiſmum lethaliter delinquunt.*

Propoſitio 4. Quarta Propoſitio: *Euchariſtia, Confirmatio, Extrema vnctio neceſſaria ſunt neceſsitate medij ad benè eſſe, poſita diuina inſtitutione.*

Propoſitio 5. Quinta Propoſitio: *Ordo neceſſarius eſt non ſingulis hominibus, ſed ipſi Eccleſiæ in vniuerſum neceſsitate medij ſimpliciter, poſita diuina inſtitutione.*

Propoſitio 6. Sexta Propoſitio: *Matrimonium neceſſarium eſt ad benè eſſe, non ſingulis hominibus, ſed Eccleſiæ in vniuerſum.*

CAPVT V.

De cauſa efficiente Sacramentorum.

Cauſſa efficiens triplex. TRIPLEX cauſſa efficiens à Theologis conſideratur in Sacramentis. Vna principalis, & omnino independens; in qua dicunt eſſe poteſtatem auctoritatis. Altera inſtrumentalis, ſed inſtrumenti coniuncti, in qua dicunt eſſe poteſtatem excellentiæ. Tértia inſtrumentalis, ſed inſtrumenti ſeparati, in qua dicunt eſſe poteſtatem miniſterialem.

Prima cauſſa omnium conſenſu eſt Deus: ipſe enim ſolus ex auctoritate gratiam dare poteſt, & proinde Sacramenta inſtituere, quæ gratiã efficiunt, aut etiam infallibiliter ſignificant. Secunda cauſſa eſt Chriſtus, vt homo: Chriſti enim humanitas eſt inſtrumentum coniunctum diuinitati Hypoſtaticè; & ideo Chriſto, vt homini, tribuitur quædam poteſtas miniſterialis quidem, quia deriuata eſt à diuinitate; tamen excellentiæ poteſtas dicitur, quia ſoli Chriſto conuenit. Tertia cauſſa eſt quilibet alius miniſter Sacramentorum.

Quæſt. 1. Prima ergo quæſtio eſt: *An auctor Sacramentorum nouæ legis ſit ſolus Chriſtus?*
Seſſ. 7. Can. 1. De hac Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non eſſe omnia*

nia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, anathema ſit. Quod non debet ita intelli-gi, quaſi Concilium velit Sacramenta inſtituta eſſe à Chriſto immediatè, vel mediatè; ſed ſolùm immediatè: nam alioqui Concilium fruſtra Canonem illum poſuiſſet, cùm nemo vnquam dubitauerit, quin ſaltem mediatè Sacramenta à Deo ſint inſtituta. Præterea; Idem Concilium agens de Sacramento Vnctionis extremæ ſeipſum explicat, cùm ait Sacramentum illud ab ipſo Chriſto inſtitutum fuiſſe, ſed à B. Iacobo Apoſtolo promulgatum. Denique; Si tantum mediatè Chriſtus Sacramenta inſtituiſſet, idem dici poſſet de Sacramentis, & de alijs omnibus cæremonijs Eccleſiaſticis: omnes enim ſunt à Chriſto mediatè inſtitutæ, quia nimirum dedit Eccleſiæ poteſtatem inſtituendi, & inſpirauit, vt inſtitueret; & aſtitit, ne erraret in inſtituendo: & tamen non eodem modo Concilium idem loquitur de Sacramentis, & de alijs cæremonijs. Nam dicit Eccleſiam habere poteſtatem mutandi, & inſtituendi circa Sacramenta, ſalua tamen eorum ſubſtantia. *Reſp.* *Seſſ. 14. c. 1.* *Seſſ. 21. c. 2.*

Et confirmatur ſententia Concilij his rationibus. Primò; In Scripturis Apoſtoli non vocantur, niſi diſpenſatores, & miniſtri myſteriorum Dei: vt; *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Non igitur inſtituerunt ipſi, ſed promulgarunt, & miniſtrarunt Sacramenta à Chriſto inſtituta. *1. Cor. 4.*

Secundò; Sacramenta legis veteris à Deo immediatè ſunt inſtituta; à Moyſe autem ſolùm promulgata; vt patet ex libris Exodi, & Leuitici, vbi ſemper, cùm aliquid noui inſtituitur, legimus: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen*: Multò igitur magis par erat, vt Sacramenta nouæ legis præſtantiora ab ipſo Deo inſtituerentur. Idem etiam Patres affirmant.

Altera quæſtio: *Quis propriè in Eccleſia ſit miniſter Sacramentorum?* Pro qua ſit prima propoſitio: *Miniſter Sacramentorum homo eſſe debet, non autem angelus, ſiue bonus, ſiue malus.* *Quæſt. 2.* *Propoſ. 1.*

Obſeruandum tamen, quòd, ſi fortè Angelus bonus Sacramentum aliquod miniſtraret, illud habendum eſſet ratum, quia certum eſt id factum eſſe diuina diſpenſatione extraordinaria. Quocirca refert Nicephorus S. Amphilochium ab Angelis ordinatum Epiſcopum; idque ratum habitum ab Epiſcopis eius prouinciæ. At, ſi diabolus idem faceret, iterandum eſſet ſacramentum; quia diabolus non habet ex ſe poteſtatem, nec peculiari Dei diſpenſatione acciperet; ſed ſibi vſurparet, vt falleret. *L. 11. c. 20.*

Prob. propoſitio primò; Ad eſſentiam Sacramentorum, vt requiritur verum, & naturale elementum; ita verum, & naturale verbum. Sed ſolus homo verè, & naturaliter loquitur: loqui enim eſt actio corporis viuentis per inſtrumentum linguæ, & palati; Non igitur Angelus bonus, vel malus ſacramenta conficere poteſt. *Prob. 1.*

Secundo, Etiamſi vera elementa, veraque verba Angeli adhibere poſſent, tamen non propterea illa verum ſacramentum efficerent. Nam Sacramentum eſt ſignum, & cauſſa infallibilis gratiæ: non autem id habent elementa, & verba naturaliter, ſed ſolùm à Deo aſſumuntur, vt inſtrumenta iuſtificationis. Ergò non ſunt vera ſacramenta, cùm à quocunque adhibentur, ſed cùm adhibentur ab eo, cui Deus id committit: quomodo etiam verba, quibus *Prob. 2.*

miracula faciebant Chriſtus, & Apoſtoli, non à quocunque prolata fuiſſent, eandem vim habuiſſent. Sed Deus hanc auctoritatem ſolis hominibus de- Matth. 28. dit; non angelis bonis, vel malis. Nā hominibus dixit: *Euntes docete omnes gentes* Lucæ.22. *baptizantes eos in nomine Patris,* &c. Item ſolis hominibus dixit: *Hoc facite in* Ioan. 20. *meā commemorationem*. Et ſolis hominibus dixit: *Quorum remiſeritis peccata*, &c.

Epheſ.4. Ad hæc: *Chriſtus aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Vbi per dona intelligit varia miniſteria, quæ ſunt in Eccleſia. Nam antea dixerat: *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, ſicut ſcriptum eſt; Aſcendens in altum*, &c. Et infra: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas; alios Paſtores, & Doctores*, &c. Denique: Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur.*

Propoſ. 2. Secunda propoſitio: *Verus miniſter Sacramentorum (Baptiſmo, & Matrimonio exceptis) non eſt quilibet homo, etiam baptizatus; ſed is ſolùm, qui ritè in Eccleſia ordinatus eſt.* Baptiſmus excipitur, quia propter ſummam eius Sacramenti neceſsitatem ſemper Eccleſia intellexit poſſe à quolibet homine conferri.

Etiam Matrimonium excipitur, quia, cùm conſiſtat illud in contractu mutuo duorum, non poterat aliter fieri, quàm vt ipſi contrahentes eſſent miniſtri.

Prob. 1. Prob. propoſitio ex Script. quæ docet in Eccleſia eſſe diuerſa officia, nec Epheſ. 4. omnia omnibus conuenire. Et: *Alios poſuit Apoſtolos, alios Prophetas*, &c. Et: 1. Cor. 12. *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ?* &c. Idem ergò dici poteſt de paſtoribus, & doctoribus, qui ibidem nominantur.

Prob. 2. Prob. ſecundò: *Nemo aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo, tanquam Aa-* Hebr. 5. *ron*. Non igitur omnes, qui ſunt de populo Dei, ſunt hoc ipſo Sacerdotes. Neque poteſt hic locus intelligi de exercitio tantùm: nam Aaron, antequam vocaretur à Deo ad ſacerdotium, non habebat neque vſum, neque poteſtatem.

Præterea; Aſſumere honorem non eſt exequi poteſtatem, ſed accipere eam: quod etiam confirmatur ex ſequentibus; *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret.*

Prob. 3. Tertiò; Apoſtoli baptizati ſunt, & baptizabant ante Chriſti paſsionem. Epiſt. 108. ad Seleucianū. Primum docet Auguſtinus: alterum habetur apud Ioan. Nec eſt credibile ipſos à Chriſto iuſſos baptizare, antequam ipſi baptizarentur. At poteſtatem Ioan. 4. conſecrandi Euchariſtiam acceperunt poſteà, cùm audierunt; *Hoc facite in* Lucæ 22. *meam commemorationem*. Similiter & abſoluendi poteſtatem acceperunt poſtea: *Quorum remiſeritis*, &c. Non igitur acceperant in Baptiſmo.

Ioan. 20. Prob. 4. Quartò; Si omnes Chriſtiani acciperent in Baptiſmo hanc poteſtatem, ideo acciperent, quia tunc (vt ait Lutherus) vnguntur gratia Spiritus S. & proinde fiunt ſpirituales ſacerdotes. At id falſum eſt: nam ſequeretur eos, qui, dum baptizantur, non recipiunt gratiam; & eos, qui poſtea eam perdunt, non verè conferre Sacramenta: quod tamen Lutherus negat contra Anabaptiſtas.

Quintò; In lege veteri, vbi erant Sacramenta imperfectiora, non omnes poterant ea miniſtrare, ſed ſoli Sacerdotes. Nec valet ſolutio, ſi dicas Chriſtianos eſſe factos in Baptiſmo ſpirituales ſacerdotes: nam etiam illi fiebant

in

in Circumciſione ſpirituales ſacerdotes, & poterant omnes offerre ſpirituales hoſtias. Immò quod dixit B. Petrus de omnibus Chriſtianis: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium*; idem antea dixerat Moyſes de omnibus Iſraëlitis: & tamen Ozias Rex lepra punitus fuit, quia fungi voluit munere ſacerdotali. *1. Pet. 2.* *Exod. 19.* *2. Paral. 26.*

Tertia quæſtio eſt: *Vtrum requiratur neceſſariò fides, aut charitas miniſtri Sacramentorum, ita, vt hæretici, infideles, ſciſmatici, improbi Catholici non poſſint Sacramenta conferre?* *Quæſt. 3.*

Negatiua eius pars probatur primò traditione, & conſuetudine antiquiſſima ab Apoſtolorum tempore. Deinde hac ratione. *Reſp.* *Prob. 1.*

Miniſter Sacramentorum operatur virtute, & auctoritate diuina. Deus autem non aufert à miniſtro datam ei poteſtatem ob eius peccatum, aut infidelitatem. Ergò, &c. *2.*

Maior prob. ex Scripturis: vt; *Hic eſt, qui baptizat in Spiritu S.* Præcipuus ergò auctor in Baptiſmo Chriſtus eſt, non miniſter; Et: *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat; ſed, qui incrementum dat, Deus.* *Maior prob. 1.* *Ioan. 1.* *1. Cor. 3.*

Præterea, Si miniſtri ſua virtute baptizarent, eſſent diuerſa baptiſmata, alia alijs meliora pro diuerſitate meritorum, & excellentiæ baptizantium. At vnum eſt baptiſma. *Prob. 2.*

Item; Apoſtoli nunquam appellarunt baptiſmum ſuum, quem alijs conferebant, cùm tamen aliquando appellarent Euangelium ſuum, quod prædicabant;, *Iuxta Euangelium meum.* Ergò nihil ſuum agnoſcebant in Baptiſmo, niſi nudum miniſterium. *Epheſ. 4.* *Prob. 3.* *Rom. 16.*

Denique, Æquum fuit, vt Sacramenta non penderent ab humana virtute, ne homines in hominibus confidere aſſueſcerent, cùm ſcriptum eſt: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* *Prob. 4.*

Minor propoſitio probatur: Nam auctoritas conferendi Sacramenta, non eſt gratia gratum faciens, ſed gratis data: non ergò pugnat ita cum improbitate vitæ, vt ſimul eſſe non poſſit. Conſtat enim eiuſmodi gratias in peccatoribus eſſe poſſe, vt patet de Caypha, qui prophetauit, cùm tamen eſſet peſſimus. Item de eis, qui dicunt: *Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* *Minor prob. 1.* *Ioan. 11.* *Matth. 7.*

Prob. 2. minor; auctoritas conferendi Sacramenta non datur in vtilitatem habentis, ſed aliorum: igitur non erat conueniens, vt auferretur propter peccatum habentis. *Prob. 2.*

Tertiò; Deus non aufert ob peccata poteſtatem iuriſdictionis: nam iubet Apoſtolus, vt Chriſtiani obediant dominis ſuis *non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*: & ibidem iubet obedire Regibus, & alijs Magiſtratibus Gentilium, qui infideles erant: igitur multò minùs aufert poteſtatem ordinis. Nam ſi poteſtas auferretur ad puniendum eum, qui illam habet, magis deberet auferri poteſtas iuriſdictionis, quàm ordinis: quia illa magis amatur, & proinde magis punitur, cui illa tollitur. *3.* *1. Pet. 2.*

Præterea, Magis dependet poteſtas iuriſdictionis à probitate vitæ eius, in quo eſt, quàm poteſtas ordinis: nam magis dominantur paſſiones in imperando, quàm in Sacramentis miniſtrandis.

4\. Quartò, Non aufert Deus ab hominibus naturales potentias ad opera naturalia: ergò nec auferre debet ſupernaturalem poteſtatem ad opera ſupernaturalia, in quibus non conſiſtit meritum operantis: nam non minùs Deus prouidit bono totius Eccleſiæ, quàm bono mundi huius.

5\. Quintò, Iudas peccator erat, & reprobus, & tamen baptizabat, vt colligit Auguſtin. Et quòd efficaciter baptizauerit, docet idem Auguſt. ex eo, quod nō legimus rebaptizatos, quos ille baptizauerat. *Tract. 5. in Ioannem.*

Prob. 3. reſp. Tertium argumentum ſumitur à ſimilibus rebus. Nam inprimis apud Iudæos circumciſi à Samaritanis, qui hæretici erant Hebræis, non circumcidebantur iterum; ſed admittebantur, vt ritè circumciſi. Vt Auguſtin. docet. Deinde, Verbum Dei efficaciter prædicatur ab improbis. Præterea. Nihil refert ad efficaciam ſementis, & plantationis, an lotis manibus, an ſordidis id fiat, modò bonum ſit ſemen, & terra fertilis, nec deſit calor ſolis, & pluuia de cœlo. Item, Non minus rectè imprimit imaginem Regis ſigillum ferreum, quàm ſigillum aureum. Item, lumen ſolis non inquinatur, etiamſi per lutum tranſeat, & loca cætoſa. Denique, parum refert; vtrum aqua ad areolas irrigandas per canalem lapideum, an per argenteum tranſeat. *L. 1. cont. Creſcon. c. 31.*

Quæſt. 4. Quarta quæſtio: *Sitne intentio miniſtri neceſſaria ad Sacramenti perfectionem?*

Reſp. Reſp. Non requiritur neceſſario actualis intentio, nec ſufficit habitualis, ſed virtualis requiritur, & ſufficit. *Actualis* eſt, quando Miniſter actu habet talem intentionem: quę non requirit, vt verbis exprimatur, ſed vt homo ſit præſens animo, & attentè faciat, quod facit. Hæc non requiritur neceſſario, quia non eſt in noſtra poteſtate, quin diſtrahatur aliquando noſtra cogitatio, etiam, dum res ſanctiſsimas agimus. *Habitualis* dicitur inclinatio quædam, ſeu promptitudo ex habitu infuſo, vel acquiſito, qualis etiam in dormiente eſſe poteſt. Et hæc non ſufficit, nam actus inde procedens non eſt humanus, & deliberatus, alioqui baptizatus diceretur, ſi quis à dormiente, vel ebrio baptizatus eſſet. *Virtualis* dicitur, cùm actualis intentio in præſenti non adeſt ob aliquam euagationem mentis, tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius fit operatio. Et hæc omnium conſenſu requiritur, & ſufficit, ſi actualis non adſit. *Intentio actualis.* *Intentio habitualis.* *Virtualis.*

Prob 1. Probatur primò, ſicut certa forma verborum requiritur neceſſario, vt determinetur indifferentia materiæ, ita requiritur aliquid, quo determinetur indifferentia formæ. Nam illa verba, *Ego te baptizo*, & ſimilia poſſunt habere varias ſignificationes: baptizare enim eſt tingere aquis, quod facit, qui lauat ſordes corporis, qui refrigerat, qui lauando medetur, &c. At nihil fingi poteſt, quo determinetur hæc indifferentia formę, niſi intentio Miniſtri, qui illa verba profert, & cuius eſt tota actio: ergò, &c.

2\. Prob. ſecundò, Miniſtri ſacramentorum ſunt inſtrumenta Dei, ſed inſtrumenta animata, & ratione vtentia, vt patet ibi: *Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Vbi fidelitas, & prudentia indicant talem eſſe hunc ſeruum, vt in eius arbitrio ſit facere, & non facere. Prętere, Ideò vocantur prępoſiti. Vt: *Qui præeſt in ſollicitudine.* Et: *Obedite præpoſitis.* *Matt. 24.* *Rom. 12.* *Hebr. 13.*

Denique, Non determinauit Chriſtus particulares actiones, ſed ait: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Vbi manifeſtè relinquit in eorum arbitrio, vt ſoluant, & ligent. Quare cum eiuſmodi inſtrumenta potiſsimum ſint inſtrumenta *Ioan. 20.*

menta per voluntatem, & intentionem, ſi hęc tollatur, deſinunt eſſe inſtrumenta.

Prob. tertiò à diſcrimine inter verba ſpeculatiua, & practica. Nam verba ſpeculatiua, quia totam efficaciam ſuam habent in ſignificando, à quocunque dicantur, eandem vim habent. Idem enim ſignificant verba, ſiue dicantur ab homine ſobrio, ſiue ebrio, ſiue etiam pſitaco, aut aſina Balaam. At verba practica, quæ præter ſignificationem habent efficientiam, non ſunt efficacia, niſi dicantur ab eo, qui habet poteſtatem & voluntatem faciendi, quod verba ſignificant. Nam, qui habet donum miraculorum, efficaciter imperat morbis, & dæmonibus; non autem alij, etiamſi eiſdem verbis vtantur. Sed conſtat verba Sacramentorum eſſe verba practica, cùm ſint inſtrumenta iuſtificationis: ergò requirunt poteſtatem, & voluntatem, ac proinde intentionem. Prob. 3.

Prob. quartò ab abſurdis, quæ alioqui ſequerentur. Nam primò, ſi parens aliquis duceret filium ſuum ad balnea, &, dum puerum immergit more Chriſtiano, ſignaret eum cruce, & diceret: Lauo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. nimirum inuocans Deum, vt benè cedat illi lotio, & nihil de Baptiſmo cogitans, tunc ille puer deberet dici baptizatus. Prob. 4. 1. Abſurdit.

Secundò, ſi ſacerdos in menſa legeret Euangelium, & inter legendum pronunciaret illa verba: *Hoc eſt corpus meum*: Et: *Hic eſt ſanguis meus*, Iam totus panis, & totum vinum illius menſæ eſſet conſecratum. 2.

Tertiò, ſi, cum aliquis ancillam conducit, diceret: Accipio te in meam, (intelligens, ſed non exprimens, ancillam) & illa diceret: Accipio te in meum (intelligens herum, ſed non exprimens) iam illi eſſent coniugati. Quæ omnia ſunt ridicula. 3.

CAPVT VI.

De effectu Sacramentorum, ſcilicet Gratia, quæ in illis confertur.

PRima quæſtio: *An Sacramenta nouæ legis ſint veræ cauſſæ iuſtificationis ex opere operato?* Nota in iuſtificatione, quam recipit aliquis, dum percipit Sacramenta multa concurrere: nimirum ex parte Dei, voluntatem vtendi illa re ſenſibili: ex parte Chriſti, paſsionem eius: ex parte miniſtri, poteſtatem, voluntatem, probitatem: ex parte ſuſcipientis voluntatem, fidem, & pœnitentiam: denique ex parte Sacramenti, ipſam actionem externam, quæ conſurgit ex debita applicatione formæ, & materiæ. Quæſt. 1. Explicatio.

Cæterum ex his omnibus id, quod actiuè, proximè, & inſtrumentaliter efficit gratiam iuſtificationis, eſt ſola actio illa externa, quæ Sacramentum dicitur; & hæc vocatur opus operatum. Nam voluntas Dei, quæ Sacramento vtitur, concurrit quidem actiuè; ſed eſt cauſſa principalis. Paſsio Chriſti concurrit, ſed eſt cauſſa meritoria; non autem effectiua, cùm non ſit actu, ſed præte-

præterierit, licet maneat obiectiuè in mente Dei. Poteſtas, & voluntas miniſtri concurrunt neceſſario, ſed ſunt cauſſæ remotæ: requiruntur enim ad efficiendam ipſam actionem Sacramentalem, quæ poſtea immediatè operatur. Probitas miniſtri requiritur, vt miniſter non peccet Sacramenta adminiſtrando: non tamen iuuat ſuſcipientem per modum Sacramenti; ſed ſolum per modum impetrationis, & exempli. Voluntas, fides, & Pœnitentia in ſuſcipiente adulto neceſſario requiruntur, vt diſpoſitiones ex parte ſubiecti, non vt cauſſæ actiuę.

Exemplum ſit in re naturali. Si ad ligna comburenda primum exſiccarentur ligna, deinde excuteretur ignis ex ſilice, tum applicaretur ignis ligno, & ſic tandem fieret combuſtio, nemo diceret cauſſam immediatam combuſtionis eſſe ſiccitatem, aut excuſsionem ignis ex ſilice, aut applicationem ignis ad ligna; ſed ſolum ignem, vt cauſſam primariam; & ſolum calorem, ſeu calefactionem, vt cauſſam inſtrumentalem.

Reſp. probatur ex Teſtam. nouo. Iam verò Sacramenta eſſe veras cauſſas inſtrumentales gratiæ, probatur primò ex nouo Teſtamento: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu S.* (*Matt. 3.*) Quibus verbis non eſt dubium tantum diſcrimen poni inter efficaciam Baptiſmi Ioannis, & Baptiſmi Chriſti, quantum eſt inter aquam, & ſpiritum. At Baptiſmus Ioannis efficax erat ad alendam fidem non minùs, quàm Baptiſmus Chriſti: nam in Baptiſmo Ioannis erat externa ablutio, & verbum promiſsionis. Nam prædicabat *Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum:* (*Luce 3.*) & prædicabat ſimul fidem Mediatoris, dicens, *vt crederent in eum, qui venturus erat.* (*Act. 19.*) Aliter ergò Sacramenta cauſſa gratię ſunt, quàm concio: proinde malè ad omnia noſtra teſtimonia reſpondere ſolent, Sacramenta eſſe veras cauſſas gratiæ, ſed excitando fidem, quomodo verbum Euangelij dicitur à Paulo, *Virtus Dei in ſalutem omni credenti.* (*Rom. 1.*) Secundò: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* (*Mar. vlt.*) Hîc tribuitur Baptiſmo vis ſaluandi, at non ſaluat, niſi iuſtificando, & abluendo ſordes peccatorum. Tertiò: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei.* (*Ioan. 3.*) Hic locus apertè facit Baptiſmum aquæ, cauſſam nouæ natiuitatis: id enim ſignificat præpoſitio, ex, vt patet ex omnibus ſimilibus locutionibus. Quartò: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in remiſsionem peccatorum.* (*Act. 2.*) Cui ſimile eſt illud: *Et nunc quid moraris? baptizare, & ablue peccata tua inuocato nomine ipſius.* (*Act. 22.*) In his locis tribuitur Baptiſmo remiſsio peccatorum. Nec poteſt dici id fieri, quod Baptiſmus excitet fidem: nam quos Petrus alloquitur, & Ananias, iam crediderant, & corde compuncti erant. Quintò: *Cùm vidiſſet Simon, quia per impoſitionem manuum Apoſtolorum daretur Spiritus S.* (*Act. 8.*) Cui loco ſimilis eſt ille: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* (*2. Tim. 1.*) In his locis apertiſsimè impoſitio manuum aſſeritur cauſſa gratiæ, vt patet ex illa particula, Per. Sextò: *Vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus:* (*1. Cor. 10.*) Vbi participare de vno pane ponitur pro cauſſa vnius corporis. Quod eſt in Græco clarius: οἱ γὰρ πάντες ἐκ τοῦ ἑνὸς ἄρτου μετέχομεν. Omnes enim ex vno pane participamus. Quomodo autem ſumus vnum corpus, quia de vno pane participamus, niſi quia panis ille alit, & auget vitam huius corporis? Nam in rebus corporalibus, quia idem cibus alit omnia membra eiuſdem corporis, ideo rectiſsimè probamus aliqua membra

eſſe

eſſe membra eiuſdem corporis, ſi ab eodem cibo alantur. Quare, ſi tollas à Sacramento altaris veram cauſalitatem gratiæ, non poterit probari, quòd ſimus vnum corpus, quia eandem Euchariſtiam participamus. Similis eſt huic loco ille: *Etenim omnes nos in vno Spiritu in vnum corpus baptizati ſumus.* Vbi Paulus probat nos eſſe vnum corpus, quia per baptiſmum accepimus vnum ſpiritum: Quod argumentum nihil efficit, ſi baptiſmus non confert ſpiritum. Septimò: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Cui ſimilis eſt locus ille: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Vbi apertiſsimè dicimur mundari, & ſaluari lauacro aquæ, & per lauacrum: vtrumque autem cauſsam inſtrumentalem ſignificat. Octauò: *Quòd & vos ſimilis formæ ſaluos facit Baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* Hic habemus primum, Baptiſmo nos ſaluos fieri: deinde ſaluos fieri ſimili quodam modo, quo olim tempore Noë pauci quidam ſalui facti ſunt per aquam: atqui aqua illa verè, & efficienter ſaluauit eos, qui erant in arca, videlicet arcam in ſublime attollens. Denique habemus diſcrimen inter Baptiſmata Iudæorum, & noſtrum: quòd illa tollerent ſordes carnis; noſtrum purificet conſcientiam. Sicut igitur Baptiſmata Iudæorum verè tollebant ſordes carnis, non tantùm ſignificando, ſed etiam efficiendo: ita & noſtrum verè lauat conſcientiam. 1.Cor.12. Epheſ.5. Tit.3. 1.Pet.3.

Secundò probatur Sacramenta nouæ legis eſſe veras cauſsas inſtrumentales gratiæ ex vaticinijs Prophetarum. Prob.2. ex vaticinijs Prophet.

Primò Iſaias, vbi dixerat: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum; holocauſta arietum, & adipem pinguium; & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui:* Subiungit; *Lauamini, mundi eſtote.* Ac ſi diceret: Baptizamini, & eo modo mundi eritis. Iſaiæ 1.

Secundò: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor nouum,* &c. Vbi notat Hieronymus per aquæ Baptiſmi aſperſionem non ſolum mundari peccata; ſed etiam dari cor nouū, & ſpiritum nouum. Ezech.36.

Tertiò: *De baptiſmi gratia,* inquit Hieron. *vaticinatur: Proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra* At quod in mare demergitur, non ſolum ſignificatur extingui, ſed re ipſa vi aquarum extinguitur. Epiſt. 83. ad Oceanum. Mich.7.

Quartò: *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ.* Quintò: *Aſperges me hyſſopo,* &c. Zach.13. Pſalm.50.

Prob. tertiò ex figuris Sacramentorum. Prima: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Vt enim aqua initio mundi à Spiritu S. vitalem quandam vim accepit, vt animalia procrearet: ſic & Baptiſmus à ſpiritu S. vim accepit procreandi nouos homines. Prob.3 ex figuris. Gen.1. 1 Figura.

Secunda eſt in diluuio ſaluante Noë, & reliquos, qui erant in arca, quam explicat S. Petrus. Tertia eſt de Circumciſione, de qua B. Paulus ſic ait: *Circumciſi eſtis Circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis; ſed Circumciſione Chriſti conſepulti ei in Baptiſmo.* At Circumciſio verè, & efficienter carnem abſcindebat, non autem erat ſolùm teſtimonium circumciſionis. 2.Figura. Gen.7. 1.Pet.3. Gen.17. 3.Figura. Coloſſ.2.

Quarta eſt ſubmerſio Ægyptiorū in mari rubro, & trāſitus filiorū Iſraël; de qua ſic loquitur B. Paulus; *Omnes,* inquit, *in Moyſe baptizati sūt in nube, & in mari.* Exod.14. 4.Figura. 1.Cor.10.

Et infrà dicit: *Hæc omnia contingebant illis in figuram.* Itaque mare rubrum figura fuit Baptiſmi; nubes autem obumbrans figura Spiritus S.: & ſicut mare rubrum verè demerſit Ægyptios, & liberauit Iſraëlitas; ita Baptiſmus verè delet peccata, & ſaluat animas.

5. Figura. Exod 16.17. 1.Cor.10.

Quinta eſt de Manna pluente è cœlo, & aqua ſcaturiente ex petra: quæ figuræ erant Euchariſtiæ corporis, & ſanguinis Domini eodem Paulo explicante. At Manna, & aqua illa verè reficiebant, & recreabant corpora Iſraëlitarum, & non erant teſtimonia, vel ſigilla.

6. Figura. Num. 19.

Sexta eſt de aqua luſtrationis, quæ admiſtum habebat cinerem vaccæ rufę, quæ fuit, teſte Auguſtino, figura Baptiſmi. Vbi notandum tria fuiſſe neceſſaria in hac expiatione: cinerem vaccæ rufæ, aquam; & hyſſopum, qua aqua aſpergebatur. Et quidem cinis vaccæ Chriſti mortem, & merita ſignificat: aqua Baptiſmum, qui Chriſti merita applicat: Hyſſopus herba humilis, radices habens in petra, fidem ſignificat, ſine qua Baptiſmus adultis non datur; &, ſi forte datur, non eis prodeſt. Sicut ergò in illa expiatione hyſſopus non mundabat, ſed aqua habens vim ex cinere vaccæ, & hyſſopo aſperſa: ſic in Baptiſmo non eſt fides, quæ propriè purgat peccata, ſed aqua vim habens ex Chriſti Paſsione, & fide ſuſcepta. Ad has expiationes tam figurantem, quam figuratam reſpexit Dauid, cum diceret: *Aſperges me hyſſopo, & mundabor*, &c.

Pſalm. 50. 7. Figura. Ioſ. 4.

Septima eſt de tranſitu filiorum Iſraël per Iordanem ad terram promiſsionis duce Ioſue, quæ fuit figura Baptiſmi. Neque vllus dixerit per aquas Iordanis non tranſiuiſſe filios Iſraël ad terram promiſsionis, ſed obſignatam promiſsionem tranſeundi.

8. Figura. 4.Reg.5.

Octaua eſt de Naaman Syro curato à lepra lauacro Iordanis: quæ certè aqua verè curauit Syrum illum, nec fuit ſigillum promiſsionis.

9. Figura. Ioan. 5.

Nona eſt de probatica piſcina, quæ figura manifeſtiſsima eſt, & à Patribus multis celebrata.

Ioan. 9.

Decima eſt de cæco nato, quem Dominus illuminauit per aquam Siloë.

Nota ad hæc loca Scripturæ, quòd, cùm tam ſæpe Scriptura & vaticinijs, & figuris, & expreſsis verbis loquatur de Sacramentis; tamen ne ſemel quidem dicat vim Sacramentorum conſiſtere in excitanda, vel alenda fide; ſed ſemper explicet conſiſtere in purgandis peccatis, & mundanda anima. Nam quomodo credibile eſt finem immediatum, & præcipuum Sacramentorum nunquam in Scriptura haberi, cùm finis mediatus tum ſæpe inculcetur?

Prob. 4. Concil & Patribus.

Probari etiam idem poſſet ex Concilijs, & Patribus tam Latinis, quã Græcis, quæ breuitatis cauſſa omitto, & venio ad rationem.

Prob. 5. ratione. 1. Ratio.

Prima ratio eſt: Sacramenta rectè adhibentur non intelligentibus: ergò ſunt ſigna practica, & verè iuſtificant, non excitando fidem more concionis, ſed immediatè efficiendo ſanctitatem. Prob. Antecedens: quia baptizantur ritè infantes, ſurdi, amentes, dormientes; & ij, qui in periculo vitę ſunt, licet vi morbi oppreſsi non habeànt vſum rationis, vel ſenſuum; modò conſtet eos antea deſideraſſe eiuſmodi Sacramenta. At certè iſtis non niſi ineptiſsimè fieret concio, aut ſigna adhiberentur ad excitandam fidem.

2. Ratio.

Secunda ratio: Verba, & ſigna ſacramentalia pendent ex diuina inſtitutione, neque ab hominibus propria auctoritate inſtitui potuerunt. Ergò non

ſunt

ſunt mera ſigna, vt verba concionis; ſed ſigna practica, & vim habentia aliquid ſupernaturale efficiendi. Prob. Conſeq. quia, ſi verba, & ſigna Sacramentalia eſſent nuda ſigna ad excitandam mentem inſtituta, potuiſſent ab hominibus facillimè inſtitui, & eandem vim habuiſſent. Non enim refert ad nudum ſignificationem, quis illa ſigna inſtituerit, modo repreſentent idem obiectum.

Tertia ratio: Sacramenta non ſolùm pendent à Deo in inſtitutione, ſed etiam in ipſo vſu: ipſe enim eſt, qui per miniſtros ſuos baptizat, conſecrat, & abſoluit, &c. Ergò non ſunt nuda ſigna ad excitandam fidem inſtituta, vt conciones; ſed aliquid prætereà efficiunt. 3. *Ratio.*

Prob. Conſeq. Nam, vt verba, & ſigna cætera ſolùm ſignificent, & animum excitent repreſentando, nihil refert à quo procedant: non enim magis excitat ſignum tubæ ad bellum, ſi infletur tuba ab Imperatore, quàm ſi à tubicine.

Quarta ratio: Sacramenta non ſolùm pendent à Deo, vt inſtitutore, & principali agente; ſed etiam à Chriſti paſsione, & morte. Propter quod Patres communi conſenſu docent. Sacramenta fluxiſſe à Chriſti latere perfoſſo. Vnde etiam multi veterum docent Chriſtum baptizari voluiſſe, vt tactu ſuæ mundiſsimæ carnis daret aquis vim mundandi. Ergò non operantur ſolùm Sacramenta repræſentando obiectum more concionis; ſed verè efficiendo: nam alioqui non eguiſſent Chriſti meritis, nec vllam eis virtutem Chriſtus dediſſet. Et ſicut concio non rectè diceretur manaſſe ex Chriſti latere, nec dicitur Chriſtus dediſſe vllam virtutem concioni ad ſignificandum, quia id ex ſe habent verba; ita non rectè diceremus Sacramenta prodijſſe ex Chriſti latere, vel Chriſtum eis vim vllam dediſſe. 4. *Ratio.*

Quinta ratio: Sacramenta inſtituta ſunt, vt nos certos reddant remiſsionis peccatorum, & gratiæ Dei: ergò non ſolùm operantur obiectiuè repræſentando more concionis; ſed efficiendo reipſa, quod ſignificant. Anteced. prob.: Nam docent Catholici ex Sacramentis gigni in nobis moralem quãdam certitudinem remiſsionis peccatorum, non tamen infallibilem. Tametſi enim Sacramenta in ſe infallibiliter ſint efficacia, tamen poteſt fieri, vt nobis non ſint efficacia propter noſtram indiſpoſitionem. 5. *Ratio.*

Prob. Conſeq.; Nam ſi Sacramenta ſolùm operarentur ſignificando, & excitando fidem, nullam adferrent certitudinem. Penderet enim tum Sacramentum à noſtra fide, non à Chriſti inſtitutione.

Sexta ratio: Sacramenta contrario modo ſe habent ad fidem, ac verbũ: non igitur eodẽ modo operantur. Prob. Antec.: Nam verbum Dei præcedit fidem, Sacramenta autem ſequuntur; ſiquidem: *Fides ex auditu.* Vnde verbum prędicatur infidelibus, & hæreticis quibuſcunque, vt incipiant credere: at Sacramenta requirunt fidem, ſaltem in adultis: nec poſſunt rectè conferri, niſi ijs, qui priùs credunt. Vnde cùm Eunuchus diceret: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* reſpondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* Et ſemper in Eccleſia conſuetudo fuit, vt, qui Chriſtiani eſſe vellent, primùm fierent catechumini, & ſatis diu inſtruerentur, & non niſi inſtructi, & firmi, ac ſtabiles in fide baptizarentur. 6. *Ratio.* *Rom. 10.* *Act. 8.*

7. Ratio. Septima ratio: Sacramenta non minus ſunt efficacia, ſi dentur lingua Græca, aut Latina, quam non intelligat, qui Sacramentum ſuſcipit; quàm ſi dentur lingua vulgari, quam omnes intelligant: ergò non operantur more concionis, ſed habent effectum ſuum præter fidei exercitationem. Conſeq. patet, quia ſi operarentur more concionis, nihil efficerent, niſi darentur lingua vulgari.

8. Ratio. Octaua ratio: Si Sacramenta operarentur excitando fidem, non eſſet vlla cauſſa, cur adhiberentur hominibus doctis, qui legere poſſunt Scripturas; vel etiam imperitis, qui audiunt conciones: multò enim melius excitat fidem Scriptura, & concio; quàm Baptiſmus, vel Euchariſtia. Itaque præſtaret loco Baptiſmi legere vnum caput ex Biblijs. Adde, quòd etiam imago Baptiſmi in tabula depicta poſſet idem facere, quod facit Baptiſmus; nam facit viſibilem promiſsionem, & excitat fidem: & hoc præſtat Baptiſmo, quòd ſemper maneat, cùm Baptiſmus ſemel fiat, & tranſeat.

9. Ratio. Nona ratio: Sacramenta non proſunt, niſi ſuſcipientibus, etiamſi multi alij præſentes ſint, & audiant, & videant, quæ geruntur: alioqui non eſſet opus, vt ſinguli baptizarentur, & communicarent corpori Domini; ſed ſatis eſſet, ſi vnus baptizaretur, & baptizaretur coram tota multitudine. Ergò non operantur more concionis excitando fidem. Conſeq. patet, nam ſi operarentur more concionis, prodeſſent omnibus audientibus: omnes enim poſſunt excitari ad fidem, qui adſunt, dum pronunciatur promiſsio Dei, & ſigno viſibili ante oculos ponitur.

10. Ratio. Decima ratio: Si Sacramenta ſolùm operarentur ſignificando, nihil intereſſet inter noſtra Sacramenta, & Sacramenta veteris legis: nam etiam illa ſignificabant Chriſti gratiam, & remiſsionem peccatorum, & excitare poterant fidem. Id autem falſum eſt.

Quæſt. 2. Altera hic quæſtio eſt: *Vtrum iuſtificare ex opere operato ſit proprium Sacramentis nouæ legis; an commune cum Sacramentis veteris legis?*

Reſp. In 4. diſt. 1. Seſſ. 7. ca 2. Catholici omnes conueniunt Sacramenta veteris legis, quæ propriè Moſaica dicuntur, non contuliſſe gratiam ex opere operato. Id enim docent omnes Theologi: & idem definiuit Concilium Florentinum in inſtruct. Armenorum; & Concil. Trident.

Nota iſta Concilia non definiuiſſe veteres Patres non habuiſſe gratiam Dei ex merito Chriſti, aut eam habuiſſe ſine vllo organo, ſeu medio applicante Chriſti merita. Nihil enim horum Concilia dicunt, ſed tantùm aſſerunt hoc eſſe diſcrimen inter Sacramenta veteris legis, & nouæ: quòd noſtra conferunt gratiam, illa ſolùm eam ſignificabant. Non eſt autem conſequens veteres Patres non habuiſſe gratiam, aut habuiſſe ſine organo applicante Chriſti merita. Nam, etiamſi non habuerunt eam per Sacramenta, tamen habuerunt per fidem: vt etiam nunc adulti per fidem, & contritionem veram iuſtificantur, antequam reipſa ad Sacramentum accedant.

Dubitatio 1. Duæ tamen apud Catholicos ſunt quæſtiones. Vna: An Sacramenta vetera (Circumciſione excepta) ſaltem iuſtificarent ex opere operantis? Duæ ſunt autem opiniones.

In 4. diſt. 1. Prima eſt Magiſtri, qui id negat; ait enim Sacramenta illa non iuſtificaſſe, etiamſi

etiamſi in fide, & charitate ſuſciperentur: quia data erant, vt eſſent oneri, nō vt iuſtificarent. Secunda eſt communis Theologorum iuſtificaſſe omnia illa Sacramenta ex opere operantis, id eſt, ex fide, & deuotione ſuſcipientis: & hæc eſt ſententia veriſsima. Nam eſt generaliter vera ſententia Apoſtoli: *Factores legis iuſtificabuntur.* Quanquam iſta iuſtificatio non eſt propriè Sacra- *Rom. 2.* mentalis, ſed eſt communis omnibus bonis operibus, quæ in charitate fiunt: nec eſt iuſtificatio prima, ſed ſecunda. Et alius: *Abraham nónne ex operibus iuſti-* *Iac. 2.* *ficatus eſt?*

Altera quæſtio eſt de Circumciſione, quæ non eſt propriè ſacramentum *Dubitatio 2.* Moyſaicum, ſed legis naturæ: vnde ſcriptum: *Circumciſio non eſt ex Moyſe, ſed ex* *Ioan. 7.* *Patribus.*

Porrò de illa duæ ſunt opiniones. Prima eſt Alexandri Bonauenturæ, & aliorum, qui admittunt Circumciſionem ex opere operato contuliſſe iuſtificationem. Pugnant autem cum hac ſententia multa argumenta. Primò, Scripturæ, quæ, cùm dicunt Sacramenta vetera fuiſſe egena elementa, non excludunt Circumciſionem: imò de illa maximè loquuntur. Secundò, Concilia Florentinum, & Tridentinum, quæ ſolis Sacramentis noſtris tribuunt vim iuſtificandi. Tertiò, Cùm Deus in lege gradatim proceſſerit, & legem imperfectiorem dederit in ſtatu naturæ, quàm in ſtatu legis ſcriptæ; & in hoc ſtatu imperfectiorem, quàm in ſtatu Euangelij: idem ſine dubio fecit in Sacramentis; proinde ſi Sacramenta Moyſaica non iuſtificabant, multò minùs Sacramenta legis naturæ.

Secunda eſt ſententia S. Thomæ, & aliorum, qui docent Circumciſionem vi ſua non iuſtificaſſe, ſed iuſtificaſſe tamen, quatenus fidei proteſtatio erat, & fidem applicabat. Itaque volunt ij auctores iuſtificatos fuiſſe veteres ex merito paſsionis Chriſti, vt nos iuſtificamur; ſed hoc meritum nobis applicari per Sacramenta; Hebræis autem per ſolam fidem: quę tamen fides requirebat, vt conditionem, ſine qua non operabatur, Sacramentum Circumciſionis. Et hęc ſententia ſine dubio probabilior eſt.

Nunc probabimus nullum Sacramentum legis naturę, aut ſcriptæ iuſtifi- *Prob. reſp. ad* caſſe ex opere operato; ſine eo modo, quo Sacramenta nouę legis iuſtificant. *quæſt.* Primò ex ſcripturis Prophetarum. Primus locus eſt: *Sacrificium, & oblatio-* 1. *nem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.* *Pſal. 39.* Vbi ſcript. non negat Deum velle ſacrificia, cùm ipſe ea fieri iuſſerit; ſed negat ea velle ad expiandum peccatum.

Secundus eſt: *Si voluiſſes, ſacrificium dediſſem* (nimirum ad expiandum pecca- *Pſal. 50.* tum) *vtiq; holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus,* &c. Vbi Scriptura opponit ſacrificium contritioni; & de vno negat, quod de altero affirmat: quod non faceret, ſi vtrumque concurreret ad iuſtificationem: neque enim nunc rectè diceretur: Deus non vult Baptiſmum, ſed contritionem.

Tertius eſt: *Quò mihi multitudo victimarum veſtrarum? quis quæſiuit hæc de mani-* *Iſa. 1.* *bus veſtris?*

Quartus eſt. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata* *Hier. 11.* *es?* Vbi de ſacrificio pro peccato loquitur. Et certè de Baptiſmo non diceret: Nunquid Baptiſmus auferet à te malitias tuas.

Amos 5. Quintus eſt: *Quòd ſi obtuleris mihi holocauſta, & munera veſtra, non ſuſcipiam, & vota pinguium non reſpiciam.* Porrò ſi ſacrificia non iuſtificabant, multò minus cæremoniæ aliæ iuſtificabant: nullæ enim cæremoniæ habent clariores promiſsiones de remiſsione peccatorum, quam ſacrificia.

Prob. 2. Secundò probabimus ex verbis Apoſtolorum. Primus locus eſt: *Quid ergò*
Rom. 3. *amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas Circumciſionis? multum quidem per omnem modum. Primum, quia credita ſunt illis eloquia Dei.*

Vbi illud, *Primum*, non eſt nota ordinis, quaſi vellet Apoſtolus multas vtilitates adferre Circumciſionis; ſed ſignificat potiſsimum, ſeu præcipuum; non enim adfert alias vtilitates.

Solùm ergò auctore Paulo Iudæi circumciſi præſtabant gentibus non circumciſis, quòd illi habuerint Dei legem, & oracula: non ergò Circumciſio iuſtificabat. Nam alioqui præſtitiſſent Iudæi Gentibus, etiam iuſtitia, quod præcipuè Paulus refutare intendit. Vnde paulò poſt ſubiungit: *Quid ergò? præcellimus eos? nequaquam. Cauſſati enim ſumus* (id eſt, cauſſam attulimus, & oſtendimus) *Iudæos, & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* Vbi Paulus, etiamſi dixerat, Iudæos præſtare Gentibus ob Circumciſionem, quia fuerant illis credita eloquia Dei: tamen nunc negat Iudæos præſtare Gentilibus, quia non præſtant quoad iuſtificationem, de qua agebatur: omnes enim tam circumciſi, quàm incircumciſi peccatores ſunt.

Quibus verbis clariſsimè docet Circumciſionem non iuſtificaſſe. Non enim vult dicere nullum fuiſſe iuſtum ante Chriſti aduentum, cum conſtet Patriarchas, & Prophetas, & multos Gentiles fuiſſe iuſtos; vt Melchiſedech, Iob, & alios: ſed vult dicere non fuiſſe iuſtos ex eo, quòd eſſent circumciſi, vel incircumciſi; ſed ex eo, quòd in Chriſtum venturum crederent. Ibidem addit Apoſtolus: *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Quis autem neget Circumciſionem fuiſſe opus legis. Ibidem: *An Iudæorum*, inquit, *Deus tantùm? nónne & Gentium? immò & Gentium, quoniam vnus eſt Deus, qui iuſtificat Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Ac ſi diceret; Deus eſt omnium Deus; quomodo igitur credibile eſt eum dediſſe remedium contra peccatum ſolis Iudæis? Poſſumus nos hinc etiam aliter argumentari: An maſculorum Deus tantùm? nónne & fœminarum? Quis ergò credat Deum dediſſe remedium, quod ſolis maſculis prodeſſet?

Rom. 4. Secundus locus eſt, vbi Apoſtolus ex profeſſo probat Abrahamum non in circumciſione, ſed in præputio fuiſſe iuſtificatum: vt inde admoneat Circumciſionem non eſſe datam, vt iuſtificaret. Si enim is, cui primò data eſt, non fuit ex ea iuſtificatus; quanto minùs alij ex ea iuſtificandi erunt?

1. Cor. 7. Tertius locus eſt: *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.* Vbi Paulus Circumciſionem, vt præputium deſpicit, cùm agitur de iuſtificatione.

Gal. 4. Quartus locus eſt: *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ſeruire vultis?* Quorum elementorum nomine intelligit Circumciſionem, de qua præcipuè loquitur in Epiſtola; & ſimul etiam alias cæremonias legales: & ſanè non dicerentur infirma, & egena, ſi iuſtificarent.

Ibidem dicit Iudæos tamquam paruulos ſub elementis huius mundi ſer-

ſeruientes fuiſſe, nos autem viros eſſe perfectos: quæ ſanè differentia non eſſet vera, ſi Sacramenta noſtra non haberent aliam vim, quàm illæ Iudæorum.

Quintus locus eſt: *Neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed noua creatura.* Vbi videmus opponi nouam creaturam tam Circumciſioni quàm præputio: quod eſſet ineptum, ſi Circumciſio efficeret nouam creaturam.. *Gal. 6.* *Philip. 3.*

Sextus locus eſt, vbi dicit ſe arbitrari detrimentum iuſtitiam, quæ eſt ex lege, & hoc aliquoties repetit: quod certè non diceret, ſi ex vlla legali cæremonia iuſtificatus fuiſſet. Vnde ibidem Circumciſionem per contemptum conciſionem vocat: *Videte*, inquit, *conciſionem.* Nam (vt exponit Chryſoſtomus) *circumciditur*, quod apertè expolitur reſecatis ſuperfluis: *conciditur*, quod temerè, & præter artem ſcinditur in fruſta.

Ibidem Apoſtolus ait ſe non habere fiduciam in carne, & per fiduciam in carne exponit ipſe fiduciam in Circumciſione, alijſque id genus rebus. *Coloſſ. 2.*

Septimus locus eſt, Vbi omnia Sacramenta vetera dicuntur *vmbra futurorum; corpus autem Chriſti.* Quòd ſi noſtra eandem vim haberent, adhuc eſſemus in vmbra. Ibidem: *Circumciſi*, inquit, *eſtis Circumciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis; ſed Circumciſione Chriſti conſepulti in Baptiſmo.* Vbi Paulus Circumciſionem vocat manu factam, & proinde Baptiſmum non manu factum, quia principalis baptizans eſt Deus.

Item; Nihil tribuit Circumciſioni, niſi carnem expoliare; & eam Baptiſmo opponit. Notandum autem in textu Græco haberi; *In expoliatione corporis peccatorum carnis*; & proinde coniungendam hanc partem (*In expoliatione, &c*) cum illa (*Circumciſi eſtis*) non cum illa (*Circumciſione non manu facta*) vt ſit ſenſus: Circumciſi eſtis in expoliatione corporis peccatorum, non Circumciſione manu facta; ſed Circumciſione Chriſti conſepulti ei in Baptiſmo. Ex quo textu ſumitur idem argumentum, ſed alio modo. Nam Paulus docet Circumciſionem Iudaicam fuiſſe denudationē vnius pelliculæ; noſtra autem Circumciſio eſt expoliatio totius corporis peccatorum. *Hebr. 7.*

Octauus locus: *Reprobatio* ait, *fit præcedentis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem.* Loquitur autem de mandatis cæremonialibus, quorum erat præcipuum de Circumciſione. *Hebr. 9.*

Nonus eſt, vbi dicit cæremonias veteres fuiſſe iuſtitias carnis, & ſanctificaſſe quidem inquinatos, ſed ſolùm ad emundationem carnis. *Hebr 10.*

Decimus eſt, Vbi dicit legem vmbram habuiſſe, non ipſam imaginem rerum; nec potuiſſe accedentes perfectos facere; nec potuiſſe auferre peccata, & mundare conſcientiam: & Deum hoſtias, & oblationes noluiſſe, nec ei placuiſſe: quod intelligi debet in ordine ad iuſtificationem ex opere operato: nam alioqui negari non poteſt quin ei placuerint ex obedientia, & deuotione offerentis. Nam vocantur odor ſuauiſsimus Domino. *Leuit. 1.* *Prob. 3. 4.*

Poſſent ex Patribus etiam adferri argumenta: ſed venimus ad rationem. *veritas.* *Prob. 4.*

1. Ratio. Prima ratio: Sacramentum, vt iuſtificare poſsit, debet habere annexā promiſsionem abſolutam gratiæ. Nullum tale erat in lege veteri: ergò nullum eorum iuſtificabat. Minor prob. ex Apoſtolo: *Melius, inquit, ſortitus eſt miniſterium, quantò & melioris Teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſsionibus ſancitum eſt.* Et infrà explicans, quę ſint iſtæ promiſsiones meliores noui Teſtamenti, profert illud Hierem. *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.*

Hebr. 8.

Hierem. 31.

2. Ratio. Secunda ratio: Lex ipſa vetus tota in hoc diſtinguitur à noua, quòd illa nō iuſtificat; hæc iuſtificat: ergò fieri non poteſt, vt ſacramenta vetera, quæ erant pars quædam illius legis iuſtificarent.

Ioan. 1. Prob. Antec. Nam primò dicitur: *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Quomodo hoc verū, ſi Sacramenta Moyſaica gratiam conferebant? Secundò; Illa vocatur littera occidens; noua ſpiritus viuificans. At cur non erat etiam illa ſpiritus viuificans, ſi eius ſacramenta iuſtificabant? Tertiò; Illa dicitur in ſeruitutem generaſſe; noſtra libertatem attuliſſe. At cur hoc, ſi etiam illa gratiam conferebat, quæ liberat à ſeruitute peccati? Quartò; Illud dicitur vetus Teſtamentum, quia ad veterem hominem pertinet, nec renouare nouit; noſtrum dicitur nouum, quia renouat. Vnde & Apoſtolus vocat Baptiſmum lauacrum renouationis.

2. Cor. 3.

Gal. 4.

Tit. 3.

3. Ratio. Tertia ratio: Promiſsio in ſacramentis, quæ ſunt inſtituta ad ſignificandum, non poteſt impleri, niſi fide recipiatur. At promiſsiones annexæ ſacramentis veteribus implebantur, etiamſi homines non crederent. Non igitur ſacramenta illa erant inſtituta ad iuſtificandum.

Prob. minor: Nam promiſsio Dei annexa arcui cæleſti fuit de non diſsipanda vnquam amplius terra aquis diluuij. Quæ promiſsio impletur, & implebitur, etiamſi homines non credant. Sic etiam promiſsio annexa Circumciſioni fuit, vt fieret Abraham pater multarum Gentium, & daret poſteris eius terram promiſsionis, vt patet: quæ ſine dubio implenda erat, etiamſi Iudæi non crederent. Ita quoque omnia ſacrificia habebant annexam promiſsionem de Chriſti morte futura pro expiatione peccatorum; id enim ſignificiebant omnes illæ mactationes: quę promiſsio implenda fuit, ſiue crederent homines, ſiue non. Vnde Apoſtolus: *Nunquid, inquit, incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Abſit. Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.*

Gen. 17.

Rom. 4.

Rom. 3.

4. Ratio. Quarta ratio: Noſtra ſacramenta dicuntur in ſcripturis ſaluare, regenerare, iuſtificare. Nihil tale vſquam legitur de ſacramentis veteribus. Ergò temerè aſſeruntur paria, quoad efficaciam.

CAPVT

CAPVT VII.

De Charactere.

PROPOSITIO prima: *Signum aliquod ſpirituale animæ imprimitur in quibuſdam Sacramentis, quod character appellatur.* Hæc eſt omnium Catholicorũ, & habetur expreſsè in Concilijs generalibus. Nomen autem characteris acceperunt Scolaſtici ab Auguſtino, qui hoc nomine paſsim vtitur: alij enim veteres antè Auguſtinum ſignum, aut ſignaculum vocant; non characterem: res tamen eſt eadem. Character enim græca vox eſt, & formam, ſeu figuram ſignificat: & habetur in codice Græco hoc nomen in Scripturis Heb. 1. & in codice Latino Apoc. 13: licet non de ſacramentis, ſed de alijs rebus in his locis agatur. *Propoſitio 1.* *Hebr. 3.* *Apoc. 13.*

Propoſitio ſecunda: *Character non eſt relatio, ſed abſoluta qualitas.* Nam character omnium conſenſu producitur per actionem ſacramentalem: relationes autem non producuntur, ſed conſurgunt ad productionem fundamenti proximi. Præterea; Quod eſſet fundamentum huius relationis? Num anima? at tunc in omnibus hominibus eſſet character. Num fides, aut gratia? at ſine his character eſſe poteſt. Certè nomen ipſum characteris aliud, quàm relationem ſignificat. Denique; Modus loquendi Patrum, qui dicunt characterem imprimi, infigi, eoque nos conſignari abſolutam rem nominat. Eſt igitur character qualitas abſoluta, ex qua tamen cõſurgit relatio ſimilitudinis ad Chriſtum, cui configuramur per characterem. *Propoſitio 2.* *Prob. 1.* *2.* *3.*

Propoſitio tertia: *Character tria habet officia; aptum facere ad cultum diuinum, configurare Chriſto, & diſtinguere ab alijs.* Primum eſt, aptum facere. Eſt enim character poteſtas quædam ſpiritualis, & ſupernaturalis, partim actiua, partim paſsiua. Nam tria ſolùm ſacramenta imprimunt characterem; Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Character Baptiſmatis eſt paſsiua poteſtas: facit enim hominem aptum ad ſuſcipienda omnia alia Sacramenta, & ſine ipſo nulla ſacramentorum aliorum ſuſceptio eſt rata. Character Ordinis eſt actiua poteſtas adminiſtranda alijs ſacramenta. Character Confirmationis habet vtrumque: nam & facit aptum ad alia ſacramenta ſuſcipienda, & facit etiam aptum ad profitendam fidem. Videtur tamen magis principaliter eſſe actiuus, quàm paſsiuus, character iſte Confirmationis. Nam ſine iſto charactere tenent reliqua ſacramenta, quod non eſſet ſi iſte character eſſet principaliter paſsiuus, ſicut character Baptiſmi. Nota tamen iſtam potentiam non videri phyſicam, ſed moralem: non enim character attingit effectum, ſed tantum operari dicitur, quia vbicunque eſt talis character, Deus ex pacto adeſt, & concurrit ad effectum ſupernaturalem producendum; quod non facit, vbi non eſt talis character. Secundum officium oritur ex primo. Quia enim iſta potentia deriuatur à Chriſto, & eſt quædam quaſi participatio poteſtatis Chriſti, qui, vt ſummus ſacerdos, habet omnem poteſtatem in ſacramentis; *Propoſitio 3.*

ideo

ideo character configurat nos Chriſto, & ſimiliores illi facit, quàm ſint alij, qui non habent characterem. Tertium officium oritur ex ſecundo. Quia enim per characterem Chriſto configuramur ſpeciali quadam ratione, inde fit, vt diſtinguantur iſti ab illis, vt Sacerdotes à laicis, & laici confirmati à nō confirmatis, & baptizati à non baptizatis. Atque hinc intelligitur, cur Theologi dicant characterem eſſe Sacramentum, & rem Sacramenti, cùm ſignum externum ſit Sacramentum tantùm; gratia autem ſit res tantùm. Nam character eſt effectus Sacramenti ſenſibilis, & ſic dicitur res: & ſimul eſt ſignum, quod homo ſit conſecratus Deo, & Chriſti miles, &c: immò etiam gratiæ, quæ vel adeſt; vel adeſſet, niſi poneretur obex.

Propoſitio 4. Propoſitio 4: *Character ſacramentalis ſola anima eſt tamquam in ſubiecto.* Nota conuenire omnes characterem eſſe in animam inhæſiuè. Accidens enim non inhæret in accidente, ſed in ſubſtantia: tamen poteſt accidens vnum eſſe in alio duobus modis. Primo, quia mediante illo eſt in ſubſtantia, quomodo accidentia corporalia ſunt in quantitate. Secundo, quia perficit operationem alicuius alterius accidentis: quomodo fides dicitur eſſe in intellectu; ſpes & charitas in voluntate. Hoc modo characterem aliqui ponūt in intellectu, vt neceſſarium ad exercendos actus intellectus. Alij ponunt in voluntate, quia putant diſponere ad charitatem, quæ eſt in voluntate. Alij ponunt ſimpliciter in ſubſtantia animæ: & hoc videtur verius, quia non eſt habitus, vel potentia operatiua.

Propoſitio 5. Propoſitio 5: *Character indelebilis eſt.* Hæc habetur in Concilijs Florentino, & Tridentino, & ab omnibus conceditur. Ratio à poſteriori eſt quia conſtat Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non pòſſe repeti. A priori multæ rationes inducuntur, ſed potiſsima eſt, quia character non habet contraria, & eſt in ſubiecto incorruptibili. Non enim eſt, ſicuti habitus fidei, aliarumque virtutum, qui per actus contrarios tolluntur: ſed eſt ſicut potentia ſecundum quoſdum, vel ſicut forma, ſeu figura ſecundum alios. Accedit, quòd character eſt quædam conſecratio animæ: conſecratio autem tā diu durat, quàm diu durat res conſecrata.

Propoſitio 6. Prob. Propoſitio 6: *Tria ſolùm Sacramenta imprimunt characterem, Baptiſmus, Confirmatio, Ordo.* Hæc etiam habetur in Concilijs prædictis, & ab omnibus conceditur. Ratio à poſteriori eadem eſt, quæ ſuperioris concluſionis. A priori difficile eſt, & minimè neceſſarium reddere rationem. Illa potiſsimùm adduci ſolet, quòd in his tribus accipit homo nouam poteſtatem, & deputatur nouo miniſterio per nouā conſecrationem, & quodammodò inſtitutū mutat; & proinde accipit nouum ſignaculum. Nam in Baptiſmo tranſit homo à Diabolo ad Chriſtum, & adſcribitur in eius familiam, & accipit poteſtatem participandi Sacramenta, aliaque bona Eccleſiæ Chriſti. In Confirmatione adſcribitur ad militiam Chriſti, vt gerat vexillum eius in fronte, & accipit robur, & potentiam, vt ex officio pugnet contra dæmones. In Sacramento Ordinis adſcribitur in numerum Ducum, & Præpoſitorum huius militiæ, & accipit poteſtatem diſtribuendi alijs bona Domini ſui. In alijs Sacramentis non fit mutatio ſtatus, nec deputatur homo nouo miniſterio, nec accipit nouam poteſtatem; ſed vel alitur ſpiritualiter, vt in Euchariſtia; vel accipit medicamentum

mentum contra morbos, & vulnera peccatorum, vt in Sacramento Pœnitentiæ; vel accipit antidotum contra reliquias peccatorum, vt in extrema vnctione; vel denique accipit remedium contra concupiſcentiam, vt in Matrimonio.

Propoſitio ſeptima: *Nec Circumciſio, nec vllum Sacramentum veteris legis imprimebat characterem in anima.* Nam Circumciſio imprimebat in corpore characterem, & eo modo erat figura Baptiſmi, qui characterem in anima impreſſurus erat. *Propoſitio 7.* *Prob. 1.*

Præterea, Character nobis imprimitur ad ſuſcipienda, vel miniſtranda opera ſupernaturalia: nulla autem opera Sacramentorum legis veteris erant ſupernaturalia. 2.

Denique; Scotus, quia docuerat Circumciſionem ex opere operato conferre gratiam, non ſine cauſſa etiam tribuit impreſsionem characteris Circumciſioni. At nos, qui docemus Circumciſionem nullam vim habuiſſe ex ſe, niſi ad præcidendam carnem; debemus etiam conſequenter negare vim imprimendi ſpiritualem characterem. 3.

Propoſitio octaua: *Nullus in Chriſto character fuit creatus.* Ratio, quia character eſt quædam participatio ſacerdotij Chriſti: ergò ſolùm eſt in illis, qui habent hoc ſacerdotium per participationem. Item; ſignari charactere eſt ouiũ, ſeruorum, militum, ſubditorum, qui recipiuntur ad aliquod miniſterium ab aliquo maiore: Chriſtus autem eſt Paſtor, Dux, Dominus, &c. Item; Chriſtus non accepit vlla Sacramenta: ergo nec eorum characteres. Denique; Nos egemus charactere, vt Deus nobiſcum quaſi ex pacto concurrat ad actiones Sacramentales; at Chriſtus non eget, vt vllus cum eo ex pacto concurrat, cùm ſit ipſe cauſſa principalis, vt Deus; & inſtrumentalis coniuncta, vt homo. Non enim facit vllus pactum ſecum, aut cum ſuo brachio de concurſu. *Propoſitio 8.* *Prob.*

Nunc probandum ex diuinis litteris eſt, characterem eſſe. Vbi non eſt mirandum, ſi non inueniantur tot teſtimonia, & tam expreſſa de charactere, vt inueniuntur de gratia. Nam gratia eſt effectus principalis; character ſecundarius. *Prob. 1. eſſe Characterem.*

Item; Gratia eſt effectus omnium Sacramentorum; character aliquorum tantùm; proinde vera ratio Sacramenti poteſt ſine charactere conſiſtere. Denique; Notitia gratiæ magis neceſſaria eſt, quàm characteris. Non deſunt tamen loca Scripturæ, ex quibus character colligi poſsit, præſertim adiuncta explicatione Patrum, & Eccleſiæ, ſine qua nullum omnino dogma Eccleſiaſticum certò ſtatui poteſt.

Primum teſtimonium eſt: *Qui vnxit nos Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Hic tres ponuntur effectus Sacramenti Confirmationis, in quo propriè vngimur, & ſignamur, tum interiùs, tum exteriùs. Primò, vnctio, quæ ſine dubio fit per gratiam gratum facientem. Vt enim oleum ſanat morbos, reddit robuſta membra, illuſtrat, cõſolatur, &c. ita gratia iuſtificans facit. Secundò, ſignum, ſeu obſignatio quædam, qua conſecramur Deo, & deputamur ad eius cultum: & per hanc intelligimus characterem, quem Patres paſsim ſignum, ſeu ſigillum vocant. Tertiò pignus Spiritus, id eſt, *2. Cor. 1.*

teſtimonium bonæ conſcientiæ: hæc eſt enim pax, quæ exuperat omnem ſenſum.

Secundo locus eſt: *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis.* Vbi illud (*credentes*) in Græco eſt temporis præteriti πιςεύσαντες, id eſt, poſtquam credidiſtis. Quocirca loquitur de Baptiſmate, quod datur poſt fidem: ac dicit in Baptiſmate dari obſignationem in virtute Spiritus ſancti. Et ita exponunt de ſignaculo, quod accipitur in Baptiſmo, Græci, & Latini.

Epheſ. 1.

Epheſ. 4. Tertius: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Vbi per, *diem redemptionis,* intelligit diem regenerationis per Baptiſmum. Nec obſtat particula illa (*in diem*) quia Apoſtolus ſolet vſurpare præpoſitionem, εἰς, quæ coniungitur accuſatiuo, pro præpoſitione, ἐν, quæ coniungitur datiuo apud Græcos, & ablatiuo apud Latinos: vt ibi: *Saluum me faciet in regnum ſuum cæleſte,* id eſt, in regno ſuo cæleſti.

2. Tim. vlt.

Prob. 2. His accedunt figura, & vaticinium Teſtamenti veteris. Nam Circumciſio fuit figura Baptiſmi omnium conſenſu. Circumciſio autem non ſolùm præcidebat carnem, quo ſignificabatur iuſtificatio à peccato; ſed etiam relinquebat in corpore quoddam veluti cauterium, quo diſcernebantur Iudæi à non Iudæis. Quod cauterium ſi quid ſignificabat, certè ſignificabat characterem, quem in anima gerunt Chriſtiani, quo diſcernemur in æternum à non Chriſtianis. Vaticinium habetur in Iſaia, vbi loquens Dominus de vocatione gentium: *Omnes,* inquit, *gentes, & linguæ venient, & videbunt gloriam meam, & ponam in eis ſignum,* &c. Quamuis enim per hoc ſignum poſsit intelligi ſignũ crucis, aut aliquid aliud, tamen nihil repugnat, ſi dicamus intelligi characterem: præſertim cùm videamus Paulum loqui de ſigno quodã ſpirituali interno, & oporteat Scripturam exponere per Scripturam.

Iſa. 66.

Prob. 3. Ratione etiam Character oſtenditur. Prima ratio ſumitur ex diuina liberalitate, & conſuetudine. Deus enim in hoc differt ab hominibus, quòd homines, cùm hominibus iniungunt aliquod officium, non tribuunt eis aliquid internum, quo fiant apti ad illud officium; &, cùm diligunt aliquem, non faciunt bonum, & pulchrum; ſed diligunt quia talis eſt: &, cùm volunt ſe ab alijs diligi, aut ſibi credi, aut in ſe ſperari, non tribuunt eis vim aliquam internam, qua diligant, ſperent, aut credant. Deus autem, cùm diligit, diligendo facit bonum, & pulchrum, infundendo gratiam: &, cùm vult ſibi credi, in ſe ſperari, ſe diligi, infundit habitum fidei, ſpei, & charitatis. Ergò eodem modo, vt credibile eſt, cùm Deus aliquem deputat, & conſecrat ad Sacramenta, vel danda, vel recipienda, vel alia miniſteria, id non facit per ſimplicem deputationem, vt homines facere ſolent; ſed infundendo certas qualitates, quibus illi fiant apti, & idonei ad talia officia, vel miniſteria: & eas qualitates vocamus Characteres.

1. Ratio.

2. Ratio. Secunda ratio: Baptiſmus ex communi ſententia, exceptis Anabaptiſtis, aliquid Sacramentale confert, etiamſi detur, & percipiatur ſine fide; Euchariſtia, & abſolutio nihil conferunt; igitur aliquem effectum Sacramentalem habet Baptiſmus præter gratiam. Idem argumentum fieri poſſet de Confirmatione, & Ordine.

Prob.

Prob. Antec. nam qui baptizatur ab infidelibus, & communicat cum eis in infidelitate, dicitur verè, & propriè baptizatus, ſi ſeruatus ſit debitus ritus, & forma verborum cum intentione. At, qui abſoluitur ſine fide, non verè eſt abſolutus; &, qui ſumit Euchariſtiam ſine fide, non verè communicat corpori Domini ſecundum Caluinum: & ſecundum Catholicos ſumit quidem ore verum corpus Domini, ſed nihil recipit in anima, niſi peccatum. Manet igitur ex Baptiſmo effectus aliquis Sacramentalis, qui non eſt gratia, cum gratia ſine fide non detur, nec eſt ipſa actio exterior, quia illa reperitur etiam in Euchariſtia. Eſt igitur aliquid aliud permanens in anima; & hoc vocamus characterem.

3. Ratio. Tertia ratio: Baptiſmus non poteſt repeti, ſi fuerit ſemel ritè collatus, vt etiam Confirmatio, & Ordo: cætera poſſunt repeti. Sed vera cauſſa non poteſt aſsignari hûius diſcrimis, niſi character: igitur neceſſe eſt fateri imprimi per Sacramenta quędam characterem. Minor prob.: nam inprimis, ſi ponatur character, perſpicua erit ratio diſcriminis: ideo enim quædam Sacramenta non poſſunt repeti, quia ſemel data ſemper manent in ſuo effectu; alia repetuntur, quia non manent, nec in ſe, nec in ſuo effectu; nam gratia, quæ ſolus eſt effectus aliorum Sacramentorum, facilè poteſt amitti, & ſæpe amittitur. Pręterea; Etiamſi aliquando non amittatur, tamen augeri poteſt, & ſic Sacramentum poteſt repeti, vt gratia augeatur: at character nō poteſt augeri per iterarionem Sacramenti eiuſdem. Adde, quòd gratia non eſt Sacramentum ſed effectus Sacramenti tantùm: character autem Sacramentum eſt, & Sacramenti effectus.

CAPVT VIII.

De numero, & ordine Sacramentorum.

VNA eſt, ac ſemper fuit Catholicorū ſententia, ſeptem eſſe propriè dicta
Sacramenta. Ac primum de Baptiſmo nulla quæſtio eſt. Eſt enim ritus *De Baptiſmo.*
eius expreſſus ibi: *Lauacrum aquæ in verbo vitæ*. Et inſtitutio, ac mandatum ibi: *Epheſ. 5.*
Niſi quis renatus: Et: *Baptizantes eos*, &c. Et promiſsio gratiæ ibi: *Qui crediderit,* *Ioan 3.*
& baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et: *Saluos nos fecit per lauacrum*. Idem docent om- *Matth. vlt. Mar. vlt.*
nes Patres. *Tit. 3.*

De Euchariſtia etiam nulla eſt quæſtio; habetur enim ritus ibi: *Accepit pa-* *De Eucharistia.*
nem, & gratias agens fregit, &c. Et inſtitutio, ac mandatum ibidem: *Hoc facite.*
Et: *Niſi manducaueritis*, &c. Et promiſsio gratiæ: *Qui manducat hunc panem, viuet* *Matth. 26. 1. Cor. 11.*
in æternum. Idem etiam docent Patres. *Ioan 6.*

De Confirmatione habemus, ritum externum manuū impoſitionē in Acti- *Ibid.*
bus. Habemus effectum gratiæ ibidem. Nam per manus Apoſtolorum daba- *De Confirmatione.*
tur Spiritus ſanctus; eadem phraſi, qua dictum eſt de Baptiſmo: *Per lauacrum* *Act. 8. & 19*
regenerationis ſaluos nos fecit. Inſtitutio, & mandatum non habetur expreſsè in *Tit. 3.*
Scriptura; tamen colligitur euidenter ex locis citatis. Nunquam enim Apo-
ſtoli ita confidenter, & ordinariè impoſuiſſent manus ad gratiā Spiritus ſan-

cti communicandam, niſi Dominus id pręcepiſſet. Non enim ignorabant nō poſſe vllum hominem inſtituere cęremoniam, ad quam ſequeretur gratia Spiritus ſancti. Proinde oportet vel Apoſtolos fuiſſe temerarios, quod nemo diceret; vel habuiſſe Chriſti mandatum. Fuiſſe autem cęremoniam illam ordinariam, & neceſſariam, & non ſatis fuiſſe orare Deum pro aduentu Spiritus ſancti, ex eo colligitur, quòd Apoſtoli primarij, Petrus, & Ioannes tantum laboris, & itineris ſuſceperunt, vt irent ex Hieroſolyma Samariam ad imponendas manus ijs, quos Philippus Diaconus baptizauerat. Nam orare poterant pro illis manentes Hieroſolymæ. Eſt autem notandum impoſitionem manuum coniunctam fuiſſe cum vnctione, & ſigno crucis: ſimul enim hæc fiunt, dum crucis ſignum Chriſmate pingitur in fronte confirmandorū, idque miniſterio manus Epiſcopalis. *Act. 8.*

De Pœnitētia. Ioan. 20. De Pœnitentia ibi: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Vbi primò habemus ritum, nimirum externum; & iudicialē abſolutionem, quę eſt ſignum interioris, quę fit à Deo per verbum externum, tamquam inſtrumentum. Secundò habemus promiſsionem gratiæ: *Remittuntur eis.* Tertiò habemus mandatum: ibidem: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Vnde Apoſtolus: *Deus*, inquit. *dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Et infrà: *Pro Chriſto legatione fungimur.* *2. Cor. 5.*

De extrema vnctione. Iac. 5. De extrema Vnctione habemus ritum: *Orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini.* Item promiſsionē: *Et alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit dimittentur eis.* Denique mandatum colligitur euidenter ex eo, quòd Apoſtolus non auderet ita abſolutè promittere tantum effectum, niſi à Domino id accepiſſet.

De Sacram. Ordin. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. De Sacramento Ordinis habemus ritum externum, manus impoſitionem. Item promiſsionem gratiæ ibidem: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij.* Et alibi: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Denique inſtitutio, & mandatum ibi: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores,* &c. Et præterea. Vnde ſciebat Apoſtolus datam eſſe Timotheo gratiam per impoſitionem manuum, ſi à Deo non didicerat eo ſigno conferri gratiam? *Ephes. 4.*

De Matrimonio. Ephes. 5. De Matrimonio habemus nomen ipſum Sacramenti: *Sacramentum hoc magnum eſt.* Item ritum externum, id eſt, contractum viſibilem inter virum, & fœminam: de hoc enim Apoſtolus dicit, quòd ſit magnum Sacramentum, vt exponunt Chryſoſt. & Hieronymus. Habemus etiam inſtitutionem diuinā: *Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* Denique; Gratiam annexam colligimus ex hoc ipſo loco Pauli. Nam coniunctio viri, & fœminæ ſignificat coniunctionē Chriſti cum Eccleſia. Illa autem coniunctio duplex eſt: Vna per naturæ cōformitatē, quæ facta eſt in incarnatione; & hęc Chriſtum cōiungit non ſolùm cum Eccleſia, ſed etiam cum toto genere humano. Altera eſt per gratiam, & charitatem; & hæc eſt cum ſola Eccleſia: & ratione huius dicitur Chriſtus ſponſus, & Eccleſia ſponſa iuxta illud: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Igitur matrimonium viri, & fœminæ, vt poſsit ſignificare vtramque vnionem Chriſti cum Eccleſia, oportet, vt non ſolùm ſit inter coniuges *Matth. 19. 2. Cor. 11.*

iuges vnio quædam naturalis, & carnalis, qualis etiam inter Gentiles reperitur; ſed etiam vnio ſpiritualis ex gratia proueniens, & charitate. Proinde Sacramentum hoc gratiam iſtam confert, vt ſignificatio ſit perfecta. Quare *Epheſ. 5.* Paulus ſæpe monet viros, vt diligant vxores, ſicut Chriſtus Eccleſiam: & fœminas monet, vt viris ſubiectæ ſint, ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto. Et rationem reddit, quia hæc eorum coniunctio Sacramentum eſt Chriſti, & Eccleſiæ.

Nunc demonſtrandum, non eſſe plura Sacramenta, quàm ſeptem prædi- *Nõ eſſe plura 7. Sacram.* cta. Et inprimis; Aqua benedicta, ſignum crucis, panis benedictus, exorciſmi, & aliæ cæremoniæ Baptiſmum præcedentes non inueniuntur in Scripturis; proinde non poſſunt aduerſarij ea pro Sacramentis habere. Deinde; Illa omnia dantur etiam ante Baptiſmum: at Baptiſmus omniũ conſenſu eſt omnium Sacramentorum primum, & quaſi ianua. Denique; Nihil eorum habet promiſsionem gratiæ gratum facientis: neque conſtet, an à Chriſto inſtituta ſint, an ab Apoſtolis, cùm tamen vera Sacramenta à ſolo Chriſto inſtitui potuerint.

De lotione pedum videtur maior difficultas. Nam habemus ritum exter- *De lotione pedum.* num, ipſam pedum lotionem; item promiſsionem gratiæ: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Item mandatum Dei: *Exemplum dedi vobis.* Item. *Et vos* *Ioan. 13.* *debetis alter alterius lauare pedes.* Item eſſe myſterium, indicant illa verba: *Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea.* Reſpondeo tamen lotionem illam pedum nihil habuiſſe commune cum Sacramentis propriè dictis, & ſolũ poſſe dici Sacramentum largo modo; quemadmodum Sacramenta dicuntur omnia, quæ myſticum ſenſum habent, & figuræ ſunt, ac typi aliarum rerũ. Nam fuit reuera lotio illa ſignum Chriſti humilitatis, & charitatis. Item ſignũ puritatis, qua debent homines ad Euchariſtiam accedere: ideò enim immediatè ante Euchariſtiæ inſtitutionem Chriſtus hoc fecit. Denique fuit etiam ſignum, & figura quædam purgationis, quam eramus habituri per Chriſti paſsionem.

Non fuiſſe autem Sacramentum propriè dictum, patet primò, quia non habemus promiſsionem gratiæ iuſtificantis: illud enim; *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, ad litteram non promittit gratiam; ſed minatur pœnam ob inobedientiam, vt exponunt Patres. Si enim Petrus obſtinatè recuſaſſet illam lotionem, perijſſet in æternum: non, quia ei deerat lotio pedum, ſed quia peccauerat contra Chriſtum, & deerat illi obedientia. Myſticè tamen ſignificare poteſt, vt exponit D. Auguſtin. etiam iuſtos indigere, vt Chriſtus eos quotidie lauet à peccatis venialibus, quæ ſunt veluti ſordes, quæ pedibus adhærent ob humanam conuerſationem. Sed hoc non ſufficit ad Sacramentum efficiendum, quia hic agitur de lotione peccatorum venialium, quæ non eget noua gratia gratum faciente. Vnde Dominus ait. *Qui totus eſt, non eget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Id eſt, mundus eſt ſimpliciter, & abſolute, cùm ſit iuſtus: tamen adhuc eget lotione à peccatis venialibus. Et præterea; Non habemus ex hoc loco ipſam lotionem pedum reipſa tollere peccata venialia, alioqui deberemus quotidie lauare pedes: ſed ſolùm lotionem illam vnam, qua Dominus pedes lauit diſcipulorum, fuiſſe figuram internæ lotionis, quam ac-

cepimus à Chriſto. Non igitur ipſa pedum lotio eſt ſacramentum propriè dictum.

Secundò; Non habemus mandatum, ſeu inſtitutionem huius ritus frequentandi, quod requiritur in omni Sacramento: alioqui peccarent ferè omnes homines, qui non vtuntur iſta cæremonia. Et licet fuerit hæc cæremonia olim vſitata in quibuſdam Eccleſijs ſtatim poſt Baptiſmum, tamen non fuit vnquam ab omnibus recepta, nec ab ipſa Romana Eccleſia, vt teſtatur Ambroſius. Neque obſtat illud mandatum, *Exemplum dedi vobis*. Item: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*. Et: *Quod ego facio, tu neſcis modò, ſcies autem poſtea*. Nam hoc mandatum præcipit humilitatem, & charitatem, vt exponũt Chryſoſtomus, & Cyrillus; non autem ipſam materialem lotionem pedum, vt patet ex praxi Eccleſiæ: nunquam enim Chriſtiani putauerunt ſe habere ſpeciale mandatum de lotione pedum.

Prob. 7. Sacramenta rationibus. Poſſet etiam ex Concilijs, & Doctoribus probari ſeptem eſſe Sacramenta, ſed venio ad congruentias.

1. Ratio. Prima eſt à ſimilitudine vitæ ſpiritualis, & corporalis. Siquidem in vita corporali quædam requiruntur ex parte hominum ſingulorum, quædam ex parte totius Reipublicæ. Ex parte hominum ſingulorum requiruntur tria per ſe, generatio, augmentatio, & nutritio: & duo per accidens; remedium contra morbos, ſi contingat hominem ægrotare; & remedium contra reliquias morbi, vt perfectè conualeſcat. Ex parte Reip. requiruntur duo: Primò parentes, qui propagent vitam corporalem hominum. Secundò Principes, & Magiſtratus, qui eam ordinent, & regant. Eodem igitur modo in vita ſpirituali primò requiritur regeneratio, quæ eſt per Baptiſmum. Secundò, augmentatio, per Confirmationem. Tertiò, nutritio, per Euchariſtiam. Quartò, remedium contra morbos, ſi contingat regeneratum peccare, per Pœnitentiam. Quintò, remedium contra reliquias peccatorum per Vnctionem extremam. Sextò, ex parte Reip. Matrimonium, quo propagentur homines ad cultum Dei deputandi. Septimò, Ordo ſacer, quo regantur, & gubernentur.

2. Ratio. Secunda ratio ex numero peccatorum, & vulnerum. Nam Baptiſmus eſt præcipuè contra originale; Pœnitentia contra actuale mortale; Vnctio extrema contra reliquias peccatorum; Confirmatio contra infirmitatem; Euchariſtia contra malitiam; Matrimonium contra concupiſcentiam; Ordo cõtra ignorantiam.

3. Ratio. Tertia ratio ex numero virtutum. Nam Baptiſmus reſpondet fidei; Confirmatio ſpei; Euchariſtia charitati; Pœnitentia iuſtitiæ; Vnctio extrema fortitudini; Ordo prudentiæ; & Matrimonium temperantiæ.

4. Ratio. Quarta ratio ex celebritate numeri ſeptenarij in expiationibus. Vide Exod. 29. Leuit. 4. & 8. 13. 14. 15. 16. 23. Num. 19. Deut. 15. 2. Paralip. 29. Iob vltimo: vbi ſemper videbis in expiatione offerri ſeptem animalia, vel ſeptem diebus, vel ſepties aſpergi ſanguinem, &c. Vnde etiam Naaman ſepties iuſſus eſt lauari ad purgandam lepram. *4 Reg. 5.*

De ordine Sacram. Seſſ. 7. can. 3. Iam de ordine, & comparatione Sacramentorum nouæ legis inter ſe agendum. Et quidem Concilium Tridentinum ponit canonem, in quo dicitur anathema

anathema iis, qui ſeptem Sacramenta nouæ legis paria faciunt. Notandum autem Sacramenta ſeptem, licet ſint eiuſdem generis, & proinde omnia verè, & propriè Sacramenta; tamen differre ſpecie, & ſecundum varias rationes nullum eſſe, quod alicui alteri non præſtet.

Nam baptiſmus excellit omnibus, quoad effectum remittendi peccata: nam remittit peccatum originale, quod nullo alio Sacramento remittitur. Item remittit omnia actualia, & omnem pœnam eis debitam, quod non faciunt ſacramenta cętera. *Baptiſmus.*

Confirmatio excellit omnibus, & ipſi etiam Baptiſmo quoad effectum gratię ad bene operandum. Nam in eo ſacramento confertur plenitudo ſpiritus ſancti, & eſt Confirmatio quędam perfectio, & conſummatio Baptiſmi: præſupponit enim totum effectum Baptiſmi, & ſuperaddit gratiam copioſiorem. Vnde Apoſtolis dicitur: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et ante Confirmationis effectum, quam acceperunt in die Pentecoſtes, licet baptizati eſſent, timidiſsimi erant, ita vt omnes in paſsione fugerent, poſtea verò accepto ſpiritu ſancto facti ſunt robuſtiſsimi. *Confirmatio.* *Luc. vlt.*

Euchariſtia excellit omnibus, quoad ipſam ſubſtantiam Sacramenti. Nam cętera conſtant ex re ſenſibili, & virtute quadam agendi ſibi à Deo communicata, per motum: at Euchariſtia non ſolùm virtutem quandam operatiuã, ſed ipſum Chriſtum auctorem illius virtutis continet. *Euchariſtia.*

Pœnitentia excellit cæteris neceſsitate ſolo, Baptiſmo excepto, cum quo eſt illi hęc excellentia communis. *Pœnitentia.*

Extrema vnctio aliquo modo excellit Pœnitentię, quoad effectum gratię, ſicut Confirmatio Baptiſmo. Nam pręſupponit totum effectum Pœnitentiæ, & ſuperaddit gratiam copioſiorem, quę non ſolùm poſſet delere omnia peccata, ſi adeſſent, ſed etiam tollit reliquias peccatorum. *Extrema vnctio.*

Ordo excellit omnibus, excepta Confirmatione, ratione Miniſtri: nam ſolùm ab Epiſcopo conferri poteſt. Immò etiam videtur excellere in hac re Confirmationi: nam Confirmatio aliquando ex diſpenſatione confertur à ſimplici ſacerdote. Ordines autem ſacri, ac pręſertim ſacerdotium nunquam, niſi ab Epiſcopis, conferuntur. Pręterea, Ordo pręſtat quoad aliquid ſibi proprium, quia conſtituit hominem in gradu ſublimiore, quàm ſint cęteri Chriſtiani. *Ordo.*

Denique, Matrimonium excellit ſignificatione: ſignificat enim Chriſti vnionem cum Eccleſia. Vnde ab Apoſtolo magnum ſacramentum appellatur. Porrò Euchariſtia ſimpliciter excellit omnibus: nam eius excellentia eſt in ipſa ſacramenti ſubſtantia. Et prætereà eſt hoc ſacramentum conſummatio omnium ſacramentorum: vnde etiam poſt ſingula conferri ſolet, quando ea traduntur adultis. *Matrimonium.* *Epheſ. 5.*

CAPVT

CAPVT IX.

De cæremonijs Sacramentorum.

Cæremonia quid? CÆREMONIA eſt actus internus religionis, qui non aliunde habet laudem, niſi quia fit ad Dei honorem. Religio enim, quæ eſt nobiliſsima motalium virtutum, tres habet actus, vt quælibet alia virtus. Primò, actum internum elicitum, qui eſt velle Deo debitum honorem, & cultum dare. Secundò, actum externum interno reſpondentem, qui eſt quælibet externa actio: quæ non aliunde eſt bona, & laudabilis, niſi quia fit ad Deum colendum; vt ſacrificium, genuflexio, & ſimilia. Tertiò, actum imperatum, id eſt, actum cuiuſuis virtutis, qui à religione ordinetur ad honorem Dei. Hoc modo ieiunia, eleemoſynæ, & alia id genus dici poſſunt actus religionis, quando fiunt ad colendum Deum; licet alioqui ſint etiam actus aliarum virtutum. De hoc tertio actu dixit S. Iacobus, religionem eſſe *viſitare pupillos, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* *Iac. 1.* Ex his tribus actibus primus nullo modo eſt cæremonia; tertius non eſt etiam cæremonia, niſi quatenus imperatur à religione; ſecundus eſt propriè, & ſimpliciter cæremonia, & de eo hoc loco tractamus.

Nomen Cæremoniæ. Nomen autem, *Cæremonia*, vel dictum eſt ab oppido Cære, vt volunt Liuius, & Valerius, quòd in eo oppido ſacra Romana ſeruata ſint, quo tempore Galli Romam diripuerunt: vel fortè rectiùs dictum eſt à carendo, vt ſit cæremonia quaſi cærimonia, vt vult S. Auguſtin. Gellius, & Macrobius; eò, quòd quædam cæremoniæ in abſtinendo, & carendo poſitæ ſint: qualis erat apud Iudæos carere vſu carnis ſuillę, & omnia ferè vota Nazarçorum, & aliorum, qui vini, & aliarum multarum rerum vſu ex voto carebant. Quinque autem ſunt partitiones cęremoniarum.

Prima Cæremoniarũ partitio. Prima partitio ſumitur à fine, ſeu effectu. Quædam enim inſtituuntur ad iuſtificandum, vt Sacramenta; & de his modo non agimus. Quędam ad aliqs quoſdam effectus ſpirituales, vt ad dęmones coërcendos, vt exorciſmi, aqua benedicta, &c. Quędam ad ſolum ornatum, & ſignificationem, vt veſtis alba Neophytorum, lumina cereorum, &c. Et de his agimus.

2. Partitio. Secunda partitio ſumitur à cauſſa efficiente, id eſt, ab inſtitutore. Quędam enim ſunt ab ipſa natura quodammodo inſtitutę, quę naturales dici poſſunt: quale eſt reſpicere in cœlum, tollere manus, flectere genua, tundere pectus, cùm Deum oramus: iſta enim natura ipſa docet, vnde etiam communes ſunt gentilibus, & quibuſcunque ſectis. Quędam ſunt à Deo inſtitutę, vt multæ in Teſtamento veteri, & Sacramenta quædam in nouo, atque hæ diuinæ cæremoniæ appellantur. Quædam denique ſunt ab Apoſtolis, vel eorum ſucceſſoribus inſtitutæ, quæ dicuntur Eccleſiaſticæ.

3. Partitio. Tertia partitio ſumitur à cauſſa formali. Quædam enim cæremoniæ ſunt immediatè cultus Dei, vt ſacrificium, oratio, adoratio, &c. Quędam diſponunt

nunt ad colendum Deum, vt ieiunia, cœlibatus, vitę aſperitas, &c. Quędam ſunt inſtrumenta diuini cultus, vt templa, aræ, calices, &c.

Quarta partitio à cauſſa materiali, ſeu ab obiecto materiali. Quædam enim cæremoniæ verſantur circa perſonas, vt exorciſmi, inſufflationes, aſperſio cineris, &c. Quædam circa locum, vt conſecratio templi. Quædam circa tempus, vt dies feſti, vigiliæ, Quadrageſima, & ſic etiam ſunt tempora determinata Sacramentorum celebrationi. Quędam circa modum, vt quòd Latinè Sacramenta miniſtrentur. Denique, quędam circa res ipſas, vt benedictiones aquę, olei, veſtium, palmarum, &c. 4. Partitio.

Quinta partitio ſumitur ab accidentibus. Vt quòd Aliæ ſint vniuerſales, aliæ particulares; vt ieiunium Sabbathi temporibus S. Auguſtini ſeruabatur Romæ, non Mediolani: & contra lotio pedum poſt Baptiſmum ſeruabatur Mediolani, non Romæ. Item, aliæ temporales; vt abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato: alię perpetuæ, vt ritus Sacramentorum. Denique, Alię in pręcepto: Alię liberę. 5. Partitio. Act. 15.

Nunc prima ſit de cęremonijs propoſitio: *Cæremonias aliquas Chriſtus, vel Apoſtoli inſtituerunt, quas ex nulla Scriptura, ſed ex ſola traditione habemus.* Propoſitio 1.

Prob. breuiter ex eo, quòd Sacramentum Chriſmatis ſacroſanctum eſt, ſicut Baptiſmi Sacramentum: at Sacramenta ſolus Deus inſtituere poteſt: igitur Sacramentum Chriſmatis Chriſtus inſtituit; & tamen nuſquam habemus in ſcriptura mentionem Chriſmatis. Item Apoſtolus ait: *Cetera, cum venero, diſponam.* Et tamen nihil poſtea ſcripſit de ritu Sacramenti Euchariſtię, de quo ibi agebat: neque credibile eſt eum non pręſtitiſſe, quod promiſerat; aut eius leges poſtea interijſſe. Quare B. Auguſtinus affirmat inter alias Apoſtolorum leges vnam fuiſſe, vt Euchariſtiam ieiuni ſuſciperemus: idque cum alijs ritibus, quos Eccleſia ſeruat, Apoſtolum promiſiſſe, cum ait: *Cetera, cùm venero, diſponam.* Baſilius multa enumerat, ac primo loco ſignum crucis, quę ab Apoſtolis inſtituta ad nos ſola traditione non ſcripta venerunt. Pari ratione aquã vino miſcendam in Euchariſtia Chriſtum ipſum inſtituiſſe aſſerit Cyprianus, & ex eo Auguſtinus: & tamen non habetur hoc expreſsè in vlla Scriptura. Prob. 1. Cor. 11.

Secunda propoſitio: *Aliquæ cæremoniæ vim habent ſpiritualem.* Prob. de ſigno crucis: Nam omnes Patres paſsim affirmant frontem armandam, & muniendam contra omnes inſidias dęmonum, & miram eius eſſe virtutem. Eſt autem notandum, tribus modis operari ſignum crucis in dęmonibus terrendis. Primò, ex apprehenſione ipſorum dęmonum. Secundò, ex deuotione hominis. Tertiò, idque potiſsimum, ex inſtitutione Dei, atque adeo ex opere operato. Ac primùm dubium eſſe non poteſt, quin dęmon, cùm ſignum crucis fieri videt, recordetur ſe Chriſti cruce deuictum, ac proinde horreat illud ſignum ſuę calamitatis, & fugiat, quomodo canes fugiunt, quando baculum, aut lapides vident. Deinde, ex deuotione hominis ſe ſignantis eo modo vim habet hoc ſignũ, quo vim habet oratio vocalis. Eſt enim ſignum crucis quędã inuocatio meritorum Chriſti crucifixi ſigno expreſſa, loquimur enim corde, ore, & nutibus. Itaq; opponere diabolo, & cuiuis malo ſignũ crucis eſt opponere Chriſti paſsionẽ, id eſt, inuocare Deũ per Chriſti merita. Quo circa tũc effectus Propoſitio 2. Prob.

magis procedit ex interna fide, & deuotione, quàm ex ipſa figura crucis: ſicut, cùm oramus voce & impetramus, impetratio non tribuitur ſono vocis, ſed fidei, & deuotioni: Tertio, ex Dei inſtitutione, & ex opere operato vim habere hoc ſignum: nam ſæpe homines Iudæi, vel Ethnici ſine vera fide, aut deuotione ſigno crucis adiuti ſunt: Vt patet de Iuliano apoſtata apud Nazianzenum, & de Ioſepho Hebræo apud Epiphanium, & de alio Hebræo apud Gregorium.

L. 3. Dial c. 3. Propoſitio 3. Tertia propoſitio: *Poteſt Eccleſia inſtituere nouas cæremonias, non quidem ad iuſtificandum impium, ſed ad alios effectus ſpirituales.* Tribus modis [illegible] vtiles ſunt cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ. Primò, ad ornandum, & repræſentandum aliquod myſterium religionis, & eo modo iuuandos rudiores. Et de hoc inter Catholicos nulla poteſt eſſe dubitatio. Secundò, ad morbos curandos, & pellendos dæmones, & peccata venialia purganda, & alia id genus; idque per modum impetrationis; vt, cùm Eccleſia benedicit candelas, palmas, agros, &c. Iſta enim valent ad effectus illos, ad quos inſtituuntur ex vi orationis Eccleſiæ, quæ ſine dubio exaudiuntur: & de hoc etiam non eſt quæſtio inter Catholicos. Tertio modo probabile eſt poſſe Eccleſiam inſtituere eiuſmodi cæremonias ad eoſdem effectus per applicationem meritorum Chriſti; ita vt ex opere operato illos effectus producant, quomodo Sacramenta ex opere operato iuſtificant. Chriſtus enim ſine dubio meruit Eccleſiæ ſuæ non ſolùm gratiam & gloriam; ſed etiam omnia alia beneficia, quæ illi vtilia eſſe poſſunt. Et quidem ad gratiam, & iuſtificationem impij conſequendam inſtituit ipſe Sacramenta, quibus applicentur ipſius merita; nec licet iam alia ſigna inſtituere ad effectum illum principalem: ad alia minora beneficia reliquit Eccleſiæ poteſtatem, vt inſtituat ſigna, quibus applicentur ipſius merita. Ita quidam diſputant; ſed nõ eſt hoc vſque adeò certum, præſertim cùm videamus non habere ſigna iſta infallibilem effectum. Quanquam dici poſſet habere effectum infallibilem, ſi id ſit vtile hominibus; non autem abſolute, quia ſæpe non expedit nobis ea beneficia conſequi: quomodo de extrema vnctione dicere ſolemus quoad effectũ ſanitatis corporalis. Sed quidquid de hoc ſit; noſtra propoſitio ſolùm aſſerit contra hæreticos licere Eccleſiæ inſtituere nouas cæremonias nõ ad iuſtificandum à peccatis mortalibus, ſed ad alios fines.

Prob. 1. Propoſitio. Prob. primò exemplis Synagogæ, vel hominum priuatorum in veteri teſtamento. Non eſt enim vlla ratio, cur non poſſit Eccleſia Chriſti id, quod ſine Dei mandato expreſſo (quanquam non ſine Dei inſpiratione) aliqui priuati homines, vel ſynagoga poterat. Iacob, cùm nondum Patriarcha eſſet, ſed priuatus homo, Deo quidem (vt videtur) impellente, non tamen expreſsè mandante, nouam cæremoniam excogitauit. Erexit enim lapidem in titulũ, fundens oleum deſuper, & vocauit nomen loci illius, Bethel, in memoriã viſionis quam in eo loco habuerat. Item; Synagoga Iudæorũ, auctore Mardochæo, addidit nouum feſtum diem ſolemnem omnibus celebrandum, quem Deus non inſtituerat in lege. Idem factum eſt tempore Iudith in additione alterius feſti.

Gen. 28. Eſter 9. Iudith vlt. Prob. 2. Act. 15.

Secundò prob. ex Apoſtolorum exemplo. Apoſtoli enim congregati in Cõcilio nouam cæremoniam inſtituerunt; nimirum, vt gentiles abſtinerent à ſanguine, & ſuffocato: quod certè nuſquam Deus iuſſerat, niſi Iudæis; & præterea

iam erat euacuata, & abrogata lex illa Iudaica per Chriſti mortem: Vnde fuit verè noua illa cęremonia Apoſtolorum inſtituta ad alium finem, quàm olim Iudaica; vnde vocatur *dogma Apoſtolorum*. Et pręterea multa alia Apoſtoli inſtituerunt, quæ in Scripturis non habentur. Nulla autem eſt ratio, cur nõ poſsit modò Eccleſia, quod tunc poterat. Non enim Apoſtoli illud fecerũt ex aliqua noua reuelatione ſibi conceſſa, ſed ex poteſtate ordinaria gubernandi Eccleſiam; vt patet ex eo, quòd Concilium coëgerunt, & collatis ſententijs ſtatuerunt, quod vtile eſſe iudicarunt. *Act. 16.*

Tertiò; Si Eccleſia non poſſet id facere, vel repugnantia eſſet ex parte Eccleſiæ, vel ex parte cęremoniarum, vel ex parte nouitatis; id eſt, vel non poſſet, quia non habet auctoritatem aliquid ſtatuendi; vel quia cęremoniæ ſunt propriæ Teſtamenti veteris, proinde non conueniunt Teſtamento nouo; vel quia non licet aliquid addere cęremonijs à Chriſto inſtitutis. At nihil horum dici poteſt: Nam Eccleſiam poſſe aliquid ſtatuere, manifeſtè patet, vel ex eo, quòd ab initio fidei ſingulis ætatibus Concilia celebrata ſint, quæ ſemper canones ediderunt: damnare autem omnia Concilia manifeſta inſania eſt. Non repugnare autem cęremonias nouæ legi, patet ex Sacramentis à Chriſto inſtitutis, quæ ſunt veriſsimæ cęremoniæ. Denique; Non repugnare ipſam nouitatẽ, patet, quia nuſquam Dominus prohibuit, ne adderemus cęremonias ad Sacramenta ipſius cõmodius, & vtiliùs adminiſtranda. Immò cùm Dominus pauciſsimas cęremonias inſtituerit, nec tradiderit modum, quo miniſtrari deberent, id reliquit ſine dubio prouidentiæ Paſtorum ipſius Eccleſiæ; vt rectè docet Auguſtinus. *Prob. 3.*

Quarta propoſitio: *Cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ non poſſunt omitti ſine peccato, etiam citra ſcandalum.* Ratio pręcipua eſt ex Paulo: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* Et infrà: *Ideòque neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Quæ ſententia licet in particulari applicetur temporalibus Principibus, cùm ſubiungit; *Si malè feceris, time; non enim ſine cauſſa gladium portat*: tamẽ ſententia eſt generalis de omnibus habentibus poteſtatem, vt patet ex illis verbis: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Iſta enim propoſitio ęquiualet huic; Omnis poteſtas à Deo eſt. Eſſe autem in Eccleſia poteſtatem quandam Prępoſitorum ſuper cęteros, negari non poteſt, cũ Scriptura id paſsim doceat: vt; *Qui præeſt, in ſolicitudine.* Et: *Hæc abſens ſcripſi, vt non præſens duriùs agam ſecundum poteſtatem, quam dedit mihi Dominus.* Et. *Obedite Præpoſitis veſtris.* Efficitur ergò, vt, qui leges Eccleſiæ non ſeruant, peccent in conſcientia. *Propoſitio 4. Prob. 1. Rom. 13. Rom. 12. 2. Cor. 13. Heb. 13.*

Sed in particulari, quòd cęremoniæ non ſint omnes liberæ obſeruationis, probatur ex eo, quòd propter cęremonias natæ ſint in Eccleſia grauiſsimę diſſenſiones, & ſub pœnis grauiſsimis impoſitæ ſunt leges de cęremonijs, & tandem hęretici habiti ſunt, qui non obediebant. Quæ omnia ſunt argumenta manifeſta rem iſtam non eſſe liberam: non enim de rebus liberis naſcuntur diſſenſiones. *Prob. 2.*

Prima diſſenſio in Eccleſia fuit ob cęremonias legales, quæ ab Apoſtolis ſopita eſt. Nam cùm dicunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil vltrà imponere vobis* *Act. 15.*

ſed veſtiuntur, & ornantur, vt externam quandam maieſtatem ſenſibus obijciant, & per eam maiori cum reuerentia ab ipſa mente percipiantur. Itaque id ſunt cæremoniæ religioni, quod ſal carnibus, & cortex medullæ. Atque hinc apud veteres, Theologum eſſe nihil erat aliud, niſi ſcire, quæ numina, quibus cæremonijs colerentur. Et apud Iudæos ſummum quid fuiſſe, ſcire cæremonias patet ex Exod. vbi Ietro monet Moyſen, vt iudicia ciuilia *Exod. 18.* committat alijs; ipſe autem doceat populum cæremonias, & ritum colendi. Apud Chriſtianos quoque fuiſſe in magno pretio cognitionem cæremoniarum, vel vna quæſtio de Paſchate abunde demonſtrat.

Sexta eſt diſtinctio Catholicorum ab hæreticis. Nam Sacramenta ſunt *6. Vtilitas.* quidem ſymbola quædam, quibus diſcernimur ab infidelibus; tamen ab hæreticis vix per Sacramenta diſtingui poſſumus; ſed per cæremonias optimè diſtinguimur. Hoc enim tempore ſignum crucis, abſtinentia à carnibus feria ſexta, & ſimilia ſunt optima ſigna diſtinguentia Catholicos ab hæreticis. Hac de cauſſa initio Eccleſiæ mutarunt Apoſtoli Sabbathum in Dominicam, ne videremur Iudaizare. Hinc etiam ſancti viri ſemper maluerunt mori, quàm cogi ad aliquam cæremoniam dimittendam, cùm intelligerent non abijcere ſigna militiæ, niſi militiæ deſertores. Teſtis eſt S. Eleazarus, quem poſteà ſecuti ſunt ſeptem fratres Machabæi. *2. Mach. 6. 2. Mach. 7.*

Iam verò, quòd cæremoniæ ſint meritoriæ, ac Deo placeant, prob. quia omnia opera virtutum Deo placent, & apud eum præmium merentur, ſi fiant, vt oportet; id eſt, cum fide, & charitate. Sunt autem cæremoniæ opera virtutum. Nam, vt minimum, ſunt actus religionis: ſæpe etiam ſunt actus religionis, & alicuius ſimul alterius virtutis; & denique, cùm ſint imperatæ, ſunt etiā actus obedientiæ. *Probantur cæremoniæ eſſe meritoriæ.*

Secundò; Profeſsio fidei exterior Deo placet: *Qui confitebitur me coram hominibus, &c.* Et: *Ore confeſsio fit ad ſalutē.* Sed cæremonijs profitemur fidē: ergò, &c. *Prob. 2. Matth. 10. Rom. 10.*

Tertiò; Deo placet fides, ſpes, charitas, deuotio, & omnis interior actus *Prob. 3.* bonus; ergò etiam placebunt actus exteriores, qui partim ſunt effectus interiorum, partim illos ipſos augent, & conſeruant. Vnde, cùm Moyſes oraret *Exod. 17.* eleuatis manibus, populus Dei vincebat: cùm dimitteret manus, vincebatur.

Quod autem dici poſsint pars cultus diuini, prob. Nam ipſa naturalis ratio *Probantur eſſe pars cultus diuini.* docet hominem, qui conſtat corpore, & animo, debere Deum honorare, & colere animo, per actus interiores; & corpore, per exteriores. Secundò; Omnes aliæ virtutes, licet in animo conſiſtant principaliter, tamen conſummātur *Prob. 2.* per actus exteriores; vt patet de temperantia, & fortitudine, & cæteris: cur ergò non idem dicamus de religione? Et confirm. quia ſi oratio vocalis eſt cultus Dei omnium conſenſu, cur non etiam adoratio corporalis? Vt enim oratio vocalis eſt cultus, quia eſt ſignum mētalis: ita adoratio erit cultus, quia eſt ſignum internæ adorationis. Tertiò; Natura docet Deum eſſe colendum *Prob. 3.* ſummo modo, cùm ſit ſummum eſſe: at magis colit, qui corpore, & animo, quàm qui animo tantum: ergò corporalibus cæremonijs Deus poteſt coli.

Quartò, Deus verè offenditur, & ignominia afficitur non ſolum actu in- *Prob. 4.* terno, ſed etiam externo: ergo honorandus eſt non ſolùm actu interno, ſed etiam externo.

Propoſitio 6. Sexta propoſitio: *Sapientiſsimè inſtitutum eſt, vt in Eccleſia Latina latinè Sacramenta adminiſtrentur.*

Nota 1 Nota primò; Cùm de lingua, qua Sacramenta adminiſtrari debent, agitur, debet excipi Matrimonium. Quia enim Matrimonium conſiſtit in conſenſu mutuo, neceſsario requiruntur verba, vel nutus, qui ab vtraque parte intelligantur. Et ſimiliter Confeſsio peccatorum debet fieri lingua vtrique nota: licet Confeſsio non tam ſit Sacramentum, quàm Sacramenti materia.

Nota 2. Nota 2. Non eſſe de iure diuino, qua lingua Sacramenta adminiſtrentur, neque id ad eſſentiam Sacramentorū pertinere: tam enim valebit Baptiſmus, ſi adminiſtretur Latinè, quàm ſi Italice, vel alia lingua: tamen ob multas, eaſque grauiſsimas cauſſas viſum eſt Eccleſiæ, & ipſi Spiritui ſancto, qui eam regit, vt Sacramenta non miniſtrentur lingua vulgari, niſi fortè in caſu neceſsitatis.

Nota 3. Nota 3. nos loqui de Eccleſia Latina: nam in Eccleſia Græca rectè faciunt, cum Græca lingua vtuntur; & in Eccleſijs Syriæ, cum vtuntur lingua Chaldaica. Nam requiritur ad miniſterium Sacramentorum lingua non vulgaris, ſed quæ tamen non omnino ſit incognita, ſaltem doctis; alioqui non inuenirentur paſtores, & miniſtri neceſſarij. Tales autem ſunt lingua Græca, Chaldaica, & Latina: nulla enim eſt vulgaris, & tamen quælibet eſt communis, & nota peritis in ſuis regionibus. Idem ferè dici poteſt de Arabica, quæ nunc eſt communis multis Orientalibus Prouincijs, & in ea celebrantur officia diuina: ſed alia eſt Arabica vulgaris; alia Arabica, qua vtuntur in ſacris.

Prob. 1. Propoſitio. Prob. hęc propoſitio primò ex Eccleſiæ antiqua conſuetudine. Eccleſia Latina ſemper Latinè ſacramenta miniſtrauit, licet iamdudum defierit lingua Latina eſſe vulgaris. Prętereà in Sacramentis miniſtrandis ſemper leguntur aliquæ partes diuinæ Scripturæ: at non extabant olim Scripturæ, niſi Hebraicè, Græce, & Latinè.

Prob. 2. Prob. ratione: Nam nulla eſt neceſsitas, quæ cogat lingua vulgari ſacramenta miniſtrari, & contrà multa ſunt incommoda, ſi id fiat. Nullam eſſe neceſsitatem, prob. Nam ſi vlla eſſet neceſsitas ea eſſet maximè, vt intelligant id quod dicitur, qui ſacramenta percipiunt: at hęc non eſt vera neceſsitas. Nam verba Sacramentorum aut diriguntur ad elementa, vt conſecratio Euchariſtiæ; benedictio aquæ, & olei; elementa autem nullam linguam intelligūt: aut diriguntur ad Deum, vt formæ verborum deprecatoriæ, qualis eſt in extrema vnctione; Deus autem omnes linguas intelligit: aut diriguntur ad perſonas, ſed conſecrandas, vel abſoluendas; non autem inſtruendas, & docendas; vt in Baptiſmo, & Abſolutione; & proinde per accidens eſt, ſi perſona intelligat. Cuius ſignum eſt, quia veriſsimè, & efficaciſsimè baptizantur, & reconciliantur etiam ij, qui non vtuntur ratione, vt patet in Baptiſmo infantium; & in reconciliatione ægrotorum, qui ſunt à ſenſibus ſuis alienati. Adde, quòd nulli ferè ſint in Eccleſia Latina tam rudes, qui non intelligant verba Sacramentorum, licet Latina: aut certè non intelligant in genere per ea verba ſibi tale, aut tale Sacramentum miniſtrari.

1. Incommodū linguæ vulgaris. Eſſe autem incommodum, ſi vtamur lingua vulgari, patet primò, quia impeditur commercium Eccleſiarum; non enim poterunt conuenire in Eccleſijs Germa-

Germanorum, Anglorum, Polonorum, Itali, Galli, Hiſpani, neque contra. Quod multùm nocet vnitati, & cõmunicationi, quæ deberet eſſe inter membra vnius corporis. Et prꝗterea cogerentur Chriſtiani extra ſuas regiones carere diuinis officijs.

Secundò; Sacramenta requirunt maieſtatem, & reuerentiam quandã, quæ certè meliùs conſeruatur, ſi vtamur lingua non vulgari, & communi. Quomodo enim æquum eſt, vt in Sacramentis miniſtrandis vtamur alia domo, alijs veſtibus, alijs inſtrumentis, quàm ordinarijs, & quotidianis, ita par eſſe videtur, vt vtamur alia lingua. *2. Incommodum.*

Tertiò; Expedit, vt verba Sacramentorum conceptis verbis, & eodẽ modo ab omnibus proferantur, vt periculum caueatur mutationis, vel deprauationis. Id autem facillimè ſeruabitur, ſi eadem lingua omnes vtantur, difficillimè, ſi diuerſis. *3. Incommodum.*

Quartò; Si lingua vulgari Sacramenta miniſtrentur, aperietur porta latiſſima ignorantiæ: contenti enim erunt miniſtri, ſi ſciant legere. Atque ita paulatim obliuiſcentur linguam Latinam, & non legent Patres, nec intelligent proinde Scripturas. *4. Incommodum.*

DE

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De nomine, definitione, materia, forma, neceſsitate, & inſtitutione Baptiſmi.

Nomen Baptiſmi. DE nomine Baptiſmi nulla diſſenſio eſt: vtuntur enim omnes hac voce, quòd in Scripturis paſsim habeatur. Significat autem βάπτισμα propriè immerſionem. Ordinariè enim Baptiſmus fit per merſionem, idque ad Chriſti ſepulturam
Coloſſ. 2. repræſentandam, iuxta illud: *Conſepulti ei per Baptiſmum.* Habet autem apud Patres multa alia nomina, qui vocant Baptiſmum illuminationem, gratiam, donum, ſigillum, myſterium, expurgationem: ſed præcipuum nomen, & communiſsimum eſt
Hebr. 6. φωτισμὸς, id eſt, illuminatio. Hoc enim & Apoſtolus vtitur, cùm ait: *Impoſsibile*
Hebr. 10. *eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati,* &c. Et: *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſsionum.* Dicitur autem Baptiſmus illuminatio, quia in eo infunditur habitus fidei.

Definitio Baptiſmi. Porrò Catechiſmus Romanus aptiſsimè ita definit Baptiſmum: *Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Quæ definitio partim ſumi-
Ioan. 3. tur ex Ioan. partim ex Paulo. Et quidem primo loco ponitur, *Sacramentum,*
Ephеſ. 5. quod eſt genus. Deinde additur, *regenerationis,* quæ eſt differentia contrahens genus, & diſtinguens à Sacramentis veteris legis. Tertiò additur, *per aquam,* quæ eſt alia differentia adhuc magis contrahens, & diſtinguens ab alijs Sacramentis nouæ legis. Et ſi enim cętera non dicuntur propriè regenerare, tamen iuſtificant impium, & præſertim Pœnitentia: iuſtificatio autem impij, præſertim hæretici, aut Apoſtatæ, parum, aut nihil differt à regeneratione. Vnde
Gal. 4. Paulus: *Filioli mei, quos iterum parturio.* Sed cùm additur; *per aquam,* iam perſpicua differentia eſt. Non enim reconciliatio pœnitentium eſt regeneratio per aquam; ſed reformatio quædam, & quaſi reuocatio ab inferis. Denique additur; *in verbo vitæ,* vt exprimatur etiam forma Sacramenti, quę eſt pręcipua pars eſſentiæ.

Materia Baptiſmi. De materia Baptiſmi non pauci aliquando extiterunt errores, contra quos

ſtatuit Concilium Tridentinum aquam veram, & naturalem requiri ad Baptiſmum. Ex quo intelligimus duo. Primò, nullum liquorem eſſe materiam Baptiſmi, qui non ſit vera, & naturalis aqua. Secundò, omnem veram, & naturalem aquam, quantumuis accidentaliter alteratam, & mutatam, eſſe materiam idoneam ad Baptiſmum. Id verò patet ex apertiſsimis Scripturis. Nam dicitur: *Ex aqua, & Spiritu ſancto.* Item ibidem orta eſt æmulatio diſcipulorum Ioannis, qui videbant Chriſtum baptizare per diſcipulos ſuos in aqua, vt etiam ipſe Ioannes baptizabat. Et: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Et: *Lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et Paulus comparat Baptiſmum mari rubro. Petrus quoque comparat Baptiſmum diluuio. Denique etiam Prophetæ expreſsè prædixerunt Baptiſmum aquæ, vt Ezechiel: *Effundam ſuper vos aquam mundam.* Seſſ. 7. c. 2. Ioan 3. Act. 8. Epheſ. 5. 1. Cor 10. 1. Pet. 3. Ezech. 36.

Formam Baptiſmi, & ſi hoc tempore omnes admittant quoad praxim attinet, (quæ eſt ſingularis Dei prouidentia, ne innumerabiles infantes pereãt) tamen fuerunt non leues de hac re errores. Eſt autem forma Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vbi non eſt de eſſentia particula illa, *Ego*; & licet ea non debeat omitti, cùm præſcribatur ab Eccleſia; tamen, ſi omitteretur, Baptiſmus eſſet integer, quia ſatis exprimitur perſona miniſtri in verbo, *Baptizo.* Forma Baptiſmi.

Porrò hanc eſſe veram, & neceſſariam formam baptiſmi colligitur ex Euangelio, ſed non euidenter ex ſolo Euangelio; ſed cogimur recurrere ad traditionem, & Eccleſiæ declarationem. In Euangelio nihil habemus, niſi vnum teſtimonium: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ex quibus verbis, ſi ſola conſiderentur, non cogimur dicere; *Ego te baptizo*; ſicut non cogimur dicere, cùm prædicamus; Ego vos doceo: ſed videmur ſatisfacere, ſi baptizemus, & doceamus, etiamſi non exprimamus verbis nos id facere. Pari ratione non colligitur ex hoc ſolo loco oportere dicere; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: poſſet enim exponi hic locus, vel de fide Trinitatis, vt baptizemus in fide Trinitatis; vel etiam de auctoritate à Deo accepta: quemadmodum cùm legimus: *In nomine meo dæmonia eijcient,* &c. Si tamen adiungamus ad hunc locum Euangelij Eccleſiæ auctoritatem, conſtabit certiſsimè omnia illa verba ad formam baptiſmi pertinere. Nã inprimis eſſe dicendũ: *Ego baptizo*, vel aliquid eiuſmodi, quo exprimatur actio Miniſtri, docet Concilium Florent. docet Alexan. Pap. I I. docent omnes catechiſmi, & rituales libri etiam antiquiſsimi. Denique etiam ratio id docet. Nam ſola illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, etiam cum ipſa lotione externa non determinatè ſignificant id, quod hoc Sacramento ſignificari debet. Nam poſſet fieri lotio illa ad refrigerandum, aut curandum ab aliquo morbo, & ad id etiam rectè inuocaretur auxilium ſanctæ Trinitatis. Itaque addendum eſt verbum, *Baptizo*, quo ex vſu Eccleſiaſtico ſignificatur ablutio à ſordibus, non tam carnis, quam ſpiritus. Deinde, eſſe exprimendam aliam perſonam à miniſtro diuerſam; quod facimus per pronomen (*Te*) ac proinde non poſſe vllum baptizare ſeipſum, docet etiam diſertis verbis Innocentius I I I. Denique, eſſe exprimendas tres diuinas perſonas docent etiam Pelagius, & Zacharias Pont. Idem confirmat traditio omnium Patrum. Matth. 28. Mar. vlt.

Neceſsitas Baptiſmi. De neceſsitate Baptiſmi nulla quæſtio eſt, quin Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem ex diuino Chriſti mandato: ſed controuerſia eſt, an ſit neceſſarius, vt medium ad ſalutem; ita vt, ſi quis non baptizetur, pereat, etiamſi fortè ob ignorantiam excuſetur à præuaricatione præcepti. Ac præcipuè habet locum controuerſia in paruulis, qui non ſunt capaces præcepti.

Tres quæſtiones. Tres autem ſunt quæſtiones. Prima; An Baptiſmus ſit neceſſarius? Secunda; Quando cœperit eſſe neceſſarius? Tertia; An poſsit ſuppleri per martyrium, aut pœnitentiam? quæ dicuntur Baptiſmata, illud ſanguinis, hoc flaminis.

Quæſt. 1. Seſſ. 7. c. 2. De prima quæſtione poſuit Concil. Trident. canonem: *Si quis dixerit, Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.* Prob. hæc veritas primò ex Dei *Ioan. 3.* verbo expreſſo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba non ſonant præceptum, ſed medium; vt Auguſtin. demonſtrat. Patet etiam ex ratione, quæ redditur: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Et: *Oportet vos naſci denuo.* Indicat enim Dominus homines naſci carnales, & peccatores, atque adeo ſeruos peccati; & proinde neceſſarium eſſe remedium contra hæc mala, quod remedium deinceps erit Baptiſmus. Idem apertiſsimè conuincitur ex figura ænei ſerpentis, quam ibidem Dominus ponit. Vult enim ita eſſe remedium contra mortem æternam renaſci per fidem, & Baptiſmum ſuum, vt olim fuit ſerpens æneus remedium vnicum contra morſum ſerpentium. Itaque illud: *Niſi quis renatus fuerit,* &c. ſimile eſt, ac ſi quis diceret; Niſi comedas, non viues: vel; Niſi pharmacum ſumas, non conualeſces. Iſta enim non tam præceptum, quàm medium neceſſarium ſignificant.

Quæſt. 2. Propoſitio 1. Ioan. 3. & 4. De ſecunda quæſtione aliquot ſunt propoſitiones. Prima: *Baptiſmus ante paſsionem Domini inſtitutus eſt.* Negari non poteſt, quin aliquem Baptiſmum Chriſtus in vſu habuerit ante paſsionem: nam apud Ioan. dicitur Chriſtus baptizaſſe per diſcipulos ſuos. Sed dubium eſſe poteſt, An ille Baptiſmus fuerit Sacramentum illud, quod nunc habemus, & de quo ſit mentio Matth. vlt. an vero fuerit præparatio quædam ad Baptiſmi Sacramentum poſtea inſtituendum, vt erat Baptiſmus Ioannis. Et quidem Chryſoſtomus, Theophylactus, & S. Leo poſtremam partem tenent: prior tamen probabilior eſt, & communis Theologorum ſententia.

Prob. 1. Ioan. 3. Prob. primò; quia dicitur Chriſtus baptizaſſe, cùm tamen non ipſe baptizaret, ſed diſcipuli eius, vt adiungit Euangeliſta. Ergo ille Baptiſmus erat propriè Chriſti Baptiſmus, vt diſtinguitur à Baptiſmo Ioannis: alioqui non ipſe, ſed Ioannes diceretur eos baptizaſſe, quos diſcipuli Chriſti baptizabant. Nec decebat, vt Chriſtus inſtitueret inanem cæremoniam, aut munus Ioannis ſibi vſurparet, nimirum baptizandi in ſola aqua, & non in ſpiritu. Adde, *Ioan. 1.* quòd dicitur de Chriſto in præſenti: *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.*

Prob. 2. Act. 19. Prob. ſecundò; quia legimus rebaptizatos, quos Ioannes baptizauit. At nuſquam legimus rebaptizatos, quos diſcipuli Chriſti ante paſsionem eiuſdem baptizauerant. Immò probabiliſsimum eſt Apoſtolos (vt Auguſt. docet) non fuiſſe baptizatos, niſi ante Chriſti paſsionem.

Prob. 3. Tertiò; Patres communi conſenſu docent Chriſtum, cum baptizaretur in Iordane, dediſſe aquis vim ſanctificandi: at certè non habuerunt aquæ vim ſanctifi-

ſanctificandi, niſi ab eo tempore, quo cæperunt eſſe materia Baptiſmi.

Propoſitio ſecunda. *Baptiſmus Chriſti inſtitutus eſt, quando Dominus ipſe in Iordane à Ioanne baptizatus eſt*. Non volumus dicere, Chriſtum in die ſui Baptiſmi verbis docuiſſe materiam, aut formam Baptiſmi; id enim falſum eſt; ſed tum primum ſtatuiſſe, & decreuiſſe, quod poſteà declarauit Nicodemo, & alio tempore ſuis diſcipulis; vt aqua eſſet materia Baptiſmi, & forma eſſet inuocatio trium diuinarum perſonarum. Determinauit enim aquas ad Baptiſmi materiam, cùm eas tactu mundiſsimæ carnis ſuæ conſecrare, & illuſtrare dignatus eſt. Et ſimul determinauit formam, cùm in eius Baptiſmate tota Trinitas ſenſibiliter apparuit. Vbi etiam ſimul declaratus eſt effectus Baptiſmi à Chriſto inſtituti; nimirum, quòd baptizatis aperitur cœlum, & à Patre in filios adoptantur, & Spiritu ſancto replentur, &c. *Propoſitio 2.* *Ioan. 3.* *Matth 3.*

Propoſitio tertia: *Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medij, aut præcepti, ante Chriſti mortem*. Prob. quia vſque ad Chriſti mortem lex antiqua vim ſuam retinuit; vt patet, quia Chriſtus eam ſeruauit vſque ad mortem. Nam pridie, quàm pateretur, ſeruauit cæremoniam agni Paſchalis: & monebat homines, vt ſeruarent, & facerent, quæ Scribæ, & Phariſæi docebant ex cathedra Moyſis. Quare illud Chriſti verbum: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Non ſignificat ab eo die, quo Dominus cum Nicodemo loquebatur, fuiſſe Baptiſmum neceſſarium; ſed ſignificat neceſſarium futurum fuiſſe in lege noua, poſtquam ceſſarent cæremoniæ legales. Similiter illud: *Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem*; non ſignificat tunc legem ceſſaſſe quoad vim, & obligationem, ſed quoad prædicationem: Ioannes enim fuit vltimus Prophetarum. Vnde ſubiungitur: *Ex eo regnum Dei euangelizatur*. Præterea; In morte Chriſti ceſſauit efficacia cæremoniarum: & totius legis veteris; ergò ceſſauit etiam vis Circumciſionis; ergò vſque ad illud tempus vim habuit lex vetus. Porrò in morte Chriſti ceſſaſſe vim legis patet ex Euangelio: *Sciſſum eſt velum*. Et: *Conſummatum eſt*. Item ex Apoſtolo: *Mortificati eſtis legi per corpus Chriſti*. Item, omnes ferè cæremoniæ legis figuræ erant Chriſti. Chriſtus autem in morte cõpleuit opus redemptionis. *Propoſitio 3.* *Matth 23.* *Ioan. 3.* *Luc. 16.* *Matth 27.* *Ioan. 19.* *Rom. 7.* *Coloſſ. 2.* *Hebr. 10.*

Propoſitio quarta: *Baptiſmus Chriſti cæpit eſſe neceſſarius neceſsitate medij, & præcepti, in die Pentecoſtes*. Nota, legem veterem ſimpliciter ceſſaſſe in morte Chriſti, quia tunc ceſſauit vniuerſaliter ratio legis; tamen ob ignorantiam huius rei adhuc obligaſſe Iudæos vſque ad publicam promulgationem Euangelij: & contra, legem Euangelicam, & Sacramenta Chriſtiana condita fuiſſe, & multum profuiſſe ante Chriſti mortem; tamen non habuiſſe vim præcepti, niſi poſt promulgationem ſolennem; vt Concil. Trident. dicit de Baptiſmo. Et ratio eſt; quia promulgatio eſt de eſſentia legis: promulgatio autem ſolennis nouæ legis facta eſt in die Pentecoſtes. *Propoſitio 4.* *Seſſ. 7. c. 4.*

Quod prob. primò, quia lex vetus viguit vſque ad Chriſti mortem: ab eo autem tempore vſque ad Pentecoſten, neque Chriſtus, neque Apoſtoli publicè ad populum locuti ſunt. *Prob. 1.*

Prob. ſecundò; Non debuit promulgari ſolenniter lex noua, niſi completis omnibus myſterijs redemptionis: myſteria autem completa ſunt in Aſcenſione Chriſti. *Prob. 2.*

Prob.3. Tertiò; Lex vetus ſolenniter promulgata fuit in monte Sina die quinquageſimo poſt primum Paſcha Iudæorum: ergò lex noua promulgari debuit die quinquageſimo poſt primum Paſcha Chriſtianorum: quia legis promulgatio figura fuit promulgationis Euangelij.

Prob.4. *Act.2.* Quartò; Concioni primæ, quam habuit S. Petrus ipſo de Pentecoſtes, cõueniunt omnes conditiones promulgationis ſolemnis. Nam habita eſt in vrbe regia Hieroſolymorum, præſentibus omnibus hominibus, omniũ nationum, à ſummo Præcone Euangelij, qui erat Apoſtolus Petrus: & in ea concione cõprehenſa ſunt præcipua capita totius doctrinæ Euangelicæ. Denique; continuò etiam cæpit vſus Sacramentorum.

Quæſt.3. De tertia quæſtione aliquot ſunt propoſitiones. Prima: *Martyrium rectè dicitur, & eſt quoddam Baptiſma.*

Propoſitio 1.

Prob.1. Prob. primò, quia Scriptura ſacra, & ſancti Patres Martyrium Baptiſma nominare ſolent. Scriptura: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? aut Baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Item. *Et quomodo coarctor vſque dum perficiatur?*

Mar.10. *Luca.12.*

Prob.2. Secundò, quia Martyrium conuenit cum Baptiſmo aquæ in tribus effectibus: nimirum, quòd configurat hominem Chriſti paſsioni, & morti: Secundò, remittit peccatum originale, & reliqua omnia, ſi quæ ſint admiſſa. Tertiò, quod remittat omnẽ pœnam peccato debitam, tam æternam, quàm temporalẽ; quod inter Sacramenta proprium eſt ſolius Baptiſmi. Sed hæc omnia nõ æque certa ſunt. Primum quidem certum eſt, & notum: nam Martyriũ configuratio nobilior eſt, quàm Baptiſmi aquæ; quia illa realis eſt, hæc Sacramentalis. Item, tertium certum eſt, ita vt Martyres continuò perueniant ad coronam. quod patet vel ex eo, quòd Eccleſia numquam orat pro animabus Martyrum, ſed illis potiùs ſe commendat. De ſecundo effectu maior difficultas eſt. Probabilior tamen ſententia eſt, Martyrium ex opere operato conferre primam gratiam, ita vt ſi quis ad Martyrium accedat adhuc in peccatis exiſtens, tamen ſine affectu ad aliquod peccatum, & cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia, ſaltem imperfecta, qualis requiritur etiam ante Baptiſmum aquæ; is virtute Martyrij ex opere operato iuſtificabitur, & ſaluabitur.

Martyrium tollere originale peccatũ prob. 1. Et prob. primo ex Martyrio infantium. Cõſtat enim infantes pro Chriſto occiſos non ſolùm ſaluari, ſed etiam haberi ab Eccleſia in numero Martyrũ; vt patet de Innocentibus: at paruuli nihil operari poſſunt, & peccatores ſunt antequam baptizentur Baptiſmo aquæ, vel ſanguinis.

Prob.2. Secundò prob. ratione D. Tho. Nam gratia, quæ datur Martyri remiſsionis omnium pœnarum, non poteſt eſſe ex opere operantis; nam vel eſſet ex ipſa tolerantia pœnæ, vel ex feruore charitatis. Non tolerantia pœnæ, quia multi Martyres fuerunt antea homines ſceleſtiſsimi, qui millies mortem promeriti fuerant, & ſine dubio non erat ſufficiens ſatisfactio mors quædam leuiſsima, vt per abſciſsione capitis; & tamen, ſi verè ſint Martyres, dimittũtur eis omnes pœnæ. Multi etiam Confeſſores plura ſæpe patiuntur, quàm Martyres; & tamen non ſemper eis dimittitur tota pœna. Non poteſt etiam id tribui merito charitatis; multi enim ſancti Confeſſores maiorem habuerunt charitatem

multis

multis Martyribus, tamen non habuerunt indulgentiam omnium pœnarũ. Martyres autem, etiamſi non haberent, niſi vnum gradum charitatis, tamen hoc ipſo, quod ſunt Martyres, habent indulgentiam omnium pęnarum. Fatendum eſt ergo Martyrium ex opere operato, id eſt, ex pacto, & inſtitutione Chriſti conferre gratiam. Quod ſi Martyrium ex opere operato confert gratiam, certè poterit etiam primam gratiam conferre: id enim ſolùm obſtare videbatur, quod non haberet vim ex opere operato.

Tertiò; Eccleſia, vt aliquem colat, vt Martyrem, numquam examinat, an antea fuerit in gratia; ſed indifferenter omnes honorat, quos cõſtat pro Chriſto occiſos in confeſsione veræ fidei, & vnitate Eccleſiæ. Hæretici enim, & Sciſmatici Martyres eſſe non poſſunt, cùm ponant obicem gratiæ Dei per peccatum infidelitatis, & ſciſmatis, in quo actu perſeuerant. 3. *Prob.*

Quarto; Si Martyrium non conferret primam gratiam ex opere operato, ſed tantùm ex feruore charitatis operaretur, nõ verè diſtingueretur Baptiſmus ſanguinis à Baptiſmo flaminis; ſed vtrumque eſſet Baptiſmus flaminis, cùm vtrumque conſiſteret in interna conuerſione, & motione animi in Deum. At reuera Baptiſmus ſanguinis diſtinguitur à Baptiſmo flaminis, quia ipſa ſanguinis effuſio ſupplet Baptiſmum in Martyrio; in Baptiſmo autē flaminis ſola interna conuerſio, & aſpiratio Spiritus ſancti. 4. *Prob.*

Quintò; videtur omnino hæc ſententia Patrum. 5. *Prob.*

Propoſitio 2: *Perfecta conuerſio, ac Pœnitentia rectè Baptiſmus flaminis dicitur, & Baptiſmum aquæ ſaltem in neceſsitate ſupplet.* *Propoſitio 2.*

Nota I. Baptiſmum flaminis non dici quamlibet conuerſionem, ſed perfectam; quæ includit veram contritionem, & charitatem, & ſimul etiam deſiderium, ſeu votum Baptiſmi. Nota II. apud veteres non fuiſſe tam certam hanc propoſitionem, vt erat ſuperior: nam de Martyrio, quòd ſciam, nullus veterum negauit ſuppleri eo Baptiſmum aquæ; at de conuerſione, & pœnitentia non deſunt, qui id negauerint. At ſine dubio credendum eſt veram cõuerſionem ſupplere Baptiſmum aquæ, cùm non ex contemptu, ſed ex neceſſitate ſine Baptiſmo aquæ aliqui diſcedunt. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis*, &c. *Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Id etiam apertè docet Ambroſ. Auguſtin. Bernard. Innocentius III. Vnde Concil. Trident. Baptiſmum dicit eſſe neceſſarium in re, vel in voto. Denique, Vera cõuerſio conuenit cum Martyrio, & cum Baptiſmo aquæ in nomine Baptiſmi, & in effectibus duobus, ergò credibile eſt conuenire etiam in alio effectu, quieſt dimittere culpam, & iuſtificare hominem, & eo modo ſupplere Baptiſmum aquæ. *Ezech. 18.* *Seſs. 6. c. 4.*

Antec. prob. Nam de nomine Baptiſmi legimus: *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum.* Et: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omninò mortui non reſurgunt, vt quid & baptizantur pro illis.* Nõ enim poteſt vlla dari huic loco aptior expoſitio, quàm ſi per Baptiſmum intelligamus opera pęnitentiæ, & afflictionis, quæ viuentes ſuſcipiunt pro animabus defunctorum. Præterea; Pœnitentia configurat hominem paſsioni Chriſti, vt facit Martyriũ, licet non tam perfectè, quàm facit Martyrium. Dimittit etiam totã pęnam perfecta conuerſio; vt fuit in conuerſione Mariæ Magdalenæ, boni latronis, & aliorum. Neque enim dicitur Baptiſmus flaminis abſolutè, & *Mar. 1. & Luc. 3.* *1. Cor. 15.*

ſimpliciter interna conuerſio, niſi quando eſt ita perfecta, & feruens, vt omnem rubiginem peccati tollat. Alioqui ſi non tollat totam pœnam, vt plerumque fit, non eſt Baptiſmus, niſi imperfectè.

Propoſitio 3. Tertia propoſitio: *Tam Martyrium, quàm Pœnitentia peccata remittunt, non autem ſola fides, qua Martyres aut Pœnitentes Chriſtum apprehendunt.*

Prob. *Matth. 10. & 16. Mar. 8. & Luc. 9. Ezech. 18. Luc. 7.* Prob. Nam Scripturæ ipſi paſsioni, & pœnitentiæ tribuunt remiſsionem peccatorum. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Et: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam.* Et: *Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, & fecerit iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* Et Magdalenæ dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Patres etiam nunquam ſoli fidei, ſed ipſi paſsioni, aut pœnitentiæ, & deſiderio Baptiſmi tribuunt iuſtificationem.

Propoſitio 4. Propoſitio quarta: *Martyrium, & conuerſio ad Deum, licet Baptiſmata quadam ſint; non ſunt tamen Sacramenta.*

Prob. 1. Prob. primò, quia non habent eſſentiam Sacramenti: nam in Martyrio nō eſt vlla forma verborum de eſſentia: in conuerſione neque eſt forma verborũ, neque ſignum externum ſenſibile, quod neceſſario requiratur.

Prob. 2. Secundò; Sacramenta ſunt remedia contra peccatum ordinaria, & omni tempore conuenientia.

Prob. 3. Tertiò; Sacramenta ſunt cauſſa gratiæ, vt actiones Dei per ſuos miniſtros: at Martyris occiſio non eſt actio Dei per ſuum miniſtrum; ſed actio Diaboli per ſuum ſatellitem. Vnde Martyrium concurrit ad iuſtificationem diſpoſitiuè tantùm, vt etiam Conuerſio in Baptiſmo flaminis. Atque ita diuerſo modo iuſtificant ex opere operato Sacramenta, & Martyrium: ibi enim opus operatum eſt cauſſa actiua inſtrumentalis gratiæ, hic ſolùm eſt diſpoſitio.

CAPVT II.

De miniſtro Baptiſmi, & ſuſcipientibus Baptiſmum.

De Miniſtro Baptiſmi dogma. 1. DE Miniſtro Baptiſmi Catholici Doctores communi conſenſu ſex pronunciata affirmant. Primò docent, ius baptizandi ex officio ordinario conuenire ſolis Sacerdotibus; id eſt, Epiſcopis, & Presbyteris; ſic tamen, vt Presbyteris conueniat cum ſubordinatione, & dependentia ab Epiſcopis. Quemadmodum enim poteſtas abſoluendi à peccatis datur Presbyteris in ſua ordinatione, & tamen, quia abſoluere à peccatis eſt actus iuriſdictionis, quæ eſt Epiſcoporum propria, ideò Presbyteri non poſſunt vti ea poteſtate, niſi quantum eis Epiſcopi concedunt: ita quoque de poteſtate baptizandi ſentiendum eſt.

Dogma 2. Secundò docent, Diaconis quoque ex officio conuenire baptizare, ſed in abſentia Sacerdotum, aut eorum iuſſu

Tertio

Tertiò docent, nunquam licere laicis ſolenniter baptizare, neque etiam priuatim præſente Sacerdote, aut Diacono, aut eis etiam abſentibus extra caſum neceſsitatis. *Dogma 3.*

Quartò, laicis baptizatis licere in caſu neceſsitatis baptizare. *Dogma 4.*

Quintò docent, etiam non baptizatis in caſu neceſsitatis licere Baptiſmum dare, ſi ſciant ritum. De hoc veteres dubij fuiſſe videntur: ſed res definita eſt in Concilio generali Florentino, vt Auguſtinus volebat. Et idem multò antea ſtatuerat Nicol. Papa. Ratio quoque ſuadet: nam cùm non requiratur de Miniſtro Baptiſmi, fides, aut probitas, aut ordinatio, vt notum eſt, nulla eſt ratio, cur non ſit verum Baptiſma, quod à Pagano, aut Iudæo confertur, ſi adſint ea, quæ neceſſaria ſunt ad Baptiſmi eſſentiam. *Dogma 5.*

Sextò docent, non modò viros, ſed etiam fœminas in extrema neceſsitate poſſe baptizare. Ita habet expreſsè Concilium Florentinum, & Carthaginéſe quartum; & Vrbanus ſecundus ita docet. Hoc etiam vult conſuetudo Eccleſiæ, & ratio ſuprà poſita. *Dogma 6.*

Supereſt nunc, vt contrà Caluinum probemus licere in caſu neceſsitatis baptizare ijs, qui miniſtri Eccleſiaſtici non ſunt. *Licere Laicis in neceſsitate baptizare.*

Prob. I. exemplo Teſtamenti veteris. Nam Sephora vxor Moyſis filium ſuum circumcidit, & eo modo virum ſuum à mortis periculo liberauit. At circumciſio figura erat Baptiſmi. *Prob. 1. Exod. 4.*

Secundò prob. ex eo loco, vnde Caluinus ſumpſit præcipuum argumentum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Nam nos ex eo loco argumentamur: Licet miniſterium verbi ſit proprium Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui eis ſuccedunt, tamen omnibus licet; immò omnes tenentur in articulo neceſsitatis docere, & inſtruere ignorantes, præſertim in periculo æternæ ſalutis. Exemplum habemus de Aquila, & vxore eius Priſcilla, quæ videntes Apollinem quendam prædicare, cùm non bene teneret fidem Domini, inſtruxerunt eum diligenter. Ergò eodem modo, licet munus baptizandi ſit proprium Sacerdotum, tamen in neceſsitate licebit etiam laicis, & fœminis baptizare: immò maiori ratione id licebit, cùm ſit magis proprium Apoſtolorum, & Epiſcoporum prædicare, quàm baptizare: *Non miſit me*, inquit Paulus, *Chriſtus baptizare, ſed prædicare.* *Prob. 2. Matth. vlt. Act. 18. 1. Cor. 1.*

Prob. tertiò exemplis Script. Nam Philippus Diaconus baptizauit. Qui quidem licet non fuerit laicus, tamen non erat Apoſtolus, nec Epiſcopus, aut Sacerdos. Ananias etiam Paulum baptizauit: qui neque Apoſtolus erat, neque Diaconus; ſed planè laicus. Id enim factum eſt primo anno à paſsione Domini, quo tempore nondum erant ordinati vlli Epiſcopi, aut Sacerdotes, præter Apoſtolos; neque erant vlli Diaconi præter ſeptem. Item Petrus Cornelium, & eius familiam baptizari iuſsit à fratribus, qui ſecum venerant: quos certè fratres probabiliſsimum eſt non fuiſſe Apoſtolos, neque Diaconos, ſed ſimplices diſcipulos. Denique; Antequam vlli ordinarentur Epiſcopi, Presbyteri aut Diaconi, ipſo die primo Pentecoſtes, baptizata ſunt tria hominum millia; quod certè non potuit commodè fieri per ſolos Apoſtolos: oportuit ergò, vt etiam alij baptizarent, qui laici erant. Nam etiam 72. Diſcipuli eo tempore laici erant; non enim Dominus Sacerdotes ordinauit, niſi in *Prob. 3. Act. 8. Act. 9. Act. 10. Act. 2.*

in vltima cæna, vbi ſoli erant Apoſtoli.

Prob. 4. Quartò prob. idem teſtimonijs, & exemplis Patrum, & Concilio Florentino.

De Baptiſmo paruulorum quæſtiones Duæ. In ſuſcipientibus Baptiſmum tota controuerſia eſt de Baptiſmo paruulorum: de quo duæ ſunt controuerſiæ. Vna cum Anabaptiſtis: Vtrum infantes capaces ſint Baptiſmi? ſiue; An liceat infantes baptizare? Altera cum Lutheranis, & Caluiniſtis: Quæ fides ſit neceſſaria in Baptiſmo paruulorum?

Reſp. ad 1. Seſs. 7. c. 12. 13. 14. De prima quęſtione Eccleſia Catholica ſemper docuit infantes baptizandos: quod etiam Concil. Trident. iterum cum anathematis denunciatione definiuit.

Prob. 1. reſp. Prob. I, à Script. Primum argumentum ſumitur à figura veteris Teſtamenti. Nam Circumciſio erat figura Baptiſmi adeò manifeſta, vt Baptiſmus dicatur à Paulo Circumciſio. At Circumciſio dabatur infantibus: cur ergò non etiam Baptiſmus? *Coloſſ. 2. Gen. 17.*

Secundum argumentum colligitur ex duobus locis Euangelij ſimul iunctis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Hic locus probat infantes ſine Baptiſmo in æternum perire; eſt enim generalis Domini comminatio. At quòd paruuli non pereant, Dominus docet: *Sinite paruulos venire ad me; talium eſt enim regnũ cælorum.* Vbi etiam Marcus dicit Dominum complexum fuiſſe paruulos, eiſque benedixiſſe. *Ioan. 3. Matth. 19. Mar. 10. Lucæ 18.*

Tertium argumentum colligitur ex locis illis, vbi dicuntur baptizatæ integræ familiæ: vt in Act. dicitur Lydia baptizata, & domus eius tota. Et ibid. de cuſtode carceris: *Baptizatus eſt ipſe, & domus eius continuò.* Et, *Baptizaui*, inquit Paulus, *Stephanæ domum.* At certè in integris domibus rarum eſt, vt nõ ſint infantes aliqui. *Act. 16. Act. 16. 1. Cor. 1.*

Prob. 2. Prob. 2. ex teſtimonijs Eccleſiæ, quæ tanquam traditionem Apoſtolorum id ſemper & docuit, & ſeruauit.

Prob. 3. 1. Ratio. Prob. 3. ex rationibus. Prima eſt: Paruuli ſalui eſſe poſſunt: ſed extra Eccleſiam non eſt ſalus: igitur intrent Eccleſiam neceſſe eſt. Prima propoſitio prob. tum ex Scriptura citata; tum exemplo Sanct. Innocentium, quos ſaluos eſſe Eccleſia ſemper docuit, tum etiam, quia ſi poſſunt paruuli participes eſſe peccati Adami, cur non etiam gratiæ Chriſti? Alioqui plus poſſet culpa, quàm gratia, cuius contrarium docet Apoſtolus. Secunda propoſitio certiſſima eſt, vt patet: *Qui non eſt mecum contra me eſt.* Et ideò in Symbolo coniungimus cum Eccleſia remiſsionem peccatorum. Ideò etiam comparatur Eccleſia cum Arca Noë, quia ſicut regnante diluuio perijt, qui in Arca non fuit, ita & nunc pereunt, qui in Eccleſia non ſunt. At in Eccleſiam intrare nõ poſſunt, niſi per Baptiſmum. ergo baptizentur neceſſe eſt. Aſſumptio probari poteſt. Primùm ex illo: *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos iuſtificauit, hos & magnificauit.* Hinc habemus omnem prędeſtinatum vocari, iuſtificari, glorificari, & è contrario nullum glorificari, niſi ante iuſtificatum, nullum iuſtificari, niſi ante vocatum, nullum vocari ſecum propoſitum niſi ante prædeſtinatum. At in paruulis non poteſt fingi vlla vocatio, niſi per Baptiſmum: tunc enim in numerum vocatorum, aſcribuntur. *Rom. 6. Matth. 12. Rom. 8.*

Præte-

Præterea: *Qui receperunt verbum, baptizati ſunt; & appoſita ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Vbi videmus baptizari nihil aliud eſſe, quam Eccleſiam intrare. Vnde Patres communi conſenſu diſtinguunt Cathechumenos à fidelibus, & docent illos, quod baptiſmo careant, nondum eſſe intra Eccleſiam, nec dici poſſe fideles. Denique; Non poteſt homo Eccleſiæ, & Chriſto coniungi, niſi fide tantùm, aut Sacramento tantùm, aut vtroque. Sed paruuli non poſſunt fide ad Chriſtum, & Eccleſiam adiungi: ergò per Sacramentum adiungi debent.

Secunda ratio: Si non poſſent infantes baptizari, aut impedimentum eſſet ex parte prohibitionis alicuius diuinæ, aut ex parte Sacramenti, aut ex parte miniſtri, aut ex parte ipſius ſuſcipientis; aut denique ex parte Eccleſiæ, quæ per Baptiſmum acquirit ius in homines, quod non videtur fieri poſſe ſine propria ipſorum voluntate. Nullum horum dici poteſt. Nam nulla extat diuina prohibitio. Sacramentum autem non pendet, niſi à diuina inſtitutione; alioqui non eſſet certum, nec afferret ſolidam conſolationem: itaque ex ſe ſemper eſt efficax, & idem operatur, ſiue adulto, ſiue infanti detur. Miniſter autem æquè poteſt infantem aſpergere, & verba ſacra ſuper eum proferre, ac ſuper adultum. *2. Ratio.*

Ex parte ſuſcipientis requiritur quidem in adultis diſpoſitio quædam per actualem fidem, & conuerſionem in Deum: at hæc non requiritur in infante. Nam in adultis duplici de cauſſa requiritur illa diſpoſitio.

Primò, propter peccata actualia, quæ illi originali addiderunt. Peccatum enim, quod committitur per actualem auerſionem propriæ voluntatis à Deo, requirit, ſi remitti debeat, actualem conuerſionem propriæ voluntatis in Deum.

Secundò, quia Deus agit cum rebus ſecundum naturas earum proprias; & ideò qui habent vſum liberi arbitrij, non iuſtificantur à Deo, niſi etiam ipſi concurrant per aſſenſum liberi arbitrij ſui. At neutra cauſſa reperitur in paruulis: ſolùm enim habent auerſionem habitualem, quæ poteſt tolli per habitum charitatis infuſum; & peccauerunt voluntate aliena.

Denique; Non obſtat obligatio, quæ naſcitur ex Baptiſmo. Nam inprimis, non obligatur quis, niſi ad ea, ad quæ alioqui obligatus, vel obligandus erat. Nam ad legem diuinam ſeruandam, ad abrenunciandum diabolo, & pompis eius, omnes tenentur, etiam ſine Baptiſmo.

Rurſus; Omnes tenentur ſuſcipere Baptiſmum, idque diuino mandato; & proinde omnes tenentur ſe ſubijcere Eccleſiæ, & eius præceptis. Hoc ſolum inter adultos, & infantes intereſt; quòd illi, quia ſui iuris ſunt, debent propria voluntate ſe Eccleſiæ ſubijcere; &, niſi faciant, peccant: iſti, quia non ſunt ſui iuris, ſed parentum, poſſunt eorum voluntate Eccleſiæ ſubijci.

Itaque eſt illis aliena voluntas loco rectæ rationis, quam habere deberent, ſi eſſent adulti: proinde nulla eis fit iniuria, ſed ingens beneficium, cùm baptizantur, licet inde conſequatur obligatio obediendi Eccleſiæ. Sed neque infantes illi, qui carent parentibus, & tutoribus, & ab aliquo extraneo baptizantur, queri poſtea poſſunt: nam, qui illos baptizant, agunt eorum cauſſam.

De 2. quæſt. propoſitio. 1. Deut. 1. & Iona vlt. Porrò de fide paruulorum, quæ requiritur in Baptiſmo, ſit prima propoſitio: *Infantes non habent actualem fidem.* Prob. primò, quia Scriptura affirmat infantes non cognoſcere diſtantiam boni, & mali; nec vſquam excipit tempus Baptiſmi. Ita etiam ſentiunt Patres.

Ratio. 1. Prob. ratione: nam fides non poteſt operari in mente, niſi ex diuina reuelatione, quæ quidem aut immediatè fit à ſolo Deo; aut per organum verbi Dei prædicati, aut lecti. Primus modus non eſt ordinarius, ſed extraordinarius & rariſsimus, ac ſolis ferè Prophetis, & Apoſtolis conceſſus. *Fides* Rom. 10. *enim ex auditu eſt*, inquit Paulus, loquens de ordinario modo, quo gignitur fides. At ſi omnibus infantibus fides immediatè reuelaretur, iam eſſet modus ordinarius; & poſſent omnes infantes, dum baptizantur, dici Prophetæ. Non etiam ſecundo modo gignitur fides in paruulis: nam, ſi verbum exorciſmi gigneret fidem, certè audiretur, & intelligeretur ab infantibus: proinde attentè auſcultarent infantes; cuius contrarium videmus.

2. Ratio. Deinde; Exorciſmus non refertur ad fidem docendam, ſed ad Dæmones coërcendos. Denique; hoc eſt ponere nouum miraculum in auribus, & mente infantium: quòd ſi Deus miraculum faciat in mente infantuli, vt corde credat ad iuſtitiam; cur non etiam in lingua, vt ore confiteatur ad ſalutem?

Prob. etiam ratione S. Auguſtini: nam, cùm conſtet infantes & vocis eiulatu, & motibus corporis reluctari, & obſtrepere Baptiſmo, ſi vere intelligerent (quod neceſſe eſt, ſi credere debent) quid agatur, rei fierent ingentis ſacrilegij, nec abluerentur, ſed magis ſordidarentur.

Propoſitio 2. Secunda propoſitio: *Non habent infantes, dum baptizantur, vllos motus nouos, & inclinationes ſimiles actibus fidei, & dilectionis.*

Prob 1. Prob. primò, quia repugnat verbo Dei. Volunt enim Lutherani hos ipſos motus infantium ſine cognitione eſſe, & dici fidem, licet impropriè; & eo modo infantes non iuſtificari ſine aliqua fide. At in tota Scriptura nuſquam habetur nomen fidei in ea ſignificatione,: vt deſignet motum quendam ſine Rom. 10. ſenſu, & ſine cognitione: ſed potiùs in contraria: vt patet; *Fides ex auditu eſt.* Et: *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Et ſic de alijs locis.

Prob. 2. Secundò; repugnat rationi. Nam aut illi motus, & inclinationes ſunt in corpore, aut in animo. Si in corpore, non poſſunt ſimiles eſſe actibus fidei, & dilectionis, qui ſunt in animo, nec enim corporalia dicuntur ſimilia ſpiritualibus, niſi metaphoricè, & per quandam analogiam. Et præterea non poteſt fieri, vt motus, & inclinatio ad credendum Deo, & diligendum Deũ, ſint corporales, cùm Deus ſit obiectum ſpirituale, & altiſsimum, quod vix mente attingi aliquo modo poteſt. Si autem ſint in animo, eſt implicatio cõtradictionis, quòd ſint abſque cognitione. Quid enim eſt motus intellectus, niſi intelligere? Et quomodo poteſt voluntas inclinari, niſi præcedente cognitione? cùm obiectum voluntatis non ſit aliud, niſi bonum cognitum.

Propoſitio 3. Tertia propoſitio: *Infantes non iuſtificantur ſine vlla fide.*

Prob. 10. Ioan. 3. Prob. primò, quia Scriptura affirmat fidem eſſe medium ad ſalutem neceſſarium. *Qui non credit, iam iudicatus eſt.* Ex quo loco Auguſtinus probat infantes baptizatos habere fidem aliquam. Nam eo loco Dominus non loquitur

de præcepto credendi, quo ſine dubio non tenentur paruuli, ſed de medio ad ſalutem. Nam antea dixerat: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et ſubiunxit: *Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus eſt.* Sicut igitur aſpicere æneum ſerpentem non tam fuit præceptum, quàm remedium vnicum ſalutis: ita & fides in hoc loco Euangelij aſſeritur neceſſaria, vt remedium, non, vt præceptum.

Prob. 2. ex illo: *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo.* Item: *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem:* quod paſsim repetit & inculcat Paulus. Quomodo igitur ſine vlla fide iuſtificari, & placere Deo poſſunt infantes? *Prob. 2. Hebr. 11. Rom. 3.*

Propoſitio 4: *Infantibus in Baptiſmo infunditur habitus fidei, ſpei, & charitatis.* Hæc inprimis certa eſt Catholicis ex auctoritate Conciliorum, & Patrum. Poteſt etiam colligi ex Scripturis, quibus ſupra probauimus paruulos ſine fide non ſaluari. Cùm enim conſtet fidem propriè non ſignificare, niſi actum, vel habitum; & ſimul conſtet in paruulis actum fidei eſſe non poſſe; certè ſequitur, vt in eis ſit habitus. Item, Ex Scripturis ſupra probauimus paruulos rectè baptizari, & per Baptiſmum iuſtificari, & ſaluari. Item; Conſtat ex Script. iuſtificationem nullam eſſe ſine fide: igitur conſtare debet infantes habere ſaltem habitualem fidem. *Propoſitio 4.*

Prob. ratione. Nam paruuli baptizati verè dicuntur, & ſunt fideles, vt Auguſtin. docet, & Concil. Trident. At fideles non dicuntur ab actu, ſed ab habitu fidei: alioqui, cùm dormimus, aut etiam cùm vigilamus, ſed de fide non cogitamus, non eſſemus fideles. Item; Deus in nobis habitat per fidem, & charitatem: *Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris.* Et: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* At in paruulis baptizatis Deus habitat, vt Auguſt. docet: igitur habent etiam paruuli baptizati illa dona, ſaltem quoad habitum. *Ratio. Seſs 7. c. 13. de Baptiſ. Epheſ. 3. 1. Ioan. 4.*

Denique; Deus infundit paruulis ſuis occultam gratiam, cũ baptizantur; vt Auguſt. docet. Sed gratia iuſtificationis infuſa in cordibus conſenſu omniũ Theologorum, aut eſt charitas cum fide, & ſpe, aut certè eſt quędam alia qualitas, cum qua infallibiliter coniunctæ ſunt tres illæ virtutes.

Propoſitio 5: *Paruuli actu credunt, partim reipſa, dum baptizantur; partim aliena fide.* Prior pars eſt S. Auguſtini: quia ipſum baptizari eſt credere, ipſa namque actio eſt fidei profeſsio. Vnde Eccleſia canit ſanctos Innocentes non loquendo, ſed moriendo confeſſos eſſe. Poſteriorem partem ſufficienter probat conſenſus Patrum. *Propoſitio 5.*

Nota duplicem fidem requiri in Baptiſmo: Vnam Actualem, quæ pręcedit Baptiſmum, vt diſpoſitio quædam: & ea eſt, quæ exigitur à baptizandis, cùm iubentur recitare Symbolũ, & interrogãtur an credant. Quæ quidẽ, vt plurimũ, iudicio grauiũ Doctorũ nõ eſt ex habitu fidei, ſed ex auxilio ſpeciali Dei. Vnde Catechecumeni cũ iſta fide adhuc nõ dicuntur fideles à Patribus. Altera eſt, quæ ſequitur Baptiſmũ, quæque eſt pars eſsentialis iuſtificationis, & nõ eſt actus, ſed habitus; & hanc intelligunt baptizandi, cùm interrogati, quid petant, reſpondent; *Fidẽ vitam æternam præſtantem.* vt habemus in Cõcil. Trident. *Duplex fides.*

Iam igitur cũ Patres dicunt paruulos baptizari in fide parentum, aut Eccleſiæ, *Seſſ. 6. c. 7.*

cleſiæ, non loquuntur de fide poſteriore, ſed de priore. Non enim eſt ſenſus, paruulos iuſtificari formaliter, aut eſſe fideles aliena fide: neque etiam ſenſus eſt, paruulis impetrari fidem, qua iuſtificentur, à fide, & precibus offerentium, & Eccleſiæ. Fidem enim iuſtificantem habent paruuli infuſam ex opere operato Sacramenti; non ex opere operantis miniſtri, aut Eccleſię. Sed ſenſus eſt, fidem actualem, quæ requiritur, vt diſpoſitio ad Sacramentum, non haberi à paruulis propriam, ſed alienam.

Porrò multùm prodeſt paruulo fides aliena. Primùm enim eos ad Baptiſmum adducit. Vt enim adulti, niſi credant, ad Baptiſmum non veniunt; ſic etiam niſi parentes, aut aliqui alij, qui infantium curam gerunt, credant, non eos ad Baptiſmum deferent. Deinde hoc modo Deum honorant, & colunt, dum fidem profitentur, & Satanæ abrenunciant, & implent, quæ ad ritum Baptiſmi pertinent, ſaltem per os alienum.

Ex quibus colligitur fidem alienam non eſſe ita neceſſariam, vt non ſit Baptiſmus verus, aut fructuoſus, ſi ea deſit, quandoquidem non eſt de eſſentia iuſtificationis, vel Baptiſmi; tamen eſſe neceſſariam ad ſolennitatem ritus, ac cæremoniæ, & ad ipſum baptiſmum paruulis tradendum; quia ſi nemo haberet fidem, nemo curaret paruulos baptizari.

CAPVT III.

De Effectibus Baptiſmi; & de comparatione Baptiſmi Chriſti, & Ioannis.

Triplex effectus Baptiſmi. VERI effectus Baptiſmi apud Catholicos tres ſunt. Primò enim, Baptiſmus tollit, & delet verè omnem culpam, & pœnam. Secundò, confert ex opere operato gratiam, & dona diuina, quibus verè, & formaliter iuſtificatur homo. Tertiò, imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non poteſt. De duobus poſterioribus diximus, cùm de Sacramentis in genere ageremus: ſolùm hic de primo agendum eſt.

Prob. 1. Baptiſmo tolli omnia peccata. Prob. ergò primò ex Scripturis Baptiſmo realiter tolli omnia peccata, ita vt non ſolùm non imputentur; ſed nec ſit, quod imputari poſſit ad culpam. Et quidem primò ſunt Scripturæ, quæ habent vocabula mundandi, lauandi, tollendi, delendi, auferendi, & ſimilia; quæ non poſſunt niſi ineptiſſimè exponi per, non imputari. Non enim rectè dicitur quis tollere ignorantiam, vel malitiam ab alio, quia ignoſcit illi, quod aliquid ignoranter, vel malitioſè fecerit.

Pſal. 50. Mich. 7. Ioan. 1. Epheſ. 5. Loca autem ſunt hæc: *Dele iniquitatem. Amplius laua me. Auſers iniquitatem. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Mundans eam lauacro.*

2. Caput Script. Secundum caput Scripturarum eſt eorum locorum, qui dicunt tolli maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates. Nam ſecundum aduerſarios non tollitur per Baptiſmum peccatum, niſi quoad reatum, id eſt, quoad obligationem ad pœnam; manere autem volunt ipſam peccati fœditatem, quæ erat cauſſa illius reatus. Voces autem, Maculæ, Inquinamenti, Iniquitatis, & ſimilia,

milia, non ſignificant reatum, id eſt, obligationem illam, quæ poteſt tolli per
nonimputationem, ſed ſignificant ipſam tęditatem, quam illi manere volunt.
Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Et: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt* Cant. 4.
pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimi-* Ioan. 13.
ni ab omnibus inquinamentis veſtris. Et: *Elegit nos, vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Et: Ezech. 36.
Reconciliauit nos in corpore carnis eius per mortem, exhibere vos ſanctos, & immaculatos, Ephes. 1.
& irreprehenſibiles. Vbi vides non ſolum non habere maculam, ſed nec aliquid, Coloſſ. 1.
vnde reprehendi poſsint. Quod intelligitur, quantum attinet ad ipſam iuſti-
ficationem à Deo acceptam; nam poſtea bene poſſunt homines labi, & facere
digna reprehenſione.

Tertium caput eſt ex figuris Baptiſmi: nam multiplex figura præceſsit. 3. Caput.
Vna in Circumciſione. Altera in mari rubro. Tertia in Iordane lauante le- Coloſſ. 2.
pram. Quarta in ſuffocatione porcorum. Quinta in probatica piſcina. Sexta 1. Cor 10.
in lotione, & curatione cæci nati. At in Circumciſione verè, non autem per 4. Reg. 5.
ſolam imputationem, abſcindebatur caro. In mari rubro verè, & propriè ſuf- Matth. 8.
focati ſunt Ægyptij, quibus antea Hebræi ſeruiebant. Et ſic de cæteris. Ioan. 5.
Ioan. 9.

Quartum caput continet ea loca, quæ comparant mundationem iuſtifica- 4. Caput.
tionis rebus verè, & propriè mundis. *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Et: Pſal 50.
Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, ſicut nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra, vt ver- Iſa. 1.
miculus; ſicut lana, alba erunt. Et: *Deleui, vt nubem, iniquitates tuas; &, quaſi nebulam,* Iſa. 44.
peccata tua.

Quintum continet ſimilitudinem peccati originalis. *Sicut per vnius inobe-* 5. Caput.
dientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur Rom. 5.
multi. At illi verè conſtituuntur peccatores, & verè iuſtitiam amittunt, non
ſola imputatione. Et: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; quod natum eſt ex ſpiritu,* Ioan. 3.
ſpiritus eſt. Illi verè ſunt carnales; igitur iſti verè ſpirituales. Confirm. ex illo: 1. Cor. 15.
Sicut in Adam omnes moriuntur; ita in Christo omnes viuificabuntur. Hic locus intel-
ligitur de vera morte, & vera reſurrectione: igitur etiam loca ſupra citata de
vero peccato, & vera iuſtificatione.

Sextum continet ſimilitudinem mortis Chriſti. *Conſepulti ſumus cum Chriſto* 6. Caput.
per Baptiſmum in morte. Et ibidem: *Si mortui ſumus, quomodo viuemus in illo.* Idem Rom. 6.
repetitur ad Coloſſ. At Chriſti mors, & reſurrectio veræ fuerunt omnibus Coloſſ. 2.
modis: non autem veræ quoad aliquid, & quoad aliquid falſæ: igitur & re-
miſsio peccati vera mors eſt peccati, non quoad reatum tantùm, ſed quoad
omnia, quæ peccati rationem habent.

Septimum continet ea, quæ docent Baptiſmo nos renaſci. *Niſi quis renatus* 7. Caput.
fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. Et: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Et: Ioan. 3.
Cùm mortui eſsetis in delictis, conuiuificauit cum illo. Et: *Sicut modò geniti infantes.* At Tit. 3.
certè noua iſta generatio, & vita requirit verã mortem peccatorum, & verã Coloſs. 2.
mundationem interiorem; non autem ſolam imputationem. Quomodo enim 1. Pet. 2.
ſumus verè viuificati, & regeniti, ſi adhuc mors in nobis manet?

Octauũ cõtinet ea, quæ docẽt nõ poſſe ſimul habitare lucẽ, & tenebras; pec- 8. Caput.
catũ, & iuſtitiam. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorũ.* Et:
Quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ participatio iuſtitiæ cũ iniquitate? quæ cõuentio Chriſti 1. Cor. 10.
ad Belial? quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui. 2. Cor. 10.

Quòd ſi verè eſt in nobis poſt Baptiſmum peccatum natura ſua mortale; ergò iniquitas: non enim iniquitas deſinit eſſe iniquitas, quia non punitur.

9 Caput. Nonum continet ea loca, quæ docent Deo odio eſſe peccata: *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Et: *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius.* Ex his enim locis efficitur, vt aut Deus in iuſtificatione penitùs tollat peccata, ita vt nihil ſit, quod odio habere poſsit; aut certè nihil omninò remittat, ne obligationem quidem ad pœnam. Si enim peccatum maneret, Deus illud odiſſet: ſi odiſſet, punire vellet: ſi punire vellet, non ignoſceret. Itaque dicere Deum non imputare peccata, quæ verè manent, atque ea nolle punire, eſt manifeſta contradictio.

Pſal. 5. Pſal. 44. Sap. 14.

De comparatione Baptiſmorum Propoſit. 1. Iam verò de comparatione Baptiſmi Chriſti cum Baptiſmo Ioannis ſit prima propoſitio: *Baptiſmus Ioannis non fuit Sacramentum idem cum Baptiſmo Chriſti.*

Prob. 1. Prob. I. Baptiſmus Ioannis ab ipſo Ioanne inſtitutus erat; non ergò erat Sacramentum, præſertim nouæ legis. Conſeq. patet, quia nullus homo purus Sacramenta inſtituere poteſt, præſertim nouæ legis. Antec. prob. quia in Scripturis paſsim vocatur Baptiſmus Ioannis: *Videns Ioannes multos venientes ad Baptiſmum ſuum.* Et: *Baptiſmus Ioannis vnde erat è cælo, an ex hominibus?* Similiter legimus Mar. 11. Luc. 20. Act. 1. 18. & 19. Iſta autem denominatio non poteſt ſignificare Ioannem miniſtrum tantùm fuiſſe eius Baptiſmi, ſed etiam auctorem, alioqui Baptiſmus Chriſti potuiſſet etiam vocari Baptiſmus Petri, Pauli, Philippi, & aliorum: quod tamen Script. diligenter cauit.

Matth. 3. Matth. 21.

Prob. 2. Secundò, In Baptiſmo Chriſti nō ſola aqua eſt de eſſentia ritus, ſeu Sacramenti, ſed etiam inuocatio Trinitatis: At Baptiſmus Ioannis non habuit inuocationem Trinitatis: Non igitur eſt idem Sacramentum cum Baptiſmo Chriſti. Aſſumptio prob. quia licet Centuriatores affirment Ioannem baptizaſſe in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, tamen neque Scriptura, neque vlla Patrum traditio id docuit. Fuerunt quidem, qui exiſtimarent Ioannem in ſuo Baptiſmo vſum forma quadam verborum; nimirum, In nomine venturi Meſsiæ, idque propter illa verba Pauli: *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus eſt poſt ipſum, vt crederent.* Sed valdè probabile eſt Ioannem nulla omninò forma verborum vti conſueuiſſe. Illa enim verba Pauli non videntur ſignificare Ioannem baptizaſſe in nomine venturi, ſed tantùm admonuiſſe populum, vt crederent in venturum Meſsiam. Nam etiam Chriſtum baptizauit Ioannes eo ritu, quo cæteros, & certè ridiculum fuiſſet Chriſtum baptizaſſe in nomine venturi.

Act. 19.

Prob. 3. Tertiò; Baptiſmus Chriſti eſt Sacramentum noui Teſtamenti: ergò ab ipſo auctore noui Teſtamenti eſt inſtitutum. At Ioannis Baptiſma non fuit in prędicatione Chriſti inſtitutum, nec à Chriſto mandatum; ſed à Ioanne, antequam inciperet noui Teſtamenti auctor prædicare.

Prob. 4. Act. 19. Quartò Baptiſmus Chriſti iterari non poteſt: at baptizati à Ioanne iterum ab Apoſtolis iuſſu ſunt baptizari: non ergò erat ille Chriſti Baptiſmus, quem Ioannes miniſtrabat.

Pro-

Propoſitio ſecunda: *Baptiſmus Ioannis non habuit eandem vim, & efficaciam, quam habet Baptiſmus Chriſti*. Non eſt quæſtio; An Baptiſmus Ioannis potuerit remittere peccata ex deuotione, & fide accedentium; vel etiam ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus, & Baptiſmo Ioannis? Id enim facilè fieri potuit; & ſic quidam Patrum acceperunt illa verba: *Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Sed tota quæſtio eſt; An Baptiſmus ita efficax fuerit, vt Baptiſmus Chriſti; ita, vt vi ſua, ſeu ex opere operato remiſerit peccata? De hoc ſtatuit Concil. Trident. *Si quis dixerit Baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit.* Propoſitio 2. Luc. 3. Seſſ. 7. c. 1.

Prob. ex Script. Nam Ioannes Baptiſta diſtinguit ſuum Baptiſma à Chriſti Baptiſmate: *Ego baptizaui vos aqua; ille vos baptizabit Spiritu ſancto*. Idem docent teſtimonia Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum. Prob. 1. Mar. 1.

Prob. etiam ex perſona, & officio Ioannis. Erat enim Ioannes præcurſor Domini, & ſolùm ad hoc venerat, vt pararet vias eius. Id enim prædixit Angelus: *Ipſe præibit ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ, vt conuertat corda filiorum ad Patres, parare Domino plebem perfectam*. Et pater ipſius ibid. *Præibis enim ante*, &c. Idem denique teſtatur ipſe adducens vaticinium Iſaiæ: *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini*. At certè parare viam Saluatori non eſt dare ſalutem, & iuſtificare, ſed diſponere ad recipiendum Saluatorem, & ſalutem. Vnde pater eius propriè aſsignans officium Baptiſtæ: *Ad dandam*, inquit, *ſcientiam ſalutis plebi eius*. Non ad dandam ſalutem, ſed ſcientiam ſalutis. Docuit enim Ioannes, quomodo eſſet inuenienda ſalus, nimirum credendo in Chriſtum, cũ illum digito oſtendit, & ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Prob. 2. Luc. 1. Ioan. 1. Luc. 1. Ioan. 1.

Propoſitio tertia: *Poſt Baptiſmum Ioannis neceſſariò percipiendus erat Chriſti Baptiſmus.* Propoſitio 3. Prob. 1.

Prob. primò ex verbis Ioãnis: *Ego baptizo in aqua; ille vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*. Si enim hîc fiat collatio Baptiſmi Chriſti, & Ioannis, (vt eſt cõmunis Patrum ſententia) apertè videmus eoſdem, quos Ioannes baptizauerat, dici baptizandos iterum à Chriſto. Ioan. 1. Matth. 3. Luc. 3. Mar. 1.

Prob. ſecundò ex hiſtoria Euangelij, & Actorum. Nam ibant ad Ioannẽ, vt baptizarentur, tota Ieruſalem, omnis Iudæa, & regiones omnes vicinæ Iordani. Itaque rari erant admodum eo tempore non baptizati à Ioanne. At poſt Domini aſcenſionem ipſo primo die Pentecoſtes B. Petrus in Ieruſalem prædicare cœpit neceſsitatem Baptiſmi Chriſti omnibus hominibus: *Pœnitentiam* inquit, *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu*. Et baptizati ſunt eo die tria millia; deinde paulò pòſt quinque millia prӕter eos, quos poſteà baptizauit Philippus, & alij diſcipuli in varijs locis Iudeæ, & Samariæ. Ergò neceſſe eſt, vt multi à Ioãne baptizati iterũ ab Apoſtolis baptizati fuerint. Prob. 2. Mar. 1. Matth. 3. Luc. 3. Act. 2. Act. 4. Act. 8. & alibi.

Prob. tertiò ex loco expreſſo, vbi Paulus iubet baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confeſsi fuerant ſe non habere, niſi Ioannis Baptiſmũ. Tametſi enim decem hӕreticorum ſint huius loci expoſitiones diuerſæ, tamẽ ipſe textus ſi exponatur ſimpliciter, & propriè ſine dubio eum ſenſum offert, quem nos defendimus. Deinde vnanimis conſenſus Patrum conſtanter docet eos viros iterum baptizatos. Prob. 3. Act. 19.

CAPVT

CAPVT IIII.

De Cæremonijs Baptiſmi.

Cæremoniæ Baptiſmi. CÆREMONIAE, quibus in Baptiſmo vtimur, antiquiſsimæ ſunt; & vel ex Apoſtolorum traditione manarunt, vel à ſanctiſsimis Patribus inſtituta ſunt; quorum auctoritas, præſertim tot ſæculis iam confirmata, plus apud nos valere debet, quàm nouatorum clamores.

Cæremoniæ autem aliæ præcedunt Baptiſmum; aliæ comitantur; aliæ ſequuntur.

1. Cæremonia ante Baptiſ. Earum, quæ præcedunt, prima eſt, quòd Catechumeni, qui baptizari cupiunt, dent nomen ſuum; & ex eo tempore dicuntur Competentes, ſeu Electi, & recipiuntur ab Eccleſia, vt inſtruantur, & præparentur ad Baptiſmum. Hinc ſunt duo genera Catechumenorum. Vnum eorum, qui audiunt conciones, & volunt fieri Chriſtiani; ſed nondum petierunt Baptiſmum: & ij dicuntur Auditores, ſeu Audientes. Alij petunt baptiſmum; & dicuntur Competentes, ſeu Electi.

2. Cæremonia. Secunda eſt ſcrutinium; quo nomine ſignificatur propriè examen, & exploratio quædam; an Competentes firmiter credant, & ſincerè: tamen continet hoc nomen etiam Catechiſmum, & Exorciſmum, & omnes cæremonias, quæ fiunt ab eo die, quo nomen dederunt, vſque ad eum diem, quo baptizantur. Fiunt autem ſeptem ſcrutinia, quorum principale eſt tertium; & fieri ſolet feria quarta poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ: tunc enim fiunt ferè omnes cæremoniæ.

3. Cæremonia. Tertia eſt abrenunciatio Satanæ, & operum eius, quæ ſæpe repetitur, tum in ſcrutinijs tum etiam poſtea paulò ante Baptiſmum: ac ſine dubio de Apoſtolica traditione deſcendit.

4. Cæremonia. Quarta eſt fidei profeſsio, quam ſæpius interrogati reſpondent, & poſtea etiam in ipſo die Baptiſmi publicè pronunciant recitantes Symbolum.

5. Cæremonia. Quinta eſt ſignum crucis in fronte, & pectore: in ſingulis enim ſcrutinijs, vel à Presbyteris, vel à Clericis imprimitur eis ſignum crucis.

6. Cæremonia. Sexta cæremonia eſt Exorciſmus, id eſt, adiuratio dæmonum certis precibus facta, vt recedant, ab homine baptizando.

7. Cæremonia. Septima eſt exſufflatio, quæ annectitur exorciſmis. Nam & verbis Exorciſmorum pelluntur dæmones; & cæremonia exſufflationis ſignificatur eorum expulſio, & ſimul ſignificatur afflatio boni ſpiritus, quem recipiunt homines, cùm recedit ſpiritus malus.

8. Cæremonia. Octaua eſt guſtus ſalis. Datur enim Catechumenis guſtandum ſal.

9. Cæremonia. Nona eſt, cum tanguntur ſaliua nares, & aures, & dicitur eis, *Epheta*, id eſt, adaperire.

10. Cæremonia. Decima eſt impoſitio manuum, ac benedictio Sacerdotalis.

Vndecima

Vndecima eſt vnctio. Vnguntur enim Catechumeni oleo benedicto ante Baptiſmum in pectore, & ſcapulis, vngendi poſteà Chriſmate poſt Baptiſmum. 11. Cæremonia.

Duodecima eſt abſtinentia vini, & carnium, & etiam rei vxoriæ, & alia opera pœnitentiæ, non quidem ad ſatisfactionem, ſed vt paratiores accederent ad Sacramentum Baptiſmi. 12. Cæremonia.

In ipſo autem Baptiſmo ſunt quinque cæremoniæ. 1. Cæremonia in Baptiſmo.

Primò, imponitur nomen baptizato.

Secunda cæremonia eſt, vt habeant ſuſceptores, à quibus de ſacro fonte leuentur, & poſteà diligentius in fide inſtituantur. 2. Cæremonia.

Tertia eſt conſecratio aquæ. 3. Cæremonia.

Quarta eſt trina merſio. Nota Arianos abuti cępiſſe hac cæremonia. Nam, cùm trina merſio fieret à Catholicis ad ſignificandas tres perſonas diuinas, & triduum ſepulturæ Chriſti, Ariani trina merſione vtebantur ad ſignificandas tres naturas trium perſonarum. Quare & tunc Gregorio viſum eſt, vt in Hiſpania vna merſio fieret; & idem paulò pòſt confirmauit Concil. Toletanum IV. Nunc autem pro regionum varietate vel vna, vel trina merſio adhibetur: neutrum enim eſt de eſſentia Sacramenti. 4. Cæremonia. C. 5.

Quinta eſt tempus Paſchale, & Pentecoſtes. Et ſi enim quouis tempore dari poſsit Baptiſmus, ſi neceſsitas vrgeat; tamen veteres diligentiſsimè ſeruabant hanc cæremoniam, vt ſolum in Sabbathis Paſchæ, & Pentecoſtes ordinariè baptizarent. Placuiſſe autem Deo hanc cæremoniam, poteſt intelligi ex miraculo, quod narrat Paſchaſinus Epiſcopus *in epiſt. ad S. Leonem, quæ habetur ante epiſt. 64. S. Leonis*. Vbi dicit in Sicilia ſuo tempore fuiſſe ſacrum fontem in quadam perexigua Eccleſia in quodam monte ſita, qui toto anno aridus manebat, & in ſola Paſchatis vigilia aquis redundabat hora baptizandi, cùm nulli canales, nullæ foueæ, nunquam aquæ vicinæ conſpicerentur. 5. Cæremonia.

Cæremoniæ, quæ ſequuntur Baptiſmum, ſunt aliæ quinque.

Prima videtur fuiſſe oſculum pacis in ſignum, quod baptizatus eſt frater noſter. 1. Cæremonia poſt Baptiſ.

Secunda eſt vnctio Chriſmatis in vertice; quæ quidem introducta videtur, quia non ſemper adeſt Epiſcopus, qui poſsit continuò dare poſt Baptiſmum Sacramentum Confirmationis. Ideò enim vngitur à presbytero baptizatus, non quidem in fronte, ſed in vertice Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato. 2. Cæremonia.

Tertia eſt cereus accenſus, qui datur baptizato in ſignum fidei, & gratiæ acceptæ, & quòd ſit translatus à poteſtate tenebrarum ad lumen, & ſortem Sanctorum. 3. Cæremonia.

Quarta eſt veſtis candida, quam ferre ſolent à Sabbatho ſancto vſque ad Dominicam in Albis. 4. Cæremonia.

Quinta cæremonia olim fuit delibatio lactis, & mellis, ſeu vini; quæ tamen hoc tempore non eſt in vſu; nec fuiſſe videtur generalis, cùm tantum in Occidente eam viguiſſe ſcribat Hieronymus. 5. Cæremonia.

CAPVT V.

De Sacramento Confirmationis.

Prob. Cõfirmationẽ Sacram. eſſe.

CONFIRMATIONEM eſſe Sacramentum verè, & propriè dictum, prob. ex Scriptura. Tria enim requiruntur ad eſſentiam Sacramenti Chriſtiani propriè dicti. Primò, promiſsio gratiæ. Secundò, ſignum ſenſibile cum verbo, quod ſit medium, ſeu organum, quo applicetur promiſsio. Tertiò mandatum diuinum quo id iubeatur miniſtrari.

Promiſsio generalis huius Sacram. *Ioan. 14.* *Ioan. 15.* *Ioan. 16.*

Ac promiſsio quidem, & certè ampliſsima habetur apud Ioan. vbi Dominus promittit Spiritum paracletum, qui conſoletur in omnibus aduerſis. Et alibi eundem promittit Spiritum ſanctum, qui faciat diſcipulos fortes, & intrepidos in teſtificatione veritatis. Et: *vt arguat mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio*; id eſt, qui det robur Apoſtolis ad arguendam infidelitatem hominum, & teſtificandam Chriſti iuſtitiam, & annunciandum Principem huius mundi iam eſſe iudicatum. Item: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Denique: *Accipietis virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti, in vos, & eritis mihi teſtes* &c.

Luc. vlt. *Act. 1.* *Signum ſenſibile.*

Iam verò medium, ſeu organum, ſiue ſignum ſenſibile conſtans ex rebus, & verbis, quibus applicetur illa promiſsio, fuit manus impoſitio cum oratione. Nam Apoſtoli quidem ſingulari miraculo, & benificio receperunt illam gratiã promiſſam ſine vllo medio, ſeu ſacramento, in die Pentecoſtes. At verò cęteri receperunt illam eandem gratiam miniſterio Apoſtolorum per illud medium: *Tunc imponebant manum ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum*; & anteà dixerat illos veniſſe, vt orarent. Idem habetur Act. 19 Et, quòd hoc ſit medium, quo applicatur promiſsio facta de mittendo Spiritu ſancto, patet ex effectu: nam cuicunque baptizato Apoſtoli manus imponebant, veniebat ſuper eum Spiritus ſanctus. Denique quòd illud donum, quod dabatur tunc omnibus baptizatis per manus impoſitionem, fuerit illud ipſum, quod promiſſum fuit Apoſtolis, patet ex teſtimonio S. Petri, qui concionabatur populo, & promittebat idem donum, quod ipſe acceperat, ſi crederent, & baptizarentur: & allegabat Iohelem, qui prędixerat donum illud effundendum, non ſuper Apoſtolos tantùm, ſed *ſuper omnem carnem*. Idem etiam Petrus teſtabatur Corneliũ, & eius comites accepiſſe idem donum, quod acceperunt Apoſtoli in Pentecoſt. *Nihil diſcreuit inter nos, & illos*; & tamen Scriptura nuſquam meminit alterius medij, ſeu ſigni ſenſibilis, quo daretur donum illud, niſi manus impoſitionis cum oratione.

Act. 2. *Act. 2.* *Act. 11.* *Act. 15.*

Mandatum huius Sacram.

Pro Mandato damus illis mandati executionem. Numquã enim Apoſtoli ita ordinariè, & ſecurè impoſuiſſent omnibus baptizatis manus, vt veniret ſuper eos Spiritus ſanctus, niſi Dominus hoc eis mandaſſet. Fuiſſe autem ritũ illum ordinarium, & communem omnibus baptizatis patet ex Act. & ex Epiſtola ad Hebræos.

Act. 8. & 19 *Hebr. 6.*

Probari etiam poſset hoc Sacramẽtum ex teſtimonijs Pontificũ, Concilijs, & Patribus Gręcis, & Latinis, niſi longum eſſet ea recenſere.

CAPVT

CAPVT VI.

De materia, forma, effectu, & miniſtro Confirmationis.

MATERIAM huius Sacramenti remotam Catholici communi cõſenſu docent eſſe oleum balſamo admixtum, atque ab Epiſcopo conſecratum: materiam verò proximam, quæ propriè eſt altera pars Sacramenti, vnctionem ex prædicto oleo in fronte adhibitam ad formam, ſeu figuram crucis. *Materia Cõfirmationis.*

Prima de hac re fit propoſitio: *Chriſma, ſiue Vnctio materia eſt Sacramenti Confirmationis.* Hæc eſt certiſsima Catholicis ex Concil. Florentino, & Tridentino. *Propoſitio 1. Seſſ. 7. c. 2. De confirm.*

Prob. primò ex duobus locis Script. vbi vel expreſsè fit mentio huius vnctionis, vel certè ad eam alluditur. *Prob. 1.*

Prior eſt: *Qui confirmat nos, Deus, & vnxit nos, & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Hunc locum exponunt de Sacramento Confirmationis Ambroſius, Anſelmus, & Theodoretus: & verba ipſa ſatis aperte ſignificant. Nam verbum (*Confirmat*) proprium eſt huius Sacramenti, in quo robur datur. Deinde (*Vnxit nos*) vel refertur ad ipſam actionem externã; vel, ſi referatur ad internam, fit alluſio ad externam: ideò enim interna illa illuſtratio, & operatio Spiritus ſancti dicitur vnctio, quia per vnctionem externam dari, & ſignificari ſolet. Illud autem (*Signauit nos*) referri poteſt, tum ad internã obſignationem per characterem, tum ad externum ſignaculũ crucis, quod in hoc Sacramento in fronte imprimitur. Denique; Illud (*Dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*) apertiſsimè deſignat effectum principalem huius Sacramenti, qui eſt donum charitatis. *2. Cor. 1.*

Poſterior locus eſt: *Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis,* &c. Hunc locum de Sacramento hoc exponit Cyrillus, & Auguſtinus. *1. Ioan. 2.*

Prob. ſecundò ex communi conſenſu Pontificum, Conciliorum, & Patrum Græcorum, ac Latinorum. *Prob. 2.*

Propoſitio ſecunda: *Materia Confirmationis non eſt oleum ſimplex, ſed oleum mixtum balſamo.* *Propoſitio 2*

Prob. primò ex traditione maiorum. *Prob. 1.*

Secundò, ex figura veteris Teſtamenti. Nam vnguentum, quod Deus iuſſit fieri, quo vngeretur tabernaculum, & Sacerdotes, figura erat Chriſmatis, quo vngitur Eccleſia, quæ eſt verum Dei tabernaculum. Illud autem erat ex oleo oliuarum cum admiſtione odiferorum ſuccorum, quorum vnum erat ſtacten, & etiam balſamum fuiſſe dicitur. *Prob. 2. Exod. 30.*

Probatur ratione Theologorũ, & D. Thomæ, quia debet materia Sacramẽti ſignificare effectum Sacramenti. Effectus autem huius Sacramenti præcipuus eſt confirmatio in fide: quæ duo requirit; puritatem, & feruorem *Prob. 3.*

 fidei

fidei in corde;& conſtantem confeſsionem in ore. Primum apertiſsimè ſignificatur in oleo,quod liquor puriſsimus,ſubtilis,lucidus,& calidus eſt: ſecundum non minus aptè ſignificatur balſamo, quod bonum odorem effundit ad alios.

Præterea;Huius Sacramenti effectus ſignificati ſunt in illis linguis igneis, *Act. 2.* quę apparuerunt ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes. Et ſi enim Apoſtoli ſine Sacramento confirmati ſint illo die ab ipſo immediatè Deo, tamen non ſine viſibili ſymbolo effectum inuiſibilem ſignificante. Illis ergò duobus ſymbolis, igni, & linguis, ſeu potiùs vni ex duabus partibus conſtanti reſpondent optimè in Sacramento noſtro oleum, & balſamum,ſeu Chriſma ex oleo, & balſamo confectum.

Propoſ. 3. Prob. Propoſitio tertia: *Chriſma,quod eſt materia Sacramenti Confirmationis prius conſecratum & benedictum, eſſe debet.* In hac etiam omnes Catholici conueniunt:& prob.ex traditione Eccleſiæ, ſanctorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Vnctio Chriſmatis ad crucis figuram in fronte hominis baptizati fieri debet, vt ſit vera,& proxima Sacramenti huius materia.* Hæc etiam patet ex traditione Eccleſiæ,cuius teſtimonia adferre longum eſſet.

Forma Confirm. Forma huius Sacramenti ſunt hæc verba: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.* Neque dubitari poteſt,quin hæc ſit conueniens forma, cùm apertè explicet & cauſſam principalem, quæ eſt ſancta Trinitas;& cauſſam miniſterialem, quæ eſt ille, qui verba ipſa profert; & denique effectum, qui eſt facere Chriſti militem inſigniendo illum cruce,& roborare,atque armare confirmando Chriſmate. Habetur autem hæc forma diſertis verbis in Concil. Florentino, in Pontificali Romano,& apud S.Thomam.Apud antiquiores auctores non habentur hęc omnia verba,& hoc ordine;tamen habetur idem ſenſus,& hoc ſufficit. Neque debet alicui mirum videri, ſi Patres non expreſsè ponant hanc formam: nam neque aliorum Sacramentorum formas deſcribunt, tum quod res eſſent omnibus Chriſtianis notæ ob quotidianum vſum; tum etiam ne Gentilibus,qui libros noſtros videbant, proderent eiuſmodi myſteria ſine neceſſitate.

Effectus Confirm. Effectus huius Sacramenti duplex eſt. Vnus, quòd gratiam confert gratum facientem,& quidem maiorem, quàm ipſe Baptiſmus, in ordine ad roborandum animam contra diaboli impetus: ſed minorem in ordine ad remiſſionem peccati;quia non remittit totam pœnam, vt facit gratia Baptiſmi. Alter effectus eſt character,quo adſcribimur in Chriſti militiam; ſicut per Baptiſmum in Chriſti familiam.

Prob. character 1. Hebr. 6. Probatur autem character ex eo,quòd non poteſt repeti Confirmatio. Et hoc prob.expreſsè ex Apoſtolo: *Non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis,& fidei ad Deum,baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum.* Vbi teſte Chryſoſtom. Theodoret. Theophylacto,& alijs,Apoſtolus per impoſitionem manuum intelligit Confirmationem, quæ dabatur ſtatim poſt Baptiſmum; ac docet non licere ei, qui labitur poſt Baptiſmum, & Confirmationem, iterum redire ad Baptiſmum & Confirmationem : hæc enim

ſunt

ſunt fundamenta, quæ iaciuntur niſi ſemel.

Secundò, idem patet ex Concilijs, & Patribus. *Prob. 2.*

De miniſtro huius Sacramenti controuerſia eſt; An ſolus Epiſcopus ſit miniſter? *Miniſter Confirm.*

Catholici omnes (vno Richardo Armachano excepto) docent communi conſenſu, ſolum Epiſcopum eſſe proprium huius Sacramenti miniſtrum. Eſt quidem inter Catholicos quæſtio; an ſaltem ex diſpenſatione presbyter poſſit hoc Sacramentum conferre? Nam S. Bonauentura, Durandus, Adrianus contendunt id nullo modo committi poſſe presbyteris: ſed S. Thomas, & omnes eius diſcipuli contrarium docent: & hoc poſterius quidem longè verius eſt. Vt patet ex Patribus, & Concilijs: & ideò ait Concil. Tridentinum ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum, vt indicaret poſſe extraordinaria poteſtate idem fieri etiam à Presbytero. *Reſp.* *Seſſ 7.c.3. De Confirm.*

Prob. autem Catholica veritas apertiſsimo Scripturæ teſtimonio. Nam miſsi ſunt Petrus, & Ioannes, vt per impoſitionem manuum darent Spiritum ſanctum ijs, quos Philippus in Samaria baptizauerat. Et Paulus ipſe Apoſtolus manus imponit illis, quos alij baptizauerant. At certè nulla videtur poſſe fingi cauſſa, cur ſoli Apoſtoli manus imponant; immò cur ad hoc ipſum veniant ex vno loco ad alium, niſi quia hoc munus propriè pertinet ad primum gradum Eccleſiaſticum, qui eſt ſine dubio Epiſcopalis. *Prob. reſp. 1.* *Act. 8.* *Act. 19.*

Secundò prob. teſtimonijs, & traditione Eccleſiæ. *Prob. 2.*

Tertiò prob. ratione. Nam Confirmatio eſt complementum, & perfectio Baptiſmi; proinde conuenit, vt à primario miniſtro detur: ſic enim in omnibus alijs rebus vltima forma imprimitur à primo agente. Præterea; In Confirmatione adſcribimur ad Chriſti militiam: adſcribere autem ad militiam proprium eſt Ducum, & Imperatorum. *Prob. 3.*

CAPVT VII.

De Cæremonijs Confirmationis.

DVPLICES ſunt Cæremoniæ in hoc Sacramento. Primùm enim multæ cæremoniæ adhibentur in conſecratione Chriſmatis feria quinta in cœna Domini. Deinde, quædam in ipſa collatione huius Sacramenti.

In primo genere adhibentur benedictiones olei, & balſami per orationes: & hoc reprehendi non poteſt, cùm Apoſtolus dicat omnia *ſanctificari per verbum Dei, & orationem.* *Cæremonia ante Confirm.* *1. Tim 4.*

Secundò, fiunt etiam benedictiones olei, & balſami per ſignum crucis. Ac ne id quidem reprehendi poteſt, cùm ſine hoc ſigno nihil conſecrari poſsit, vt teſtantur omnes ferè Patres.

Tertiò, halat Epiſcopus aliquoties ſuper ampullam Chriſmatis. Sumpta videtur hæc ab exemplo Domini, qui in Apoſtolos inſufflauit, vt ea cæremonia demonſtraret Spiritum ſanctum in eos deſcendere. *Ioan. 20.*

 Quartò,

Quartò, quòd Chriſma iam conſecratum ſalutatur ab Epiſcopo, & Preſbyteris, his verbis: *Aue ſanctum Chriſma.* Adhibetur quidem ſic Chriſmati cõſecratio reuerentia, quia eſt res ſacra, & vim habet, vt inſtrumentum Dei, ſanctificandi: ſed non adoratur, vt Deus: alioqui etiam Hebræi idololatræ

Pſal 98. fuiſſent, qui arcam Domini ligneam adorabant; idque Propheta monente:
Matth. vlt. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* Et Dominus etiam, qui dixit mulieribus: *Auete*; eas adoraſse diceretur.

Cæremoniæ in Confirm. In ipſa Confirmatione præter cæremoniam eſſentialem vngendi, & ſignandi frontem cruce, adhibentur etiam octo aliæ.

1. Prima, vt ſuſceptor adſit, ſicut in Baptiſmo, qui confirmandum offerat Epiſcopo.

2. Secunda, vt variæ preces dicantur ſuper confirmandos, & quidem cũ manus impoſitione.

3. Tertia, vt confirmato pax detur ab Epiſcopo in ſignum acceptæ gratiæ Spiritus ſancti, cuius effectus eſt pax.

4. Quarta, vt confirmatum Epiſcopus manu leniter cædat, vt is intelligat ſe contra ignominiam, & verbera pro Chriſto ferenda patientia præcipuè armandum.

5. Quinta, vt faſcia ligetur frons, tum, ne Chriſma facilè defluat, tum, vt ſignificet acceptam gratiam diligenter conſeruandam, iuxta illud: *Vnctionem,*
1. Ioan. 2. *quam accepiſtis, maneat in vobis.* Sed in hac re ſeruanda eſt Eccleſiæ conſuetudo: alicubi enim ad ſeptem dies frontis faſcia cõſeruatur, alicubi ad tres; alicubi cõtinuò abluitur; & exiccatur Chriſma à ſacerdotibus, vt faſcia opus nõ ſit.

6. Sexta, vt ad ſeptem dies non lauetur caput, ſeu frons.

7. Septima, vt in Sabbatho Paſchæ, & Pentecoſtes detur Confirmatio, quia videlicet ijs diebus dari debet Baptiſmus. Hoc tamen tempore, quia vt plurimùm non dantur ſimul hæc Sacramenta, laudabilis eſt conſuetudo multorum Epiſcoporum, vt feſtis Pentecoſtes præcipuè confirment; quia nimirum in eo feſto data eſt prima Confirmatio à Deo ſanctis Apoſtolis.

8. Octaua, vt à ieiunis detur, & accipiatur Confirmatio.

DE

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De reali præſentia Chriſti Domini in Sacramento Euchariſtiæ.

SVMMA Catholicæ ſententiæ de hac re explicatur in Concil. Tridentino his verbis: *Principiò docet ſancta Synodus, & apertè, ac ſimpliciter profitetur in almo ſancta Euchariſtia Sacramento, poſt panis, & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum, atque hominem, verè realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri.* Ex quibus verbis deduci poſſunt aliquot regulæ de modo loquendi in hac materia. *Sententia Catholica.* *Seſſ. 13. c. 1.*

Prima regula: Nomina ſubſtantiua, quæ dicuntur de Chriſto, ſiue eius corpore extra Sacramentum, dicuntur etiam de ipſo, vt eſt in Sacramento. *1. Regula.*

Ratio eſt, quia nomina ſubſtantiua ſignificant naturam rei abſtrahendo à modo: rei natura autem, & eſſentia omnium, quæ ſunt in Chriſto, verè eſt in Sacramento. Itaque dicimus veriſsimè eſſe in Sacramento corpus, carnem, ſanguinem, &c. & carnem illam eſſe corpus, non ſanguinem. *Ratio.*

Secunda regula: Nomina adiectiua, quæ dicunt ordinem ad corpora circumſtantia, non dicuntur de Chriſti corpore, vt eſt in Euchariſtia; licet dicantur de eo, vt eſt in cælo: alia verò dicuntur. *2. Regula.*

Ratio eſt, quia corpus Chriſti propter modum exiſtendi in Euchariſtia peculiarem non dicit vllum ordinem ad corpora circumſtantia. Itaque dicemus quidem corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, eſſe verum, reale, naturale, animatum, quantum, coloratum, &c. & carnem, illam dicemus, eſſe corporalem, non ſpiritualem: niſi nomen ſpirituale ſumatur, ſicut ibi: *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale*; id eſt, obediens ſpiritui in omnibus. At non dicemus eſſe ſenſibile, viſibile, tangibile, extenſum, licet tale ſit in cælo. *Ratio.* *1. Cor. 15.*

Tertia regula: Aduerbia, quæ dicunt modum exiſtendi corporalem, non dicuntur de Chriſto in Euchariſtia, licet dicantur de ipſo, vt in cælo reſidet: alia verò nihil prohibet dici. *3. Regula.*

Ratio eſt, quia non habet Chriſtus modum exiſtendi corporũ, ſed potiùs ſpirituum, cùm ſit totus in qualibet parte. Itaque dicemus Chriſtum eſſe in *Ratio.*

Euchariſtia verè, realiter, ſubſtantialiter; ſed non dicemus corporaliter, id eſt, eo modo, quo ſuapte natura exiſtunt corpora, nec ſenſibiliter, mobiliter, &c.

4. Regula. Quarta regula: Verba, quæ ſignificant præſentiam corporis Domini in Euchariſtia, abſtrahendo à modo exiſtendi, cum ordine ad alia, ſimpliciter affirmari poſſunt: reliqua non item. Quare rectè dicemus; Corpus Domini eſt, continetur, manet, reperitur, ſumitur, percipitur in Euchariſtia. at non rectè diceremus; Corpus Chriſti in Euchariſtia extenſum eſt, occupat locum.

5. Regula. Quinta regula: Quamuis corpus Chriſti in Euchariſtia per ſe non videatur, nec tangatur, nec moueatur; tamen ratione ſpecierum, ſiue accidentium, quibus coniunctum eſt, poteſt dici videri, tangi, moueri, &c. Id patet, quia ſpecies illæ verè videntur, tanguntur, mouentur; & quod eis conuenit, vſitatè etiam tribuitur ei, quod eſt cum illis coniunctum. Nam hoc modo Angeli, qui ſunt ſpiritus, dicebantur videri, & tangi corporeis oculis; quando

Gen. 19. videbantur, vel tangebantur corpora ab illis aſſumpta. Et in toto libro Tobiæ Scriptura paſsim vocat Angelos, quos dicit viſos, auditos, tactos. Immò

Ioan. 1. Spiritum ſanctum dicit Ioannes ſe vidiſſe, cùm vidit columbam.

6. Regula. Sexta regula: Verba, quæ ſignificāt motum localem; verè, & propriè dicuntur de corpore Chriſti in Euchariſtia exiſtente ratione ſpecierum, licet per accidens, non per ſe: cætera autem, quæ ſignificant alias mutationes, vel actiones, dicuntur quidem de corpore Chriſti ratione ſpecierum; ſed impropriè, & figuratè.

1. Pars. Prima pars huius regulæ certiſsima eſt, quia realis præſentia corporis Chriſti id neceſſario requirit, vt motis ſpeciebus verè moueatur corpus Chriſti, quamuis per accidens: quomodo anima noſtra verè mutat locum, cùm corpus mutat locum. Itaque verè dicemus, & propriè, Chriſti corpus in Euchariſtia attolli, deponi, deferri, collocari in altari, transferri à manu ad os, ab ore ad ſtomachum.

2. Pars. Prob. Altera pars prob. quia ſi, quæ conueniunt ſpeciebus, excepto motu locali, deberent propriè conuenire corpori Chriſti, oporteret vel recipi eas mutationes immediatè in corpore Chriſti; quod omnes negant: vel mediantibus ſpeciebus; & hoc, vel quia ſpecies inhæreant corpori Chriſti; & id etiam omnes negant, vel ratione communicationis idiomatum ob vnionem hypoſtaticam, vel ſimilem, & hoc etiam non habet locum. Nam ſi ibi eſſet vnio hypoſtatica; quatuor abſurda ſequerentur.

1. Abſurdum ex vnione hypoſtat. Primum, quòd Chriſtus in Euchariſtia deberet etiam dici albus, & rotundus ratione ſpecierum: quod tamen omnes abſurdum eſſe confitentur. Cur enim potius actiones, & paſsiones, quàm ipſæ qualitates de Chriſto dicantur, ſi eſt communicatio idiomatum? certè in myſterio incarnationis non ſolùm dicitur Deus ambulaſſe, comediſſe, &c. ſed etiam fuiſſe corporeus, humilis, triſtis, &c.

2. Secundum, quòd ſicut dicunt Chriſtum verè, & propriè videri, & tangi, ita poſſent dicere eum caleſieri, aut frigeſieri, immò & mucidum, aut acidum fieri, quando iſta contingunt in ſpeciebus ante eorum corruptionem: quemadmodum Deus dictus eſt pati, vulnerari, & mori in carne.

At illa nemo planè concederet.

Tertium, quòd etiam ſpeciebus oporteret attributa Chriſti tribuere, eſt 3.
enim mutua communicatio idiomatum. At nunquam eſt auditum, vt accidē-
tibus aliquid eiuſmodi tribueretur.

Quartum, quòd non liceret dicere carnem Chriſti videri, aut tangi, ſed ſo- 4.
lum ipſum Chriſtum. Communicatio enim idiomatum tribuit ſoli ſuppoſi-
to attributa vtriuſque naturæ, non autem attributa vnius naturæ accommo-
dat alteri; caro autem natura eſt, non ſuppoſitum.

Nunc demonſtranda eſt præſentia corporis Domini in Euchariſtia ex *Prob. 1.*
Scripturis. Primum Script. argumentum eſt ex figuris, quod tale eſt: Figuræ *Præſentia*
neceſſario inferiores eſſe debent rebus figuratis. Figuræ autem Sacramenti *Corporis*
Euchariſtiæ, vel ſunt excellentiores, vel non inferiores ſimplici, & naturali *Domini in Euchariſt.*
pane ſignificante corpus Chriſti: ergò Euchariſtia non eſt ſimplex, & natura-
lis panis ſignificans corpus Chriſti, ſed eſt ipſum corpus Chriſti, panis verè
cœleſtis, & ſuperſubſtantialis.

Maior propoſitio certiſsima eſt ex Apoſtolo Paulo, qui comparat figuras *Coloſſ. 2.*
Teſtamenti veteris vmbris, impletionem autem corpori: & eaſdem figuras *Hebr. 10.*
vmbris, veritatem autem imagini. Vmbra enim non eſt vera imago, ſed vel
eſt inanis ſimilitudo imaginis, qualis efficitur, cum quis ambulat in ſole, vel
certe adumbrata imago in tabula nondum expreſſa, & perfecta.

Minor propoſitio dupliciter probari poteſt: Ex figuris, quæ ſunt æquales
pani: deinde ex his, quæ ſunt pręſtantiores.

Figuræ æquales ſunt illę, quę in pane ſitæ erant. Primùm, panis, quem pro- *Figuræ*
tulit Melchiſedech: Deinde, panis propoſitionis, qui ſolum à puris, & ſancti- *æquales*
ficatis comedi poterat. Item, panis primitiarum. Denique, panis ille angeli- *pani.* *Gen. 14.*
cus, quo Elias roboratus 40. dierum ſpacio ambulauit vſque ad montem Dei *Exod. 40. &*
Oreb, vbi & Deum quodammodo vidit. *1. Reg. 21.*

Ex pręſtantioribus figuris tres ſunt pręcipuæ. *Leuit. 3.*

Prima eſt Agnus Paſchalis. Non enim alia de cauſſa Dominus poſt Agnum *3. Reg. 19.* *Figura præ-*
Paſchalem ritu Iudaico manducatum continuò Sacramentum Euchariſtię *ſtantior 1.*
inſtituit, niſi vt ſignificaret, vt ait Leo, antiquam obſeruantiam nouo Sacra-
mento adimpleri, & tolli.

Deinde, conſtat Agni Paſchalis cęremoniam non tam fuiſſe poſitam in im- *Exod. 12.*
molatione, quàm in manducatione. Ergò illi reſpondet in Teſtamento nouo
Agnus ille, qui tollit peccata mundi, quatenus manducatur, quod certè non
aliter fieri ſolet, quàm in Euchariſtia. Iam verò Agnum Paſchalem Iudęo-
rum fuiſſe pręſtantiorem Euchariſtia noſtra, ſi in ea non verè Chriſti corpus
continetur, facilè demonſtrari poteſt.

Si enim conſideremus Agnum, & panem, vt res naturales, dubitari nō po-
teſt, quin Agnus excellat: ſi verò, vt Sacramenta, id eſt, ſymbola externa, eo
modo etiam agnus excellit: Nam caro Chriſti melius ſignificatur carne Agni,
quàm pane: item, mors Chriſti meliùs ſignificatur morte agni, quàm fractio-
ne panis: Chriſti innocentia, manſuetudo, & alię proprietates meliùs ſignifi-
cantur per agnum illum electum, anniculum, ſine macula, qui in lege iubeba-
tur immolari, & manducari, quam pane, qui nihil horum habet.

NNn Effectus

Effectus etiam Sacramenti, ſiue ſit nutritio quædam ſpiritualis, ſiue excitatio fidei, melius obtinetur per eſum agni, quàm eſum panis. Magis enim caro nutrit, quàm panis; & id etiam fidem magis excitat, quod melius repræſentat Chriſti mortem. Quare illa verba Domini; *Hoc eſt corpus meum*, aptius per metonymiam dici poſſunt de Agno Paſchali, quàm de pane Euchariſtiæ.

2. Figura præſtantior. *Exod. 24.* *Heb. 9.* Altera figura eſt ſanguis Teſtamenti. Nam vbi deſcribitur Teſtamentum vetus, legimus Moyſen nomine Dei mandata legis propoſuiſſe: deinde aſperſiſſe ſanguinem in populum, ac dixiſſe: *Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quem miſit ad vos Deus.* Impleta eſt autem hæc figura in inſtitutione huius Sacramenti. Quod *Luc. 22.* prob. primò: nam diſertis verbis Dominus ait; *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine*: ergo in ipſa cœna Teſtamentum inſtitutum fuit.

Matth. 26. Secundò, quia videtur Dominus de induſtria vti voluiſſe iiſdem ferè verbis, quibus vſus fuit Moyſes: nam Matthæus ita ſcribit eum dixiſſe; *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti.*

Ioan. 13. Tertiò, quia tunc Dominus propoſuit etiam legem, vt anteà fecerat Moyſes, cùm ait; *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Et aſperſit ſanguinem in pectora diſcipulorum; quorum neutrum in paſsione factum legimus: non ergò fuit figura paſsionis Domini, ſed inſtitutionis huius Sacramenti.

Quarto; Teſtamentum fieri debet ab homine libero ante mortem coram teſtibus, & per aliquod publicum inſtrumentum, quod extet ad memoriam. Hæc omnia videmus adfuiſſe in vltima cœna, non autem in paſsione. Nam in vltima cœna Dominus adhuc liber erat; in paſsione erat quodammodo iuris alieni, cùm vinctus eſſet in manibus Iudæorum.

Item; In vltima cęna teſtes aderant Apoſtoli, & confectum eſt publicum inſtrumentum extans ad memoriam, id eſt, Sacramentum ipſum Euchariſtię; in paſsione autem inimici aderant, non teſtes, excepto Ioanne, neque vllum tunc inſtrumentum factum eſt. Denique; In vltima cęna Dominus viuebat, in paſsione non tam viuebat, quàm moriebatur. Vnde Apoſtolus dicit Teſtamétum morte confirmari, non enim valet, dum viuit, qui teſtatus eſt: quaſi dicat ante mortem fieri, ſed morte conſequente firmari. Hoc iam poſito, melior fuiſſet figura re figurata, ſi ibi verus ſanguis, hîc tantùm vinum ſit. Sanguis enim & melior ſubſtantia eſt, quàm vinum, & melius repræſentat Chriſti ſanguinem, quam vinum.

3. Figura præſtantior. *Exod. 16.* *Ioan. 6.* *1. Cor. 10.* Tertia figura eſt Manna, quod Iudæis in deſerto pluebat, vt patet ex verbis Domini: *Patres veſtri manducauerunt Manna in deſerto, & mortui ſunt; qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Præterea colligitur ex Apoſtolo, qui mare rubrum comparat Baptiſmo, & Manna Euchariſtię. Idem & Patres docent. Denique, Tanta eſt inter Manna, & Euchariſtiam ſimilitudo, vt res ipſa clamet illud huius fuiſſe typum. Manna datum eſt in deſerto, dum filij Iſraël tranſito mari rubro ad terram promiſsionis pergerent: ita etiam Euchariſtia datur in huius vitæ deſerto, dum poſt Baptiſmum tendimus ad veram patriam noſtram, quę eſt vita æterna.

Exod. 16. Deinde, Manna id habuit ſingulare, vt, licet aliqui multum, aliqui parum collegiſſe viderentur, omnes tamen eandem menſuram inuenirent: quod certè aptiſsimè quadrat in Euchariſtia, cùm idem ſit Sacramentum, eadem virtus,

tus,idem fructus in magna parte ſignorum,& in parua. Denique, Non caret myſterio, quòd & Manna, & aqua de petra, quibus vtraque ſpecies Sacramenti figuratur,contemptum,dubitationes,& contradictiones paſſa ſint,& propterea multi inde perierint,vnde refici debuiſſent. De Manna: *Nunquid & panem poterit dare,aut parare menſam populo ſuo?* Et legimus aquam illam aquam contradictionis appellatam. Et: *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſsimo.* Ibidem deſcribitur ſtrages occiſorum propter huiuſmodi murmurationes. Porro dubitationes, murmurationes, contradictiones circa Euchariſtiam, hoc potiſsimum tempore,notiſsimæ ſunt. Et certè,ſi,vt ait Apoſtolus, *multi dormiebant*,id eſt,moriebantur corporaliter olim,quia indignè ſumebant Euchariſtiam, multo plures credendum eſt mori in æternum propter contemptum,& blaſphemias in tam admirabile Sacramentum.Iam verò,quòd Manna res fuerit multò præſtantior, quàm Euchariſtia, ſi ea non verè continet corpus Domini,prob.Nam ſi conſideremus Manna, & panem Euchariſtiæ,vt dona quædam, abſtrahendo à ſignificatione, Manna fiebat manibus Angelorum,vnde dicitur *panis Angelorum*:panis Euchariſtiæ fit manu piſtorum.Manna pluebat è cœlo:panis ille prodit è furno. Manna habuit omnem ſaporem; immò ſummo miraculo cuique ſapiebat,quod is deſiderabat: panis ille nihil, niſi panem,ſapit. Quid igitur eſt,quòd Chriſtus ait: *Non Moyſes dedit vobis panem de cœlo,ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum*: & alia, quæ ibidem ſubiungit longè anteponens Euchariſtiam ſuam Mannæ Iudæorum? Si verò conſiderentur vt ſymbola externa, meliùs Chriſtum ſignificat Manna,quàm panis;& quia illud erat è cœlo, & quia habuit omnem ſaporem, & quia æqua menſura ſumebatur ab omnibus,licet diuerſa eſſe videretur.

Pſal 77. *Num. 20.* *Num. 21.* *1. Cor. 11.* *Pſal 77 &* *Sap. 16.* *Sap. 16.* *Ioan. 6.*

Secundum argumentum ad probandam veritatem corporis Domini in Euchariſtia ſumitur ex promiſsione Domini, quæ habetur apud Ioannem. Et primùm diſputandum eſt,an Dominus ibi loquatur de Euchariſtia? Non eſt autem controuerſia,an in toto capite agatur de Euchariſtia? conſtat enim non ita eſſe. Nam & de miraculo panum,& de fide,& de Incarnatione agitur in magna parte capitis. Solùm igitur eſt quæſtio de illis verbis: *Panis, quem ego dabo,caro mea eſt pro mundi vita:* & de ſequentibus ferè ad finem capitis. Porrò Catholici ferè omnes intelligi volunt huius capitis verba de Sacramento ipſo Euchariſtiæ, ſiue de Sacramentali manducatione corporis Domini in Euchariſtia.

Prob. 2. præſentia corporis Domini in Euchariſtia. *Ioan. 6.*

Et probari poteſt ex ipſo loco Scripturæ. Primum,quia Dominus loquitur de futuro,cùm ait: *Panis,quem ego dabo,caro mea eſt.* At ſi panis eo loco ſignificaret Chriſtum,vt fide percipitur ſine vlla relatione ad ſpecies Sacramentales, non diceret in futuro. Manducatio enim illa per fidem res eſt omnium temporum:nam etiam Patres veteris Teſtamenti ita Chriſtum manducauerant. Et confirm. ex Græco textu, vbi ſic habetur; *Panis,quem ego dabo,caro mea eſt,quam ego dabo pro mundi vita.* Vbi illud ſecundum, *Dabo*,non poteſt exponi, niſi pro re verè,& propriè futura;ergò & primum ita exponi debet. Promiſit igitur Dominus carnem ſuam non abſolutè, ſed in Sacramento ſumendam;quod promiſſum impleuit in vltima cœna. Confirm. ſecundò ex diſtinctione,quam facit Dominus inter donum Patris, & donum ſuum. Nam de

Prob. 1. agi de Euchariſtia. Ioan 6.

Patre dicit in præſenti. *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* De filio autem in futuro: *Panis, quem ego dabo.* Quia nimirum donum Patris iam aderat, id eſt, filius eius incarnatus: donum filij, id eſt, caro in Sacramento, futurum erat.

Prob. 2. Secundò prob. ex collatione horum verborum cum verbis cœnæ: tanta enim eſt ſimilitudo, vt planè clamare videatur diuina Script. ibi reddi, quod hîc fuit promiſſum. Hîc enim dicitur: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* Ibi autem: *Accipite, & manducate, hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis datur in remiſsionem peccatorum.*

Prob. 3. Tertiò prob. ex ſequentibus verbis: *Litigabant ergò Iudæi ad inuicem dicentes; Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* & ex illis diſcipulorum paulò infrà: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Ex his enim colligitur tam Iudæos cæteros, quam diſcipulos ipſos intellexiſſe aliquid nouum, & mirandum proponi à Chriſto. Dominus autem non correxit eorum ſententiam, ſed iterum inculcauit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, &c.* Quis credat rem facillimam, qualis eſt credere in Chriſtum, voluiſſe Dominum cũ tanto offendiculo diſcipulorum inuoluere tot obſcuriſsimis metaphoris, cũ potuiſſet vno verbo rem totam declarare? Et confirm. quia ſolebat Dominus, ſi quid per parabolas obſcurè proponeret, poſteà diſcipulis explicare: vt patet
Matth. 13. de parabolis ſeminantis, & zizaniorum. Et cùm dixiſſet: *Oportet vos naſci de-*
Ioan. 3. *nuò,* & Nicodemus non intellexiſſet, explicuit paulò pòſt id fieri ex aqua, &
Ioan. 10. Spiritu ſancto. Explicuit etiam parabolam de paſtore, ouibus, & oſtio, &c.
Ioan. 16. Similiter & illa verba: *Modicum & videbitis me, & iterum modicum & non videbitis me.* Hic autem non explicuit aliter, ſed dixit ijs, qui non receſſerant: *Vultis & vos abire?* Quaſi dicat non habeo aliud, quod faciam, inſinuaui myſterium, fide hic opus eſt; qui non vult acquieſcere, abeat.

prob. 4. Prob. quartò ex illis verbis: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Et: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus,* &c. Iſta enim diſtinctio tam frequens carnis, & ſanguinis; cibi, & potus, apertè indicat Chriſtum loqui de communicatione ſui ſub ſpeciebus panis, & vini: alioqui enim quorſum iſta diſtinctio, toties præſertim repetita? Spiritualis enim perceptio Chriſti per fidem non eget iſta diſtinctione, cum vno modo fiat: idem enim eſt manducare, & bibere in ſumptione per ſolam fidem. Adde, quòd illa expreſsio: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus;* ſignificat diuerſum modum ſumendi carnem, & ſanguinem Chriſti, qui planè perit, ſi tollas ſpecies Sacramentales.

Prob. 5. Quintò prob. illis verbis: *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri Manna,* &c. Siquidem comparatio non fit inter Manna, & corpus Chriſti, vt ſumitur ſola fide; ſed, vt ſumitur in Sacramento. Quod perſpicuum eſt, tum ex Apoſtolo, qui comparat tranſitum maris rubri cum Baptiſmo; & Manna cum Euchariſtia: tum etiam, quia corpus Domini, vt ſumitur ſola fide, non defuit veteribus: immò illud in Manna, ita ſumebant opinione aduerſariorum, vt nos ſumimus in Euchariſtia.

Prob. 6. Sextò prob. ex miraculo panum. Adiunxit enim Dominus hanc diſputationem

tionem illi miraculo, quia multiplicatio illa panum fuit inſignis figura huius Sacramenti.

Septimò prob. ex verbis manducandi carnem, & bibendi ſanguinem, tam *Prob. 7.* ſæpe repertis, & cum iuramento, *Amen, Amen,* confirmatis. Illa enim verba non poſſunt figuratè accipi, ſed propriè; tum, quia ſemper propria ſignificatio ſequenda eſt, niſi euidenter probetur contrarium; tum, quia valdè abſurdum eſſet Dominum non ſemel, ſed ſæpius iuramento confirmaſſe, quòd oporteat manducare ipſius carnem, ſi hoc non, niſi figuratè, faciendum eſſet: neque enim iuramento confirmare licet, niſi ſententias apertiſsimas, & certiſsimas, & quæ non poſſunt in alium ſenſum torqueri, ne detur occaſio periurijs.

Octauò prob. ex collatione capitis huius cum capite III. eiuſdem Euan- *Prob. 8.* gelij. Sicut enim III. cap. Dominus, vt Baptiſmum inſinuaret, dixit Nicodemo, & aliquoties repetiuit: *Oportet vos naſci denuò.* Et: *Niſi quis renatus fuerit ex* *Ioan. 3.* *aqua, & Spiritu ſancto*: ita hoc loco, vt inſinuaret alterum Sacramentum, nimirum Euchariſtiæ, dixit, & repetiuit ſæpius: *Niſi manducaueritis carnem Filij homi-* *Ioan 6.* *nis.* Et: *Qui manducat meam carnem*, &c. Et ſicut eo loco mirabatur Nicodemus, nec poterat capere, quomodo fieri deberet illa regeneratio: ſic etiam hoc loco mirantur diſcipuli, quomodo fieri poſsit iſta manducatio.

Eadem ſententia probari poſſet ex teſtimonio Eccleſiæ, & Patribus: ſed *Prob. 9.* venio ad abſurda, quæ ſequerentur.

Primò ſequeretur Ioannem nihil planè ſcripſiſſe de hoc Sacramento; nam *Prob. 10.* nuſquam attigit hanc materiam, niſi hoc loco. At certè valdè abſurdum eſt *1. Abſurdum.* Euangeliſtam primarium, & diligentiſsimum in ſummis myſterijs explicandis, nihil de hoc Sacramento ſummo ſcriptum reliquiſſe, præſertim cùm tam multa ſcripſerit de Baptiſmo.

Secundò, ſequeretur Chriſtum nunquam explicuiſſe fructum, aut excel- *2. Abſurdum.* lentiam huius Sacramenti, cùm id tam ſæpe fecerit de Baptiſmo: nam in vltima cœna ſolùm inſtituit, ſed nihil addidit ad eius explicationem. Et confirm. quia Apoſtoli ſine dubio commoti fuiſſent, & turbati, cum audiebant: *Accipite, & comedite, hoc eſt enim corpus meum*; niſi antea inſtructi fuiſ- *Matth. 26.* ſent.

Tertiò, ſequeretur nullum extare præceptum diuinum de hoc Sacra- *3. Abſurdum.* mento percipiendo. Nam apud alios Euangeliſtas ſolùm extat inſtitutio, & quoties Sacramentum ſumitur, id fiat in memoriam Dominicæ paſſionis.

Nunc iacto fundamẽto poſſumus inde deſumere argumentũ ad probandũ *2 Argumentum veritatis Euchariſt.* veram præſentiam corporis Domini in Euchariſtia. Dominus enim loquẽs de pane quem daturus erat in cœna, dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi* *vita.* Poſſet autem hoc argumentum dupliciter refutari. Primò, ſi quis diceret *Ioan. 6.* per panem intelligi hoc loco Chriſtum abſolutè, non autẽ, vt eſt in Sacram. ſub ſpeciebus. Sed hæc ſolutio profligata iã eſt omnibus argumẽtis iã dictis. Secũdò, ſi quis admitteret per panẽ intelligi Euchariſtiã, ſed diceret panẽ illũ Euchariſticum dici carnẽ Chriſti nõ propriè, ſed figuratè; ſiue tropus ſit in verbo (*Eſt*) ſiue in nomine (*Caro*) hæc ſolutio ex verbis huius loci refelli poteſt.

NNn 3 Primò,

Prob. 1. intelligi vera caro. Primò, ex comparatione panum miraculo multiplicatorum; & Mannæ, quod pluit in deſerto. Dominus enim contendit panem hunc ſuum, quem daturum ſe pollicebatur, præſtantiorem eſſe vtriſque. At certè ſimplex panis ſub ſolam ſignificationem corporis Chriſti non præſtat panibus illis miraculo creatis, & multò minùs ipſi Mannæ, quod etiam Chriſtum ſignificabat.

Præterea; Illi ſignum petebant à Chriſto, obijcientes illi Manna, quod non ſine magno miraculo pluebat Patribus in deſerto: Chriſtus autem reſpondet ſe daturum panem de cœlo verum. Nullum autem eſt miraculum in pane communi ſignificante corpus Chriſti: neque etiam in apprehenſione, & manducatione Chriſti per fidem. Denique; Dominus aliquid promiſit, quod Patres non habuiſſent; ſicut illi habuerunt Manna, quod nos non habemus. At carnem Chriſti per figuram, & ſignificatiue, etiam Patres habuerunt.

Prob. 2. Secundò, ex dubitatione Capharnaitarum, qui ſine dubio intellexerunt veram carnem à Chriſto promiſſam; & ſimiliter ex offenſione diſcipulorum, qui eodem modo verba Chriſti intellexerant: quorum opinionem Dominus non correxit, ſed arguit eorum dubitationem. at quis credat Dominum, qui tantopere ſitiebat hominum ſalutem, paſſurum fuiſſe, vt tot diſcipuli ab ipſo diſcederent, ſi potuiſſet vno verbo eos reuocare, dicendo ſe figuratè loqui, & rem facillimam creditu ſe propoſuiſse?

Prob. 3. Tertiò, ex illis verbis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem.* Nam in apprehenſione Chriſti per fidem non ſolum non eſt vera manducatio; ſed nulla poteſt fingi diſtinctio inter cibum, & potum: ergò hic promittitur vera caro, & verus ſanguis, qui manducari, & bibi poſſunt.

Prob. 4. Quartò, ex illis verbis: *Hoc vos ſcandalizat? Si ergò videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat priùs?* Iſta enim dupliciter exponi ſolent, & vtraque expoſitio confirmat noſtram ſententiam. Vna expoſitio eſt, quòd voluerit Dominus rem vnam mirabilem alia mirabiliore, vel æquè mirabili confirmare. Sicut enim cùm dubitabant Iudæi, An Chriſtus poſſet remittere peccata? id ipſe probauit ſanando paralyticum. Et idem ſępe alibi fecit: vt cum Nathanaële, & cum Nicodemo. Ex qua expoſitione ſequitur veritas: ſi enim Dominus non promiſiſſet veram carnem ſuam ſe daturum in Sacramento, non fuiſset opus probare potentiam ſuam exemplo aſcenſionis. Altera expoſitio eſt, & ſatis valdè litteralis, quòd Dominus reprehendat incredulitatem diſcipulorum, ac doceat maiorem occaſionem eos habituros dubitandi in Chriſti abſentia, ſi in eius præſentia dubitent. q. d. hoc vos ſcandalizat, quòd carnem meam vobis edendam dare velim? Quid ergò facietis, quando in cœlum aſcendero, & tam procul à vobis abierit corpus meum? Quomodo tunc poteritis credere idem corpus vobis in Euchariſtia præſens exhiberi? Porrò hæc etiam expoſitio mirificè confirmat Catholicam veritatem. Nam, ſi Dominus ſolum promiſiſſet corpus ſuum fide percipiendum, non fuiſſet difficilius, ſed facilius, ita illud ſumere ijs, qui vidiſſent aſcenſionem Chriſti: aſcenſio enim conſpecta roborauit Apoſtolos in fide. Non ergo Dominus diceret: *Quid ergò, ſi videritis filium hominis aſcendentem.*

Matth. 9. *Ioan. 1. & 3*

Ter-

Tertium argumentum ad probandam veritatem corporis Domini in Euchariſtia ſumitur ex ipſa inſtitutione Sacramenti, quæ habetur Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. & 1. Cor. 11. in illis verbis: *Hoc eſt corpus meum.* Vbi ſunt nouem hæreticorum expoſitiones; cum quibus pugnat ſententia Eccleſiæ Catholicæ, quæ hæc verba ſimpliciter, & propriè docet eſſe accipienda, vt ſit ſenſus; *Hoc*, id eſt, quod his ſpeciebus continetur, *eſt*, verè, & propriè *corpus* ipſum *meum* verum, & naturale.

Prob. 3. præſentia corporis Domini in Euchariſtia.

Voluiſſe autem Dominum non figuratè, ſed propriè loqui, prob. primò argumentis ductis à materia, de qua agitur. Eſt enim materia, de qua hic agitur, Sacramentum, Teſtamentum, pactum, lex, & dogma; quæ omnia requirunt propriam, non figuratam locutionem.

Prob. 1. proprie locutio Domini.

Sacramentum eſſe, de quo hic agitur, nemo negat: Sacramenta autem ſolere à Deo inſtitui proprijs verbis, vt in eorum vſu non erretur, perſpicuum eſt ex inſtitutione Sacramentorum omnium veteris, & nouæ legis. Certè vbi inſtituitur Circumciſio, & vbi inſtituitur Agnus Paſchalis; & in toto Leuitico, vbi tot ſacrificia, & expiationes inſtituuntur, vix vnquá occurrit vna aliqua vox figurata: ſic etiam vbi de Baptiſmi inſtitutione, vel potiùs promulgatione, & præcepto agitur, omnia proprijs vocibus explicantur. Neque obſtat, quòd Dominus vtatur voce renaſcendi, quæ videtur metaphorica: nam ſtatim explicatur vox illa per adiuncta; *Ex aqua, & Spiritu ſancto.*

Euchariſtia eſt Sacramentum. Gen. 17. Exod. 12. Matth. vlt. Mar. vlt. Ioan. 3.

Præterea; Non pertinet illa vox ad Sacramenti eſſentiam, ſed ad effectum ſignificandum. Quis ergò credat Chriſtum in inſtituendo Sacramento primariò noſtræ religionis ita figuratè, & ambiguè loqui voluiſſe, vt ne ipſi quidem Doctores legis diuinæ inter ſe conuenire poſsint, quid ſit hoc Sacramentum; paniſne, an corpus Domini?

Ioan. 3.

Deinde; Teſtamentum nouum fuiſſe ſimul à Domino inſtitutum, patet ex illis verbis: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti.* Vel, vt habet Lucas: *Hic eſt calix nouum Teſtamentū in meo ſanguine.* Iam verò nihil ſolet magis propriè, ſimpliciter, & exquiſitè explicari, quam Teſtamentum; ne videlicet detur occaſio litigandi de voluntate teſtatoris. Ita videmus, cùm Teſtamentum vetus inſtituitur, omnia proprijſsimis, & apertiſsimis vocibus explicari. Sic enim refert illam inſtitutionem Apoſtolus: *Lecto, inquit, omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit dicens; hic eſt ſanguis Teſtamenti, quem miſit ad vos Deus.* Sic etiam in teſtamentis hominum fieri videmus. Nam Iacob vbi inter vaticinandum varijs figuris vſus fuerat, ad ipſum Teſtamentum veniens clariſsimis verbis vtitur: *Ego congregor ad populum meum, ſepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi, contra Mambre, in terra Chanaan, quàm emit Abraham.* Ita quoque & Rex Dauid & Tobias & Mathathias teſtamenta ſua verbis ſimpliciſsimis compoſuerūt. Confirm. ex humano more, à quo etiam Apoſtolus argumentum ſumpſit, qui dicit teſtamentum hominis ita eſſe ratum, vt nemo audeat aliquid addere, vel demere. Iam verò teſtamenta humana in proprio ſenſu verborū intelligenda eſſe, iubent humanę leges: & ideò ſi teſtamento relinquatur domus, aut ager, & aliquis de domo picta vellet exponere, apud nullū iudicē obtineret.

Euchariſtia eſt Teſtamentum. Matth. 26. Luc. 22. Exod. 24. Heb. 9. Gen. 49. 3 Reg. 2. Tob. 4. 1. Macha. 2. Gal. 3. L. non aliter. ff de legat. 3.

Porrò

Euchariſtia eſt pactum. Porrò pacta, ſeu fœdera ſunt etiam ex eo genere rerum, quæ ex proprijs ſingulis verbis explicantur, ne locus vllus relinquatur cauillis. Teſtamentum autem Chriſti ſimul teſtamentum,& pactum fuit: nam eſt teſtamentum conditionatum. Id patet ex veteri Teſtamento, cui nouum reſpondet, vt res figurata ſuæ figuræ. Idcircò enim à Domino vocatur pactum, & à Paulo Teſtamentum, quia vtrumque ſimul erat: continebat enim donationem hæreditatis, ſed cum eo pacto,& conditione, ſi perſeuerarent in cultu, & religione vnius Dei. *Exod. 14. Hebr. 9.*

Euchariſtia eſt lex. Sequitur lex, ſeu præceptum. Eſſe enim in hac inſtitutione præceptum aliquod diuinum, nemo negat;& patet ex illis verbis: *Accipite, edite.* Item; *Hoc facite.* Et ſi enim in illis verbis non eſt præceptum , quo obligentur omnes ad Euchariſtiam ſumendam: tamen præceptum eſt ſaltem, quo iubebantur Apoſtoli tunc illam ſumere;& etiam præceptum eſt, vt quando ſumimus, hoc, aut illo modo ſumamus.

Euchariſtia eſt dogma. Denique; dogmata præcipua non niſi proprijs verbis tradi ſolent in diuinis litteris. Tropi enim locum habent vel in propetijs ad rem obſcurandam , vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam; non autem in dogmatibus, quæ præcisè credi, aut ſeruari debent. Vnum autem ex præcipuis dogmatibus Chriſtianæ religionis contineri illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*; nemo hactenus negauit.

Prob. 2. propria locutio Domini. Prob. ſecundò propria, & non figurata locutio à perſonis, cum quibus Dominus loquebatur, cùm diceret: *Hoc eſt corpus meum.* Nam loquebatur cum ſolis Apoſtolis. Dominus enim, etiamſi Phariſæis multa obſcurè dicebat, quia indigni erant cognitione tam ſublimium myſteriorum: tamen Apoſtolis, qui rudes, ac ſimplices erant,& inſtituebantur, vt magiſtri futuri totius generis humani, omnia vel clariſsimè proponebat, vel obſcuriùs dicta continuò exponebat.

Præterea; Loquebatur eo tempore,& loco, quo minimè oportebat obſcurè loqui, nimirum cùm Apoſtoli eſſent primi participes tanti Sacramenti futuri. Nam, vt cum debita reuerentia Sacramentum perciperent, neceſſe erat, vt planè intelligerent, quid illis daretur.

Matth. 13. Ioan. 15. Quòd autem Dominus in cœna non explicuerit tropum, manifeſte colligitur ex duobus.

Primò, ex eo, quòd nullum extet veſtigium explicationis, vt in omnibus alijs locis. Verbi gratia Dominus parabolicè locuturus. *Simile eſt regnum cælorum*,&c. Et vbi dixerat: *Ego ſum vitis,& vos palmites*, ſubiungit explicans. *Si quis in me non manſerit, ſicut palmes*,&c. At hic nihil tale.

Secundò, ex eo, quòd omnes ſcriptores huius hiſtoriæ iiſdem verbis vtuntur. Solent enim Euangeliſtæ ſe inuicem ſupplere, vel explicare, vt quod vnus obſcurius dixit, alius dicat clarius. Hic autem omnes iiſdem verbis vtuntur, cùm tamen ſint ſcriptores quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus,& ſcripſerint diuerſis in locis,& temporibus: quod argumentum eſt Dominum nihil aliud dixiſſe.

Tertiò probatur propria, & non figurata locutio ex conſenſu interpretum; nullus enim ita expoſuit, vt tropicè hunc locum intelligendum diceret; cùm

cùm tamen in Matthæum, & Lucam multi ſcripſerint; in Paulum innume-
rabiles.

Quartò probatur ex communi regula explicandæ Scripturæ, quæ eſt, vt *Prob. 4.*
nunquam dimittamus proprium ſenſum verborum, niſi cogamur ab aliqua
alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi totius Eccle-
ſiæ explicatione: alioqui enim peribit fides, & remanebit ſola opinio de rebus
diuinis, & aperietur porta infinitis erroribus.

Quartum argumentum ad probandam veritatem corporis Domini in *Prob. 4.*
Euchariſtia ſumitur ex his locis, quæ declarant vſum Euchariſtiæ tempore *præſentia*
Apoſtolorum. Sunt autem duo loca præcipua. Vnus eſt: *Calix benedictionis, cui* *corporis*
benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nónne *Domini*
communicatio corporis Chriſti eſt? *in Euchariſt.*
1. Cor. 10.

Ex hoc loco primum argumentum ſumitur ex illis verbis: *Calix benedictio-* *1. Argu-*
nis, cui benedicimus. Significatur enim his verbis conſecratio neceſſaria eſſe ad *mentum.*
hoc Sacramentum conficiendum: quæ tamen non eſſet neceſſaria, ſi tantùm
contineret hoc Sacramentum figuram, ſeu repræſentationem ſanguinis Do-
mini: ad hoc enim ſufficeret prima inſtitutio, & voluntas Chriſti declarata in
Scripturis.

Nam Manna, & aqua de petra, & Agnus Paſchalis erant etiam figuræ, &
ſigna corporis Chriſti; immò & Sacramenta ſecundum aduerſarios eiuſdem
generis cum noſtra Euchariſtia; & tamen nulla erat neceſſaria conſecratio ad
hoc, vt Manna, & Agnus Paſchalis eſſent figuræ, vel Sacramenta.

Secundum argumentum ſumitur ex illis verbis: *Panis, quem frangimus.* Nam *2. Argu-*
in myſterio Euchariſtiæ fractio idem eſt, quod immolatio, ſiue oblatio: vt pa- *mentum.*
tet ex illis verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Et confirm. quia
Paulus calicem deſcripſit per verba conſecrationis, non per verba diſtribu- *1. Cor. 11.*
tionis: ergò eodem modo etiam panem deſcribere debuit. Si autem frangere
eſt immolare, ſequitur neceſſariò, vt vox illa, *Panis*, non ſignificet panem tri-
ticeum; ſed ipſum Chriſti corpus, quod eſt panis ſuperſubſtantialis, & cœle-
ſtis. Neque enim panem triticeum immolamus. Sicut etiam paulò infrà, cùm
dicitur: *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus*; non accipitur nomen, *panis*, pro pane
triticeo, ſed pro corpore Chriſti.

Tertium argumentum ſumitur ex illis verbis: *Communicatio ſanguinis Do-* *3. Argu-*
mini. Et: *Participatio corporis Domini eſt.* Vbi notandum vocem Κοινωνία triplici- *mentum.*
ter accipi in Scriptura. Aliquando enim ſignificat diſtributionem: Vt, *Neceſ-*
ſitatibus Sanctorum communicantes. Aliquando ſocietatem, ſeu confœderationem: *Rom. 12.*
Vt, *Dederunt mihi, & Barnabæ dextras ſocietatis.* Aliquando participationem eiuſ- *Gal. 2.*
dem rei: Vt, *Tribulationi meæ communicantes*; id eſt, participes effecti. ſed omnes *Philip. 4.*
ſignificationes videntur probabiles, & in idem recidere. Siue enim ſit diſtri-
butio, ſiue confœderatio, ſiue participatio, omnium conſenſu Paulus docet
ſumi in ſacramento corpus Domini.

Sed tota difficultas eſt, an corporaliter, realiter, propriè ſumatur ſanguis,
& caro; an ſolùm ſignificatiuè, & ſpiritualiter. Quod autem corporaliter, &
propriè, probari poſſet omnibus argumentis, quibus ſupra probauimus pro-
priè verba inſtitutionis eſſe intelligenda. Sed tripliciter id adhuc probamus.

OOo Primò,

Primo, quia ſenſus proprius, & litteralis ſemper eſt eligendus, niſi euidenter probetur contrarium.

Secundo, quia ſic intellexerunt veteres ſancti, ac præcipuè Chryſoſtomus, quem alij ſequuntur.

Tertio prob. ex intentione, & propoſito Apoſtoli, quod erat auertere Corinthios à ſacrificijs Gentilium, & ab eſu carnium immolatarum, vt patet ex toto contextu: auertit autem illos oſtendendo menſam, & ſacrificium longè præſtantius, quo frui poſſunt.

1. Cor. 11. Alter locus ad vſum Sacramenti pertinens eſt, vbi præter verba inſtitutionis, quæ ſuprà ſunt tractata, habentur illa: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et ſuprà: *Reus erit corporis, & ſanguinis Domini.* Hinc conficitur hoc argumentum: Reprehenduntur quidam, quòd indignè recipiant corpus Chriſti, & inde dicuntur non vitã, ſed iudicium haurire. At iſti non recipiunt ſpiritu, & fide corpus Chriſti, quia vtiliter reciperent, ſi ita reciperent; ergò recipiunt ſolo corpore. Ergò corpus Chriſti verè præſens eſt in Euchariſtia: neque enim ore corporali ſumi poteſt corpus Chriſti, vt eſt in cœlo.

Prob. 5. præſentia corporis Domini in Euchar. Iam verò præſentia corporis Domini in Euchariſtia probari poſſet teſtimonijs omnium Patrum, tam Græcorum quàm Latinorum per ætates ſingulas, quibus floruerunt: ſed ne longi ſimus, poterunt eorum argumenta omnia ad ſex claſſes reduci.

1. Argumentum ex Patribus. Prima claſsis eſt ex modo loquendi Patrum de hoc Sacramento. Vtuntur enim veteres Patres vocabulis quibuſdam, à quibus Sacramentarij noſtri valde abhorrent; quod certè non facerent ſi cum Patribus in ſententia conuenirent. Nam ipſi vix vnquam aliter Euchariſtiam appellant, quàm ſimbola corporis, & ſanguinis Domini: at veteres omnes paſsim appellant corpus, & ſanguinem Domini, quod non faciunt, cum de alijs ſignis loquuntur. Præterea, vocant precioſum corpus, tremenda myſteria, pignus ſalutis, precium noſtrum. Denique, diſertè dicunt non figuram eſſe, ſed ipſum verum corpus.

2. Argumentum ex Patribus. Secunda eſt ex comparatione huius Sacramenti cum alijs rebus. Ac primò cum Sacramentis Hebræorum. Patres enim palam affirmare non timent differre hoc Sacramentum à Manna, agno Paſchali, pane propoſitionis, & ſimilibus rebus; vt veritatem à figuris, corpus ab vmbra, rem cœleſtem, diuinam, & inconſumptibilem à re terrena, & conſumptibili. Secundò, comparant cum myſterio Incarnationis. Tertiò, comparat Chryſoſtomus Chriſtum, vt eſt in altari per Euchariſtiam, cum eodem Chriſto in præſepio, & cum Chriſto in cœlo. Quartò, comparat Auguſtinus Chriſtum in Euchariſtia cum angelis apparentibus in forma corporali. Quintò, comparant alij indignè tractantes Euchariſtiam cum illis, qui Chriſtum occiderunt.

3. Argumentum ex Patribus. Tertia claſsis eſt ex mutatione panis: nam indicant Patres realem mutationem fieri multis modis. Primo, quia dicunt non remanere panem poſt mutationem. Secundo, dicunt ſenſus falli in hac re. Tertio, dicunt ſic mutari panem in carnem, vt mutabatur per nutritionem Chriſto comeden-

te.

te. Quarto, comparant cum realibus mutationibus aquæ in vinum, virgarum in ſerpentes, & ſimilibus. Quinto, dicunt ad iſtam mutationem requiri omnipotentiam Dei.

Quarta ſumitur ex myſterio altiſsimo, quod Patres Euchariſtia agnoſcunt. Nam primo, dicunt non poſſe intelligi ſine fide. Secundo, hortantur ſæpe ad fidem certam, & non dubitandum de veritate huius myſterij. Tertio, dicunt miraculum eſſe ſuperans humanum captum. Quarto, non loquebantur de eo coram Ethnicis, & catechumenis, niſi tectè: vt illis verbis; *Norunt fideles*. Quinto, interrogantes, Quomodo poteſt fieri? remittebant ad omnipotentiam. *4. Argumentum ex Patribus.*

Quinta claſsis ſumitur ex veneratione. Nam primo, adorabant Euchariſtiam. Secundo, inuocabant, vel inuocandam dicebant. Tertio, diligentiſsimè cauebant, ne caderet in terram. Quarto, non permittebant videri ab infidelibus, vel catechumenis. Quinto, aſſerunt angelos aſtare propè altare, dum peragitur ſacrificium. *5. Argumentum ex Patribus.*

Sexta claſsis ſumitur ex effectu, quem tribuunt Euchariſtiæ. Nam primo, dicunt nobis per eam vniri Chriſtum corporaliter. Secundo, dicunt noſtra corpora reſurrectura, quia vniuntur cum Chriſti corpore. Tertio, dicit Chryſoſtomus donare Chriſtum ſe nobis per Euchariſtiam, vt eum verè habeamus intra nos; quomodo cupiunt, & non poſſunt, donare ſe homines ijs, quos amant. Quarto dicunt coniungi Chriſtum nobiſcum, non ſolùm per fidem, & charitatem, ſed etiam reipſa, cùm eum in Euchariſtia percipimus. Quinto, dicunt per huius Sacramenti perceptionem nos fieri diuinæ conſortes naturæ. *6. Argumentum ex Patribus.*

CAPVT II.

Potuiſſe Deum reipſa præſens exhibere corpus, & ſanguinem Domini in ſpecie panis, & vini.

NOTANDVM Deũ poſſe facere omnia, quę vllo modo exiſtere poſſunt, iuxta illud Gabrielis: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*. Et illud *Luc. 1.* Saluatoris: *Omnia tibi poſſibilia ſunt*. Id autem omne exiſtere poteſt, quod in ſua *Marc. 14.* ratione non dicit nõ eſſe, ſed tantùm eſſe. Et hoc eſt, quod ſcribit S. Thomas, & omnes Theologi Deum dici omnipotentem, quia poteſt id omne, quod nõ implicat contradictionem: quod enim implicat cõtradictionem, non eſt poſſibile vllo modo, quia ponit eſſe, & non eſſe ſimul; & proinde, ſi illud fieret, fieret aliquid, cuius eſſe eſt non eſſe. Solum autem non eſſe non poteſt à Deo fieri, quia omne, quod fit, debet eſſe aliquo modo ſimile ei, à quo fit: Deo autem, qui eſt ipſum eſſe, omne, quod eſt, ſimile eſt, & ſolum non ens non eſt ei vllo modo ſimile.

Præterea; Facere, quod non eſt, non eſt facere, ſed deficere; & proinde ad illud non potentia, ſed impotentia requiritur. Et hinc dicimus Deum non poſſe mori, non poſſe peccare, non poſſe deficere. quia mors, peccatum, defectus formaliter ſunt non entia; & illa poſſe non eſt potentiæ, ſed impotẽtiæ: Denique; Eſt primum principium in lumine naturæ: Omne eſt, aut non eſt; quo ſublato tollitur omnis cognitio.

Prob. 1. poſſe vnum corpus eſſe in pluribus locis. Iam probandum primò eſt, non implicare contradictionem, & proinde poſsibile eſſe, vt vnum corpus ſit in pluribus locis. Primò prob. à Scriptura. *Apud Deum omnia poſsibilia ſunt.* Excipit quidem aliqua verbum Dei: Vt, *Impoſsibile eſt mentiri Deum.* Et: *Negare ſeipſum non poteſt.* At nuſquam excipit à Dei omnipotentia vnum corpus eſſe in duobus locis.

Matth 19.
Hebr 6.
2.Tim.2.

Prob. 2. Prob. ſecundò ab exemplo Scripturæ diuinæ. Chriſtus cum Apoſtolo Paulo apparuit, fuit ſimul in ſummo cœlo, & in terra, ſiue in aëre terræ vicino. *Act.9. & 22.* Fuiſſe tunc Chriſtum in cœlo, probari poteſt ex illo: *Quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempus reſtitutionis omnium.* *Act.3.* Quod autem Chriſtus verè, & propriè viſus fuerit à Paulo oculis corporalibus, prob. Nam Lucas dicit de comitibus Pauli: *Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, vocem quidem audientes, neminem autem videntes.* *Act.9.* Vbi ponit antitheſin inter Paulum, & comites eius; quaſi dicat, Comites eius audiebant vocem loquentis, ſed non videbant, quis loqueretur; Paulus autem & vocem audiebat, & videbat eum qui loquebatur. Ibidem narrat Barnabas Apoſtolis, quemadmodum Paulus vidiſſet Dominum. Et Ananias dicit ad Paulum de viſione illa, quam habuerat in via: *Deus Patrum noſtrorum præordinauit te, vt cognoſceres voluntatem eius, & videres iuſtum, & vocem audires ex ore eius.* *Act.22.* Vidit igitur tunc Paulus Chriſtum, vocem audiuit, non ex aliqua nube, aut Angelorum miniſterio formatam in aëre; ſed ex ore Chriſti. Et ipſe Chriſtus Paulo dicit: *Ad hoc apparui tibi, vt conſtituam te in miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti.* *Act.26.* Vbi facit illum Apoſtolum, & teſtem oculatum reſurrectionis: non autem fuiſſet verus teſtis, niſi ipſum corpus vidiſſet, quod reſurrexerat; idque oculis corporalibus.

1.Cor.9. Præterea; Idem Paulus probaturus Apoſtolatum ſuum: *Nónne,* inquit, *Dominum noſtrum vidi?* Et enumerans teſtes oculatos reſurrectionis Chriſti, poſteaquam poſuerat Petrum, Iacobum, & alios, tandem ait: *Nouiſsimè tanquam abortiuo viſus eſt & mihi:* *1.Cor.15.* quæ probatio nihil valeret, niſi vidiſſet ipſe, vt alij viderant.

Iam verò, quod Chriſtum viderit non in cœlo, ſed in terra, vel in aëre propinquo terræ, prob. quia tanta lux eius, qui illi apparuerat, Paulum circumfulſit, vt illum planè excæcauerit: *Act.9.* non autem lædere potuiſſet eius oculos lux illa corporis Domini, niſi propinqua fuiſſet.

Deinde lumen quoddam eius comites viderunt, & ſonum quoque vocis audierunt: quod eſt argumentum certiſsimum in terra, vel in aëre propinquo Chriſtum apparuiſſe: *Act.9. & 22.* nec enim comites ſummum cœlum oculis, & auribus penetrare potuiſſent. Ad hæc; Licet comites Pauli audierint vocem, tamen non diſtinctè intellexerunt, quid Dominus dixerit. *Act.9. Act.22.* Quare propinquior Paulo Dominus fuit, quàm alijs; & quaſi in aurem ei locutus eſt. Si autem de cœlo vox facta fuiſſet, omnes æquè audiuiſſent.

Præ-

Præterea illa interrogatio: *Quis es, Domine*; & illa reſponſio: *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris*; apertè indicant præſentiam Domini. ſi enim vidiſſet Paulus Chriſtum in ſummo cęlo, vt eum vidit Stephanus, non dubitaſſet, quiſnam eſſet: ſed quia repentè vidit coram ſe hominem quendam ſuprà lucem ſolis radiantem, ideo dixit: *Quis es, Domine?* Denique, ſi ſolùm in cœlo Chriſtum Paulus vidiſſet, non fuiſſet idoneus teſtis reſurrectionis: potuiſſent enim facilè homines calumniari eius teſtimonium, & dicere eum deceptum fuiſſe, aut ſola imaginatione vidiſſe.

Confirmatur hoc argumentum ex alijs Chriſti apparitionibus. Nam inprimis Petro Apoſtolo Chriſtum apparuiſſe in terra, & cum eo collocutum, teſtantur grauiſsimi auctores.

Deinde, apparuiſſe S. Antonio, poſteaquam à dæmonibus grauiſsimè cæſus fuerat; & ad Chriſti præſentiam dæmones fugiſſe, & plagas Antonij repentè curatas, teſtatur Athanaſius in vita eius. S. Gregorius affirmat ipſum Chri- *L. 4. Dial.*
ſtum verè apparuiſſe ſanctæ Tharſillæ amitæ ſuæ paulò ante obitum: & rea- *c. 16.*
lem, non imaginariam viſionem fuiſſe probat ex immenſa odoris fragrantia, quæ in cubiculo eſt relicta. Et ipſi Gregorio Dominum humana ſpecie apparuiſſe teſtatur Ioannes Diaconus: aliaque id genus multa ex probatis aucto- *L. 2. vita*
ribus adduci poſſent. *Gregor.*

Prob. tertiò veritas à teſtimonijs Patrum, qui rem vnam in pluribus ſimul *Prob. 3.*
locis poſſe eſſe docent. *veritas.*

Prob. quartò ab exemplis Dei, & animæ rationalis. Deus enim, cùm ſit res *Prob. 4.*
vna, & ſimpliciſsima, atque indiuiſibilis, tamen eſt ſimul in infinitis locis: eſt enim præſens totus Deus in omnibus rebus creatis. Quod certè ſuperat captum hominum: quia non poſſumus cogitare rem vnam in diuerſis locis, niſi cogitemus aut loca illa fieri vnum locum, aut rem vnam diuidi in plures. Pari ratione, anima rationalis tota eſt in qualibet parte corporis; alioqui enim ſi extenderetur ad extenſionem corporis, eſſet materialis, & à corpore penderet; proinde non eſſet immortalis, quod cum fide Catholica pugnat.

Prob. quintò à myſterijs noſtræ fidei vel difficilioribus, vel æquè difficili- *Prob. 5.*
bus, atque hoc eſt, de quo agimus. *veritas.*

Primum myſterium Trinitatis eſt, in quo vnam naturam in tribus perſo- *1. Myſte-*
nis reipſa veriſsimè diſtinctis credimus; quod ſanè mirabilius eſt, quàm vt *rium.*
vnum corpus ſit in pluribus locis. Nam ſicùt hic eſt realis diſtinctio locorum; ita illic perſonarum: ſicut hic eſt vnitas corporis, ita illic vnitas naturæ. Sed mirabilius eſt myſterium Trinitatis, quia natura in Trinitate identificatur realiter, & formaliter cum ſingulis perſonis; corpus autem non identificatur vllo modo cum locis. Si ergò poteſt vna numero natura non diſtrahi à ſeipſa, licet identificetur cum perſonis realiter diſtinctis, cur non faciliùs poterit vnum corpus coniungi extrinſecus cum diſtinctis locis, & tamen non diſtrahi à ſeipſo.

Secundum eſt myſterium Incarnationis, in quo vnam hypoſtaſin in duabus *2. Myſte-*
naturis perfectis, & diſsimillimis confitemur. Et quia longè maior vnio eſt *rium.*
inter hypoſtaſin & naturam, quàm inter locatum, & locum; cùm illa intrinſeca ſit, & ſubſtantialis, hæc extrinſeca, & accidentalis: profectò rectè

inſpicienti mirabilius videtur vnam eſſe hypoſtaſim in duabus naturis, quàm vnum corpus in duobus locis. Adde, quòd illa hypoſtaſis identificatur prorſus realiter, & formaliter cum altera naturarum, id eſt, cum natura diuina; & tamen vnitur intimè cum natura humana, quæ realiter, & formaliter differt à natura diuina. Ex quo ſequitur, vt ſit planè incomprehenſibile, quomodò in illa vnione vel non confundantur naturæ, vel non diuidatur hypoſtaſis.

3. Myſteriũ. Tertium myſterium eſt reſurrectionis mortuorum, quod, vt ſemper Philoſophis impoſsibile viſum eſt, ita ſemper à fidelibus certa fide creditũ eſt. In hoc autem myſterio id maximè difficile, & mirabile eſt, quod vnum, & idem indiuiduum bis fiat. Si enim bis fit, quomodo non duplici actione? ſi duplici actione, quomodo non ſunt duo? nam effectus per ſe ab actione dependet, vt eius terminus. Atque id maximè cernitur in accidentibus, quæ penitùs perierunt, & tamen eadem numero reſtituuntur à Deo.

4. Myſteriũ. Quartum eſt creatio, & annihilatio, quæ ab omnibus fidelibus diuinæ potentiæ conceduntur. Nam qui dicit ex nihilo aliquid fieri, quod eſt creari; vel ex aliquo nihil fieri, quod eſt annihilari, videtur dicere nihil eſſe aliquid, vel aliquid eſſe nihil. Et ſanè ſuperat humanam cogitationem, quod aliqua res nunc exiſtat, quæ paulo antè nihil omnino erat. Quis enim concipiat, vnde venerit? vnde extracta ſit? vnde proceſſerit in lucem, ſi nuſquam latebat, niſi ipſum nuſquam aliquid ſit? Pari ratione quis intelligat ex aliquo nihil fieri, niſi ipſum nihil ſit aliquid? Et tamen iſta credunt, aut credere ſe dicunt, qui nolunt credere ea, quæ ſunt faciliora; vt vnum corpus poſſe à Deo poni in pluribus locis.

5. Myſteriũ. Quintum myſterium eſt æternitas. Difficilius enim videtur, vt vnum inſtans durationis ſit in diuerſis temporibus; quàm, vt vnum corpus ſit ſimul in diuerſis locis. Tempora enim fluunt, & impoſsibile eſt ſimul manere præteritum, & futurum; at loca ſimul permanent, licet diſtincta, & ſeparata ab inuicem. Iam æternitas eſt vnum inſtans durationis non fluens, & proinde coexiſtens toti tempori præterito, & futuro; & tamen nec ipſum inſtans diuiditur, nec tempora confunduntur, quod ſuperat planè humanum captum.

Prob 6. veritas. Prob. ſextò veritas à ſimili. Nam poteſt vnus locus capere duo corpora ſibi adæquata ſimul, & tamen neque locus ille diuiditur in duo loca, neque corpora illa confunduntur in vnum corpus. Ergò poterit etiam vnum corpus replere duo loca, etiamſi nec ipſum corpus diuidatur in duo corpora, nec loca illa conueniant in vnum locum. Antecedens certum eſt exemplis diuinæ Scripturæ de egreſſu corporis Chriſti ex clauſo ſepulchro, & alijs. Conſeq. videtur optima, quia ita ſe habet locatum ad locum, ſicut locus ad locatum.

Prob. poſſe corpus non replere locũ. Probandum ſecundò eſt, poſſe Deum facere, vt vnum corpus inuiſibiliter maneat, ita vt locum non repleat.

Notand. 1. Sed primò notandum eſt duas opiniones particulares falſas, & erroneas excogitatas fuiſſe in ſcolis ad probandam huius myſterij magnitudinem.

Vna

Vna fuit Durandi, qui probabile eſſe putauit, in Euchariſtia ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe abſque magnitudine. Altera eſt quorundam veterum, qui dicunt eſſe quidem in Euchariſtia magnitudinem corporis Chriſti, quam ipſi à ſubſtantia diſtingui reipſa non putant; ſed addunt ita penetrari ſingulas partes cum omnibus alijs, vt nulla figura ſit in corpore Chriſti, nec diſtinctio, & ordo partium corporis.

At ſententia communis ſcolarum, & Eccleſiæ eſt in Euchariſtia totum Chriſtum exiſtere cum magnitudine, & omnibus accidentibus, excepta relatione ad locum cęleſtem, quã habet, vt eſt in cęlo, & ijs, quæ ad exiſtentiam in eo loco conſequuntur: & contrà in cęlo totum Chriſtum exiſtere cum magnitudine, & omnibus accidentibus, excepta relatione ad ſpecies panis, quam habet, vt eſt in Euchariſtia: & præterea corporis Chriſti partes, & membra non ſe penetrare, ſed ita diſtincta eſſe, & diſpoſita inter ſe, vt figuram, & ordinem habeant corpori humano conuenientem. Eſſe autem hanc doctrinam Eccleſiæ, dubitari non poteſt. Nam Eccleſia vniuerſa, vt patet ex Cõcilio Trident. non ſolùm corpus, & ſanguinem, ſed etiam animã, & diuinitatẽ, atque adeò totũ Chriſtũ in Euchariſtia eſſe docet. Certũ eſt autem animã, & diuinitatem non eſſe in Euchariſtia ex vi conſecrationis, ſed ex naturali cõcomitantia; quia vbi eſt vnum, ibi eſſe neceſſe eſt, quidquid cum illo eſt vnitũ. At magnitudo, & figura vnita ſunt corpori Chriſti, & quidẽ naturaliter, & inſeparabiliter: ergò & illæ adſunt. Præterea; Cùm Dominus ait: *Accipite, & comedite; hoc eſt corpus meũ quod pro vobis tradetur:* idem corpus manducandũ dedit, quod ad mortẽ tradendum fuerat ſequenti die: ad mortẽ autẽ non fuerat tradendum corpus ſine magnitudine, & figura, & alijs accidentibus, quæ in ipſa magnitudine fundantur. Ad hęc; In Euchariſtia ſub ſpecie panis caro Domini propriè continetur, iuxta illud: *Panis, quem dabo, caro mea eſt*. Et rurſus: *Caro mea verè eſt cibus*. Et illud Eccleſiaſticum: *Verbum caro panem verum verbo carnem efficit*. At certè ſubſtantia ſine quantitate, & complexione quadam accidentium caro dici non poteſt. Denique; In Euchariſtia non ſola caro, ſed etiam anima continetur. Atqui anima in corpore eſſe nequit, niſi diſpoſito, & organizato: ſine quantitate autem nulla eſſe poteſt diſpoſitio, nulla organizatio: ergò, &c. *Seſſ. 13. c. 3.* *Ioan. 6.*

Notandum 2. magnitudini tria quædam conuenire, quorum alterum ex altero ſequitur. Primum eſt, extenſam eſſe in ſe, & partem habere extra partem; & proinde ſitum quendam intrinſecum, & ordinem, ac diſpoſitionem partium; Et hoc primum omniũ eſſentiale magnitudini eſt. Quid enim eſt linea, niſi extenſio in longitudinem? quid ſuperficies, niſi extenſio in longitudinem, & latitudinem? quid corpus, niſi extenſio in longitudinem, latitudinem, & profunditatem? Si tollas itaque extenſionem, & partes, tolles pariter magnitudinem. Alterum eſt coëxtendi loco, ſeu commenſurari loco, & habere ſitum extrinſecum in ordine ad locum; atque hoc poſterius eſt, & ex primo ſequitur; & ideò ſeparari poteſt ab illo. Nam ſupremum cœlum reuera extenſum eſt in ſeipſo, & tamen nullum occupat locum, cum à nullo corpore ambiatur. *Notand. 2.*

Tertium eſt, extrudere aliud corpus ex loco, ſeu non pati ſecum

alium

aliam magnitudinem in loco ſibi adæquato: & hoc eſt poſterius ſecundo, & ex illo ſequitur. Ideò enim corpus vnum non patitur alterum ſecum, quia replet totum locum. Quia tamen ſemper poſterius per Dei potentiam ſeparari poteſt à priore, ita vt maneat priùs ſine poſteriore; non contrà; quia non pendet prius à poſteriore: inde eſt, quòd ſecundum Catholicos poteſt vnum corpus occupare locum, & tamen non expellere aliud, quæ dicitur propriè penetratio corporum.

His notatis Catholicorum communis ſententia eſt in Sacramento Euchariſtiæ verè adeſſe totam magnitudinem corporis Chriſti, ſed habere primam conditionem, quæ (vt diximus) eſſentialis eſt, non autem ſecundam, & tertiam, quæ ſeparabiles ſunt. Et quamuis in Sacramento nulla ſit propriè corporum penetratio, cùm deſit ſecunda conditio: tamen exiſtimamus poſſe etiam per Dei potentiam dari penetrationem, ita vt corpus aliquod habeat primam, & ſecundam conditionem ſine tertia.

Prob. 1. ſententia propoſita. Matth. 19. Mar. 14. Luc. 1. Iam verò poſſe corpus alicubi eſſe, & locum non occupare, prob. primò ab illis Scripturis, quæ dicunt apud Deum eſſe omnia poſsibilia. Atqui inter illa etiam eſſe id, de quo nunc agimus, prob. ex ipſa rei natura. Nam corpus eſſe alicubi, & non occupare locum, vel occupare, & non expellere alterum, nullam implicat contradictionem: quia id eſt implicare non repugnare eſſentiæ: atque hæc non repugnant eſſentiæ magnitudinis.

Prob. 1. Non repugnare magnitudini. Quod prob. primò, quia occupare locum eſt quid poſterius ipſa magnitudine: prius enim in ſe res magna eſt, & apta replere locum; deinde replet locũ. Nihil autem poſterius eſt de eſſentia prioris, quia eſſentiæ in indiuiſibili conſiſtunt.

Prob. 2. Secundò; Poteſt magnitudo intelligi, atque etiam definiri ſine loco, ſine repletione loci: &, quod maius eſt, poteſt eſſe ſine loco; vt patet de vltima ſphæra, & de corporibus, quæ ſine dubio à Deo collocari poſſent ſupra conuexum vltimæ ſphæræ.

Prob. 3. Tertiò; Officium, ſiue functio non eſt de eſſentia vllius rei creatæ: ſolùm enim in Deo, qui infinitus eſt, & ſimpliciſsimus, idem eſt eſſe, & agere. At replere locum, & expellere alia corpora eſt officium magnitudinis, & functio quædam externa. Ergò, &c.

Prob. 4. Quartò; Ita ſe habet moles, ſeu extenſio ad magnitudinem, vt ſe habet grauitas ad corpus graue. Nam vt magnitudo ſua mole replet locum, & aliud corpus extrudit: ita corpus graue ſua grauitate ponderat, & alia corpora deprimit. At non eſt de eſſentia grauis ponderare, vt patet, quia in propria regione aqua, & aër non ponderant. Ergò neque eſt de eſſentia magnitudinis replere.

Prob. 2. ſententia communis. Mat. 19. Mar. 10. Luc. 18. 1. Exemplum. Matth. 19. Prob. ſecundò ab exemplis diuinæ Script. Primũm eſt: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Et, cùm Apoſtoli dicerent: *Quis ergò poterit ſaluus fieri?* Reſpondit Dominus: *Hoc apud homines impoſsibile eſt, apud Deum omnia poſsibilia ſunt.* Vbi Dominus, cùm dicit poſsibile eſſe Deo id, quod difficilius eſt, ſignificat etiam eſſe poſsibile id, quod eſt facilius: facilius autem eſſe dicit, vt tranſeat camelus per foramen acus; ergò hoc Deo eſſe poſsibile voluit. At non poteſt camelus tranſire per foramen acus, niſi

locum

locum non occupando: alioqui maius eſſet minus ſuo minore. Sed quidam intellexerunt per camelum non animal illud, ſed funem nauticum: & de hoc etiam impoſsibile eſt, vt patet experientia. Adde quod communis expoſitio Patrum animal gibboſum, non funem nauticum intelligit. Sane funis nautices ſcribitur Græcè per iota κάμιλος, vt eſt apud Suidam: in Euangelio autem ſcribitur per η. κάμηλος, qua voce non funem, ſed animal Græci intelligunt.

Alterum exemplum eſt, vbi Euangeliſta ſcribit Chriſtum veniſſe ad diſcipulos, cùm fores eſſent clauſæ; & rurſum poſt dies octo iterum ad eos intraſſe ianuis clauſis. Ex quo neceſſe eſt, vt corpus Chriſti vel non occupauerit locum, cùm tranſiuit per ianuas clauſas, vel ſe cum alio corpore penetrauerit: quorum vtrumque eſt impoſsibile viribus creatis, & intelligentiam noſtram ſuperat. *2. Exemplum. Ioan. 20.*

Tertium exemplum eſt de Domini natiuitate. Exiuiſſe enim Dominum de vtero matris clauſo, inuiolata videlicet manente integritate carnis, colligitur ex verbo Dei, & à Patribus diſertis verbis aſſeritur. Nam B. Mariæ virginitas in partu habetur in ſymbolo Apoſtolico: *Natus ex Maria Virgine.* Symbolum autem Apoſtolorum verbum Dei eſſe non ſcriptum Catholici omnes fatentur. Et hæc veritas Symboli ex illa Scriptura colligitur: *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium:* vbi dicitur non ſolùm virgo conceptura, ſed etiam virgo paritura. Et alibi deſcribitur porta quædam clauſa, per quam ſolus Dominus intrat, quam portam vterum ſemper clauſum Virginis Deiparæ eſſe docent Ambroſius, Hieronymus, & Auguſtinus. Qui & hoc ipſum probat alio ſimili miraculo, quod tempore ipſius accidit: Scribit enim fœminam quandam nobiliſsimam nomine Petroniam accepiſſe à quodam Iudæo annulum, in quo eſſet lapis quidam vtilis ad ſanandum morbum, neſcio quem, quo illa vexabatur; fuiſſe autem annulum illum capillitio vinculo inuolutum, ac diligentiſsimè alligatum: ſed cùm illa iret ad memoriam ſancti Stephani primi Martyris, apud quem verè curanda erat, ne tribueretur virtus miraculi alligaturæ Iudaicæ, repentè annulum illum ante pedes mulieris aſtitiſſe illæſum, illæſo etiam vinculo, & vndique diligentiſsimè clauſo. *3. Exemplum. Iſa. 7. Ezech. 44. L. 22. de ciuit. Dei. c. 8.*

Quartum exemplum eſt de egreſſu Domini ex clauſo monumento. Nam vt colligitur ex Matthæo, & Marco. Lapidem ab oſtio monimenti non reuoluit Chriſtus, cum reſurrexit, ſed poſt reſurrectionem Angelus de cœlo deſcendit, & reuoluit lapidem, vt oſtenderet ſanctis mulieribus, qui Chriſtum vngere volebant, monumentum vacuum eſſe. *4. Exemplum. Matth. 28. Mar. 16.*

Quintum exemplum eſt de aſcenſione Chriſti, & beatorum in cœlum. Nam fide certiſsima tenemus Chriſtum aſcendiſſe ſuper omnes cęlos: & ſimiliter corpora beatorum poſt reſurrectionem aſcenſura. Nulla autem eſt in cęlo ianua, nulla rima, nulla feneſtra, per quam ſupra cęlum aſcendi poſsit: *Solidiſsimi quaſi ære fuſi ſunt cœli.* Neque repugnat, quod in Script. ſæpe legimus, apertum, vel diuiſum eſſe cœlum. Nam Scriptura in his locis loquitur de apertione cœli ſecundum apparentiam, ac metaphoricè: ſignificat enim ſpeciem quandam in cœlo apparuiſſe, ac ſi diuideretur. Non fuiſſe autem reales cœli diuiſiones, vel ex eo colligi poteſt, quòd eodem modo loquitur Script. *5. Exemplum. Epheſ. 4. Iob 37. Mat. 3. Ioan. 1. Act. 7. & 10. Apoc. 19.*

de apertione cęli, quæ facta eſt in imaginatione ſola, & intelligentia, qualis eſt illa quæ deſcribitur Act.10.& Apoc.19.& de ea, quæ facta eſt in oculis corporalibus, Matth.3.Ioan.1.& Act.7. conſtat autem illam priorem non eſſe realem. Deinde; Nulla fuit cauſſa, cur cœlum diuidi deberet. Nam Matth.3. dicitur diuiſum cœlum, cùm de cęlo Spiritus ſanctus deſcendit in forma columbæ: at neque Spiritus ſanctus egebat cęli apertione, vt deſcenderet, cùm ſit vbique: neque ea columba de cœlo propriè dicto miſſa eſt, ſed in aëre, & ex aëre producta fuit: tamen, vt intelligerent homines rem illam fuiſſe diuinam, ita apparuit, quaſi è ſummo cęlo miſſa fuiſſet. Ioan.1. dicit aperiri cęlum ob deſcenſum Angelorum: Angeli autem, cùm ſpiritus ſint, omnium conſenſu per quælibet corpora penetrare poſſunt. Act.7. aperitur cęlum, vt Stephanus videat Chriſtum in dextera Patris. At neque tum vlla ratio fuit, cur cœlum ſcindi deberet. Nam aut oculis corporis, aut oculis mentis vidit Stephanus Chriſtum: cęlum autem, cùm ſit perſpicuum, aut diaphanum, neutram viſionem impedire poterat. Itaque vocata eſt eo loco apertio cęli non ſciſsio corporis cęleſtis, ſed noua quædam illuſtratio, qua factum eſt, vt oculis Martyris appareret, quod anteà non apparebat: ſicut dicuntur aperti oculi duorum diſcipulorum, quando Dominum agnouerunt; non quòd antea clauſos oculos habuerint, ſed quia tunc agnouerunt, quem antè cognoſcere non potuerant. Luc. vlt.

6. Exemplum. Sextum exemplum eſt de pœnis damnatorum: ſunt enim in his pęnis multa miracula difficiliora, vel æquè difficilia, atque eſt hoc, de quo agimus. Primùm, quòd corpora damnatorum ab igne comburantur corporali, & verè, ac realiter torqueantur, & tamen non diſſoluantur: nam dolor corporalis ad diſſolutionem corporis tendit. Deinde; Non minùs difficile videtur, vt ſpiritus teneatur, & impediatur à corpore, ne tranſeat quocunq; voluerit, quàm, vt corpus non teneatur nec impediatur à corpore, ſed liberè tranſeat per ſolida corpora, ac ſi nulla eſſent: non enim minùs conuenit naturæ ſpirituali, non poſſe impediri; quàm corporali, poſſe impediri. At diuina potentia alligat ſpiritus hominum, & etiam dæmonum in gehenna certis locis, & corporibus, quaſi carceribus, vt nullo modo egredi valeant. Denique; Illud eſt ſupra modum mirabile in pęnis damnatorum, vt non ſolùm animæ, ac dæmones teneantur ab igne corporali; ſed etiam affligantur, & torqueantur: quod tam difficile eſt, vt adhuc nemo inuentus ſit, qui rationem huius rei, in qua alij acquieſcerent, reddere potuerit. Nam, ſi ignis incendium non affligit, niſi diſſoluendo continuum; quomodo poteſt intelligi, vt affligat indiſſolubilem ſpiritum?

7. Exemplum. Septimum exemplum ſumitur à multis rebus ſimilibus. Nam non magis conuenit corpori quanto, occupare locum; quàm graui, ponderare; colorato, videri; lucido, lucere; calido, calefacere. Sed poteſt Deus efficere, vt graue non ponderet; vt coloratum non videatur, etiamſi ſit in lumine, & medium ſit diaphanum, & oculi aſtantium ſint aperti, & intenti; vt lucidum non luceat; & calidum non calefaciat: cur ergò facere non poterit, vt corpus quantum non occupet locum? Aſſumptio eſt perſpicua in diuinis litteris. Nam Chriſtus, & Petrus, cùm adhuc corpora mortalia haberent, ſuper aquas ambularunt. Matth.14.

runt. Aquæ Iordanis non modò non deſcendebant, ſed etiam aſcendebant, *Ioſ. 3.*
& inſtar montis eleuabantur, dum tranſiret populus Dei. Chriſtus item non
ſemel inuiſibilem ſe fecit, ita vt à vicinis hominibus non videretur cùm tamé
ibi eſſet, neque colorem amiſiſſet, neque aliquid inter ſe, & illos oppoſuiſ-
ſet: *Ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.* Etiam abſcondit ſe, ne lapida- *Luc. 4.*
retur: non autem abſcondit ſe in aliquo angulo, quod nec decebat eum; nec
poterat commodè fieri, cùm eſſet in media turba, & omnium oculi in eum
coniecti. Euanuit quoque ex oculis eorum. Corpus quoque Domini poſt *Ioan. 8.*
reſurrectionem ſole iſto lucidius eſt, vt Paulus teſtatur, qui & ex eius aſpe- *Luc vlt.*
ctu eſt excæcatus: & tamen ſæpiùs apparuit Apoſtolis, & cùm eis familiariſ- *Act. 26.*
ſimè conuerſatus ſine vllo inſolito ſplendore. Potuit ergò id efficere, vt cor-
pus lucidum non luceret; & ſicut de corpore ſuo fecit, ita prorſus de iſto ſole,
cæleſti facere poſſet, ſi vellet. Denique; Apud Danielem ignem diuina vir- *Dan. 3.*
tute non calefacientem habemus: & idem ſæpe legimus in hiſtorijs San-
ctorum.

CAPVT III.

Deum voluiſſe, & feciſſe, vt reipſa corpus Domini in Euchariſtia præſens eſſet.

OMISSIS etiam Scripturis, & Patribus habemus alia argumenta. *1. Argumentum.*
Primum ſumitur à conditione, & natura hæreſis. Primaria autem
conditio eſt nouitas doctrinæ; vt veritatis Catholicæ, antiquitas. Porrò
nouitas his coniecturis conuincitur, ſi notari poſſit auctor, locus: tempus;
ſi incipiat cum paucis ſectatoribus; ſi cum admiratione, & perturbatione fi-
delium appareat, & ſi ei contradicatur, ad iudicium, & examen adducatur,
& tandè à Concilio Epiſcoporum, & conſequenter à populis fidelibus con-
demnetur. Id enim in omnibus hæreſibus grauioribus inuenitur, vt Aria-
na, Neſtoriana, Eutychiana, Pelagiana, & ſimilibus. Iam ſententia Sacra-
mentariorum habet auctorem Berengarium Turonenſem natione, Ande-
ganenſem Archidiaconum. Is anno M.L.I. cœpit nouo ſuo dogmate Gal-
lias perturbare. Et initio audiri cœpit à pauperibus ſcolaribus quos data
ſtipe ad ſe alliciebat.

Alterum argumentum veritatis fidei noſtræ eſt conſenſus Eccleſiæ. Nam *2. Argumentum.*
habemus conſenſum totius Eccleſiæ Latinæ, Græcæ, Barbaræ.

Tertium argumentum ſumi poteſt à diligentia, quam Eccleſia adhibuit in *3 Argumentum.*
præſenti controuerſia examinanda, & à conſtantia in veritate retinenda.

Primùm, diſcuſſa fuit in Concilio Romano ſub Leone IX. & damnata
hæreſis Berengarij.

Secundò in Bercellenſi eodem Leone præſidente eadem quæſtio diſcuſſa,

& eodem modo explicata eſt: quò etiam Berengarius vocatus eſt, &, cùm accedere noluiſſet, cum eius confęderatis, qui ſe Berengarij Legatos nominabant, diſputatum eſt.

Tertiò, mortuo S. Leone iterum in Concilio Turonenſi pręſidentibus legatis Victoris Papę, qui Leoni ſucceſſerat, cum ipſo Berengario acerrimè diſputatum, eoque conuicto, & hęreſim abiurante, eadem fides confirmata eſt.

Quartò, cùm Berengarius ad vomitum redijſſet, iterum Romæ in Generali Concilio Nicolao II. præſidente, & Berengario præſente eadem quæſtio propoſita, & diſcuſſa diligentiſsimè fuit; & tum ſecundò Berengarius abiurauit, & librum ipſe ſuum coram omnibus cremauit.

Quintò, cùm Berengarius iterum ſecunda abiuratione contempta ad ſuā hæreſim redijſſet, coactum eſt quintum Concilium Romæ à Gregorio VII. & rurſus quæſtio diſcuſſa diligenter, & hæreſis damnata fuit: vbi etiam Berengarius tertiò abiurauit, neque amplius defecit.

Sextò in Concilio ampliſsimo totius orbis ſub Innocentio III. Romæ celebrato iterum eadem hæreſis damnata eſt.

Septimò, eadem veritas explicata eſt in Concilio generali Viennenſi anno Domini M. CCC. XI. vnde extat Clementina vnica de reliquijs, & veneratione Sanctorum.

Octauò, idem eſt factum in Concilio generali Romano ſub Ioanne XXIII. anno Domini M. CD. XIII.

Nonò, idipſum actum eſt in Concilio Conſtantienſi propter hæreſin eandem à Ioanne VVicleff renouatam.

Decimò, in Concilio Tridentino noſtris diebus propter Zwinglianos, & Caluiniſtas: vt omittam Concilium Florentinum, & plurima alia, in quibus obiter idem eſt definitum. Huc accedit, quòd Eccleſia Catholica ſemper in eadem ſententia manſit, neque deterrita eſt ob argumenta varia, & difficilia hæreticorum.

4. Argumentum. Quartum argumentum ſumi poteſt à patronis ſententiæ noſtræ. Nam noſtra ſententia ab eo tempore, quo propter Berengarium clariſsimè explicata eſt, id eſt, ab anno Domini M. LI. patronos habuit plurimos viros tam claros vitę ſanctitate, & miraculis, vt etiam ab hæreticis huius temporis ſancti habeantur, & nominentur. In hoc numero ſunt S. Anſelmus, S. Bernardus, S. Malachias, S. Dominicus, S. Franciſcus, S. Antonius de Padua, S. Petrus Martyr, S. Thomas, S. Bonauentura, S. Nicolaus Tolentinas, S. Ludouicus Rex, S. Bernardinus, S. Vincentius, S. Antoninus, S. Franciſcus Paulanus, & alij plures.

5. Argumentum. Quintum argumentum ſumitur ab auctoribus, & patronis contrariæ ſententiæ: tales enim fuerunt, vt nullo modo probabile ſit Deum per tales homines Eccleſiam ſuam corrigere, vel reformare voluiſſe.

L. 3. de geſtis Anglorum. Primò; Berengarius pręuiſus fuit diuinitus. Nam S. Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis in extremis agens (vt ſcribit Gulielmus Bibliothecarius) cùm inter alios, qui illi morienti aderant, Berengarium tunc adoleſcentem, & nondum hæreſiarcham vidiſſet, iuſsit eum expelli, proteſtatus videre ſe immanem

manem dæmonem propè illum, qui etiam blando anhelitu multos ad eum allicere videbatur. Quæ ſanè viſio apertè ſignificauit Berengarium opera diaboli plurimos per nouam hæreſim ſeducturum. In quo ſimilis Ario dici poteſt, nam Arij futuram hæreſim S. Antonio Deus præmonſtrauit; vt in eius vita teſtis eſt Athanaſius.

Secundò, excelluit in periurijs, & inconſtantia, vt diximus.

Tertiò, fuit ſupra modum ſuperbus, & arrogans, & ex ſuperbia occaſionem accepit noui dogmatis promulgandi. Nam prima illi controuerſia cum Lantfranco fuit de rebus ad dialecticam pertinentibus; ſed cùm ab eo ſuperari, & ab auditoribus quotidie magis, ac magis deſeri ſe videret, ignominiam illam non ferens, dialectica omiſſa, ad Theologiam ſe tranſtulit: &, quia malebat cum aliqua hominum admiratione eſſe hæreticus, quàm in oculis Dei occultè Catholicus viuere, ea diligentiſsimè ſectabatur, quæ noua, & inaudita cæteris eſſent. Accedit ad hæc, quod etiam duas alias ſententias promulgauit, quas ne ipſe Caluinus negaret hæreſes eſſe. Docuit enim legitima matrimonia deſtrui poſſe, ac licere omnibus fœminis vti & non eſſe infantes baptizandos: quæ duo in Anabaptiſtis huius temporis Caluinus, & Lutherus damnant.

Poſtremum argumentum ſumitur à miraculis, quæ in confirmatione huius veritatis facta ſunt. Multa referuntur miracula à Ioanne Garetio, & Tilman. Bredenba. Septem mihi videntur ad rem maximè facere. *6. Argumentum.*

Primum eſt in vita B. Gregorij à Paulo Diacono ſcripta, & in vita eiuſdem per Ioannem Diaconum ſcripta. Cùm S. Gregorius Euchariſtiam populo diſtribueret, venit ad mulierem, quæ fortè panem, qui in altari fuerat conſecrandus, ſuis manibus fecerat. Cùm ergò S. Gregorius illi diceret: *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. Illa diabolo tentante ſubriſit, & Pontifex manum retraxit, & particulum in altari repoſuit. Deinde; completis ſolemnijs interrogauit mulierem coram populo, cur in tam tremenda actione riſiſſet. Illa diu muſsitans tandem reſpondit recognouiſſe ſe panem, quem ſuis manibus coxerat, atque inde credere non potuiſſe corpus Domini reuerà eſſe. Tum S. Gregorius à Deo petijt, & impetrauit, vt etiam ſpecies externa panis in carnem mutaretur: quo facto tam illam ad fidem reduxit, quàm totũ pop. confirmauit. *1. Exemplum. L. 2. c. 41.*

Alterum miraculum extat apud Paſchaſium, qui refert Presbyterum quendam valdè pium, & ſanctum optaſſe aliquando corporalibus oculis videre ſpeciem eius, quem certa fide credebat eſſe ſub ſpecie panis, & vini: & tãdem quod petebat, obtinuiſſe, ac vidiſſe Chriſti corpus in forma humana, ſeu pueruli, quod etiam ipſe petierat. *2. Exemplum. L. de corpore Domini. c. 14.*

Tertium eſt S. Malachiæ, quod refert Bernardus in eius vita. Cùm enim Clericus quidam aliquando dicere præſumpſiſſet in Euchariſtia ſolũ eſſe Sacramentum, non corporis veritatem, S. Malachias ſecretò, ac ſæpe eum conuenit, & admonuit: non reſipiſcentem adducit in conuentũ Clericorũ, ibique data facultate pro ſuo errore dicendi cũ illo diſſeruit, eumq; apertiſsimè cõfutauit. Nondũ ad mentẽ redire volentẽ corã omni populo publicè arguit, hæreticumque denũciat, & cũ alijs Epiſcopis, qui fortè aderant, anathemate ferit. *3. Exemplum.*

Sed cùm adhuc furens diceret omnes fauere homini, ſe autem ſolùm non accipere perſonas, nec deſerere veritatem, S. Malachias dixit: *Dominus faciat te veritatem fateri, vel ex neceſſitate.* Cui ille reſpondit; *Amen.* Sed ecce de eodem corripitur grauiſsimo, ac lethali morbo, redit ad mentem, reconciliatur Eccleſiæ, expirat.

4 Exemplū.
L. 2. c. 3.

Quartum eſt ipſius Bernardi. Nam, vt ſcribitur in eius vita, Mediolani præſente populo innumerabili, inter Sacramentorum celebrationem curauit dæmoniacum, cuius ſanitas deſperata iam videbatur. Siquidem multos annos diabolus eum poſſederat, & oculorum, aurium, ac linguæ vſum illi eripuerat; ipſam etiam linguam in morem promuſcidis elephantinæ illi extenderat, vt monſtrum horribile, non mulier videretur. Igitur ſacram hoſtiam patenæ impoſitam ſuper caput dęmoniacæ tenens, atque in hunc modum loquens diabolum expulit: *Adeſt, inique ſpiritus, iudex tuus, adeſt ſumma poteſtas; iam reſiſte, ſi potes: adeſt ille, qui pro noſtra ſalute paſſurus; Nunc,* inquit, *princeps huius mūdi eijcietur foras. Hoc illud corpus, quod de Virginis corpore ſumptum eſt, quod in ſtipite crucis extenſum eſt, quod in tumulo iacuit, quod de morte ſurrexit, quod vident ibus diſcipulis aſcendit in cœlum. In huius ergò maieſtatis terribili poteſtate tibi, ſpiritus maligne, præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens contingere eam deincèps non præſumas.* Hęc ille. Vbi ſicut fides veritatis à Deo exaudiri meruit; ita prorſus deceptionis, & erroris auctor dici poſſet Deus, ſi falſum eſſet, quod S. Bernardus dixit, & tota Eccleſia credit.

5. Exemplū.
Tom 3.
p. 3 tit. 24. c. 3. § 2.

Quintum eſt S. Antonij de Padua, quod deſcribitur in eius vita apud Surium, & à S. Antonino in ſumma hiſtoriali. Diſputante S. Antonio de veritate corporis Domini in Euchariſtia cum hæretico quodam in partibus Toloſanis (ſiquidem eo tempore Albigenſes vexabant Eccleſiam, qui, cum alijs plurimis, hoc etiam errore infecti erat) petijt hæreticus ab Antonio, quem nouerat dono miraculorum præditum eſſe, eiuſmodi ſignum: *Habeo,* inquit, *iumentum, cui per integrum triduum cibum non dabo. Exacto triduo adſis tu cum Sacramento, & ego adero cum iumento; atque ante illum hordeum effundam: ſi iumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem acceſſerit, credam.* Factum eſt, vt ille voluit; & triduo exacto S. Antonius turbis fidelium comitatus, & venerabile Sacramentum manu tenens ſic ad iumentum locutus eſt: *In virtute, & nomine creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo, tibi dico, animal, & præcipio, vt confeſtim venias humiliter modo tuo, & ei reuerentiam exhibeas: vt ex hoc cognoſcat hæretica prauitas, quòd omnis creatura ſuo ſubditur creatori, quem ſacerdotalis dignitas iugiter tractat in altari.* His verbis prolatis iumentum Hordei, & famis oblitum ad ſanctum accurrit, & capite inclinato, ac genibus curatis eo modo, quo potuit, Dominum adorauit, & hæreticum confutauit.

6 Exemplū.
Tom. 2 c. 63.

Sextum narrat Thomas VValdenſis teſtis oculatus. Scribit enim ſartorem quendam hæreticum publicè in Eccleſia S. Pauli Londini in iudicio coram Archiepiſcopo, & alijs Pręlatis conſtitutum dixiſſe digniorem eſſe araneam cultu, & reuerentia, quàm Euchariſtiam: & continuò de alto tecti culmine horribilem araneam directo filo ad os eius properaſſe, ac vix multorum manibus prohibitam, ne ingrederetur.

Septimum

Septimum narrat Tilmannus Bredenbachius. Anno M.D.LXI. die 8. Aprilis, Feria 2. Paſchæ, tribus horis ante meridiem, Nouiomagi in Geldria, Parochus quidam nomine Antonius VVorſtius completis miſſarũ ſolemnijs venerabile Sacramentum ad fœminam ægrotá de more Catholico deferebat. Caſu accidit, vt tempore eodem ad ianuam tabernæ, iuxta quam Parocho tranſeundum erat, duo iuuenes conſiſterent, Nouiomagenſis vnus, alter Traiectenſis, qui oua Paſchalia in manibus habentes inter ſe contendebant, vter celeriùs onum deglutiret. Interea Parocho propinquante Traiectenſis blaſphemus, & irriſor tanti myſterij, &, vt apparet, hæreticus Caluiniſta ſodali ſuo dixit ſe multò citiùs ouum ſuum deuoraturum, quam mulierculã Deaſtrum illum: & continuò ouum in os iniecit. Sed ouum in medio gutture conſtitit, & cùm ille ſuffocari ſe ſentiens vndique circumſpiceret, vidit candelam ſebaceam ex pariete dependentem, eáque arrepta, atque in os iniecta, vt ouum detruderet, ita hæſit totum ſæuum in ouo, vt nudum filium, ſeu ſtamen candelæ miſer extraxerit: tum denique concidit, & in Æthiopũ nigredinem mutato vultu, eliſóque gutture expirauit. Repertum eſt autem poſtea ouum inſtar tuberis in altera parte colli, non in gutture, vt par erat. 7. Exemplũ. l. 7 ſacrarũ collationum. c. lib. 40.

CAPVT IV.

De modo exiſtendi corporis Domini in Euchariſtia.

DE hac re Eccleſiæ ſententia eſt rationem proximam, & propriam, cur ſit in Euchariſtia verum Domini corpus non eſſe aſſumptionem panis ad perſonam Verbi, neque Vbiquitatem; neque ſimplicem, & quaſi localem vnionem panis cum corpore; neque mutationem partialem panis in corpus; ſed totalem conuerſionem ſubſtantiæ panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Domini. Et quamuis Theologi in hoc conueniunt ob Conciliorũ, & auctoritatem Eccleſiæ tamen in modo explicandi nonnihil diſcrepant.

Tria autem obſeruanda ſunt. Primum, ad vera conuerſionem quatuor conditiones requiri. Nota 1.

Prima eſt, vt aliquid deſinat eſſe: non eſt enim intelligibile, vt vnum conuertatur in aliud, niſi id, quod conuertitur, deſinat eſſe, quod antea erat. Hinc Auguſtinus docet, non eſſe veras conuerſiones illas, quas Gentiles iactabant factas à ſuis Magis, vel Dijs; vt Arcadum in lupos, ſociorum Diomedis in aues, ſociorum Vlyſsis in varias beſtias, Iphigeniæ in ceruam, & alias ſimiles. Nam, cùm Iphigenia eſſet inuenta alibi viua poſt conuerſionem in ceruã, intelligi potuit non eam verè conuerſam fuiſſe; ſed dæmonis arte ſubitò inde abductam, & in eius locum ceruam ſubſtitutam. L. 18. de ciuit. Dei, c. 18

Si obijcias; In conuerſione vxoris Loth in ſtatuam ſalis nulla pars ſubſtãtiæ illius fœminæ perijt; ſed tantùm translata eſt anima in alium locũ, & in materiam eius introducta eſt forma ſalis: & tamen ea veriſsima cõuerſio fuit.

Reſ-

Reſpondeo, Conuerſio non requirit, vt deſinat eſſe, niſi id, quod conuertitur. Quare ſi id, quod conuertitur ſit aliquid compoſitum, ſatis eſt, ſi deſinat eſſe ipſum compoſitum; etiamſi forte pars aliqua, vel etiam omnes poſt diſſolutionem compoſiti maneant. Ita igitur vera conuerſio fuit vxoris Loth, quia illud compoſitum, id eſt, illud corpus carneum, & illud animal rationale verè deſijt eſſe. Quomodo etiam Philoſophi verè dicunt conuerti aquam in aërem, licet materia remaneat; quia, quod conuertitur, eſt aqua, non materia, & verè poſt conuerſionem non remanet aliquid, quod ſit aqua, vel quod fuerit aqua. At, ſi illud, quod conuertitur, non ſolum ſit compoſitum, ſed etiam partes eius, tunc etiam partes debent ſimpliciter deſinere eſſe; & hoc fit in Euchariſtia. Nam ideò Concilium Trident. dixit conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis, id eſt, tam materiæ, quàm formæ.

Secunda conditio, vt aliquid ſuccedat in locum eius, quod deſinit eſſe; alioqui non eſset conuerſio, ſed corruptio, vel annihilatio, ſi terminus illius actionis eſset non eſse rei. Atque hoc ſignificamus, cùm dicimus vnum conuerti in alterum; ſiue quod fuit vnum, nunc eſse alterum: iudicamus enim his ſententijs vnum alteri ſucceſsiſse.

Tertiâ conditio eſt, vt ſit connexio quædam & dependentia inter deſitionem vnius, & ſucceſsionem alterius, ita vt vnum deſinat, vt alterum ſuccedat, & vi deſitionis fiat ſucceſsio. Nam, ſi iſta non eſsent connexa, non eſset vna actio, quæ dici poſset conuerſio, ſed eſsent duæ conuerſiones per accidens ſe concomitantes, quarum vna annihilatio, altera creatio diceretur. Vt exempli gratia: Si Deus annihilaſset vxorem Loth, & deinde vbi illa fuerat, creaſset ſtatuam ſalis, nulla eſset ibi conuerſio. At conuerſio fuit, quia illa ipſa actio, per quam deſijt eſse vxor Loth, introduxit in eius locum ſtatuam ſalis. Atque hinc intelligi poteſt, cur panis in Euchariſtia reuera non annihilatur, licet nihil eius remaneat poſt conſecrationem, quia nimirum actio, per quam panis deſinit eſse, non terminatur ad nihil, ſed ad aliquid, nimirum ad corpus Domini: annihilatio autem eſt actio, quæ terminatur ad nihil. Id quod etiam cernimus in naturali tranſmutatione. Nam, cùm aqua vertitur in aërem, nihil prorſus remanet formæ aquæ, & tamen ea forma non annihilatur; quia actio, qua illa deſtruitur, non terminatur ad non eſſe illius formæ, ſed ad eſſe formæ aëris: nam ab eodem agente, eadem actione, & iiſdem diſpoſitionibus vna pellitur, & alia introducitur; immò ideo vna pellitur, vt alia introducatur.

Quarta conditio eſt, vt tam terminus à quo, quam terminus ad quem ſit verè poſitiuus. In hoc enim diſtinguitur perfecta conuerſio non ſolum à creatione, & annihilatione, ſed etiam à naturali conuerſione: nam licet ex vno fiat aliud, vt ex aqua aër, & proinde ſit aliquo modo vterque terminus poſitiuus; tamen quia non introducitur forma aëris in materiam aquæ, niſi prius ea diſpoſita ſit per certas qualitates; inde eſt, quod præcedit priuatio formæ aëris in materia aquæ ipſam introductionem formæ aëris: tunc enim materia dicitur priuata, cùm habet diſpoſitionem ad formam. Itaque terminus a quo in tali conuerſione non tam eſt aqua, quàm priuatio aëris, &

proinde

proinde terminus à quo non eſt poſitiuus, ſed priuatiuus propriè loquendo. At in conuerſionibus ſupernaturalibus, qualis fuit vxoris Loth in ſtatuam ſalis, & aquæ in vinum in Cana Galileæ, & virgæ in Draconem tempore Moyſis, vterque terminus propriè poſitiuus erat. Non enim Deus diſpoſuit materiam vxoris Loth ad formam ſalis recipiendam: & ſic de cæteris. Ex quo intelligimus conuerſionem panis in corpus Domini eſſe perfectiſsimam conuerſionem, & diſtingui ab omnibus alijs mutationibus; ſed ſimiliorem tamen eſſe conuerſionibus ſupernaturalibus iam dictis, quàm vllis alijs. Solum enim in duobus ab his diſtinguitur.

Primò, quòd in illis conuerſionibus probabile eſt materiam primam manſiſſe ſub vtroque termino; in hac autem certum eſt non manere.

Secundò, quòd in illis accidentia, aut omnia, aut aliqua, mutata ſint cum forma ſubſtantiali; in hac autem omnia accidentia remanent, quæ priùs erant, ſola ſubſtantia mutata.

Notandum ſecundò, ad veram conuerſionem non requiri, vt id, in quod aliquid conuertitur, de nouo producatur; ſed ſatis eſſe, ſi vnum alteri ſuccedat, ſiue id tunc producatur, ſiue aliunde adducatur, ſiue alio modo id fiat. Tribus enim modis fieri poteſt conuerſio. Nam, ſi terminus ad quem non exiſtat, vi conuerſionis neceſſariò producetur: & inde vocatur à quibuſdam ea conuerſio productiua; qualis fuit aquæ in vinum in Cana Galileæ, & aliæ permultæ. Si verò terminus ad quem exiſtat, ſed non in eo loco, vbi eſt terminus à quo, tunc vi conuerſionis adducetur ad eum locum: & inde vocatur ea conuerſio adductiua. Talis eſt ferè conuerſio cibi in hominem per nutritionem, quòd attinet ad introductionem animæ: quamuis enim caro, quæ fit ex cibo, verè producatur, tamen anima non producitur, ſed tantum per nutritionem fit, vt incipiat eſſe in ea materia, vbi antea erat forma cibi. Si denique terminus ad quem exiſtat, & in ipſo loco eodem, vbi eſt terminus à quo; verbi gratia ſi duo æqualia ſe penetrent, & vnum diuina virtute totaliter vertatur in aliud, tunc vi conuerſionis non producetur, neque adducetur terminus ad quem, ſed ſolum conſeruabitur: & inde dicitur ea conuerſio conſeruatiua; nam, cùm non poſsint naturaliter duo corpora ſimul eſſe, ſi Deus vnũ interimeret, vt alterum naturaliter ibi ſeruaret, diceretur vnum in alterum conuerti, ex eo, quòd vnum deſineret eſſe, vt alterum permaneret in eſſe. Ex his colligimus conuerſionem panis in corpus Domini non eſſe productiuam, nec conſeruatiuam; ſed adductiuam. Nam corpus Domini præexiſtit ante conuerſionem, ſed non ſub ſpeciebus panis; conuerſio igitur non facit, vt corpus ſimpliciter eſſe incipiat, ſed vt incipiat eſſe ſub ſpeciebus panis. Porrò adductiuam vocamus iſtam conuerſionem, non quia corpus Chriſti per hanc adductionem deſerat ſuum locum in cœlo, vel quia per motum localem huc de cęlo adducatur; ſed ſolum, quia per eam fit, vt corpus Chriſti, quod antea ſolum erat in cęlo, iam etiam ſub ſpeciebus panis, & non ſolum ſub illis ſit per ſimplicem præſentiam, ſiue coëxiſtentiam; ſed etiam per vnionem quandam, qualis erat inter ſubſtantiam panis, & accidentia panis, excepta tamen inhærentia.

Notandum tertiò: Subiectum, in quo recipitur actio diuina huius conuerſionis, *Nota 3.*

ſionis partim eſt panis, partim corpus Chriſti. Nam illa actio, vt conuerſio, in pane recipitur; panis enim eſt, qui conuertitur, proinde panis ſolus mutatur ſubſtantialiter. At illa eadē actio vt adductiua corporis Chriſti, in ipſo Chriſti corpore recipitur: illud enim eſt, quod adducitur, id eſt, acquirit eſſe ſub ſpeciebus panis, quod antea non habebat.

Prob. 1. trāſubſtātiatio. Matth. 26. Iam verò prob. tranſubſtantiatio ex illis verbis Domini: *Accipite, & manducate, hoc eſt enim corpus meum.* Quæ verba veram mutationem panis inferūt. Nam Dominus accepit in manibus panem, panem benedixit, panem dedit, & de pane dixit: *Hoc eſt corpus meum.* Et ſic benedicendo mutauit in corpus ſuum reipſa verè, & propriè: atque ita panem mutatum dedit, & de pane mutato veriſsimè dixit: *Hoc eſt corpus meum*, id eſt, quod ſub ſpeciebus panis continetur, non eſt ampliùs panis, ſed corpus.

Prob. 2. Probatur etiam tranſubſtantiatio ex teſtimonijs Patrum: & ex definitione, & conſenſu Eccleſiæ ab annis quingentis. Fieri enim nequit, vt Eccleſia vniuerſa tot ſæculis in errore verſata ſit.

Prob. 3. Prob. etiam ex conuenientia rationis. Ac primùm fuiſſe congruum, vt ſubſtantia panis abeſſet, prob. his rationibus.

1. Ratio abſentis ſubſtātia panis. Prima, quia corpus Domini manet ſub accidentibus panis, non vt in vaſe, aut in loco; ſed planè ad eum modum, quo ſubſtantia panis manet ſub accidentibus ſuis, excepta informatione: nam ideò ex natura rei mouetur ad motum accidentium, & deſinit eſse Sacramentaliter ad accidentium illorum deſitionem. Quòd ſi cum corpore Domini maneret ſubſtantia panis, tunc duæ ſubſtantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, & ab ijſdem accidentibus, tanquam externis ſignis, demonſtrarentur. Et, quia ſubſtantia panis informaretur illis accidentibus, non autem corpus Chriſti; primarius ordo ad illa accidentia eſſet ſubſtantiæ panis, ſecundarius autem corporis Chriſti; & conſequenter ipſa accidentia per ſe primò demonſtrarent, & ſignificarent panem, ſecundariò autem corpus Chriſti; quod ſanè eſſet abſurdū. Nam, ſi quis peteret, quid ſit, quod eſt in altari, oporteret reſpondere: Eſt panis triticeus, & etiam corpus Chriſti: & ſic de cæteris.

2. Ratio. Secunda ratio eſt ob venerationem Sacramenti. Nam ſi vnà cum corpore Domini ſubſtantia panis ſub ijſdem accidentibus contineretur, periculum eſſet, ne ſimpliciores adorarent panem: illi enim non diſtinguunt, ſed ſimpliciter adorant, quod ſub illis ſpeciebus continetur.

3. Ratio. Tertia ratio eſt ob dignitatem; quia non videtur rationi conſentaneum, vt ſimul maneant cibus ventris, & cibus mentis; panis terrenus, & panis cæleſtis.

4. Ratio. Quarta ratio eſt: quia, ſi panis ſubſtantia adeſſet, non poſſet corpus Domini ſumi, quin ſolueretur ieiunium: ex quo ſequeretur, vt nemo poſſet eodem die ſæpiùs communicare: ſiquidem ex decreto Apoſtolorum non, niſi à ieiunis, corpus Domini ritè ſumi poteſt. Et tamen conſtat ante M. annos fuiſse in Eccleſia morem, vt Sacerdos ter ſacra celebraret in die Natalis Domini: & extra eum diem certis de cauſsis permittunt Canones vt vnus presbyter ſæpiùs eodem die ſacrum faciat, & corpus Domini ſumat.

Congruum autem fuiſſe, immò neceſſarium etiam, vt panis accidentia maneant,

neant, multis rationibus probari poteſt. Prima eſt, quia ſi etiam accidentia abeſſent, nullum eſſet in Euchariſtia ſignum ſenſibile; proinde nullum eſſet Sacramentum. *1. Ratio præſentium accidentium panis.*

Secunda, quia non poſſet vllo modo vera eſſe Domini ſententia: *Hoc eſt corpus meum*, ſi ita mutaretur totum in totum, vt nihil vtroque termino commune remaneret. *2. Ratio. Matth. 26.*

Tertia, quia hoc modo maius eſt meritum fidei. *3. Ratio.*

Quarta, quia horror eſſet humanam carnem in propria manducare ſpecie. *4. Ratio.*

CAPVT V.

De ipſo Sacramento Euchariſtiæ.

PRIMA hic quæſtio eſt; Quid ſit propriè Sacramentum Euchariſtiæ, cōſecratione panis, & vini; an res ipſa conſecrata? an potiùs ſumptio, & manducatio? Catholici omnes conueniunt panem ritè conſecratum, ſiue corpus Domini ſub ſpecie panis contentum verè, & propriè eſſe Sacramentum, ſiue ſumatur, ſiue ſeruetur in pixide. Id expreſsè habetur in Concil. Trident. *Quæſt. 1. Reſp. Prob. 1. Seſſ. 13. cap. 3. & 6. can. 4. & 7.*

Eſſe autem hoc veriſsimum, prob. primò ex verbis Domini (*Hoc eſt corpus, hic eſt ſanguis*) quæ priùs dicta ſunt, quàm fieret actio manducandi, & bibendi. Ergò ante illam actionem fuit corpus Domini præſens in cæna, & proinde etiam Sacramentum Euchariſtiæ confectum. *Matth. 26.*

Prob. conſeq. primò, quia iuxta Auguſt. *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Sed ante actionem comedendi, & bibendi verbum ad elementum acceſsit; ergò ante actionem comedendi, & bibendi factum eſt Sacramentum. Secundò; Verba Domini mox, atque prolata fuerunt, vera fuerunt. Sed prolata ſunt ante illam actionem manducandi, & bibendi; ergò ante illam vera fuerunt; ergò fuit verè corpus Domini, & proinde Sacramentum, ante illam actionem. *Tratat. 20. in Ioannem.*

Prob. ſecundò ex diſsimilitudine Baptiſmi, & Euchariſtiæ. In Baptiſmo non eſt aliqua res permanens, ſed ſola actio, quæ dicatur, & ſit Baptiſmus, in Euchariſtia è contrario non eſt aliqua actio, ſed ſola res permanēs, quæ dicatur, & ſit Euchariſtia, ſiue corpus Domini, ſiue Sacramentū corporis Domini: ergò Sacramenta iſta diſsimilia ſunt, & vnum in actione, alterum in re permanente conſiſtit. Prob. Antecedens. Primùm, de Baptiſmo notum eſt, aquam, quæ eſt res permanens, non dici Baptiſmum, nec Sacramentum Baptiſmi, ſed ablutionem, quæ eſt actio, dici & Baptiſmum, & Sacramentum Baptiſmi. B. Paulus Baptiſmum vocat *lauacrum aquæ in verbo vitæ*; & *lauacrum regenerationis.* Si autē de reipſa agatur, certum eſt aquam, vt eſt res permanēs, non eſſe Sacramentum Baptiſmi. Nam Sacramenta, vt Auguſt. dicit, nō naſcuntur, ſed fiunt per myſticam precem; aqua autem non fit per myſticam precem, ſed olim à Deo creata fuit. *Prob. 2. Epheſ. 5. Tit. 3. L. 20. cont. Fauſtū. c. 13*

Neque obſtat, quòd in Eccleſia benedici ſolet; nam illa benedictio non eſt de eſſentia Sacramenti: poſſent enim in aqua fluminis, aut maris ſine vlla præcedente benedictione homines baptizari. Et ſimiliter, certum eſt Sacramenti definitionem optimè conuenire ablutioni: illa enim eſt ſignum, & cauſſa inſtrumentalis inuiſibilis gratiæ, & à Deo per miniſtrum efficitur. Et denique, verba, quibus efficitur Baptiſmus, non diriguntur ad aquam, ſed ad hominem, qui Baptiſmum recipit. Dicimus enim: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vnde baptizare non eſt aquam conſecrare, ſed hominem abluere.

At in Euchariſtia omnia aliter ſe habent. Nam inprimis, ſi agamus de modo loquendi, nemo vnquam vocauit Euchariſtiam, vel corpus Domini fractionem, vel conſecrationem, vel diſtributionem, vel manducationem, vel aliam actionem, ſed rem permanentem, id eſt, panem ſanctificatum. Immò Patres paſsim dicunt Euchariſtiam, ſeu corpus Domini offerri, confici, portari, manducari, quæ nullo modo conueniunt actioni, ſed rei permanenti.

Non conſiſtere autem in actione, ſed in re permanente, prob. quia nulla eſt actio, cui conueniat tota ratio Sacramenti. Præcipua actio per aduerſarios eſt manducatio: at hæc nullo modo poteſt eſſe Sacramentum. Nam iſta eſt actio ſolius ſuſcipientis, non Dei, aut miniſtri: nec enim Deus, aut miniſter manducat, ſed ſuſcipiens. At Sacramenta non ſunt actiones ſuſcipientis, alioqui eſſent opera noſtra: vnde in Baptiſmo Sacramentum eſt ablutio, vt à Deo per miniſtrum datur.

Præterea, verba Sacramentalia, ſine quibus Sacramentum non fit, non dicuntur à manducante, neque ad manducantem, ſed à miniſtro ſuper panem. Et hinc eſt, quòd non dicitur Euchariſtiæ ſacramentum facere, qui manducat, ſed potius illud conſumere: & tamen reuerà dici poſſet ſacramentum facere, ſi in illa actione conſiſteret; ſicut dicitur baptizare, qui abluit. Idem probari poteſt de actione frangendi, & diſtribuendi panem ſanctificatum. Illæ enim actiones non ſunt Sacramenta, nam non ſignificant gratiam inuiſibilē: nec dicitur ſacramentum facere, qui frangit, aut diſtribuit. Nec etiam conſecratio propriè ſacramentum eſt Euchariſtiæ, nam non eſt ſignum, neque cauſſa proxima inuiſibilis gratiæ: quæ duo requiruntur ad rationem ſacramenti nouæ legis. Conſecratio enim, vt verba ipſa ſonant, ſolum ſignificat, & efficit corpus Domini ex pane; proinde ſacramentum efficit, non eſt ipſa ſacramentum.

Quòd autem rei permanenti, id eſt, pani conſecrato, conueniat tota definitio Sacramenti, perſpicuum eſt: nam ille panis eſt ſignum ſenſibile, & cauſſa internæ, atque inuiſibilis nutritionis ſpiritualis. Præterea, fit à Deo per miniſtrum, idque ritu, & cæremonia à Deo inſtituta. Denique, elementum, & verbum concurrunt ad hoc ſacramentum, vt ad omnia alia.

Neque obſtat, quod non maneat in hoc ſacramento iam confecto elementum, id eſt, panis triticeus, neque verbum. Nam elementum, & verbum requiruntur ad ſacramenti effectionem: & ideo in his ſacramentis, quæ in actione conſiſtunt, & quorum idem eſt fieri, & eſſe, elementum, & verbum

ſunt

ſunt principia, tum effectionis, tum eſſentiæ ipſius Sacramenti. At in hoc Sacramento, in quo aliud eſt fieri, aliud eſse, principia illa concurrunt propriè ad Sacramenti effectionem: in ipſa autem re effecta manent, ſed alio modo. Nam elementum manet quoad externas ſpecies, & verbum manet quoad virtutem: ſicut etiam in miſtione elementorum manent elementa, ſed alterata; & ſecundum multos manent ſolùm quoad virtutem, non quoad ſubſtantiam.

Probari poſſet eadem veritas ex teſtimonijs Patrum. *Prob 3.*

Porrò ad explicandum, quid ſit Sacramentnm Euchariſtiæ primò notandum Sacramentum tribus modis accipi poſſe. Primò, amplißimè vocabulo Sacramenti accepto pro omni ſigno rei ſacræ. Secundò, paulo ſtrictius, pro ſigno rei ſacræ ſanctificantis animam. Tertiò, propriè, & ſtrictißimè, pro ſigno non ſolum ſanctificante, ſed efficiente etiam animæ ſanctitatem: quomodo vox Sacramenti non conuenit, niſi Sacramentis nouæ legis propriè dictis. *Nota 1.*

Secundo notandum, in Sacramento Euchariſtiæ multa conſiderari poſſe: nimirum conſecrationem, ſumptionem; ſpecies panis, & vini; corpus, & ſanguinem Chriſti: & denique ipſam Euchariſtiam conſiderari poſſe, vel vt Sacramentum religionis, vel vt alimentum ſpirituale, vel vt pignus amoris diuini, vel vt victimam, & ſacrificium nouæ legis. *Nota 2.*

Nunc prima ſit propoſitio: *Conſecratio Euchariſtiæ Sacramentum dici poteſt primo modo, non autem ſecundo, vel tertio.* Nam ſignum eſt rei ſacræ, nimirum corporis Domini; non autem eſt ſignum, neque cauſſa gratiæ ſanctificantis animam. *Propoſ. 1.*

Propoſitio ſecunda: *Sumptio Euchariſtiæ Sacramentum dici poteſt ſecundo modo, non autem tertio.* Nam ſignificat quidem illa externa manducatio internam manducationem, & refectionem, ſed non eſt cauſſa internæ illius refectionis: cauſſa enim internæ refectionis, ſeu gratiæ interius nos reficientis non poteſt eſſe actio noſtra, ſed eſse debet actio Dei per miniſtrum Eccleſiaſticum. Itaque illa ſumptio concurrit, vt conditio, ſine qua non applicetur nobis, neque in nos ageret diuinum hoc alimentum; non autem, vt cauſsa propriè dicta. *Propoſ. 2.*

Propoſitio tertia: *Solæ ſpecies panis, & vini non habent integram Sacramenti rationem.* Prob. Nam ſpecies illæ ſignificant quidem cibum ſpiritualem, ſed non ſunt ipſæ cibus ſpiritualis; & proinde non reficiunt, nec ſuſtentant animam. Dominus enim non de ſpeciebus, ſed de carne, & ſanguine dixit: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* *Propoſ. 3.* *Ioan. 6.*

Deinde; Sacramentum Euchariſtiæ excellit omnibus Sacramentis, & adoratur cultu latriæ, iuxta illud: *Tantum ergò Sacramentum*, &c. Atqui ſpecies illæ neque excellunt alijs Sacramentis, immò ſunt inferiores omnibus, cùm ſint pura accidentia, neque adorari poſſunt. Denique; S. Patres ita loquuntur de hoc Sacramento, vt apertè indicent ſe per hoc ſacramentum non intelligere ſolas ſpecies.

Propoſitio 4: *Corpus Domini, & ſanguis ſine ordine ad ſpecies, non habet rationem Sacramenti.* Prob. nam Sacramentum eſt ſignum externum, ac ſenſibile; nõ eſt autem eiuſmodi corpus Domini, & ſanguis ſine ordine ad ſpecies. *Propoſ. 4.*

Propoſitio 5. Propoſitio quinta: *Etſi tam ſpecies panis, & vini, quàm corpus, & ſanguis Domini ad eſſentiam Sacramenti Eucharistiæ pertineant; ratio tamen Sacramenti magis conuenit ſpeciebus, vt continent corpus, quàm corpori Chriſti, vt eſt ſub ſpeciebus.* Huius conNota. cluſionis intelligendæ gratia obſeruandum eſt hoc intereſſe inter Sacramenta cætera, & Euchariſtiam, quòd alia conſtant ex elemento externo, & virtute diuina illi impreſſa, vt poſsint eſſe ſigna, & cauſſa: Euchariſtia conſtat ex elemento, ſeu ſpeciebus externis, & corpore, & ſanguine Domini, quæ ſunt loco impreſſæ illius virtutis. Et hinc apparet ſingularis huius Sacramenti excellentia, quòd pro virtute, eaque tranſeunte, quæ eſt in cæteris, hic eſt permanenter Chriſtus ipſe, qui eſt ipſa virtus, & potentia Dei. Hinc igitur habemus illa omnia eſſe de eſſentia; ſed de modo loquendi dicimus Sacramentũ Seſſ. 13. cap. 13. Euchariſtiæ debere potiùs dici ſpecies, vt continent corpus Domini; quam corpus, vt eſt ſub ſpeciebus. Nam ita loquitur Concilium Trident. Dicit enim hoc eſſe commune Euchariſtiæ cum alijs Sacramentis, vt ſit Symbolum externum, & viſibilis forma inuiſibilis gratiæ. At certè viſibilem eſſe formam magis conuenit ſpeciebus. quàm corpori Chriſti. Deinde, in alijs Sacramentis, licet concurrant ſignum externum, & virtus operatiua, tamen nemo vnquam dixit Sacramentum eſſe virtutem operatiuã, vt eſt in ſigno; ſed è cõtrario ſignum, vt eſt operatiuum. Et ratio eſt, quia in definitione Sacramenti ſignum eſt, tanquam genus; virtus operatiua, vt differentia: ſemper autem genus ponitur primo loco, deinde differentia. In inſtrumentis etiam naturalibus nemo dicit gladium eſſe vim ſcindendi in ferro exiſtentem; ſed eſſe ferrum habens vim ſcindendi.

CAPVT VI.

De materia, & forma Euchariſtiæ.

Quæſt. 1. de materia. CONVENIT inter nos, & aduerſarios panem triticeum, & vinum ex vite ad materiam aſſumendum eſſe: ſed duæ controuerſiæ ſunt, vna circa panem, altera circa vinum.

Prior eſt; Vtrum panis azymus, an fermentatus eſſe debeat? quæ ſanè cõtrouerſia circa annum Domini M.LIII. eſt exorta: tunc enim primùm Græci reprehendere cęperunt Latinos, quòd azymum panem in Sacramento Euchariſtiæ aſſumerent; vnde etiam azymitas nos vocare auſi ſunt. In qua ſententia ad hanc vſque diem perſeuerant. Quia verò pręcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum, eſt factum Chriſti (neque enim dubitari poteſt, quin illud ſit melius, & faciendum, quod Chriſtus fecit) ideò iſta Dubitatio. quæſtio ab alia pendet: Vtrum Dominus Sacramentum inſtituerit primo die azymorum, quando fermentum non poterat inueniri in omnibus finibus Iſ- Exod. 12. & 13. raël; an verò ante eum diē? Præcipitur enim ſub pęna mortis, ne fermentatus panis inueniatur in domibus, aut in vllo alio loco filiorum Iſraël. Si alio tempore

pore inſtituit, res non erit omninò certa.

S. Thomas ſcribit, quocunque tempore Chriſtus Sacramentum inſtituerit, ſemper poſſe conuinci in azymo Sacramentum inſtitutum fuiſſe. Nam ante Sacramenti inſtitutionem Paſcha manducauit, vt omnia Euangelia teſtantur; Paſcha autem ſine azymis manducari non poterat. Et quidem S. Thomas rectè iudicauit ab immolatione Paſchæ incipere vſum azymorum; ſed tamen Græci nonnulli ex doctoribus contrà ſentiunt potuiſſe anteuerti immolationem Paſchæ, licet vſus azymorum in reliquo victu non anteuerteretur. *In 4. diſt. 11. q. 2. art. 2. q. 3.* *Exod. 12.*

Itaque Euthymius, & poſt eum Nicephorus dicunt Chriſtum comediſſe ſuum Paſcha legale ante primum diem azymorum, & ideò manducaſſe quidem agnum Paſchalem eo ritu, quem lex pręſcribebat, id eſt, cum azymis & cæteris rebus neceſſarijs: tamen ea cęna legali finita, dimiſsis azymis, rediiſſe ad panem communem, quo veſci licebat, quia nondum aduenerant dies azymorum, & proinde in pane communi, id eſt, fermentato Sacramentum inſtituiſſe. Duo enim pręcepta de azymo diſtincta inueniuntur. Vnum, vt agnus Paſchalis cum azymis comedatur. Alterum, vt ſeptem diebus ſola azyma comedantur in quouis conuiuio. Dominus igitur ex Græcorum ſententia ſeruauit primum pręceptum, quia ad illud obligabatur, cùm agnum manducare vellet: ſecundum non ſeruauit, quia nondum aduenerat tempus, quo illud obligare inciperet. *In comment. c. 26. Matth. l. 1. hiſt. c. 28.*

Sunt igitur de præſenti quæſtione ſententiæ quatuor.

Prima eſt Græcorum, qui affirmant Dominum manducaſſe ſuum Paſcha, & Sacramentum inſtituiſſe die 13. ſeu luna 13. menſis primi: ſequenti autem die poſt Chriſti mortem ad occaſum ſolis incæpiſſe tempus Paſchale Iudæorum, & fermenti abiectionem. Eſt enim obſeruandum, apud Hebræos menſes omnes numerari à nouilunio, & idem eſſe apud eos primam lunam, ſecundam lunam, &c. & primum diem menſis, & ſecundum diem menſis, &c. Porrò ſecundum legem die 14. primi menſis, id eſt, die 14. à nouilunio poſt ſolis occaſum incipiebant dies azymorum, & durabant ſeptem diebus, id eſt, vſque ad diem 21. incluſiuè. Qui omnes dies erant Paſchales, & azymorum dies vocabantur; tamen primus, & vltimus, id eſt, XV. & XXI. ſoli erant ſolennes, & feſtiui, ita vt non liceret in eis opera ſeruilia facere. Dicunt ergò Græci feria quinta in cęna Domini fuiſſe diem XIII. menſis apud Hebræos: & proinde nondum incępiſſe tempus azymorum: feria autē ſexta; in qua Dominus mortuus eſt, dicunt fuiſſe prophanū, non feſtiuum; ſed illo ipſo die poſt occaſum ſolis cępiſſe tempus azymorum, quia ille erat dies XIV. & poſtea die Sabbathi fuiſſe XV. diem, & ſolenniſsimum. *Sententia 1.* *Exod. 12.* *Leuit. 23.*

Secunda ſententia eſt Ruperti qui docet Hebræos ex quadam traditione Patrum ſuorum numquam ſolitos fuiſſe celebrare duos dies feſtos cōtinuos; & ideò, quando feſtum azymorum occurrebat feria ſexta, ex illa traditione differri ſolitum in Sabbathum ſequens; ſic tamen, vt celebratio Paſchæ nunquam mutaretur. Ex quo colligit eo anno, quo Dominus mortuus eſt, die Iouis fuiſſe quidem XIV. lunam contra Græcorum opinionem, & illo ipſo die ad veſperam, tum Dominum, tum Hebræos comediſſe ſuum Paſchæ *Sententia 2.* *In comment. c. 23. Leuit. & c. 26. Matth.*

diem.

diem autem Veneris non fuiſſe feſtum azymorum, ſed diem prophanum, vt etiam Græci volunt, quia ſecundum prædictam traditionem dilatum fuerit illud feſtum in diem Sabbathi.

Hæc ſententia non ſolum falſa mihi videtur, ſed etiam non reſpondet ad potiſsimum Græcorum fundamentum. Nam, ſi dies azymorum incipiebat die Sabbathi, ergò die Iouis ad veſperam poſt agnum Paſchalem manducatum cum pane azymo licebat ex ſententia Græcorum redire ad fermentatū, & illo vti toto ſequenti die: non ergò poteſt conuinci Sacramentum in azymo pane inſtitutum ſecundum Ruperti ſententiam, niſi prius oſtendatur cū immolatione agni, quandocunque illa fieret, cępiſſe vſum azymorū per ſeptē dies continuandum.

Sententia 3. In additione ad Lyran. in c. 26. Matt. Tertia ſententia eſt Pauli Burgenſis, quem multi recentiores ſequuntur: quæ non differt à Ruperti ſententia, niſi in eo, quòd Rupertus dicebat ex traditione maiorum differri feſtum azymorum aliquando in diem ſequentem; celebrationem autem Paſchæ nunquam mutari. Burgenſis autem dicit vtrumque differri: & inde colligit eo anno, quo Dominus mortuus eſt, Hebręos manducaſſe ſuum Paſcha die Veneris ad veſperam; Chriſtum autem die Iouis ad veſperam.

Cæterum hęc ſententia non probatur. Sciendum eſt enim mutationem illam dierum apud Hebræos ex traditione Patrum, quæ à multis annis viguit, & modò viget, non ſic eſſe intelligendam, quaſi dies X V. Lunæ, ſeu menſis, aliquando occurrat die Veneris, & ipſi tunc transferant feſtum in diem 16. id eſt, in Sabbathum: id enim falſum eſt, & abſurdiſsimum. Sed qui Kalendarijs præſunt apud Hebræos, ita accommodant nouilunia præſertim initio anni, vt nunquam accidat diem primum, & conſequenter diem 15. primi menſis eſſe feria ſecunda, vel quarta, vel, ſexta. Nec videtur mala iſta conſuetudo, neq; pugnat apertè cum lege pręcipiente feſtum azymorum celebrari die 15. menſis: quia lex non loquitur ſecundum computum Aſtrologicum pauciſsimis notum; ſed ſecundum communem, & vulgarem totius pop. Kalendarium. Neque abſimilis eſt apud nos conſuetudo, qui pro termino Paſchali habemus lunam 14. poſt æquinoctium vernum, & tamen in æquinoctio, & in ipſa luna 14. inueniendis non obſeruamus motum verum ſolis, & lunæ; ſed obſeruamus dies in Kalendario notatos, qui non rarò nonnihil diſcrepant à vero motu: ſed aliter fieri non poteſt, ſi certa aliqua regula tenenda eſt. Immò ante correctionem Kalendarij Gregorij X I I I. iuſſu factam diſtabat dies æquinoctij in Kalendario poſitus ab æquinoctio vero totis decem diebus, & nouilunia in Kalendario notata diſtabant quinque diebus à veris nouilunijs, & tamen melius erat Kalendarium illud, quamuis incorrectum ſequi, quā nullā habere communem regulam feſtorum inueniendorum.

Ex quo ſequitur, quòd, ſi tempore Chriſti fuiſſet tale Kalendarium, quale modò habent Hebræi, non fuiſset licitum, nec liberum vlli aliter feſtos dies celebrare, nec etiam prętextu errantis Kalendarij: alioqui debuiſset quiſque ſibi ſuum Kalendarium fabricare, & ſuo modo numerare dies menſium, quod intolerabile fuiſset, & apertè malum, & illicitum. Quare poſita hac ſententia neceſſario dicendum eſset Chriſtum manducaſse agnum Paſchalem die 13. menſis,

menſis, vt dicunt Græci; idque feciſse non vt mutaret ordinem feſtorum, ſed vt quoquomodo (licet extra tempus) manducaret agnum Paſchalem, quia ſequenti die erat moriturus, & non poterat cum cæteris agnum comedere: proinde non tenebatur ad vſum azymorum, niſi in comeſtione agni Paſchalis, quia nondum venerat dies azymorum; & idcirco potuiſse in fermento Sacramentum inſtituere.

Quarta ſententia eſt communis Theologorum Chriſtum Sacramentum inſtituiſſe illo ipſo tempore, quo ſecundum legem, & ſecundum conſuetudinem Hebræorum, qui tunc viuebant, abijciebatur fermentum ex toto Iſraële, ita vt non licuerit vllo modo eo vti, qui erat dies menſis primi XIV. Illo enim die ad veſperam inchoabantur dies azymorum, & ſequens dies XV. erat dies ſolennis azymorum. *Sententia 4.*

Quæ ſententia veriſsima eſt, & probatur primo ex textu trium Euangeliſtarum. *Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes; Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et: *Prima autem die azymorum, quando Paſcha immolabant.* Et: *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha.* Hæc loca refellunt tres ſuperiores ſententias: ac primus Græcorum error manifeſtè refellitur: nuſquam enim in tota Scriptura dies primus azymorum dicitur dies XIII. menſis; ſed ſolum XIV. vel XV. vt patet ex lib. Exodi, Leuit. & Numerorum. Accedit, quòd omnes fermè Patres, & maximè Græci, dicunt Chriſtum 14. die Paſcha celebraſſe. *Prob. 1. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Refellitur 1. ſententia. Exod. 12. & 13. Leuit. 23. Num. 28.*

Prob. ſecundò ex Ioanne, quem Græci ſe profitentur ſequi. Nam S. Ioannes affirmat diem paſsionis Chriſti, id eſt, ſextam feriam fuiſſe illo anno ſolennem, ac feſtam; ex quo neceſſariò ſequitur, vt die præcedente agnum comederint: *Ante diem feſtum ſciens Ieſus, quia venit hora,* &c. Hoc dixit Chriſtus pridie paſsionis: ergò dies paſsionis erat dies feſtus. Sed quia tergiuerſantur Græci, & dicunt loqui eum de feſto futuro die ſabbati, non de feſto immediatè conſequente eam ipſam noctem feriæ quintæ, in qua Dominus loquebatur; additur ibidem, quòd Iudæ Dominus dixiſſet: *Quod facis, fac citius*; ille exiuit continuò, cùm iam nox eſſet: & Apoſtoli putarunt dictum illi eſse, vt emeret, quæ neceſsaria erant ad diem feſtum. At quomodo ſuſpicari poterant tanta feſtinatione opus eſse in parandis ad feſtum neceſsarijs, ſi adhuc ſupererat totus dies ſequens ante feſti ſolennitatem? *Prob. 2. Ioan. 13.*

Præterea; Hebræi dicunt Pilato: *Nobis non licet interficere quenquam,* quod ſignificat non licuiſse id eis ob feſtum, quod tunc agebatur, vt exponunt Patres. Nam alioqui licuiſse eis alio tempore blaſphemos occidere patet ex Actibus, vbi ſtephanum in Concilio iudicatum publicè lapidarunt: & alibi conqueruntur apud Felicem Præſidem ſyriæ, quòd volentibus Paulum ſecundum ſuam legem interficere Tribunus Lyſias violenter eum eripuerit de manibus ipſorum. Denique Pilatus ait: *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha: vultis ergò dimittam vobis Regem Iudæorum?* Hinc ergò apparet iam tunc agi cœpiſse dies Paſchales: & clarius apud Matthæum vocatur idem dies ſolennis; & apud Marcum & Lucam vocatur apertè dies feſtus. *Ioan. 18. Act. 7. Act. 24. Ioan. 18. Mat. 27. Mar. 15. Luc. 23.*

Accedunt ad hæc teſtimonia Patrum, qui dicunt Chriſtum occiſum fuiſse ipſo die ſolenni Hebræorum.

Refellitur, 2. ſententia. Secunda opinio ex ijſdem Scripturæ teſtimonijs refellitur. Nam, ſi dies Iouis, in quo Dominus Sacramentum inſtituit, erat primus dies azymorum, vt Euangeliſtæ tres diſertis verbis affirmant, neceſſariò ſequitur, vt feſtum azymorum fuerit illo anno die Veneris, non die Sabbathi. Eſt enim obſeruandum aliter dies feſtos, aliter dies naturales apud Hebræos conſiderari. Leuit. 23. Nam dies feſti incipiunt ab occaſu ſolis, & deſinunt in occaſum ſolis; proinde feſtus dies azymorum continetur nocte ſequente diem 14. & die toto artificiali 15. Dies autem naturalis, & ordinarius incipit ab ortu ſolis, & deſinit in ortu ſolis: proinde continet diem, & noctem artificialem; non autem noctem, & diem artificialem. Id patet ex Gen. 1. illis verbis: *Factum eſt veſperè, & manè dies primus*; quod ſignificat ex die artificiali, qui terminatur in veſperam, & nocte ſequenti, quæ terminatur in mane, factum eſſe primum diem. Ex quo facilè conciliari poſſunt verba trium prædictorum Euangeliſtarum, qui vocant primum diem azymorum diem 14. menſis, cum verbis Moyſis in Exodo, Leuitico, & Numeris, qui ſemper diem azymorum vocat diem 15. menſis. Nam, cùm dies primus azymorum, quatenus feſtiuus, contineatur poſteriore parte diei 14. & priori parte diei 15. accipiendo dies modo ordinario, ſeu naturali, poteſt dies azymorum, vt feſtiuus, per intellectionis figuram vocari tam XIV. vt Euangeliſtæ faciunt, quàm XV. vt Moyſes facit.

Ex his autem refellitur Ruperti opinio. Nam ſi dies XIV. vt Euangeliſtæ dicunt, erat primus azymorum, nimirum ex parte, neceſſe eſt, vt etiam XV. dies eſſet primus azymorum pro alia parte. Ergo non potuit transferri in diem XVI. vt ipſe vult: niſi fortè velit, quod eſt abſurdiſſimum, mediam partem ſolùm illius diei ſolennis translatam fuiſſe. Adde præterea rationem Ruperti eſſe prorſus vanam. Affirmat enim ipſe transferri diem primum azymorum in Sabbathum, quando occurrit feria ſexta, ne ſint duo feſta continua, nimirum primus azymorum, & Sabbathum: & non aduertit in idem incommodum ſe incidere ex iſta ipſa translatione. Leuit. 23. Nam dies ſeptimus azymorum eſt æquè ſolennis, ac primus, vt patet ex Leuitico. Si autem dies primus ponatur in Sabbatho, tunc ſeptimus ponetur feria ſexta: atque ita erunt duo dies feſti continui, ſeptimus azymorũ, & dies Sabbathi. Denique; Contra hanc ſententiã pugnant omnia teſtimonia Scripturæ, & Patrum, qui dicunt diem mortis Chriſti fuiſſe feſtum, & ſolemnem illo anno apud Hebræos.

Refellitur 3. ſententia. Sententia Burgenſis facilè refellitur ex ijſdem Scripturæ teſtimonijs. Nam, cùm dicant Euangeliſtæ *primo die azymorum* Chriſtum comediſse Paſcha, vel loquuntur de die azymorum ſecundum ordinariam conſuetudinem, & Kalendaria Synagogæ; vel non. Si detur primum, iam refutata manet ſententia Burgenſis: nec enim verum erit, quod ipſe ait, alio die Chriſtum, alio die populum Hebræorum Paſcha comediſſe. Si autem detur ſecundum, repugnabit Marcus, qui ait: *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant*: id enim ſignificat, Hebræos eo die Paſcha manducare. Aliud etiam eſt argumentum omnino conuincens Eccleſiæ Aſiaticæ initio naſcentis fidei celebrabant Paſcha eodem die, quo Hebræi ſui temporis. Eædẽ Eccleſiæ cele-

celebrabant Paſcha luna 14. primi menſis, quacunque die hebdomadæ luna illa incidiſset; idque ſine vllo dierum diſcrimine, vel exceptione. Ergò feſtum azymorum incidere poterat in diem 2. 4. & 6. & proinde nondum cęperat illo tempore traditio Iudaica: ergò nec tempore Chriſti fuit illa traditio.

Pręterea Epiphanius, Theophilus, Ambroſius, Beda ponunt aliud diſcrimē inter Paſcha Chriſtianorum, & Iudæorum, ac Iudaizantium, quòd Paſcha Chriſtianorum non ſolùm non fit luna 14. ſi illa venerit extra Dominicam, ſed, neque, ſi venerit in Dominica. Quando enim id accidit, vt luna 14. venerit in Dominica, tunc expectamus ſequentem Dominicam, & Paſcha celebramus luna 21. At Iudæi, & Iudaizantes in ipſa luna 14. celebrabant, etiamſi eſſet Dominica: quare aliquando fiebat, vt per integram Hebdomadam diſtarent Paſchata, & Chriſtiani eo die inciperent, quo Iudæi finiebant. Ex hac autem obſeruatione manifeſtè ſequitur Paſcha Iudæorum tempore illorum Patrum aliquando incidiſſe in Dominicam diem, & diē feſtum azymorum in diem Lunæ; ac per hoc nondum cœpiſſe traditionem illam Iudaicam, quæ cauit, ne die Lunæ, Mercurij, & Veneris feſtum azymorum celebrare liceret.

Altera de materia Euchariſtiæ controuerſia eſt de miſtione vini, & aquæ. *Quæſt. 2. de materia.* Atque Eccleſia Catholica ſemper credidit, ita neceſſarium eſſe aqua vinum miſceri in calice, vt non poſsit id ſine graui peccato omitti. Vtrum autem ſine aqua Sacramentum conſiſtere poſsit, non eſt adeò certum: cōmunis tamen opinio in partem affirmatiuam propendet. *Reſp.*

Prob. primò ſententia Eccleſiæ ex facto Domini. Chriſtus vinum aqua miſtum conſecrauit: ergò & nos ita facere debemus. Antecedens non minùs certum eſt, quàm quòd Dominus vinum conſecrauerit, non ſiceram, aut aquam ſolam: quod ſanè nemo negat eſſe certiſsimum. Nam ex Euangeliō, aut Paulo non habetur expreſsè niſi calicem ſanguinis Apoſtolis propinatū; vini nulla mentio eſt, cùm agitur de calice Euchariſtico. Leguntur omnia loca Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 6. 1. Cor. 10. & 11. non inuenietur mentio vini, niſi in illis verbis: *Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam nouum in regno Dei*; quæ habentur in tribus locis citatis Euangeliorum. Sed ea verba non pertinent ad calicem Euchariſtiæ; ſed ad calicem, qui datus fuit poſt agni Paſchalis manducationem, vt ex Luca manifeſtè colligitur. *Prob. 1.* *Matth. 26.* *Mar. 14.* *Luc. 22.*

Neque obſtat, quòd aliqui Patres ea verba de calice Euchariſt. expoſuerint: nam alij, qui magis ex profeſſo rem tractarunt, contrarium docuerunt: non poſſumus autem ex Patrum ſententijs aliquid certi colligere, quando inter ſe non cōueniunt. Neceſſariò igitur recurrendū eſt ad traditionē eorū, qui ab Apoſtolis, & eorū diſcipulis hęc myſteria didicerunt. Traditio autem habet fuiſſe vinum aqua miſtum; ergò ita credendū eſt, aut nihil certi de materia calicis habemus. Habemus autē teſtimonia grauiſsimorū, & antiquiſsimorū auctorū, & Patrū omnium regionum, ac nullus Patrum contrarium ſcripſit.

Prob. ſecūdò ſententia Eccleſiæ, quia de latere Domini *exiuit ſanguis, & aqua.* Nos enim in calice repręſentamus Chriſti ſanguinem, vt effuſum: ſicut in pane conſecrato repreſentamus Chriſti corpus, vt mortuum. *Prob. 2.* *Ioan. 19.*

Prob. 3. Prob. tertiò quia in myſterio Euchariſtiæ ſignificatur vnio Chriſti cum Eccleſia: id autem aptiſsimè fit, cùm admiſcetur aqua vino. Vinum enim Chriſtum; aquæ populos ſignificant: vt etiam idem ſignificatur ex admiſtione farinæ cum aqua in pane conficiendo.

Prob. 4. Prob. quartò, quia calix Euchariſtiæ non ſolùm figuratus fuit in Teſtamento veteri per vinum, quo vtebantur Hebręi in varijs ſacrificijs; & vino, *Gen. 14.* quod cum pane protulit Melchiſedech; ſed etiam in aqua, quæ fluxit de petra, *1. Cor. 10.* vt B. Paulus docet.

Prob. 5. Prob. quintò, quia Euchariſtia eſt cibus, & potus ſpiritualis; & proinde dari debuit ſub ſpecie cibi, & potus corporalis. Porro potus corporalis maximè conueniens naturæ humanæ eſt vinum aqua admiſtum.

Prob. 6. Prob. ſextò ad ſignificandam duarum naturarum in Chriſto coniunctionem.

Quæſtio de forma. De forma Sacramenti Euchariſtiæ controuerſia eſt; Vtrum illa ſola verba: *Hoc eſt enim corpus meum*, &c. Et: *Hic eſt enim calix ſanguinis*, &c. ad formam Sacramenti huius pertineant?

Reſp. Et quidem Eccleſia Catholica magno conſenſu docet illa ſola verba ad formam pertinere. Ita enim habemus in Concilio Florentino in inſtructione Armenorum, & in Catechiſmo Concilij Trident. & idem docent Theologi cum Magiſtro ſententiarum, & Iureconſulti. Et ſi enim Theologi diſputent, nec inter ſe omninò conueniant, vtrum ſingulæ voces, quæ habentur in forma conſecrationis calicis in Latinis Miſſalibus, ſint de eſſentia formæ; tamen omnes conueniunt voces illas omnes eſſe de integritate formę, ita vt ſine peccato nulla earum omitti poſsit: & conſenſus in hac re ſufficit, vt habeamus aliquid certi in conſecratione, & confectione tanti Sacramenti.

Prob. 1. *Mat. 26.* *Mar. 14.* *Luc. 22.* *1. Cor. 11.* Prob. autem hoc primò exemplo Domini, & Apoſtolorum. Nam, vt Euangeliſtę referunt, Dominus, cùm Sacramentum hoc inſtituit, & primus confecit, non ſolum non iuſsit legi Epiſtolam ad Corinthios, quę nondum extabat; ſed nec vllam aliam lectionem, neque vllam habuit concionem. Pari ratione Apoſtoli antequam ſcriberentur Euangelia, & Epiſtolæ, nihil legebant, niſi fortè Pſalmos; vel, vt S. Gregorius ſcribit, ſolam orationem Dominicam ad conſecrationem addebant. *L. 7. epiſ. 63.* *1. Cor. 11.* Neque B. Paulus iubet, vt illud caput, aut aliud eiuſmodi deinceps legatur. Pręterea; Dominus verba illa: *Hoc eſt corpus meum*, &c. Et: *Hic eſt calix ſanguinis*, non hiſtoricè recitauit, ſed ſignificatiuè.

Refutantur Græci 1. Ex eodem exemplo Gręci refelli poſſunt. Dominus enim nec dixit, nec dici iuſsit illas preces: *Fiat hic panis corpus Chriſti, & hoc vinum ſanguis Chriſti*, ſine quibus non exiſtimant ipſi Sacramentum ritè confici poſſe. Nam, ſi ea Dominus dixiſſet, vel dici iuſsiſſet, id haberemus in Scriptura, vel traditione. In Scriptura non habemus: ſolum enim Euangeliſtę referunt Dominum egiſſe gratias Patri, & panem benedixiſſe, ac dixiſſe: *Accipite, & manducate hoc eſt corpus meum*, &c. Quibus verbis Dominus gratias egerit, non conſtat. Nec poſſunt Græci illa ſua verba includere in illis verbis Euangelij: *Gratias agens*: non enim iſta verba ſunt gratiarum actionis, ſed petitionis cuiuſdam. Benedictio autem, aut illis verbis facta eſt: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*; vt Catechiſmus

chiſmus Romanus, & Theologi communius docent: aut certè in Euangelio non habetur, quibus verbis Dominus benedixerit. Nullus etiam veterum tradidit Dominum vſum fuiſſe illis verbis: *Fiat hic panis*, &c.

Quòd attinet ad Chriſti exemplum ſententia communis, non ſolũ Theologorum recentiorum, ſed etiam veterum Patrum eſt, Chriſtum conſecraſse illis verbis: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus.* *Prob. Chriſtum illis verbis conſecraſſe.*

Præterea ſunt vrgentiſsimę rationes. Nam, ſi Dominus alio modo conſecraſset, alio nos conſecrare vellet, non dixiſset: *Hoc facite.* *1. Ratio.*

Deinde, Sacerdos in perſona Chriſti conſecrat; & ideo non dicit; hoc eſt corpus Chriſti; ſed: *Hoc eſt corpus meum*, & nihil eſt aliud noſtra conſecratio, quàm repetitio illius primæ, quę à Chriſto facta eſt, vt Chryſoſtomus docet. At quomodo in perſona Chriſti id facimus, & quomodo iſta eſt illius primę repetitio, ſi Chriſtus ſola voluntate, nos verbis conſecramus? *2. Ratio.*

Denique; Conueniunt omnes Dominum inſtituiſse Sacramentum Euchariſtię, cùm ipſe primus Euchariſtiam conſecrauit: ergo oportuit illum nõ ſolùm conſecrare, ſed etiam conſecrare ritu Sacramentali, & illo ipſo ritu, quo deinceps nos vti debeamus. At conſecrare ſola voluntate non eſt conſecrare ritu Sacramentali, ſed eſt miraculo quodam extraordinario effectum producere Sacramentalis conſecrationis ſine ſacramentali conſecratione: quemadmodum, cùm idem Dominus Magdalenam abſoluit ſola poteſtate, non cenſetur Sacramentum inſtituiſse, quia id non fecit ritu Sacramentali. Quod autem illa verba ex Domini præcepto à nobis dici debeant, patet ex illis verbis: *Hoc facite*: illud enim iubet, vt totam Chriſti actionem imitemur. Chriſtus autem non benedixit, & fregit panem ſine vlla prolatione verborũ, ſed dicendo: *Hoc eſt corpus meum.* *3. Ratio.*

Neque obſtat, quod non dixerit; pronunciate hæc verba: ſatis enim eſt, quod iuſſerit nos imitari ipſius actionem, prę ſertim cùm accedat vniuerſæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, quæ nunquam iſta verba frequentaſset in actione Miſsæ, niſi intellexiſſet hoc eſſe à Domino prę ceptum. Et eſt ſimile de Baptiſmo. Nam nuſquam Dominus dixit: Baptizate dicentes; Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: & tamen non ſolũ Eccleſia, ſed etiam Lutherani, & Caluiniſtę vtuntur iſtis verbis in Baptiſmo, ac ſentiunt ita Dominum prę cepiſſe.

Quod autem poſt illa verba recitata ſtatim adſit corpus Domini, & ſanguis, & proinde vi illorum fiat conſecratio, prob. quia alioqui verba eſſent falſa, ſi differretur prę ſentia corporis Domini vſque ad aliorum verborum recitationem, vt Græci volunt: non enim Dominus dixit; hoc erit: ſed; *Hoc eſt corpus meum.* Idem patet ex conſuetudine Eccleſię, quę eſt, vt mox prolatis illis verbis Domini Euchariſtia demonſtretur populo, & adoretur: quod certè nullo modo fieri deberet, ſi nondum eſſet facta conſecratio. Adde vltimo morem eſſe Græcorum, vt verba Domini: *Hoc eſt corpus meum.* Et; *Hic eſt ſanguis meus*, &c. Alta voce proferantur, & populus ad vtraque reſpondeat, *Amen.* Et rurſus, vt verbis illis prolatis continuo à Diacono demonſtrentur populo oblata: qui duo ritus apertè declarant etiam apud Grę cos conſecrari panem, & vinum per ſola verba Dominica, licet contrarium ſentiant aliqui ipſorum *Prob: Fieri conſecratio vi illorum verborum.*

Doctores. Nam, *Amen*, eſt particula confirmantis.

Prob.ſecundò hæc veritas ex traditione Eccleſię,& Patrum. Atqui contra Gręcos addi etiam poſſunt rationes.

1. Ratio contra Græcos. Prima eſt: Eadem eſt ratio Baptiſmi, & Euchariſtię. At in Baptiſmo id, quod Sacramentum facit, non ſunt humanę preces, quę præcedunt, vel ſequuntur infuſionem aquæ; ſed illa verba Domini: *Baptizo te*, &c. ſiue, vt Græci dicunt: *Baptizetur talis in*, &c. quæ dicuntur, dum infunditur aqua, vt omnes fatentur: & inde manifeſtè colligitur, quia, ſi quis ſolis illis verbis baptizetur: *Ego te baptizo*, &c. nulla adiuncta prece, cenſetur ab omnibus baptizatus, nec vel ab ipſis Græcis rebaptizaretur. Ergò in Euchariſtia id, quod Sacramentum facit, non ſunt preces humanæ; ſed verbum Domini: *Hoc eſt corpus meum; Hic eſt ſanguis*, &c. alioqui vnum Sacramentum verbis Domini conficeretur, aliud autem verbis hominum.

2. Ratio. Secunda ratio: Sacramenti confectio debet eſſe certiſsima, ſiue à bono, ſiue à malo miniſtro fiat, ergò non debet pendere ab humana prece, niſi conſtet de pacto abſoluto, & promiſsione facta eiuſmodi precibus à Deo. Nam ſine eiuſmodi pacto preces humanæ non neceſsario ſunt impetratoriæ, *præſertim* ſi à malo miniſtro fiant: non autem conſtat tale aliquod pactum factum eſse à Deo de exaudienda oratione illa Græcorum.

3. Ratio. Tertia ratio eſt: Fatentur Græci Chriſtum conſecraſse Euchariſtiam verbis illis: *Hoc eſt corpus meum*, ſine alijs precibus: ergo videtur euidenter ſequi etiam nos ſolis illis verbis conſecrare, nam Dominus ait: *Hoc facite*, nimirum, quod ego feci.

4 Ratio. Quarta ratio: Omnium conſenſu Sacerdos conſecrat in perſona Chriſti, ſiue, quod idem eſt, Chriſtus conſecrat per os Sacerdotis: At illa ſola verba: *Hoc eſt corpus meum*, &c. dicuntur à Chriſto per os ſacerdotis: illa enim alia: *Fac panem iſtum pretioſum corpus Chriſti tui*, non dicuntur in perſona Chriſti; ſed planè in perſona miniſtri, vt miniſter eſt à Chriſto diſtinctus. Ergo, &c.

5. Ratio. Quinta ratio: Si eſſet vera Græcorum ſententia, ſimul fierent corpus, & ſanguis Domini: nam ipſi vna oratione vtramque ſpeciem conſecrant: At Dominus ſeorſim, & diuerſis verbis conſecrauit primò corpus, deinde ſanguinem, vt apertiſsimè conſtat ex Euangelijs.

CAPVT VII.

De Miniſtro, & effectu Sacramenti Euchariſtiæ.

Cauſſa primaria Euchariſt. DE efficiente cauſſa primaria nulla controuerſia eſt: conſtat enim Chriſtum eſse, qui & Sacramentum hoc inſtituit, & primus confecit, & nunc etiam per miniſtros ſuos quotidie conficit.

De

De cauſa ſecundaria, id eſt, de miniſtro nunc particulariter tractandum eſt, num ad Euchariſtiæ conſecrationem requiratur certa miniſtrorum ordinatio; an verò non requiratur? *Quæſt. de cauſa ſecundaria.*

Catholica Chriſti Eccleſia ab Apoſtolis doctrinam accepit, & in hanc vſque diem ſeruat, ita neceſſariam eſſe ordinationem ſacerdotalem ad Euchariſtiam conficiendam, vt ſine ea nullo modo confici poſsit. *Reſp.*

Prob. primò ex verbis Dei: nam illud Chriſti, *Hoc facite*, non eſt dictum, niſi Apoſtolis, qui eo mandato ordinati ſunt primi ſacerdotes noui teſtamenti. Nam illud, *Hoc facite*, non ſignificat ſolùm, Manducate, & bibite, quod conuenit omnibus Chriſtianis, ſed ſignificat, Conſecrate, ſumite, & alijs diſtribuite, vt me facere vidiſtis. Iſta autem tria non poſſunt conuenire omnibus, ergò illud mandatum non datum eſt omnibus, ſed ſolùm quibuſdam, qui ideò dicuntur Sacerdotes: Ergò cæteri nullo modo poſſunt Euchariſtiam conſecrare, &, ſi id tentauerint, nihil facient. Nam Sacramenta conficiuntur in perſona Chriſti: quare, cui Chriſtus id non commiſit, is nihil facere poteſt. *Prob. 1. Luc. 22.*

Maior prob. primò ex ipſo textu. Lucas enim, qui ſolus habet illa verba: *Hoc facite*, non dixerat anteà, Accipite, manducate, &c. ſed ſolùm dixerat: *Accepit panem, benedixit, & dedit dicens: Hoc eſt corpus meum.* Ergò non retulit Lucas illud, *Hoc facite*, ad actionem ſolam manducandi, cùm eius ne meminerit quidem; ſed retulit ad actionem benedicendi, & diſtribuendi, quas expreſſerat; & ſimul ad actionem manducandi, quia Dominus etiam manducauit, vt eſt communis ſententia, licet in Euangelio non exprimatur. *Ibid.*

Secundò, quia nulla eſt ratio, cur illud, *Hoc facite*, non debeat referri ad omnia, quæ Dominus fecit.

Tertiò, quia niſi ad omnia referretur, non haberemus mandatum diuinum in verbo Dei expreſſum de conſecranda Euchariſtia: & proinde non poſſet ab aduerſarijs conſecrari.

Prob. minor primò: Si illud mandatum daretur omnibus, tenerentur omnes conſecrare, & diſtribuere: id autem non ſolum eſſet abſurdiſsimum; ſed etiam contra conſuetudinem omnium, tum Catholicorum, tum hæreticorum. Secundo, quia ita ſemper intellexit hoc mandatum vniuerſa Eccleſia.

Prob. ſecundo veritas ex traditione, & conſenſu totius Eccleſiæ. His adde antiquiſsimos Eccleſię ritus. Nam primo, imperabatur omnibus altaris miniſtris perpetua continentia, idque ex Apoſtolorum doctrina. *Prob. 2.*

Secundo, Laici prohibebantur tangere vaſa ſacra, vbi conficitur Euchariſtia.

De effectu Euchariſtiæ Catholica Eccleſia in Concilio Trident. duo docet. Primò effectum præcipuum non eſſe remiſsionem peccatorum mortalium; ſed nutritionem animæ, & præſeruationem à peccatis, & alia, quæ ſequuntur ex augmento gratiæ, & charitatis, quam ſecum adfert hoc Sacramentum. Secundò docet, præparationem ad Euchariſtiam non eſſe ſolam fidem, ſed veram pęnitentiam, & confeſsionem peccatorum, ſi quis poſt Baptiſmum in peccatum mortale lapſus ſit. *Effectus Sacram. Euchariſtiæ. Seſſ. 13. c. 2. & 7. & can. 5. & 11.*

Prob. 1. Eſſe autem veriſsimam Eccleſiæ Catholicæ ſententiam prob. primò ex cap. 6. Ioannis, in quo nuſquam docetur Euchariſtiam inſtitutam eſſe ad peccata remittenda, ſed tantùm ad vitam ſpiritualem conſeruandam, & augendam. Nuſquam enim dicitur: Qui manducat hunc panem, reſurget à peccatis; vel, viuere incipiet; ſed dicitur: *Non eſuriet, non morietur, viuet in æternum, in me manet, & ego in eo:* & ſimilia. (Ioan. 6.)

Prob. 2. Prob. ſecundò ex illis verbis: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Ex quo loco diſcimus propriam rationem huius Sacramenti eſſe, vt ſit cibus ſpiritualis. Quod etiam apertè clamat, tum externa ſpecies panis, & vini; tum actio, per quam nobis applicatur, quæ eſt manducatio, & potatio. At abſurdiſsimum eſt cibum, & potum dare mortuis.

Prob. 3. Prob. 3. ex figuris & ſimilitudinibus diuinæ Scripturæ. Nã inprimis agnus Paſchalis, quæ erat figura euidentiſsima huius Sacramenti, non poterat edi, niſi ab hominibus purificatis, & mundis: & potiùs permittebat Deus, vt aliqui differrent in alterum menſem manducationem agni Paſchalis, quàm vt non purificati manducarent. Deinde; Panes propoſitionis, qui etiam erant ſigna Euchariſtiæ, non niſi à mundis edi poterant. Denique; Quicunque aliqua immunditia pollutus edebat de carne ſacrificiorum, peribat anima eius de populo ſuo. Deinde; In Teſtamento nouo Dominus lauat pedes diſcipulorum, antequam eis Sacramentum edendum porrigat: & ſeueriſsimè punitur, qui ad conuiuium Regium ſine veſte nuptiali intrare præſumpſit. Denique, Filius prodigus priùs Patri reconciliatur, & veſtimentis, & annulo ornatur, & tum demum ad vitulum ſaginatum edendum admittitur. (Num. 9. & 2. Paral. 36. 1. Reg. 21. Leuit. 22. Ioan. 13. Matth. 22.)

Prob 4. Prob. quartò ex illis verbis: *Vnus panis, & vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus.* Hinc enim intelligimus, hoc Sacramentum non prodeſſe, niſi membris vnitis cum capite, & alijs membris, & eodem ſpiritu viuentibus. Et hoc idem teſtatur externum ſymbolum panis, & vini, quæ fiunt ex multis granis, vel vuis in vnam rem coëuntibus. At qui ſunt in peccato mortali, ij non ſunt membra viua Chriſti, & Eccleſiæ, neque viuunt in ſpiritu Chriſti; ergò nihil eis Sacramentum prodeſt, immò nocet potiùs, quia mentiuntur eo ſigno ſe eſſe id, quod non ſunt. (1. Cor. 10.)

Prob. 5. Prob. quinto ex illis: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Vbi Apoſtolus non reprehendit Corinthios, quòd nihil crederent, aut quòd tantùm hiſtoricum fidem haberent, aut quòd non ſatis fiderent promiſsis Dei: aut denique, quòd non haberent propoſitum vitæ mutandæ: nihil enim horum in toto capite inueniri poterit. Sed reprehendit Corinthios, quòd quidam ex eis ditiores afferrent in Eccleſiam ſumptuoſam cœnam, quam ſumerent poſt communionem myſteriorum, & eam ſeorſim ab alijs, maximè pauperibus, abſumerent. In quo multis modis peccabant: Nam & Chriſti corpus iniuria afficiebant, dum cum illo miſcerent alios cibos; & proximum offendebant; & Eccleſiam ipſam ſcandalizabant, dum ipſi aut lautè epularentur pauperibus videntibus, & eſurientibus: & denique peccabant intemperantiæ, & crapulæ vitio. Id patet ex verbis Apoſtoli, qui hæc ſola vitia reprehendit, (1. Cor. 11.)

hendit. Cùm ergò s. Paulus ſolùm peccata quædam circa mores reprehenderit in Corinthijs, cùm dicit: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, nihil aliud monere cenſendus eſt, niſi, vt quiſque videat, an habeat conſcientiam eiuſmodi, vel aliorum peccatorum: qui enim cum conſcientia peccati accedit, *iudicium ſibi manducat, & bibit.*

Prob. 6. Sextò prob. veritas ex traditione, & conſenſu Patrum.

Poſtremò accedant rationes.

1. Ratio. Prima ratio: Sacramentum Euchariſtiæ diuerſum eſt à Sacramento Baptiſmi, & Sacramentis cæteris: ergò finem proximum, ſiue effectum proprium habere debet diuerſum à fine, & effectu aliorum ſacramentorum. Sed alia Sacramenta habent pro fine, ſeu effectu remiſsionem peccatorum. Ergò Euchariſtia alium finem, ſeu effectum proprium habere debet, quàm remiſsionem peccatorum.

2. Ratio. Secunda ratio ſumitur ex Eccleſiæ conſuetudine antiquiſsima Euchariſtiam dandi Neophytis immediatè poſt Baptiſmum: vt patet ex Patribus, & ex ipſo vſu Eccleſiæ, qui adhuc viget. Si enim per Baptiſmum homines ita abluuntur ab omnibus peccatis, vt ſancti, & immaculati dici poſsint, iuxta illud: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, iuſtificati eſtis*; *1. Cor. 6.* certè Euchariſtia immediatè ſuperueniens poſt Baptiſmum non inuenit peccata, quæ tollat: non igitur eſt effectus eius primarius remittere peccata.

3. Ratio. Tertia ratio: Semper in Eccleſia conſuetudo fuit arcendi à communione Catechumenos, energumenos, pœnitentes, id eſt eos, qui pœnitentiam agunt, ſed nondum abſoluti, & reconciliati ſunt. At ſi Euchariſtia nihil eſt aliud, niſi pharmacum ægrotorum, & ſolatium peccatorum (vt Caluinus dicit) & ſi eius effectus primarius eſt (vt Lutherus, & Kemnitius volũt) remittere peccata; quare Catechumeni, & pœnitentes iſto pharmaco fraudantur? quare nõ datur eis, dum ægrotant, ſed ſolùm, quando per Baptiſmum, vel reconciliationem ſanati ſunt?

CAPVT VIII.

De vſu Sacramenti Euchariſtiæ.

VSVS primarius Euchariſtiæ eſt communicatio, ſeu participatio Euchariſtiæ, de qua vna eſt controuerſia principalis: An ſcilicet neceſſariò participanda ſit Euchariſtia ſub vtraque ſpecie; an ſatis ſub altera? Sunt autẽ aliquot partes huius controuerſiæ.

Quæſtio 1. Prima eſt: Vtrum totus Chriſtus ſit in quauis duarum ſpecierum? nam hæc eſt prima radix, cur neceſſaria poſsit videri vtraque ſpecies.

Reſp. *Seſs. 13.* *In inſtruct. Armenorũ.* *Seſs. 13 cap. 3. & Seſs. 21. c. 3.* Veritas autem eſt, eaque neceſſariò credenda, totum planè Chriſtũ in ſpecie panis, & totum in ſpecie vini contineri. Ita enim expreſſe definiunt tria Concilia, Conſtantienſe, Florentinum, & Tridentinum.

Porrò aliqui exiſtimant ex verbis cœnæ Domini: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, colligi ſub ſpecie panis eſſe integrum Chriſtũ. Dicunt enim voce corporis eo loco ſignificari corpus viuum; & proinde corpus cum anima, & ſanguine. Probant, id, quia Dominus loquitur de corpore, quod habebat, cùm illa diceret: tunc autem viuum corpus habebat, non mortuum.

Præterea; Loquitur de corpore, quod tradendum erat, nimirum ad mortem; ergò de corpore morituro, & proinde tunc viuo loquebatur. *[Seſſ. 13 ca. 3.]* Sed hæc ſententia repugnat Concilio Trident. quod docet vi verborum non eſſe in ſpecie panis, niſi corpus; animam autem, & diuinitatem, & ſanguinem per concomitantiam: quamuis concomitantia animæ ſumatur ex vi naturalis vnionis; concomitantia diuinitatis ex vi hypoſtaticæ. Repugnat etiam myſterio Euchariſtiæ. Euchariſtia enim eſt repræſentatio mortis Domini; & proinde ſub ſpecie panis repræſentatur corpus à ſanguine ſeparatum, & ſub ſpecie vini ſanguis ſeparatus à corpore.

[Prob. 1.] Prob. autem veritas primò ex eo: *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non* *[1. Ioan. 4.]* *eſt; & hic eſt Antichriſtus.* Nam, etſi loquebatur Ioannes contra hæreſin Ebionis, qui ſoluebat Ieſum, quia negabat eſſe Deum, & hominem: tamen ſententia generalis eſt, & omnes illos damnat, qui quoquomodo ſoluunt hypoſtaticam vnionem Dei, & hominis; vel naturalem animæ, & corporis. Qui autem concomitantiam negant, apertiſsimè ſoluunt Ieſum, cùm ponant alicubi corpus ſine anima, & ſanguine, & Deitate.

[Prob. 2.] Prob. ſecundò quia Dominus dicit: *Qui manducat me, viuet propter me.* At *[Ioan. 6.]* non manducatur Dominus, niſi in ſpecie panis; ergò in ſpecie panis non eſt ſolùm corpus, ſed totus Chriſtus: neque enim de ſolo corpore diceret; *Qui* *[Ioan. 6.]* *manducat me.* Ibidem: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Et infrà: *Hic eſt panis, qui de cælo deſcendit.*

[Prob. 3.] Prob. tertiò ex tribus fundamentis fidei, quæ euidenter habentur ex verbo Dei.

Primum eſt, corpus Domini verè, & realiter eſſe in Euchariſtia, propter *[Matth. 26.]* illud: *Hoc eſt corpus meum.*

Secundum eſt Chriſtum poſt reſurrectionem viuere, nec vllo modo am- *[Rom. 6.]* pliùs moriturum, iuxta illud: *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Ex ſecundo hoc principio manifeſtè colligitur in ſpecie panis non eſſe corpus Chriſti ſine anima, & ſanguine. Nam ſi exanimum, & exſangue eſſet, mortuum eſſet: at Chriſtus iam non moritur.

Tertium principium eſt, Chriſtum eſſe vnam perſonam diuinam in duabus *[Ioan. 1.]* naturis ſubſiſtentem, iuxta illud: *Verbum caro factum eſt.* Ex hoc manifeſtè colligitur corpus Chriſti, vbicunque ſit, non habere aliam, quam diuinam ſubſiſtentiam Chriſti. Et, quia ſubſiſtentia idem eſt re cum diuina eſſentia, nec vllo modo ab ea ſeparari poteſt, inde efficitur, vt vbi eſt corpus Chriſti, ibi ſit etiam diuinitas Chriſti.

[Prob. 4.] Eadem veritas prob. ex conſenſu Patrum.

[Prob. ratione.] Prob. etiam ratione Scolaſticorum. Nam, quomodò cunque aliqua ſunt, & manent inter ſe coniuncta, niſi nouum miraculum fiat, non poteſt vnũ alicubi eſſe, vbi non ſit etiam alterum manente illa coniunctione. Sed corpus Domini

anima

anima, ſanguis, & diuinitas inter ſe coniuncta ſunt, nec poteſt iam ſolui illa coniunctio. Ergò, vbi eſt corpus, ibi ſunt reliqua; &, vbi eſt ſanguis, ibi ſunt reliqua. Accedunt miracula à Deo oſtenſa. Nam vt credamus in ſpecie panis eſſe corpus cum ſanguine, nō ſemel ex fractione panis copioſus ſanguis emanauit. Exempla extant in commentario Surij anni M.D.X. & M.D.LVI. Item apud Vincentium in ſpeculo hiſtoriali, l.30.c.24. & apud Alexandrum Alenſem 4. *part. quæſt.53. mem.1. & in noua editione q.11. mem.2. art.4. paragr.3.*

Quæſtio 2. Num in vna ſpecie tota ratio Sacramenti inueniatur. *Quæſtio 2.*

Nota Euchariſtiam tribus modis conſiderari poſſe. Primò, vt ſacrificium. Secundò, vt pignus diuini amoris. Tertiò, vt Sacramentum,

Propoſitio prima: *Euchariſtia, vt eſt pignus amoris, poteſt optimè in quauis ſpecie conſeruari.* *Propoſitio. 1.*

Nam Euchariſtia eſt pignus, quatenus ſignificat & exhibet Chriſtum præſentem: id autem quælibet ſpecies facit. Vnde etiam Eccleſia Catholica vnā tantùm ſpeciem exhibet ſpectandam extra ſacrificium, & in proceſsione circumfert. *Prob.*

Propoſitio ſecunda: *In vna ſpecie non habetur perfectè, & integrè ratio ſacrificij; ſed vtraque neceſſaria eſt.*

Nam Euchariſtia, vt ſacrificium, ſignificat Chriſti paſsionem: eſt enim quædam imitatio ſacrificij in cruce peracti. Sola autem ſpecies panis non repræſentat exactè Chriſtum, vt mortuum, niſi ab altera parte conſpiciatur ſanguis, vt effuſus. Et ſimiliter ſola ſpecies vini non repræſentat ſufficienter Chriſtum, vt immolatum; non enim ſolus ſanguis eſt victima. *Prob. 1.*

Præterea, In ſacrificio Miſſæ debet eſſe reipſa, quod fuit in typo in ſacrificio Melchiſedech: cùm ſit Chriſtus ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech: Ille autem *obtulit panem, & vinum.* *Prob. 2.* *Pſal. 109.* *Gen. 14.*

Denique, Sacrificium propriè ordinatur ad remiſsionē peccatorum, vnde dicitur propitiatorium: *ſine ſanguinis* autem *effuſione non fit remiſsio.* Neceſſe igitur fuit, vt perſpicuè repræſentaretur ſanguinis effuſio. Idem colligitur ex Eccleſiæ conſuetudine, quæ nunquam paſſa eſt in vllo caſu ſacrificium offerri ſine vtraque ſpecie, ſi vtraque ſpecies haberi poſsit. *Prob. 3.* *Heb. 9.*

Propoſitio tertia: *In qualibet ſpecie inuenitur tota eſſentia, ac ratio Sacramenti: ita vt hoſtia conſecrata, vt conſeruatur in templis, & à laicis ſumitur, ſine ſpecie vini abſolute, verè, & propriè dici debeat Sacramentum Euchariſtiæ; non Sacramentum mutilatum, aut dimidiatum.* *Propoſitio. 3*

Prob. Nam in quolibet Sacramento requiritur ſignificatio, & cauſſalitas: eſt enim Sacramentum ſignum, & cauſſa gratiæ. Hæc autem reperiuntur in qualibet ſpecie, id eſt, tam in ſpecie panis, quàm in ſpecie vini ſeorſim ſumptis. *Prob. 1.*

Siquidem ſignificatio Euchariſtiæ, vt Sacramentum, duplex eſt iuxta duplicem eius effectum. Prior eſt ſignificatio internæ refectionis. Poſterior eſt ſignificatio vnionis fidelium inter ſe, & cum Chriſto. De priore dicitur: *Caro mea verè eſt cibus.* De poſteriore: *Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus.* Vtraque autem ſignificatio in qualibet ſpecie reperitur. *Eadem ſignificatio in vtraque ſpecie.* *Ioan. 6.* *1. Cor. 10.*

Nam in ſpecie panis ſignificatur ſufficienter refectio animæ, etiamſi non adderetur ſpecies vini: & ſimiliter in ſpecie vini, etiamſi non adderetur ſpecies panis. Nam etiamſi ſpecies panis ſignificet tantùm per modum cibi, & ſpecies vini per modum potus, tamen, vt aliquid dici poſsit abſolutè, & verè Sacramentum, ſatis eſt, ſi ſignificet refectionem aliquam ſpiritualem, & eandem reuerà efficiat. Quocircà duo illa ſigna, ſpecies videlicet panis, & ſpecies vini, non tam eſſentiales, quàm integrales partes huius Sacramenti eſſe videntur. Ex quo ſequitur, vt Euchariſtia ſub vna ſpecie ſit verum, & integrum Sacramentum eſſentialiter; licet etiam pars ſacramenti dici poſsit, ſi partes materiales ſymboli externi conſiderentur. Dico autem (*ſymboli externi*) nam ex parte rei ſignificatæ, id eſt, ex parte refectionis ſpiritualis, nihil deeſt vlli ſpeciei; ſiquidem in ſpirituali refectione non diſtinguitur cibus, & potus; ſed vna, & eadem res & nutrit, quod eſt cibi officium; & refrigerat, ſiue irrigat, & inebriat mentem, quod eſt officium potus. Itaque in diuinis litteris iuſtitia, & ſapientia, & ſimilia dicuntur eſuriri, & ſitiri, vt cibus, & potus. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Vides eandem iuſtitiam & cibum eſſe, & potum. Et: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Quare, licet Dominus dicat: *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus:* Tamen ibidem ait: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum:* Et: *Qui manducat me, viuet propter me.*

Matth. 5. *Eccleſ. 4.* *Ioan 6.*

De poſteriore ſignificatione manifeſtum eſt in ſpecie panis, etiam ſola, optimè ſignificari vnionem fidelium cum Chriſto, & inter ſe. Nam panis, quatenus conſtat ex multis granis in vnum redactis, ſignificat vnionem fidelium; quatenus conſtat ex farina, & aqua, ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia. Quocirca B. Paulus, cùm dixiſſet: *Vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus;* non putauit eſſe addendum; Et de vno calice bibimus; quia nimirum intelligebat ex ſola panis ſpecie ſufficienter ſignificari hanc vnionem. Idem dici poteſt de ſpecie vini. Vinum enim, quod ex multis vuis confluat, vnionem fidelium inter ſe deſignat: quòd autem in ſacro calice aqua vino admiſceatur, vnionem Chriſti cum Eccleſia repræſentat.

Eadem cauſalitas in vtraque ſpecie.

Iam verò, quantum ad cauſalitatem, ſeu efficientiam, eadem reperitur in qualibet ſpecie Sacramenti huius: nam tota efficientia naſcitur ex ipſo Chriſto, qui ſub illis ſpeciebus continetur. Chriſtus autem idem, & totus eſt, tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini, quare eadem efficientia eſt in ſpecie panis, quæ in ſpecie vini; & eadem in ſingulis, quæ in vtraque ſimul ſumptis.

Prob. 2.

Huc accedit, quod quælibet ſpecies habet propriam materiam, propriam formam; &, quod eſt amplius, propria quadam actione, & conſecratione conficitur; nec vllo modo, vt Sacramentum ſit, vna ſpecies pendet ab alia. Nam Dominus prius ſub ſpecie panis Sacramentum confecit, & manducandum dedit; ac deinde manducatione abſoluta ſub ſpecie vini Sacramentum confecit, & bibendum tradidit. Et Eccleſia Catholica non ſine cauſſa poſt ſpeciem panis conſecratam Sacramentum populo adorandum exhibet, antequam ſub ſpecie vini conſecrare aggrediatur.

Prob. 3.

Accedit etiam communis fidelium conſenſus; nemo enim hoſtiam conſe-

cratam videns dicit eſſe partem Sacramenti, aut Sacramentum mutilum; ſed Sacramentum ſimpliciter omnes appellant.

Accedunt denique typi, & figuræ Teſtamenti veteris. Quæ enim figuræ erant Euchariſtiæ, vt Sacramentum eſt, in ſola ſpecie manducabili conſiſtebant, vel in ſola ſpecie potus; vt patet de pane propoſitionis, de Agno Paſchali, & de Manna, quæ ſine potu data ſunt: & in aqua de petra ſcaturiente, quæ ſine cibo aliquo myſtico data eſt. Nam, etiamſi Apoſtolus coniungat cibum ſpiritualem, id eſt, Manna, & potum ſpiritualem, id eſt, aquam de petra; tamen illæ duæ figuræ ſunt diſtinctæ, & diuerſis temporibus datæ. Manna enim datũ eſt in deſerto Sin; & poſtea aqua in Raphidim. Quare Dominus, quando cõparat Manna cum Sacramento Euchariſtiæ, nullam mentionem facit aquæ: ideoque & in ſignum eiuſdem rei multiplicauit panes inſigni miraculo; vinũ, vel aquam non multiplicauit. *Prob. 4.* *1. Cor. 10.* *Exod 16.* *Exod. 17.* *Ioan 6.*

Propoſitio quarta: *Duæ ſpecies Sacramenti, cùm ſimul ſumuntur, non ſunt duo Sacramenta, ſed vnum.* *Propoſ. 4.*

Nota duas ſpecies Sacramenti duobus modis poſſe ſumi. Primò, ſimul, vt iam ſumuntur à Sacerdotibus in miſſa. Secundò non ſimul, ſed temporibus diuerſis; vt ſi quis hodie ſolam ſpeciem panis ſumeret, alio die ſolam ſpeciem vini. Et ſiquidem ſumantur ſecundo modo, id eſt, temporibus diuerſis, tum ſine dubio ſunt duo Sacramenta numero diſtincta. Nam quælibet per ſe eſt integrum Sacramentum. Et ſunt ibi duæ diuerſæ refectiones, non ſecus, ac ſi quis ſub ſpecie panis duobus diuerſis temporibus communicaret. At, ſi ſumantur ſimul, vt Sacerdotes faciunt, tunc non ſunt duo Sacramenta, ſed vnum; quia ad vnam refectionem ordinantur, & vnam rem ſignificant, & vnũ effectum producunt.

Simile quid cernimus in conuiuijs corporalibus: ſi quis enim tria, vel quatuor, vel plura fercula eodem tempore ponat in menſa, illa omnia vnum conuiuium facient; ſi verò duo tantùm ponantur hodie, & cras reliqua, iam erunt conuiuia duo. Similiter in Baptiſmo; ſi quis eodem tempore ter mergatur, vnus erit Baptiſmus: ſi autem diuerſis temporibus cum trina repetitione formæ, tria eſſent Baptiſmata. Et in Sacramento altaris, ſi quis vno tempore ſumat duas, vel plures particulas, vnum Sacramentum accipit; ſi autem diuerſis temporibus, plura Sacramenta erunt. Licet enim quælibet particula integrum Sacramentum contineat, tamen, cùm adiungitur alteri, non multiplicantur Sacramenta, ſed ſolùm augentur, quod eſt materiale in Symbolo. *Simile.*

Tertia quæſtio eſt: Vtrum aliquis fructus ijs depereat, qui ſub altera tantũ ſpecie Euchariſtiam ſumunt? *Quæſt. 3.*

Propoſitio prima. *Eius fructus, quem Lutherani omnes in Sacramentis quærunt, non minus percipiunt, qui ſub vna ſpecie communicant, quam, qui ſub duabus.* *Propoſ. 1.*

Prob. nam fructus, quem Lutherani in ſacramentis quærunt, eſt excitatio fidei, vel confirmatio: dicunt enim ſacramenta non aliter prodeſſe, quàm ſignificatione ſua, tanquam viſibili verbo repræſentando promiſsiones Dei. Iſte autem fructus melius obtinetur videndo Euchariſtiam in menſa, quam eam manducando. *Prob. 1.*

Nam, dum manducatur, continuo ſignificatio perit; at, dum cernitur, & attentè cogitatur, ſemper repræſentat, & ſignificat promiſsiones Dei, etiamſi per integrum annum quis eam cernere vellet.

Prob. 2. Præterea; Significatio meliùs apprehenditur per oculos, quàm per guſtandi ſenſum, cùm ſit ille longè ſpiritualior, & aptior ad intelligentiam iuuandum. Nihil ergò fructus perit communicantibus ſub vna ſpecie, quia licet vnam tantùm ore ſumant, tamen oculis vtramque ſumunt, non minùs, quàm Sacerdotes; & poſſunt, ſi volunt, ex illo aſpectu ſignificationem percipere.

Propoſitio 2. Propoſitio ſecunda. *Ex qualibet ſpecie percipitur tantum eius fructus, quem Catholici in Sacramentis quærunt, quantum neceſſarium eſt ad ſalutem.* Habetur in *Seſs. 21. can. 3.* Concilio Tridentino, quod directè damnat Hæreticorum ſententiam de neceſsitate vtriuſque ſpeciei.

Prob. Nam fructus, quem Catholici in Sacramento quærunt, eſt gratia Dei animæ infuſa, per quam conſeruatur vita animæ; vt per ciborum nutritionem conſeruantur corpora: ſed quælibet ſpecies confert gratiam, cum ſit verum Sacramentum; & quilibet gradus gratiæ ſufficit ad implenda mandata, immo ad repellenda etiam omnia peccata. Confirmatur ex eo, quod Dominus pol- *Ioan. 6.* licetur vitam ſumenti vnam ſpeciem: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Propoſitio 3. Propoſitio tertia: *Licet plus gratiæ, & fructus ex vtraque ſpecie, quàm ex vna tantùm, caperetur; non propterea opus eſſet, vel expediret, vt omnes vtramque ſpeciem ſumerent.*

Prob. 1. Prob. Nam ex duobus malis ſemper eſt eligendum minus malum. Eſt autem minus malum, vt homines aliqui careant aliquo bono non neceſſario, quàm vt Sacramentum Dei euidenti periculo exponatur irreuerentiæ. Exponeretur autem tali periculo, ſi communiter populo daretur Euchariſtia ſub ſpecie vini; moraliter enim fieri non poſſet, quin ſæpiùs effunderetur ſanguis Domini. Et confirm. ab exemplis ſimilibus. Certè Sacerdotium gratiā confert, nec tamen expedit omnibus fieri Sacerdotes. Paruulis Euchariſtia gratiā conferret, & tamen, quia ea non indigent neceſſariò, nec ſine irreuerētia eis dari poſſet, non eis datur, neque à Catholicis, nec ab hæreticis.

Prob. 2. Præterea; Plus gratiæ recipi poteſt ex frequenti communione ſub vna ſpecie, quàm ex rara ſub vtraque.

Prob 3. Denique; Magis lucratur, qui communicat ſub vna ſpecie, vt Eccleſiæ obediat; quàm qui ſub duabus ſine illo ingenti obedientiæ fructu.

Propoſitio 4. Propoſitio quarta: *Nihil ſpiritualis fructus capitur ex duabus ſpeciebus, quod non capitur ex vna.* Hæc non eſt tam certa, vt ſuperior; eſt tamen aſſertio communis, & probabiliſsima. Nam Concil. Trident. licet hoc apertiſsimè non de- *Seſs. 21. can. 3.* finierit, tamen ſatis indicat, cùm dicit ſub vna ſpecie ſumi integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontē: ſignificat enim his verbis ſub vna ſpecie ſumi omnē gratiam, quæ ex Euchariſtia ſumi poteſt. In Concilio autem Baſileenſi ea conditione fuit conceſſus calix Bohemis, (vt Ruardus teſtatur) vt crederent non plus fructus ſumi ex duabus ſpeciebus, quàm ex vna. Eſt itaque aſſertio hæc communis Theologorum, tum veterum, tum recentiorum.

Proba-

Probatur autem: Si ſumptio vtriuſque ſpeciei plus gratiæ, aut fructus conferret, quàm ſumptio vnius, id neceſſario oriretur, vel ex ſymbolo continente, vel ex re contenta. Ex ſymbolo id naſci non poteſt, quia ſymbolũ non operatur, niſi per virtutem ſibi impreſſam; in Euchariſtia autem loco virtutis impreſſæ eſt ipſe Chriſtus, ſiue corpus eius, & ſanguis: non igitur ex ſymbolo oritur maior gratia. Si ex re contenta, id fit, vel, quia res contentæ in vtraque ſpecie ſunt reuerà duæ & diuerſæ, & quælibet operatur aliquid in animam ſuſcipientis; & hoc dici non poteſt, cùm vnus, & idem Chriſtus in vtraque ſpecie ſit: vel, quia vna res quidem, & eadem in vtraque ſpecie continetur, ſed ea bis ſumitur; & neque hoc dici poteſt. Nam non augetur gratia, vel fructus, quando bis ſumitur eodem tempore, quia ſumitur per modum vnius refectionis. Alioqui qui duas, aut tres particulas ſumeret, vnam poſt alteram in eadem participatione myſterij, maiorem gratiam acciperet, quàm qui vnam tantùm: nam in ſingulis eſt Chriſtus. Et, cùm ſacerdos non vno hauſtu, ſed duobus, aut tribus ſumit ſanguinem Domini, plus gratiæ acciperet, quàm qui vno hauſtu totum ebibit: quæ ſanè abſurdiſsima ſunt omnium conſenſu. *Prob.*

Quæſtio quarta: Vtrum diuino mandato præcipiatur omnibus Cõmunio ſub vtraque ſpecie? Nullum præceptum à Chriſto datum de vtraque ſumenda ſpecie, varijs rationibus id omnino credibile fit. *Quæſtio 4.*

Prima ratio ſumitur ex figuris. Nam pleræque figuræ ſub vna ſpecie ſignificant Euchariſtiæ manducationem. Non eſt igitur vllo modo probabile, Chriſtum imperaturum fuiſſe manducationem vtriuſque ſpeciei: figuratum enim debet reſpondere figuræ. Vndæ Euangeliſtæ paſsim, cùm deſcribunt acta Chriſti, addunt: *vt Scriptura impleretur.* Notat S. Ioannes ideò Deum non permiſiſſe, vt frangerentur crura Domino crucifixo, quia præceſſerat illa figura Agni Paſchalis, cuius oſſa confringi non poterant. Et Apoſtolus: *Omnia,* inquit, *contingebant illis in figura.* *Ratio 1.* *Ioan. 19.* *1. Cor. 10.* *Gen. 2. 3.*

Prima figura fuit ligni vitæ in medio paradiſi. Conſtat autem nullum fuiſſe potum illi arbori adiunctum.

Secunda fuit Agni Paſchalis, quæ notiſsima eſt. Neque aſperſio ſanguinis in poſtibus potuit ſignificare potum calicis: non enim bibebatur, nec dabatur hominibus; & priùs linire poſtes ex eo oportebat, quàm agnus manducaretur. *Exod. 12.*

Tertia figura eſt Mannæ. *Exod. 16.*

Quarta panes propoſitionis: in quibus nullus admiſcebatur potus. *Exod. 25.*

Quinta denique erat participatio ſacrificiorum. Nam, etiamſi in ſacrificijs erat caro, & ſanguis, & etiam libamina multa; tamen ſola caro manducabatur, ſanguis, & libamina effundebantur Deo. Vnde Apoſtolus: *Qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris:* neque addidit quidquam de potu, quia non conſueuerant habere Hebræi vinum libaminum. *Ibid.* *1. Cor. 10.*

Dices: Aliæ ſunt figuræ, quibus commendatur Communio ſub vtraque ſpecie. Nam Melchiſedech obtulit panem, & vinum, & vtrumque dedit ſumendum Abrahæ & ijs, qui eũ ſequebantur. Et apud Apoſtolum dicũtur Hebræi manducaſſe ſpiritualem cibum, & bibiſſe potum ſpiritualem. *Obiect.* *Gen. 14.* *1. Cor. 10.*

Reſp.

Reſp. Reſp. Non contendimus nos pro neceſsitate vnius ſpeciei, ſicut aduerſarij pro neceſsitate duarum. Deinde; Non conſtat, An Melchiſedech dederit panem, & vinum comedendum Abrahæ, an ſolùm Deo obtulerit? Quod enim Deo obtulerit, patet ex ſequentibus verbis: *Erat enim Sacerdos Dei altiſsimi*: quod autem dederit manducandum, ex nullo verbo colligitur. Potus autem ille ſpiritualis, id eſt, aqua ex petra fauet vni ſpeciei: ſola enim data eſt.

Ratio 2. Secunda ratio ſumitur ex doctrina, & exemplo Chriſti. Dominus enim, loquens de fructu Euchariſtiæ non ſemel, ſed quater, vnam ſpeciem ſufficere *Ioan. 6.* docet ad ſalutem. *Qui manducat me, viuet propter me. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur.* Non igitur fieri poteſt, vt idem Dominus mandauerit vtramque ſpeciem ſumendam, tanquam neceſſariam ad ſalutem. Exemplo ſuo idem comprobauit. Nam multiplicauit *Ioan. 6.* panes, & inde ſaturauit turbam, remanentibus duodecim cophinis; nec vl[illegible]m potum multiplicauit, aut dedit. Et in Emaus cum duobus diſcipulis in cœna *Luc. 24.* *accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*. De hoc loco duæ ſunt Catholicorum ſententiæ. Prima eſt Ioannis à Louanio, & aliorum, qui contendunt Sacramentum Euchariſtiæ datum fuiſſe à Chriſto duobus diſcipulis. Alij ſentiunt, vt Cornelius Ianſen. panem à Domino benedictum in Emaus n[illegible]iſſe quidem Euchariſtiam, fuiſſe tamen figuram Euchariſtiæ, & voluiſſe Dominum hoc exemplo demonſtrare fructum, & vtilitatem Euchariſtiæ in vna ſpecie: quare ex hoc loco non minus probari vſum Euchariſtiæ vnius ſpeciei, quàm ex multiplicatione panum. Quamcunque autem ſententiam ex his duabus amplectamur, oſtendit hoc exemplum Chriſti eam eſſe vtilitatē Euchariſtiæ in vna ſpecie, vt minimè ſit exiſtimandum fuiſſe imperatū omnibus illius vſum in ſpecie vtraque.

Ratio 3. Tertia ratio ſumitur ex doctrina, & vſu Apoſtolorum. *Erant autem perſe-* *Act. 2.* *uerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.* Quo loco negari non poteſt, quin agatur de Euchariſtia; tum, quòd coniungatur fractio panis cum doctrina, & oratione; tum etiam, quòd vituperatio potiùs, quàm laus fuiſſet, de fidelibus commemorare, perſeuerantes eos fuiſſe in prandijs, & cœnis corporalibus.

Ratio 4. Quarta ratio ſumitur ex teſtimonio veteris Eccleſiæ, quæ, cùm vera fuerit, ſine dubio contra expreſſum Dei mandatum nihil egiſſet. Tribus autem modis vetus Eccleſia teſtatur Communionem ſub vna ſpecie eſſe licitam.

Primò, quia nunquam eam reprehendit, aut damnauit, cùm tamen non ignoraret eam, ſaltem apud aliquos, in vſu fuiſſe. Nam (vt alia omittam) Manichæi nunquam communicabant, niſi ſub ſpecie panis; arbitrabantur enim vinum eſſe fel Draconis.

Præterea, negabant Chriſti veram mortem; & ideo nec vinum, nec ſub ſpecie vini ſanguinem Domini ſumebant. Et tamen nec Epiphanius, nec Auguſtinus, nec alij, qui de erroribus Manichæorum ſcripſerunt, notarunt errorem illum, quod contra Domini mandatum ſub vna tantum ſpecie Euchariſtiam ſumerent.

Secun-

Secundò; Teſtimonium Eccleſiæ veteris haberi poteſt ex duobus illuſtribus exemplis hæreticarum fraudum. Scribunt Sozomenus, & Nicephorus, fœminam quandam hæreticam Macedonianam, cùm vellet tegere ſuam hæreſin, & ſe Catholicam ſimulare, accepiſſe in manibus, Chryſoſtomo ſacris operante, panem Euchariſtiæ, tanquam paulò poſt illam manducaturam; ſed clam dediſſe illum ancillæ, & ab ea ſumpſiſſe panem prophanum, quem ex domo adferri iuſſerat, vt illum palam comederet loco Euchariſtiæ: ſed eum panem continuò in lapidem eſſe conuerſum. *1. Exemplum. L. 8. hiſtor. c. 5. Lib. 13. c. 7.*

Ex hoc intelligimus morem fuiſſe, vt acciperent, qui vellent, Euchariſtiam ſub vna ſpecie tantum. Nam ſi omnes coacti fuiſſent bibere de calice Domini, mulier illa nullo modo ſimulare potuiſſet: non enim pro calice Dominia-liquid aliud ſumere poterat; ſiquidem calix non dabatur in manus, ſed manu Diaconi admouebatur ori communicantium.

Alterum exemplum eſt apud Leonem, qui ſcribit Manichæos, vt hæreſin ſuam tegerent, panem Euchariſtiæ ſumere ſolitos eſſe cum Catholicis, non tamen calicem bibere. Si autem Romæ non fuiſſet libera communio ſub vtraque ſpecie, ſed omnes ſemper ſumere debuiſſent ſub vtraque, non potuiſſent vllo modo Manichæi latere, qui ſanguinem Domini nunquam ſumebãt. Vnde S. Leo non iubet obſeruari eos, qui aliquando ſumebant, aliquando nõ ſumebant, ſed qui nunquam omnino ſumebant ſanguinem: illud enim eo tẽpore pro ſigno Manichæiſmi haberi potuit. *Ser. 4. de quadrageſ. 2. Exemplum.*

Tertiò; Sumitur teſtimonium veteris Eccleſiæ ex varijs ritibus, ex quibus apertè colligitur vſus vnius ſpeciei.

Primus eſt aſſeruatio Sacramenti. Quòd autem ſub vna ſpecie aſſeruaretur, & proinde ſub vna ſpecie ſumerent, patet, quia aliquando ad longiſsimum tempus aſſeruabant. Immò Græci ad hunc diem ſeruant per integrum annum. Non autem poſſet vinum in parua quantitate tamdiu conſeruari, quin aceſceret, & corrumperetur. Præterea; Qui meminerunt aſſeruationis, ſolius ſpeciei panis meminerunt, quam inuolutum orario, & linteo dicunt. *1. Ritus veterum.*

Secundus ritus eſt, vt Euchariſtiam domum deferrent, & ibi tempore opportuno ſumerent. Domi autem ſub vna tantùm ſpecie Chriſtianos communicare ſolitos perſpicuum eſt, tum ex eo, quòd ſola ſpecies panis dabatur in manus fidelium, ſanguis autem dabatur ex calice bibendus; tum etiam, quia non erant in domibus laicorum vlli calices ſacri, ſeu vaſa, quibus contineri poſſet ſanguis Domini. *2. Ritus.*

Porrò hauſtus ſanguinis in Eccleſia, & manducatio corporis Domini in priuatis ædibus non poterant haberi pro vna Communione; ſed neceſſario (d)icendum eſt fuiſſe duas Communiones, & vtramque ſub altera tantũ ſpecie, (n)eutram ſub vtraque. Nam diuerſis diebus ſumebantur illæ ſpecies; ideò e(n)im domum deferebant, vt poſſent diebus ſequentibus communicare, etiam ſi (t)emplum non adirent.

Tertius ritus erat Communicatio infantium. Communicabant enim ve(t)eres aliquando infantes, ſed ſub vna tantum ſpecie, nimirum inſtillando in *3. Ritus.*

os eorum aliquid ſanguinis Domini; nec enim poſſunt infantes cibum aliquẽ ſolidum ſumere.

4. Ritus. Quartus erat communicatio ægrotorum, quę, vt plurimum, fiebat ſub vna tantùm ſpecie.

5. Ritus. Quintus ritus erat vſus communionis laicæ, quæ in pœnam grauis alicuius delicti olim dabatur clericis, ablata illis communione clericali.

6. Ritus. Sextus ritus erat Communio præſanctificatorum, cuius vſus apud Græcos erat in tota Quadrageſima excepto die Dominico, & Sabbatho: in Latina Eccleſia iſte vſus fuit, & adhuc manet feria VI. hebdomadæ ſanctæ. Nam eo die non fit conſecratio, & ipſe etiam Sacerdos in publica actione communicat ſub vna ſpecie.

Ratio 5. Quinta ratio ſumi poteſt ex conſenſu, & teſtimonio Eccleſiæ poſterioris. Nam conſtat ab annis plus octingentis fuiſſe vſum in quibuſdam Eccleſijs Communionis ſub vna ſpecie, etiam in publico cœtu fidelium, & extra diem Paraſceues: vt teſtantur Concilia Conſtantienſe *Seſſ.* 13. & Baſileenſe *Seſſ.* 30. Et ſimul conſtat Græcos nunquam hoc Latinis obiecisse tanquam errorem, cùm tamen alia multa obiecerint, in quibus à nobis diſsidebant. S. Bernardus, qui ante annos CD. vixit, in Monaſterio ſuo ſub vna ſpecie Communionem præbebat.

L. 1. c. 11. vitæ Bernardi. Scribit enim Guilielmus Abbas S. Bernardi æqualis in celebri quadam ſolennitate S. Bernardo Euchariſtiam miniſtrante acceſsiſſe inter alios monachum quendam, quem ob certam culpam idem S. vir accedere prohibuerat. verum, quia res occulta erat, datam illi etiam Euchariſtiam; ſed diuino miraculo non potuiſſe Monachum illum Euchariſtiam deglutire. Finitis autem ſolennijs acceſsiſſe Monachum ad Abbatem, & aperto ore oſtendiſſe, quid pateretur: tum demum confeſſum, & abſolutum Sacramenta Domini liberrimè ad viſcera traieciſſe. Ex hoc manifeſtè apparet ſolam ſpeciem panis à S. Bernardo dari ſolitam; nam ſpeciem vini tam diu ſeruare in ore ille non potuiſſet.

Ordo Romanus, qui vt minimum ante annos octingentos editus eſt, cùm ab Alcuino Caroli Magni præceptore, qui anno DCCC. florebat, citetur, apertiſsimè indicat in Romana Eccleſia publicum vſum fuiſſe vnius ſpeciei. Nam in c. De ordine celebrandi Miſſam, ſignificat in paruo calice ſanguinem Domini conſecrari ſolitum: deinde pro communione populi ex eo paruo calice effundi modicum ſanguinis Domini in magnum calicem vino, & aqua plenum, atque ex eo magno calice conſueuiſſe populum bibere poſt corpus Domini ſumptum. Et, quia calix vnus, quantumuis magnus, non ſufficere poterat tantæ multitudini, veriſimile eſt (quamuis ibi id non legatur) ſæpius eundem calicem vino fuiſſe repletum.

Porrò calix ille magnus dicebatur calix ſanguinis, quia conſecratus erat ex contactu ſanguinis Domini, non quòd reuerà eſſet ſanguis Domini: non enim ex contactu illo mutari potuit vinum in ſanguinem. Eſt autem valdè magna coniectura etiam in alijs Eccleſijs, vbi dicebatur populus de calice bibere, non alium morem fuiſſe, quàm Romæ.

Nam

Nam intelligi planè non poteſt, quo pacto in Eccleſijs valde numeroſis potuerit dari Communio toti populo ex calice veri ſanguinis Domini. Neque enim vnquam fuit vſus conſecrandi ſimul multos calices: neque fuit vſus vnquam conſecrandi vinum in altari in calice aliquo vaſtiſsimo, qui tantum vini caperet, quantum populo vniuerſo ſufficeret. Debuit enim calix non adeò magnus eſſe, vt poſſet à Sacerdote eleuari, & à Diacono huc, & illuc transferri. Neque inueniuntur vlli calices tam magni, cùm tamen multi in multis Eccleſijs antiquiſsimi inueniantur.

Sexta ratio ſumi poteſt ab incommodis.

Primum incommodum eſt impoſsibilitas implendi legem iſtam in ijs locis, vbi ſit populus valde numeroſus, & vnus tantùm ſacerdos; vt ſæpe accidit in frequentiſsimis pagis. *Ratio 6.* *1. Incommodum.*

Secundum eſt irreuerentia ſanctiſsimi Sacramenti. Semper enim Eccleſia diligentiſsimè cauit, ne mica aliqua conſecrati panis in terram caderet: maior eſt autem irreuerentia in effuſione ſanguinis, qui rurſum colligi nequit. *2. Incommodum.*

Tertium incommodum eſt, quòd multi abhorrent à vino. *3. Incommodum.*

Quartum incommodum eſt penuria vini. ſiquidem in multis regionibus vinum non creſcit, & quod aliunde adfertur, partim ſummo precio emitur, partim non diu conſeruatur: ex quo oporteret plurimos, aut nunquam, aut rariſsimè communicare, ſi non poſſet fieri Communio ſub vna ſpecie. Certè in Iaponia nulla adeò eſt copia vini, vt vix ad ſacra facienda commodè haberi poſsit. *4. Incommodum.*

Scribit Volateranus ab Innocentio VIII. conceſſum Noruegijs, vt ſine vino ſacrificarent, quod vinum in Noruegia non creſcat, & aliunde importatum continuò aceſcat. Quod quidem Pontifex ille conceſsit, (ſi tamen conceſsit) vel quod eius ſententiæ eſſet, non eſſe de iure diuino, vt ſacrificium in vtraque ſpecie neceſsario confici debeat, quæ ſententia ſuos habet patronos: vel quòd iudicauerit ius diuinum ita interpretandum eſſe, vt excipiatur caſus neceſsitatis. Et ſi enim ſacrificium eſt imperfectum ſine vtraque ſpecie, tamen præſtat imperfectum habere, quàm nullum: præſertim cùm duæ illæ ſpecies partes ſacrificij ſint integrantes potiùs, quàm eſſentiales. Placere autem Deo, quod vna tantum ſpecies populo miniſtretur, ſignis, & prodigijs aliquando demonſtratum eſt. *L. 7. Geographia.*

Scribit Alexander Aleſius quoſdam Monachos aliquando, apud quos vſus erat vnius ſpeciei, cœpiſſe vtramque ſpeciem poſtulare: ſed interim accidiſſe, vt, cum Sacerdos inter ſacrorum ſolennia hoſtiam frangeret, totum patenæ concauum ſanguine ex iſta hoſtia profluente repleretur. *P. 4. ſumma q. 11. mem. 2. ar. 4. paragr. 3.*

Quæſtio quinta. Vtrum iuſtè Eccleſia præſcripſerit modum communicandi ſub vna ſpecie tantum? Demonſtrabimus autem Eccleſiam id rectè feciſſe, ſi probauerimus Eccleſiam id potuiſſe facere; & iuſtiſsimas cauſſas habuiſſe, cur id faceret. *Quæſtio 5.* *Prob. Eccleſiam potuiſſe vnam ſpeciẽ*

Primum ita demonſtratur: Eccleſia poteſt ordinare, & præſcribere ea, *præſcribere.*

quæ ad ſubſtantiam Sacramentorum non pertinent, nec ſunt iure diuino ordinata. Sed ritus communicandi ſub vna ſpecie, vel duabus, talis eſt: Ergò, &c. Propoſitio eſt certiſsima. Nam, cum à Deo nulla regula data ſit, aut nulla erit regula, aut nullus ordo, aut is ab Eccleſia ſtatui debet. Patet exemplis. Nam aliquando Eccleſia iuſsit baptizari homines trina merſione, quando cauſſa id requirebat: & tamen eadem Eccleſia, poſtulante certa cauſſa contrarium ritum, contrarium ſtatuit. Aſſumpt. prob. Nam, non eſse iure diuino mandatum Communionem ſub vtraque ſpecie, iam probatum eſt: non pertinere autem ad Sacramenti ſubſtantiam patet, quia vſus rei nunquam eſt de eſsentia rei permanentis, cùm ſit reipſa poſterior. Communio autem eſt vſus Sacramenti, & Sacramenti, quod eſt res permanens, non actio tranſiens.

Prob. 1. Rectè præſcripſiſſe vnam ſpeciem. Alterum etiam prob. Nam primò, mouit Eccleſiam conſuetudo iam recepta, & approbata conſenſu gentium, & populorum: non enim Concilium Conſtantienſe primum inſtituit iſtum vſum; ſed prohibuit tolli, & abrogari.

Prob. 2. Secundò, mouit Eccleſiam ad hunc vſum ſtabiliendum, & lege firmandũ, quòd videret ab hæreticis, & ex errore oppugnari.

Prob. 3. Tertiò, mouit vniformitas, & concordia pop. Chriſtiani in Sacramento hoc percipiendo, quod eſt Sacramentum pacis, & vnitatis. Nam ſi in vna ſpecie detur Communio, in toto orbe terrarum poterit eſse idem vſus, vt modò videmus in Eccleſia Catholica toto orbe diſperſa: at, ſi libera eſset Communio, vel ſub vtraque ſpecie imperaretur, non poſset vllo modo ſeruari vniformitas.

Prob. 4. Quartò mouit, & quidem vehementer, irreuerentia, & prophanationes tanti Sacramenti.

Quæſtio 6. Quæſtio ſexta eſt de veneratione ſanctiſsimi Sacramenti, de qua multæ hæreticorum ſunt calumniæ. Negant enim Sacramentum Euchariſtiæ eſse adorandum, & eo modo Catholicos reprehendunt, quaſi ἀρτολατρείαν doceant, quia Sacramentum ipſum abſolutè dicimus adorandum. Sed hæc mera calumnia eſt.

Reſp. Catholici enim, cùm negent panem in Sacramento remanere, quomodo poſsent aſſerere ἀρτολατρείαν, id eſt, panis adorationem? Neque vllus Catholicus eſt, qui doceat ipſa ſymbola externa per ſe, & propriè eſse adoranda cultu latriæ; ſed ſolùm veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis conuenit; cultu autem latriæ dicimus per ſe, & propriè eſse Chriſtum adorandum, & eam adorationem ad ſymbola etiam panis, & vini pertinere, quatenus apprehenduntur, vt quid vnum cum ipſo Chriſto, quem continent. Quemadmodum; qui Chriſtum in terris veſtitum adorabant, non ipſum ſolùm, ſed etiam veſtes quodammodo adorabant: neque enim iubebant illum veſtibus nudari, antequam adorarent; aut animo, & cogitatione ſeparabant à veſtibus, cùm adorarent; tametſi ratio adorandi non erant veſtes, immò nec ipſa humanitas, ſed ſolum diuinitas. De modo autem loquendi fatemur Sacramentum ipſum dici adorandum, vt Concilium Trident. loquitur: ſed hoc

hoc exponitur dupliciter. Qui enim ſentiunt Sacramentum Euchariſtiæ formaliter eſſe corpus Chriſti, vt eſt ſub illis ſpeciebus, concedunt etiam formaliter Sacramentum dici adorandum: qui autem docent Sacramentum Euchariſtiæ formaliter eſse ſpecies panis, & vini; vt Chriſtum continent, illi docent conſequenter Sacramentum Euchariſtiæ materialiter adorandum. Sed quæſtionis ſtatus non eſt, niſi, An Chriſtus in Euchariſtia ſit adorandus cultu latriæ?

Prob. autem hoc argumento: Deo vero debetur adoratio latriæ: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Chriſtus autem, vt eſt in Euchariſtia, ſiue in vſu, ſiue extra, eſt Deus verus, vt omnes fatentur: Ergo, &c. *Prob. 1. Reſp. Deut. 6. Mat. 4.*

Prob. ſecundò, ex traditione Patrum. *Prob. 2.*

DE MISSA.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De voce, Miſſa.

Antiquitas vocis, Miſſa. VT à vocibus incipiamus, antiquiſsimam, & vſitatiſsimam eſſe hanc vocem, *Miſſa*, dubitari non poteſt: inuenitur enim frequenter apud Patres qui ante annos circiter mille, & eò ampliùs ſcripſerunt.

Vnde deriuetur. Quod ad etymologiam attinet, plurimi conantur oſtendere nomen, *Miſſa*, eſſe Hebraicum, & oblationem voluntariam ſignificare: habetur enim in Deut. in ea ſignificatione. *Deut. 16.* Sed non videtur Apoſtolis in vſu fuiſſe hoc vocabulum Hebraicum, multoque probabilior eſt eorum ſententia, qui docent, *Miſſam*, vocem eſſe Latinam, & à Latinis plurimùm vſurpatam in celebratione myſterij Euchariſtiæ. Nam ſi vox iſta Hebraica in vſu Apoſtolis fuiſſet, certè retinuiſſent eam etiam Græci, & Syri, atque aliæ nationes, vt retinuerunt alias ſimiles voces; vt Amen, Alleluia, Sabaoth, Oſanna, Sathan, Sabbathum, Paſcha. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos deuenerunt, cùm ipſi etiam Apoſtoli, & primi Eccleſiæ Doctores Græcè ſcripſerint. Porrò apud Græcos nulla eſt mentio huius vocis, *Miſſa*, ſed pro ea λειτουργίαν dicunt, quod eſt munus, ſeu miniſterium publicum. Et quamuis à Patribus Græcis vix aliter hæc vox accipiatur, quàm pro miniſterio ſacrificij Euchariſtiæ offerendi, tamen vox ipſa ex ſe latiùs patet. *Orat. contra Leptinem.* Nam & Demoſthenes frequentiſsimè hanc vocem vſurpat pro publico munere: & ipſe etiam Apoſtolus Epaphroditum vocat τον λειτουργον neceſſitatis ſuæ. *Philip. 2.* Adde, quòd Syri, vt Maronitæ, qui Chaldaica lingua celebrant diuinum ſacrificium, non habent, *Miſſæ*, vocabulum, ſed pro eo dicunt Hebraicè, *Sanctum*, ſeu, *Sacrum*. Et tamen, ſi Hebraica vox apud vllos conſeruari debuit, apud eos maximè, qui ſemper ea lingua, licet nonnihil corrupta, vſi ſunt. Accedit, quòd viri docti linguæ Hebraicæ, vt Origenes, Epiphanius, Iuſtinus, Hieronymus, hac voce nunquam vtuntur; quod meritò admirandum videri poſſet, ſi ea vox eſſet Hebraica. Adde, quòd, ſi eſſet Hebraica, non *Miſſa*, ſed Miſſah dicendum eſſet: quo modo tamen nemo ſcribit, aut loquitur.

Vnde dicta Miſſa. Qui Latinam vocem eſſe volunt, non eodem modo omnes exponunt:

alij

alij enim *Miſſam* dici volunt, quòd oblatio, & preces ad Deum mittantur. Alij minùs probabiliter, quòd Angelus à Deo mittatur, qui ſacrificio aſsiſtat, & illud ad Deum deferat. Alij, & ij, vt plurimum, hæretici, dictam eſſe volunt Miſſam apud veteres à mittendis, & conferendis in medium muneribus, quaſi ſymbolis quibuſdam, vnde fieret ſacra Cæna, & epulum daretur pauperibus: vnde etiam idem volunt fuiſſe Miſſam, & quam Græci vocant ἀγάπην. Quæ expoſitio nullum habet ab antiquitate teſtimonium, & falſa eſt omninò, quatenus Miſſam confundit cum ἀγάπῃ. Erat enim ἀγάπη conuiuium Chriſtianorum ob refrigerium pauperum potiſsimùm excogitatum, ſobrium quidem, & temperatum; ſed tamen humanum, & politicum. Per Miſſam autem Patres ſemper accipiunt actionem ſacram, & myſticam, in qua præcipua pars religionis noſtræ conſiſteret. Probabiliſsima eſt eorum ſententia, qui Miſſam dici volunt à miſsione, ſeu dimiſsione populi; vt idem ſit Miſſa, quod Miſsio: ſicut idem ſunt apud veteres collecta, & collectio; & Græcè συλλογὴ, & σύλλεξις; & peccati remiſſa, & remiſsio. Quamuis autem à miſsione *Miſſa* dicatur, non tamen eam ſolam ſignificat; ſed traductum eſt inde vocabulum ad alia ſignificanda.

Sunt igitur apud Scriptores Eccleſiaſticos quinque Miſſæ acceptionis. 1. *Acceptio*
Primò accipitur ſimpliciter pro miſsione. Ità in noſtra Liturgia accipi- *Miſſæ.*
tur, cùm dicitur à Diacono: *Ite, Miſſa eſt.* Vt enim rectè exponit Alcuinus, ſenſus eſt; Iam dimiſsio eſt congregationis; abire omnibus licet.

Secundò, accipitur pro diuino officio lectionum, precum, & aliorum id 2. *Acceptio.*
genus, quod celebratur in Eccleſia ante dimiſsionem Catechumenorum.

Tertiò, accipitur pro illa parte Liturgiæ, quæ eſt ab offertorio vſque ad fi- 3. *Acceptio.*
nem; quæ propriè dicitur *Miſſa fidelium.*

Quartò accipitur pro tota celebratione diuini officij, in quo Euchari- 4. *Acceptio.*
ſtia conſecrabatur, vt comprehendit ſimul Mſsiam Catechumenorum, & fidelium.

Quintò, accipitur pro ipſis collectis, ſeu precibus, quæ dicuntur in Litur- 5. *Acceptio.*
gia. Sed quarta ſignificatio eſt, in qua accipitur Nomen, *Miſſa*, cum quæritur: Vtrum Miſſa ſit ſacrificium? Eſt enim ſenſus: Vtrum actio illa ſacra in qua conficitur Euchariſtia, multis præcedentibus, & ſequentibus cæremonijs, ſit ſacrificium? Nec intelligimus quæſtionem eſſe; An ſinguli illi ritus ſint de eſſentia ſacrificij? ſed ſolùm; An inter illos ritus ſit aliquis, qui propriè ſacrificium dici debeat, ad quem reliqui omnes referantur?

CAPVT II.

De definitione, & diuiſione Sacrificij.

IN voce *Sacrificium*, non eſt quærenda etymologia, aut vulgaris aliqua ſignificatio; quæ notiſſima ſunt.

Definitio Sacrificij. Vera autem definitio ſacrificij propriè dicti eſt hæc: *Sacrificium eſt oblatio externa facta ſoli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſsionem diuinæ maieſtatis à legittimo miniſtro res aliqua ſenſibilis, & permanens ritu myſtico conſecratur, & tranſmutatur.*

1. Pars definitionis. Primò diximus eſſe *oblationem*, vt genus ſacrificij indicaremus: hoc enim loco ſacrificium accipimus pro actione ſacrificandi; non pro ipſa victima, quę ſacrificatur, tametſi ipſa etiam ſacrificium dici ſolet. Sacrificium igitur pro actione acceptum ſpecies eſt oblationis: id enim eſt ſacrificium, quod propriè, & per ſe ad actionem Sacerdotis pertinet. Porrò Sacerdotis proprium munus eſt offerre. *Hebr. 5.* *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona,* &c. Apud ſacros, & Eccleſiaſticos ſcriptores pro eodem accipitur offerre, & ſacrificare. *Gen. 4.* Sic, vbi Abel dicitur *obtuliſſe de primogenitis gregis ſui,* primùm fit mentio ſacrificij. *Gen. 8.* Noë etiam obtulit holocauſta. Eodem modo Scriptura paſsim loquitur.

2. Pars. Secundò diximus, *Externam oblationem* eſſe ſacrificium. Duplex enim oblatio, & largo modo duplex ſacrificium diſtingui poteſt: Inuiſibile, ſiue internum; & Viſibile, ſiue externum. Inuiſibile eſt pia voluntas, quæ diuinæ Maieſtati ſe, & ſua omnia offert. Viſibile eſt teſtificatio quædam externa interni affectus. Quamuis autem inuiſibilis oblatio ſit nobilior, & melior viſibili; & placeat Deo inuiſibilis ſine viſibili, viſibilis ſine inuiſibili Deo non placeat: tamen nomen, & ratio ſacrificij propriè non conuenit inuiſibili oblationi; ſed ſolùm viſibili, & externæ. Oblatio enim inuiſibilis ſemper eſt occulta, & priuata; nomine autem ſacrificij propriè omnes intelligunt publicum, & manifeſtum honorem Deo exhibitum à communi, & publico miniſtro.

3. Pars. Tertiò diximus: *Facta ſoli Deo.* Nam oblatio externa poteſt fieri etiam homini; vel homini, & Deo: vt, cùm dantur eleëmoſynæ pauperibus propter Deum; illę enim offeruntur hominibus, & ſimul Deo etiam, dicente Chriſto: *Matth. 25.* *Quam diu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* ſed non ſunt ſacrificia eiuſmodi oblationes: ſacrificium enim propriè pertinet ad cultum latriæ, qui ſoli Deo exhiberi poteſt. Vt enim eſt interior quidam cultus, quem ſoli Deo exhibemus, cùm eum agnoſcimus primum, & ſummum bonum, cauſam efficientem, & finalem omnium rerum, &, vt tali, cor noſtrum illi dimiſsiſsimè proſternimus; ſic etiam debuit eſſe externum aliquod ſignum,

quo

quo proteſtaremur cultum iſtum ſoli Deo debitum. Tale autem ſignum non eſt, niſi ſacrificium: nam omnis alia externa reuerentia, quam Deo exhibemus, ſiue caput nudando, ſiue genua flectendo, ſiue corpus totum proſternendo, ſiue etiam ſupplicando, & inuocando, ſolet etiam hominibus aliquando exhiberi. Vnde legimus: *Qui immolat Dijs, occidetur, præterquam Domino ſoli.* Idipſum etiam lumine naturali omnes gentes agnouerunt. Exod. 22.

Quartò diximus: *Ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſsionem diuinæ Maieſtatis.* 4. Pars.

Quoniam hic eſt finis generalis omnium ſacrificiorum: ſunt enim quaſi tributa, quæ Deo redduntur in recognitionem ſupremi dominij ipſius, & noſtræ ſubiectionis. Et hæc eſt etiam ratio, vnde laudem habet, & eſt opus virtutis, actio ſacrificandi. Nam ex ſe opera indifferentia ſunt, occidere, & cremare animalia, & ſimilia; ſed, cum illa fiant ad ſignificandum, omnia à Deo procedere, & in ipſius honorem conſumenda eſſe, iam ſunt opera religionis, & proinde bona, & laudabilia.

Quintò diximus: *A legitimo miniſtro.* Non enim eſt cuiuſque offerre ſacrificium, ſed publici, & certi hominis, qui communi nomine id peragat. In lege quidem naturæ Sacerdotes erant, vel capita familiarum; vt, Noë, Abraham; vel ij, quibus Deus id inſpirabat. In lege autem ſcripta ſoli filij Aaron. In lege gratiæ ſoli Epiſcopi, & Presbyteri ritè ordinati; vt omnia Concilia, omnes Patres, & omnium Eccleſiarum conſuetudo docet. Atque hinc excluduntur à ratione ſacrificij propriè dicti multæ oblationes priuatorum hominũ factæ ſoli Deo; vt, cum fideles candelas accendunt, & in templo conſumunt ad honorem Dei. 5. Pars.

Sextò diximus: *Res aliqua ſenſibilis, & permanens*; vt nimirum excludantur à ratione ſacrificij propriè dicti actiones tranſeuntes in honorem Dei factæ: quales ſunt pſalmodiæ, preces, genuflexiones, & alia, quæ fiunt à Sacerdotibus actu externo ad honorem Dei; & tamen ſacrificia propriè non dicuntur. 6. Pars.

Septimò diximus: *Ritu myſtico conſecratur.* Nam debet res illa, quæ offertur Deo, ex prophana fieri ſacra, & Deo dicata: id enim ſignificat ſacrificare, ſacrum facere. Iſta autem conſecratio, & dedicatio ſemper fiebat in lege veteri certo ritu, & cæremonia myſterium continente; vt impoſitione manuum ſuper victimam, vel eleuatione oblationis in altum. Et in hoc diſtinguitur ſacrificium à ſimplici oblatione, quę non requirit ex ſe vllam eiuſmòdi myſticam conſecrationem. 7. Pars.

Octauò diximus: *Et tranſmutatur.* Quia ad verum ſacrificium requiritur, vt id, quod offertur Deo in ſacrificium, planè deſtruatur, id eſt, ita mutetur, vt deſinat planè eſſe, quod antè erat: & in hoc maximè differt à ſimplici oblatione, quæ interdum ritu myſtico eleuabatur coram Deo; ſed non deſtruebatur, niſi quando verè ſacrificabatur. Ratio autem huius rei duplex eſſe videtur. Vna ob ſignificationem mortis Chriſti. Deus enim, qui primus ſine dubio inſpirauit Abeli, & alijs ſanctis viris vſum ſacrificiorum, voluit per ea ſacrificia ſacrificium omnium ſacrificiorum præſtantiſsimum adumbrari: illud autem morte, & deſtructione rei oblatæ conſtabat. 8. Pars.

Altera ratio eſt, quia ſacrificium eſt ſumma proteſtatio ſubiectionis noſtræ ad Deum, & ſummus cultus externus, qui exhiberi poſsit. Summa autem iſta proteſtatio requirit, vt non ſolùm vſus rei Deo offeratur, ſed ipſa etiam ſubſtantia; & ideò non ſolùm vſus, ſed ſubſtantia conſumatur.

Dubitatio. Sed vna occurrit dubitatio circa definitionem. Nam ſacrificium crucis, id eſt, Chriſti paſsio, & mors, veriſsimum, & perfectiſsimum ſacrificium fuit; & tamen non videtur ei dicta definitio conuenire. Nam (vt alia omittam) ratio ſacrificij à nobis deſcripta requirit, vt non ſit actio alicuius virtutis, niſi religionis: mors autem Chriſti actio fuit charitatis, patientiæ, fortitudinis, humilitatis, obedientiæ, vt Apoſtolus prędicat. *Rom. 5. Phil. 2. Hebr. 12. & alibi.*

Reſponſ. Reſpondeo; Sacrificium crucis propriè actum religionis fuiſſe. Chriſtus enim præcipuè in mortem ſe obtulit, vt eſſet oblatio, & ſacrificium Deo pro expiatione peccatorum totius mundi; vt ſacri ſcriptores paſsim docent, ac pręcipuè Apoſtolus: tamen nihil repugnat, quò minùs actus proprius religionis poſsit etiam participare multas alias virtutes: ſicut è contrario actus omnium aliarum virtutum religionis rationem participant, & ſacrificia ſuo quodam modo nominantur? Sicut enim ſi quis obedientiam ſuperiori præſtet ob Dei honorem, illa obedientia erit ſacrificium: ſic etiam ſi quis veram hoſtiam Deo offerat, quia id ei ſuperior imperauerit, actio illa obedientia dici poterit. Et quemadmodum eleēmoſyna pauperi propter Dei honorem data ſacrificium quoddam eſt: ſic etiam ſacrificiū pro peccato Deo oblatum miſericordia eſt. *Epheſ. 5. Heb. 7. 8. 9. 10.*

Obiectio. Dicet aliquis; Si res ita ſe habet, poterunt etiam Martyrum paſsiones verè, & propriè ſacrificia dici; licet ad charitatem, & fortitudinem potiſsimū pertinere videantur.

Reſp. Reſpondeo; Martyrum paſsiones ſacrificia dici poſſunt largo modo, vt omnia alia bona opera; non autem propriè, & in rigore, vt Chriſti paſsio. Differt enim paſsio Chriſti à paſsionibus Martyrum quatuor modis: ratione ſcilicet perſonæ, actus, formæ, & finis.

1. Differētia inter paſsiones Chriſti & Martyrū. Ratione perſonæ, quia Chriſtus verè, & propriè erat Sacerdos: *Tu es ſacerdos in æternum*: Et ſacerdos magnus, vt ait Apoſtolus, immò planè ſummus, & maximus, qui poſſet hoſtiam quamlibet ritè offerre, & ideò etiam corpus ſuum. Sancti autem Martyres vel ſacerdotes non erant; vel certè non tales, qui poſſent eligere victimam lege præſcriptam. *Pſal. 109. Hebr. 10.*

2. Differētia. Ratione actus, quia Chriſtus propriè ſeipſum ſacrificauit, cùm in eius poteſtate fuerit mori, & non mori. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*. Et: *Ego pono animam meam; nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam*. *Iſa. 53. Ioan. 10.*

Denique: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum*: id eſt, ſacrificium offero meipſum. Martyres autem nec poterant mori, quando volebant; nec etiam impedire paſsionem ſuam, & mortem, quando volebant. *Ioan. 17.*

3. Differētia. Ratione formæ, quia Chriſtus verè myſtico ritu ſacrificatus eſt; non enim caſu, ſed ex electione factum eſt, vt in die feſto Paſchæ, & in altari crucis, & manibus extenſis, & extra portam vrbis Ieroſolymæ pateretur. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius*. Et Paulus: *Quorum animalium infertur ſanguis pro peccato, horum* *Ioan. 13. Le. 7. 13.*

rum corpora cremantur extra caſtra; ita & Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. In mortibus Martyrum nihil eiuſmodi reperimus.

Ratione finis, quia ille fuit proximus, & principalis finis mortis Chriſti, placare Deum generi humano, qui eſt finis ſacrificij. *Pacificans per ſanguinem crucis*, &c. & idem clamant omnes Scripturæ. Quare omnia ſacrificia legis veteris figuræ erant, ac typi huius veriſsimi, & ſummè propitiatorij ſacrificij. Finis autem proprius mortis Martyrum non erat Deum placare, ſed teſtimonium veritati prębere; & ex genere ſuo mors Martyrum actus eſt fortitudinis, quia magis eligit vitam perdere, quàm fidem negare. *4. Differētia.* *Coloſ. 1.*

Iam Sacrificium propriè dictum duobus modis diuidi ſolet: ratione materiæ; & ratione formæ, & finis. *1. Diuiſio Sacrificij.*

Ratione materiæ diuiditur in tria genera; in Victimas, ſeu hoſtias; Immolationes, & Libamenta.

Victimæ ſeu hoſtiæ dicuntur ſacrificia ex animantibus, ſcilicet ouibus, capris, bobus, columbis, paſſeribus, & turturibus: nec enim vlla alia animantia ſacrificari poterant. Et quamuis hæc nomina generalia ſint, tamen apud Latinos deriuata ſunt ab ijs ſacrificijs, quæ offerebantur poſt victoriam de hoſtibus reportatam. Victima enim à victoria, & hoſtia ab hoſtibus dicta eſt, iuxta illud Ouid. *Victima ſeu hoſtia.* *Faſt. 1.*

Victima, quæ cecidit dextra victrice, vocatur
Hoſtibus à victis hoſtia nomen habet.

Immolationes dicuntur ſacrificia ex rebus inanimis, ſed ſolidis; vt ex farina, pane, ſale, thure: dicebantur autem immolationes à mola, ſiue à molendo. Quamuis deinde vocabulum immolandi ad omne genus ſacrificij deriuatum ſit: nam & in Scripturis ſanctis, & in prophanis auctoribus ſacrificare, & immolare pro eodem accipiuntur. *Immolationes.*

Libamenta dicuntur ſacrificia rerum liquidarum; vt vini, & aquæ. *Libamenta.*

Ratione formæ, & finis diuiditur in tria genera: in holocauſta, hoſtias pro peccato, & hoſtias pacificas. *2. Diuiſio Sacrificij.*

Holocauſta offerebantur propriè in reuerentiam diuinæ Maieſtatis; & ideò tota cremabantur, vt reſoluta in vaporem tota ſurſum aſcenderent in ſignũ, quòd, quidquid habemus, Dei eſt. *Holocauſta.*

Hoſtiæ pro peccato dicebantur eæ, quæ offerebantur pro expiatione peccati: & hæ partim cremabantur, partim à ſacerdotibus in ipſo atrio ſancto manducabantur. Erant autem multa genera hoſtiarum pro peccato, nam & variebantur pro varietate peccati, & pro varietate perſonarum. Aliud enim offerebatur pro periurio, aliud pro alijs peccatis: ſimiliter aliud pro Pontifice, aliud pro Rege, aliud pro Synagoga, aliud pro priuatis hominibus. *Hoſtia pro peccato.*

Hoſtiæ pacificæ, partim cremabantur, partim manducabantur à ſacerdotibus; partim ab ijs, qui donauerant. Erant autem duæ ſpecies pacificorum: Quædam enim offerebantur pro beneficio accepto; Quædam pro beneficio accipiendo, quæ hoc ſolùm differebant à ſuperioribus, quod iſtæ poterant etiam in craſtino manducari; illæ autem debebant conſumi ipſo die ſacrificij. *Hoſtia pacificæ.*

1.2.q.102. ar.3. Ex quo rectè colligit S.Thomas præſtantiſsimum ſacrificium fuiſſe holocauſtum, deinde ſacrificium pro peccato, tum ſacrificium pacificum pro benficio accepto, denique pro beneficio accipiendo. Maximè enim obligamur Deo honorem deferre ob ipſius infinitam maieſtatem, deinde ob offenſam in ipſum commiſſam, tum ob acceptum iam beneficium, denique ob ſperata beneficia.

Colligit ſecundò tribus illis generibus ſignificari tres fidelium ſtatus. Nam holocauſtum ſignificat ſtatum perfectorum, qui totos ſe Dei obſequio dedicant. Sacrificium pacificum ſtatum proficientium, qui Deo gratias agunt pro accepta iuſtificatione peccatorum, & petunt perſeuerantiam in bono: & ideò eius ſacrificij ſunt tres partes, vna crematur Deo, altera manducatur à ſacerdote, tertia ab offerente; quia perſeuerantia in bono acquiritur gratia Dei, miniſterio ſacerdotum, & merito iam proprio bonorum operum. Denique; Sacrificium pro peccato ſignificat ſtatum incipientium, ſeu pœnitentium, qui quærunt à Deo veniam peccatorum. Et quia iuſtificatio à peccatis non poteſt acquiri proprijs meritis, ſed ſola Dei gratia per miniſterium ſacerdotum: idcirco eius ſacrificij vna pars Deo offertur, altera ſacerdoti; nulla ipſi offerenti cedit.

CAPVT III.

Miſſam eſſe ſacrificium.

Quæſtio. QVAESTIO principalis non eſt de ſacrificio ſpirituali, ſeu improprio, ſed de externo, viſibili, verè, & propriè dicto; ac potiſsimum de ipſo genere ſacrificij propriè dicti, id eſt, de oblatione viſibili Deo facta miniſterio Sacerdotum.

Reſp. Catholici ſcriptores omnes in eo potiſsimum laborant, vt oſtendant in Miſſa offerri Deo verè, ac propriè corpus, ac ſanguinem Domini, ſub ſpecie viſibili panis, & vini.

Prob.1. Prob. autem primò ex Scripturis, ex quibus primùm locum obtinēt figuræ Teſtamenti veteris.

1. Figura. Gen 14. Pſal 109. Hebr.7. Prima eſt: *Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum; erat enim ſacerdos Dei altiſsimi.* Hunc locum ad Chriſtum ita referunt Dauid, & Paulus, vt non dicant Melchiſedechum figuram tantùm Chriſti geſsiſſe, quod etiam de Aarone dici potuiſſet; ſed Chriſtum ſacerdotem fuiſſe *ſecundum ordinem Melchiſedech*, & non ſecundum ordinem Aaronis.

Differentia prima inter ſacerdotium Melchiſedech, & Aaronicum. Porrò differentiæ duæ ſunt inter illa duo ſacerdotia, ex quibus argumenta duo peti poſſunt.

Prima, & potiſsima poſita eſt in externa ſpecie ſacrificij. Nam, etiamſi omnia ſacrificia veterum conueniebant in re ſignificata, cùm eundem Chriſtum crucifixum ſignificarent; tamen in ſignis erant diuerſa. Sacrificia enim Aaronica

Aaronica cruenta erant, & ſub ſpecie animantium occiſorum Chriſti mortem repræſentabant: Melchiſedechi ſacrificium incruentum fuit, & ſub ſpecie panis, & vini, eiuſdem Chriſti corpus, & ſanguinem figurauit. Quare, ſi Chriſtus ſacerdos eſt ſecundum ordinem Melchiſedech, & non Aaronis, ſacrificium inſtituere debuit incruentum, & ſub ſpecie panis, & vini. Quòd ſi ex vi ſacerdotij ſecundum ordinem Melchiſedech non certò colligeretur, vt certò colligitur, Chriſtum ſacrificare debuiſſe Hoſtiam in ſpecie panis, & vini; id tamen colligeretur ex vi typi, & figuræ. Fuit enim Melchiſedech in illa cæremonia panis, & vini, figura manifeſtiſsima conſenſu Patrum Chriſti Sacramenrum Euchariſtiæ inſtituentis in pane, & vino. Sed Melchiſedech panem, & vinum obtulir, vt ſacerdos Dei altiſsimi, ac proinde verè ſacrificauit; igitur & Chriſtus in inſtiturione Euchariſtiæ, vt ſacerdos, egit, & verè ſacrificauit; alioqui non exactè figuram illam impleuiſſet.

Altera differentia inter ſacerdotium Melchiſedechi, & Aaronis eſt: quod illud fuit vnius tantum hominis, qui nec ſucceſsit alteri, & cui nec ſucceſsit alter; iſtud autem fuit multorum, qui per mortem ſibi inuicem ſuccedebant. Quam differentiam Apoſtolus proſequitur, qui dicit Melchiſedechum fuiſſe ſine patre, & ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem. Et illa omnia ad Chriſtum applicans dicit eum eſſe ſacerdotem in æternum, qui nimirum nulli ſucceſſerit, & cui nullus debeat ſuccedere, cùm ſemper viuat, & cùm iurauerit Deus ſacerdotium ipſius non eſſe mutandum, aut transferendum in aliud, vt ſacerdotio Leuitico contigit. Quòd ſi ſacerdotium Chriſti durat vſque ad mundi conſummationem, (id enim Scriptura æternum vocat) certè & ſacrificij ritus durare debet; niſi fortè ocioſum habet Chriſtus ſacerdotium. At ſacrificium crucis ſemel tantùm peractum eſt, nec repeti ampliùs poteſt, cùm Chriſtus mori iam nequeat: ergò aliud ſacrificium eſſe oportet, quod iugiter offeratur, nec enim ſacerdos dici poteſt, qui nullum habet ſacrificium, quod offerat. Admittere igitur eſt neceſſe in Eccleſia veram eſſe ſacrificandi actionem, quæ Chriſto ſummo ſacerdoti per miniſtros ſuos tribuatur: qualis certè nulla erit, ſi Miſſæ ſacrificium auferatur è medio.

Differentia altera.

Hebr. 7.

Præterea; Ante Chriſti incarnationem, quia Chriſtus reipſa nondum erat ſacerdos, non poterat per ſe ſacrificium offerre: tamen vt etiam eo tempore ſacerdos dici poſſet, & eſſet ipſe vnus ab initio mundi vſque ad finem ſummus Sacerdos, eo modo, quo poterat, ſacrificium offerebat; nimirum per typos, & figuras. Vt enim omnia ſacrificia vetera figuræ erant ſacrificij crucis, & in omnibus illis victimis ipſe immaculatus agnus typicè mactabatur; (vnde dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*) ſic omnes illi ſacerdotes typi quidam Chriſti erant, & in omnibus ſacrificantibus ipſe ſacrificabat.

Apoc. 13.

Quòd ſi propter ſacerdotij æternitatem Chriſtus etiam ante Incarnationem eo modo, quo poterat ſacerdotio fungebatur, quantò magis poſt Incarnationem, quando reipſa à Patre eſt appellatus ſacerdos, & ſacerdos ſine ſucceſſore non debet vſque ad mundi conſummationem ab officio ſacrificandi ceſſar?

Exod. 12. 2. Figura. Altera figura eſt Agnus Paſchalis. De quo tale eſt argumentum: Celebratio Agni Paſchalis figura erat expreſſa celebrationis Euchariſtiæ. Sed illa immolatio quædam erat victimæ Deo oblatæ: ergò celebratio Euchariſtiæ immolatio victimæ Deo oblatæ eſſe debet, vt figura reſpondeat figurato.

1. Cor. 5. Propoſitio prob. ex Script. *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Ex hoc loco certò conſtituere poſſumus Agnum Paſchalem, qui & Paſcha dicitur in Euangelio, figuram immolationis Chriſti fuiſſe. Quando autem fuerit impleta, non ita certò ex hoc loco conſtituere poſſumus. Dicent enim aduerſarij Apoſtolum loqui de immolatione in cruce facta, & de manducatione ſpirituali, quæ fit per fidem: ſed nos in inſtitutione, & celebratione Euchariſtiæ eſſe impletam probabimus.

Nam inprimis conſtat ex Euangelio Apoſtolos ante Chriſti paſſionẽ manducaſſe carnem Chriſti in nouiſſima cœna, & proinde manducaſſe verũ Agnum Paſchalem; ad cuius epulas nos hortatur Apoſtolus, cùm ait: *Itaq; epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Sed epulum ſequitur immolationem: prius enim agnus immolatur, poſtea comeditur. Debuit ergò præcedere immolatio Chriſti illam manducationem cœnæ, quam Apoſtoli fecerũt ante paſſionem Domini; non ergò ſola paſſio eſt immolatio de qua loquitur Paulus; ſed etiam conſecratio, & oblatio Euchariſtiæ. Præterea, vt ex eodem Euangelio conſtat, Dominus poſt cæremoniam Agni Paſchalis continuò ſubiunxit celebrationem Euchariſtiæ; neque diſtulit in aliud tempus, aut locum, vt apertè oſtenderet ſe noua illa cęremonia imponere finem cęremoniæ veteri.

Deinde, ſi conſideremus circumſtantias vtriuſque celebrationis, videbimus nullam figuram à Chriſto manifeſtiùs impletam, quàm iſtam. Agnus Exod. 12. Paſchalis 14. die menſis primi ad veſperam immolari debuit, & fuit hæc circumſtantia ſummè neceſſaria: Euchariſtiam Chriſtus inſtituit hoc ipſo tempore. Secundò: Agnus immolabatur in memoriam tranſitus Domini, & liberationis populi de Ægypto: Euchariſtia celebratur in memoriam tranſitus Domini per paſſionem ex hoc mundo ad Patrem, & noſtræ liberationis de poteſtate Satanæ quę per ipſam Chriſti mortem facta eſt. Tertiò: Agnus immolabatur, vt manducaretur & eſſet quaſi viaticum peregrinorum; nam ideò manducabatur à Iudęis habitum peregrinorum præ ſe ferentibus cum baculo, & calceis, &c: Euchariſtia quid eſt aliud, niſi refectio, & viaticum peregrinantium ad veram, ac cęleſtem patriam? Quartò: Agnus non poterat manducari, niſi à circumciſis, & mundis, & in Ieruſalem: Euchariſtia non poteſt ſumi, niſi à baptizatis, & mundis, & intra Eccleſiam Catholicam exiſtentibus.

Neque poteſt dici, quod figura iſta impleta ſit in paſſione Domini: poteſt quidem dici immolatio Agni Paſchalis figura paſſionis Chriſti, ſi nam Agnus ille figura eſt Euchariſtię, & Euchariſtia eſt repræſentatio paſſionis, quis neget etiam agnum illum fuiſſe figuram, & repręſentationem paſſio-
Ioan. 19. nis? Quare videmus Euangeliſtam reddere cauſſam, cur non fuerunt

Chri-

Chriſti crura in paſsione fracta, quia ſcriptum eſt de Agno Paſchali: *Os non comminnetis ex eo.* Magis tamen immediatè, & principaliter cęremonia Agni Paſchalis figura fuit Euchariſtiæ, quàm paſsionis. Paſsio enim non incidit in diem 14. nec in veſperam; ſed in meridiem diei 15. Neque fuit Chriſtus crucifixus in memoriam tranſitus alicuius, aut liberationis: neque in domo, aut in Ieruſalem; ſed extra portam, in aperto campo immolatus fuit. Denique; Non ſolum baptizati, & mundi, ſed etiam alij poſſunt, ac debent Chriſtum, vt in cruce immolatum, fide manducare: fides enim præcedit & Baptiſmum, & iuſtificationem.

Prob. etiam ex communi conſenſu Patrum Agnum Paſchalem Euchariſtiæ figuram fuiſſe.

Aſſumptio etiam, ſcilicet celebrationem Agni Paſchalis ſacrificium quod- Exod. 12.
damfuiſſe, prob. ex Script. *Immolate Phaſe.* Et infrà: *Victima tranſitus Domini* Numer. 9.
eſt. Et: *Ecce quidam immundi ſuper anima hominis, qui non poterant facere Phaſe, in die illo accedentes ad Moyſen, & Aaron, dixerunt: Immundi ſumus ſuper anima hominis, quare fraudamur, vt non valeamus oblationem offerre Domino, in tempore ſuo, inter filios Iſraël?* Et infrà: *Si quis mundus eſt, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo.* Ex his habemus Agnum Paſchalem verè, & propriè ſacrificiũ fuiſſe, cùm & victima, & ſacrificium in Scripturis abſolutè dicatur; & præterea quod offerri Domino per immolationem, quod eſt veri ſacrificij. proprium debuerit. Eodem modo loquitur Euangelium: *Et primo die azymorum,* Marc. 14.
quando Paſcha immolabant. Denique; quid clarius verbis Pauli: *Paſcha noſtrum* 1. Cor. 5.
immolatus eſt Chriſtus? Neque enim negabunt Chriſti paſsionem verum ſacrificium fuiſſe. Cur autem Paulus ſacrificium Chriſti Paſchæ immolationem appellaret, ſi non fuiſſet verum ſacrificium Agni Paſchalis immolatio?

Neque obſtat, quòd non offerebatur à ſolis Sacerdotibus, ſed à multis nõ Sacerdotibus. Nam hoc ſacrificium fuit inſtitutum antequam familia Aaron determinaretur ad ſacerdotium: & ideò, quantum ad hoc ſacrificium, manſit antiquum priuilegium, vt omnes patresfamilias ſacerdotio fungerentur.

Tertia figura eſt dedicatio, ac celebratio Teſtimenti veteris. Nam poſt 3. Figura.
datam legem in monte Syna, pepigit Deus fœdus cum Hebræis, ac promiſit Exod. 24.
illis multa bona, & ipſi viciſsim obedientiam mandatorum promiſerunt Deo. Sancitum autem fuit hoc fœdus ſolenni ſacrificio, & ſanguinis aſper-
ſione illis verbis: *Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus*; vt Hebr. 9.
Apoſtolus recitat.

Patet autem hanc figuram fuiſſe impletam in vltima cœna. Nam ex- Luc. 22.
preſſe Lucas, & Paulus dicunt: *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſan-* 1. Cor. 11.
guine. Matthæus, & Marcus dicunt: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti.* De- Matth. 26.
inde; Patres veteres apertè docent Chriſtum in vltima cœna condidiſſe Te- Mar. 14.
ſtamentum nouum.

Accedit poſtremò, quòd, ſi Teſtamentum Chriſti in cœna factum non fuiſſet, certè factum fuiſſet in cruce, vt quidam ſuſpicari videntur. At omnes

conci-

conditiones Teſtamenti in cœnam quadrant; nullæ in crucem.

Primò, Qui teſtatur, viuere debet vſque ad completum, & obſignatum Teſtamentum. Chriſtus in cœna ſemper vixit, in cruce mortuus eſt. Quare

Hebr. 9. rectè S. Paulus non ait Chriſti morte Teſtamentum nouum factum fuiſſe, ſed confirmatum: non enim teſtamentum valet, dum viuit, qui teſtatus eſt.

Deinde, Qui teſtatur, ſui iuris eſſe debet. Chriſtus in cœna ſui iuris erat, in cruce non modò captus, & vinctus, ſed etiam damnatus, & iam patibulo affixus erat.

Tertiò, Qui teſtatur, ſemper aliquid mandat hæredibus. Chriſtus in cœna:

Ioan. 15. *Hoc*, inquit, *eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem*. Et rurſum: *Hoc facite*. In cru-

Luc. 22. ce nihil mandaſſe legitur.

Quartò, Qui teſtatur, aliquid promittit, ſeu relinquit, idque nominatim

Numer. 31. ſolet exprimere, vt etiam perſonas, quibus relinquit. In cœna Dominus expreſsit remiſsionem peccatorum, quæ eſt promiſsio propria Teſtamenti no-

Luc. 22. ui: & expreſsit etiam hæredes, cùm ait: *Pro vobis, & pro multis*. In cruce nihil e-

Mar. 14. iuſmodi, excepta promiſsione ſoli latroni facta.

Quintò, Qui teſtatur, teſtes adhibet, & ſicut Moyſes, non teſtes quoſcunque, ſed ipſum populum conuocauit, cùm Teſtamentum vetus nomine Dei ſanciebat; ſic etiam Chriſtus teſtes, non quoſcunque, ſed ipſam Eccleſiam cõuocare debuit. Id fecit in cęna: aderant enim omnes Apoſtoli, qui Patriarchæ fuerunt, & veri Patres totius populi Chriſtiani. Ad crucem nec aderant, nec facilè conuocari potuiſſent.

Sextò, Qui teſtatur, ſolet diſertis verbis exprimere Teſtamentum ſe facere. In cruce Dominus Teſtamentum ne nominauit quidem: at in cœna expreſsit nomen Teſtamenti, & quidem illis ferè verbis, quibus olim Moyſes.

Heb. 9. Vt enim hic dixerat: *Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus*: Ita ille

Matth 26. dixit; *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*.

& Mar. 14. Septimò; Qui teſtatur, inſtrumentum publicum conficit, quod perpetuò vim habeat applicandæ hæreditatis. Id inſtrumentum Chriſtus in cęna confecit, dum Sacramentum inſtituit: in cruce nihil omnino eiuſmodi. Maneat ergò ratum, & certum in cęna Teſtamentum nouum conditum, & proinde figuram Teſtamenti veteris impletam.

Exod. 24. Hoc poſito ita argumentamur: Sanguis Teſtamenti veteris apud Moyſen erat ſanguis victimæ iam immolatæ, & verè, ac propriè ſanctificatæ; ergò ſanguis Teſtamenti noui apud Chriſtum eſt ſanguis victimæ immolatæ, & verè, ac propriè ſanctificatæ. Eſt autem ſanguis ille ſanguis Chriſti, vt ipſe dicit: *Hic eſt ſanguis meus*; ergò ipſe fuit victima in cęna immolata.

Neque reſponderi poteſt ſanguinem Chriſti in cœna fuiſſe ſanguinem vi-

Exod 24. ctimæ futuræ in cruce. Nam in Exodo priùs immolata eſt victima: deinde ſanguis aſperſus in populum illis verbis: *Hic eſt ſanguis*, &c. Ergò etiam Chriſtus priùs debuit ſe ipſe victimam facere, & immolare; deinde de ſanguine dicere: *Hic eſt ſanguis*, &c.

Præterea, Nulla ratio patitur, vt priùs ſanguis victimæ hauriatur, deinde victima immoletur, cùm è contrario ex immolatione ſanguis ſequatur. De-

Exod. 24. nique, Cum in figura Teſtamenti veteris tria inueniantur: Primò promul-

gatio

gatio legis coram populo: Secundò immolatio victimæ fœderalis, ſeu pacificæ: Tertiò aſperſio ſanguinis, & manducatio victimæ: & Chriſtus impleuerit primum, cùm ait: *Hoc eſt præceptum meum*, &c. Et tertium, cùm ait: *Comedite, Hoc eſt corpus meum; bibite, Hic eſt ſanguis meus*; quis credat prætermiſſum fuiſſe ſecundum, nimirum victimæ immolationem? Huc referri poſſunt omnia Script. diuinæ loca, vbi deſcribuntur varia ſacrificia veteris legis propriè dicta: illa enim omnia fuerunt typi, ac figuræ ſacrificij Euchariſtiæ. Ex quo ſequitur, vt etiam Euchariſtia verum ſacrificium eſſe debeat. *Ioan 15.* *Matth. 26.*

Secundò prob. ſacrificium Miſſæ ex vaticinijs Prophetarum. *Prob. 2.*

Primum eſt, vbi Propheta innominatus prædicit Heli Sacerdoti futurum aliquando tempus, vt ceſſet Sacerdotium ipſius, & patrum ſuorum, & ſurgat nouus Sacerdos, qui ambulet coram Chriſto Dei omnibus diebus. Quem locum exponunt de ſacerdotio, & ſacrificio Chriſtianorum, quod ſucceſsit Aaronico, & manebit vſque ad mundi conſummationem. *Sacrificium Miſſæ.* *1. Reg. 2.*

Secundum eſt: *Sapientia ædificauit ſibi domum, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* *Prou 9.*

Tertium eſt: *Cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in Hoſtijs, & muneribus.* Euſebius, & Hieronymus ex hoc loco probant legem eſſe tranſlatam, quandoquidem ſacerdotium eſt tranſlatum, cùm apud Ægyptios, id eſt, apud Gentiles ſacrificia Deo offerantur. *Iſa. 19.*

Quartum: *Et aſſumam ex ijs Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus.* Cui ſimile eſt illud: *Non interibit de Dauid vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël: & de Sacerdotibus, & de Leuitis non interibit vir à facie mea, qui offerat holocauſtomata*, &c. Hæc loca Hieronymus, & Theodoretus exponunt de Sacerdotibus Chriſti, qui perpetuò permanebunt vſque ad mundi conſummationem. Nec poſſunt aliter exponi, cùm apertiſsimè vterque Propheta loquatur de conuerſione Gẽtium, & ædificatione Eccleſiæ. *Iſa. 66.* *Hierem. 33.*

Quintum eſt in Daniële, vbi dicitur Antichriſtus ablaturus iuge ſacrificium: quem locum de ſacrificio Miſſæ exponit Hyppolitus Martyr. Nec obſtat, quòd Daniël loqui videatur de Antiocho: loquitur enim de Antiochô, vt figurã gerebat Antichriſti, vt patet ex collatione huius loci cũ Apocalypſi. *Dan. 8. 12.* *Apoc. 13.*

Sextum: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Hoc teſtimonium non poteſt intelligi de ſacrificio crucis, quia illud non offertur in omni loco, ſed ſemel tantùm in vno loco oblatum fuit: nec de ſacrificio aliquo Iudaico, quia Propheta dicit à Gentibus offerendũ, & apertè illud opponit ſacrificijs Hebræorum. Neque etiam de ſacrificijs Gentilium piorum, qui erant in mundo ante Chriſti aduentum, vt Melchiſedech, Iob, & ſimilium: hi enim viri ſancti inter Gentiles pauciſsimi erant; ac præſertim temporibus Prophetarum, quando idololatria mundum planè repleuerat, ita vt Dauid diceret: *Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.* Malachias autem contrario modo vaticinatur: *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnũ eſt nomen meũ in Gẽtibus.* Nec deniq; poteſt hic locus intelligi de ſacrificijs Gẽtiliũ idololatrarũ: *Malach. 1.* *Pſal. 75.*

non enim illa oblatio munda dici vllo modo poſſet, nec Deo vero offerebatur.
1. Cor. 10. *Quæ enim Gentes immolant*, inquit Apoſtolus, *Dæmonijs immolant, & non Deo.* Tota ergò controuerſia eſt; An Malachias loquatur de ſacrificio propriè dicto, quale in Eccleſia aut eſt Euchariſtia, aut nullum omnino eſt; an verò de ſacrificio impropriè dicto, quales ſunt orationes, laudes, bona opera, patientia in perſecutionibus, & ſimilia.

Probant autem Catholici verba huius Prophetæ intelligenda eſſe de ſacrificijs propriè dictis: Primò ex voce, qua Propheta vtitur: nam vocat abſolutè *Minhha*. Vbi duo ſunt conſideranda. Primò, Scripturam non ſolere nomen ſacrificij abſolutè ponere, cùm loquitur de ſacrificio impropriè dicto; ſed cum adiuncto aliquo, vt *ſacrificium laudis, ſacrificium iuſtitiæ, hoſtiam vociferationis*, &c. Hoc autem loco abſolutè ponitur oblatio munda. Deinde; Ipſa vox ſignificat propriè certum genus ſacrificij externi, quod ex ſimila, oleo, & thure conficiebatur: vt patet ex Leuitico.

Leuit. 2. 6. & alibi. Secundò probant ex illa voce: *Munda*: opponit enim Propheta oblationem Eccleſiæ mundam oblationibus immundis Iudæorum Sacerdotum. Quod argumentum duobus modis concludi poteſt. Primò ex opinione aduerſariorum: Opera bona, quæ à nobis procedunt, omnia ſunt immunda, cùm ſint peccata, & quidem mortalia natura ſua. Per oblationem igitur, quam Spiritus ſanctus mundam appellat, non debent intelligi opera noſtra, id eſt, ſacrificia impropriè dicta; ſed ſacrificium à Deo inſtitutum, quod ab ipſo Deo, non à nobis, vim ſuam habeat. Deinde; Propheta opponit ſacrificium ita mundum ex ſe, & generaliter, vt non poſsit malitia miniſtrorum fieri immundum, ei ſacrificio, quod facilè pollui poteſt, & quod non eſt ſemper mundum. Nam de ſacrificio Iudaico dicit: *Offertis panem pollutum.* Et: *Si offeratis cæcum, & claudum, nónne malum eſt?* &c. Vbi oſtendit ſacrificia illa potuiſſe pollui? Neque credibile eſt ita generaliter fuiſſe reiecta ratione pollutionis tantùm ex parte offerentium, quia eadem ratione & noſtrum reijci poſſet.

Præterea; Multi Hebræorum benè offerebant: quare, ſi ita eſſet cauſſa reiectionis, reieciſſet Deus in particulari iſta, vel illa, non ita in genere omnia. Quòd verò illis opponat ſacrificium mundum generaliter, & non obnoxiũ pollutioni, patet, quia dicit: *In omni loco offertur oblatio munda.* Nam ſi eſſet mundum ratione offerentium, non in omni loco offerri mundum diceretur, cùm in plurimis locis mali miniſtri, quòd in ſe eſt, ſacrificium polluant: ſed dicitur in omni loco offerri mundum, quia tale eſt in ſe, nec poteſt reuerà pollui ex malitia miniſtrorum. Inſuper; Si cauſſa repudiationis illorum ſacrificiorum eſt, quòd eſſent obnoxia pollutioni, certè opponi illis debebat oblatio non obnoxia pollutioni. At ſacrificia ſpiritualia, cùm ab opere noſtro pendeant, obnoxia ſunt pollutioni, & reipſa ſæpe polluuntur nõ minùs nunc à Chriſtianis, quàm olim à Iudæis. Ergò loquitur Propheta de ſacrificio Euchariſtiæ, quod vnum & ſolum verè eſt ſacrificium mundum, & quod nullius miniſtri malitia pollui poteſt, cum præcipuus Sacerdos ſit Chriſtus, & ipſe idem ſit ſacrificium.

Tertiò probant ex illis verbis: *Non accipiam munus de manibus veſtris*, &c. Hinc enim colligitur, oblationem Eccleſiæ non ſolùm eſſe mundam, ſed

etiam nouã, & quæ antea non fuerit: nã oblatio iſta mũda ſuccedit oblationibus Iudęorum, quæ occaſione pollutionis reprobantur. Non autem ſuccederet, ſi vna cum illis in vſu fuiſſet: debet igitur eſſe noua oblatio.

Præterea; Diſtinguitur à Propheta Gentilium à ſacrificio Iudęorum, proinde loquitur de ſacrificio nouo, & quod Iudæis in vſu non fuerit. Conſtat autem ſacrificia ſpiritualia precum, pſalmorum, & ſimilium, omnia fuiſſe apud Iudæos. Ergò, &c.

Quartò probant ex antitheſi contemptus, & gloriæ Dei. Dicit enim per Hebræos Sacerdotes contemptum, ac deſpectum fuiſſe nomen Dei: ſed per oblationem Gentilium glorificatum. Hebraici autem Sacerdotes Deum offendebãt in publico, & viſibili ſacrificio: ergò gloria Dei etiam naſci debuit ex publico, & viſibili ſacrificio. Alioqui maior fuiſſet contemptus illatus nomini Dei in ſacrificio Gentium: ille enim fuiſſet contemptus interior, & exterior, priuatus, & publicus; hæc autem gloria eſſet ſolùm priuata, & magna ex parte interior.

Quintò probãt ex antitheſi Sacerdotũ. Opponit enim Malachias nõ omni populo, ſed Sacerdotibus tantùm veteris legis non omnes Chriſtianos, ſed certos homines, qui propriè Sacerdotibus illis ſuccedunt: ergò non loquitur de ſacrificio ſpirituali, quod ab omnibus Chriſtianis offerri ſolet; ſed de ſacrificio propriè dicto, quod à ſolis veris Sacerdotibus offerri poteſt. Et quidẽ quòd loquatur de Sacerdotibus tantùm, non de omni populo, patet ex illis verbis: *Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum*, &c. Quòd autem illis opponat ſolos Sacerdotes, non autem omnem populum, patet ex eodem Propheta. Nam poſtquam dixerat: *Offertur nomini meo oblatio munda*, &c. exponit à quibus offerenda ſit iſta oblatio munda. *Purgabit*, inquit, *filios Leui*, *& colabit eos, quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt offerentes Domino ſacrificia in iuſtitia*, &c. Vbi per *filios Leui* non poſſunt intelligi Leuitæ Teſtamenti veteris, quia loquitur Propheta apertiſsimè de ſacrificio Eccleſiæ Chriſtianæ, & Sacerdotes Leuiticos iam reprobauerat. Et denique initio capitis legimus: *Ecce ego mitto angelum meum*. Quæ verba exponit ipſe Dominus de Ioanne Baptiſta, & inde cogimur totum hunc locum intelligere de aduentu Domini, & tempore Teſtamenti noui. Nec poſſunt intelligi per filios Leui omnes Chriſtiani, quia filij Leui vna tantùm pars erant in populo Dei, non totus populus: quare reſpondet ei pars quędam populi Chriſtiani, non totus populus. Et confirm. ex Iſaia, vbi diſtinguuntur Sacerdotes à populo Chriſtiano, cùm dicitur: *Aſſumam ex eis Sacerdotes*. Non igitur omnes Chriſtiani ſunt propriè Sacerdotes, ſed certi quidam ex eis aſſumpti; ac proinde Sacrificium propriè dictum eſſe debet, quod ab illis tantùm, & non ab omnibus offeratur.

Malach. 1. *Malach. 3.* *Matth. 11.* *Iſa. 66.*

Sextò accedat conſenſus veterum Patrum, qui locum hunc Malachiæ de ſacrificio Euchariſtiæ ſemper intellexerunt, non de operibus bonis, quæ ab omnibus fieri poſſunt.

Tertiò probatur Sacrificium Miſſæ ex nouo Teſtamento. Primò ex Ioanne, vbi Dominus ipſe vaticinium Malachiæ explicare videtur, cùm ait: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem.* Et paulò

Prob. 3. ſacrificium Miſſæ. *Ioan. 4.*

 pòſt

poſt: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem, in ſpiritu, & veritate.* Hoc enim loco per *adorationem* non intelligitur quæuis adoratio, ſed ſolennis, & publica per ſacrificium propriè dictum.

Id tribus argumentis comprobabimus, ſi prius oſtenderimus in Script. non eſſe inuſitatum, vt per adorationem intelligatur ſacrificium. Abraham inſtructus gladio, & igne ad ſacrificandum dixit famulis ſuis: *Expectate hic cum aſino; ego, & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Hoc loco, *adorare*, ſacrificare ſignificat: nam alioqui vbique adorare potuiſſet, ſi tantum per adorationem incuruatio quædam intelligeretur, ſed iuſſerat ei Dominus, vt in monte ſacrificaret, & eò proficiſcebatur ad ſacrificandū gladio, & igne inſtructus. Et: *Erant quidam Gentiles qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto.* Eunuchus etiam Æthiops venerat adorare in Hieruſalem. In his, & ſimilibus locis adoratio ſacrificium ſignificat: ideò enim ex longinquis regionibus homines in Ieruſalem veniebant, quia non poterant in alio loco Deo vero ſacrificia ritè offerri: adoratio autem ſimplex, vt etiam preces, vbique fieri poterant.

Gen. 22. Ioan. 12. Act. 8.

Primum ergò argumentum ſit à principali ſcopo totius illius loci. Quæſtionem propoſuerat Samaritana Domino de ſciſmate Iudæorum, & Samaritanorum: *Domine*, inquit, *video, quia Propheta es tu. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia in Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Iſta quæſtio neceſſariò de adoratione per ſacrificium intelligenda eſt. Nam (vt ex Ioſepho intelligi poteſt) ſciſma Iudæorum, & Samaritanorum exortum eſt ex eo, quòd Samaritani templum ædificauerunt in monte Garizim, & ibi ſacrificandum eſſe contendebant: Iudæi autem contrà docebant in ſolo templo Ieroſolymitano legittimè ſacrificari poſſe. Hanc igitur quæſtionem, quæ tunc multos vexabat. Samaritana Chriſto, vt Prophetæ, propoſuit.

L. 11. antiquitatum, c. 8.

Præterea; Ipſa verba Samaritanæ cogunt, vt per adorationem intelligamus ſacrificium: nam loquitur de adoratione alligata certo loco, & quæ alibi non rectè fiat: *Vos*, inquit, *dicitis, quia Ieroſolymis locus eſt, vbi adorare oportet*; Ac ſi dixiſſet: Vos Iudæi reprehenditis nos, quod extra Ieruſalem adoremus iuxta ritum Patrum noſtrorum, neque alibi, quàm in Ieruſalem licitam eſſe adorationem aſſeritis. At certè nunquam fuit apud Iudæos adoratio alligata certo loco; niſi ratione ſacrificij: ergò loquitur Samaritana de adoratione per ſacrificium: Quòd ſi hoc ita ſe habet, neceſſe eſt, vt etiam Domini reſponſio de adoratione per ſacrificium intelligatur; alioqui Dominus non ſatisfeciſſet quæſtioni propoſitæ. Senſus ergò eſt: Veniet tempus quando non erit alligata adoratio per ſacrificium, neque huic monti, neque Ieroſolymis, ſed in omni loco offeretur Domino ſacrificium. Et hoc eſt, quod prædixit Malachias. Illa autem verba: *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate.* Hunc ſenſum habent: Qui verum Deum colent, ſcilicet Chriſtiani, *adorabunt Patrem*, id eſt, Deo ſacrificabunt, *in ſpiritu & veritate*, id eſt, ſacrificio ſpirituali, & vero, non carnali, & typico, vt Iudæi faciebant. Opponitur enim ſpiritus carni, & veritas figuræ. Erant autem ſacrificia Iudaica carnalia, quia in mactatione carnis, & ſanguinis effuſione conſiſtebant, & ſimul typi, & vmbræ erant futurorum. At Euchariſtia ſacrificium eſt ſpirituale, qui per Spiritum

ſanctum,

ſanctum, & verba conſecrationis efficitur, & ſimul eſt verum, & impletiuum veterum figurarum. Nam & ſi eſt etiam typicum reſpectu ſacrificij crucis; tamen reſpectu ſacrificiorum Iudaicorum non typicum, ſed verum eſt dicendum. Ita exponunt has voces Chryſoſtomus, Cyrillus, Euthymius in hunc locum. Poſſunt tamen etiam diſtingui illæ voces, vt Theophylact. & S. Thomas *in commentar.* diſtinguunt, vt ſpiritualis cultus opponatur cultui carnali Iudæorum: verus autem opponatur cultui falſo Samaritanorum, qui reuerà non legittimè, & per hoc non verè Deum colebant ſacrificijs ſuis.

Secundum argumentum ducitur ab illis verbis: *Venit hora, & nunc eſt.* Hæc enim verba manifeſtè ſignificant Dominum loqui de adoratione noua, quæ antea non erat, & quę initium haberet à Chriſto. At adoratio ſimplex, & omnia ſacrificia impropriè dicta, vt Hymni, preces, eleëmoſynæ, ſemper in vſu fuerunt, tum in lege, tum etiam ante legem.

Tertium argumentum ſumitur ex eo, quòd ſine dubio loquitur Dominus de adoratione externa, publica, & ſolenni; non de interna, & priuata. Nam & quæſtio Samaritanæ id poſtulat; & Dominus apertiſsimè loquitur de adoratione apud Chriſtianos, quæ ſuccedat illi, quæ apud Iudæos non ſiebat legittimè, niſi in templo Ieroſolymitano; illa autem erat externa, publica & ſolennis.

Quartò prob. Miſſæ ſacrificium ab inſtitutione, & prima celebratione huius myſterij. Eſt autem argumentum eiuſmodi: Chriſtus in vltima cęna ſe ipſe ſub ſpecie panis, & vini obtulit Deo Patri, & idipſum iuſsit fieri ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus vſque ad mundi conſummationem. Sed hoc eſt ſacrificium verè, & propriè dictum obtuliſſe, & offerendum inſtituiſſe. Ergò celebratio Euchariſtiæ eſt ſacrificium propriè dictum. Aſſumptio argumenti extra controuerſiam eſt. Propoſitio prob. partim ex dictis, partim tribus argumentis. *Prob 4. Sacrificium Miſſæ. Mat. 26. Mar. 14. Luc 22. 1. Cor. 11.*

Primum: Chriſtus dixit; *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur:* vel vt habet Paulus: *Quod pro vobis frangitur.* Item: *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis funditur.* Et addit Matthæus: *In remiſsionem peccatorum.* Illa verba, *datur, frangitur, funditur,* non ſignificant dari, vel effundi Apoſtolis ad manducandum, & bibendum; ſed dari, & effundi Deo in ſacrificium. Non enim ait Dominus, vobis; ſed, *pro vobis.* *Luc. 22. 1. Cor. 11. Luc 22. Matt. 26.*

Præterea, Non dabatur, aut effundebatur cibus ille, & potus tunc, niſi Apoſtolis præſentibus, & tamen Dominus ait etiam: *Pro multis funditur.* Senſus igitur eſt: Pro vobis, & pro multis datur, & libatur Deo in ſacrificium propitiatorium, in remiſsionem videlicet peccatorum. *Ibid.*

Secundum argumentum ſumitur ex vera præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in cęna. Nam Chriſti corpus, & ſanguis in cœna ſumuntur, vt caro, & ſanguis victimæ pro nobis oblatæ. Ergò neceſſariò in ipſa cœna priùs immolantur, & offeruntur Deo, quàm à nobis ſumantur. Anteced. prob. Nam inprimis ideò in cœna ſeorſim conſecratur corpus, & ſeorſim ſanguis, vt intelligamus præſentiam corporis, & ſanguinis in cœna eſſe ad modũ occiſi, & mortui corporis. Deinde; Corpus, & ſanguis ſunt in cęna, vt cibus, & potus.

At caro, & ſanguis non ſunt apta ad cibũ, niſi priùs animal moriatur: Chriſtus autem non moritur, niſi per immolationem.

Tertium argumentum ſumitur ex Patribus, qui apertè dicunt Chriſtum in cœna ſeipſum Deo Patri ſub ſpecie panis, & vini obtuliſſe.

Prob. 5. ſacrificium Miſſæ. Act. 13. Quinto prob. ſacrificium Miſsæ, vbi S. Lucas refert ordinationem Pauli, & Barnabæ: *Miniſtrantibus*, inquit, *illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus; Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos.* Miniſterium enim illud Domino exhibitum non videtur aliud eſse potuiſse, quàm ſacrificium, & ſacrificium Miſſæ: aut enim hoc ſacrificium eſt in Eccleſia aut nullum. Signari autem illa voce, *Miniſtrantibus*, ſacrificium, prob. ex voce Græca λιτȣργούντων, quæ non ſignificat quodlibet miniſterium, ſed publicum. Neque ſignificare poteſt miniſterium verbi, aut Sacramentorum, quia iſta publica quidem ſunt, ſed non exhibentur Deo: hic autem dicitur; *Miniſtrantibus illis Domino.*

Præterea; Verbum illud, λιτȣργέω, licet poſsit accommodari ad ſacra, & prophana miniſteria, tamen cùm accommodatur ad ſacra, & abſolutè ponitur in Scriptura, vbique accipitur pro ſacrificij miniſterio, vt patet ex Luca, & epiſtola ad Hebræos. *Luc. 1. Hebr. 2. 8. 9. & 10.* Quare hoc loco Eraſmus, qui apud aduerſarios in precio eſſe ſolet, vertere auſus eſt; Sacrificantibus illis Domino. Et hinc etiam factum eſt, vt Græci Miſſæ celebrationem λιτȣργίαν appellent.

Prob. 6. 1. Cor. 10. Sexto prob. ex verbis Apoſtoli: *Fugite*, inquit, *ab idolorum cultura. Vt prudentibus loquor; vos ipſi iudicate, quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis* Domini *eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. Videte Iſraël ſecundum carnem; nónne, qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? quid ergò? dico, quòd idolis immolatum ſit aliquid, aut quòd idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non* Deo: *nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum.* Non *poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Ex his verbis tria argumenta colliguntur, Vnum ex comparatione menſæ Domini cum menſa Gentilium, & Iudæorum. Inde autem ſequitur menſam Domini eſſe etiam quoddam altare, & proinde Euchariſtiam eſse ſacrificium: nunquam enim altare propriè dictum erigitur, niſi ad ſacrificia propriè dicta. Alterum argumentũ ſumitur ex comparatione Euchariſtię cum ſacrificijs Gentilium, & Hebræorum. Quæ comparatio inepta ſit neceſſe eſt, & perperam ab Apoſtolo adducta, ſi Euchariſtia non eſt ſacrificium Deo immolatum.

Tertium ſumitur ex comparatione ſocietatis, quam habemus cũ Deo per manducationem Euchariſtiæ, cum ſocietate, quam habebant Gentiles cum idolis per manducationem idolothytorũ. Vtitur enim Paulus hoc argumento: Qui manducat idolothyta, fit particeps altaris idolorum; ergò conſentit in ſacrificium idolorum, immò fit ſocius immolantium idolis. Ergo eſt idololatra: ſacrificium enim eſt proprius actus latriæ. Quare oportebit etiam circa Euchariſtiam argumentari: Qui manducat Euchariſtiam, fit particeps altaris Domini; ergo conſentit in oblationem Euchariſtiæ Deo factam,

ctam, immo fit ſocius eam offerentium, ergo Deum hac oblatione cultu latriæ honorat.

Septimo prob. ſacrificium Miſsæ ex traditione Patrum. *Prob 7. ſacrificium Miſsa.*

Primum Caput teſtimoniorum ſumi poteſt ex nominibus *ſacrificij*, *hoſtiæ*, *victimæ*, & ex verbis, *offerre, immolare, ſacrificare,* quibus Patres vtuntur, cùm de celebratione Cœnæ Domini verba faciunt. Si enim exiſtimarent Euchariſtiam ſolum eſse Sacramentum, non etiam ſacrificium, nulla eſset cauſa, cur aliter loquerétur de Euchariſtia, quàm de Baptiſmo. Nuſquam autem Patres Baptiſmum, aut baptizare ita appellant. *1 Caput teſtimoniorũ.*

Alterum caput ſumitur ex ritu altarium erigendorum ad huius ſacrificij celebrationem: illa enim non ſolent erigi, niſi ad ſacrificia propriè dicta. Atqui veteres Patres ad celebrandam Euchariſtiam ſemper habuerunt altaria. *2. Caput.*

Tertium caput ſumitur ex vocabulo, *Sacerdos*; propriè enim ſacerdotes ordinantur ad ſacrificium: Atqui veteres Patres valdè frequenter hac voce vtuntur. *3 Caput.*

Neque obſtat, quod in nouo Teſtamento miniſtri Eccleſiaſtici non dicuntur Sacerdotes. *Obiect.*

Nam tempore Apoſtolorum adhuc vigebat ſacerdotium Iudaicum, & ſacrificia cruenta offerebantur in templo Ieroſolymitano; & ideò Apoſtoli (Domino inſpirante) non vtebantur nominibus *Sacerdotis*, *ſacrificij*, *templi*, *altaris*, & ſimilium, vt faciliùs diſtinguerent Chriſtiana ſacra à Iudaicis; & ne putarentur, ſi iiſdem vterentur vocibus, eoſdem illos ritus innouare, aut confirmare. Sed paulò poſt euerſo templo Ieroſolymitano, & ceſſantibus omnino ſacrificijs Hebræorum, liberè cœperunt antiquiſsimi Patres vti nominibus, *templi*, *altaris*, *Sacerdotis*, & *ſacrificij*, vt res ipſa poſtulabat. *Solut:*

Quartum caput ſumitur ex ritu celebrandi. Nam ex omnibus antiquis Liturgijs, quæ extant, Iacobi, Clementis, Baſilij, Chryſoſt. ; & ex libro 5. & 6. de Sacramentis Ambroſij; & ex Catecheſi 4. & 5. myſtagogica Cyrilli Ieroſolymitani, qui magnam partem Liturgiæ exponunt; clariſsimè patet veteres Patres eo ritu celebraſſe Euchariſtiam, vt nihil dubitauerint eam eſſe veriſsimum ſacrificium: plena ſunt enim nominum oblationis, ſacrificij, victimæ, ſignorum, benedictionum, eleuationum, aliorumque eiuſmodi rituum. *4 Caput.*

Quintum caput ſumitur ex ijs, pro quibus veterés ſacrificium offerebant. Nam, ſi Euchariſtia nihil eſset aliud, niſi Sacramentum, certè non prodeſſet, niſi ſumenti, & manducanti: ſicut Baptiſmus non prodeſt alijs, quàm qui baptizantur. At vero Patres non ſolùm in Liturgijs citatis offerunt Euchariſtiam pro peccatis, pro viuorum, & defunctorum, pro pace, pro incolumitate, pro omnibus denique neceſsitatibus, tum ſpiritualibus, tum corporalibus; ſed etiam in alijs libris paſsim docent id fieri debere. *5. Caput.*

Poſtremo prob. ſacrificium Miſsæ ex ipſa ratione. *Prob 8. ſacrificium, Miſsa.*

Prima ratio: Tanta coniunctio eſt inter legem, ſeu religionem, & ſacrificium externum, ac propriè dictum, vt omnino neceſſe ſit, aut legem, & religionem verè, & propriè in Chriſti Eccleſia non reperiri; aut ſacrificium quoque *1. Ratio.*

quoque externum, & propriè dictum in Chriſti Eccleſia reperiri: Nullum autem eſt, ſi Miſſam tollas. Eſt igitur Miſſa ſacrificium externum, & propriè dictum.

Propoſitio prob. primò ex eo, quòd ferè omnis religio, ſeu vera, ſeu falſa, omni tempore, & loco, ſemper ad cultum Dei ſacrificia adhibuit. Hinc enim colligitur id prodire ex lumine, & inſtinctu naturæ, & eſſe primum quoddā principium à Deo nobis ingenitum.

Prob. ſecundò: Sacrificium cum ipſa religione natum eſt, & cum illa extinguitur: eſt igitur inter ea coniunctio quædam planè neceſſaria. Anteced. patet. Nam primi homines, qui Deum coluiſſe leguntur, filij Adami fuerunt,
Gen. 4. Cain, & Abel: illi autem ſacrificia obtuliſſe leguntur. Deinde; Mundo per diluuium abolito, cùm iterum renouaretur religio, ſimul renouata ſunt ſacrifi-
Gen. 8. cia per Noë. Et deinde, cùm ob varias perſecutiones religio vera in periculum adduceretur, nihil Prophetæ magis lamentabantur, quàm ſacrificiorum ceſ-
3. Reg. 19. ſationem. Elias: *Dereliquerunt pactum tuum filij Iſraël, altaria tua deſtruxerunt, &*
2. Paral. 15. *Prophetas occiderunt.* Azarias: *Tranſibunt multi dies in Iſraël abſque Deo vero, & abſque*
Dan. 9. *Sacerdote, Doctore, & abſque lege.* Tres pueri: *Non eſt in tēpore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque lo-*
Dan 12. *cus primitiarum apud te, vt poßimus inuenire miſeri cordiam tuam.* Et alibi dicitur Antichriſtus ablaturus iuge ſacrificium, nimirum, vt religionem penitus tol-
Hebr 7. lat. Denique; Apoſtolus dicit populum ſub ſacerdotio Leuitico accepiſſe legem, & deinde addit translato ſacerdotio neceſſe eſſe, vt & legis translatio fiat.

Prob. tertiò: Sacrificium propriè dictum eſt cultus proprius Dei, id eſt, qui ſoli illi omnium conſenſu debetur. Ergò nulla poteſt eſſe ſine illo religio. Nam religio ad colendum Deum inſtituitur: non autem colit Deum, ſed ignominia illum afficit, qui cultum illi ſoli debitum ei non exhibet.

Prob. autem argumenti aſſumptio: nam ſi vllum aſsignari poſſet ſacrificium aliud, id eſſet ſacrificium crucis. Quamuis autem illud veriſsimum ſacrificium fuerit, probabimus tamen non eſſe tale, quale requiritur ad legem, ſeu religionem conſtituendam, & conſeruandam; qualem in terris vſque ad mundi conſummationem Chriſtus eſſe voluit.

Prob. primò, quia ſacrificium crucis non eſt proprium Chriſtianæ religionis, ſed commune omnibus veris religionibus, quæ ab initio mundi fuerunt. Nam & in lege naturæ, & in lege ſcripta omnia ſacrificia in hoc vnum reſpiciebant, & hoc vnum profitebantur; & quotquot iuſti fuerunt ab initio mundi, ob huius ſacrificij participationem iuſti fuerunt: non ergo diſtinguitur Chriſtiana religio ab antiquis per ſacrificium crucis.

Prob. ſecundò: Sacrificium crucis ſemel peractum eſt, ac deinde deſijt eſſe; neque manſit poſtea, niſi per effectum, & virtutem; immo nunquam fuit tempore Chriſtianæ religionis. Ea enim poſt Chriſti mortem propriè cępit: at ſacrificium proprium religionis debet ipſam perpetuo comitari.

Prob. tertio: Religio quæuis ſacrificium externum, ac viſibile requirit, ad quod homines illius religionis peragendum conueniant, & quod ab ipſis frequentari poſsit. At nihil huiuſmodi in ſacrificio crucis reperitur. Eſt enim

reſpe-

reſpectu Chriſtianorum inuiſibile, cum ſola fide, non oculis, cernatur; vnde nec ad illud conueniri poteſt à populis: nec, etiamſi cerneretur, à populo, vel ſacerdotibus Chriſtianis frequentari poſſet; non enim fas eſſet, vt Chriſtum Chriſtiani toties interficerent.

Prob. quartò: Sacrificium Chriſtianæ religionis debet eſſe ritus quidam à Deo Chriſtianis præceptus. At Chriſti occiſio, quæ dicitur ſacrificium crucis, neque ritus dici poteſt, cùm fuerit ipſa veritas, quam omnes ritus adumbrant: & multò minus ritus Chriſtianis præceptus dici poteſt; niſi quis velit nobis à Deo imperatum ſummum ſcelus, Chriſti videlicet interfectionem, & mortem. Et denique, minimè omnium cultus latriæ dici poteſt, cùm potius Chriſtum occidere ſummum ſacrilegium dici debeat. Accedant teſtimonia Patrum, qui dicunt ſacrificium Euchariſtiæ, eſſe vnicum, & ſingulare ſacrificiũ Chriſtianorum.

Secunda ratio: In populo Iudaico fuerunt ſacrificia propriè dicta; Ergò & in populo Chriſtiano eſſe debent. Anteced. extra controuerſiam eſt. *2. Ratio.*

Prob. conſeq. primò: Chriſtus non omnino ſuſtulit ea, quæ Deus in veteri lege inſtituerat; nec enim contrarius erat Patri ſuo, aut ſibi ipſi; ſed aut perfecit, aut mutauit in meliora; vt patet in præceptis, & Sacramentis. Nam præcepta non ſuſtulit, ſed explicuit, & conſilia addidit, quæ ad præceptorum obſeruationem conducunt. Sacramenta etiam Circumciſionis, Agni Paſchalis, & ſimilia non ſuſtulit; ſed mutauit in alia verè, & propriè dicta Sacramenta, ſed pauciora, faciliora, præſtantiora. Ergò eodem modo ſacrificia non debuit tollere de medio, ſed mutare. *Matth. 5.*

Prob. ſecundò: Sacrificium eſt ſummus cultus, qui Deo tribui poſsit. Nam ſine controuerſia res verbis præſtant; & inter res, ſacræ prophanis; & inter ſacras, publicè priuatis; & inter publicas eæ, quarum ipſa ſubſtantia in Dei honorẽ conſumitur, quã eæ, quarum ſolus vſus. Tale autẽ eſt ſacrificiũ propriè dictum. Quare, ſi hoc genus cultus fuiſſet in veteri lege, & non in noua, fuiſſet Deus in veteri lege longè maiori honore affectus, quàm in noua: & proinde Chriſtus Patris ſui non gloriam, ſed ignominiam procuraſſet.

Prob. tertiò: Cauſſæ, cur pop. Iudæorum ſacrificia externa, & propriè dicta habuerit, omnes inueniuntur etiam in populo Chriſtiano. Habuerunt illi ſacrificia externa, & viſibilia, quia & ipſi populus erant externus, & viſibilis; nempe non ex ſolo ſpiritu, ſed ex carne, & ſpiritu conſtans. Habuerunt illi ſacrificia, vt Chriſti mortem, quæ eſt vnicum precium, & vnica ſalus noſtra, ſæpe repræſentarent, & commemorarent, cùm eam præſentem intueri non poſſent. Habuerunt illi ſacrificia, quibus Deum colerent honore ſummo, & ſoli illi debito. Habuerunt denique illi ſacrificia, vt Deum placarent, vel ab eo beneficia impetrarent, vel pro impetratis gratias agerent. Illa autem omnia etiam populo Chriſtiano conueniunt.

Prob. ſecundò: Reipſa Chriſtiani retinent omnia alia genera honoris, & cultus, quibus Hebræi Deum colebant, nimirum adorationem, inuocationẽ, votorum nuncupationem, Hymnos, Pſalmos, Cantica, dies Feſtos, Ieiunia, Eleëmoſynas, & ſimilia. Quis igitur ſibi perſuadere poſsit ſolum illud genus honoris, quod eſt proprium Dei, nobis à Chriſto prohibitum eſſe, cùm omnia

alia ſint ab eo permiſſa; preſertim cùm Chriſtus nihil ardentius procurauerit, quàm Dei gloriam, & honorem?

Prob. quintò: Sacrificia non ſunt primùm in lege Moyſis inſtituta, ſed ex lege naturæ ortum habent; vt patet ex ſacrificijs Abel, Noë, Melchiſedech, Iob, & aliorum: ergò, etiamſi Chriſtus abrogare voluiſſet omnia inſtituta legis Moyſaicæ, non tamen ſacrificia omnino abrogare debuiſset.

3. Ratio. Tertia ratio ſumitur ex differentia, quæ eſt inter Sacramentum, & ſacrificium. Nam commune eſt omnibus Sacramentis, vt ab alio dentur, ab alio accipiantur; neque vllus ſibi Sacramentum adminiſtret. Sic etiam, ſi Euchariſtia ſolummodò Sacramentum eſset, nemo ſibi eam miniſtrare poſſet: cuius tamen contrarium ſemper fuit in vſu, quòd attinet ad eos, qui Euchariſtiam conſecrant. Deinde; Sacramenta omnia in actione conſiſtunt, non in re aliqua permanente: ſola Euchariſtia nō in actione, ſed in re permanente conſiſtit. Cuius differentiæ vix alia ratio reddi poteſt, niſi quia Euchariſtia non ſolùm Sacramentum, ſed etiam ſacrificium eſſe debuit.

Denique; Nullum aliud Sacramentum continet reipſa corpus Chriſti, ſed ſolùm ſunt ſigna viſibilia continentia virtualiter gratiam ſanctificationis. Quare etiam Euchariſtia potuiſſet verè, & propriè Sacramentum eſſe, etiamſi Chriſti corpus reipſa non contineret. Quæ igitur cauſſa eſt, cur debuerit neceſſariò Euchariſtia Chriſti corpus reipſa continere, niſi vt poſſet verè, & propriè à nobis offerri Deo patri; & proinde ſacrificium eſſe verè, & propriè dictum?

4. Ratio. Quarta ratio ſumitur à conſenſu, & teſtimonio totius Chriſtianæ Eccleſiæ, Græcæ, Latinæ, Barbaræ; quæ ab annis mille floruit. Cùm ergò Miſſa habita ſit pro ſacrificio ab annis, vt minimum, mille, ſequitur neceſſariò, ſi non eſt verum, quod nos docemus, Primo, Eccleſiam totam perijſse, & Chriſtum ſponſam ſuam, & hæreditatem amiſiſſe: non enim Eccleſia Chriſti eſſe potuit, quæ palàm idololatriæ tot ſeculis ſeruiuit. Secundo, ſequitur falſa eſse vaticinia Prophetarum, Oſeæ, & aliorum, qui prędixerunt poſt Chriſti aduentum idololatriam ceſsaturam. Tertio, falſàm Chriſti promiſsionem: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et Angeli: *Regni eius non erit finis.* Quarto, falſam Apoſtoli ſententiam, Eccleſiam eſse *columnam, & firmamentum veritatis.* Quinto, Sanctos omnes, qui his poſtremis ſeculi plurimi vita, & miraculis claruerunt, idololatras, impios, & ſacrilegos fuiſse. Sexto, Deum, qui tam multa futura, & minùs neceſsaria illis reuelauit, hoc tamen myſterium ſummè neceſsarium nulli omnino, quamuis ſanctiſsimo viro, ante Lutherum reuelaſse. Quæ omnia abſurdiſsima ſunt.

Oſe. 2. Matth. 16. Luc. 1. 1. Timot. 3.

CAPVT

CAPVT IIII.

In qua parte Miſſæ propriè conſiſtat eſſentia ſacrificij.

DVO hic aperienda ſunt. Primum, quid ſit propriè ſacrificium Miſſæ, accipiendo ſacrificium pro re, quæ ſacrificatur. Deinde, quid ſit propriè ſacrificium Miſſæ, accipiendo ſacrificium pro actione ſacrificandi.

Propoſitio prima. *Negari non debet panem, & vinum aliquo modo in Miſſa offerri, & proinde pertinere ad rem, quæ ſacrificatur.* Id patet ex ipſa Liturgia: *Suſcipe, ſancte Pater, hanc immaculatam*, &c. Deinde veteres Patres paſsim ita tradunt. *Propoſitio 1.*

Propoſitio ſecunda: *Corpus, & ſanguis Domini ſunt id ſacrificium, quod in Miſſa propriè offertur, & ſacrificatur.* Hæc certiſsima eſt, & probata plurimis teſtimonijs. *Propoſitio 2.*

Propoſitio tertia: *Panis, & corpus Domini; vinum, & ſanguis Domini non ſunt duo ſacrificia ſed vnum.* Non enim offerimus Deo panem ſimpliciter ſed panem conſecrandum, & tranſmutandum in corpus Domini: neque offerimus corpus Domini abſolutè; tunc enim aut cruentum fieri deberet ſacrificium, aut reuerà ſacrificium nullum eſſet; ſed offerimus corpus Domini in ſpecie panis, & ex pane confectum. Itaque ſicut apud Hebræos offerebatur ouis viua, & offerebatur etiam mortua; & licet ſpecie differunt viuum, & mortuum; tamen vnum erat ſacrificium, non duo: nam ouis viua offerebatur cõſecranda per mortem Deo, & deinde per ignem abſumenda. Sic etiam, licet panis, & corpus Domini res ſint diuerſiſsimæ, ſi eorum natura conſideretur; vnum tamen ſacrificium faciunt; quod eſt panis in corpus Domini tranſmutatus, ſiue corpus Domini in ſpecie panis oblatum. Atque hinc eſt, quòd in Miſſa non offertur panis, vt ſacrificium perfectum; ſed vt inchoatum, & perficiendum; vt patet ex illis verbis: *Benedic hoc ſacrificium tuo ſancto nomini præparatum.* *Propoſitio 4.*

Propoſitio quarta: *Oblatio panis & vini conſecrationem præcedens ad integritatem, & plenitudinem ſacrificij pertinet: non tamen ad eſſentiam.* Quòd ad eſſentiam non pertineat, extra controuerſiam eſſe videtur. Nam oblatio vocalis non eſt ad ſacrificium neceſſaria: ſatis enim Deo ſe demonſtrat aliquid offerre, qui re ipſa offert. Et quamuis oblatio aliqua ad eſſentiam ſacrificij neceſſariò requiratur, non tamen neceſſe eſt, vt ea immolationem præcedat: ipſa enim immolatio oblatio eſſe poteſt. Quod autem ad integritatem quandam pertineat, inde patet, quòd in omnibus Liturgijs, quantumuis antiquis, ſeu Græcis, ſeu Latinis, pars actionis eſt oblatio rerum conſecrandarum. *Propoſitio 5.*

Et quamuis Dominus non iiſdem verbis panem conſecrandum obtulerit, quibus nos modò offerimus, tamen obtuliſſe aliquo modo apertè ſcribit Cyprianus, & colligitur ex illa cæremonia eleuandi oculos in cœlum, & gratias agendi, quam Dominum conſecrationi præmiſiſſe partim Euangeliſtæ, partim antiquiſsimæ Liturgiæ teſtantur.

L.2.epiſ.3.

Propoſ. 5. Propoſitio quinta: *Oblatio, quæ ſequitur conſecrationem, ad integritatem ſacrificij ſimiliter pertinet; non ad eſſentiam.*

Quòd non ad eſſentiam, prob. tum ex eo, quòd Dominus eam oblationem non adhibuit, immò nec Apoſtoli in principio; tum ex eo, quòd verba huius oblationis non dicuntur in perſona Chriſti, ſed in perſona ipſius Miniſtri, & Eccleſiæ; vt patet ex illis verbis: *Vnde & memores nos ſerui tui*, &c. Sacrificium autem in perſona Chriſti principaliter offertur. Itaque iſta oblatio conſecrationem ſubſequens eſt quædam teſtificatio, quòd tota Eccleſia conſentiat in oblationem à Chriſto factam, & ſimul cum illo offerat. Quòd autem ad integritatem pertineat, patet ex antiquiſsimis Liturgijs, quæ ſine dubio ab Apoſtolis originem ducunt. Nam & ſi Apoſtoli initio ſolam orationem Dominicam addidiſſe dicantur, tamen poſtea iidem ordinauerunt ritum celebrandi, & multa alia addiderunt, vt ex Liturgia Iacobi, & Clementis poteſt intelligi.

Propoſ. 6. Propoſitio ſexta: *Fractio Sacramenti ad eſſentiam non pertinet, ſed ſolum ad integritatem.* Quòd non ad eſſentiam, perſpicuum eſt ex ipſo vſu Eccleſiæ. Nam, ſi fortè, dum cum ipſo Sacramento ſignum crucis exprimitur ſuper calicem, panis conſecratus in calicem decidat, non ſolet frangi, ſed relinquitur ita integrum vſque ad ſumptionem; nec tamen ſacrificium irritum, aut eſſentialiter immutari creditur. Adde, quòd hac cæremonia Dominus non videtur fuiſſe vſus. Pertinere autem ad integritatem, perſpicuum eſt ex omnibus Liturgijs Græcis, & Latinis.

Propoſ. 7. Propoſitio ſeptima: *Sacramenti conſumptio, vt à populo fit, non eſt pars ſacrificij; vt autem fit à Sacerdote ſacrificante, pars eſt eſſentialis, ſed non tota eſſentia.* Quòd ad populi, ſumptionem attinet, res certiſsima eſt. *Qui enim edunt victimas, participes ſunt altaris*, vt Apoſtolus docet. Non eſt autem idem, offerre ſacrificium, & de altari participare. Conſumptio autem, quæ fit à Sacerdote ſacrificante, nõ tam eſt comeſtio victimæ, quàm conſummatio ſacrificij; & propriè combuſtioni holocauſti reſpondere cenſetur. Itaque adeò neceſſaria iudicata ſemper eſt ab Eccleſia, vt ſi fortè Sacerdos ante conſumptionem moriatur, vel alio modo à conſumptione impediatur, oporteat alium Sacerdotem illi ſuccedere, & ſacrificium conſummare. Quòd autem ſit pars eſſentialis, inde prob. quia in tota actione Miſſæ, nulla eſt alia realis deſtructio victimæ, præter iſtã: requiri autem realem deſtructionem, ſupra pobatum eſt. Vnde Abraham Patriarcha, licet filium iam colligaſſet, & ſuper aram conſtituiſſet, & manum ad mactandum ſuſtuliſſet, quia tamen defuit realis occiſio, non dicitur eum, niſi voluntate, ſacrificaſſe.

1. Cor. 10. Hebr. 13. Gen. 22.

Obiect. Solut. Neque obſtat, quod iſta conſumptio non videatur fieri in perſona Chriſti, qui tamen eſt primarius Sacerdos. Nam Chriſtus quidem non ſe ipſe manducat, neque immediatè conſumit Sacramentum: tamen ipſe poteſt dici conſumere,

mere, quia ad conſumendum tradit. Quemadmodum etiam in ſacrificio crucis Christus verè ſe ipſe ſacrificauit, quia occidendum obtulit, licet non ſe ipſe occiderit. Nam etiam in Teſtamento veteri de ratione holocauſti erat combuſtio, quæ tamen immediatè non à Sacerdote, ſed ab igne fiebat: ſed verè dicebatur Sacerdos cremare victimam, quando ignem illi ſubijciebat.

Propoſitio octaua: *Conſecratio Euchariſtiæ ad eſſentiam ſacrificij pertinet.* Hæc ſententia multos habet auctores; ſed non omnes eodem modo illam exponunt. *Propoſ. 8.*

Aliqui exiſtimant ideò in conſecratione conſiſtere ſacrificij eſſentiam, quia per conſecrationem fit vera, realiſque mutatio panis in corpus Chriſti: ſacrificium autem verum requirit eiuſmodi veram, & realem mutationem qua res deſinat eſſe ad Dei honorem. Sed hæc ſententia habet contra ſe non leuia argumenta. *Ratio vna.*

Nam Inprimis ſequetur propriè ſolùm panem triticeum ſacrificari. Id enim propriè ſacrificari dicitur, quod realiter mutatur, ita vt deſinat eſſe: at ſolus panis mutatur. Id autem abſurdiſsimum eſſe patet, quia ſic haberet Eccleſia ſacrificium inanimum, & vilius multo, quam habuerint olim Hebræi. *Refutatur primò.*

Deinde; Mutatio, quæ ponitur quaſi forma ſacrificij ſenſibilis, & externi, debet eſſe externa, & ſenſibilis. At mutatio panis in corpus Chriſti eſt omnino interna, & nullo ſenſu, ſed fide ſola perceptibilis. 2.

Tertiò; Non eſſet idem ſacrificium Eccleſiæ, & ſacrificium crucis, quoad rem oblatam: nec eſſet verum, quod Patres dicunt, in ſacrificio Miſſæ eundē eſse ſacrificium, & Sacerdotem: neque illud, ſacrificia Hebręorum fuiſſe multa, quia hodie vnum agnum, cras alium offerebant; noſtrum autem eſse vnū, quia ſemper eundem offerimus Chriſtum; nam & nos, ſi de pane agamus, non ſemper eundem offerimus. 3.

Alij volunt ideo in conſecratione ſacrificij eſsentiam conſiſtere, quod per eum verè, licet myſticè, & incruentè, immoletur Chriſtus. Nam, cùm vi verborum: *Hoc eſt corpus meum*, ſolùm Chriſti corpus ſine anima, & ſanguine incipiat eſse in altari; & vi aliorum verborum: *Hic eſt ſanguis meus*, incipiat ſanguis ſolus, & ſeorſim eſse in altari à corpore: & vbi eſt verum corpus à ſanguine ſeparatum, ibi ſit vera immolatio quædam; certè ſequitur vi totius conſecrationis immolari verè Chriſtum: & tamē incruenta eſt immolatio, quia naturalis concomitantia impedit, quò minùs verè ſanguis, aut anima à corpore ſeparētur. Hæc ſententia nō videtur ita ſatisfacere, vt omnino animus quieſcat. *Ratio alia.*

Nam Inprimis verum, & reale ſacrificium veram, & realem mortem, aut deſtructionem rei immolatæ deſiderat: conſecratio autem non veram, & realem mortem, ſed myſticam tantùm efficit. *Refutatur primò.*

Præterea, Si per conſecrationem vera, & realis immolatio fieret, ea tamen non fieret in altari, ſed in cœlo. Nam immolatio ibi fieri dicitur, vbi animal viuum occiditur; ſiue, vbi diuiſio fit corporis ab anima, & ſanguine: porro diuiſio corporis Chriſti ab anima, & ſanguine, ſi qua fit per verba Sacramentalia, non fit in altari, ſed in cœlo. Ibi enim fieri debet diuiſio, vbi præexiſtit res ante diuiſionē: Chriſtus autem ante diuiſionem iſtā in cęlo, non 2.

in altari præexiſtit. Itaque ſecundum hanc ſententiam immolatio non fit in altari, ſed tantùm partes rei immolatæ poſt immolationem in altari collocãtur. Quod eſt abſurdum.

3. Denique; Vel in Miſsa fit vera, & realis Chriſti mactatio, & occiſio; vel non fit. Si non fit, non eſt verum, & reale ſacrificium in altari: ſacrificium enim verum, & reale, veram, & realem occiſionem exigit, quando in occiſione ponitur eſsentia ſacrificij. Si autem fit; ergò verum erit dicere à Sacerdotibus Chriſtianis verè, & realiter Chriſtum occidi: at hoc ſacrilegium, non ſacrificium eſse videtur.

Ratio vera. His itaque omiſsis ita rem explicandam arbitror. In conſecratione Euchariſtiæ tria fiunt, in quibus ſacrificij veri, & realis ratio conſiſtit. Primùm, res prophana fit ſacra: panis enim, res alioqui terrena, & communis, per conſecrationem vertitur in corpus Chriſti, rem videlicet omnium ſacratiſsimam.

Obiec. Dices; Ex hoc ſequi videtur, vt panis ſolùm propriè ſacrificetur: nam, quod fit ſacrum ex prophano, id propriè ſacrificatur.

Solut. Reſpondeo; Quod ita fit ſacrum ex prophano, vt maneat, id ſine dubio propriè ſacrificatur: atque ideò apud Hebræos ouis ſacrabatur, & eadẽ ouis ſacrificabatur, quia manebat eadem etiam poſt mortem ſaltem quoad partem materialem, & ouis tam viua, quàm mortua dicebatur. At panis non manet, dum ſacratur. Secundò, in conſecratione res illa ſacra ex prophana effecta Deo offertur, dum in altari Dei collocatur. Nam victimam in altari ponere eſt reipſa illam Deo offerre; & quia vi conſecrationis fit, vt corpus Chriſti, & ſanguis incipiat eſse reipſa ſuper altare mediante manu Sacerdotis, ideò verbis conſecrationis vera, & ſolennis celebratur.

Obiect. Neque obſtat, quod non videatur eſse oblatio rei viſibilis; cùm tamen externa, & ſenſibilis victima requiratur in externo, & propriè dicto ſacrificio.

Solut. Nam corpus Chriſti non eſt victima in ſacrificio Miſsæ abſolutè; ſed vt eſt in ſpecie panis: in ſpecie autem panis plane viſibile eſt. Tertio, per conſecrationem res, quæ offertur, ad veram, realem, & externam mutationem ordinatur, & deſtructionem; quod erat neceſsarium ad rationem ſacrificij. Nam per conſecrationem corpus Chriſti accipit formam cibi; cibus autem ad commeſtionem, & per hoc ad mutationem, & deſtructionem ordinatur.

Obiect. Neque obſtat, quod corpus Chriſti nullam in ſe læſionem patiatur, neque eſse ſuum naturale amittat, cùm manducatur Euchariſtia.

Solut. Nam amittit eſse Sacramentale, & proinde deſinit realiter eſse in altari, deſinit eſse cibus ſenſibilis.

Prob. 1. propoſitio 8. His præmiſsis prob. propoſitio octaua. Primo, quia ſacrificium Miſsæ offertur in perſona Chriſti: nihil autem facit Sacerdos tam perſpicuè in perſona Chriſti, quàm conſecrationem, in qua dicit: *Hoc eſt corpus meum.*

Prob. 2. Secundo, quia Chriſtus ipſe aut conſecrando, aut conſumendo ſacrificauit: nam non eſt alia Chriſti actio, quæ ſacrificium dici poſsit, neque ante neque poſt conſecrationem.

Prob. 3. Tertio, quia Apoſtoli initio, ſi nihil addebant ad verba conſecrationis præter orationem Dominicam, neceſse eſt, vt conſecrando ſacrificarent:

neque

neque enim oratio Dominica ſacrificium dici poteſt.

Quartò, quia in conſecratione conſiſtit repræſentatio ſacrificij crucis. At ſimul eſſe debent ſacrificium reale, & ſacrificium repræſentatiuum: ſiquidem ipſum reale eſt alterius repræſentatiuum. *Prob. 4.*

Quinto, quia hæc eſt ſententia veterum Patrum. *Prob. 5.*

CAPVT V.

Quale ſacrificium Miſsa ſit.

QVATVOR ſunt ſacrificiorum genera. Vnum, quod in Scriptura dicitur *Holocauſtum*, quod etiam λατρευτικόν, & honorarium dici poteſt; cuius finis eſt, ſolus Dei cultus, & honor. Alterum dicitur in Script. *ſacrificium pro peccato*, quod etiam propitiatorium appellatur: cuius finis præter Dei cultum eſt propitiatio irati Dei, & peccatorum remiſsio. *Diuiſio Sacrificij.*

Tertium in Script. nominatur *pacificum*. Et hoc eſt duplex; Alterum Euchariſticum, id eſt, oblatum ad agendas gratias pro beneficio accepto; alterum, quod communi vocabulo impetratorium dici poteſt, cuius finis eſt impetratio beneficij. Docuit autem ſemper Catholica Chriſti Eccleſia ſacrificiũ Miſſæ non ſolùm propitiatorium eſſe pro pœnis, ſed etiam pro culpis; nec ſolũ pro culpis leuibus, ſed etiam pro grauibus, atque adeò mortalibus.

Præterea, non ſolùm impetratorium eſſe ſpiritualium beneficiorum, ſed etiam temporalium: & idcircò offerri poſſe pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuſcumque alijs neceſsitatibus. Facilè autem concedunt aduerſarij Miſſam eſſe ſacrificium εὐχαριστικόν, & λατρευτικόν.

Prob. verò ſacrificium Miſſæ propitiatorium eſſe. Primò teſtimonijs veteris Teſtamenti. Scriptura enim Teſtamenti veteris apertè docet fuiſſe in lege naturæ & Moyſis ſacrificia propitiatoria. Nam legimus S. Iob, qui in lege viuebat, quotidie pro peccatis filiorum ſuorum ſacrificaſſe Deo: & Deum ipſum iuſsiſſe, vt amici Iob ſacrificarent pro peccato ſuo. Deſcribuntur etiã in Leuit. varia ſacrificia pro peccato. Hæc, & ſimilia teſtimonia tripliciter probant ſacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium. *Prob. 1. ſacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium. Iob. 1. Iob. vlt. Leuit. 4. 5. 6.*

Primò, quia illa ſacrificia erant typi, ac figuræ huius noſtri ſacrificij.

Secundò, quia ſi ſacrificium crucis, quod eſt ſingulariter propitiatorium, non impedit, quò minùs illa vetera fuerint ſuo modo propitiatoria, nec impedire debet, quò minùs ſacrificium Eccleſiæ ſit propitiatorium. Nam ſacrificium crucis vim habet ab initio mundi, & habebit vſque ad mundi conſummationem; ac propterea, ſi impediret noſtrum ſacrificium, quò minùs eſſet propitiatorium, impediret etiam illa; & contrà, ſi illa non impediuit, nec noſtrum impedire debet.

Tertiò, quia ſacrificium noſtrum eſt verè, ac propriè dictum ſacrificium, non minùs, quàm vetera: eſt etiam commemoratiuum paſsionis Domini, vt-

vt illa; immò expreſsius, quàm illa: denique, continet hoſtiam Deo gratiorem, quam illa: quæ igitur cauſſa eſſe poteſt, cur illa propitiatoria dici poſſent, hoc non poſsit?

Prob. 2. Secundum argumentum ſumitur à verbis inſtitutionis. Nam verba illa: *Hic eſt ſanguis, qui pro vobis funditur in remiſsionem peccatorum*; apertiſsimè docent, Chriſtum obtuliſse in cœna ſacrificium pro peccatis Apoſtolorum. Idem autem eſt ſacrificium noſtrum cum illo, quod in cœna oblatum fuit: iuſsit enim Dominus Apoſtolis, vt idem poſtea frequentarent.

Præterea, Sacrificium Miſſæ & ſacrificium applicans promiſsiones Teſtamenti noui: nam ideò etiam Teſtamentum nouum appellatur. At inter promiſsiones noui Teſtamenti vna eſt de remiſsione peccatorum. Denique, fatentur Lutherani, vel potiùs contendunt Euchariſtiam eſse inſtitutam ad peccati remiſsionem: quare neceſse eſt, vt peccata remittat, vel vt ſacrificiū, vel vt Sacramentum. Et quidem, vt Sacramentum, non eſt propriè ad peccati remiſsionem inſtituta, ſed ad vitæ ſpiritualis conſeruationem. Nam, vt Sacramentum, non prodeſt, niſi ſumenti: ſumens autem probare ſe anteà iubetur, nec poteſt cum conſcientia peccati accedere, niſi iudicium ſibi manducare velit, & bibere. Ergò ſequitur, vt ad remiſsionem peccati inſtituta ſit Euchariſtia, vt ſacrificium eſt.

Ierem. 31. Hierem. 32. Hebr. 8. 1. Cor. 11.

Prob. 3. Hebr. 5. Tertium argumentum ſumitur ex Apoſtolo: *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Vbi videmus præcipuum munus ſacerdotis cuiuſlibet eſse offerre pro peccato. Si ergò habemus in Eccleſia ſacerdotium, & ſacrificium; neceſse eſt, vt ad peccata purganda illa habeamus.

Hebr. 10. Præterea, ſicut Apoſtolus dicit: *Vbi autem horum remiſsio, iam non eſt oblatio pro peccato*: ita nos è contrario dicere poſsumus: Vbi nondum facta eſt remiſsio, adhuc relinquitur hoſtia pro peccato.

Prob. 4. Prob. etiam veritas teſtimonijs antiquiſsimorum Patrum, & Cōcilij Bracarenſis III. quod ante Bedæ tempora celebratum fuit.

Sacrificium Miſsæ eſſe impetratorium, prob. 1. 1 Timot. 2. Iam verò Sacrificium Miſsæ eſse etiam impetratorium omnis generis beneficiorum, ac pro ijs etiam ritè offerri, facilè probari poteſt teſtimonijs Script.

Leuit. 7. 2. Reg vlt. 2. Mach. 3. 1. Eſd. 6. Primo, in Teſtamento veteri erant hoſtię non ſolum pro delicto, ſed etiā pacificæ, tum pro actione gratiarum, tum etiam votiuæ pro aliquo beneficio impetrando, vt patet in Leuitico, & alibi paſsim. Et Dauid obtulit pacifica pro peſte auertenda, & impetrauit. Onias obtulit hoſtiam ſalutarem pro vita temporali Heliodori, quam etiam impetrauit. Et Hebræi immolabant hoſtias pro vita Regis Darij, & filiorum eius. Quare, ſi verum eſt, quod ſcribunt Chryſoſtomus, Auguſtinus, Leo, omnes differentias hoſtiarum veterum vna Euchariſtiæ oblatione contineri; neceſſe eſt, vt Euchariſtia offerri poſsit, etiā pro impetrandis eiuſmodi beneficijs.

Prob. 2. 1. Timot. 2. Secundò, quod ſcribit Apoſtolus faciendas in Eccleſia obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, exponunt ſancti Patres de publicis precibus, quæ fiunt in Miſſa: & volunt Apoſtolum hoc

prę-

præcepiſſe, vt ſacrificium etiam offerretur pro temporali pace, & tranquillitate Eccleſiæ.

Tertiò, Liturgiæ omnes, Iacobi, Clementis, Baſilij, Chryſoſtomi, non ſemel inter offerendum præcipiunt orandum pro pace, pro copia fructuum, & pro alijs id genus temporalibus beneficijs. *Prob. 3.*

Quartò, veteres ſcriptores idem paſsim reſtantur. *Prob. 4.*

Quintò; ratio ipſa hoc docet: nam, ſi oblatio Euchariſtiæ pro peccatis dimittendis valet, certè etiam pro alijs neceſsitatibus, quæ ex peccato ortæ ſunt valere debet. Et, ſi Deus hoc ſacrificio placatus in gratiam cum ſuis inimicis redit, quanto facilius ob idem ſacrificium adducetur, vt amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat, ſi id eis vtile fuerit? *Prob. 5.*

Explicandum nunc; An ſacrificium Miſſæ ex opere operato vim habeat? & ſimul; Quæ ſit propria efficientia ſacrificij? *Quæſtio de efficacia ſacrificij Miſſæ.*

Nota ſacrificium Miſſæ à tribus offerri: A Chriſto, ab Eccleſia, & à miniſtro: ſed non eodem modo. Chriſtus enim offert, vt primarius Sacerdos, & offert per Sacerdotem hominem, vt per ſuum proprium miniſtrum. Eccleſia non offert, vt Sacerdos per Miniſtrum, ſed vt populus per Sacerdotem. Itaq; Chriſtus per inferiorem offert, Eccleſia per ſuperiorem. Sacerdos enim, quatenus talis, maior eſt reliquo populo, quippe qui, vt Mediator quidam, pro populo apud Deum intercedit; nec eſt propriè in ea re Miniſter Eccleſiæ, ſed Chriſti principalis Mediatoris. Ex quo etiam ſequitur, quod Eccleſia non propriè ſacrificet exercendo actum ſacerdotalem, ſed tantùm offerat Sacerdoti rem ſacrificandam, aut curet fieri ſacrificium, aut certè conſentiat in ſacrificium, & voluntate, ac deſiderio offerat, cùm Sacerdos offert.

Sit igitur prima propoſitio: *Sacrificium Miſſæ non habet vim ſolùm, aut potiſſimum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato.* Dicimus, *ſolùm*, quia negari non poteſt ſacrificium habere vim etiam aliquam ex bonitate, & deuotione Miniſtri ſacrificantis. Si enim cætera opera virtutum Deo placent, quatenus ab amico aliquo ſuo, & ex charitate, & deuotione procedunt, cur non placeat eadem ratione opus iſtud religionis præſtantiſsimum? Sed negamus hinc tantum, aut potiſsimum vim habere ſacrificium Miſſæ; atque aſſerimus vim præcipuè habere ex opere operato. *Propoſitio 1.*

Propoſitio ſecunda: *Sacrificium Miſſæ non habet vim ex opere operato ad modum Sacramentorum.* Explico. Non operatur ſacrificium efficienter, & immediatè, neque eſt propriè inſtrumentum Dei ad iuſtificandum. Id docet Concilium Trident. quod dicit per hoc ſacrificium peccata etiam ingentia dimitti, quia Deus hoc ſacrificio placatus gratiam, & donum pœnitentiæ concedit. Non igitur ſacrificium immediatè iuſtificat, vt Baptiſmus & Abſolutio faciunt; ſed donum pœnitentiæ impetrat, per quod homo peccator ad Sacramentum accedere velit, & per illud iuſtificetur. *Propoſitio 2.* *Seſſ. 22. c. 2.*

Prob. propoſitio primò, quia, ſi ſacrificium immediatè iuſtificaret, requireret neceſſario præuiam diſpoſitionem in eo, pro quo ſacrificum offerretur. Quod ſi verum eſſet, non liceret ſacrificium offerre pro ijs, quos ſcimus in peccato libenter manere; nec pro obduratis, & impœnitentibus: quorum tamen contrarium certiſsimum eſt. Peccarent etiam, qui pro ſe ſacrificium *Prob. 1.*

offerri peterent, niſi ſimul ſe ad gratiam recipiendam præpararent: quod falſum eſſe nemo dubitat.

Prob. 2. Secundò prob. ex ſacrificio crucis. Non enim maiorem vim habere poteſt ſacrificium Miſſæ, quam ſacrificium crucis; cùm ſacrificium Miſſæ vim ſuam habeat à ſacrificio crucis: ſacrificium autem crucis non efficienter, & immediatè iuſtificauit; ſed tantùm impetratoriè, & meritoriè; alioqui omnes homines continuò iuſti effecti eſſent, cùm Dominus pro omnibus ſe hominibus Deo in ſacrificium obtulerit. Præterea, quod non eſt in re, non poteſt efficienter operari: ſacrificium crucis non eſt in re, ſed ſolùm in mente Dei; proinde non operatur efficienter.

Prob. 3. Tertiò prob. quia ad peccatum immediatè tollendum inſtituta ſunt Sacramenta Baptiſmi, & Pęnitentiæ: illud pro infidelibus, hoc pro fidelibus; ſiue, illud pro originali, hoc pro actuali diluendo: non igitur credibile eſt ad eundẽ prorſus effectum inſtitutum eſſe aliud medium, ſiue aliam cauſſam à Deo, qui omnia facit in numero, pondere, & menſura.

Propoſitio 3. Propoſitio tertia: *Sacrificium Miſſæ vim habet per modum impetrationis; & eius propria efficientia eſt impetrare.*

Prob. 1. Prob. primò, quia hæc eſt efficientia ſacrificij in genere; & proinde huius etiam ſacrificij: ſacrificium propriè orantis, & ſupplicantis eſt, & ad Orationẽ

Oratione 2. in orationem Dominicam. iuuãdam adhibetur. Vt enim pulchrè Gregorius Nyſſenus explicat, προσευχὴ, id eſt, oratio, dicitur ab εὐχὴ, id eſt, votum; quia ſolent vota præmitti, id eſt, promiſsiones, & oblationes ante orationẽ, vt oratio facilius impetret. Quare ſicut oratio, licet poſsit eſſe meritoria, quatenus fit ab aliquo iuſto, & ex charitate; & ſimul etiam ſatisfactoria, quatenus eſt opus laborioſum; tamẽ ex ſe, & ex proprio officio impetratoria eſt: ſic etiam ſacrificium, quod eſt quædã oratio, vt ſic dicam, realis, non verbalis, propriè impetratorium eſt.

Prob. 2. Secundò prob. quia ſacrificium Miſſæ præcipuam vim habet, vt à Chriſto ſummo Sacerdote offertur. Chriſtus autem nunc nec mereri, nec ſatisfacere poteſt, ſed ſolum impetrare: ergo, &c. Atque hinc tria ſequuntur.

Primum eſt, diſcrimen eſſe inter ſacrificium Miſſæ, & ſacrificium crucis, quatenus à Chriſto vtrumque oblatum eſt. Nam ſacrificium crucis fuit meritorium, ſatisfactorium, & impetratorium verè, & propriè, quia Chriſtus tũc mortalis erat, & mereri, ac ſatisfacere poterat: ſacrificium Miſſæ propriè ſolum eſt impetratorium, quia Chriſtus nunc immortalis nec mereri, nec ſatiſfacere poteſt. Cùm autem dicitur propitiatorium, vel ſatisfactorium, id eſt intelligendum ratione rei, quæ impetratur. Dicitur enim propitiatoriũ, quia impetrat remiſsionem culpæ: ſatisfactorium, quia impetrat remiſsionem pęnæ: meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, & merita acquirendi. Quanquam non negauerim dici etiam ſatisfactorium, quòd ex Chriſti inſtitutione per ſacrificium hoc applicetur eiuſdem Chriſti paſsio ad pęnas tollẽdas, ſeu viuentium, ſeu mortuorum, quæ poſt culpam remiſſam aliquando remanent, vel in hac vita, vel in purgatorio luendæ.

Secundum eſt, ad ſacrificium Miſſæ, licet non ſit neceſſaria bonitas Miniſtri offerentis, tamen alicuius offerentis bonitatem neceſſario requiri. Sacrificium enim, cùm ad impetrationem tendat, & ſimile ſit orationi, ſine dubio

non

non poteſt placere, nec impetrare, niſi offerens placeat. Vnde dicitur: *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* *Gen. 4.*

Neque obſtat, quod in ſacrificio Miſsæ hoſtia, quæ offertur, ex ſe Deo gratiſsima eſt. Nam non res illa, ſed rei illius oblatio propriè ſacrificium eſt: ſacrificium enim eſt actio, non res permanens. Porrò licet res ipſa placeat ex ſe, tamen oblatio rei non placet, niſi offerens placeat; ac præſertim Deo, cuius ſunt omnia, & qui nulla re indiget. Vnde in Euangelio plus placuit Deo oblatio duorum minutorum à ſancta vidua facta, quam oblationes multorum aureorum nummorum ab hypocritis, & ſuperbis factæ. *Luc. 21.*

Tertium eſt, ſacrificium Miſsæ, vt à Chriſto offertur, vim habere ex opere operantis, ſed infallibiliter; quia placet ex bonitate offerentis Chriſti, quæ ſemper eſt eadem, & nec minui, nec creſcere poteſt. Vt autem offertur ab homine, vim habere ex opere operato; quia placet Deo, etiamſi homo, qui offert, Deo non placeat. Itaque quod eſt opus operantis reſpectu Chriſti, eſt opus operatum reſpectu Miniſtri. Abſolutè tamen, cùm dicitur Miſsa vim aliquam habere ex opere operantis, ſemper intelligitur de valore, quem habet ex bonitate Miniſtri, quia ipſe eſt, qui propriè operatur: Chriſtus enim non operatur, niſi per Miniſtrum.

Propoſitio quarta: *Valor ſacrificij Miſſæ finitus eſt.* Hæc eſt communis ſententia Theologorum; & prob. apertiſsimè ex vſu Eccleſiæ. Nam, ſi valor Miſſæ infinitus eſſet, fruſtra multæ Miſſæ, præſertim ad eandem rem impetrandam, offerrentur. Si enim vna infiniti valoris eſt, certè ad omnia impetranda ſufficiet. Confirmatur ex ſacrificio crucis, quod non alia de cauſſa vnum tantùm fuit, neque vnquam repetitur, niſi, quia illud vnum infiniti valoris fuit, & pretium acquiſiuit pro omnibus peccatis præteritis, & futuris remittendis. Sed licet res ipſa certa ſit, cauſſa tamen non eſt adeò certa. Mirum enim videtur, cur valor ſacrificij huius ſit finitus, cùm idem ſit hoc ſacrificium cum ſacrificio crucis; & cùm ipſa hoſtia, & offerens, Chriſtus, infinito modo ſint Deo grata, Videntur mihi ſaluo meliore iudicio tres eſſe cauſſæ huius rei. *Propoſitio 4.* *Prob.*

Prima ſumitur ex parte hoſtiæ, quæ offertur. Nam in ſacrificio crucis deſtruebatur ad honorem Dei ipſum eſſe naturale Chriſti in forma humana; in ſacrificio Miſſæ deſtruitur tantùm eſſe Sacramentale. Nobilius autem eſt, & magis precioſum eſſe naturale, quam eſſe Chriſti Sacramentale. Cæterum hęc ratio non reddit cauſſam, cur hoc finitum ſit; illud fuerit infinitum. Non enim eſt infinita diſtantia inter eſſe Chriſti naturale, & Sacramentale: neq; infiniti valoris fuit ſacrificiũ crucis, quia in eo deſtruebatur eſſe naturale humanitatis Chriſti; ſed quia eam deſtructionem ſponte patiebatur, & in ſacrificiũ offerebatur filius Dei, qui verè eſt infinitè Deo gratus, cum & ipſe ſit verus Deus.

Secunda igitur ratio efficacior eſt, quæ ſumitur ex parte offerentis. Nam in ſacrificio crucis offerens eſt ipſa perſona filij Dei per ſe; at in ſacrificio Miſſæ offerens eſt filius Dei per Miniſtrum. Multum autem intereſt inter actionẽ filij Dei per ſe, & per Miniſtrum: illa enim eſt actio immediatè producta à diuino ſuppoſito, iſta ab humano. Quare licet multò ſit gratior actio Miniſtri, quatenus ſit in perſona Chriſti, quàm ſi fieret in perſona propria: tamen ſine comparatione eſt gratior illa, quæ ſit immediatè ab ipſo Chriſto.

Tertia ratio ſumitur ex ipſa Chriſti voluntate. Nam etiamſi poſſet Chriſtus per vnam oblationem ſacrificij incruenti, ſiue per ſe, ſiue per miniſtrum oblati, quælibet à Deo, & pro quibuſcunque impetrare; tamen noluit petere, nec impetrare, niſi vt pro ſingulis oblationibus applicaretur certa menſura fructus paſsionis ſuæ, ſiue ad peccatorum remiſsionem, ſiue ad alia beneficia, quibus in hac vita indigemus. Cur autem id voluerit, non eſt noſtrum curioſius id inquirere. Videtur tamen id voluiſſe; tum, vt hoc modo frequentaretur hoc ſanctum ſacrificium, ſine quo religio non poteſt conſiſtere: tum etiã, quia id requirebat ordo diuinæ prouidentiæ. Quæ eſt etiam cauſſa, cur Chriſtus aſsiduè interpellet pro nobis in cœlo, cùm tamen videatur vnica interpellatione potuiſſe omnia ſtatim impetrare. Et ſimiliter cur precium infinitum, quod in cruce acquiſiuit, quo totus mundus continuo ſaluari potuiſſet, non niſi quibuſdam, & in certa menſura applicari voluerit: Horum enim omnium cauſſa eſt, quia voluit Chriſtus omnia fieri ſecundum ordinẽ diuinæ prouidentiæ.

CAPVT VI.

Pro quibus ſacrificium Miſſæ offerri debeat, aut poſsit?

6. Hominum genera. SEx hominum genera ſunt, de quibus dubitari poſſe videtur. Alij enim adhuc viuunt; alij mortui ſunt. Qui viuunt, aut ſunt membra corporis viua, aut mortua, aut nullo modo: id eſt, aut ſunt iuſti; aut peccatores, ſed fideles; aut denique impij, & infideles. Qui mortui ſunt, Alij in purgatorio, alij in cœlo iam degunt, alij etiam apud inferos æternis ſupplicijs addicti ſunt. Et de ijs quidem, qui intra Eccleſiam viuunt, & de ijs, qui ſunt in gehenna, nulla controuerſia eſt.

De ijs, qui in Eccleſia viuunt. Nam pro ijs omnibus, qui ſunt in Eccleſia, ſiue iuſti, ſiue peccatores ſint, Catholici omnes docent ſacrificium offerri poſſe, immò etiam reipſa quotidie offerri. Dicimus enim in Canone, *Pro omnibus Orthodoxis, & Catholicæ, atque Apoſtolicæ fidei cultoribus.*

De ijs, qui in gehenna. Pro ijs autem, qui ſunt in gehenna certum eſt ſacrificium offerri non poſſe: nam damnatorum ad gehennam & culpæ, & pœnæ ſunt irremiſsibiles.

De ijs, qui extra Eccleſiam viuunt. De ijs, qui viuunt, & extra Eccleſiam ſunt, facilè res explicari poteſt. Nam Inprimis conſtat eis, ſaltem indirectè, ſacrificium prodeſſe, & pro eis etiam indirectè offerri poſſe. Dum enim offerimus ſacrificium pro Eccleſia Catholica propaganda, vnienda, purganda, (quod certum eſt licere) ſimul indirectè offertur pro conuerſione infidelium, & hæreticorum.

Præterea, in libris noſtris Miſſalibus extat Miſſa propria ad tollendum ſchiſma: vbi, licet pro Eccleſiæ pace ſacrificium offeratur, tamen implicitè offertur

offertur pro ſchiſmaticis,vt videlicet conuertantur. Denique, in oblatione calicis,dum pro totius mundi ſalute orare iubemur, certè aliquo modo etiam pro infidelibus oramus.

Deinde,certum eſt,etiam ex natura rei,ſi nulla ſit prohibitio Eccleſiæ, licere offerre pro eiuſmodi hominibus. Nam ſacrificium crucis pro omnibus fuit oblatum,cur igitur non poſſet etiam Miſſa pro omnibus offerri? Deinde, in antiqua Eccleſia offerebatur pro Principibus,& Regibus, qui tamen omnes erant infideles. Quod enim Apoſtolus ait: *Obſecro igitur fieri orationes, &c.* communiter à Patribus exponitur de orationibus,quæ fiunt in ſacrificio.Et in lege veteri ſacrificabatur pro vita Regis Darij, & filiorum, & pro ſalute Heliodori gentilis.

1.Tim.2. *1.Eſd.6.* *2.Mach.3.*

Quamuis autem hæc ita ſe habeant,prohibuit tamen Eccleſia publicè orari pro excommunicatis,& conſequenter pro hæreticis,qui ſunt omnes excõmunicati:proinde etiam prohibuit ſacrificium pro eis directè, & expreſsè offerri. Sacrificium enim ſemper eſt publicum.

Cap. A nobis, De ſententia Excommunicationis.

Poſſe verò ſacrificari pro ijs,qui ſunt in purgatorio,prob.primò ex Teſtamenti veteris conſuetudine,& ex ipſa Script. auctoritate. Nam Iudas Machabæus iuſsit offerri ſacrificium pro peccatis mortuorum: & Script.hoc factum laudans apertè dicit: *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.*

De ijs,qui in Purgatorio, prob.1. *2.Mach.12.*

Prob.ſecundò ex conſuetudine Catholicæ Eccleſiæ vniuerſæ. Nam Eccleſia vniuerſa in ſacrificio Miſſæ pro defunctis orat. Patet id etiam ex omnibus Liturgijs,& Concilijs omnium Prouinciarum, in quibus fit mentio ſacrificij pro defunctis,tanquam recepti,& vſitati.

Prob.2.

Prob.tertiò ex Apoſtolica traditione. Nam conſtat hunc ritum ſacrificandi pro peccatis mortuorum ab Apoſtolis ad nos manaſſe. Quod etiam docet regula D. Auguſtini,quæ eſt,vt id certiſsimè credatur ex Apoſtolica traditione deſcendere,quod in omni Eccleſia ſeruatur,nec in aliquo Concilio inſtitutum,ſed ſemper ſeruatum,& retentum eſt.Talem autem eſſe hunc ritum,negari non poteſt. Nam in nullo Concilio inſtitutum, ſed ſemper ſeruatum fuiſſe,patet ex teſtimonijs antiquiſsimis Patrum eorum,qui omnia Concilia præceſſerunt,vbi fit mentio de ſacrificijs pro defunctis. Primum enim Concilium,in quo mentio huius rei habetur, eſt Carthaginenſe III. quod celebratum eſt circa annum Domini CD.XVII. At ſacrificij pro defunctis meminit Euſebius Cæſarien. qui fuit C. annis antiquior Concilio Carthaginen. Meminit etiam Tertullianus,qui fuit CC. annis eo Concilio antiquior. Meminit etiam Clemens,qui CCC. annis idem Concilium præceſsit.

Prob.3. *L.4 de Baptiſ. c.24.*

Quartò prob.ab hæreſi Aërij,quæ publicè in Eccleſia damnata fuit. Aërius enim docebat non eſſe pro mortuis ſacrificium offerendum.

Prob.4.

Quintò prob.teſtimonijs probatiſsimorum Patrum, Græcorum,& Latinorum.

Prob.5.

De Sanctis denique,qui in cęlis cum Chriſto regnant, an pro eis poſsit ſacrificium Miſſæ offerri, explicanda eſt Eccleſiæ ſententia.

De Sanctis.

Primò; Sacrificia non proſunt Sanctis ad culpæ, vel pœnæ remiſsionem; nec ad gratiæ,vel gloriæ eſſentialis augmentum. Et idcircò, cùm in noſtra

Liturgia petimus, vt oblatio Sanctis proſit ad gloriam, non tam oramus pro Sanctis, quàm pro nobis: petimus enim à Deo gratiam ita ſanctè, piè, deuotè, rectè ſacrificium offerendi, vt inde Sancti merito poſsint gaudere, & gloria illis coram hominibus accedat.

Secundò; Sacrificium non offertur Sanctis; & proinde neque templa, neque altaria eriguntur Sanctis, licet in eorum memoriam iſta omnia fieri poſsint.

Tertiò; Sacrificium Miſſæ non eſt per ſe inſtitutum, tanquam ad finem proprium, & præcipuum, ad Sanctos honorandos, vel inuocandos. Dicimus enim ſacrificium Miſſæ per ſe inſtitutum ad Deum colendum & propitiandum; & verum ſacrificium futurum, etiamſi nulla in eo fieret Sanctorum memoria.

Quare ſolùm ſecundariò, & conſequenter exiſtimamus ad ſacrificium pertinere Sanctorum cultum, & inuocationem: nam ex eo, quòd aguntur Deo gratiæ in ſacrificio pro victorijs Sanctorum, conſequitur honor Sanctorum: & quia eos hoc modo honoramus, conſequitur etiam vicìſsim, vt ipſi ſint noſtri memores in cœlo, & pro nobis orent. Atque id vel ex ipſa noſtra Liturgia intelligi poteſt. Nam in ea nuſquam directè Sancti inuocantur, niſi bis, aut ter in aliquo verſiculo, & in confeſsione, quæ præmittitur ante Miſſæ introitum. Alioqui ipſa oblatio expreſsè dirigitur ad ſolum Deum; ſimiliter Collectæ, tam publicæ, quàm ſecretæ, & omnes Canonis orationes diriguntur ad Deum; nullæ ad Sanctos.

Propoſitio 1. Sit igitur prima propoſitio: *Non repugnat inſtitutioni Cœnæ Domini, vt in ea nominentur, & honorentur Sancti.*

Prob. 1. *1. Tim.* 2. Prob. primò ex Apoſtolo, qui iubet fieri orationes, & gratiarum actiones in ſacrificio Miſſæ (nam de hoc ſacrificio locum illum exponunt Patres) pro omnibus, & maximè pro Regibus. Vult igitur Apoſtolus in Miſſa non ſolùm ſupplicari Deo pro accipiendis beneficijs, ſed etiam agi gratias pro acceptis. Eſt autem beneficium ſingulare, quòd fratribus noſtris Deus eam gratiam contulerit, vt mundum, & Satanam ſuperauerint, & poſt eam victoriam gloria, & honore eos coronauerit. Quare licitum erit, vel potiùs dignum, & iuſtum, vt ſacrificium offeramus ad agendas Deo gratias pro victoria, & triũphis Sanctorum, & per hoc etiam Sanctos ipſos in ſacrificio cum honore, & exaltatione nominemus.

Prob. 2. Secundò prob. teſtimonio omnium Liturgiarum, in quibus nominantur Sancti; idque non ſemel.

Prob 3. Tertiò prob. ex Patribus.

Prob. 4. Quartò ex vtilitate huius inſtituti. Prodeſt enim primùm ad proteſtandam Sanctorum communionem. Nam ſacrificium corporis Chriſti veri nomine totius corporis myſtici offertur, & offerri debet, proinde ſicut nominantur viuentes Pontif. Reges, & multi alij; ita etiam mortui nominari debent, ſiue in purgatorio ſint, ſiue in cęlo. Omnes enim ad idem corpus pertinent. Accedit, quòd, vt Auguſt. ſcribit, in ſacrificio altaris ſignificatur ſacrificium generale, quo vniuerſum corpus Chriſti myſticum, id eſt, tota redempta ciuitas offertur Deo per Chriſtum Sacerdotem magnum: & quia ad com- *L. 10. de ciuit. Dei, c. 6. & alibi.*

pagem

pagem huius corporis pertinent etiam Sancti, qui ſunt in cęlo; ideò etiam illi ſuo ordine in ſacrificio altaris nominandi ſunt. Altera vtilitas eſt excitatio ſanctæ æmulationis.

Propoſitio ſecunda: *Non repugnat inſtitutioni cœnæ Domini, vt in ea inuocentur Sancti eo modo, quo ab Eccleſia Catholica inuocari ſolent.* Tribus modis Sancti in ſacrificio Miſſæ inuocari poſſunt. Propoſitio 2.

Primò, per ipſam oblationem, ita vt eis oblatio offeratur. Ipſa enim oblatio tacita quædam, ſed efficaciſsima eſt inuocatio. Et hoc modo non inuocat Eccleſia Sanctos in ſacrificio Miſſæ, nec poſſet inuocare ſine peccato idololatriæ.

Secundò modo, per precem ad eos directam; vt cùm dicimus: *S. Petre, ora pro me.* Et hoc modo non inuocantur Sancti in Miſſa, niſi obiter, in verſiculis poſt lectionem, idque ſolùm in vna, vel altera Miſſa; qui tamen modus nihil habet abſurdi. Nam, ſi licet à viuentibus petere, vt nos iuuent ſuis orationibus, dum tam ſublimi fungimur miniſterio; vnde etiam dicimus in Liturgia: *Orate, fratres:* cur non liceat idem à Sanctis petere?

Tertiò modo per preces ad Deum directas, vt cùm à Deo petimus, vt intercedentibus Sanctis nos iuuet: & hoc modo in Miſſa, tum in Canone, tum extra, inuocantur Sancti.

Iſte autem modus prob. ex Patribus. Deinde ratione. Nam Sancti ſine vllo dubio pro nobis orare poſſunt, & orant: ergò bonum eſt à Deo petere, tum, vt Sanctos pro nobis orare faciat; tum, vt illos pro nobis orantes exaudiat: quæ duo in Miſſa petuntur. Conſequentia eſt certiſsima. Nam, ſi vnum ex medijs noſtræ ſalutis eſt, Sanctorum oratio, cur non liceat à Deo petere, vt per hoc medium nos adiuuet? Et, ſi licet petere, vt per bonos Doctores, & paſtores, in terris nos dirigat, doceat, tueatur; cur non licet etiam petere, vt idē faciat per Angelorum, & Sanctorum ſuffragia? Et, ſi licet Deum rogare, vt excitet eos, qui viuunt, ad orandum pro nobis, eoſque exaudiat; cur non idē liceat in Sanctis? Antecedens alibi probatum eſt, & negari non poteſt, niſi negetur imprimis Scriptura, quæ teſtatur Ieremiam, & Oniam defunctos oraſſe pro populo: deſcribuntur etiam viginti quatuor ſeniores in Apocal. in cęlo offerre incenſum, quo Ioannes ipſe exponit ſignificari orationes Sanctorum: niſi etiam negetur vnitas corporis Eccleſiæ, vel communio Sanctorum, quā in ſymbolo Apoſtolico confitemur. Si enim vnum corpus ſumus, & aliorum alij membra, certè inuicem ſolliciti eſſe debemus. Ea enim eſt membrorum natura, vt Apoſtolus docet. Prob. 2. Mach. vlt. Apoc. 5. 1. Cor. 12.

CAPVT.

CAPVT VII.

De Miſsis priuatis, genere linguæ, & modo vocis.

Miſſa priuata primò modo. SEx modis dici poteſt Miſſa priuata.

Primò, ratione loci. Nam, quæ celebrantur in priuato aliquo oratorio, vel ſacello, dici poſſunt priuatæ, ſi comparentur ad eas, quæ celebrantur in publico templo. Et de his habemus exempla manifeſtiſsima antiquitatis. Nam inprimis Dominus primam Miſſam inſtituit, ac celebrauit in priuata domo. *Act. 2.* Et Apoſtoli initio frangebant circa domos panem. Ac deinde ſancti Pontif. tempore perſecutionis, non in domibus tantùm priuatis; ſed etiam in cryptis, & foraminibus terræ ſacra faciebant: immò ſanctus Lucianus in carcere ſacrificauit, & ſuo ipſius pectore pro altari vſus eſt, cùm iaceret onuſtus catenis, nec ſeipſum erigere poſſet: vt refert Nicephorus. *L. 8. hiſt. c. 31.* Nec ſolum ob perſecutiones, ſed etiam alijs de cauſsis aliquando veteres in priuatis locis ſacrificia offerebant.

Miſſa priuata ſecundò modo. Secundò, Miſſa dicitur priuata à tempore; vt publica ſit, quæ feſtis diebus; priuata, quæ profeſtis celebratur. Neque hæc reprehendi poteſt: nam ideo iuge ſacrificium appellatur, quia iugiter, & quotidie deberet celebrari. *Dan. 12.* Deinde; Negari non poteſt, quin olim ſingulis diebus in multis locis Miſſæ celebrarentur. Et S. Andræas ſingulis diebus agnum immaculatum ſacrificabat.

Priuata 3. modo. Tertiò, dici poteſt Miſſa priuata à fine, quia nimirum pro aliquo particulari homine, vel negocio celebretur; vt pro hoc, vel illo defuncto; pro iſta, vel illa neceſsitate. Et quidem, ſi Miſſa aliqua vni ſoli applicaretur, excludendo omnes alios homines, tum verè priuata dici poſſet: ſed talis nulla eſt, aut fuit vnquam in Eccleſia. Nam omnis Miſſa offertur à miniſtro publico, & publico nomine pro tota Eccleſia, tum quæ in terris; tum quæ in cęlis, vel in purgatorio eſt: nam horum omnium in qualibet Miſſa mentio habetur. Si autem Miſſa applicetur vni peculiariter, ſic tamen, vt non excludantur cæteri, tum priuata Miſſa dici poterit, & erit, ſi comparetur ad alias, quæ nulli particulari applicantur. Neque dubium eſt eiuſmodi Miſſas priuatas fuiſſe in vſu antiquę Eccleſiæ, & eſſe licitas. *Leuit. 4. 5.* Nam in Teſtamento veteri ſacrificia fiebant plurima pro particularibus; pro Sacerdote, Principe, pro quolibet priuato, pro ſynagoga. Habemus etiam ſacrificium pro filijs Iob, & pro amicis eius: & pro Heliodoro. *Iob 1. Iob 42. 2. Mach. 3.*

Priuata 4. modo. Quartò, Miſſa priuata dici poteſt à paucitate eorum, qui interſunt; vt dicatur publica, quæ fit coram populo: qualis eſt Miſſa, quæ dici ſolet Parochialis, vel Conuentualis, quæ non celebratur, niſi populus adſit. Priuata autem,

tem, ad quam non expectatur populus, ſed pro arbitrio Sacerdotis habetur, ſiue multi adſint, ſiue pauci. Has etiam probant teſtimonia allata pro priuatis ratione loci.

Quintò, Miſſæ priuatæ dici poſſunt, quę dicuntur in eodem templo, eodem die, præter vnam. Nam vna tantùm ſolet eſſe Miſſa publica, & ſolennis, quæ dicitur in ſummo altari. Licitam eſſe hanc multiplicationem Miſsarum, prob. primò ex Teſtam. veteri, in quo plurima offerebantur ſacrificia eodem die, & loco. *Priuata 5. modo.*

Secundò, multi erant in eadem Eccleſia ſacerdotes: nam tempore S. Cornelij Papæ Romæ erant quadraginta Presbyteri, & deinceps ſemper magis, & magis creuit Sacerdotum multitudo. Multi autem quotidie celebrabant.

Tertiò, idem probat antiquiſsima conſuetudo, quæ eſt in Eccleſia, vt in die Natalis Domini ſinguli ſacerdotes Miſsæ ſacrificium ter offerant, cur ergò non poterunt multi ſingula offerre eodem die ſacrificia?

Quartò, probat altarium multitudo ab antiquo in Eccleſia.

Sextò, dicitur Miſsa priuata, in qua ſolus ſacerdos communicat. Hæc autem prob. licita primò ratione Concilij Trident. tali: Miſſæ, in quibus ſolus ſacerdos communicat, etiamſi priuatæ dici poſſent ratione communicantium Sacramentaliter, tamen abſolutè non priuatæ, ſed communes ſunt, & publicæ; Ergò non debent, vt priuatæ, reijci, & damnari. Antecedens prob. à Concilio dupliciter. *Priuata 6. modo. Seſſ. 22. c. 6.*

Primò, quia in eiuſmodi Miſsis ſæpe multi communicant ſpiritualiter; proinde fructus eſt publicus, & communis: & per hoc etiam Miſsa ex hac parte etiam publica eſt, & communis.

Secundò, quia Sacerdos publicus eſt Miniſter, & pro tota Eccleſia ſacrificium offert.

Altera ratio eſt, quia ad ſacrificium, vt eſt ſacrificium, nihil refert, ſi multi, vel pauci, vel nulli interſint, aut communicent, cum ſacrificium offeratur Deo pro populo: poteſt enim ſacerdos pro populo offerre, etiamſi populus nec adſit, nec communicet. Et confirmatur ex lege veteri: cùm enim ſacrificia offerebantur pro peccato, nihil inde manducabat is, pro quo offerebatur; & tamē illi proderat. Et confirmatur rurſus à ſimili. Nam ſacrificium ſimile eſt orationi: immò eſt quædam realis, & efficaciſsima oratio. Oratio autem prodeſt ei, pro quo fit, etiamſi ille non adſit, nec ſciat, quid agatur. Idem etiam prob. ex conſuetudine veterum. *Leuit. 6. & 7.*

De genere linguæ notandum eſt tria ad Miſſam pertinere. *De genere linguæ.*

Primò, lectio Scripturarum, & publica oratio.

Secundò, ſacramenti Euchariſtiæ conſecratio, & diſpenſatio.

Tertiò, ſacrificij oblatio. De duobus primis alibi dictum: de tertio nunc dicendum. Sed diſputatio illa eſt facillima.

Nam Inprimis ſacrificij oblatio magis in re, quàm in verbis conſiſtit. Nam illa actio, qua corpus Domini ſuper altare ponitur ad Dei honorem, vera, & realis oblatio eſt, etiamſi verbis non dicatur, *Offero*, vel, *Offerimus*. Porrò illa actio verba quidem aliqua neceſſario requirit, nimirum verba conſecratio-

nis: ſed illa verba non diriguntur ad inſtruendos auditores, ſed ad elementũ conſecrandum. Elementum autem nullam linguam intelligit. Quare impertinens eſt ad realem oblationem, vtrum Miſſa dicatur lingua vulgari, vel non vulgari. Secundò; Licet oblatio ipſa neceſſario verbis exprimenda eſſet, vt iam reipſa in Miſsa exprimitur, tamen adhuc impertinens eſset, qua lingua id fieret: ſiquidem oblationis verba diriguntur ad Deum, non ad populũ: Deus autem omnes linguas intelligit. Tertiò; Verba oblationis ſubmiſsa voce pronuncianda ſunt: non ergo eſt neceſse, vt ea lingua recitentur, quam intelligit populus. Quartò; Sacrificium non offertur ad populum inſtruendum, ſi de primario, & proprio fine agatur; ſed ad Deum colendum, & impetrandũ populo beneficia: non igitur requiritur, vt populus intelligat id, quod dicitur; ſed ſatis eſt, ſi Deus intelligat. Quinto; ſi lingua vulgari offerendum eſset ſacrificium, duo grauiſsima ſequerentur incommoda. Vnum, quod oporteret frequenter mutare verba ſacrificij, cum vocabula, quę vno tempore ſunt vulgaria, non diu poſt deſinunt eſſe vulgaria. Alterum, quòd tolleretur communicatio Eccleſiarum. Nec enim poſſet ſacerdos Italus in Gallia ſacrificium offerre. Et ſic de cæteris. Sextò; Accedit antiquiſsima Eccleſiæ conſuetudo. Nã in toto Oriente non inueniuntur antiquæ Liturgiæ, niſi Græcæ, aut Chaldaicæ, in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ ſunt, niſi Latinæ: & tamen à multis iam ſæculis deſierunt omnes iſtæ linguæ eſſe vulgares; immò Germanis, Francis, Anglis, Polonis nunquam fuit lingua Latina vulgaris. Rectè igitur Concilium Trident. ſtatuit Miſſam non eſſe lingua vulgari celebrandam.

Seſſ. 22. can. vlt.

De modo vocis.

De modo vocis tota quæſtio eſt; An conſuetudo Latinæ Eccleſiæ, quædam ſubmiſſa voce pronunciandi, repugnet Chriſti inſtitutioni; ac proinde ſit mala, & neceſſario corrigenda? De qua re extat Canon in Concilio Trident.

Seſſ. 22. can 9.

Prob. autem Concilij ſententia primò: Vtile eſt ad reuerentiam tanti myſterij, vt non omnia alta voce dicantur. Multum enim confert, vt Baſilius ait, ad dignitatem, & reuerentiam conſeruandam myſteriorum, vt non aſsueſcãt homines eadem ſæpius audire; vel potiùs, vt non efferantur ad aures vulgi. Secundò; Habemus exempla antiquæ Liturgiæ, tum Græcæ, tum Latinæ. Liturgiæ Baſilij, & Chryſoſtomi, quædam pręſcribunt dicenda ſub ſilentio, & concludenda alta voce: quod idem nos ſeruamus. Tertiò; Habemus exempla ſacrificiorum veteris legis. Nam (vt omittam, quod in ſacrificijs plerumque ſola mente orabant, ſine vllis verbis) deſcribitur in Leuitico ſolenne ſacrificium incenſi, & iubetur ſolus ſacerdos intra velum ingredi, & ſacrificare, atque orare pro ſe, & populo, omnibus alijs foris expectantibus, & non modo non audientibus, ſed nec videntibus ſacerdotem. Quo etiam ritu ſacrificaſſe Zachariam patrem Præcurſoris legimus. Quartò; Chriſtus ipſe in ſacrificio crucis, quod fuit exemplum omnium ſacrificiorum, in ſilentio oblationem peregit, nec trium horarum ſpacio locutus eſt audientibus circumſtantibus, niſi ſeptem breuiſsimas ſententias: quot ſunt etiam ſententiæ, quæ in Canone noſtræ Liturgiæ alta voce pronunciantur.

Leuit. 16.

Luc. 1.

CAPVT

CAPVT VIII.

De Cæremonijs Miſsæ.

CÆremoniæ,quædam ſumuntur à perſona,quędam à loco, alię à tempore: & hę in rebus conſiſtunr, & prærequiruntur ad ſacrificium. Alię conſiſtunt in actione,& adhibentur inter ſacrificandum,partim erga Deum,partim erga populum,partim erga ipſum ſacrificium. Ex parte perſonę requirũtur veſtes ſacræ:ex parte loci templa,altaria, vaſa ſacra; vt calix, diſcus, corporalia,item lumina:ex parte temporis requiritur,vt fiat pręcipuè Dominicis diebus, vt ante meridiem, vt ante cibum. *Diuiſio cæremoniarum.*

De veſtibus ſacris habemus exemplum Teſtamenti veteris, in quo ſacerdos ſacrificium oblaturus certis veſtibus à Deo præſcriptis induebatur, quæ fuerunt typi,& figuræ veſtium ſacrarum,quibus nunc induuntur ſacerdotes Chriſtiani. Deinde habemus vſum Eccleſiæ antiquiſsimum: nam omnia indumenta,quibus nunc vtimur in Miſſa,enumerant,& ſignificationes eorum explicant multi antiqui ſcriptores. Ratio denique eſt manifeſta. Nam vt Reges,& Magiſtratus in publicis actionibus non vulgari vtuntur veſtitu, ſed alio auguſtiore,& certis inſignibus, quo & reuerentia ipſis concilietur, & ſimul imperium ipſorum,& poteſtas repræſentetur: ſic etiam omnino conueniebat, vt in hac publica totius Eccleſiæ actione ſacerdos ſacro, ac peculiari habitu vteretur;tum ad reuerentiam myſterij,tum ad ipſum Chriſti paſsionẽ repræſentandam. *De veſtibus ſacris.*

De templis,& aris plena ſunt ſcripta veterum, tum Patrum, tum Conciliorum. De vaſis ſacris multa extant antiquiſsima teſtimonia. De cereis,quibus in Miſſa vtimur,ac præſertim dum legimus Euangelium, non deſunt antiqua teſtimonia. *Cæremonia à loco.*

Porrò quod attinet ad tempus ſacrificij celebrandi, Catholici ſentiunt die Dominico præcipuè id faciendum. Habemus inprimis teſtimonium Scripturæ. *Vna Sabbathi,cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* Nam per *vnam Sabbathi* dies Dominica intelligitur:vt Chryſoſtomus, & Beda exponunt, & perſpicuum eſt ex alijs ſimilibus locis. Quod enim ſcribitur: *Per vnam Sabbathi vnuſquiſque apud ſe reponat,* &c. Omnes interpretes Græci,& Latini exponunt de die Dominica, in qua Chriſtiani conuenire ſolebant in Eccleſiam. Chriſtus etiam reſurrexiſſe dicitur *vna ſabbathorum,* quo loco per vnam Sabbathi intelligi diem Dominicam,nemo vnquam negauit. Dicitur autem dies Dominica vna Sabbathi, quia eſt prima dies hebdomadæ: phraſi autem Hebraica vnum accipitur pro primo, & Sabbathum pro hebdomada. *De tempore. Act.20. 1.Cor.16. Mar.vlt.*

De hora diei conuenit apud Catholicos eſſe ſacrificium celebrandum horis ante meridianis,& ante omnem cibum. Et quidem veteres ſacra faciebant ab hora tertia vſque ad nonam,quia eo tempore ad horam nonam protrahebatur ieiunium: aliquando etiam ſub veſperam celebrabant, vt feria V. in *De hora.*

cęna Domini, & in Sabbatho ſancto: aliquando in media nocte, vt in Natali Domini. Nunc excepta Miſſa, quæ adhuc media nocte canitur in Natali Domini, ordinariè ab hora prima, ſiue ab aurora vſque ad ſextam, id eſt, ad meridiem ſacra celebrantur, & ieiunia de more protrahuntur. Quòd autem conſuetudo hęc antiquiſsima, & Apoſtolica, & neceſſariò ſeruanda ſit, excepto caſu neceſsitatis, facilè poteſt demonſtrari ex Patribus, & decretis antiquorum Conciliorum in varijs mundi partibus celebratorum.

Caremonia in actione. Cæremoniæ, quę in ipſa Miſſæ celebratione adhibentur, ad quinque capita reuocari poſſunt. Aliæ enim ad Deum referuntur; vt eleuatio manuum, oculorum, adoratio per inclinationem totius corporis, aut per genuum curuationem. Aliæ ad ſacrificium; vt eleuatio, oſtenſio, fractio, commixtio. Aliæ ad ſacerdotem celebrantem; vt tunſio pectoris, & lotio manuum. Aliæ ad populum; vt ſalutatio, & dimiſsio. Aliæ ad ea, quæ leguntur in Miſſa; vt cantus, & inſtrumenta Muſica. Pręter has quędam aliæ ſunt communes multis rebus; vt ſignum crucis, aſperſio aquæ, thurificatio, oſculum. Ele-
Exod. 17. uatio manuum habet exemplum in diuinis litteris. Nam Moyſes eleuatis
3. Reg. 8. manibus orans impetrauit. Salomon oraturus expandit manus in cęlum.
Pſal. 140. Dauid: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Apoſtolus: *Volo viros*
1. Tim. 2. *orare in omni loco, leuantes puras manus.* Denique, naturalis hæc eſſe videtur cęremonia, cùm etiam apud Ethnicos paſsim legantur, qui orabant, ad cę-
Matth. 14. los manus extendiſſe. Eleuatio oculorum Chriſto familiaris fuit: nam in
Mar 6. & 7. plurimis locis oculos ad cęlum leuaſſe legitur. Et quamuis in actione cęnæ
Luc. 9 non legatur expreſsè in Euangelio oculos ad cęlos ſuſtuliſſe, id tamen con-
Ioan. 6. 11. & 17. ſtanter aſſerunt S. Iacobus in ſua Liturgia, & alij Patres. Inclinatio corporis, aut genuum incuruatio index eſt humilitatis, & reuerentię, & paſ-
2. Paral. 6. ſim à Sanctis vſurpata. Salomon orauit flexis genibus: Dominus ipſe po-
Luc. 22. ſitis genibus orauit: Paulus poſitis genibus orauit cum omnibus, qui ſe-
Act. 21. cum erant. Porrò cęremonias illas eſſe antiquiſsimas, patet ex Patribus. Sicut etiam de cęremonijs, quæ referuntur ad ſacrificium. Idem dicendum de cęremonijs ſacerdotis erga ſeipſum. Tunſio namque pectoris pœnitentiá indicat, & naturalis eſt, atque in Euangelio habet exemplum. Nam Publi-
Luc. 18. canus orans *percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori* Et:
Luc. 23. *Reuertebantur percutientes pectora ſua.* Idem quoque de cæremonijs erga ea, quę leguntur in Miſſa, eſt dicendum. De cantu habemus Domini exemplum. Nam legimus Dominum in vltima Cęna, in qua prima Miſſæ inſtitutio, & celebratio conſiſtebat, hymnum ceciniſſe. Illa enim verba: Et hymno *dicto*,
Matth. 26. Græcè ὑμνήσαντες, propriè cantum ſignificant.

Inſtrumenta Muſica in Eccleſia adhiberi cępta ſunt in ſacro officio tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini DC. LX. vt ex Pontificali refert Platina: vel, vt mauult Aimonius, poſt annum Domini D. CCC. XX. tempore Ludouici Pij. Licita autem eſſe, & vtilia eiuſmodi inſtrumenta, ſi ſobriè, & grauiter eis vtamur, negari certè non poteſt, cùm & habeamus exemplum Teſtamenti veteris, & experiamur deuotionem per ea excitari, & tædium minui. Ex cęremonijs communibus cauſſa, cur thuris odor, ac fumus in ſacrificio adhibeatur, eſt, tum, vt ſignifice-

tur

tur bonus odor Euangelij, & eorum, qui Euangelium prædicare debent: tum ob ſimilitudinem, quam habet incenſum cum oratione. Vnde dicitur: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Et incenſum Deo oblatum interpretatur Ioannes eſſe orationes Sanctorum. Tum etiam ad gloriam Dei repræſentandam; Deus enim in nebula ſe oſtendere ſolebat in Teſtamento veteri: tum denique ad tetrum odorem, ſi quis ex multitudine hominum in Eccleſia exiſteret, abſtergendum. *Pſal. 140.* *Apoc. 8.*

Porrò duplex ratio eſt oſculi in Miſſa. Nam altare, & librum in ſignum reuerentiæ oſculamur: Fratres autem in ſignum charitatis, & pacis. Denique, ſignum crucis aut ſemel, aut ter, aut quinquies ſolet exprimi ſuper oblationem; non bis, aut quater: quia ſemel exprimitur ad eſſentiæ diuinæ vnitatem, ter ad perſonarum Trinitatem, quinquies ad quinque plagas Domini repręſentandas.

CAPVT IX.

De veritate, & antiquitate eorum, quæ leguntur in Miſſa.

MISSA in quatuor partes diuidi ſolet.

Prima eſt ab initio vſque ad Offertorium, quę dici ſolet Miſſa Catechumenorum.

Secunda ab Offertorio vſque ad Conſecrationem, quę dicitur à Gręcis ἀναφορά, à Latinis nonnullis Canon minor.

Tertia à Conſecratione vſque ad Communionem, quæ dicitur Canon maior.

Quarta à Communione vſque ad finem.

Primum igitur ante Miſſę initium pronunciatur Pſalmus: *Iudica me Deus.* *Pſal. 42.* Et fit generalis confeſsio, quę, quatenus Sanctis fit, reprehendi non poteſt. Nã Eccleſia Catholica nihil dubitat Sanctos cognoſcere vt orationes, ita etiam confeſsiones noſtras, tum ex ritu inuocationis Sanctorum, qui ſemper fuit in vſu apud veteres Chriſtianos; tum ex miraculis, quę omnibus ſęculis facta ſunt ad Sanctorum inuocationem: quorum multa refert Auguſtinus. Nos *Lib. 22. ciuit. Dei c. 8.* igitur confitemur Deo, Sanctis, & Eccleſiæ præſenti, quia omnes offendimus, cùm peccamus: vt etiam ille dicebat: *Peccaui in cælum, & coram te.* *Luc. 15.*

Introitus, *Kyrieëleiſon, Gloria in excelſis,* antiqua ſunt, *Kyrieëleiſon* Græci vocant Litaniam à Græco verbo: λιτανεύειν, quod eſt ſupplicare.

Salutatione, *Dominus vobiſcum,* vtimur, quoties populum excitamus, vel ad orandum, vel ad audiendum: vnde præmittitur antè, *Oremus,* & ante Euangelium, & Pręfationem, & alia huiuſmodi. Itaque eſt quædam religioſa excitatio, & inuitatio, & ſeruit loco aduerbij vocandi: quomodo Religioſi olim, cùm aliquem vocarent, dicere ſolebant: *Deo gratias*; quod

etiam nunc à multis ſeruatur. Quomodo etiam S. Paula ad virgines conuocandas vtebatur illa voce: *Alleluia*: & nunc in monaſterijs virginum dici ſolet; *Aue Maria*.

Iud 6. *Ruth. 2.* *2. Paral. 27.* *Luc. 1.* Porrò hęc ſalutatio, *Dominus vobiſcum*, ſumpta eſt ex more Hebręorum, qui ſalutantes dicebant: *Dominus tecum*, aut, *vobiſcum*.

Sequitur Collecta, de cuius nomine duæ ſunt veriores opiniones. Vna, quod dicatur Collecta, quia paucißimis verbis colligit, quidquid pro toto populo à Deo poſtulandum eſt. Altera, quæ fortaſſe verior eſt, vult preces illas dici Collectas per intellectionis figuram ab ipſa Miſſæ celebratione, quæ ab antiquis dicebatur, Collecta, quia ad eam populus colligebatur. Cur autem Collectæ ordinariè dirigantur ad Patrem, non ad Trinitatem, duæ cauſſę ſunt. Vna, quia Dominus ita docuit nos orare: *Pater noſter, qui es in cœlis*. Et: *Mat. 6.* *Ioan. 16.* *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*. Altera, quia debet ſemper oratio concludi per Chriſtum, cum ſit ille aduocatus noſter, per quem omnia petimus. Incommodum autem fuiſſet dirigere orationem ad Trinitatem, & concludere: *Per filium tuum*, &c. Videremur enim eo modo facere Chriſtum filium Trinitatis. Quod ſi omiſſa voce diceremus: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*; videremur diuidere Chriſti perſonas: nam vnam includeremus in Trinitate, quam inuocamus; alteram excluderemus, per quam inuocamus. Sunt tamen quædam Collectæ, quę diriguntur ad filium, & concluduntur: *Qui viuis, & regnas*, &c. Sed eæ paucę ſunt, & fortaſſe non tam antiquæ, quàm alię. Fortaßis etiã dedita opera hoc fecit Eccleſia, ne homines crederent non poſſe diſertis verbis inuocari, niſi Patrem.

Finita oratione reſpondetur, *Amen*, quod ſignificat verè, ſeu fideliter. Græci ſolent dicere, γένοιτο, fiat: optat enim, qui id reſpondet, verè, & fideliter ita fieri, vt in oratione poſtulatur. Antiquiſsimum autem eſſe vſum reſpondendi, *Amen*, patet ex Apoſtolo: *Qui ſupplet locum idiotæ, quomodo reſpondebit, Amen?* *1. Cor. 14.*

Poſt Collectam ſequitur lectio ex Propheta, vel Apoſtolo: qui mos antiquiſsimus eſt. Videtur autem acceptus ab Hebręis, apud quos per omne Sabbathum adhuc hodie leguntur in Synagogis lectiones ex Prophetis.

Luc. 4. *Act. 13. 15. 17. & 18.* Finita lectione leguntur aliquot verſiculi, qui, vt plurimum, ex Script. ſumuntur. Et quidem in Gręcorum Eccleſia antiquiſsima conſuetudo eſt aliquid interſereridi inter Epiſtolam, & Euãgelium, vt patet ex Liturgia Chryſoſtomi: apud Latinos tamen non videtur vſque adeò antiqua conſuetudo. Sunt autem quatuor genera horum verſiculorum: nam alij dicuntur *Reſponſorium*, ſeu *Graduale*; alij, *Alleluia*; alij *Tractus*; alij *Sequentia*, ſeu *Proſa*. Cur autem *Graduale*; dicatur, non eodem modo ab omnibus traditur. Vera ratio eſſe videtur, quia canebatur, dum Diaconus gradus aſcenderet ad Euangelium decantandum: nimirum, ne otioſè tranſigeretur tempus illud, quod neceſſario erat interponendum inter Epiſtolam, & Euangelium, dum ſe Diaconus ad illud decantandum prępararet.

Fuiſſe autem morem Eccleſię, vt Euangelium ex loco altiore caneretur, (quod etiam nunc in multis locis obſeruatur) perſpicuum eſt ex Ordine Romano, & Cypriano. In antiquis etiam Eccleſijs inueniuntur vbique lapidea pulpita,

pulpita, in vſum Euangelij legendi inſtituta, quæ dicuntur *Ambones*. Nam à voce Græca, ἀμβαίνω, aſcendo, fit ἄμβων, quod vertitur, pulpitum. *Alleluia*, ſignificat, laudate Dominum: in cuius loco in diebus ieiuniorum dici ſolent *Tractus*, qui ſunt alij verſiculi ex Scripturis deſumpti. Dicuntur autem *Tractus*, quia grauiter, & tractim cani debent in ſignum mæſtitiæ. Eſſe autem *Alleluia* canticum lætitiæ, & meritò intermitti in diebus pœnitentiæ, & luctus, patet ex Scriptura ſacra. Nam in Tobia, cùm deſcribitur gloria cæleſtis Ieruſalem, inter alià legimus: *Et per vicos eius Alleluia* Tob. 13.
cantabitur. Et in Apocal. deſcribitur lætitia Sanctorum, quæ erit in cœlo
poſt diem iudicij. *Et audiui quaſi vocem tubæ magnæ, & ſicut vocem aquarum mul-* Apoc. 19.
tarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia, gaudeamus, & exultemus.

Sequitur lectio *Euangelica*, quam eſſe antiquiſsimam, patet ex omnibus Liturgijs, & Concilijs, & Patribus.

Symbolum autem rectè poſt Euangelium canitur, quia fides ex auditu verbi Dei ſequitur. Vſus autem Symbolum Conſtantinopolitanum in Miſſa canendi apud Orientales eſt antiquior, quàm apud Occidentales.

Offertorium ex Scriptura perpetuò ſumitur, & inde nomen accepit, quòd caneretur, dum populus offerebat. Quinque autem illæ orationes: *Suſcipe ſancte pater*: *Offerimus tibi, Domine*: *Veni ſanctificator*: *In ſpiritu humilitatis*: & ; *Suſcipe ſancta Trinitas*; neque antiquæ admodum ſunt, neque in antiqua Eccleſia ante annos quingentos legebantur. Vnde etiam VValfridus, Amalarius, Rupertus, Alcuinus; immò etiam Innocentius III. & alij veteres, non meminerunt illarum orationum, ſed tranſeunt ab Offertorio ad orationes ſecretas.

Offertorio finito, & materia ſacrificij præparata, lotiſque manibus, & oblatione Deo commendata per ſecretas Collectas dicitur *Præfatio*, quæ quidem hoc nomine appellatur, quia eſt præparatio, & excitatio populi ad illam actionem, in qua propriè ſacrificium conſiſtit. Ac primùm illa verba: *Per omnia ſæcula ſæculorum*, pertinent ad ſuperiores orationes ſilentio recitatas, ſed dicitur alta voce iſta concluſio, vt populus reſpondere poſſit, *Amen*; & ea voce confirmet ſuperiores orationes.

Deinde, incipit Præfatio per illud: *Dominus vobiſcum*, & vſque ad ea verba: *Verè dignum, & iuſtum eſt*, habetur in antiquiſsimis auctoribus Græcis & Latinis. Reliqua verba vſque ad illum verſum, *Sanctus*, &c. non ſunt eadem in Græcis, & Latinis Liturgijs: tamen quæ in noſtra, id eſt, Latinæ Eccleſiæ Liturgia habentur, certum eſt eſſe antiquiſsima. Nam ante apnos M. Pelagius II. Papa interrogatus ab Epiſcopis Germaniæ & Galliæ, quænam eſſent, & quot authenticæ Præfationes, reſpondit eſſe nouem.

1. De Natali Domini.	4. De cruce.	7. De Pentecoſte.
2. De Epiphania.	5. De Paſcha.	8. De Trinitate.
3. De Quadrageſima.	6. De Aſcenſione.	9. De Apoſtolis.

Decimam, quæ eſt S. Maria, addidit Vrbanus II. in Concilio Placentino,

tino circa annum Domini M.LXXX. teſte Gratiano.

Finita præfatione dicitur Canticum: *Sanctus, &c.* quod quidem partim eſt deſumptum ex Hymno Angelorum apud Iſaiam, partim ex cantico He-
Iſa. 6. Matth. 21. bræorum, quod Chriſto cecinerunt, cùm in die Palmarum intraret in Ieruſalem. Et habetur in antiquis Liturgijs, Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi.

Porrò *Canon* apud veteres vocatur, *Canon*, *Regula*, *Legitimum*, *Ordo*: quæ nomina ſatis indicant apud veteres ordinem celebrandi non fuiſſe arbitrarium; ſed ab Eccleſia ita præſcriptum, vt, qui ſecus facerent, planè prævaricari legem iudicarentur. Non eſt autem vnius auctoris totus Canon Miſſæ Roman. ſed, vt Concilium Trident. rectè docet, partim conſtat
Seſſ. 22. ca. 4. ex verbis Domini, partim Apoſtolica traditione, partim ſanctorum Pontificum inſtitutione.

Primus qui formam aliquam ſacrificij celebrandi, adiunctis nimirum ad verba Domini certis precibus, & ritibus, Roman. Eccleſiæ dedit, S. Petrus fuit: ſed poſtea tamen diuerſi Pontifices preces diuerſas addiderunt vſque ad Gregor. I. qui fuit vltimus eorum, qui ad Canonem aliquid adiunxerũt. Vbi illud obſeruandum, quòd licet quędam Liturgia dicatur Baſilij, alia Chryſoſtomi, alia Ambroſij, alia Gelaſij, ſeu Gregorij, noſtra ſcilicet Romana, alia Iſidori: non tamen iſti auctores de integro Liturgiam compoſuerunt, ſed ſolùm eam, quæ ſuo tempore erat in vſu, ad meliorem formam redegerunt, vel detrahendo, ſi quid irrepſerat minus conueniens; vel addendo aliquid pro temporum varietate, vel denique ob tædium vitandum aliquid inde ſubtrahendo, ſic tamen vt ſubſtantiales partes Liturgiæ ab Apoſtolis inſtitutæ integræ permanerent. Porrò conſtat Canonem noſtrum integrum, vt eum nunc in Miſſalibus habemus, fuiſſe in vſu Eccleſiæ ante annum Domini D.CCC. Nam extat in Ordine Roman. non procul ab initio, quem ordinem citant Alcuinus, & Amalarius, qui tempore Caroli Magni vixerunt. Deinde ab Alcuino, & omnibus alijs poſterioribus Canon exponitur. Quare neceſſe eſt Canonem eſſe adhuc antiquiorem, quàm ſit Ordo Rom. Quamuis autem non extet fortaſſe alius liber Ordine Roman. antiquior; tamen extant libri multo antiquiores, vbi habentur partes Canonis, ex quibus coniectura fieri poteſt de reliquis. Sunt itaque aliquot coniecturæ inſignes ad probandam Canonis antiquitatem.

Prima eſt, quia in toto Canone nulla fit mentio Confeſſorum, aut Virgi-
1. Coniectura pro antiquitate Canonis. num non Martyrum; ſed Martyrum tantùm, ſeu virorum, ſeu fœminarum. Huius autem rei cauſſa nulla eſt alia, niſi, quia eo tempore Canon compoſitus eſt, quo nondum cęperunt publicè coli ſancti in Eccleſia Confeſſores. Siquidem certum eſt Martyres cępiſſe publicè inuocari, & eorũ nominibus dies feſtos coli, & Baſilicas erigi ab initio planè Eccleſiæ: Confeſſores autem multò ſerius in Eccleſia hunc honorem meruiſſe. Conſtat autem ex Concilio Maguntino ſub Carolo Magno celebrato, feſta Confeſſorum iam in vſu fuiſſe anni D.CCC. Siquidem in catalogo feſtorum ponuntur dies
Can. 36. feſti S. Martini, & S. Remigij: igitur ante annum Domini D.CCC. Canonem compoſitum fuiſſe, neceſſe eſt.

Secun-

Secunda coniectura, quia veteres diligenter annotarunt pauca quædam verba, quæ aliqui Pontifices ad Canonem addiderunt. In vita Leonis I. ſcribit auctor Pontificalis addita fuiſſe à Leone illa verba: *Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam*; cuius rei, vt valde notabilis, meminerunt etiam reliqui auctores qui de Miſſa ſcribunt. Etiam annotarunt Gregor. I. addidiſſe: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*, &c. Hoc autem eſt argumentum certiſsimum, Canonem eſſe antiquiorem Leone, & Gregorio, & habitum ſemper in maxima veneratione. 2. Cõiectura.

Tertia coniectura eſt ipſa ignoratio auctoris præcipuarum partium Canonis. Nam orationes illæ, quarum meminit Ambroſius, *Quam oblationem*, &c. *Vnde & memores*, &c. & cæteræ, ſi fuiſſent ab aliquo Rom. Pontifice compoſitæ, certè aliquis hiſtoricus id prodidiſſet: ſi enim non omiſerunt, qui aliquas particulas addiderunt, quantò magis non omiſiſſent, qui vitas Pontificum ſcripſerunt, quis totum ferè Canonem compoſuerit? Relinquitur igitur, vt Canon ſit omni memoria antiquior, & ab Apoſtolis, vt multa alia, per manus traditionem ad nos deuenerit. Neque obſtat, quod in Canone fit mentio Apoſtolorum, & Martyrum, qui primis trecentis annis floruerunt: nam ea nomina poſtea paulatim addita fuiſſe, dubium eſſe non poteſt. 3. Cõiectura

Quarta coniectura eſt VValfridi, qui inde colligit Canonem eſſe antiquiſſimum, quia, dum enumerantur Apoſtoli, non ſeruatur ordo, qui eſt in Euãgelijs per Hieronymum emendatis. Id enim argumento eſt, eam partẽ Canonis priùs compoſitam fuiſſe, quàm ab Hieronymo Euangeliorum codices Latini ad vetera exemplaria Græca corrigentur. Teſtatur enim Hieronymus magnam fuiſſe in Latinis codicibus confuſionem. 4. Cõiectura

Prima autem oratio Canonis incipit illic: *Te igitur clementiſsime Pater*, & extenditur vſque ad illud: *Hanc igitur oblationem*, &c. Illud enim: *Memento Domine*; &: *Communicantes*, &c. non ſunt diuerſæ orationes, ſed partes primæ, vt colligitur, tum ex concluſione: *Per eundem*, &c. quæ ponitur in fine harum omnium precum: tum etiam, quia illud: *Communicantes*, non haberet vllum ſenſum, niſi continuaretur cum præcedentibus verbis. Itaque prima oratio Canonis continet nomina eorum, pro quibus offertur, & in quorum honorem offertur ſacrificium. Ac primùm nominatur Eccleſia. Secundò, Papa. Tertiò, Epiſcopus loci. Quartò, Rex in quibuſdam Eccleſijs. Quintò, omnes Orthodoxi in genere. Sextò, perſonæ particulares, ſed ſecretò. Septimò, S. Apoſtoli, & Martyres. Oratio pro Eccleſia, & pro Epiſcopo loci habetur in omnibus Liturgijs. Papæ nomen non habetur in antiquis Græcis Liturgijs, ſed in Liturgia Chryſoſtomi à Leone Tuſco Latinè reddita inuenitur nomen Nicolai Papæ: ex quo intelligimus etiam Græcos poſterioribus temporibus illud addere ſolitos. Apud Latinos videtur eſſe antiquiſsima cõſuetudo: nam non ſolùm Alcuinus ante annos D. CCC. meminit huius rei; ſed etiam Vaſenſe Concilium ante annos M. C. celebratum conſtituit, vt in Eccleſijs Gallicanis nomen Papæ vrbis Romæ in omnibus Miſsis recitetur. Quod ſequitur: *Pro omnibus Orthodoxis*, habetur apud Alcuinum, & apud Innocent. III. & omnes alios: quocirca vſu ipſo auctoritatem obtinuit, nec debet omitti. Intelligimus autem hic per omnes Orthodoxos, vt S. Bona-

miſsione vtuntur Græci, ſed per illa verba: *In pace Chriſti eamus*: & reſpondetur; *In nomine Domini*; vt patet ex Liturgijs Iacobi, Baſilij, & Chryſoſtomi. Porrò, *Ite Miſſa eſt*, nihil aliud ſignificat, quàm, Ite, dimiſsio conceditur. Cur autem in quibuſdam Miſsis dicatur, *Benedicamus Domino*, cauſſam reddit Micrologus, quia in Miſsis feſtiuis populus ſemper ad Miſſas cõuenit, & ideò in fine publicè dimiſsio denunciatur: in diebus ferialibus non conueniunt, vt plurimum, niſi Clerici, & Monachi, quibus non eſt dicendum, *Ite*; ſed potius inuitandi ſunt ad permanendum in Dei laude, cum ipſorũ officium ſit in precibus, & laudibus Domini occupari. Sunt tamen Miſſæ quędam ſolennes, & ad quas populus concurrit, in quibus dicitur etiam, *Benedicamus Domino*; vt in Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ. sed hoc ſolùm fit ad ſignificandam mæſtitiam illius temporis: videtur enim neſcio quid lugubre præ ſe ferre, quod non publica denunciatur dimiſsio, ſed vnuſquiſque per ſe diſcedit.

Poſt orationem, *Placeat*, &c. ſequitur, *Benedicat*, &c. quem vſum antiquiſsimum eſſe patet ex Liturgijs Gręcis, tum ex Concilio Agathenſi.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De ipſo Pœnitentiæ Sacramento.

POENITENTIAE nomen à pœna dictum videtur. Pœna autem referri poteſt, tum ad dolorem de peccatis pręteritis; quam nos Contritionem vocamus;tum ad eam mulctam,quę indicitur pœnitentibus:quæque Satisfactio à Catholicis nominatur.

Quæſt. 1. Quęſtio prima: *An Pœnitentia ſit Sacramentum propriè dictum?*

Non de quauis Pœnitentia controuerſia eſt. Poteſt enim,vt ad pręſentem materiam pertinet,vera Pœnitentia, vel in ſola mentis conuerſione, atque interna peccati deteſtatione conſiſtere, vel etiam externis ſignis, mœrore,lachrymis,confeſsione, corporis afflictione, ſe prodere. Et quidem prior, & ſi ſempêr neceſſaria fuerit ad reconciliationem,& virtus quædam ſit non exigua;tamen;niſi ſigna externa adiuncta habeat, Sacramentum dici non poteſt: neque de hac re vlla eſt controuerſia. Poſſe autem,&, vt plurimum, ſolere veram Pœnitentiam ſigna externa adiuncta habere, prob. ex ſacris litteris.
Matth. 11. Nam Dominus dicit in cinere, & cilicio pęnitentiam acturos fuiſſe Tyrios,
Matth. 12 & Sidonios, ſi prædicatum eis fuiſſet. Laudat etiam pęnitentiam Niniuita-
Iona 3. rum,quam externam fuiſſe teſtatur Ionas. De hac igitur pęnitentia,quæ ſignis externis proditur,quæſtio eſt, An Sacramentum dici debeat? Sed neque de omni tali pęnitentia quæſtio eſt: ſatis enim inter nos, & aduerſarios conuenit, Pęnitentiam Niniuitarum, & aliorum, qui ante Chriſti aduentum vixerunt,Sacramentum nouæ legis nequaquam eſſe potuiſſe. Sed neque pęnitentiam talem,etiam poſt Chriſti aduentum, & paſsionem Sacramentum facimus nos,aut aduerſarij,ſi nulla ſequatur abſolutio. Eſt ergò ſtatus controuerſiæ:An Pœnitentia ſignis externis manifeſtata,accedente ad eam verbo abſolutionis, ſit Sacramentum nouæ legis propriè dictum? Iſtum enim ritum reconciliandi lapſos poſt Baptiſmum, qui ex pęnitentia ſignis, externis prodita,& verbo Abſolutionis conſtet.

Reſp. Catholici verum,& propriè dictum Sacramentum eſſe affirmant;hæretici negant.

Prob. Prob.ex verbis Domini: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum*
Ioan. 20. *retinueritis retenta ſunt.* Ex quibus verbis duo colliguntur, quæ ad omne Sa-

cramentum

cramentum propriè dictum conſtituendum & requiruntur, & ſufficiunt. Ritus externus,ſiue ſymbolum diuinitus inſtitutum; & promiſsio gratiæ iuſtificantis illi ritui,ſiue ſymbolo annexa. Nam,cùm Dominus Apoſtolis poteſtatem conceſſerit remittendi peccata hominibus,dubitari non poteſt,quin ſigno aliquo externo poteſtatem eam exerceri voluerit. Neque enim homines,qui corporales ſunt,peccata ſibi remitti intelligerent,niſi voce, aut ſigno aliquo externo,ac ſenſibili remitterentur. Neque ſolùm ritus externus abſoluentis, ſed etiam pœnitentis ex eodem teſtimonio rectè colligitur: nam peccata remitti non debent, niſi ijs, qui ſe peccata habere, & ſibi diſplicere teſtantur. Nam,vt ij abſolui nequeunt,qui ligati non ſunt,ita nec ij,qui ſolui nolunt:nolunt autem ſolui,qui non adferunt animum paratum, vt oportet, id eſt,qui ſine fide,& pœnitentia accedunt. Promiſsionem verò gratiæ iuſtificantis nuſquam Dominus apertius expoſuit, quam hoc loco: quid enim eſt peccatorum remiſsio,niſi iuſtificatio?Atque ita Patres exponunt.

Altera quæſtio: *An Pœnitentiæ Sacramentum à Sacramento Baptiſmi diuerſum ſit?* *Quæſt 2.*

De hac re ita ſcripſit Concilium Trident. *Si quis Sacramenta confundens ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideò Pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.* *Reſp. Seſſ. 14. can. 2.*

Quæ veritas prob. Nam habemus inprimis exempla, vel potiùs typos, & figuras Teſtamenti veteris. Extra controuerſiam eſt Circumciſionem datam Iudæis in figuram Sacramenti Baptiſmi: vnde etiam Baptiſmus ab Apoſtolo dicitur Circumciſio ſpiritualis, & non manu facta. Si quis autem diligenter euoluat Scripturam veterem, nuſquam inueniet memoriam Circumciſionis præſcribi tanquam remedium peccatorum poſt Circumciſionem perpetratorum, ſed ſacrificia, expiationes, confeſsionem peccatorum, vt patet ex Leuit. Eodem ergò modo in Teſtamento nouo exiſtimandum non eſt Baptiſmi memoriam remedium eſſe ad ea peccata purganda inſtitutum, quæ poſt Baptiſmum committuntur, ſed ſacrificium noui Teſtam. & expiationem per cōfeſsionem, & abſolutionem. Habemus deinde teſtimonium Apoſtoli Ioannis, qui loquens de remedio peccatorum, quæ baptizati indies committunt, non ait: Si Baptiſmum ad memoriam reuocauerimus, ſed: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* *Prob. 1.* *Coloſſ. 2.* *Leuit. 4. 5. 6.* *1. Ioan. 1.*

Habemus tertiò teſtimonium Apoſtoli Pauli: *Impoßibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad Pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Hoc enim loco non negat Apoſtolus poſſe lapſos poſt Baptiſmum Deo per Eccleſiam reconciliari. Quomodo enim Paulus negaret hoc, qui Corinthium poſt Baptiſmum grauiſsimo ſcelere inquinatum reconciliari permiſit? Sed negat poſſe renouari per Baptiſmum. Sic enim intelligūt hunc locum Patres. *Heb. 6.* *1. Cor. 6.*

Deinde, circumſtantiæ loci vix patiuntur aliter accipi ipſa verba Apoſtoli. Nam initio capitis monet Apoſtolus Hebræos, vt non reſpiciant iterum ad

Quarta: ſi Baptiſmus ſacramentum Pœnitentiæ eſſet, ac per cogitationē, & memoriam repetitus obſignaret, vt aduerſarij loquuntur, promiſsionem recōciliationis, quocunque tempore opus eſſet, illud efficeretur, non debere, niſi adultos, baptizari, vt ab Anabaptiſtis, quos Lutherani etiā & Caluiniani reprehendunt, fieri videmus. Nā alioqui incertiſsima erit iuſtificatio, quippe, quæ ab hominum teſtimonio pendeat. Neque enim qui infantes baptizātur, cùm poſtea adoleuerint, baptizatos ſe fuiſſe recordari poſſunt; ſed coguntur alienis verbis, non ſuis oculis credere. 4. Ratio.

Quinta: Si Baptiſmus valet ad peccata, non ſolùm prçterita, ſed etiā futura delenda: quçro, quo tempore futura peccata deleat? An tunc, cum primū ſuſcipitur; an poſtea, cum ad memoriam reuocatur? Si priùs, ſequetur, quòd peccata priùs deleantur, quàm fiant; & quòd homini baptizato nulla peccata, etiā poſt Baptiſmum admiſſa, nocere queant; ac demùm, quod omnes baptizati, & proinde omnes, tum Catholici, tum hçretici, modo Baptiſmum ſuſceperint, neceſſario ſaluari debeant: ſi poſterius, incerta erit iuſtificatio, cū ab hominū teſtimonio pendeat: & eadem ratione tolletur Euchariſtiæ frequentatio, cū ita ſufficere poſsit memoria ſpiritualis cibi aliquando guſtati, ſicut memoria ſufficeret lauacri aliquando percepti. 5. Ratio.

CAPVT II.

De diuiſione Sacramenti Pœnitentiæ, & ritibus Pœnitentiæ ſolennis.

TRibus partitionibus diuidi ſolet Sacramentum Pœnitentiæ.

Prima ſumitur ab eſſentia, quæ duabus partibus conſtat; materia, & forma, id eſt, actibus pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis. Diuiſio 1. Pœnitentiæ.

Secunda à materia, quæ tres partes habet: Contritionem, Confeſsionem, Satisfactionem. 2.

Tertia à ritu; qua alia eſt Pçnitentia priuata, alia publica; & hçc rurſus, aut ſolennis, aut non ſolennis. De partibus eſſentialibus huius Sacram. illud conuenit inter omnes, Verbū abſolutionis ad huius ſacramēti eſſentiā pertinere: illud enim ſine dubio ſignū eſt, & cauſſa remiſsionis peccatorū. Et quanquam Abſolutio illis verbis iuxta vſum Eccleſiæ, qui omnino ſeruandus eſt, cōtinetur: *Abſoluo te à peccatis tuis*; tamen ſi eandem ſententiā alia verba adhiberētur; vt: *Remitto tibi peccata tua*; vel, *Remittuntur tibi peccata tua*, nihil de ſacramētali perfectione decederet. Neque vero quæſtio poteſt eſſe de materia, quam dicunt remotam: conſtat enim peccata, ſiue hominem peccatorem materiā eſſe huius ſacram. remotam, cū ad peccata delenda, ſiue ad hominem peccatorem curandum Abſolutio à ſacerdotibus impendatur. Sed neque peccatum, neque peccator talis materia dici poteſt, ex qua, tamquam ex altera parte, ſacramentum perficiatur; ſed potius circa quam ſacramentum operetur: ſicut corporalis morbus, aut ægrotus non eſt id, ex quo medicamentum conſtet, ſed in quod vim ſuam medicamentum exerat. 3.

Quæſtio.

De prima partitione. Quæſtio. Reſp. Quæſtio igitur eſt; *Vtrum præter abſolutionem aliud ſit, quod ad Sacramenti huius rationem, atque eſſentiam pertinere videatur?*

Tres de hac re ſunt opiniones: ſed quarta eſt veriſsima, Sacramentum Pęnitentiæ duplici parte intrinſeca, atque eſſentiali conſtare, Abſolutione Sacerdotis, tanquam forma; & actibus pęnitentis, tanquam materia. Quæ ſententia & fuit olim multorum veterum Theologorum, & nunc eſt fermè omnium, qui de Pęnitentiæ Sacramento ſcripſerunt.

Propoſ. 1. Prob. Sit igitur prima propoſitio: *Non, niſi abſurdè, dici poteſt Pœnitentiæ Sacramentum ex Baptiſmo, & Abſolutione conſtare.* Nam, vt ſuperius diximus, nec Baptiſmus ante multos annos peractus, nec eius recordatio, ſigna ſenſibilia dici poſſunt; cùm ad Sacramenti eſſentiam id maximè requiratur, vt, cùm Sacramentum percipitur, corporale ſignum corporalibus ſenſibus objiciatur.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Nullus eſt ritus à miniſtro adhibitus, præter verbum Abſolutionis, qui Sacramenti huius materia rectè dici poſſit.*

Prob. Tres enim dumtaxat ſunt miniſtri actiones, de quibus aliquo modo poſſet ambigi. Primum, miniſter, dum pęnitentes reconciliat, eiſdem manum imponere conſueuit. Sed hic ritus, & ſi & in antiqua Eccleſia in vſu fuerit, & nunc etiam in pleriſque locis adhibetur, ad eſſentiam tamen huius Sacramen. non pertinet. Neque etiam, ſi doctrina aduerſariorum locum habeat, ex verbo Dei poteſt vllo modo demonſtrari, manus impoſitionem in reconciliatione neceſſariò adhibendam eſſe: nec ſolùm teſtimonium, ſed neque exemplum
Ioan. 10. vllum huius rei in ſacris litteris inuenitur. *Quorum remiſeritis peccata*, Dominus
Matth. 9. ait, *remittuntur eis*: non autem addidit: Et quibus impoſueritis manus. Neque
Luc. 7. Dominus, cùm Paralitico, & Magdalenæ dixit: *Remittuntur tibi peccata*, manus eis impoſuiſſe legitur.

Alter ritus eſt ſignum crucis ſuper ipſum pęnitentem manu Sacerdotis expreſſum. Sed de hoc ritu nulla dubitatio eſſe poteſt. nam neque hoc ſignum aduerſarij vlla in re ſolent adhibere, & idem ſignum non eſt de eſſentia Sacramenti pęnitentiæ, vt neque etiam Euchariſtiæ; vt docet S. Thomas, cui nullus Catholicorum contradicit.

Tertius ritus fingi poteſt motus ille viſibilis linguæ, & labiorum, qui in verborum pronunciatione exercetur. Sed abſurda omnino, & plane ridicula eſt hæc ſententia. Nam inprimis commune eſt omni verbo corporali, vt non fiat ſine motu linguæ, & labiorum, & tamen nemo hactenus in verbo, quo Baptiſmum, vel Euchariſtiam conficimus, diſtinxit ritum à voce. Deinde motus linguæ, & labiorum nihil per ſe ſignificat, ſed ſolum eſt cauſſa vocis, quæ indicat animi conceptiones. Itaque, ſi ſurdus quiſpiam videat hominem loquentem, non magis ex motu labiorum conijciet, quid à loquente ſignificetur, quam ſi eundem motum labiorum cerneret in pecude.

Propoſ. 3. Propoſitio tertia: *Actio pœnitentis, quaſi materia; & verbum Sacerdotis quaſi forma, Sacramenti Pœnitentiæ rationem, atque eſſentiam complent.*

Prob. Seſſ. 14. c. 3. Prob. ex Concilio Tridentino, quod docet formam Sacram. Pęnitent. eſſe illa verba: *Ego te abſoluo*, &c. actus verò pęnitentis eſſe quaſi materiã: & paulo poſt addit, tam abſolutionem, quàm actus pęnitentis, ad integritatem Sacram. pertinere.

Deinde,

Deinde, Concilium Florent. ipſam pęnitentiam vocat Sacramentum, & eius partes materiales dicit actus pęnitentis; formam autem verba Sacerdotis: *Ego te abſoluo*, &c. Ad quem modum loquitur etiam Lucius Papa III. qui Sacramenta vocat Baptiſmum, Confeſsionem peccatorum, & Matrimoniũ. At quomodo Confeſsio Sacramentum eſt, ſi ad eſſentiam ſacram. nullo modo pertinet? Idem præterea Concilium omnia Sacramenta tribus perfici dicit, materia, forma, & intentione miniſtri. *In inſtruct. Armen.* *cap. Ad abolendam. De hæret.*

Denique; Actio pęnitentis eſt ſignum ſenſibile gratiæ iuſtificantis à Deo inſtitutum, & ex eiuſdem promiſsione concurrit ad remiſsionem peccatorũ: cur igitur pars quædam Sacram. non erit? Nam ſignum eſſe ſenſibile in quæſtionem verti non poteſt, cùm non debeat Sacerdos abſoluere, niſi quem ex ſignis ſenſibilibus pęnitentem eſſe cognoſcit. Eſſe autem ſignum gratiæ iuſtificantis, manifeſtè colligitur ex eo, quòd, qui peccatum confitetur, & veniam à Deo petit, indicat ſe peccatum odiſſe, & ab eo iam animo, & voluntate recedere, ac proinde iuſtificari; quod apertius ſignificatur, & completur per abſolutionem. *Prob. ratio.*

Porrò hoc ſignum à Deo eſſe inſtitutum, alibi probandum erit, neque à Scoto, eiuſque ſectatoribus negatur. Denique ad remiſsionem peccatorum aliquo modo concurrere, teſtatur S. Ioannes: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et ſicut dicimus verè aliquem iuſtificari, quia abſoluitur, ſic etiá rectè dicere poſsumus aliquem iuſtificari, quia peccata humiliter confitetur. *1. Ioan. 1.*

De ſecunda partitione duæ ſunt quæſtiones. Vna cum Catholicis: altera cum hæreticis. Prior eſt: *An Contritio, Confeſsio, & Satisfactio ſint omnes veræ partes Sacramenti.* *De ſecunda partitione quæſt. 1.*

Fuit enim opinio Durandi ſolam Confeſsionem eſſe partem materialem ſacram. Pęnitentiæ: Contritionem autem eſſe diſpoſitionem, Satisfactionem fructum Pęnitentiæ. Argumenta eius præcipuè duo ſunt. Primum, quia quælibet veri Sacram. pars debet eſſe ſenſibilis: Contritio autem non eſt ſenſibilis. Secundum, quia Sacram. Pęnitentiæ non neceſſario exigit Satisfactionem in re, ſed in voto dumtaxat: verum enim Sacramentum erit, ſi confitenti peccata ſua detur Abſolutio, etiamſi is poſtea nunquam ſatisfaciat. *Opinio Durandi.*

At ſententia Theologorum communis eſt omnes eſſe veras partes Sacramenti materiales. Quę ſententia certiſsima eſt, neque iam amplius in dubium reuocari poteſt, cùm in Concilijs OEcumenicis, Florentino, & Tridentino diſertis verbis legamus, actus pęnitentis, Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem eſſe quaſi materiam Sacram. Pęnitentiæ. *Reſp.*

Neque ijs repugnat, quod in Scripturis ſanctis ſatisfactionis opera dicuntur fructus Pęnitentiæ. Nam aliud eſt loqui de virtute, aliud de ſacramento Pęnitentiæ. *Obiect.* *Solut.*

Virtus enim Pęnitentiæ non componitur ex partibus, cùm ſit habitus quidam ſimplex; proinde non ſunt partes, ſed actus eius, Contritio, Confeſsio. Satisfactio. Contritio quidem eſt actus eius internus; Confeſsio, & Satisfactio actus externi. Et hoc modo Scripturæ loquuntur, cùm opera externa fructus Pęnitentiæ vocant. Sacramentum vero Pęnitentiæ duabus partibus

conſtat, vt diximus, materiali, & formali. Et ad materialem quidem pertinet tres illi pęnitentiæ virtutis actus, qui ſunt etiam ipſius pęnitentis actiones: ad formalem autem abſolutio Sacerdotis.

Solut. primi argumenti Durandi. Quia vero Contritio eſt interna actio, vt pars ſacramenti, quod eſt corporale, ac ſenſibile dici poſsit, ſigno aliquo externo prodi debet. Et per hoc ſoluitur primum Durandi argumentum: non enim Contritionem, vt in corde ſedem habet, ſed, vt per ſigna manifeſtatur, Sacram. partem eſſe contendimus.

Obiect. Dicet fortè aliquis ſæpe accidere, vt Contritio non alio ſigno, quàm ipſa peccatorum confeſsione prodatur: proinde tunc non diſtingui Contritionē, quatenus eſt pars ſacram. ſenſibilis, à Confeſsione.

Solut. Reſp. fieri quidem poſſe, vt ijſdem verbis Contritio detegatur, & Confeſsio explicetur; verumtamen in illis verbis duo ſigna ſenſibilia contineri. Nam ſi quis fateatur ſe furtum commiſiſſe, ſed iactando, & gloriando, vel ſimpliciter colloquendo illa narret; ille quidem confitebitur peccata, ſed Contritionem non prodet. Quare aliud eſt peccatum cōfiteri, vt alter intelligat, quot, & qualia illa ſint; aliud cum dolore, & deteſtatione confiteri, vt non ſolum peccatorum numerus, ſed etiam peccatoris Contritio illa Confeſsione aperiatur.

Solut. ſecundi argumenti. Ad alterum Durandi argumentum facile eſt reſpondere. Nam ſine Satisfactione Sacramentum Pęnitentiæ eſſe poteſt, ſed mancum, & mutilum. Neque enim tres illę partes eſſentiales, ſed integrales dicuntur: ſine aliqua autem parte integrali res quidem eſse poteſt, ſed integra eſſe non poteſt. Contritio enim, & Confeſsio aſsimilatur capiti, & cordi in homine; Satisfactio manui.

Obiect. Sed obijciunt aliqui; Aut Satisfactio pars eſt Sacramenti, vt eſt in voto, & propoſito pęnitentis, aut vt reipſa exercetur. Si priore modo, non eſt res ſenſibilis; ſi poſteriore non eſt præſens, cùm perficitur Sacramentum: nam peragitur Satisfactio poſt abſolutionem datam, & acceptam.

Solut. Reſp. vtroque modo eſt pars Sacramenti. Incipit enim quodammodo, dū iniungitur, & acceptatur; & poſtea tempore ſuo completur. Et quamuis, vt eſt in voto, & propoſito, non videatur eſſe ſenſibilis, tamen ſignis externis ſenſibilis redditur, dum verbo Sacerdotis indicitur, & verbo, aut nutu pęnitentis admittitur.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt: *Quot ſint partes pœnitentiæ?* ſiue; Quot ſint actiones in homine pęnitente neceſſariæ, vt Abſolutionem percipere, & cum Deo in gratiā redire poſsit?

Reſp. Catholici ſummo conſenſū tres aſsignant: Contritionem, Confeſsionem, & Satisfactionem. Neque de hac re vlla inter Catholicos eſt controuerſia: nam ipſe etiam Scotus, qui Pęnitentiæ Sacramentum in ſola Abſolutione; & Durandus, qui in Abſolutione, & Confeſsione conſtituit, diſertis verbis docent, ad percipiendam in hoc ſacramento peccatorum remiſsionem tria illa ex parte pęnitentis requiri.

Propoſ. 1. Sit itaque propoſitio prima: *Terror animo incuſſus à lege, quem Lutherani Contritionem, ſiue Mortificationem appellant, non rectè inter partes Pœnitentiæ numeratur.*

Hæc

Hæc propoſitio conformis eſt Trident. Concilio, quod numerat terrores incuſſos inter ea, quæ hominem ad iuſtificationem iuuant, & præparant: tamen non ponit pęnitentiæ partes, ſed ab ea potius diſtinguit, cùm inter eos, & pęnitentiam quidam actus ſpei, & dilectionis intercedere dicat. Aliud enim eſt aliquid ad conuerſionem, & iuſtificationem requiri, aliud partem, ſiue actum eſſe pęnitentiæ, ſi de pęnitentia, vt Theologos decet, propriè loquamur. Igitur vt illos terrores ad conuerſionem, vt plurimùm requiri non negamus, ita partem eſſe pęnitentiæ minimè concedimus. *Seſſ.6, c.6.*

Nam Inprimis Script. diſtinguit terrores à pęnitentia. Vbi enim legimus: *Quæ ſecundum Deum eſt, triſtitia, Pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Per *triſtitiam* intelligi debet moleſtia quædam, & timor, ac pudor natus ex obiurgatione illa vehementi, & minis, quibus Apoſtolus apud Corinthios vſus fuerat. Non enim vocat Apoſtolus eo loco triſtitiam dolorem de peccatis admiſſis, quæ eſt ipſa Contritio, ſeu Pęnitentia; ſed moleſtiam illam, & verecundiam, quæ æquo animo accepta, & ſecundum Deum, Pęnitentiam ſaluberrimam gignit. Nam in eadem epiſtola ait: *Ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis, vt non contriſtemini; ſed vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Et: *Gaudeo,* inquit, *non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad Pœnitentiam.* At certè Apoſtolus non hæc diceret, ſi per triſtitiam dolorem illum acciperet, quo quis angitur, quòd Deum offenderit. Non diceret, inquam: *Scripſi vobis, non vt doleatis de peccatis*; cùm hoc ipſum vehementiſsimè cuperet: neque diceret: *non gaudeo, quia contriſtati eſtis*; cùm maximè gaudendum ſit, quòd peccatores peccaſſe ſe doleant, *& gaudium ſit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.* Itaque, vt Chryſoſtomus, & alij exponunt, ſententia Pauli eſt: Non gaudeo de triſtitia ex minis incuſſa, ſed de fructu, qui eſt Pęnitentia. *Prob. 1.* *2. Cor. 7.* *2. Cor. 2.* *2. Cor. 7.* *Luc. 15.*

Deinde; Si quis inſpiciat definitiones omnes Pęnitentiæ, quæ apud Theologos, tum veteres, tum recentiores extant, in nulla earum terrores iſtos inueniet. *Prob. 2.*

Ad hæc; Sæpe terrores in ijs inueniuntur, qui Pęnitentiam nullam agunt, ac ne inchoant quidem, vt in dæmonibus, qui *credunt, & contremiſcunt*: ſæpe etiam nonnulli veram Pęnitentiam agunt nullo pœnæ terrore, ſed ſolo Dei, & iuſtitiæ amore impulſi, qualem eſt credibile fuiſſe B. illam fęminam, de qua Dominus ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* *Prob. 3.* *Iacob. 2.* *Luc. 7.*

Denique; Fides non eſt pars Pęnitentiæ, ſed eam præcedit. Atqui terrores incuſſi à lege ex ſententia aduerſariorum ipſa etiam fide priores ſunt: ergò nõ rectè partes Pęnitentiæ dici poſſunt. *Prob. 4.*

Propoſitio ſecunda: *Fides non eſt pars Pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam neceſſario requiratur.* Hæc etiam propoſitio conformis eſt Trident. Concilio, vbi fides primo loco ponitur inter ea, quæ ad iuſtificationem diſponunt; & à Pęnitentia, quæ inter eas diſpoſitiones quintum locum obtinet, apertè diſtinguitur. *Propoſ. 2.* *Seſſ. 6. c. 6.*

Prob. primò ex duobus locis, quibus aduerſarij probant duas partes Pęnitentiæ eſſe Terrores, & fidem. Prior locus eſt: *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Alter: *Teſtificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum* *Prob. 1.* *Mar. 1.* *Act. 20.*

noſtrum Ieſum Chriſtum. At hæc loca maximè faciunt contra eos: ſiquidem diſtinguitur in vtroque loco fides à Pęnitentia. Nō enim Dominus apud Marcum ait; Pęnitemini credentes Euangelio: ſed; *Pœnitemini, & credite Euangelio*. Duo igitur ſunt, & diuerſa. Sic etiam B. Paulus non ait: Teſtificans in Deum Pęnitentiam, quæ ex fide, & terroribus conſtat: ſed; *Teſtificans in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*.

Prob. 2. Deinde, fides Pęnitentiam præcedit, eamq́ue gignit, vt exemplum Niniuitarum, & ratio manifeſta docet. *Crediderunt*, inquit Script. *Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & induti ſunt ſaccis*. Et ſanè intelligi non poteſt, quòd ſeriò aliquis Pęnitentiam agere incipiat, niſi priùs credat vera eſſe, quæ Deus, tum peccatoribus comminatur, tum pœnitentibus pollicetur. Quòd ſi fides Pœnitentiam præcedat, certè cauſſa eius eſſe poteſt, pars autem nullo modo.

Prob. 3. Ad hæc; Partes Pœnitentiæ illæ actiones cenſendæ ſunt, quæ à virtute Pœnitentiæ manant: atqui credere non Pœnitentiæ, quæ virtus eſt moralis, ſed fidei virtutis Theologicæ actio eſt.

Prob. 4. Denique, Veteres Patres, cum Pœnitentiam definiunt, nuſquam fidei meminerunt: quod certè non facerent, ſi ea potiſsima Pœnitentiæ pars eſſet.

Propoſ. 3. Propoſitio tertia: *Non ſunt omnia opera bona, quæ poſt iuſtificationem fiunt, inter partes Pœnitentiæ numeranda*. Hæc eſt contra molles Lutheranos. Non volumus autem negare, quin propoſitum bene viuendi ad Pœnitentiam pertineat: neque etiam, quin opera quædam bona, quæ ad eum finem tendunt, vt vel Pœnitentia interior oſtendatur, vel pro peccatis ſatisfiat, in partibus pœnitentiæ numerentur: ſed ſolùm id aſſerimus, non omne bonum opus poſt reconciliationem cum Deo factam partem eſſe pœnitentiæ.

Prob. Id vix vllam probationem exigit: multa ſunt enim opera bona; quæ à iuſtificatis fiunt ſine vlla relatione ad peccata præterita, ex charitate in Deum, ex miſericordia in proximos, ex iuſtitia in eos, quibus aliquid debent, ex temperantia, fortitudine, cæteriſque virtutibus, qualia opera facerent, etiamſi nunquam peccaſſent, aut Pœnitentia eguiſſent.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Non rectè ponuntur Pœnitentiæ partes, Mortificatio, & Viuificatio, ad eum ſenſum, quo à Caluino, & Bez. accipiuntur*. Ratio eſt certiſsima. Nam Caluinus, & Beza vel confundunt omninò pœnitentiam cum iuſtificatione, vel poſteriorem iuſtificationem eſſe volunt. Dicunt enim pœnitentiam eſſe fructum fidei iuſtificantis, & per Mortificationem, & Viuificationem intelligunt refrænationem vitioſarum affectionum, & pium ſtudium bene operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur.

Prob. At Scripturæ diuinæ paſsim docent Pœnitentiam viam eſſe ad iuſtificationem, & proinde priorem ipſa iuſtificatione. *Si Pœnitentiam egerit gens illa à malo, agam & ego Pœnitentiam*. Ezech. *Si pœnitentiam egerit impius, iniquitatum eius non recordabor*. Et ſæpe hoc Dominus repetit. Lucæ: *Oportebat prædicari Pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum*. In Actibus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti*. Et: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*. Et: *Hunc Principem, & Saluatorem Deus exaltauit dextera ſua ad dandam Pœnitentiam Iſraeli, & remiſsionem*

Ier. 18. *Ezech. 18. & 33.* *Luc. 24.* *Act. 2.* *Act. 3.* *Act. 5.*

miſsionem peccatorum. Et: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Et: *Ergò & Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Quod ſi pœnitentia via eſt ad remiſsionem peccatorum, & prior iuſtificatione ſecundum Script. multò maiori ratione Mortificationem illam, & Viuificationem præcedet, quæ opinione aduerſariorum eſt fructus fidei iuſtificantis, & iuſtificationem ipſam conſequitur. Adde, quòd pœnitentia in Script. non dicitur, niſi à peccatis, ſiue ab operibus mortuis, iuxta illud: *Non rurſus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis ad perfectionem feramur.* Nec pœnitentia eſt omnium hominum ſecundum Script. ſed peccatorum tantùm: iuſtis enim Deus non poſuit pœnitentiam, vt legimus in oratione Manaſsis: & Dominus dicit iuſtos non egere pœnitentia. Non igitur rectè Caluinus vocat pœnitentiam mortificationem illam affectionum, & renouationem ſpiritalem, quæ eſt omnium hominum, etiam iuſtorum: iſta enim ad profectum, non ad pœnitentiam pertinent. *Act. 8.* *Act. 11.* *Heb. 6.* *Luc. 15.*

Propoſitio quinta: *Tres ſunt partes pœnitentiæ; Contritio, Confeſsio, Satisfactio.* *Propoſ. 5.*

Nota primò, hoc loco, nomine pœnitentiæ non ſignificari habitum, ſeu virtutem pœnitentiæ, quæ, vt diximus ſupra, partes non habet, cùm ſimplex qualitas ſit; neque etiam actualem pœnitentiam abſolutè, cùm Confeſsio, & Satisfactio Contritionis ſigna, & effectus ſint, & proinde ad eam non, vt partes ad partem, ſed, vt effectus ad cauſſam, referantur: ſed deſignari actualem pœnitentiam, quatenus ea ex parte pœnitentis ad remiſsionem peccatorum in reconciliatione neceſſaria eſt. Quia enim tres iſti actus, qui ex virtute pœnitentiæ (licet non æquè immediatè, & principaliter) oriuntur, ex parte pœnitẽtis neceſſarij ſunt, ideò tres partes pœnitentiæ numerantur. *Nota 1.*

Nota ſecundò tres iſtas pœnitentiæ partes non ſolùm requiri in ordine ad Sacramentum, ſed etiam extra Sacramentum ſuo quodam modo eſſe, ac fuiſſe neceſſarias in omni lege. Dixi, ſuo quodam modo, propter duas cauſſas. Primum, quia extra Sacramentum non requiritur confeſsio omnium peccatorum, quæ Sacerdoti fiat, neque Satisfactio à Sacerdote iniuncta: ſed ſatis eſt confeſsio quædam generalis facta Deo, & Satisfactio per opera laborioſa ſponte aſſumpta. *Nota 2.*

Deinde, quia extra Sacramentum, ſi quis aut anguſtijs temporis, aut alia de cauſſa legittimè impediatur, quò minùs confiteri, aut ſatisfacere queat, ſola contritio interior ad ſalutem illi ſufficiet.

Prob. ergò tres illas partes actus eſſe quoſdam virtutis pœnitentiæ, ac per hoc partes, ac veluti membra pœnitentiæ actualis. Primum Contritionem ad pœnitentiam pertinere Scripturæ paſsim docent. *Cùm quæſieris Dominum, inuenies eum, ſi tamen quæſieris in toto corde, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et: *Scindite corda veſtra.* Et: *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies.* Confeſsionem quoque partem pœnitentiæ eſſe, perſpicuum eſt ex infinitis locis. *Vir, ſiue mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent accidere hominibus, confitebuntur peccatum ſuum.* Et: *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Et: *Baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua.* Et: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos.* Et: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus* *Prob. 1.* *Deut. 4.* *Ioel. 2.* *Pſal. 50.* *Num. 5.* *Pſal. 31.* *Matth. 3.* *Act. 19.* *1. Ioan. 1.*

vt remittat nobis peccata noſtra. Denique, Satisfactionem per opera laborioſa fre-
2. Eſd. 9. quentiſsimè Script. commemorat. *Conuenerunt filij Iſraël in ieiunio, & in ſaccis, &*
Dan 4. *humus ſuper eos, & confitebantur peccata ſua.* Et: *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Et:
Ioël. 2. Matth. 11. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu.* Et: *Olim in cine-*
Prob. 2. *re, & cilicio pœnitentiam egiſſent.*

1. Exemplum. Præterea; Idem Script. exemplis demonſtrari poteſt.

2. Reg. 24. Illuſtre eſt exemplum Dauidis: nam, cùm Dauid iuſsiſſet populum nume-
rari, & in ea re ex quadam animi elatione peccaſſet, inquit Script. deſcribens
eius pęnitentiam: *Percuſsit autem cor Dauid eum*, ecce Contritionem, *& dixit*
Dauid ad Dominum, Peccaui valdè in hoc facto, ecce Confeſsionem, *ſed precor, Domi-*
ne, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis. Et paulò infrà: *Ego ſum, qui*
peccaui, & ego iniquè egi; iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua
contra me. Et paulò pòſt obtulit ſacrificium, & ſic Dominus placatus eſt; in
quo apparet Satisfactio per orationem, & ſubiectionem ad flagella Domini,
& tandem per ſacrificij oblationem.

2. Exemplum. Aliud exemplum eſt Niniuitarum, quorum pœnitentiam Dominus in E-
uangelio laudauit, quæ ita deſcribitur: *Conuertatur vir à via ſua mala*, ecce Con-
Matth. 12. Ion. 3. tritionem, *& clament ad Dominum in fortitudine*, ecce Confeſsionem, *& homines,*
& iumenta non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquã non bibant, & operiantur ſaccis
homines, & iumenta, ecce Satisfactionem.

3. Exemplum. Tertium exemplum habemus in Euangelio, vbi deſcribitur Publicanus
pęnitens, qui in ſignum Contritionis non audebat oculos ad cęlum leuare: &
Luc. 18. peccatum confitebatur, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Ac deniq; pectus
ſuum percutiebat, quod pertinet ad Satisfactionem.

4. Exemplum. Huic ſimile eſt exemplum filij prodigi, qui primùm ad ſe reuertitur, & ſta-
tum deteſtatur ſuum. Deinde confitetur dicens: *Pater, peccaui in cælum, & coram*
Luc. 15. *te.* Poſtremò ſubijcit ſe pęnæ à patre inferendæ: *Iam non ſum dignus vocari filius*
tuus; fac me, ſicut vnum ex mercenarijs tuis.

Prob. 3. Eadem veritas ex Patrum teſtimonijs copioſè probari poſſet: ſed eo ad ra-
tionem, quæ ex ipſa pęnitentiæ natura ducta talis eſt.

Prob 4. 1. Ratio. Pęnitentia, de qua hic agimus, non eſt quælibet peccati deteſtatio, ac puni-
tio; ſed deteſtatio, ac punitio peccati, vt eſt offenſio diuinæ Maieſtatis, & vt
ad peccatum tollendum, & amicitiam cum Deo reſarciendam ordinatur.
Act. 20. Hinc enim vocatur pęnitentia in Deum, & coniungitur cum conuerſione ad
Act. 26. Deum; & paſsim in diuinis litteris, ac præſertim in Ezechiele, pęnitentiæ finis
Ezech. 18. & 33. dicitur iuſtificatio, & reconciliatio. Hoc autem intereſt inter iuſtitiam vindi-
cantem, & pęnitentiam reconciliantem; quòd ad iuſtitiam vindicantem ſatis
eſt, ſi reus pęnam luat à Iudice præſcriptam, ſiue is libenter id faciat, ſiue inui-
tus; & ſiue is, qui læſus eſt, id probet, ſiue improbet: at mulcta in pęnitentia
reconciliante ſubeunda eſt prompto animo ab eo, qui læſit, & ad arbitrium
eius, qui lęſus eſt. Quare neceſſariò hic exigitur, vt primùm, qui peccauit, do-
leat ſe peccaſſe, & amicitiam violaſſe: quando enim amicitiam recuperare
cuperet, qui non doleret amiſſam? Deinde vt ſubijciat ſe pęnæ ad arbitrium
Dei, qui lęſus eſt. Et, quia Deus per miniſtros ſuos nobiſcum agit, oportet,
vt, qui peccauit, illi homini ſe ſponte ſubijciat, qui Dei locum tenet. Id

verò fieri nequit, niſi & culpas ei per Confeſsionem aperiat, & mulctam ſuſcipiat, quam ille preſcripſerit. Sunt igitur tria illa neceſſaria: Deteſtatio peccati cum propoſito vitæ melioris, quæ dicitur Contritio; Confeſsio, & Satisfactio.

Ad hæc; Tria iſta natura ipſa duce quotidie adeſſe videmus, cùm aut liberi cum parentibus, aut ſerui cum dominis, aut vxores cum viris in gratiam redeunt: nam & ſigna doloris oſtendunt, & peccata fatentur, & ſe caſtigationi ſubijciunt, aut certè indulgentiam petunt. *2. Ratio.*

Docent autem ſacræ litteræ non vno in lòco Deum erga homines, & patris, & Domini, & ſponſi locum tenere. *Tu Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos: tu, Domine, Pater noſter, Redemptor noſter, à ſeculo nomen tuum.* Et: *Sicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum: ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.* Et: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamē reuertere ad me, dicit Dominus.* *Iſa. 63.* *Pſal. 122.* *Hier. 3.*

Poſtremò; Neque illa congruentia contemnenda videtur, quòd, quemadmodum tria ſunt inſtrumenta peccandi, cor, lingua, manus; ita par eſt, vt tria ſint veluti inſtrumenta penitentiæ; & aduerſus peccatum cordis, Contritione; oris, Confeſsione; operis, Satisfactione pugnemus, vt hac ratione iuxta Apoſtolum, *Sicut exhibuimus membra noſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeamus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* *3. Ratio.* *Rom. 6.*

Nunc vltima partitio eſt explicanda. Igitur publica, & priuata penitentia in eo potiſsimum diſtinguuntur, quòd publica ea dicitur, in qua peccatum commiſſum publicatur, & pro eo publicè coram Eccleſia peragitur Satisfactio: priuata verò illa, in qua peccatum ſoli detegitur Sacerdoti, & Satisfactio occultè, ac priuatim iniungitur peragenda. Ex quo ſequitur, vt publica peccata ad pœnitentiam publicam, occulta ad priuatam pertineant: neque enim licet peccatum occultum publicare, aut etiam pro occulto pœnitentiam ita publicam imponere, vt ex ea peccatum ipſum detegatur. Inter publicam autem ſolennem, & publicam non ſolennem multæ differentiæ ſunt: quamuis hoc nomen, *Solenne*, apud veteres fortè non inueniatur. *De tertia partitione.* *Differentia inter publicam, & priuatam pœnitētiam.*

Primùm; penitentia ſolennis non, niſi pro grauiſsimis criminibus, quę totam ciuitatem conturbaſſent, magnumve ſcandalum attuliſſent, imponi conſueuerat: Publica autem non ſolennis pro publicis quibuſcunque peccatis, licet non ita grauia eſſent, nec ſcandalum adferrent, imponi conſueuerat. *Differentia 1. inter ſolennem, & non ſolennem.*

Secundò; Pœnitentia ſolennis ſemel tantùm concedebatur. Cuius rei ratio duplex eſt. Vna, quam reddit Auguſtinus, ne medicina vilis minùs vtilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minùs contemptibilis fuerit. *Differentia 2.* *Epiſ. 54.*

Altera, quam inſinuat Ambroſius, quia penitentia ſolennis eſt ſolennis quædam profeſsio non redeundi iterum ad publica illa ſcandala, ſicut Baptiſmus eſt ſolennis profeſsio non redeundi ad infidelitatem: & ideò ſicut vnum Baptiſma, ita & vna eſt Penitentia ſolennis. Quid verò *L. 2. de pœnit. c. 10.*

agere tur.

ageretur cum ijs, qui poſt ſolennem pęnitentiam in eadem, vel grauiora crimina labebantur explicat Siricius Papa: *Quia, inquit, iam ſuffragium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, vt ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione iungantur; ſacræ myſteriorum celebritati, quamuis non mereantur, interſint; à Dominicæ autem menſæ conuiuio ſegregentur, vt hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & alijs exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen (quia carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per Communionis gratiam volumus ſubleuari.*

Epiſt. 1. c. 5.

Differentia 3. Tertiò; Pęnitentia ſolennis Sacerdotibus imponi non poterat, & contrà, qui pœnitentiam ſolennem egiſſent, ad Ordines promoueri nequibant. Potuiſſe autem Sacerdotes ſubire pęnitentiam, quæ licet non ageretur coram populo, tamen ſuo quodam modo publica eſſet, & non ſolennis, in dubium reuocari non poteſt. Nam & excommunicari poterant, & in Monaſteria ad agendam pęnitentiam amandari. Nec eſt improbabile, quòd quidam volunt, Sacerdoti depoſito potuiſſe pęnitentiam ſolennem iniungi, quod Sacerdos depoſitus cenſeatur ad laicorum ordinem redijſſe.

Differentia 4. Quartò; Pęnitentia ſolennis non poterat imponi coniugatis ſine mutuo conſenſu. Cuius rei ratio eſt, quia pęnitentibus interdicebatur officium coniugale, & ſi innuptæ erant, etiam nuptiæ. Id locum non habebat in Pęnitentia non ſolenni.

Differentia 5. Quintò; Pœnitentia ſolennis à ſolo Epiſcopo indicebatur, & ab eodem reddebatur pax pœnitentibus, neque id Presbyteris licebat, niſi in abſentia Epiſcopi, vrgente neceſsitate. At pęnitentiam non ſolennem Presbyteri quoque iniungere poterant, & pęnitentes reconciliare.

Differentia 6. Sextò, Variæ cæremoniæ, ac multiplices ritus erant, qui ad ſolennem pęnitentiam adhibebantur, nec pęnitentiæ priuatæ, aut etiam publicæ non ſolenni communes erant.

1. Ceremonia pœnitentia ſolennis. Primum, Nomen pęnitentium, ordinis erat, vt nomen Clericorum, & Catechumenorum. Chriſtiani enim primum in duos quaſi ordines ſecabantur, in Fideles, & Catechumenos. Deinde Catechumenorum duæ claſſes erant: alij enim Audientes, alij Competentes, ſiue Electi dicebantur: Fidelium verò claſſes tres erant.

Prima Clericorum, quo nomine omnes ordines Eccleſiaſtici intelligebantur.

Secunda Fidelium, id eſt, laicorum, qui commune nomen retinuerunt, cũ aliud excellentius non haberent.

Tertia pęnitentium, qui & ſi fideles eſſent, tamen ob culpam ſuam à cæteris fidelibus ſegregati, & quaſi in ſentinam Eccleſiæ reiecti peculiari nomine cenſebantur.

2. Cærem. Secundò, habitus pęnitentium erat certus, quo diſtinguerentur à cæteris, ſcilicet pulla veſtis, cilicium, caput detonſum, exceptis fęminis, quæ non tondere, ſed velare caput debebant.

3. Cærem. Epiſ. canonica inter Photy. Tertiò, Locus pœnitentium varius erat pro criminum varietate. Gregorius Neocæſarienſis ſcribit quinque fuiſſe loca pęnitentium.

Primum, id eſt, infimum, & ab altari remotiſsimum extra portas Eccleſiæ con-

conſtituit, qui πρόσκλαυσις dicebatur, à fletu: qui enim in hoc loco conſiſtebant, non permittebantur ingredi Eccleſiam, ſed pro foribus flebant, & orationes fidelium poſtulabant.

Alter locus iam intra portas erat, vnde audire verbum Dei cum Catechumenis Audientibus poterant, non tamen ad orationem cum Competentibus admittebantur: & hic locus ab audiendo ἀκρόασις dicebatur.

Tertius erat eorum, qui admittebantur, tum ad audiendum, tum etiam ad orandum cum Competentibus, non tamen ad ſacrificium Miſſæ cum fidelibus: & hic locus dicebatur ὑπόπτωσις, quaſi contemplatio rerum ſupernarũ.

Quartus locus erat eorum, qui manebant cum fidelibus, dum ſacrificium celebraretur, non tamen altari communicabant: & hic locus à ſtando σύστασις dicebatur.

Quintus erat eorum, qui iam Pęnitentiam expleuerant, & ſolum expectabant tempus reconciliationis: & hic locus dicebatur μέθεξις, id eſt, expletio.

Quartò, Tempus imponendi Pœnitentiam ſolennem erat feria IV. ante primam Dominicam Quadrageſimæ, quæ dicitur, *In capite Ieiunij*. Habemus adhuc veſtigium huius rei in conſecratione, & aſperſione cineris, quæ eo die fieri ſolet. Et quamuis tempus pœnitendi alijs longius, alijs breuius præſcriberetur, vt trium, ſeptem, decem, aut plurium annorum, tamen ſingulis annis in feria V. maioris hebdomadæ omnes reconciliabantur, & communicabant. *4. Carem.*

Quintò, Pœnæ pęnitentium multiplices erant, & variæ. Prima communis, & grauiſsima, abſtinere à participatione diuinorum myſteriorum. Secunda, vt pęnitentes non promouerentur ad Clerum. Tertia, vt abſtinerent à nuptijs. Indulgebatur tamen adoleſcentibus, vt ad vitandam fornicationem vxorem ducerent. Quarta, vt ad militiam ſæcularem non accederent, ſed ſoli Deo deinceps deſeruire ſatagerent. Quinta, vt non eſſent ſuſceptores in Baptiſmo, aut Confirmatione, dum in ordine Pęnitentium ſtarent. Sexta, vt vnctione infirmorum carerent. Septima, vt ſingulis diebus Ieiuniorum venirent ad Eccleſiam, & capita ſubmitterent Sacerdotibus, qui eis manus imponerent, & pro eis orarent. Octaua, vt mortuos ſepelirent. Nona, vt diebus Dominicis, & tempore Paſchali, cùm fideles ſtantes orabant, ipſi genua flecterent ad orandum. Decima, vt non irent ad balnea, neque ad conuiuia, & inuitati recuſarent; ſed ieiunijs, & orationi, ſacco, & cineri incubantes aſsiduè operam darent. *5. Carem.*

CAPVT III.

Quid ſit Contritio?

Seſſ.14. c.4. CONCILIVM Trident. ſeptem capita de contritione proponit, quæ apud Catholicos omnes certiſsima eſſe debent.

Primum eſt, Contritionem eſſe dolorem animi, & deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.

Secundum, Contritionem lapſis ſemper fuiſſe neceſſariam ad veniam obtinendam.

Tertium, poſt Baptiſmum debere eſſe coniunctam cum fiducia diuinæ miſericordiæ, & cum voto præſtandi cætera, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur.

Quartum, Contritionem charitate formatam reconciliare hominem, etiã antequam Sacramentum actu percipiatur.

Quintum, Contritionem imperfectam, quæ Attritio dici ſolet, quæ ex metu gehennæ concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, & cum ſpe veniæ ſit coniuncta, non ſolùm non facere hominem magis peccatorem, ſed eſſe donum Spiritus ſancti, & vtilem ad iuſtificationem.

Sextum, Attritionem ſine ſacramento, quod reipſa percipiatur, non poſſe per ſe ad reconciliationem perducere peccatorem; cum tamen ad gratiam in Sacramento ſuſcipiendam diſponere.

Septimum, Contritionem non eſſe coactam, & extortam; ſed liberam, & voluntariam.

Quæſt. 1. Quæſtio prima: *An Contritio ſit actus bonus, & liber, & num ad legem, an ad Euangelium pertineat?*

Propoſ. 1. Propoſitio prima: *Contritio non eſt terror ex minis legis conceptus.*

Prob. 1. Nam præter argumenta ſuperius adducta, nomina ipſa, & metaphoræ, vnde ſumpta ſunt ea nomina, apertè ſatis docent aliud eſſe, terreri, & contremiſcere; aliud verò, conteri, ſcindi, molliri. Poteſt enim res integra, & dura commoueri, & tremere; at non poteſt dura ſimul, & mollis integra, & ſciſſa, ſeu contrita permanere. Sicut autem, cùm lapidea molès ita conteritur, vt in puluerem redigatur, duritiem, & tumorem deponit, vt iam flecti, & formari ſe facilè ſinat ad artificis arbitrium, ſic etiam cor peccatoris durum, & tumidum Dei legibus, & imperio reſiſtens, per Contritionem mollitur, humiliatur, legi Dei ſe ſubdit. priſtinam ſuam duritiem, & tumorem deponit. Et ideò in Script. idem eſt *cor contritum*, & *cor carneum*. Deus enim, quaſi malleo, conterit petras, quando aufert cor lapideum, & donat cor carneum. Rurſus, ferè ſemper humilitas cum Contritione coniungitur: *Propè eſt Dominus ijs, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabuntur.* In quem locum Baſilius, & Auguſtinus pro *tribulato*, Contrito, legunt, & cor contritum cor humile eſſe dicunt, quia ſequitur in Pſalmo: *Humiles ſpiritu ſaluabuntur.* Sic etiam alibi:

Hier. 23. Ezech. 11. Pſal. 33.

Cor

Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Quem locum tractans Chryſo- *Pſal. 50.*
ſtomus docet Contritionem ſine humilitate eſſe non poſſe. Cùm igitur Con-
tritio duritiem, & tumorem, & proinde peccati affectum ſecum non patia-
tur; dubitari non poteſt, quin aliud ſit Contritio, aliud ſimplex terror. Siqui-
dem terrores in corde duro, & ſuperbo eſſe poſſunt, vt perſpicuum eſt de Sa-
tana, & Angelis eius, qui *credunt & contremiſcunt*, & tamen nec peccatum ſuum *Iac. 2.*
oderunt, nec tumorem, aut obſtinationem vnquam deponunt. Planum eſt
etiam de Felice illo Syriæ Præſide, qui audiens Paulum de futuro Iudicio diſ- *Act. 24.*
putantem, non leuem terrorem concepit, nec tamen Contritionem habuiſſe
dici poteſt, cùm retinuerit cor lapideum, & nec infidelitatem, nec cætera ſua
peccata dimiſerit.

Deinde; Scriptura Contritioni tantam vim tribuit, vt Dauid dicat: *Cor con-* *Prob. 2.*
tritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies. Et Dominus apud Iſaiam: *Ad quem reſpi-* *Pſal. 50.*
ciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Et, quod *Iſa. 66.*
ſupra citauimus: *Prope eſt Dominus ijs, qui tribulato*, id eſt, contrito, *ſunt corde.* *Pſal. 33.*
Quis autem credat terrores illos, qui in hominibus impijs, & in ipſis dæmo-
nibus eſſe queunt, à Deo non poſſe deſpici, & ſuper eos, qui ita terrentur, ſem-
per Dominum clementer aſpicere, ac propè eſſe Deum his, qui ſupplicia, ac
tormenta ſic timent, vt interim peccata non deſerant?

Denique; Script. diuinæ, & ſancti etiam Patres, cùm deſcribunt veram a- *Prob. 3.*
nimi contritionem, non ſolos pauores, & terrores; ſed gemitus, lacrymas,
ſuſpiria dolentis animi, & peccata deteſtantis nobis proponunt.

Propoſitio ſecunda: *Contritio non eſt paſsio, ſed actio, & ea libera, non coacta.* *Propoſ. 2.*

Prob. nam Inprimis extant apertiſsima præcepta diuina de Contritione: *Prob. 1.*
Scindite corda veſtra. Et: *Pœnitentiam agite.* Et: *Nunc annunciate hominibus, vt omnes* *Ioel. 2.* *Matth. 3.*
vbiq; pœnitentiam agant. At ridiculum eſt ad paſsionem coactam, & non potiùs *Act. 17.*
ad liberam actionem eiuſmodi præcepta referre. Quorſum enim imperentur
ea, quæ non ſunt in noſtra poteſtate, & quæ, velimus, nolimus, tolerare co-
gimur?

Deinde; Contritio gratiſsimum Deo ſacrificium eſt, & oculos Domini ad *Prob. 2.*
ſe trahit, vt poteſt intelligi ex Iſaia, & promiſsionem habet miſericordiæ, & *Iſa. 66.*
gratiæ, vt Scripturæ paſsim teſtantur. At paſsio coacta nihil habet, vnde pla-
ceat Deo; vt notum eſt. Ergò, &c.

Denique; Non alia de cauſſa aduerſarij Contritionem paſsionem eſſe vo- *Prob. 3.*
lunt, & extortam, atque coactam, niſi quia ſibi perſuaſerunt Contritionem
nihil aliud eſſe, niſi terrores illos ex minis præceptorum conceptos: neque
enim fieri poſſe videtur, vt menti obijciatur peccatum proprium, & ſimul ira
Dei in peccatores, & ſupplicia æterna peccatoribus præparata, quin terror, &
pauor ingens hominem iſta cogitantem inuadat. Atqui iam oſtendimus lon-
gè aliud eſſe Contritionem, quàm iſtos terrores. Et licet etiam terrores iſti
Contritio dici poſſent, adhuc tamen non coacti, ſed liberi dici deberent: nam
ſupplicia iſta, quæ Deus peccatoribus comminatur, non vt præſentia, & viſi-
bilia obijciuntur oculis, ſed vt futura, abſentia, inuiſibilia obijciuntur menti.
Proinde, niſi quis ſeriò mentem applicet ad ea cogitanda, non facilè commo-
uetur: applicare autem animum ad ea, vel ab ijs eundem animum auocare, in

noſtra poteſtate eſt. Quocirca plurimi conciones audiunt, & libros ſacros legunt, qui tamen non contremiſcunt: & Dominus ipſe, cùm per Prophetas, tum per ſe ipſe, ad hunc timorem hortatur; quod ſanè non faceret, ſi timere,
Eccle. 12. vel non timere in poteſtate noſtra non eſſet. *Deum time, & mandata eius obſerua.*
Eccli. 7. Et: *In tota anima tua time Dominum.* Et: *Timete Dominum omnes ſancti eius.* Et: *Ti-*
Pſal. 33. *mete eum, qui, poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam; ita dico vobis,*
Luc. 12. *hunc timete.*

Propoſitio 3. Propoſitio tertia: *Contritio ad Euangelium maximè pertinet.*

Prob. 1 Prob. primò ex vaticinio Ezechielis, vbi Dominus pollicetur filijs Teſta-
Ezech. 11. & 36. menti noui *ſpiritum nouum*, & *cor carneum* pro lapideo corde: idem enim eſt cor lapideum, & cor durum; idem etiam cor carneum, & cor contritum.

Prob. 2. Secundò prob. Nam Chriſtus auctor Euangelij Contritionem prædicauit,
Mat. 4. cùm diceret: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Et rurſus:
Luc. 5. *Non veni*, inquit, *vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Apoſtoli quoque à
Mar. 6. Chriſto miſsi ad euangelizandum, *exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent.* Et rurſus, poſt reſurrectionem ſuam explicans Chriſtus, quod Euangelium
Luc vlt. prædicandum eſſet in nomine ſuo: *Oportet*, inquit, *prædicari pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes Gentes.* Petrus quoque dicit Chriſtum exaltatum
Act. 5. à Patre *ad dandam pœnitentiam Iſraëli.* Et: *Ergò & Gentibus pœnitentiam dedit Deus*
Act. 11. *ad vitam.* Et: *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat homi-*
Act. 17. *nibus, vt omnes vbiq; pœnitentiam agant.* Paulus etiam prædicaſſe ſe dicit *Iudæis, at-*
Act 20. *que Gentilibus pœnitentiam in Deum, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Et
Act. 26. alibi iterum affirmat ſe prædicaſſe, *vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Et plena ſunt volumina Euangelica, & Apoſtolica teſtimonijs. Quare niſi à pœnitentia Contritionem excludere velint; aut Chriſtum, & Apoſtolos non Euangelij, ſed legis veteris prędicatores faciant, non poſſunt vllo modo negare, quin Contritio ad Euangelium propriè pertineat.

Prob. 3. Præterea; Lex vetus, vt à noua diſtinguitur, non habet promiſsionem gra-
Gal 2. tiæ, neque eius opera Deo ſunt grata. Nam *ſi per legem eſſet iuſtitia, Chriſtus gratis*
Rom. 4. *mortuus eſſet*, ait Apoſtolus. Et: *Qui operatur*, nimirum ſine gratia, quę propria
2. Cor. 3. eſt Teſtamenti noui, *habet gloriam, ſed non apud Deum.* Et: *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu: littera enim occidit, ſpiritus viuificat.* Vbi littera legis ſine ſpiritu Euangelij, tantùm abeſt, vt vitam adferre dicatur, vt etiam dicatur occidere. At Contritio Deo gratiſsima eſt, & gratię, ac vitæ promiſ-
Pſal. 50. ſionem habet. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Sacrificium autem ideò no-
Iſa 66. minatur, quia inſtar Sacrificij Deo grata, & accepta eſt Contritio. Item: *Cor*
Deut 4. *contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Et: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu?* Et: *Inuenies eum, ſi quæſieris in toto corde tuo, & tota tribula-*
Ezech. 18. *tione animæ tuæ.* Et: *Si impius egerit pœnitentiam, &c. vita viuet.* Cùm igitur Contritio, ſiue Pœnitentia, quę potiſsimum in Contritione conſiſtit, promiſsionem gratiæ, & vitę habeat, ſine dubio ad Euangelium potius, quàm ad legem pertinere dicenda eſt.

Prob. 4. Denique, Si vlla ratio eſſet, cur Contritio ad legem reijcienda videretur, ea potiſsimum eſſet, quia proprium legis eſt terrere, vt Euangelij proprium

eſt

eſt conſolari. At iam oſtendimus Contritionem non eſſe terrorem à lege incuſſum. Deinde, Neque illud eſt verum, Euangelij proprium eſſe conſolationem, non autem minas: ſiquidem Euangelium, vt mirificè conſolatur obedientes, & fideles, ita vehementer inobedientes, & infideles exterret. Sic enim de Chriſto Ioannes concionatur: *Cuius ventilabrum in manu eius, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum: paleas autem comburet igne inextinguibili:* Et ipſe Dominus nónne paſsim minatur gehennam, ignem inextinguibilem; vermem, qui non moritur, tenebras exteriores, ſtridorem dentium, ſupplicium ſempiternum? Et quid eſt, quod Apoſtolus ait: *Non erubeſco Euangelium; virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem; ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominũ eorum, qui veritatem Dei in iuſtitia detinent?* Hoc loco certè docet perſpicuè Paulus Euãgelium continere non ſolùm credentium ſalutem, ſed etiam minas iræ Dei erga peccatores.

Matth. 3. *Matth 5. 13. 24. 25.* *Mar. 9.* *Luc. 12.* *Rom. 1.*

Propoſitio quarta: *Contritio non ſpoliat hominem bonis operibus: & peccatis, ac maledictionibus replet; ſed contra potius & ipſa eſt opus bonum, & à peccatis liberat, & bona opera, ac benedictiones adducit.* Hæc propoſitio probabitur, ſi aduerſariorum fundamenta euertantur. Vnum ipſorum fundamentum eſt, quia experientia teſtatur eos, qui veram Contritionem peccatorum habent, ſeipſos contemnere, ac deteſtari, nihilque in ſe boni, ſed multa mala agnoſcere: atque idcircò ſe indignos gratia, dignos odio; & ſupplicijs iudicare. *Propoſ 4.*

Alterum, quia terrores illos, quos ipſi Contritionem vocant, antequam fides certa remiſsionis accedat, nihil aliud eſſe volunt, niſi fugam Dei, fremitum aduerſus Deum, viam ad deſperationem, atque exitium ſempiternum. Sed in vtroque multum errant. Nam quòd homo ſe bonis operibus vacuum, & peccatis onuſtum cernat, non eſt Contritionis effectus, ſed partim humilitatis, partim diſcuſsionis, & cognitionis ſui ipſius. Contritio verò eius cognitionis non eſt cauſſa, ſed effectus. Non enim, quia conteritur quis, ideò ſe peccatis plenum agnoſcit; ſed è contrario, quia ſe videt peccatis plurimis coopertum, ideò conteritur, angitur, dolet.

Deinde, Altero fundamento nihil abſurdius dici poſſet, præſertim apud Aduerſarios, qui Contritionem, etiam vt fidem præcedit, à ſolo Deo eſſe contendunt. Niniuitæ etiam nónne de remiſsione peccatorum dubitabant, cùm dicerent: *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Et tamen territi, & compuncti ad prædicationem Ionæ non fugiebant à Deo, neque aduerſus eum fremebãt; ſed eum potiùs pœnitentiæ operibus placare ſatagebant, & ea ratione tandem miſericordiam impetrarunt. *Ion. 3.*

Quæſtio ſecunda: *An Contritio ita procedat ex libero arbitrio, vt ſine ſpeciali Dei auxilio cor humanum præueniente, & adiuuante poſsit haberi?* *Quæſt. 2.*

De hac re Concilium Trident. *Declarat præterea* (ſancta Synodus) *ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe.* *Reſp.* *Seſſ. 6. cap. 5.*

Deinde: *Diſponuntur*, inquit, *ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, atque adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum*, &c. *Cap. 6.*

Cap 14. Tum: *Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum meritò Chriſti amiſſam*
Can. 3. *gratiam recuperare procurauerint.* Et infrà: *Si quis dixerit ſine præuenientis Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominẽ credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Seſs. 14. Denique; Alibi non modò non habetur contritionem ex ſolis viribus li-
cap. 4. beri arbitrij concipi poſſe; ſed etiam diſertis verbis ipſam Contritionem imperfectam, quam Attritionem dicimus, Concilium eſſe docet donum Dei, & Spiritus ſancti impulſum. Nec ſolùm Concilium OEcumenicum, in cuius definitionibus omnes Catholici acquieſcũt; ſed etiam celeberrimæ academię, Pariſienſis, & Louanienſis, in articulis publicè editis eam fidem apertiſsimè profitentur. In eandem ſententiam ſcripſerunt Theologi Scolaſtici antiquiores; & de his, qui hoc ſæculo vixerunt, & viuunt, nulla dubitatio eſſe poteſt.

Prob. 1. Prob. veritas Catholicæ ſententiæ. Primum; Pſalmi Dauidis pleni ſunt il-
Pſal. 84. lis vocibus: *Conuerte nos, Deus, ſalutaris noſter.* Et: *Deus virtutum, conuerte nos.* Et:
Pſal 79. *Errani, ſicut ouis, quæ perijt; quære ſeruum tuum.* Deinde Ieremias; *Conuerte me, Do-*
Pſal. 118. *mine, & conuertar.* Et paulò infrà: *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.* Tum
Ier. 31. apud Ezechielem: *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.*
Ezech. 36. Quod certè nihil aliud, quam donum Contritionis, veræque Pœnitentię, ſignificare poteſt. Ad hęc;
Luc. 22. *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum,* & talem in eo Contritionem excitauit, vt continuò amariſsimè fleuerit. Denique; Quid apertius illo B. Pauli teſtimonio, qui monet cum modeſtia corripiendos eſſe eos,
2. Tim. 2. qui reſiſtunt veritati: *Ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatẽ, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur.*

Prob. 2. His accedunt veteris Eccleſiæ apertiſsimæ definitiones. Idem docuerunt doctiſsimi Apoſtolicæ ſedis Præſules, Innocentius, Cæleſtinus, & Leo.

Quæſtio. 3. Quæſtio tertia: *An Contritio includat odium, & deteſtationem peccati præteriti?*

Prob. 1. Affirmat pars prob. Nam in Script. tum per ſe, tum per Apoſtolos, & Pro-
Reſp. phetas, Deus peccata frequentiſsimè in memoriam peccatoribus reuocabat; cuius nulla alia ratio reddi poteſt, niſi, vt ipſi quoque ea recogitarent, & de-
Gen 3. teſtarentur. Dixit Deus mulieri: *Quare hoc feciſti?* Et ad Cain: *Quid feciſti?* Deus
Gen. 4. etiam per Angelum populum increpat: *Noluiſtis audire vocem meam, quare hoc fe-*
Iud 2. *ciſtis?* Et: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera*
Iſa. 58. *eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Item: *Et miſi ad vos omnes ſeruos meos Prophetas*
Ier. 7. *per diem, conſurgens diluculo, & mittens, & non audierunt me.* Et alibi explicans, quid
Ier. 8. ſit, de quo quęritur Deus: *Nullus eſt,* inquit, *qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens: Quid feci?* Vbi vides perſpicuè pœnitentiam referri ad peccata præterita
Ezech. 16. deteſtanda. Et: *Notas fac Ieruſalem abominationes ſuas.* Et: *Conuertimini ad me in toto*
Ioel. 2. *corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra.* Sanè iſta non ad vitam nouam, ſed ad peccata vetera pertinent. Denique; Prophetæ omnes in hoc maximè laborabant, vt ſuis cohortationibus ad peccata agnoſcenda, & deteſtanda pop. prouocarent. Nec minùs in Teſtamento nouo Chriſtus ipſe

aſsiduè

aſſiduè peccata Scribarum, & Phariſæorum arguebat, & præſertim Matt. 23. *Act. 2. & 3.*
vt etiam Petrus, Stephanus, Paulus reuocant in memoriam Iudæis peccata *Act. 7.*
ipſorum, atque illud maximè, quòd Chriſtum interfecerint. *Act. 13.*

Deinde; Idem oſtendunt Script. exempla. Nam Iob de ſeipſo dicit: *Vnum* *Prob. 2.*
locutus ſum, quod vtinam non dixiſſem! Et: *Inſipienter locutus ſum.* Et paulò pòſt: *Idcir-* *Iob 39.*
cò me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. Dauid: *Iniquitatem meam ego* *Iob 42.* *Pſal. 50.*
cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Ezechias: *Recogitabo omnes annos* *Iſa. 38.*
meos in amaritudine animæ meæ. Mulier illa peccatrix lacrymis rigans pedes Do- *Luc. 7.*
mini, non vitam nouam, ſed vetera peccata deflebat. Sanctus etiam Petrus
fleuit amarè, non ob aliud certè, niſi, quia Dominum ſuum negando graue ſce- *Luc. 22.*
lus admiſerat. Accedant etiam teſtimonia aliqua Patrum.

Denique; Huc pertinet definitio illa communis: *Pœnitentia eſt perpetrata mala* *Prob. 3.*
plangere, & plangenda non perpetrare, ex Gregorio. *Homel. 34. in Euang.*

Quòd ſi etiam rationis iudicium conſulatur, dubium eſſe nō poterit, quin *Prob. 4.*
pœnitentia, ſiue Contritio includat odium culpæ præteritæ.

Nam & naturalis eſt illa Synderesis, quæ malè facta in corde flagellat, etiā- *1. Ratio.*
ſi exterius non modò non puniantur, ſed ne cognoſcantur quidem, & apud
Ethnicos dicuntur Furijs agitari, qui grauibus ſe ſceleribus inquinarunt.

Ad hæc, Non videtur poſſe intelligi, quo pacto quis peccata deſerat, & ad *2. Ratio.*
vitam meliorem ſe transferat, niſi peccata, & vita priſtina, atque adeò ipſe e-
tiam ſibi diſplicere incipiat.

Quæſtio quarta: *An Contritio includat propoſitum rectè viuendi, an ſolam peccati* *Quæſt. 4.*
deteſtationem.

Porrò Catholici Scriptores in eo quidem conſentiunt; vt ad veram Con- *Reſp.*
tritionem & peccati deteſtatio, & vitæ melioris propoſitum requiratur: ſed
in eo non conueniunt, vtrum hoc propoſitum expreſsè, & formaliter neceſ- *Dubitatio.*
ſarium ſit; an ſufficiat virtuale, atque implicitum? Et quidem veteres Theo-
logi, vt Petrus Lombardus, Alexan. Alen. Scotus, Durandus, Albertus, & alij
docent ſimpliciter de ratione contritionis eſſe, cum deteſtationem peccati,
tum propoſitum bene viuendi: & quamuis non diſtinguant inter formale, &
virtuale propoſitum, tamen ſatis apertè indicant de formali eſſe locutos. Id
quod apertius poſtea docuerunt Hadrianus VI. Caietanus, Dom. à Soto,
Melchior Canus. Non defuerunt tamen pauci quidam, qui contrà diſputaue-
rint, ac virtuali propoſito, quod in peccatorum deteſtatione includitur, con-
tenti, formale propoſitum eſſe neceſſarium, & in ratione contritionis includi
negauerint. In ijs fuerunt Ioannes Maior, Iacobus Almaynus, &, qui eos ſe-
cutus eſt, Andreas Vega.

Sed nobis communis, ac trita à veteribus via ſemper viſa eſt tutior, & cō- *Reſp.*
modior.

Prob. ergò ad Contritionem requiri explicitum, & formale propoſitū vitę *Prob. 1.*
melioris. Primò ex diuinis litteris. *Odite malū, & diligite bonū, & cōſtituite in porta* *Amos 5.*
iudiciū, ſi fortè miſereatur Dominus Deus exercituū. Et: *Lauamini, mundi eſtote, auferte* *Iſa. 1.*
malū cogitationū veſtrarū, quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere. Et mox: *Si fuerint*
peccata veſtra, vt coccinū, quaſi nix, dealbabūtur. Hic vides promiſsionē remiſsionis
peccat. poſt bona opera, ſaltē deſiderio, & propoſito inchoata. Rurſus: *Si autē*
impius.

Ezech. 18. *impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam; vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatũ eius non recordabor*. Hoc loco verba illa: *Et cuſtodierit omnia præcepta*, &c. ad votum, & propoſitum cuſtodiendi mandata referenda eſſe videntur, non ad ipſam mandatorum obſeruationem: neque enim vno die, aut vna hora ſeruari poſſunt omnia mandata. Neque tamen expectanda eſt remiſsio peccatorum ad longum tempus, cùm idem Propheta dicat: *Quacunque die peccator* Ezech 33. *conuerſus fuerit*, indulgentiam habiturum.

Prob. 2. Ioel. 2. Ad hæc; Illæ omnes Script. quæ pœnitentiam per conuerſionem deſcribũt, qualis eſt illa: *Conuertimini ad me*, &c. ſententiam noſtram apertè confirmant: ſiquidem conuerſio ad Deum idem eſt, ac voluntas placendi Deo per obſeruationem mandatorum, ſicut auerſio à Deo voluntas præuaricandi eſt. Sicut ergò ſine conuerſione contritio eſſe non poteſt, ita nec ſine propoſito placendi Deo per mandatorum obſeruationem. Huc etiam facit, quod Apoſtolus Ephaeſ. 4. ait: *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris: renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem*. Huc pertinent quoque exempla rerum humanarum: nam & Domini à ſeruis, & parentes à filijs, quos poſt offenſionem in gratiam recipiunt, non magis peccati confeſsionem, quàm propoſitum vitæ melioris exquirunt.

Prob. 3. Sed, quod me maximè ad hanc ſententiam amplectendam mouet, eſt ſa- In inſtruct. Armen. croſancta Florentinæ, ac Trident. Synodi auctoritas, à quibus ita Contritio Seſſ. 14. c. 4. explicatur, vt ſit *Dolor de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*. Neque verò poteſt reſponderi Concilia loqui de propoſito implicito. Nam, cùm propoſitum implicitum à peccati deteſtatione nullo modo ſeparari poſſit; ſine cauſſa Concilia addidiſſent illa verba: *Cum propoſito non peccandi de cætero*.

Prob. 4. Denique; Sicut peccati deteſtatio propoſitum non peccandi implicitum, & virtuale includit: ſic etiam contrà, propoſitum non peccandi deteſtationem peccati implicitam, & virtualem includit. Quare, ſi deteſtatio peccati commiſsi ſine propoſito formali non peccandi de cætero ad iuſtificationem aliquando ſufficit, ſufficiet etiam aliquando propoſitum non peccandi de cætero ſine formali deteſtatione peccati commiſsi: nulla enim ratio reddi poteſt, cur hæc paria non ſint. Atque etiam Vega rectè negat ſine deteſtatione formali peccati commiſsi per ſolum propoſitum non peccandi de cętero impium poſſe iuſtificari. Negandum igitur etiam eſt ſine propoſito formali non peccandi de cætero, per ſolam deteſtationem peccati commiſsi impium poſſe iuſtificari.

CAPVT

CAPVT IV.

De neceſsitate Contritionis.

QVAESTIO prima eſt de *neceßitate Contritionis*, loquimur autem hoc lo- *Quæſt. 1.*
co de contritione in genere; vt tam perfectam, quæ propriè Contritio
dicitur, quàm imperfectam, quæ dicitur Attritio, comprehendamus: & quæ-
ſtionem non ſolùm de neceſsitate, quam vocant, Medij, ſed etiam præcepti,
volumus intelligi.

Propoſitio prima: *Contritio, ſaltem imperfecta, omninò neceſſaria eſt in adultis ne-* *Propoſ. 1.*
ceßitate medij, ad remißionem peccatorum, & iuſtificationem obtinendam. Hæc ex *Seß. 6. c. 14.*
Concil. Trident. ſatis apertè colligitur. Cùm enim Concilium dicat Contri- *Seß. 14. c. 4.*
tionem omni tempore ad iuſtificationem neceſſariam fuiſſe, de neceſsitate
medij ſine dubio loquitur: quæ enim præcepti neceſsitate ſunt neceſſaria, non
ita vniuersè omnia tempora ſolent complecti.

Prob. propoſitio ex verbis Domini: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul* *Prob.*
peribitis. Quæ nullam relinquunt dubitationem. Idem apertè probant verba *Luc. 13.*
B. Pauli: *Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duri-* *Rom. 2.*
tiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij
Dei. Et S. Petri: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*. Et ipſius *Act. 3.*
Chriſti: *Memor eſto, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: ſin autem,* *Apoc. 2.*
veniam tibi citò, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. De- *Ezech. 18.*
nique Ezechiel nihil aliud peccatoribus concionatur, niſi vt pœnitentiam a-
gant, ſi ſalui eſſe velint. Hoc idem illi omnes Patres docent, qui pœnitentiam
ſecundam poſt naufragium tabulam appellarunt.

Propoſitio ſecunda: *De contritione præceptum diuinum extat*. *Propoſ. 2.*

Hæc primùm prob. ex ſuperiore. Siquidem ea omnia, quæ neceſſaria ſunt *Prob. 1.*
neceſsitate medij, cenſentur neceſſaria neceſsitate præcepti, licet non contrà:
tenentur enim homines ea neceſſariò adhibere, ſine quibus ſalui eſſe non
poſſunt.

Deinde; Extant in diuinis litteris manifeſta verba, quibus pœnitentiæ præ- *Prob. 2.*
ceptum indicatur. *Conuertimini ad me*, &c. *Pœnitentiam agite*. Et: *Proijcite à vobis* *Ioël. 2.*
præuaricationes, & facite vobis cor nouum. Et: *Age pœnitentiam*. *Mat. 3.* *Ezech. 18.*

Ad hæc; Obſeruatio mandatorum ſufficiens eſt medium ad ſalutem. Do- *Apoc. 2.*
minus enim interroganti cuidam: *Quid faciens vitam æternam poſsidebo?* Reſpon- *Prob. 3.*
dit: *Mandatum noſti*. Et apertiùs alibi: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*. Quod *Luc. 18.*
ſi quid aliud præter mandatorum obſeruationem requireretur ad vitam æ- *Matt. 19.*
ternam obtinendam, Dominus illum adoleſcentem non tam docuiſſe, quàm
decepiſſe videretur. Oportet igitur, vt de contritione mandatum aliquod ha-
beamus, quod nos aſſerimus; aut certè non ſit contritio ad ſalutem neceſſaria,
quod falſum eſſe conſtat.

Prob. 4. Præterea; Dubium eſſe non poteſt, quin diuino præcepto teneamur ea media non negligere, quæ ad vitam, & ſalutem corporis ſunt neceſſaria: neque peccatum homicidij ille euaderet, qui cibum capere nollet, quo tempore ſine cibo viuere non poſſet. Quantò igitur maiore ratione diuino præcepto tenebimur ea media aſſumere, ſine quibus animæ vita reparari nequit? Denique; Impœnitentiam non ſolùm peccatum, ſed etiam grauiſsimum peccatum eſſe conſtat, vſque adeò, vt nonnulli peccatum in Spiritum ſanctum nihil aliud eſſe voluerint, niſi finalem impœnitentiam. Et Script. paſsim accuſant impœnitentes, & pœnas eis grauiſsimas comminantur. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Et: *Vſquequo graui corde?* Et: *Quia vocaui, & renuiſtis,* &c. *ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Et: *Ne ſitis, ſicut Patres veſtri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus; Conuertimini de vijs veſtris malis, & de cogitationibus veſtris peſsimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me.* Et: *Quoties volui congregare filios tuos,* &c. *& noluiſti?* Et: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.* Quòd ſi nouum peccatum eſt, nolle conuerti, nolle pœnitere, nolle per contritionem veniam peccatorum ſuorum procurare; certè ſequitur, vt nouum etiam præceptum ſit, quo tenemur conuerti ad Deũ, & contritionem in nobis excitare.

Pſal. 94. Pſal. 4. Prou. 1. Zach. 1. Matth. 23. Rom. 2.

Quæſt. 2. Quæſtio ſecunda: *Quanta debeat eſſe ea triſtitia, quam de peccatis ſuſcipimus, vt ad iuſtificationem peccatorum ſufficiat?*

Propoſ. 1. Propoſitio prima: *Non requiritur ad eam contritionem, qua ſit futura ſufficiens ad remiſsionem peccati, vt æqualis ſit magnitudini ira diuina.* Hæc eſt perſpicua ex eo, quòd omnes Catholici negant Contritione mereri nos ex condigno iuſtificationem, aliqui etiam negant ex congruo.

Prob. Rectè autem non exigi, prob. poteſt, tum, quia ſcriptum eſt: *Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* tum, quia peccatum lethale Deum, qui infinitæ dignitatis eſt, offendens, infinitam indignationem, & pœnam meretur: non poteſt autem homo infinitum precium offerre Deo, quantumuis doleat, ac ſeipſe excruciet. Sed argumentum euidens habemus ex diuinarum Script. teſtimonijs, & exemplis. Nam Script. nihil aliud à nobia exigit, niſi vt conuertamur ad Deum in toto corde: conuerti autem in toto corde ad Deum non eſt dolorem illum concipere, qui æqualis ſit offenſioni, vel iræ diuinæ, nam dolor ille ſine dubio impoſsibilis eſt. Si autem impoſsibile, cur Deus id poſtularet?

Pſal. 89.

Deinde; Script. teſtatur aliquos in toto corde reuerſos ad Deum, & alios pronunciat reuerſuros. *Similis illi non fuit Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo.* Et: *Ego ero illis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde ſuo.*

4 Reg. 23. Ier. 24.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Dolor de peccatis eſſe debet ſummus, ſaltem (vt Theologi loquuntur) appreciatiuè.*

Dolor ſummus intenſiuè. Rectè enim Doct. tradunt dolorem ſummum poſſe duobus modis intelligi: Intenſiuè, & appreciatiuè. Summus dolor intenſiuè dicitur, quando voluntas (nam de dolore ſpiritus; non ſenſus, ſiue corporis, hic loquimur; licet vnus ex altero naſci ſoleat) ſummo conatu aliquid deteſtatur. Summus appreciatiuè, quando voluntas pluris æſtimat deteſtationem alicuius mali, quã cuiuſcunque boni conſecutionem, aut alterius mali euitationem. Itaque magnitudo

Dolor ſummus appreciatiuè.

magnitudo doloris intenſiuè attenditur ex parte ſubiecti; appreciatiuè, ex parte obiecti: & ſæpe accidit, vt de re aliqua magis doleamus intenſiuè, de qua minùs appreciatiuè; & contrà. Nam viri etiam boni magis triſtantur ob mortes filiorum interdum, quàm ob peccata: qui tamen, ſi daretur optio, mallent filios amiſiſſe, quàm Deum offendiſſe. De S. Paula Rom. ſcribit Hieron. *in eius vita*, in mortibus filiorum ſic eam grauiter affici ſolitam, vt ſemper de vita periclitaretur; qualem dolorem ob crimina in Deum commiſſa nunquã ſenſiſſe legitur: nec tamen dubitari poteſt, quin fœmina illa ſanctiſsima, & optima maluerit filios omnes perire, quàm vel Deum leuiter offendere.

Prob. propoſitio ex ijs Script. quæ requirunt contritionem ex toto corde; qualis eſt etiam vera Dei dilectio, ex qua contritio vera procedit. *Cùm quæſieris Dominum, inuenies eum, ſi toto corde quæſieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et: *Si ductus pœnitudine cordis reuerſus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & in tota anima tua, miſerebitur tui.* Et: *Si peccauerint tibi, & reuerſi fuerint ad te in vniuerſo corde ſuo, & tota anima ſua, propitiaberis populo tuo.* Et: *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum.* Et: *Quæretis, & inuenietis me, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro.* Et: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*, &c. *Prob. 1. Deut. 4. Deut. 30. 3 Reg. 8. 2. Paral 30. Ier. 29. Ioel 2.*

Deinde addi poſſent illa omnia loca, quæ iubent, vt Deum ex toto corde diligamus. Qui enim iubemur Deum ex toto corde diligere, pariter iubemur peccatum, quo Dei amicitiam violamus, toto pectore deteſtari. *Prob 2. Deut 6. Mat. 22. Luc. 10. & alibi.*

Denique; Ratio id apertiſsimè docet. Nam, cùm peccatum ſit malorum omnium maximum, ſuper omnia deteſtandum, fugiendumque eſt. Et quia Apoſtolo teſte, *Non ſunt facienda mala, vt veniant bona*, ideò non licet peccatum eligere quacunque conditione propoſita: proinde magis dolendum eſt appreciatiuè de peccato commiſſo, quàm lætandum de quouis opere bono. *Prob. 3. Rom. 3.*

Propoſitio tertia: *Non eſt neceſſe, vt contritio ſit dolor ſummus intenſiuè.* *Propoſ. 3.*

Prob. primùm, quia, ſi id eſſet neceſſe, maximè ob ea loca Script. eſſet, quæ iubent, vt conuertamur ad Deum in toto corde, & tribulatione animæ noſtræ: ſed iſta loca exigunt quidem dolorem ſummum appreciatiuè, non tamẽ intenſiuè. Conuerti enim ex corde nihil eſt aliud, niſi feriò, ac ſincerè conuerti: ex toto autem corde conuerti eſt integrè, & perfectè conuerti, ita vt non partim peccata deteſtemur, partim illis afficiamur; ſiue, non vnum peccatum odio habeamus, & alteri adhuc adhæreamus; ſed omnia deteſtemur, ab omnibus ſimpliciter auertamur; idque tam perfectè, vt nullum ſit malum, quod vitatum malimus, quàm peccatum. Neque aliter intelligenda ſunt loca illa, quæ conuerſionem ex toto corde requirunt, quàm illa, quæ dilectionem ex toto corde præcipiunt. Hæc autem intelligenda eſſe appreciatiuè, alibi oſtendimus. *Prob. 1. Ioel. 2. Deut. 4.*

Deinde; prob. propoſitio, experimento hominum piorum, qui intenſius aliquando dolent ob mortem charorum, quàm ob peccata; licet paratiſsimi ſint omnia perpeti potiùs, quàm vt peccatum in Deum committerent. Neque reprehendi poteſt vehemens ille dolor, qui ex amiſsione filiorum in parentibus cernitur, tum, quia naturalis eſt; tum etiam, quia in ſanctiſsimis hominibus locum inuenit. Certè Patriarcha Iacob ita doluit mortem filij ſui Ioſeph, vt Script. dicat: *Congregatis cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit* *Prob. 2. Gen. 37.*

conſolationem accipere; ſed ait; Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Et S.
2. Reg. 19. Dauid ita vehementer Abſolonem filium ſuum defleuit, vt, licet multa legantur de inſigni contritione eius, ob peccatum adulterij, & homicidij; maiora tamen ſigna doloris ob filij mortem oſtendiſſe videatur.

Prob. 3. *1. Ratio.* Accedit tertiò; quòd ex ijs, qui seriò, & vt oportet, de peccatis ſuis dolent; alij magis, alij minùs dolent. Non enim tantoperè celebraretur Mariæ Magdalenę contritio, ſi omnes, qui rectè pœnitentiam agunt, parem contritionem haberent, quoad intenſionem; ſicut reuerà parem habent, quoad appretiationem.

2. Ratio. Præterea; Si dolor ſummus pro quolibet lethali crimine exigeretur, nemo poſſet magis de vno, quàm de alio peccato dolere: quod eſt contra experientiam, & contra rationem. Experimur enim grauiora crimina acriùs conſcientiam pungere, & maiorem tum verecundiam, tum diſplicentiam parere, quàm leuiora: & iudicium rectæ rationis id poſtulat, vt maiora delicta maior pœnitentia, & contritio intenſior conſequatur.

3. Ratio. Denique; Si ſummus dolor intenſiuè ad veram pœnitentiam neceſſarius eſſet, vix vnquam poſſemus, non dico certò ſcire, ſed ne probabiliter quidem cognoſcere nos id feciſſe, quod debemus, in ſceleribus deteſtandis. Quis enim eſt, qui non poſsit, ſi ſtudium adhibere velit, ad contritionem paulò maiorem ſe excitare? At ſanè abſurdiſsimum, & alienum à diuina benignitate videtur, quod eam medicinam inſtituerit, in qua pacem animi, & tranquillitatē nullā inueniamus.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Non requiritur certus gradus intenſionis, neque mora vlla temporis ad veram contritionem.*

Prob. Prob. nam Script. conuerſionem, & pœnitentiam exigunt; ſed certi gradus, aut temporis mentionem nullam faciunt: quare, ſi iſta requirerentur, eſſent omnino incognita, & proinde non ex electione, ſed caſu fieret, vt aliqui ad iuſtam menſuram doloris peruenirent, & in eo dolore certo tempore verſarentur.

Deinde; Quis vnquam in præceptis fidei, ſpei, dilectionis, aliarumque virtutum iſtas menſuras excogitauit? vnde nec in pœnitentiæ virtute requiruntur. Quid quòd Script. ſatis apertè tradunt, quouis momento poſſe hominem per veram pœnitentiam iuſtificari? Apud Iſa. iuxta editionem LXX.
Iſa 30. Interp. *Cùm reuerſus ingemueris, ſaluus eris.* Et apud Ezech. non ſemel Dominus
Ezech. 18. indulgentiam promittit ijs, qui à peccatis auerſi, atque ad vitam meliorem
Eccls. 11. fuerint conuerſi. Et Eccleſiaſt. *Facile,* inquit, *in oculis Dei ſubito boneſtare pauperem.* Idem docent Patres.

Propoſ. 5. Propoſitio quinta: *Neque illud exigitur, vt tot ſint actus contritionis, quot ſunt peccata; modò de omnibus, quæ poſt examen conſcientiæ occurrunt menti, doleamus ex animo.*

Nam vt negandum non eſt ſingula peccata deteſtanda eſſe, cùm ſcriptum
Iſa. 38. ſit: *Recogitabo tibi omnes annos meos,* &c. Et: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus*
Ezech. 18. *peccatis ſuis,* &c. Sic etiam eſt concedendum poſſe hominem vnica actione peccata omnia, quæ memoriæ fortè occurrunt, deteſtari, atque ob ea commiſſa dolere: alioqui falſum eſt in momento poſſe hominem conuerti, & iuſtificari.

Propoſitio

Propoſitio ſexta: *Vtiliſsimum tamen eſt peccata ſingula amariſsimè, & longo tempore ita deflere, vt contritio non ſolùm appreciatiuè, ſed etiam intenſiuè, & extenſiuè, vt ſic loquamur, ſumma dici poſsit.* Hanc ſatis perſuadent exempla, & cohortationes Sanctorum. Nam & Dauid *lauabat per ſingulas noctes lectum ſuum*: & S. Petrus *fleuit amarè*: & Maria Magdal. *Lacrymis ſuis pedes Domini irrigauit.* Propoſ. 6. Pſal 6. Luc. 22.

Quæſtio tertia: *Vtrum Contritio peccata remittat?* Quæſt. 3.

Catholici communi conſenſu docent contritionem cauſſam eſſe remiſsionis peccatorum, quod idem docet Concil. Trident. Ex quo intelligere licet duobus modis contritionem cauſſam eſſe iuſtificationis, quia videlicet diſponit ad iuſtificationem, & impetrat remiſsionem peccatorum. Theologi Scolaſtici in eo ſolùm diſſentire videntur, quòd nonnulli volunt actum pœnitentiæ, vt etiam actum fidei, & dilectionis, eſſe diſpoſitionem ad remiſsionē peccatorum; ſed non meritum, neque de condigno, neque de congruo, remiſsionis peccatorum. At alij, ijque plurimi, non ſolùm diſpoſitionem, ſed etiā meritum de congruo iuſtificationis eſſe volunt eiuſmodi actus. Quæ ſententia eſt Magiſtri Sent. D. Thomæ, S. Bonauent. Scoti, Durandi, Gabrielis, & aliorum. Et quamuis poſterior ſententia nobis verior, & Script. ac Patribus conformior videatur, tamen in eo potiſsimum laborabimus, vt probemus pœnitentiam, ſiue contritionem cauſſam eſſe remiſsionis peccatorum; quidquid ſit de vocabulo meriti. Reſp. Seſs 6. c. 6. Seſs. 14. c. 4.

Habemus primùm diuinas litteras, ad quarum aperriſsima teſtimonia nullam vidi adhuc Aduerſariorum reſponſionem. *Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua ipſe animam ſuam viuificabit.* Quid clarius? An viuificare animam non eſt aliquid facere ad propriam iuſtificationem? Et: *Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Quomodò autem hoc fiat, Propheta antè explicauerat: *Conuertimini, & agite pœnitentiam: proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras.* Quod ſi dum conuertimur, & pœnitentiam agimus, facimus nobis cor nouum, & ſpiritum nouum; quis inficiari poteſt conuerſionem, ac pœnitentiam cauſſam eſſe iuſtificationis? Item: *Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus eſt, vt faceret eis, & non fecit.* Hoc certè loco cauſſa redditur, cur miſertus ſit Dominus Niniuitarum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & pœnitentiæ opera fecerunt. Et: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* At ſacrificium Deum placare, & gratiam impetrare ſolet: & ideo ſubiungitur: *Cor contritum, & humiliatum, Deus, non deſpicies.* Et: *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Et: *Eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quæ purgat peccata.* Prob. 1. Ezech. 18. Ibid. Ion 3. Pſal. 50. Dan. 4. Tob. 12.

Hæc loca non videntur intelligenda de eleëmoſyna quocunque animo facta: nam, qui in peccato perſeuerare volunt, nunquam per eleëmoſynas ſaluabuntur. Neque intelligi poſſunt de eleëmoſynis iuſtorum, qui pœnas temporarias poſt culpæ remiſsionem redimunt: ſiquidem Nabuchodonoſor, quem Daniël alloquitur, impius erat; & Angelus apud Tobiam non tribueret eleëmoſynæ vim liberandi à morte, ſi de iuſtorum tantùm eleëmoſynis loqueretur. Quare loca illa de eleëmoſynis pœnitentium intelligenda ſunt, qui ſaltem ex congruo per contritionem, & opera pœnitentiæ Dominum placant. Et: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc 7.

Hoc loco dilectio, ſiue contritio ex dilectione, quam lacrymæ teſtabantur, apertiſsimè dicitur eſſe cauſſa remiſsionis peccatorum: ſiquidem particula illa, *Quoniam*, cauſalis eſt.

Prob. 2. Accedant etiam teſtimonia Patrum, qui paſsim per contritionem peccata deleri, ablui, purgari dicunt: item contritione Deum placari, eique ſatisfieri affirmant: Denique, contritionem meritum, ac pretium appellare non verentur.

Prob. 3. Denique; Adferri poteſt etiam duplex ratio.

1. Ratio. *Luc. 18.* Prima; Oratio peccatoris pœnitentis non eſt inanis apud Deum, ſed eum placat, & veniam impetrat, vt patet exemplo Publicani: multò igitur magis conuerſio, ac Pœnitentia, quæ orationis eſt cauſſa, non erit inanis, ſed aliquid faciet ad remiſsionem impetraudam.

2. Ratio. Altera, Actus Pœnitentiæ à Spiritu ſancto eſt, & ad iuſtificationem diſponit, ergò ſuo modo cauſſa eſt iuſtificationis: neque enim Spiritus ſanctus per eiuſmodi actum nos diſponens nihil facit, aut nullius pretij, ſiue meriti eſt, quod facit in ordine ad iuſtificationem.

Quaeſt. 4. Quæſtio quarta: *An Contritio ante Abſolutionem Sacerdotalem peccata remittat?*

Reſp. Catholici Doct. communi conſenſu docere ſolebant Cōtritionem, ſi perfecta ſit, & votum Sacramenti Baptiſmi, aut Abſolutionis adiunctum habeat, omninò reconciliare hominem Deo, & peccata remittere, etiam antequam Sacramentum reipſa perciperetur. Fuit autem Doctor quidam ante paucos annos, qui docuit aduerſus communem ſententiam Catechumenis, & pœnitentibus, quamuis perfectè conuerſis, & charitate flagrantibus, non remitti peccata, ſiue reatum mortis æternæ, niſi cùm vel baptizantur, vel reconciliantur miniſterio Sacerdotum, niſi fortè in mortis articulo.

Prob. 1. Sed huic Doctori opponimus primùm Concilij OEcumenici auctoritatem. *Seſſ. 6. c. 4.* Declarat enim Concil. Trident. poſt Euangelium promulgatum neminem iuſtificari ſine Baptiſmo, aut eius voto: vbi admittit Concilium poſſe hominem per veram pœnitentiam cum voto Baptiſmi Deo reconciliari, antequam Baptiſmum reipſa percipiat. *Seſſ. 14. c. 4.* Et alibi diſertis verbis docet Contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo, priuſquam Sacramentum Pœnitentiæ actu percipiatur. *Seſſ. 13. c. 7.* Et alibi declarat ad pręparationem Euchariſtiæ Confeſsionem Sacramentalem neceſſariam eſſe ijs, qui conſcientiam habent peccati lethalis: & ſimul excipit eos, qui fortè Miſſam celebrare tenētur, neque habent Sacerdotem, cui peccata ſua confiteantur; ijs enim Contritionem cùm propoſito Confeſsionis ad Euchariſtiam non indignè percipiendam ſufficere iudicauit. Itaque Concilium illud credidit per veram contritionem, etiam ante ſacerdotis Abſolutionem, & extra mortis articulum, peccata remitti; neque enim ſuſpicari fas eſt in vllo caſu Concilium Catholicum permiſſurum fuiſſe, vt cum conſcientia reatus peccati mortalis ad Sacram. Euchariſtiæ accederetur.

Prob. 2. Secundò; Opponimus teſtimonia Script. & Sanct. Patrum explicationes. Scriptura enim paſsim docet eos, qui toto corde ad Dominum conuertuntur, ſine mora veniam peccatorum accipere. Cùm audiſſet Dauid à Nathan

peccatum ſuum, pœnitentia ductus ait: *Peccaui Domino*, & continuò ſubiecit 2.*Reg*.12.
Nathan: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum*. De qua re loqui videtur idem Dauid, cùm ait: *Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Et apud Iſaiam ſecundum verſionem LXX. Interp. *Si reuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris*. Similia apud Ezechielem: *Si impius auerterit ſe ab iniuſtitia ſua, iniquitatum eius non recordabor amplius*. Et: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua*. At profectò multum nocet impietas, quamdiu reum facit æternæ damnationis: nec poteſt Deus dici oblitus iniquitatum, quamdiu pœnas æternas iniquitati debitas non relaxat. Huc etiam pertinet parabola filij prodigi, in qua pater occurrit filio reuertenti, & antequam ille confeſsionem ſuam abſoluiſſet, dedit oſculum pacis.

Pſal.31. *Iſa*. 30. *Ezech*.18. *Ezech*.33. *Luc*.15.

Tertiò; Opponimus ea omnia loca Script. & Patrum, quæ charitatem cum peccato, ſiue reatu mortis æternæ ſimul habitare non poſſe teſtantur. Si enim charitas ſine remiſsione peccatorum eſſe nequit, & Contritio naſcatur ex charitate, eamque comitem indiuiduam habet, neceſſariò efficitur, vt etiam Contritio ſine remiſsione peccatorum eſſe nequeat. *Ego diligentes me diligo*. Et: *Vniuerſa delicta operit charitas*. Et: *Nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte*. Et: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*.

Prob.3. *Prou*.8. *Prou*.10. 1.*Ioan*.3. *Luc*.7.

Quartò; Opponimus rationem ex effectis, & proprietate charitatis ductã. Charitas, & conſequenter Contritio, efficit filios Dei: at qui filij Dei ſunt, hoc ipſo hæredes regni ſunt, iuxta illud: *Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres per Deum*. Non igitur poteſt, qui charitatem habet, reus eſſe mortis æternæ, quæ exhæredationem à regno cœlorum includit. Rurſus; Qui charitatem habet, implet legem, & rectè viuit: at nemo rectè viuere, neque legem implere poteſt, niſi regeneratus, & iuſtificatus, & filius Dei effectus: ergò, qui charitatem habent, liberi ſunt à peccato.

Prob.4. *Gal*.4.

Præterea; Charitas facit amicos Dei, vel potius ipſa eſt amicitia cum Deo. *Ego diligentes me diligo*. Et: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis*. Quid autem ipſe præcipiat, explicat in eodem loco: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem*. At, qui amicus Dei eſt, quomodò poteſt reus eſſe apud Deum mortis æternæ?

Prou.8. *Ioan*.15.

Quintò opponimus Eccleſiæ totius conſenſum. Nam in Eccleſia ſæpe cõceduntur à Pont. Indulgentię habentibus contritionem peccatorum ſuorum cum propoſito Confeſsionis Sacramentalis ſuo tempore faciendæ: & eædem Indulgentiæ à fidelibus toto orbe Chriſtiano libenter, & cum gratiarum actione ſuſcipiuntur. At certum eſt Indulgentias hoc requirere, vt, qui eas ſumit, iam ſit in ſtatu gratiæ, & liber à reatu mortis æternæ, & ſolùm pro temporalibus pœnis ſatisfacere teneatur: Indulgentiæ enim à temporalibus pœnis homines liberant, ſi tamen priùs ab æternarum reatu liberati fuerint. Quare vniuerſa Eccleſia credit per Contritionem cum voto Confeſsionis à reatu peccati mortalis hominem liberari, atque in gratiam cum Deo redire.

Prob.5.

Poſtremò; Opponimus id, quod etiam Aduerſarius admittit, in articulo mortis, ſi non adſit, qui reconciliet pœnitentem, vel baptizet Catechumenũ, *Prob*.6.

poſſe

poſſe eos per veram contritionem cum deſiderio Sacramenti percipiendi non ſolùm iuſtificari, ſed etiam continuò ad æternam gloriam peruenire. At certè non eſt articulus mortis, qui homines illos iuſtificat, ſed vera conuerſio, & cordis contritio cum deſiderio Sacramenti ſuſcipiendi. Articulus enim mortis ſolùm excuſat à præuaricatione præcepti, ac facit, vt non ſit reus Sacramenti non percepti, qui non ideò Sacramentum non habuit, quia noluit, ſed quia non potuit. Ergò vbicunque eadem cauſſa reperietur, id eſt, vera Contritio cum propoſito Sacram. percipiendi, idem etiam continuò ſequetur effectus.

Quæſt. 5. Quæſtio quinta: *Vtrum omnia peccata per veram Contritionem, ſiue Pœnitentiam deleantur?*

Duplex ſenſus eſt huius quæſtionis. Alter; An omnis peccator poſſit agere pœnitentiam? Alter; An, ſi quis egerit pœnitentiam, nulla ſit tanta peccatorũ multitudo, vel grauitas, quæ pœnitendo non poſſit expiari? De ſenſu priore alibi.

Reſp. De ſenſu poſteriore illud affirmamus, non vt probabile, ſed planè vt certum, & apud Catholicos exploratum, nullum eſſe peccatorum multitudinem, vel grauitatem, quæ per veram pœnitentiam non expietur.

Prob. 1. Ezech. 18. & 33. Iſa 1. & 55. Ierem. 18. Ioel. 2. Nam Inprimis apud Ezech. Deus ſæpe clamat: *Nolo mortem peccatoris*; & ſine vlla exceptione veniam pollicetur omnium iniquitatum, ſi impium ſeriò pœnituerit vitæ præteritæ cum emendationis propoſito. Quod idem in Iſaia, & Ieremia, & alijs Prophetis legimus. Porrò Ioël addit particulam vniuerſalem: *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit*. Nemo autem ſeriò pœnitentiam agit, qui non inuocet nomen Domini: nam in eodem cap. deſcribens idem Propheta pœnitentiam, ait: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu*, &c. Et infrà: *Inter veſtibulum, & altare plorabunt Sacerdotes, miniſtri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo*. Et: *Operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine*. In Teſtamento nouo Dominus ſine exceptione omnes inuitat ad ſe: *Venite ad me omnes*, &c. Et omnium peccatorum ſoluendorum ſine exceptione Petro poteſtatem tribuit: *Quodcunque ſolueris ſuper terram*, &c. Ruſus generatim dicit Apoſtolis: *Quæcunque ſolueritis ſuper terram*, &c. Et ibidem de numero, ne fortè quis peccata alicuius ob frequentes lapſus eſſe crederet irremiſsibilia, non ſolum vſque ſepties, ſed etiam vſque ſeptuagies ſepties peccata dimittenda eſſe admonuit, numerum certũ, ac finitum pro incerto, & infinito ponens, vt exponunt Patres. Et alibi ſine perſonarum exceptione: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Cùm igitur Dominus omnes ad ſe peccatores inuitet, ac vocet, quis audebit aliquos excludere? Accedit Eccleſiæ Catholicæ definitio.

(Margin: Ibid. Iona 3. Matth. 11. Matth. 16. Matth. 18. Ioan. 20.)

Prob. 2. 3. Reg. 21. 2. Paral. 33. Act. 7. Act. 8. 2. Cor. 2. 1. Cor. 5. His addi poſſunt exempla Script. diuinæ. Nam in Regibus Iſraël peiorem Achabo, & in Regibus Iuda peiorem Manaſſe non facilè reperies: vterque tamen per pœnitentiam veniam impetrauit. In Teſtamento nouo orat Stephanus pro lapidatoribus ſuis, qui tamen Spiritui ſancto reſiſtebant. Petrus etiam hortatur Simonem Magum ad pœnitentiam, eumque corripit, qui tamen grauiſsimè peccauerat. Et Paulus Corinthium illum ad indulgentiam recipit, quem iuſſerat tradi Satanæ, & de quo dixerat: *Auditur inter vos fornicatio*,

catio, quales nec inter Gentes, vt vxorem patris ſui aliquis habeat.

At obijciunt peccatum in Spiritum ſanctum, quod dicitur irremiſsibile. *Obiect.*

Sed vt intelligamus, quid ſit peccatum in Spiritum ſanctum, quatuor ſunt ſententiæ.

Prima eſt Origenis, peccata in Spiritum ſanctum eſſe omnia illa, quę contra Dei legem admittunt homines poſt Baptiſmum. Et ratio eſt, quia, vt ipſe docet, Pater eſt in omnibus rebus, etiam ratione carẽtibus; Filius in ſolis rationalibus, etiamſi Ethnici ſint; Spiritus ſanctus in ſolis regeneratis. Cùm igitur peccent homines in eam perſonam diuinam, quam in ſe habent, ſequitur peccata Ethnicorum eſſe in Patrem, aut Filium; peccata Chriſtianorum in Spiritum ſanctum. Eadem ſententia fuit etiam Nouatiani. *De peccato in Spiritum S. ſententia 1. In c. 12. Matth.*

Hanc ſentẽtiam merito refellit B. Athanaſius, Primò, quia ſequeretur omnia peccata Chriſtianorum eſſe talia, vt non remittantur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: quod conſtat eſſe falſum ex B. Paulo, qui remiſit peccatũ fornicario Chriſtiano. *Refutatur 1. 2. Cor. 2.*

Secundò, quia Dominus accuſat peccati in Spiritum ſanctum Phariſęos, qui tamen Chriſtiani non erant. *Refut. 2.*

Tertiò, quia falſum eſt, quod Origenes aſſumit Patrem eſſe in pluribus rebus, quam Filium, & Filium, quam Spiritum ſanctum. Nam, cum ſint vna numero eſſentia, neceſſario vna perſona diuina eſt in alia, iuxta illud: *Ego in Patrem, & Pater in me eſt.* Et multò magis, vbi eſt vna perſona, ibi ſunt reliquæ. *Refutatur 3. Ioan. 14.*

Altera eſt ſententia B. Auguſtini, qui nullum aliud peccatum eſſe voluit in Spiritum ſanctum, quàm finalem impœnitentiam. Et hæc quidem vera eſt, quatenus docet finalem impęnitentiam eſſe peccatum aliquod in Spiritum ſanctum: tamen non videtur poſſe defendi, ſi velit propriè peccatum illud in Spiritum ſanctum, de quo Dominus in Euangelio loquitur eſſe peccatum in Spiritum ſanctum. *2. Sententia. L. de corrept. & gratia, c. 12. & alibi.*

Primò, quia peccatum in Spiritum ſanctum propriè blaſphemia quædam eſt, vt patet ex Euangel. Finalis autem impœnitentia non eſt blaſphemia, ſed circumſtantia quædam, quæ in omni peccato reperiri poteſt. *Refut. 1. Matth. 12. Luc. 12. Mar. 3.*

Secundò, quia finalis impęnitentia non committitur, niſi in morte: peccatum autem in Spiritum ſanctum etiam in hac vita reperitur: alioqui non diceret Dominus *non remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* *Refut. 2.*

Tertiò, quia Dominus notauit Phariſæos huius criminis: *Qui blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſsionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti, quoniam dicebant; Spiritum immundum habet.* At Phariſæi tunc non agebant animam, & multos annos fortaſſe ſuperuixerunt. *Refut. 3. Mar. 3.*

Quartò, quia Apoſtolus de hoc peccato loqui videtur: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, iterum renouari ad pœnitentiam.* Et: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hoſtia pro peccato, &c.* Et infrà dicit eos, qui ita peccant, ideò grauiſsimè peccare, quia *Spiritui gratiæ contumeliam faciunt.* Certum autem eſt Apoſtolum loqui de peccato viuorum, non de finali impęnitentia: alioqui idem eſſet, ac ſi di- *Refut. 4. Heb. 6. Heb. 10.*

ceret non poſſe mortuos reuocari ad pęnitentiam; quod indignum eſſet tanto Apoſtolo.

Refut. 5. *1. Ioan. 5.* Poſtremò, quia vbi dicitur: *Eſt peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt roget quis,* &c. Sermo eſt de peccato in Spiritum ſanctum, vt Auguſtinus ipſe confitetur; & tamen Ioannes de peccato viuorum loquitur. Sunt quidem aliqui, qui exiſtimant Ioannem loqui de peccatis mortuorum, ac dicere non eſſe orandum pro ijs, qui vſque ad mortem in peccatis ſuis permanſerunt: tamen textus Apoſtoli apertè reclamat: ait enim; *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita,* &c. Quibus verbis præſupponit poſſe ſciri, cùm aliquis peccat, an illud peccatum ſit ad mortem, vel non: ac proinde non loquitur de finali impęnitentia, quæ non poteſt cognoſci, niſi poſt mortem. Præterea; Si loqueretur de peccatis mortuorum, non diceret: *Si quis ſcit fratrem ſuum peccare*; ſed, Si quis ſcit fratrem ſuum peccaſſe.

Sententia 3. Tertia ſententia eſt, peccatum in Spiritum ſanctum eſſe peccatum ex malitia; ſicut peccatum ex infirmitate dicitur peccatum in Patrem; & peccatum ex ignorātia dicitur peccatum in Filium.

Hæc ſententia præ cæteris videtur placuiſſe Magiſtro, & D. Thomæ, tametſi etiam alias non repudiet. Poſſumus autem idem dicere, nimirum ſententiam hanc veram eſſe, ſed non ſatisfacere noſtræ quæſtioni. Nam & ſi quoddam peccatum ex malitia dici poſſit peccatum in Spiritum ſanctum: tamen non quodlibet peccatum ex malitia eſt illud, de quo Scripturæ loquuntur, quod propriè, & ſingulariter dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, &

Matth 12. *Mar. 13.* *Luc. 12.* quod non remittitur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Id prob. nam peccatum in Spiritum S. eſt certa quædam blaſphemia, vt patet ex Scripr. Peccatum autem ex malitia, neque eſt ſpeciale peccatum, ſed generale; neque ſemper eſt blaſphemia. Diuidunt enim auctores huius ſententiæ peccatum in Spiritum ſanctum in ſex ſpecies, ex quibus tantùm vna ad blaſphemiam pertinet.

Sententia 4. Eſt igitur quarta ſententia, quam veram eſſe non dubitamus, peccatum in Spiritum ſanctum propriè nihil aliud eſſe, quàm veritatem cognitam, & manifeſtam ex malitia improbare, & tanquam dæmoniacam, & deteſtabilem calumniari. Dicitur autem peccatum in Spiritum ſanctum, non quia non ſit etiam contra Patrem, & Filium, ſed quia Spiritui ſancto tribuitur operatio miraculorum, & illuſtratio animorum ad cognoſcendam veritatem. Ipſe e-

Ioan. 16. *1. Cor. 12.* nim eſt, qui *docet omnem veritatem,* & qui *diuidit ſingulis prout vult*; vni gratiam ſanitatum, alteri donum linguarum, & operatur omnia in omnibus. Itaque ille peccat in Spiritum ſanctum, qui cognitam veritatem Spiritu ſancto illuſtrante improbat, & ſigna, ac prodigia virtute Spiritus ſancti facta tribuit Satanæ.

Prob. 1. Hanc ſententiam eſſe veram prob. primò ex communi conſenſu veterum.

Prob. 2. Secundò prob. ex eo, quòd Dominus peccatum in Spiritum ſanctum vocat peccatum Phariſæorum, quo dicebant Chriſtum in Beelzebub eijcere dę-

Mar. 3. monia, vt Marcus ſcribit: peccatum autem hoc Phariſæorum nihil aliud erat, quàm oppugnatio cognitæ veritatis.

Tertiò

Tertiò prob. ex eo, quòd Dominus diſtinguit blaſphemiam in filium hominis, à blaſphemia in ſpiritum ſanctum. Blaſphemia autem in filium hominis, ſecundum expoſitionem Patrum erat eorum, qui Chriſtum exiſtimantes non niſi hominem, opera eius calumniabantur, & dicebant: *Ecce homo vorax, & potator vini*. Ergò peccatum in Spiritum ſanctum eſt eorum, qui ſcientes Chriſtum in virtute Dei miracula operatum, tamen ex malitia, & inuidia, diuina illa opera non Spiritui ſancto, ſed ſpiritui immundo adſcribunt. Ex his poteſt deduci, peccata Apoſtolorum Petri, & Pauli, quorum prior Chriſtum negauit, poſterior apertè perſecutus eſt, non fuiſſe peccata in Spiritum ſanctum. Nam Petrus ex infirmitate negauit, timore videlicet pœnæ: Paulus autem ex ignorantia: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*. At peccata Iudæorum lapidantium Stephanum in Spiritum ſanctum erant: nam, cùm reſiſtere non poſſent Spiritui ſancto, qui loquebatur in eo, tamen reſiſtere conabantur. Et idem peccatum à multis hæreticis committi eſt credibile, qui, cùm in Script. & Patribus aſsiduè verſentur, vix fieri poteſt, quin intelligant ſe vehementer errare: & tamen, ne videantur ſine cauſſa de Eccleſia receſsiſſe, doctrinam cognitam ſatis, & exploratam obſtinatè reprehendunt.

Prob. 3. *Matth. 12.* *1. Tim. 1.* *Act. 6.*

Iam verò, qua ratione hoc peccatum dicatur irremiſsibile, dubium eſt propter quatuor loca Scripturæ. Primus eſt, vbi dicitur blaſphemia in Spiritum ſanctum non remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Secundus eſt: *Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati*, &c. Tertius: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur hoſtia pro peccato*. Quartus eſt: *Eſt peccatum ad mortem, pro eo non dico, vt roget quis.*

Obiect. 4. *Mat. 12.* *Luc. 12.* *Mar. 3.* *Heb. 6.* *Heb. 10.* *1. Ioan. 5.*

Ad primum locum multiplex dari ſolet reſponſio: ſed dicendum eſt ideò dici irremiſsibile, quia ordinariè, & vt plurimum non curatur. Sicut de alijs peccatis Dominus ait: *Omnia peccata, & blaſphemiæ remittuntur*, non quia ſemper, & omnibus remittantur, ſed quia vt plurimùm, & ordinariè remittuntur. Sunt autem duæ cauſſæ, cur ordinariè ſit incurabile. Vna, quia directè reſiſtit, & repudiat gratiam Dei: ſicut ſi ægrotus vno medicamento curari poſſet, & illud admittere non vellet, rectè diceretur morbus eius incurabilis. Altera, quia, cùm ſit peccatum ex malitia, non ex ignorantia, vel infirmitate, nihil in ſe habet, vnde vel modicum excuſari poſsit, & proinde nihil miſericordiæ meretur. Ac ne mirum videatur, ſi dicamus irremiſsibile peccatū eſſe irremiſsibile ordinariè, ſed non abſolutè; conſiderentur alia ſimilia loca. Dominus ait facilius eſſe, vt camelus intret per foramen acus, quàm vt diues ingrediatur in regnum cœlorum. Quo loco videtur planè aditum diuitibus intercluſiſſe ad ſalutem: & tamen in eodem loco ſubiungit: *Quod impoſsibile eſt apud homines, apud Deum poſsibile eſt*. Et apud Ieremiam dicit Dominus: *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas; & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum*. Et tamen in toto eo libro hortatur eos Deus, vt reuertātur, & veniam pollicetur.

Solut. 1. Obiect. *Matth. 12.* *Matth. 19.* *Ier. 13.*

Ad ſecundum locum reſponderi poſſet eodem modo: ſed melior eſt ſolutio, quòd Apoſtolus hic ſolum loquatur de pœnitentia, quæ baptiſmum præcedit, vt exponunt Patres. Et ipſe Apoſtolus hoc inſinuat illis verbis: *Qui*

Solut. 2. Obiect.

ſemel ſunt illuminati, id eſt, baptizati: nam apud veteres illuminari eſt baptizari. Et illis: *Iterum renouari*: renouamur enim propriè in Baptiſmo. Et illis: *Iterum crucifigentes filium Dei*. Nam, cùm baptizamur, conformamur ſimilitudini mortis Domini: &, ſicut Chriſtus tantum ſemel crucifixus eſt, ita & nos tantum ſemel baptizamur; &, qui vellet iterum baptizari, iterum ſibi Chriſtum crucifigeret.

Rom. 6.

Solut. 3. Obiect. Ad tertium dico cum Chryſoſtomo, Ambroſio, & alijs, cùm Apoſtolus dicit, non relinqui hoſtiam pro peccato, ſenſum eſſe, non eſſe expectandum aliũ Chriſtum, qui pro nobis moriatur; vel, vt ille, qui ſemel mortuus eſt, iterum veniat moriturus; & conſequenter non eſſe ſecundum Baptiſmum expectãdum. Eadem enim eſt ſententia huius loci, & ſuperioris.

Solut. 4. Ad quartum Auguſtinus, & Gregorius dicunt peccatum ad mortem eſſe peccatum, in quo homo perſeuerat vſque ad mortem. Sed tunc non dixiſſet: *Si quis ſcit fratrem ſuum peccare*; ſed, Si quis ſcit peccaſſe non ad mortem: non enim cognoſci poteſt peccatum ad mortem, niſi poſt mortem eius, qui illud commiſit. Ambroſius dicit Ioannem non dixiſſe, vt nemo oret pro ijs, qui peccant peccata ad mortem, id eſt, grauiſsima peccata; ſed ſolum, vt nõ orent homines vulgares, & imperfecti, ad quos epiſtolam illam ſcribebat: grauiſsima enim peccata perfectis oratoribus indigent. Hieronymus dicit nihil hic ſignificari aliud, niſi pro peccato ad mortem difficulter orationem exaudiri. Et hic videtur veriſsimus eſſe huius loci ſenſus: nam immediatè anteà dixerat Ioannes: *Scimus, quia audit nos, quidquid petierimus.* Idcircò, ne putaremus hoc habere locum etiam in petitionibus quibuslibet, quas pro alijs offerimus, ſubdit: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare non ad mortem, petat, & dabitur ei*, &c. id eſt, cũ fiducia petat, nam impetrabit. Si verò peccatum eſt ad mortem, id eſt, grauiſſimum ex genere illorum, quæ ordinariè non remittuntur, ſed puniuntur æterna morte: *Non dico, vt roget quis*; id eſt; non prohibeo quidem orare, ſed non audeo polliceri, quòd facilè impetrabitis: ideò non dico, vt roget quis, nimirum cum certa illa fiducia impetrandi: ſæpe enim Deus in tali negotio preces Sanctorum non audit, iuxta illud: *Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te.*

De correptione, & gratia c. 12. L. 6 moral. c. 31. L. 1 de Pœnit. c. 9. L. 2. in Iouinian. Hier. 7.

Quæſt. 6. Quæſt. ſexta: *An Contritio, ſiue Attritio, quæ oritur ex timore ſeruili, ſit bona?*

Poſſumus autem quatuor timores diſtinguere, qui omnes pœnam, non culpam reſpiciant.

Timor naturalis. Primus eſt timor naturalis, quæ paſsio quædam eſt partis inferioris. Et de hoc timore nulla controuerſia eſt: tum, quòd hic timor non ſe extendat ad pœnas æternas, quæ ſola fide comprehenduntur, tum etiam, quòd neque ſit bonus, neque malus, nec ſolùm in hominibus, ſed etiam in pecudibus reperiatur.

Timor mundanus. Alter eſt, quem Theologi mundanum appellare ſolent, cùm videlicet quis ita pœnas à rebus creatis infligendas metuit, vt propterea in creatorem peccare non metuat; qualis timor in Petro fuit, cùm Chriſtum negauit. Neque de hoc vlla quæſtio eſſe poteſt: is enim timor omnium conſenſu malus eſt, & ab ipſo Chriſto damnatus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et ab Apoſtolo Petro: *Timorem eorum ne timueritis, Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus*

Matth. 10. 1. Pet. 3.

bus veſtris. Et ab Iſaia: *Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui, quaſi fœnum, ita areſcet.* Iſa. 51.

Tertius eſt timor pœnæ, quem Deus ipſe peccatoribus comminatur, ſed cum timore offenſionis diuinæ ita eſt coniunctus, vt, licet homo vehementer pœnam timeat, magis tamen offenſionem Dei, quàm pœnam illam timeat. Atque hic timor ſeruilis dici poteſt ſecundum ſubſtantiam, ſed abſque ſeruilitate & ordinatus, ac bonus eſt; neque de eo quæſtio eſſe poſſe videtur. Nam Dominus hortatur ſanctos Martyres, vt timeant eum, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam: & ſancti Patres hunc timorem paſsim laudant, & in ipſis etiam iuſtis hominibus locum habere dicunt. *Timor qui ſi ſeruilis.* Matt. 10.

Quartus timor eſt propriè ſeruilis, quo videlicet ita peccator Deũ punientem timet, vt ſolius pœnæ fugiendæ cauſſa à peccatis perpetrandis caueat, & de perpetratis doleat. Et de hoc tota controuerſia eſt. *Timor ſeruilis.*

Docet autem Trident. Synodus hanc timorem bonam, atque vtilem eſſe, & à Deo excitari. *Reſp.* Seſſ. 14. c. 4.

Quæ ſententia prob. ex verbis illis Dauidis, & Salomonis: *Initium ſapientiæ timor Domini.* Et Eccleſ. *Timor Domini expellit peccatum, nam, qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* Et: *Timor Domini initium dilectionis eius.* Hæc dicuntur de timore, qui eſt in peccatoribus, & qui dilectionem præcedit: in peccatoribus autẽ, & ante dilectionem timor filialis eſſe non poteſt, ſed tantum ſeruilis. Item Iſaias ſecundum verſionem LXX. *A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritũ ſalutis.* Et Ieremias: *Me ergò non timebitis, & à facie mea non dolebitis, dicit Dominus?* Et Malachias: *Filius honorat Patrem, & ſeruus Dominum: Si ego Pater, vbi eſt honor meus? ſi Dominus, vbi timor meus?* Quo loco Dominus exigit timorem à ſeruis, quieum, vt patrem, amare non nouerant. Illud etiam Domini: *Timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam;* etiamſi ad iuſtos pertineat, qui timore iſto iuuantur, ne peccent; tamen dubitari non poteſt, quin etiam ad iniuſtos referri debeat, qui timore eodem iuuantur, vt ad pœnitentiam veniant. *Prob. 1.* Pſal. 110. Prou. 1. Eccleſ. 1. Eccleſ. 25. Iſa. 26. Iere. 3 Malach. 1. Matth. 10.

Præterea; Scripturæ paſsim terrorem incutiunt peccatoribus, nec ſanè ad alium finem, niſi vt timorem concipiant, & ex eo timore pœnitentiam meditentur. *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Et: *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit,* &c. Et: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Ionas etiam illa comminatione Niniuitas conuertit: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ioannes Baptiſta ex timore pœnæ ad pœnitentiam homines adducere ſatagebat: *Genimina viperarum, quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira?* Et Chriſtus ipſe ſæpiſsimè ignem gehennæ ſtridorem dentium, tenebras exteriores, vermem non morientem, & flammas inextinguibiles minabatur. *Prob. 2.* Deut 32. Pſal. 7. Iſa. 33. Ion. 3. Matth. 3. Mat 5. 13. 24. 25. Mar. 9.

Denique; Eædem Scripturæ timorem iſtum à Deo inſpirari tam apertè docent, vt nimis magna temeritas videri debeat, ſi quis eum adhuc damnare voluerit. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum,* &c. Quo loco B. Paulus docet in Teſtamento veteri datum à Deo ſpiritum ſeruitutis, quo timeretur: quemadmodum in nouo Teſtamento dedit ſpiritum adoptionis, quo diligeretur: *Quare nos errare feciſti de vijs tuis: induraſti cor noſtrum, ne timeremus te?* Luc. 12. & alibi. Prob. 3. Rom. 8. Iſa. 63.

Vbi lamentatur Propheta, quòd Hebræi caruerint dono timoris, quo conuerti ad Dominum potuiſſent. Nam (vt rectè docet Auguſtinus) non indurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiam.

Epiſtola 105. ad Sixtum

Prob. 4. & 5.

Accedat etiam traditio veteris Eccleſiæ.

1. Ratio.

Denique; Ratio hoc etiam docet. Nam conſentaneum eſt naturæ, & rationi timere malum, quod accidere poteſt, ac præſertim malum ſummum, ac ſempiternum, qualis eſt cruciatus gehennæ.

Secunda.

Deinde; Timoris huius effectus eſt optimus: aut enim coërcet voluntatem à peccando, aut ſaltem impedit opus: non poteſt autem arbor mala bonos fructus facere.

Tertia.

Poſtremò; Non ſolùm Deus cauſſa eſt huius timoris, ſed etiam probabile eſt hunc eundem timorem inter illa præclara Spiritus ſancti ſeptem dona numerari.

CAPVT V.

De neceſsitate Confeſsionis.

Seſſ. 14. cap. 5. & can. 6. 7. & 8.

CONcilium Trident. non ſolùm declarat Confeſsionem omnium peccatorum Iure diuino neceſſariam eſſe ijs, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur; ſed etiam anathema dicit ijs, qui contra auſi fuerint diſputare.

Prob. 1. neceſsitas Confeſsionis.

Quam veritatem ex verbis Domini comprobaturus, ad hanc ratiocinationem totam vim diuinorum teſtimoniorum reuocandam eſſe cenſui. Qui mortali peccato ſe obſtrinxerunt, tenentur Iure diuino agere pœnitentiam, & reconciliationem cum Deo quærere. Sed medium neceſſarium ad reconciliationem poſt Baptiſmum eſt confeſsio peccatorum omnium Sacerdoti facta. Ergò tenentur Iure diuino, qui poſt Baptiſmum mortali peccato ſe obſtrinxerunt, Sacerdoti peccata omnia confiteri.

Prob. propoſitio. Matth. 3. Luc. 13.

Propoſitio ſuperius probata eſt ex illis verbis: *Pœnitentiam agite.* Et ex illis: *Niſi Pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Quare tota difficultas in aſſumptione poſita eſt, quæ rurſus hac ratiocinatione concluditur.

Prob. Aſſumpt.

Chriſtus inſtituit Sacerdotes iudices ſuper terram cum ea poteſtate, vt ſine ipſorum ſententia nemo poſt Baptiſmum lapſus reconciliari poſsit: ſed nequeunt Sacerdotes iudicare rectè, niſi peccata cognoſcant: Ergò Iure diuino tenentur, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, peccata ſua Sacerdotibus aperire; ac per hoc eſt Confeſsio peccatorum medium neceſſarium ad reconciliationem ijs, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt. Huius argumenti aſſumptio per ſe eſt euidens: iudicium enim ſine cognitione cauſſæ ne cogitatione quidem fingi poteſt.

Matth 16. Matth. 18.

Propoſitio prob. ex tribus locis. Primus eſt: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Secundus eſt: *Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.*

Tertius

Tertius eſt: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Primus locus continet promiſsionem ſoli Petro factam. Alter locus habet promiſsionem factam Apoſtolis omnibus, ſiue prædictionem quandam eius poteſtatis, quam Apoſtoli, & eius ſucceſſores accepturi erant. Et quia veritas mentiri non poteſt, etiamſi nihil aliud legeremus, non poſſet ambigi, quin eam poteſtatem alicubi accepiſſent. Tertius locus continet ipſam conceſsionem eius poteſtatis, & ſacramenti totius conſtitutionem. Datam autem in his locis veram poteſtatem ex auctoritate abſoluendi, manifeſtè colligitur. *Ioan. 20.*

Primùm ex metaphora clauium. Nam Inprimis claues non ſolent fieri, vel dari ad ſignificandum oſtium eſſe apertum, vel clauſum, ſed ad aperiendum, & claudendum reipſa. Deinde, Apud homines claues dari ſolent Magiſtratibus in ſignum poteſtatis: & in ordinatione Oſtiariorum dantur claues Eccleſiæ materialis, non vt Oſtiarij declarent, ſintne fores templi clauſæ, vel apertæ, ſed vt eas verè claudant, atque aperiant. Denique; Cùm in Apoc. de Chriſto dicitur: *Qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit, claudit, et nemo aperit,* omnes intelligunt per clauem, veram, & propriè dictam poteſtatem, qua poſsit Chriſtus ex auctoritate iudiciaria abſoluere, & ligare, non autem ſignificare, & declarare, quis ſit ligatus, quis ſolutus. *Prob. 1.* *auctoritas abſoluendi.* *Apoc. 3.*

Secundò; Idem colligitur ex metaphora ligandi, & ſoluendi. Ligare enim, & ſoluere non ſignificant denunciare, vel declarare, ſed reipſa vincula inijcere, aut demere: alioqui Dominus non dixiſſet: *Quodcunque ſolueritis, erit ſolutum.* ſiue: *Quæcunque ſolueritis, erunt ſoluta.* Sed; Quodcunque ſolueris, erat ſolutum: &; Quæcunque ſolueritis, erant ſoluta. *Prob. 2.* *Matth. 16.* *Matth. 18.*

Tertiò; Colligitur ex illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hoc enim loco expreſsè datur poteſtas non ſolùm remittendi peccata, ſed etiam retinendi: retinere autem quid eſt, niſi nolle remittere? proinde negatur remiſsio illis, quibus noluerint Sacerdotes remittere. Adde, quòd non ait Dominus: remiſſa erant; quod dixiſſet, ſi per remiſsionem declarationem ſignificare voluiſſet: ſed ait; *Remittuntur eis,* quia nimirum ratam habet Chriſtus ſententiam à Sacerdote nomine ſuo latam. *Prob. 3.* *Ioan. 20.*

Quartò; Colligitur ex illa voce, *Quorum:* Nec enim vult Dominus omnibus indefinitè peccata remitti, ſed certis hominibus, quos ſcilicet Sacerdotes iudicauerint abſoluendos. At Euangelium omnibus indefinitè prædicandum eſt, iuxta illud: *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Ergò, &c. *Prob. 4.* *Mar. 16.*

Quintò, Colligitur ex cæremonia inſufflationis, qua Dominus vſus eſt, cùm poteſtatem remittendorum peccatorum Apoſtolis tribuit. Sicut enim idem Chriſtus ſpiritum ſanctum dedit in ſpecie linguarum, quia dedit eo tempore donum concionandi: ſic etiam dedit ſpiritum ſanctum inſufflando, quia dedit donum peccata remittendi, non concionando, vt aduerſarij ſomniant, ſed planè extinguendo, & diſſoluendo. Vt enim flatus extinguit ignem, & diſsipat nebulas, ſic etiam Abſolutio Sacerdotis peccata diſpergit, & euaneſcere facit: iuxta quam metaphoram legimus apud Iſaiam: *Deleui, vt nubem, peccata tua.* *Prob. 5.* *Act. 2.* *Ioan. 20.* *Iſa. 44.*

Sextò;

Prob. 6. Sextò; Idem prob. ex Patribus, qui loca notata ita exponunt, vt apertè ſignificent, Sacerdotes à Chriſto Iudices factos, & peccata ex poteſtate dimittere, non autem concionando eſſe remiſſa.

Prob. 7. Septimò prob. rationibus.

1. Ratio. Primùm; Si non eſſent Sacerdotes Iudices, nec verè peccata remitterent, ſed ſolùm annunciarent eſſe remiſſa, nemo periret ex eo ſolùm, quòd Sacerdotem reconciliantem habere non poſſet: qui enim credit, ex ſententia Aduerſariorum iam habet remiſsionem, etiam ſi nemo ſit, qui id verbis proteſtetur.

Secunda. Eccleſ. 32. Deinde; Ita fruſtra, & ridiculè abſoluerentur ſurdi, & ij, qui ob vim morbi ſenſibus ſunt deſtituti. *Ne effundas ſermonem*, inquit Sap. *vbi non eſt auditus*. At in Eccleſia veteri non ſolùm ſurdi, ſed etiam ij, qui ob vim morbi extra ſe poſiti erant, aliquando reconciliabantur.

Tertia. Tertiò; Si abſolutio eſſet annunciatio remiſsionis peccatorum, vel temeraria eſſet, vel ſuperflua. Nam, cùm miniſter dicit; Remittuntur tibi peccata, aut abſolutè hoc dicit; aut ex hypotheſi, ſi videlicet credas, &, vt oportet, pœnitentiam agas. Si abſolutè, temerè id pronunciat, cùm ignoret, an is, qui reconciliationem petit, ſit verè pœnitens, & fidem habeat, qualis requiritur ad iuſtificationem: &, etiamſi aliquo modo id miniſter noſſet, meliùs tamen nouit ipſe pœnitens, proinde non eget annunciatione illa Miniſtri, quæ nihil ei addere poteſt certitudinis. Si verò eſt conditionalis abſolutio, talis non poteſt certum, ac ſecurum efficere pœnitentem, cùm ex incerta conditione dependeat.

Quarta. Quartò; Si abſolutio non eſt actus iudicialis, ſed ſimplex annunciatio diuinæ promiſsionis, quæ in Euangelio extat ſcripta, non minus abſoluere poterit laicus; immò etiam fœmina, aut puer, aut infidelis quiſpiam, aut diabolus, vel etiam pſitacus: quod eſt contra omnium veterum conſenſum, contra conſuetudinem omnium Eccleſiarum, & omnium ſæculorum.

Prob 8. Neceſſitas Confeſsionis. Prob. etiam Confeſsionis neceſsitas ex figuris, quæ præceſſerunt. Sacramenta enim Chriſtiana, ac præſertim ea, quæ magis neceſſaria ſunt, non ſimpliciter in diuinis litteris indicantur, ſed primum in lege naturæ, & Moyſis adumbrata, ac prænunciata; deinde à Chriſto promiſſa, tum inſtituta; poſteà frequentata, & commendata in Script. inueniuntur. Sic Baptiſmus in lege naturæ adumbratus fuit per arcam Noë, & circumciſionem; In lege ſcripta, per tranſitum maris rubri, & probaticam piſcinam, ac demum, propinquante lege gratiæ, per baptiſmum Ioannis: deinde à Chriſto promiſſus fuit: *Niſi quis* (Ioan. 3.) *renatus fuerit*, &c. poſtea diſertis verbis imperatus: *Baptizate omnes gentes*, &c. (Matth. vlt.) Denique, in Actis Apoſtolorum, & in epiſtolis B. Pauli paſsim exhibitus, & commendatus legitur. Sic etiam Euchariſtia figurata primum fuit in lege naturæ per panem, & vinum Melchiſedech; in lege ſcripta per agnum Paſchalem, & panes propoſitionis; in ipſo Euangelio per multiplicationem panum: deinde promiſſa ibi: *Panis, quem ego dabo*. Poſteà inſtituta: *Accipite, & manducate*, (Ioan 6. Matth. 26.) &c. Denique frequentata, & commendata ab Apoſtolis. Quod idem de (Act. 2. 1. Cor. 10. 11.) Confeſsione demonſtrari poteſt. Deus enim in lege naturæ non ſemel exegit confeſsionem peccati: clarius eam præſcripſit in lege Moyſis: eandem Chri-

ſtus

ſtus in Euangelio varijs figuris expreſſit: eandem poſteà promiſit, & inſtituit: acceſſit denique vſus eius tempore Apoſtolorum, nec non exhortatio, & commendatio.

Porrò ex figuris duplex argumentum ſumi poteſt. Primum; ſi Confeſſio, quam Deus in Teſtamento veteri exigebat, figura quædam erat, vt reuera erat, cùm *omnia contingerent illis in figuram*; certè neceſſe eſt vt in Teſtamento no- 1. Cor. 10.
uo ſit etiam cōfeſſio peccatorum à Deo præcepta, & quidem tantò exactior, & perfectior, quantò res figurata figuris ipſis præſtat.

Deinde; ſi confeſſio erat neceſſaria coram Dei miniſtro, eo tempore, quo nondum data erat ſacerdotibus poteſtas remittendi peccata: quis non inde colligat multò maiore ratione æquum fuiſſe, vt confeſſio, tanquam neceſſaria, imperaretur tempore noui Teſtamenti, quo tanto cum fructu confiteri poſſumus, vt legitimam confeſſionem continuò certa Abſolutio conſequatur?

Prima igitur figura eſt, vbi Dominus primum ab Adamo, & Eua, deinde à 1. Figura.
Cain confeſſionem exegit. Vbi confeſſio exigitur non ſolum cordis, ſed etiā Gen. 3. & 4.
oris; nec ſolum in genere, ſed etiam in ſpeciali; nec tantum coram Deo, ſed etiam coram eius Miniſtro: nam interrogatio illa facta eſt per Angelum in forma humana apparentem; vt patet ex eo, quòd ambulabat in Paradiſo ad auram poſt meridiem. Ex quo intelligimus magnam fuiſſe ſimilitudinem inter illam confeſſionem, & eam, quæ nunc fit ſacerdoti, qui eſt etiam Angelus Domini, teſte Malachia, vt non ſine cauſſa vna dicatur fuiſſe figura al- Malach. 2.
terius.

Secunda figura eſt, vbi iudicium lepræ ſolis committitur ſacerdotibus, & 2. Figura.
cogebantur leproſi ſe ſacerdotibus ſiſtere, ac prodere, & iuxta eorum arbi- Leuit. 13. 14.
trium, vel extra caſtra manere, vel poſt curationem ad caſtra reuerti: quam etiam legem Dominus approbauit, cùm leproſo à ſe curato dixit: *Vade, oſtende* Matth. 8.
te Sacerdoti, &c.

Tertia figura eſt Confeſſio, quam Deus inſtituit in Teſtamento veteri, & 3. Figura.
cui adiungi voluit loco cuiuſdam ſatisfactionis oblationem ſacrificij. Nam Num. 5. Leuit. 5.
profectò ſi Confeſſio figuralis erat à Deo inſtituta, & neceſſaria Iure diuino, quantò magis Confeſſio figurata eſſe debet à Deo inſtituta, & neceſſaria Iure diuino?

Quarta figura eſt, vbi legimus plurimos accurriſſe ad Baptiſmum Ioannis 4. Figura.
confitentes peccata ſua. Sicut enim Baptiſmus Ioannis figura fuit Baptiſmi Matth. 3. Mar. 1.
Chriſti, ita quoque & confeſſio, quæ Ioanni fiebat, figura fuit Confeſſionis, quæ Chriſti miniſtris facienda erat.

Quinta figura eſt in hiſtoria Lazari. Quòd enim Dominus è ſepulchro 5. Figura.
prodire iuſſit Lazarum, & ab Apoſtolis ſolui voluit funeralia illa vincula, Ioan. 11.
quibus ligatus erat, ſignificari Patres dicunt, peccatores diuina voce excitatos foras prodire per Confeſſionem, & miniſterio ſacerdotum liberari à peccatorum vinculis per Abſolutionem.

Eadem veritas prob. ex alijs noui Teſtamenti locis. Prob. 3. neceſſitas Confeſſionis.

Primus eſt: *Multi credentium veniebāt confitentes, & annunciantes actus ſuos: multi autem ex ijs, qui erant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Act. 19.

Hic locus accipiendus eſt inprimis de Confeſsione fidelium poſt Baptiſmum: illi enim propriè dici ſolent credentes. Deinde; loquitur Scriptura de Confeſsione peccatorum in ſpecie, vt colligitur ex illis verbis *Confitentes actus ſuos.* Denique; Agitur hoc loco de Confeſsione facta non ſoli Deo, ſed etiam homini: nam ad Paulum veniebant, vt confiterentur actus ſuos. Et quoniam eó tempore nulla extabat Eccleſiæ conſtitutio de confeſsione peccatorum facienda, id ſequitur, vt ab ipſo Chriſto talis Confeſsio fuerit inſtituta.

Act. 3. 4. 5. 1. Theſſ. 1. & alibi.

2. Cor. 5. Secundus eſt: *Dedit nobis miniſterium reconciliationis; & poſuit in nobis verbum reconciliationis: pro Chriſto ergò legatione fungimur*, &c. At profectò, qui mittuntur Legati cum poteſtate reconciliandi inimicos Regis cum ipſo Rege, non poſſunt rectè munere ſuo defungi, niſi cognoſcant ex ipſis reis, quid egerint, quã grauiter regiam maieſtatem læſerint, quam ſatisfactionem perſoluere ſint parati, &c. Quare poteſtas illa miniſterialis reconciliandi reos, neceſſario fert ſecum poteſtatem cognoſcendi cauſas reorum, atque adeò confeſsiones exigendi, & audiendi: neque enim Miniſtris licet pro arbitrio quoslibet etiã non auditos reconciliare.

Iacob 5. Tertius eſt: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Quæ cohortatio ſatis apertè indicat Confeſsionem iam fuiſſe inſtitutam, & quidem peccatorum, atque homini faciendam. Et ſatis apertè cohæret hæc ſententia cum ſuperioribus verbis ſecundum Catholicorum explicationem. Nam paulò ante Apoſtolus Iacobus monuerat ægrotos, vt Presbyteros accerſerent, à quibus oleo ſancto cum precibus vngerentur, & adiecerat effectum illius ſacræ vnctionis, & precum; futurum, vt alleuaretur ægrotus, & ſanaretur, &, ſi in peccatis eſſet, ea illi remitterentur. Sed, ne fortè, qui hæc legeret, exiſtimaret illa etiam peccata lethalia, quorum homo conſcientiam habet, per ſacram vnctionẽ poſſe deleri, ait: *Confitemini alterutrum*, &c. Non enim ſacra vnctio peccata lethalia remittit, quorum aliquis conſcientiam habet; cùm ea per Confeſsionis Sacramentum purganda ſint; ſed aut venialia, aut etiam lethalia, quorum conſcientiam non habemus; quæ reliquiæ peccatorum dici ſolent.

1. Ioan. 1. Quartus eſt: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ex hoc loco probabiliter colligitur Confeſsio Sacramentalis ſingulorum peccatorum. Neque enim d[illegible] poteſt, quin loquatur Apoſtolus Ioannes de confeſsione peccatorum, & quidem ſingulorum in ſpecie: nam id ſignificant illa verba: *Si confiteamur peccata noſtra.* Non enim ait: Si agnoſcamus, aut confiteamur nos peccatores, ſed, *Si confiteamur peccata noſtra.* Et cùm verba ſequentia: *Remittet nobis peccata noſtra;* omnium conſenſu de remiſsione peccatorum omnium, & ſingulorum in ſpecie intelligantur, non poſſunt verba præcedentia ſine vitio [illegible]nis aliter accipi, quàm de confeſsione omnium, & ſingulorum peccatorum in ſpecie.

Prob. 4. neceſsitas Confeſ. Eadem veritas prob. teſtimonio Conciliorum, & veterum Patrum, qui à primo ſæculo floruerunt.

Prob. 5. Prob. etiam, Confeſsionem eſſe iuris diuini, rationibus.

1. Ratio. Prima ratio ducitur ab antiquitate Confeſsionis. Nam quæ ſunt [illegible]-mani, ea reperiuntur initium habuiſſe ex Concilij alicuius OEcumenici, aut

ſummi

ſummi Pontificis decreto: Confeſsionem autem peccatorum in Eccleſia fuiſſe ante omnia Conciliorum, Pontificumque decreta, poteſt intelligi ex Patribus; ſiquidem Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, atque Origenes non ſolum primi generalis Concilij, Nicæni videlicet, tempora anteceſſerunt; ſed etiam omnium aliorum Conciliorum, quamuis Prouincialium, omniumque Pontificum Romanorum qui de Sacramentali Confeſsione ſanctionem aliquam ediderunt.

Secunda ratio ſumitur à difficultate Confeſsionis. Nam, ſi qua res eſt in Eccleſia Catholica, quæ grauis, ac difficilis videatur, ſine dubitatione vlla Confeſsio eſt. Quid enim moleſtius, quid oneroſius, quàm vt cogantur etiam viri [illegible], Regeſque potentiſsimi Sacerdotibus, qui & ipſi homines ſunt, peccata ſua omnia detegere, quamuis arcana, quamuis turpia, quamuis pudenda, quamuis horrorem etiam ipſi confitenti adferentia, ac eorundem Sacerdotum iudicio ſtare, ac mulctam ab illis iniunctam ſubire? Tanta profecto huius rei difficultas eſt, vt nullo modo credibile ſit, aut Eccleſiæ Præſides auſuros fuiſſe eiuſmodi legem ferre; aut populis perſuaderi potuiſſe, vt eiuſmodi legem acciperent, & tot iam ſæculis obſeruarent, niſi diuinum imperium, diuina inſtitutio, diuina promiſsio acceſsiſſent. 2. Ratio.

Tertia ratio ducitur ab vtilitate: Confeſsio enim tot parit vtilitates, vt planè diuino conſilio inſtituta videri poſsit, etiamſi id ita eſſe aliunde conſtaret. Nam ſiue Deum conſideremus, ſiue ſacerdotes, qui Dei auctoritate Eccleſiam regunt; ſiue Eccleſiam ipſam vniuerſam, ſiue fideles ſingulos, vndique inſignis Confeſsionis vtilitas ſe oſtendit. Elucet inprimis in hoc opere admirabilis Dei miſericordia, qui Confeſsionem non extorquet more Iudicum huius ſæculi, vt confeſſos damnet; ſed potius inſtar medici, vt patefacta vulnera continuo ſanet: elucet nihilominus etiam Iuſtitia, quæ ſuperbiam peccatorum Confeſsionis humilitate comprimit, & eos, qui impudenter turpia admiſerunt, Confeſsionis ruborem tolerare voluit. Ad paſtores animarum magna vtilitas redit, dum per Confeſsionem morbos ouium ſuarum intelligunt, & eo modo tum ſingulis ſeorſim conuenientia remedia adhibere poſſunt, tum in publicis concionibus generatim ea vitia potiſsimum reprehendere, quibus gregem ſuum magis obnoxium eſſe ſciunt. Ad Eccleſiam vniuerſam, atque ad ipſam Remp. politicam multiplex vtilitas ex Confeſsione accedit: multa enim, quæ per Iudices in externo foro emendari nunquam potuiſſent, nullo negotio per Sacerdotes in foro conſcientiæ emendantur, dum reſtituuntur ablata, dimittuntur iniuriæ, conciliantur paces, diſſoluuntur cõtractus iniuſti, diſſociantur malè icta fœdera, aliaque id genus plurima priuatim perficiuntur, ex quibus ſcandala publica remouentur, ac pax, ac tranquillitas Reip. redditur. Sed præcipua vtilitas eorum eſt, qui Confeſsionem, ſicut oportet, integrè, ac fideliter obeunt. Nam, vt omittam, quòd eis peccata remittuntur, & in gratiam cum Deo redeunt, qui eſt communis fructus omnium Sacramentorum, referunt ij, ſi volunt, ex Confeſsione conſilium, inſtructionem, conſolationem, quietem animæ ob præterita, remedium contra futura. Ille ipſe rubor, quem inter confitendum patimur, & pars quædam eſt ſatisfactionis pro admiſsis, & frænum cohibens, ne deinceps talia admittan- 3. Ratio.

 tur.

tur. Et denique perexigua confuſione, quam coram vno ex conſeruis noſtris patimur, dum illi peccata noſtra detegimus, redimimus ingentem illam confuſionem, quam alioqui in die iudicij coram omnibus Angelis, & hominibus
1. Cor. 4. pateremur, quando iuxta Apoſtolum *illuminabuntur abſcondita tenebrarum, & manifeſtabuntur conſilia cordium.*

4. Ratio. Quarta ratio peti poteſt ex miraculis, quibus varijs temporibus Deus teſtatus eſt veram eſſe fidem illam, quam Eccleſia Catholica de Confeſsione tradit.

I. Climac. grado 4. 1. Exemplum. Scribit Ioannes Climachus antiquiſsimus, & doctiſsimus Pater, cùm latro quidam, monachus futurus peccata omnia confiteretur, conſpectum fuiſſe à ſpirituali quodam viro procerem quendam, ac terribilem, qui conſcriptam chartam, & calamum tenebat: & cùm latro ille humi proſtratus peccatum confitens pronunciaret, hoc ille calamo delebat. Qua viſione intelligi voluit Deus per confuſionem temporalem eos, qui confitentur, ab æterna confuſione liberari. Contemptus Sacramenti Confeſsionis diuino iudicio ſæpe grauiter
L. 5. Hiſt. c. 14. par. 2. tit. 9. c. 13. parag. 5. L. 1. de mirac. c. 3. 4. & 5. & 6. punitus fuit, cuius rei duo extant exempla. Vnum apud Bedam: alterū apud Antoninum. Extat etiam apud Petrum Damianum inſigne miraculum de Confeſsionis integritate. Petrus Cluniacenſis quoque tria miracula ſcripta reliquit, quibus apertiſsimè Deus oſtendit Confeſsionem Sacramentalē integram eſſe debere, ita vt nullum omnino mortale peccatum, quod in conſcientia ſit, retineatur. Addit & aliud, quod ſe præſente contigiſſe, & vſque adeò notum, ac celebre fuiſſe affirmat, vt ſine magna temeritate negari non poſsit.

L. 1. c. 9. 2. Exemplum. In vita S. Bernardi, quam Auctor probatiſsimus ipſo S. Bernardo viuente conſcripſit, inſigne miraculum narratur: Cùm aliquantos iam in Claraualle Bernardus expleſſet annos, contigit virum nobilem, & ipſius quoque ſecundū carnem propinquum, Ioſbertum de Firmitate, quod eſt oppidum proximum Monaſterio, grauiter infirmari, qui ſubitò præoccupatus amiſit intellectum pariter, & loquelam: vnde & filius eius, Ioſbertus iunior, & omnes ſimul amici eò magis affligebantur dolore, quòd ſine confeſsione, & viatico, vir magnificus, & magnificè honoratus obiret. Cucurrit nuncius ad Abbatē: neque enim tunc in Monaſterio erat: venit, & inuenit eum, iam triduo ſic iacentem. Compaſſus autem homini, ſed & motus lachrymis filij eius, ſimul & lugentiū cęterorū, confiſus eſt de miſericordia Dei, & ſermonem magnificum protulit, dicens eis: Notum vobis eſt, quod in pluribus homo iſte grauauit Eccleſias, oppreſsit pauperes, offendit Deum: ſi mihi creditis, vt Eccleſiis reſtituantur ablata, & vſurpatæ in grauamen pauperum conſuetudines dimittantur, loquetur adhuc, & ſuorum confeſsionem faciet delictorum, diuina quoque Sacramenta ſuſcipiet deuotus. Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exultat: quidquid pręcipit homo Dei, firmiter ei promittitur, & impletur. Cæterum frater eius Gerardus, & Ialdricus auunculus, non parum territi, & turbati, ſecretius eum ſuper tali promiſsione conueniunt, durius arguunt, acrius inuehuntur: quibus breuiter ſimpliciterque reſpondens; Facilè, inquit, facere poteſt Deus, quod difficilè credere vos poteſtis. Itaque poſt ſecretam orationem ad oblationē ſacrificij immortalis accedit: quo offerente

nuncius

nuncius ſuperuenit, qui indicaret præfatum Ioſbertum liberè iam loquẽtem rogare obnixius, vt vir Dei feſtinaret ad eum. Cui etiã poſt oblatũ ſacrificiũ venienti cũ lachrymis, & gemitu peccata cõfeſſus diuina Sacramẽta ſuſcepit. S. Bonauentura in vita S. Franciſci refert aliud inſigne miraculum. *c. 11. parag. 4. c. 16.*

Item refert alibi de fœmina quadam, quæ ob S. Franciſci preces ad vitã ex morte rediiț, cùm iamiam ſepelienda eſſet, vt peccatum quoddam in Confeſſione detegeret, quod nunquam antea confeſſa fuerat. *parag. 2. nu. 1. 3. Exemplum.*

Et aliud de fonte quodam diuinitus ad preces S. Franciſci exorto, ex cuius aqua qui biberẽt, à languoribus curarẽtur, modo peccatorũ confeſsionẽ antè præmiſiſſent. Noſtro etiã ſæculo, quo per Lutheranos Cõfeſsio in Septẽtrione cũ incredibili animarũ pernicie multis in locis extincta eſt, apud nouos Chriſtianos, vbi Eccleſia indies magis, ac magis refloreſcit, ac propagatur; atq; apud Iapones potiſſimũ ita viget, vt ſæpe etiam diuinis miraculis illuſtretur. *c. 16. parag. 10. nu. 2. 4 Exemplum.*

CAPVT VI.

De Satisfactione.

Satisfactio nihil aliud eſt, niſi actio, qua is, qui alterum læſit, tantum facit; quantum ſatis eſt ad iniuriam compenſandam; ſiue, quantum is, qui læſus eſt, iuſtè exigit. Ex quo ſequitur, quòd nõ ſit idẽ Reſtitutio, quod Satisfactio. *Satisfactio.*

Reſtituere enim eſt ceſſare ab iniuria, non iniuriam factam reſarcire: nam qui rem alienam inuito Domino retinet, tam diu facit iniuriam, donec rẽ illã non reddit. Adhæc; Reſtitutio reſpicit damnum ſeipſa illatũ: Satisfactio perſonam iniuria affectum, etiamſi illa damnum nullũ acceperit. Quocirca Deo nihil reſtitui poteſt, cũ ipſe damnũ nullum patiatur: poteſt tamen eidem ſatiſfieri, cùm iniuria à nobis afficitur. Itaque Reſtitutio in rebus: Satisfactio in actionibus verſatur: & reſtaurat Iuſtitiam Reſtitutio, quoad æqualitatem rerum; vt, cùm ea, quæ furto ablata ſunt, redduntur: reſtaurat Satisfactio iuſtitiam, quoad æqualitatem actionum; vt, cùm is, qui alium contumelia affecerat, ab eo veniam petit. Quemadmodum autem iuſtitia, quæ in actionibus verſatur, duplex eſt; ita duplex etiam eſt Satisfactio. Alia iuſtitia eſt, quæ verſatur in abſoluta, & perfecta æqualitate; vt, cùm tantum honoris vnus alteri tribuit, quantum eius dignitas abſolutè exigit. Alia eſt, quæ non conſiſtit in perfecta, & abſoluta æqualitate, ſed in æqualitate imperfecta, quæ ex pacto, aut donatione, vel acceptatione alterius pẽdet; veluti, cùm quis eum honorem Principi defert, quem is ſibi deferri lege mandauit, licet is honor inferior ſit Principis dignitati. Ita Satisfactio aliquando fit ad abſolutam, & perfectam æqualitatem; vt, cùm actio contumelioſa inter duos homines æqualis recompenſatur per aliam contrariam tantum habentẽ honoris, quantum alia habuerat contumeliæ. Aliquando autem fit ad æqualitatem imperfectam; vt cùm is, qui pertulit iacturam decem millium aureorũ ſatisfieri ſibi patitur ceſsione omnium bonorũ, licet ea bona ad ſummam tot milliũ nõ perueniãt. *Differt Satisfactio à Reſtitutione. Satisfactio duplex.*

Iam igitur inter omnes conuenit, inter Deum, & homines non poſſe eſſe iuſtitiam illam perfectam, & abſolutam. proinde nec Satisfactionem. Quidquid enim ſumus, Dei ſumus: quidquid habemus, à Deo habemus: cùm in eum peccamus, infinitum bonum, quod in nobis eſt, lædimus. Quidquid autem nos habemus, exiguum eſt, & finitum. Quare, niſi aliqua acceptatio, aut donatio intercedat, nemo poteſt illi pro peccatis in eum admiſsis ſat[illegible] [illegible] neque de hac re vlla controuerſia eſſe poteſt, cùm etiam Ethnici Philoſophi intellexerint, & ſcripſerint Deo non poſſe ab hominibus paria reddi.

Quaeſt. Tota igitur controuerſia eſt; *Vtrum ſaltem imperfecta illa Satisfactio, quæ acceptatione, & donatione eius vtitur, locum habeat in Sacramento Pœnitentiæ?*

Duplex Satisfactio. Rurſus animaduertendum eſt Satisfactione compenſandam eſſe inæqualitatem, quæ non ſolum iuſtitiæ, ſed etiam amicitiæ contraria eſt. Sicut enim, qui alterum lædit, iuſtitiam ſimul, & amicitiam violat: ita qui ſatisfacit, & iuſtitiam, & amicitiam reſtaurare, ac redintegrare debet. Et quamuis vna actione poſsit aliquando iuſtitiæ ſimul, & amicitiæ ſatisfieri, tamen ſæpe contingit, vt vna actio ſolam iuſtitiam, aut ſolam amicitiam reſtauret. v. g. Si quis à iudice comprehenſus tantum pœnæ ſubire cogatur inuitus, qu[illegible]m ipſe iniuriæ in alium intulit, ſatisfiet ſine dubio ſupplicio illo iuſti[illegible], nec tamen inter eos amicitia reformabitur, quæ inter inuitos eſſe non poteſt. [illegible]tra autem, ſi quis ita grauiter aliquem læſerit, vt non poſsit, niſi long[illegible] pore; iniuriam compenſare, is quidem poterit humili prece continuo v[illegible] petere, atque in gratiam eius redire, quem læſerat; deinde tamen ſuo [illegible]e pro iniuria integrè ſatisfacere tenebitur.

Reſp. Iam igitur, cùm homines peccant in Deum, amicitiam ſimul, & i[illegible] violant.

Prob. 1. At pro amicitia quidem reformanda non poteſt homo Deo ſa[illegible]re: nam ſatisfactio hominis erga Deum acceptatione ipſius Dei nece[illegible]ge[t]; acceptatio autem amicitiam præſupponit.

Prob. 2. Et præterea, vt ſatisfactio ſit aliquo modo ad æqualitatem, oportet, vt ſicut offenſio habuit infinitatem quandam ex parte obiecti; ſic habeat ſatisfactio infinitatem aliquam ex parte principij ſatisfacientis: proinde requ[illegible], vt opera ſatisfactoria fiant à Spiritu Dei hominem inhabitante, ſic [illegible] homine, vt membro Chriſti, & filio Dei iam per gratiam, & charita[illegible]cto. Non igitur fieri poteſt, vt pro inſtauranda amicitia cum Deo h[illegible] ſatisfaciant.

Et hoc eſt, quod Theologi communiter docent Satisfactionem n[illegible] ri Deo, neque exigi ab hominibus pro culpa: gratis enim nos à [illegible] Deus, gratis amicitiam ſuam nobis reſtituit. Quòd ſi veteres Patre[s] [illegible] actionibus humanis tribuere videntur, vt Deum ex inimico amicum r[illegible], atque adeò pro expianda culpa ſatisfaciant; interpretandi ſunt de Satisfactione ex congruo, non ex condigno.

Reſtat igitur controuerſia ſolum de Satisfactione, qua iuſtitiæ reſta[illegible] æqualitas, reſtituta ſiquidem amicitia per gratuitam Dei miſerico[rdiam], & redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu; poſſet quidem Deus vniuer[ſ]um [illegible]næ debitum condonare, vt certum eſt eum facere, cùm primùm per Bapt[illegible]

nos

nos in filios recipit, vel cùm pro nomine ipſius martyrium ſubimus: ſed poteſt etiam id velle, vt, cùm peccamus poſt Baptiſmum, amicitia quidem gratis pœnitentibus, & confitentibus peccata ſua reſtituatur; ſed maneat tamen debitum luendæ pœnæ, quo iuſtitiæ ſatisfiat.

Quæſtio igitur eſt: *An velit Deus, vt peccantibus poſt Baptiſmum remiſſa culpa remaneat debitum luendæ pœnæ; an non?* *Quæſt. 1.*

Quòd ſi probatum fuerit remiſſa culpa non ſemper remitti debitum pœnæ, exiſtet alia quæſtio: *An debitum illud pœnæ poſt culpæ remiſſionem manens poſſit per opera bona redimi?*

Nam pœna illa, quæ luenda reſtat poſt culpæ remiſſionem, eſt illa ipſa pœna ſenſus, quam in gehenna pati debuiſſet peccator, remota ſolum æternitate. Tria enim complectitur pœna gehennæ: pœnam damni, pœnam ſenſus, & vtriuſque æternitatem. Quorum primum reſpondet auerſioni à Deo: ſecundum conuerſioni inordinatæ ad creaturas: tertium inimicitiæ cum ſempiterno, & infinito Rege.

Ex his autem tribus malis, quæ ſunt in gehenna, à primo, & tertio liberãtur continuo, qui ad amicitiam Dei, & eius gratiam redeunt; ſolum autem manet malum illud ſecundum, debitum videlicet pœnæ ſenſus ad tempus luendæ. Et quoniam poſſet Deus velle, vt ea pœna lueretur poſt hanc vitam, poſſet etiam admittere redemptionem eius pœnæ per opera laborioſa huius vitæ, propterea naſcitur ſecunda quæſtio:

An ſatisfacere poſſint homines pro expiando reatu illius pœnæ, qui interdum remanet poſt remiſſionem culpæ? *Quæſt. 2.*

Et tunc naſcetur tertia quæſtio: *An opera laborioſa, quibus pœna peccati redimitur, tum ſponte aſſumenda ſint, tum etiam per Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ iniungenda?* *Quæſt. 3.*

Tum quarta: *Quibus potiſſimum operibus pro reatu pœnæ Domino ſatisfiat?* *Quæſt. 4.*

Ad demum quinta: *Vtrum iſta opera ſint dicenda propriè ſatisfactoria, ita vt nos dicamur verè, ac propriè Domino ſatisfacere?* *Quæſt. 5.*

De prima quæſtione Catholici ſummo conſenſu docent poſt remiſſam culpam ſæpe remanere reatum pœnæ temporalis, vt ex Concilio Trident. conſtat. Pœnam autem temporalem intelligunt, tum in alia vita, tum etiam in præſenti: ſed pœna alterius vitæ propriè peccatis omnibus, & ex condigno debetur: pœna autem huius vitæ ſolum ex congruo (vt ſic loquamur) certis peccatis à Deo infligi ſolet. *Reſp. ad 1.* *Seſſ. 6. c. 14. & ſeſſ. 14. c. 12.*

Extant de pœna temporali huius vitæ in diuinis litteris varia teſtimonia. Primum eſt, vbi Dauid poſt impetratam veniam adulterij, atque homicidij punitus eſt morte filij. Secundum eſt, vbi Dauid ob numeratum populum pœnitentiam agit, & à Deo in gratiam recipitur: & tamen poſt remiſſam culpam datur illi optio, vt eligat in pœnam peccati bellum, famem, aut peſtẽ. Tertium eſt: *Quocunque die comederis, morte morieris.* Et: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Quartum eſt, vbi ſine diſcrimine multa hominum millia interfecta ſunt propter peccatum adorati vituli: nec tamen credibile eſt omnes illos in peccato mortuos eſſe, cùm Dominus teſtatus ſit ſe ob *2 Reg. 12.* *2. Reg. 24.* *Gen. 2.* *Rom. 5.* *Exod. 32.*

Moyſis

Num. 14. Moyſis preces peccatum illud dimiſiſſe. Quintum eſt, vbi populus vniuerſus
murmurauit, ac deinde ad Moyſis interceſsionem Deus reconciliatus eſt Iſ-
raëli, & tamen in pœnam criminis illius omnes omninò Hebræi, qui nume-
rati fuerant, mortui ſunt in deſerto, exceptis Caleb, & Ioſue, qui non mur-
murauerant. Ac præterquam, quòd pœna mortis non infligitur ad emenda-
tionem in futurum, Deus ipſe teſtatur eo loco eam pœnam in vltionem ſce-
Num. 20. leris à populo ſe exigere: *Et ſcietis*, inquit, *vltionem meam*. Sextum eſt, vbi Moy-
ſes, & Aaron, quia non glorificauerunt Deum ad petram, ea pœna damnan-
tur, vt moriantur in deſerto: & de Aaron loquitur Scriptura: *Pergat Aaron ad
populos ſuos; non enim intrabit in terram, quam dedi filijs Iſraël, eò, quod incredulus fuerit
ori meo ad aquas contradictionis*; & continuo deſcribitur eius mors. De Moyſe
Deut. 32. autem ſic legimus: *Aſcende in montem iſtum Abarim, in montem Nebo, & morere in
monte: quem conſcendens iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus, & ap-
poſitus populis ſuis, quia præuaricati eſtis contra me*, &c. Nemo eſt autem, qui neget
Moyſen, & Aaronem poſt peccatum illud in gratiam Dei rediſſe: manſit igi-
tur pœna luenda poſt culpam remiſſam. Septimum eſt, vbi Apoſtolus ſcribit
multos eorum, qui indignè communicabant Sacramento corporis Domini,
1. Cor. 11. in pœnam peccati morte punitos, cùm ait: *Ideò inter vos multi imbecilles, & dor-
miunt multi*, quos ante mortem reconciliatos Deo fuiſſe idem Apoſtolus mo-
net, cùm ait: *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Simile eſt, quod
3. Reg. 13. ſcribitur de Propheta Domini, qui ob peccatum quoddam à Leone occiſus
fuit in itinere: & quia paulò ante prædicta fuerat illi ea calamitas, dubium eſ-
ſe non poteſt, quin pœnitentiam egerit, & remiſsionem à Domino impetra-
uerit; nam in teſtimonium ſanctitatis eius, in qua vitam finierat, ſtabat Leo
iuxta cadauer impaſtus, & ne aſinum quidem Prophetæ attingere audebat.

Reſp. ad 2. De ſecunda quæſtione Catholici tria docent.

Primò, pœnas temporales alterius vitæ, quæ in Purgatorio luendæ eſſent,
redimi poſſe ieiunijs, precibus, eleemoſynis, alijſque pijs, ac laborioſis operi-
bus huius vitæ. De qua re in libro de Purgatorio.

Secundò, pœnas temporales huius vitæ interdum non poſſe redimi, ſed ne-
ceſſario perpetiendas eſſe. Deus enim ita aliquando pœnam aliquam conſti-
tuit, vt nullam pro ea redemptionem accipere velit. Talis inprimis pœna mors
eſt, quam nullus, quantumuis iuſtus, vllo pio opere auertere potuit. Talis
2. Reg. 12. fuit pœna illa Dauidis: *Quia blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc
filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Tametſi enim Dauid ieiunauerit, & humi
proſtratus orauerit, non tamen mortem illam filij ſui redimere potuit. Talis
fuit pœna illa Moyſis, ne intraret in terram promiſsionis, ob peccatum, quod
Deut. 3. ad petram Oreb commiſerat. Rogauit enim Moyſes (vt ipſe teſtatur) Deum,
vt pœnam illam ſibi condonaret, & exauditus non eſt.

Tertiò docent poſſe aliquando pœnas temporales huius vitæ alijs operi-
bus tolli: id quod tam eſt in Script. euidens, vt mirum ſit ab vllo negari po-
tuiſſe. Certè Niniuitæ ob grauia peccata meruerant id, quod Deus illis com-
minatus fuerat, vt poſt 40. dies Niniue ſubuerteretur: & tamen ieiunijs, ſac-
Ion. vlt. cis, & precibus Niniuitarum placatus Dominus ciuitatem illam conſeruauit.
2. Paral. 7. Et Dominus dicit; *Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præce-*

pero

pero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autẽ
populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit
faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peßimis: & ego exaudiam de cælo, & pro-
pitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum. Et alibi: *Repentè loquar aduerſus* *Hier. 18.*
gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem, & deſtruam, & diſperdam illud. Si pœnitentiã
egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerẽ
ei. Et alibi, cùm Propheta expoſuiſſet Regi viſionem, per quam indicata fue-
rat pęna temporalis, quam ille ob ſua ſcelera merebatur, continuo ſubiecit:
Quamobrem, Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmoſynis redime, & *Dan. 4.*
iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Vbi apertiſsimè S. Daniel docet, poſſe
pœnas peccatorum pijs operibus redimi. Et clarius hoc apud Tobiam: *Eleë-* *Tob 4.*
moſyna ab omni peccato, & à morte liberat. Huc etiam facit, quod ait Apoſtolus: *Si*
nos ipſos dijudicaremus, non vtiq; iudicaremur.

De tertia quæſtione Concilium Trident. docet tribus modis Domino ſa- *Reſp. ad 1.*
tisfieri: pęnas, & flagella à Deo immiſſa patienter ferendo; operæ laborioſa *Seſſ. 14. c. 9.*
ſponte aſſumendo: & mulctam Sacerdotum arbitrio iniunctam ſubeundo.

Ac de pœnis quidem ſponte aſſumptis tot ſunt in Script. exempla, & teſti- *Prob.*
monia vt mirum ſit potuiſſe in mentem alicuius cadere, vt id negaret. Quis *de pœnis*
ſanctum Iob coëgit pœnitentiam agere in fauilla, & cinere, eius delicti, quod *ſponte aſſumptis.*
verbo commiſerat? Sic enim ipſe ait: *Inſipienter locutus ſum, idcirco ipſe me repre-* *Iob vlt.*
hendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. Quis Dauidem coëgit ieiunare, & *2. Reg. 12.*
humi iacere? & ponere veſtimentum ſuum cilicium? & panem, ſicut cinerem, *Pſal 68.*
manducare, & potum cum fletu miſcere? Nónne hæc omnia, & alia id genus *Pſal. 101.*
multa S. Dauid ſponte ſua faciebat, vt de ſe pęnas ſumeret ob peccata in Deũ
admiſſa? Nónne etiam Achab ſponte ſua cilicium ad carnem induit, vt Deum
placaret, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco? Et Dominus de eo ad Eliam di- *3. Reg. 21.*
xit: *Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa,*
non inducam malum in diebus eius. Quid Rex Niniuitarum? nónne ſponte ſua *Ion. 3.*
ſurrexit de ſolio, & abiecto veſtimento ſuo indutus eſt ſacco, & ſedit in cine-
re, & ieiunium toti populo indixit? Si pęnæ iſtæ ſponte aſſumptæ hypocriticæ
eſſent, & cum præceptis diuinis pugnarent, vt Philippus cum nouis Epicureis
dicit; qua ratione Deum placaſſent, & ruinam iam impendentem auertiſſent?
Porrò libri veterum Patrum pleniſsimi ſunt exhortationibus ad opera pęni-
tentiæ laborioſa ſpontè ſuſcipienda.

Poſſe autem, ac debere opera laborioſa à Sacerdotibus iniungi, Primùm *Prob. 1.*
ſatis apertè docent verba illa Domini: *Quodcunque ligaueris,* &c. Et: *Quæcunque* *de pœna à*
alligaueritis, &c. Rectè enim Concilium Trident. docet Claues Sacerdotibus *Sacerd.*
datas non tantùm ad ſoluendum, ſed etiam ad ligandum: & ideò ſicut à culpa *iniungenda.*
pęnitentes abſoluunt, ita etiam poſſe, ac debere eoſdem ad certa pęnitentiæ *Matth. 6.*
opera alligare: & quemadmodum peccata remittunt quoad culpam, & pęnã *Matth. 18.*
æternam, dum abſoluunt; ſic etiam peccata retinent quoad pęnam tempora- *Seſſ. 14.*
lem, dum mulctam pęnitenti imponunt. Docent hoc S. Leo, S. Cyprianus, & *c. 13.*
S. Gregorius.

Ad hæc; Pleni ſunt Conciliorum libri canonibus, quibus certum tempus *Prob. 2.*
ad ſatisfaciendum pęnitentibus præſcribitur. Et quamuis opera laborioſa

pęnitentibus olim ante Abſolutionem imponebantur, & explebantur; tamen non fuiſſe id abſolutè neceſſarium, ſed potuiſſe etiam expleri poſt Abſolutionem, vt hoc tempore fieri ſolet; ac per hoc ſatisfactiones illas non tam ad culpam, quàm ad pœnam temporalem expiandam referri conſueuiſſe, perſpicuum eſt ex Concilijs illis, quæ in articulo mortis iubent pęnitentibus Communionem dari, etiamſi nulla, aut non plena præceſſerit ſatisfactio; ſed tamē admoneri, vt, ſi fortè ſuperuixerint, integrè pœnitentiam ſibi iniunctam expleant.

Prob. 1. Nec verò deſunt optimæ rationes, ob quas planè congruens fuerit, quod in Sacramento Pœnitentiæ Deus velit per miniſtros ſuos certam mulctam peccatoribus imponi.

1. Ratio. Primùm enim id exigebat differentia inter eos, qui ante Baptiſmum, & qui poſt Baptiſmum peccant. Qui enim peccant ante Baptiſmum, maiori miſericordia digni ſunt, quàm qui poſt Baptiſmum; cùm illi in tenebris ignorantiæ; iſti in lumine fidei, & agnitionis Dei verſarentur: illi diabolo, & pompis, atque operibus eius nondum nuncium remiſiſſent; iſti remiſiſſent: illi ſine adiutorio gratiæ gratum facientis, & abſque Spiritu ſancto inhabitante viuerent; iſti filij Dei effecti pignus Spiritus in cordibus ſuis haberent: illi denique nunquam antea ad indulgentiam perueniſſent; iſti poſt indulgentiam, & tot beneficia ingrati tantum benefactorem iterum ad iracundiam prouocaſſent. Itaque omninò par erat, vt Deus miniſtris ſuis mandaret, vt peccantes poſt Baptiſmum non ſine mulcta iniuncta ad indulgentiam diuinam per ianuam reconciliationis admitterent.

2. Ratio. Altera ratio peti poteſt à miſericordia, & iuſtitia Dei, quæ in diuinis litteris paſsim coniunctæ prædicantur: ſiquidem maximè conſentaneum eſt rationi, vt ſic Deus ex miſericordia peccata condonet, vt etiam iuſtitiæ, quoad eius fieri poteſt, ſatisfieri velit.

3. Ratio. Tertia ratio ducitur à differentia Sacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ. Nam Baptiſmus, cùm ſit lauacrum regenerationis, non requirit, vt is, qui regeneratur, in ea re multum laboret: at pœnitentia, quia medicamentum eſt animæ vulneratæ, ac ægrotantis, id planè exigit, vt, qui curatur, medecinales vſtiones, inciſiones, pharmaca amara, aliaque id genus multa ſuſtineat.

4. Ratio. Quarta ratio ſumitur ab vtilitate ipſius pęnitentis: vtiliſsimum enim peccatori eſt, vt non maneat penitus impunitus, ne ex veniæ facilitate ad peccandum iterum incitetur. Neque enim timor ſolum ſatisfactionis cum labore exoluendæ coërcet à peccando; ſed etiam admonet, quanta ſit peccati grauitas, & eo modo animam erudit, & illuſtrat; at ex eo lumine ingens quoddam odium erga peccatum naſcitur, vt iam non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ, & odio peccati in bonis actionibus perſeueret. Neque exigua eſt illa vtilitas ſatisfactionis, quòd multum conducit ad habitus vitiorum eradicandos, & virtutum inſerendos, quodque Chriſti crucem geſtare nos facit, & Chriſto ipſi compati, vt cum eodem poſtea (iuxta Apoſtolum) regnemus: quas rationes breuiter attigit Concilium Trident. Seſſ. 14. c. 8.

5. Ratio. Quinta ratio petitur ab vtilitate, quæ in alios redundat. Nam ſæpe ob peccatum

catum vnius non punitum, vt oportebat, in totum populum Dei furor accẽditur. Cuius rei teſtis eſt Ioſue, qui ſcribit populum Iſraël tamdiu coram hoſtibus terga vertiſſe, donec peccatum Achan detectum, & punitum non fuit. *Ioſ 7.* Neque exigua eſt illa vtilitas, quòd ex pœna vnius, præſertim ſi publica fuerit, ſæpenumerò corriguntur multi. Denique; Illud quoque accedit, quod ſatisfaciens non ſolùm veniam apud Deum impetrat, ſed etiam, quam contriſtauerat nuper, lætam facit Eccleſiam.

De quarta quæſtione nobis duo probanda ſunt. Primum, opera Satisfactoria in genere non eſſe cæremonias, aut res inutiles; ſed res vtiliſsimas, quarum in diuinis litteris extant exempla, promiſsiones, & præcepta. Deinde, hæc ipſa opera in particulari, quatenus à Deo non imperantur, ſed ſponte ad peccata expianda ſuſcipiuntur, gratiſsima eſſe Deo, & exemplis Script. ac promiſsionibus confirmari. *Reſp. ad 4.*

Quod ad primum attinet, ſciendum eſt opera Satisfactoria ex communi Theologorum ſententia, & Concilij Tridentini, eſſe Orationem, Ieiunium, & Eleẽmoſynam, ac præterea illa omnia, quæ ad hæc tria, tanquam ad quædã præcipua capita, reducuntur. *Seſs. 14. c. 13.* *Opera ſatisfactoria.*

Cur autem hæc tria præcipuè à Theologis ſtatuantur, duæ cauſæ ſunt.

Vna, quòd debeamus ſatisfacere per ea bona, quæ noſtra ſunt, quoad eius fieri poteſt. Habemus autem tria genera bonorum; animi, quę Deo damus per orationem; corporis, quæ Deo damus per ieiunium; externa, quæ Deo damus per eleẽmoſynam. *1. Ratio eorum.*

Altera ratio eſt, quòd omnia vitia reuocantur ad illa tria, quæ S. Ioannes poſuit, *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ.* Ieiunium comprimit concupiſcentiam carnis, Eleẽmoſyna concupiſcentiam oculorũ, id eſt, auaritiam; Oratio ſuperbiam vitæ. *2. Ratio eorum.* *1. Ioan. 2.*

Reuocantur autem ad Ieiunium ea omnia, quæ corpus affligunt, & concupiſcentiæ carnis repugnant, vt cilicia, cineres, flagellationes.

Reuocantur ad Eleẽmoſynam, quæ repugnant auaritiæ, aut certè in proximi vtilitatem cedunt, vt opera omnia miſericordiæ.

Reuocantur ad Orationem, quæ Deo propriè exhibentur, vt laudes, gratiarum actiones, Contritionis, & Confeſsionis actus. Quocirca rectè Theologi docent per actum Contritionis, vt eſt opus pœnale, ſemper aliquid pęnæ temporalis, pro qua ſatisfaciendum erat, remitti: & aliquando tam vehemẽtem poſſe eſſe dolorem Contritionis, vt tota pœna remittatur.

Iam verò facile erit probare ea, in quibus nos ponimus Satisfactionem. Nam de oratione loquitur Deus: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te,* &c. Vbi ſimul præceptum, & promiſsionem videmus. Exemplum habemus Dauidis, qui tot Pſalmis compoſitis peccata ſua coram Deo defleuit; item Manaſsis, de quo ſic legimus: *Qui poſtquam coanguſtatus eſt, orauit Dominum Deum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo Patrum ſuorum, deprecatúſque eſt eum, & exorauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitq́; eum Ieruſalem in regnum ſuum.* *Prob de oratione.* *Pſal. 49.* *2. Paral. 33.*

De Ieiunio habemus exemplum Dauidis, vt reliqua prætermittam. Item præceptum, & promiſsionem apud Ioëlem. *Prob de Ieiunio.* *2. Reg. 12.* *Ioel 2.*

De Eleemoſyna inſigne extat exemplum in Tobia. Præceptum item, & pro- *Prob. de Eleemoſyna.*

Tob. 1. Luc. 11. Tob. 12. Matth 6.

promiſsio: *Date eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Rurſus hæc tria commẽdantur ab Angelo: *Bona eſt Oratio cum Ieiunio, & Eleëmoſyna.* Et regulas eorundẽ trium operum explicat Dominus apud Matthæum.

De cinere, & cilicio. Ionæ 3. 1. Par. 21. Ierem. 4. Ioël. 1. Matth 11.

De cinere, & cilicio, quæ ad ieiunium reducuntur, extant exempla in diuinis litteris; vt Niniuitarũ, Dauidis, ac ſeniorum Iſraël. Idem imperatur apud Ieremiam, & Ioëlem, & alibi. Idem confirmat ipſe Dominus.

De flagellatione. 1. Cor. 9.

De flagellatione, & percuſsione ſui ipſius habemus exemplum Apoſtoli Pauli: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo.* Quo loco verbum Græcum ὑπωπιάζω, vt Theophylactus notat, ſignificat, vſque ad liuorem contundere. Et quamuis Apoſtolus ſimilitudinem ducat ab ijs, qui in ſtadio pugnant, & dicere velit eo ſe modo corpus ſuum malè accipere, ac ſubijcere, quemadmodum athletæ, cùm in ſtadio aduerſarium ſuum pugnis, ac cæſtibus ad liuorem vſque contundunt; tamen omninò probabile eſt Paulum etiam propriè corpus ſuum verberibus affeciſſe; tum, quòd vox Græca id ſignificet; tum, quòd hoc genus pœnæ etiam veteribus fuerit vſitatum. Nam & Publicanus pœnitens percutiebat pectus ſuum: & idem de ſe dicit Hieronymus. *Luc. 18.*

Opera laborioſa Deo grata eſſe, & vtilia. Prob 1. Num. 30.

Iam verò hæc ipſa opera, quatenus quoad certum modum in particulari diuinitus mandata non ſunt, ac ob hoc indebita dici poſſunt, grata eſſe Deo, atque vtilia, demonſtratum eſt in lib. de Monachis. Ac præter alia inſigne teſtimonium habemus, vbi Deus approbat, & ſibi reddi iubet vota ſponte facta de ieiunijs, aut alia quauis afflictione corporis. Atqui Deus nuſquam imperauerat non ſolum in ſpecie aliqua certa vota, ſed ne in genere quidem vlla vota: & tamen vota ſponte facta à Deo grata eſſe, perſpicuum eſt, tum ex eo, quòd iubet ſibi reddi, tum ex illa Prophetæ cohortatione: *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro.* Inſigne quoque eſt exemplum S. Ioannis Baptiſtæ, cuius veſtis pili camelorum erant; cibus, locuſtæ; lectus, humus; domus, deſertum. Neque poterunt aduerſarij in Script. oſtendere, vbi Deus tantam vitæ aſperitatem imperauerit; vt omninò fateri cogamur eiuſmodi labores ſponte ſuſceptos fuiſſe, atque ad opera ſupererogationis pertinuiſſe. Placuiſſe autem Deo eiuſmodi vitam, teſtis eſt Chriſtus ipſe, qui Ioannem mirificè laudauit. Huc etiam pertinet Annę illius exemplum, quę *Non recedebat à templo ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens die, ac nocte.* Nam à templo non recedere, ac perpetuo ieiunare, & orare, non erat lege Domini vſquam imperatum: & tamen hęc opera indebita, & ſupererogationis fuiſſe cultum Deo gratum, ex verbis Euangelij ſatis apertè colligitur. Neque enim Euangeliſta in laudibus eius mulieris poſuiſſet aſsidua illa ieiunia, & preces, & in templo commorationem; neque dixiſſet illam Deo ſeruiſſe orationibus, & ieiunijs nocte, ac die, niſi opera illa cultum Dei eſſe credidiſſet.

Pſal. 75. Matth 3. Luc 3. Mar. 1. Mat. 11. Luc. 7. Luc. 2.

Prob 2. Porrò veteres Patres etiam afflictiones iſtas carnis non imperatas in particulari, ſed ſponte aſſumptas apertiſsimè laudant, & ad cultum Dei pertinere dicunt.

Prob. 3. Accedit etiam ratio. Nam, ſi Deo placent opera, quę ipſe neque in genere, neque in ſpecie imperauit, modò cum debitis circumſtantijs fiant; quanto magis certum erit placere Deo, quę ipſe ſaltem in genere imperauit; qualia

ſunt

ſunt Oratio, Eleemoſyna, & Ieiunium, & quę ad iſta reducuntur?

De quinta quæſtione Conc. Trid. & Eccleſiæ totius ſententiam ſequentes probare aggredimur per opera illa pęnalia, de quibus hactenus locuti ſumus, verè, ac propriè Domino ſatisfieri pro reatu pœnæ, qui poſt culpam dimiſſam remanet expiandus. Illud tamen præmittimus nos hoc loco de Satisfactione illa verba facere, quæ ex condigno quidem pœnam temporalem expiet, non tamen ex rigore iuſtitiæ. Satisfactio enim ex rigore iuſtitiæ duo requirit: vt ſatisfiat ex proprijs; & ad æqualitatem, nulla videlicet præueniente, aut intercedente gratia eius, cui debetur Satisfactio. Nos autem neque aliquid habemus, quod Dei non ſit, neque poſſumus vllo genere honoris adæquare iniuriam, quam Deo fecimus: cùm iniuriæ menſura æſtimetur ex dignitate Dei, quę infinita eſt; menſura honoris, quem illi impendimus, æſtimetur ex dignitate noſtra, quæ eſt finita, & perexigua. Nihilominus tamen accedente gratia Dei, eaque multiplici verè poſſumus aliquo modo ex proprijs, & ad ęqualitatem, ac per hoc iuſtè, & ex condigno ſatisfacere. Reſp. ad 5. Seſſ. 6. c. 14. Seſſ. 14. c. 16.

Primum enim accedit gratia iuſtificationis, per quam efficimur filij Dei, membra Chriſti, habitacula Spiritus S. & hac ratione opera noſtra, vt à Spiritu ſancto procedunt, quandam habent infinitatem, ac per hoc etiam quandam æqualitatem cum iniuria, qua Deum peccando affeceramus.

Accedit rurſus alia gratia, dum Deus, qui noſtra omnia ſibi iure vendicare poſſet, non omnia, quæ facere poſſumus imperat, ſed certa quædam opera dumtaxat: alia verò permulta non imperat, ſed ſuadet, atque ad ea facienda hortatur. Ex qua Dei benignitate illud conſequitur, vt habeamus opera propria, & indebita, quibus pro iniuria ſatisfaciamus: quanquam ea eſt benignitas Dei, vt etiam, quę munera ipſius ſunt, noſtra eſſe merita patiatur; & quę de manu eius accepimus, ſibi donari libenter admittat.

Accedit poſtrema alia gratia. Nam Deus, cùm nos ad amicitiam ſuam per reconciliationem iterum recipit, à pęna, cuius debitores eramus, ęternitatem aufert, ac de ęterna temporalem facit. Ita igitur intelligimus per noſtra opera Domino ſatisfieri, non ex rigore iuſtitiæ, ſed gratia ipſius, eaque multiplici præcedente; & comitante, atque id nobis donante, vt habeamus, vnde ex proprijs, & ad æqualitatem pro pęna temporali ſatisfacere valeamus.

His præmiſsis prob. veritas ex Script. *Prob.*

Primum teſtimonium eſt apud Iſaiam, vbi Dominus promittit remiſsionē plenam, ac perfectam peccatorum, quaſi pręmium quoddam ijs, qui non tantum lauerint, ac mundauerint ſe per contritionem; ſed etiam in bonis operibus miſericordiæ ſe exercuerint. *Reſp. Iſa. 1.*

Alterum eſt: *Peccata tua eleēmoſynis redime.* Et: *Miſericordia, & veritate redimitur iniquitas.* Hic enim habemus vocem Redemptionis, quę ęquiualet voci ſatisfactionis. Certè enim non minus ad iuſtitiam pertinet Redemptio, quam Satisfactio: &, ſi abſurdum eſſet dicere noſtris operibus ſatisfieri pro peccatis, multo eſſet abſurdius dicere noſtris operibus redimi peccata. Cùm igitur Scriptura non vno in loco diſertis verbis tradat noſtris operibus redimi peccata, profectò non abhorret ab vſu Script. quod nos dicimus, noſtris operibus ſatisfieri pro peccatis. *Dan. 4. Prou. 16.*

Obiect. Sed fortaſſe obijciet aliquis, non dixiſſe Danielem, Pęnas tibi debitas eleemoſynis redime; ſed, *Peccata tua*, &c. proinde locutum eſſe de redemptione culpæ, quam nos ipſi fatemur non eſſe veram, & propriam redemptionem.

Solut. Reſp. in ſacris litteris nomen peccati ſæpenumero accipi pro pœna, ſiue

Gen 43. Deut. 5. 3. Reg 1. Prou. 16. pœnæ reatu. Vt; *Niſi reduxero puerum, ero peccati reus in te omni tempore.* Et: *Reddens iniquitatem patrum in filios.* Et: *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Et hoc modo accipi poteſt illud; *Miſericordia, & veritate*, &c. Locus autem Danielis duobus modis exponi ſolet. Vno modo, vt per peccatum intelligatur culpa, ſiue inimicitia cum Deo: & tunc ſignificatur illis verbis poſſe hominem pœnitentem per eleemoſynas placare Deum ex congruo, atque ab eo gratiam reconciliationis impetrare. Ex qua interpretatione id ſequitur, vt, ſi opera hominis nondum iuſtificati, tamen cum auxilio Dei ſpeciali facta, tantum valent ad reconciliationem, vt ex congruo dicantur redimere culpam, multò magis opera hominis iuſti ex Spiritu inhabitante facta tantum valeant ad expiandam pœnam temporalem, vt ex condigno dicantur redimere pœnam. Alio modo exponuntur à nonnullis ea verba, vt per peccata ſola pœna intelligatur. Sed quia Nabuchodonoſor impius erat, & non ſolum pœnæ, ſed etiā culpæ remiſsione indigebat, idcircò auctores illi volunt ſententiam Danielis eſſe hiulcam, ac ſubintelligi alia verba, quibus ad agendam pœnitentiam, & quærendam reconciliationem Daniel Regem ſit cohortatus, ac tum demum

Dan. 4. addiderit de expianda pœna: *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Cæterum plenus commentarius erit, ſi verba Danielis intelligamus de perfecta peccati remiſſione, quoad culpam, & pœnam: ita vt cohortatio ſit ad magnas, & frequentes eleemoſynas, quibus primum diſponatur Rex ad reconciliationem; deinde etiam pœnam ex condigno redimat: ſicut intelligendus videtur locus ille.

Luc. 11. *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.*

Luc 3. Tertium teſtimonium eſt: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Nam facere fructum dignum pœnitentiæ eſt operari eo modo, quo decet eum, qui pœnitentiam profitetur: qui autem pœnitentiam profitetur, quòd aliquem lęſerit, non ſolum ceſſat à lædendo, nec ſolum cauet in futurum, ne quid in eum committat; ſed etiam damnum reſarcit, compenſat iniuriam, malè facta corrigit, & emendat. Atque in hunc modum locum iſtum veteres expoſuerunt.

2. Cor. 7. Quartum eſt, vbi B. Paulus inter alios bonos fructus ſanctæ triſtitiæ, quæ pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ponit vindictam. Neque multum refert, an Apoſtolus loquatur de vindicta, quam is, qui pœnitentiam agit, de ſeipſo ſumit; an de ea, quæ iniungitur ab alio: ſatis enim nobis eſt probari ab Apoſtolo pœnas, quæ vindictæ nomine inueniuntur in pęnitentia. Vindicta enim ad præteritum reſpicit, & ad iuſtitiam pertinet, neque aliud eſt, niſi id, quod nos dicimus Satisfactionem. Ideò enim ſumit vnuſquiſque de peccatis ſuis pro amore Dei vindictam, vel à Sacerdote iniunctam libenter admittit, vt iniuriam Deo factam ea ratione compenſet.

Leuit. 4. 5. 6. Quintum eſt in Leuitico, vbi ſacrificia diuerſi pretij pro æſtimatione, & menſura delicti imperantur: quæ compenſatio fuerunt, & ſatisfactio pro reatu pœnæ temporalis expiando. Huc adferri poſſent omnia illa Scripturæ teſtimonia, quæ docent opera hominum iuſtorum eſſe meritoria vitæ ęternæ.

Nam,

Nam, ſi opera iuſtorum eam vim habent, vt vitam æternam verè, & propriè mereantur; nullo modo negari poteſt, quin etiam efficacia eſſe poſsint ad ſatisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis; ſiquidem longè maius eſt gloria æterna, quàm pęnæ temporalis remiſsio. Certè inter homines, ſi quis Regem ſuum iniuria affeciſſet, ac deinde in amicitiam reſtitutus ita ſe gereret, vt merito operum ſuorum in ſocietatem regni admitteretur; quis ambigeret eundem officijs erga Regem pecuniarium debitum facilè poſſe redimere? Script. teſtimonia pro meritis vitæ æternæ paſsim occurrunt: ſed duo hoc loco ſufficiunt. Vnum: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Quo loco & vox *Mercedis*, & nomen *Operariorum*, & pactum cum operarijs ex denario diurno non permittunt nos aliter hunc locum exponere, quàm de meritis propriè dictis, quibus ex iuſtitia merces debetur. Denarium autem diurnum, qui eo loco pro mercede ponitur, communi conſenſu Patres docent eſſe vitam æternam. Alterum eſt: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus index, non ſolum autem mihi, ſed ijs, qui diligunt aduentum eius.* Certè corona iuſtitiæ, quæ redditur à Iudice iuſto, veram, & propriam laborum, meritorumque mercedem ſignificat.

Matth. 20.

2. Tim. 4.

Eadem prob. veritas ex teſtimonijs veteris Eccleſiæ.

DE

DE EXTREMA VNCTIONE, ET ORDINE.

LIBER VI.

CAPVT I.

Extremam Vnctionem verè, & propriè eſſe Sacramentum.

Prob. 1. Sacram. extrema vnctionis. In inſtruct. Armen. Seſſ. 14. c. 1. Mar. 6.

ECCLESIA Catholica palam affirmat Vnctionem extremam Sacramentum eſſe verè, ac propriè dictum. Id enim expreſsè habet Concilium Florent. & Trident. & omnes Theologi. Duę autem ad hoc probandum proferuntur Scripturæ ab omnibus.

Vna: *Et vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.* De qua non omnes conueniunt; an, cùm Apoſtoli vngebant oleo infirmos, & curabant, illa vnctio fuerit Sacramentalis, de qua nunc loquimur: an ſolum fuerit figura quædam, & adumbratio huius Sacramenti? Qui tuentur priorem ſententiam, vt Thomas VValdenſis, & Alphonſus à Caſtro, ea ratione ducuntur quòd Beda, Theophylactus, & OEcumenius videantur dicere eandem eſſe vnctionem, cuius fit mentio apud Iacobum: Sed profectò probabilior eſt ſententia poſterior, quæ eſt Ruardi, Ianſenij, Dominici à Soto, & aliorum.

In commentar. Mar. & Iac. Iac. 5.

Prob. 1. vnctio. figuralis.

Prob. ſententia poſterior primò: Illa vnctio, qua vtebantur Apoſtoli, referebatur ſolum, aut præcipuè ad curationem morbi corporalis; vnde etiam ſanabantur omnes, qui tum inungebãtur: Sacramenta autem per ſe ad animam pertinent, ad corpus per accidens aut certè ſecundario.

Prob. 2.

Secundò; Apoſtoli eo tempore nondum erant Sacerdotes: & quamuis potuerit Chriſtus etiam per non Sacerdotes Sacramenta conferre, tamen non eſt probabile eum hoc feciſſe, nec legimus id vnquam factum. Neque obſtat, quòd Apoſtoli baptizarunt, cùm nondum eſſent Sacerdotes: nam non ita eſt de eſſentia Baptiſmi, vt miniſter ſit Sacerdos, ſicut de eſſentia vnctionis. Nã, ſi laicus baptizet, etiam extra neceſsitatem, Baptiſmus eſt ratus; non autem rata Vnctio, ſi laicus inungat. Quòd autem Apoſtoli nondum fuerint eo tempore Sacerdotes, patet, quia facti fuerunt in vltima cœna; vt docet Conciliũ Trident.

Seſſ. 22. c. 1.

Accedit

Accedit tertiò; quòd Apoſtoli tunc promiſcuè vngebant quoslibet ægrotos; vt cæcos, claudos, &c. At Sacramentum Vnctionis non datur, niſi ijs, qui decumbunt cum periculo vitæ, vt omnes concedunt. *Prob.3.*

Quartò; Apoſtoli tunc, cùm inungerent, non quærebant, eſſentne baptizati, qui inungendi erant; & omnino probabile eſt multos ab eis inunctos, qui infideles erant; At certè ſine Baptiſmo nihil proſunt Sacramenta cætera, nec dari poſſunt, aut debent non baptizatis ſine peccato. *Prob.4.*

Nec valet, quod quidam obijciunt Cornelio datam Confirmationem ante Baptiſmum, Deo videlicet in hac re diſpenſante. Nam Cornelius non habuit Sacramentum Confirmationis ante Baptiſmum, ſed effectum Sacramenti Confirmationis ab ipſo Domino immediatè ſine Sacramento. Denique; Concilium Trident. dicit hoc Sacramentum inſinuatum Marci 6. Dicitur autem inſinuari id, quod non expreſsè proponitur, ſed adumbratur, & obſcurè indicatur. Et hoc eodem modo intelligendi ſunt veteres, qui locum Marci coniungunt cum loco Iacobi. Significant enim in vno loco iacta eſſe fundamenta eius Sacram. quod in altero expreſsè proponitur. Sicut enim, cùm Chriſtus manus imponit, non dicimus tunc inſtituiſſe Sacramentum Confirmationis, aut Ordinationis, ſed tamen agnoſcimus adumbrationem quandam Sacramenti poſtea futuri: ſic etiam quod Dominus iuſſerit oleo curare infirmos, & non alia aliqua re, intelligimus ſignificatum eſſe, futurum fuiſſe aliquando tēpus, quo oleum eſſet Sacramentum infirmorum. *Obiect. Act.10. Solut. Prob.5. Seſſ.14. can.1. Mar.6. Iacob.5. Matth.19. & alibi.*

Veniamus nunc ad alterum locum: *Infirmatur quis in vobis? inducat preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Hic habemus omnia, quę ad Sacramenti eſſentiam requiruntur, videlicet ſymbolum externum, promiſsionem gratiæ, & diuinam inſtitutionem. Symbolum externum eſt vnctio olei cum oratione fidei: promiſsio verò alleuiatio infirmi, & remiſſio peccatorum. Inſtitutio autem colligitur ex hac tam conſtanti promiſsione Apoſtoli: neque enim Apoſtolus tam conſtanter, & abſolutè id promitteret, niſi Dominus id inſtituiſſet, & mandaſſet. Itaque Apoſtolus Iacobus non inſtituit ſacramentum, ſed hortatur ad illud ſuſcipiendum, quod à Domino nouerat inſtitutum. *Iac.5.*

Eadem veritas probari poſſet ex teſtimonijs Pontificum, Conciliorum, Patrum, aliorumque auctorum. *Prob 2. Sacram. extremæ vnct.*

Prob. etiam ratione ex diuina prouidentia deſumpta, qua etiam vtitur Trident. Concilium. Nam, cùm Dominus Sacramenta inſtituerit, quibus veluti diuinis ſubſidijs iuuaremur in ingreſſu Eccleſiæ, & in progreſſu, certè nullo modo credendum eſt defuiſſe diuinam eius prouidentiam in egreſſu, & tranſitu ab hac temporali, militante Eccleſia ad aliam ſempiternam; præſertim cùm nunquam magis hoc indigeat auxilio, & præſidio, quàm in articulo mortis; vt Patres paſsim docent. Tunc enim & hoſtes fortius impugnant, quia modicum tempus habere ſe vident; & ipſe homo nunquam eſt ineptior ad reſiſtendum ob dolorem, & ægritudinis magnitudinem. *Prob.3. rationis. Seſſ.14.*

Si enim corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, etiam dum optimè valet; certè in ipſo actu corruptionis maximè aggrauabit: &

experientia ipſa teſtatur vix poſſe eiuſmodi ægrotos mentem ad Deum attollere.

CAPVT II.

De materia, forma, effectu, Miniſtro, Suſcipiente, & cæremonijs extremæ Vnctionis.

Materia. In inſtruct. Armen. Seſſ. 14. can. 1.

MATERIA huius Sacramenti eſt oleum oliuę ab Epiſcopo benedictum. Id habet Concilium Florent. & Tridentinum: nec non Concilia alia, Pontifices, & Patres. Quod quidem ita accipiendum eſt, vt conſecratio, & benedictio Epiſcopalis in hoc Sacram. ſit de eſſentia materiæ ſacramenti; non autem accidentaria, vt conſecratio aquæ in Baptiſmo. Concilia ſiquidem Florent. & Trident. quæ propter hęreticos magis diſtinctè hæc omnia explicuerunt, in Baptiſmo materiam eſſe dicunt aquam ſimplicem, nec addunt benedictam: in extrema verò Vnctione, vt etiam in Confirmatione, docent eſſe oleum ab Epiſcopo conſecratum.

Forma extremæ vnctionis.

Forma ſunt illa verba: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum*, &c. Iſtam formam tradunt Concilia Florentinum, & Tridentinum, & communiter Scolaſtici.

Sunt autem hoc loco tria notanda.

Nota 1.

Primò, his verbis explicari omnia, quæ in forma Sacramenti explicari debent; nimirum cauſam principalem, quæ eſt Dei miſericordia; & inſtrumentariam, quæ eſt ſacra vnctio; nec non effectum, id eſt, remiſsionem peccati, & conſequenter corporalem ſanitatem, quę ex remiſsione perfecta peccati pendet; ſicut morbus ex peccato, vt plurimum, oriri ſolet. Vnde Dominus paralytico, quem curare volebat, prius dicebat: *Remittuntur tibi peccata tua*; vt omnes intelligerent peccata eius fuiſſe cauſam morbi: vt etiam alteri, quem ad piſcinā curauerat Dominus, dixit: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi contingat.*

Matth. 9. Ioan. 5. Nota 2.

Secundò nota, non eſſe in hac forma numerandas ſyllabas, quaſi ſingula ſint de eſſentia: ſolum enim ſententia ad eſſentiam pertinet, quæ formam habeat deprecatoriam, cùm Iacobus diſertè dicat: *Orent ſuper eum*, & præterea exprimat effectum Sacram. ita vt determinet materiam, id eſt, vnctionem illam. Quamuis autem non ſint de eſſentia ſingula verba; tamen omitti non debent, nec poſſunt ſine peccato, cùm habeamus Eccleſiæ diſertum pręceptum, & longiſsimam conſuetudinem.

Iac. 5.

Nota 3.

Tertiò nota, cauſſas, cur forma debeat eſſe deprecatoria, varias aſsignari; ſed illam videri pręcipuam, quia hoc ſacramentum eſt complementum ſacram. Pœnitentiæ, & quaſi pœnitentia quædam infirmorum, qui non poſſunt iam facere opera Pœnitentiæ, Idcircò hoc intereſt inter hæc duo ſacramenta,

quòd

quòd in ſacramento Pœnitentiæ requiritur Confeſsio, & ſatisfactio, &
proinde opera laborioſa ex parte ſuſcipientis Sacramentum: in hoc Sacram.
eſt ſola Dei miſericordia, & ideò dicitur: *Indulgeat tibi Deus*. Itaque ad ſignifi-
candum in hoc ſacramento eſſe remiſsionem ex ſola miſericordia, vtimur
prece.

Effectus huius Sacramenti duos eſſe inter Theologos conuenit. Vnum, *Effectus*
quòd ſanat corpus, ſi ita expedit animæ ſaluti. Alterum, quòd abſtergat reli- *Extremæ*
quias peccatorum. Conuenit etiam inter omnes non habere hoc Sacramen- *vnctionis.*
tum pro effectu characterem, & ideò repeti poſſe, quando ſæpius quis incidit
in morbum periculoſum.

Vna tantum eſt inter Theologos quæſtio: *Quæ ſint peccatorum reliquiæ?* Non *Quæſtio.*
eodem modo omnes explicant. Quidam eſſe volunt peccata venialia; ſed im-
probabiliter: nam ea poſſunt ſine Sacramento deleri, nec ad ea tollenda requi-
ritur noua infuſio gratiæ, quæ eſt effectus omnium ſacramentorum. Itaque, ſi
is eſſet effectus proprius, & præcipuus huius vnctionis, non facilè probare
poſſemus eam eſſe Sacramentum, nec Iacobus diceret: *Si in peccatis fuerit, re-* *Iac. 5.*
mittantur ei. Peccata enim venialia omnes habent: Nam, vt idem ait; *In multis* *Iac. 2.*
offendimus omnes.

Denique; Non eſt tutum reſtringere ad venialia, quod Iacobus generatim
vocat peccatum, & quod in forma dicimus: *Quidquid deliquiſti*. Alij nomine
reliquiarum intelligunt pronitatem; ſiue habitum ex peccato relictum. Sed ij
adhuc improbabilius loquuntur: nam de huiuſmodi habitu non poteſt com-
modè intelligi illud: *Si in peccatis fuerit*. Neque illud formæ ſacramentalis: *Iac. 5.*
Quidquid deliquiſti.

Deinde; Non videntur tolli eiuſmodi habitus per hoc Sacramentum: ſæpe
enim accidit vt, qui conualeſcunt, eandem pronitatem ſentiant ad peccan-
dum, quam antea ſentiebant. Nec immeritò: habitus enim contracti per
actiones frequentatas non tolluntur, niſi frequentatione contrariæ actio-
nis.

Dico igitur reliquias peccatorum duplices eſse, & vtrarumque abſterſio- *Reſp.*
nem ad effectum huius ſacramenti proprium pertinere. Primum enim reli-
quiæ dicuntur peccata, quæ interdum remanent poſt omnia alia Sacramenta;
ſiue mortalia, ſiue venialia ſint. Poteſt enim fieri, vt quis poſt Confeſsionem,
& Communionem in peccatum mortale incidat, & ignoret ſe eo peccato te-
neri, vnde non poterit illud noua Confeſsione expiare. Poteſt etiam fieri, vt
Confeſsionem, & Communionem non ritè peregerit, & hoc ipſum ignoret.
Iſtæ igitur ſunt veræ reliquiæ, quæ hoc Sacram. tolluntur, niſi quis obicem
ponat. Et hoc indicat Iacobus, cùm ait: *Et ſi in peccatis fuerit*. Et Concilium
Florentinum, cùm dicit effectum eſſe animæ ſanationem. Et Trident. cùm
ait: *Si quæ delicta ſint adhuc expianda, abſtergit*. Et forma Sacramentalis: *Quidquid*
deliquiſti per viſum, tactum, &c.

Denique; Vnguntur quinque ſenſus, quia illa ſunt quaſi quinque oſtia, per
quæ peccata intrant ad animam, vt nimirum fiat generalis quædam expurga-
tio omnium, quæ remanent, peccatorum. Ex quo intelligimus, quod ſit hoc
Sacramentum non contemnendum, cùm aliquando fieri poſsit, vt per hoc

Sacramentum ſaluetur is,qui alioqui planè damnandus eſſet.

Obiect. Dicet aliquis;Id videtur commune omnibus Sacramentis;vt peccata mortalia tollant,ſi quæ inueniant, modò non ponatur obex, quia omnia Sacramenta conferunt gratiam, quæ non poteſt cum peccato mortali conſiſtere: non igitur id eſt proprium huius Sacramenti.

Solut. Reſpondeo omnia quidem Sacramenta id efficere, ſed per accidens: hoc autem Sacramentum per ſe,& propriè hoc facit, quia ad hoc peculiariter eſt inſtitutum in fine vitæ. Secundò; Nomine reliquiarum peccati venit etiam quidam torpor,& mœror,& anxietas,quæ ex peccato relinqui ſolet, & quæ maximè hominem morti vicinum vexare poteſt: de quibus loquitur idem Concilium Tridentin.& S.Iacobus,cùm ait: *Alleuiabit eum Dominus.* Nam S. Iacobus breuiſsimè omnes tres effectus Sacramenti huius complectitur.

Primò, incipit à leuiſsimo,id eſt,à ſanitate corporali, cùm ait: *Oratio fidei ſaluabit infirmum.*

Secundò,addit de vno genere reliquiarum: *Et alleuiabit eum Dominus.*

Tertiò,addit de alio genere: *Et, ſi in peccatis fuerit,remittentur ei.*

Miniſter extremæ vnctionis. Miniſtrum eſſe Presbyterum,id eſt, Sacerdotem, & conſequenter Epiſcopum,ſi is velit, docent Concilia,& Patres. Et apertè colligitur ex Iacobo: *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Nam & ſi vox illa Græca πρεσβυτέρους ambigua ſit,& tam ſeniorem ætate, quam dignitate ſignificare poſsit, tamen ſecundum vſum Scripturæ Teſtamenti noui,& Eccleſiæ,non ſignificat, niſi ſacerdotes.

Suſcipiens vnctionem extremam. De eo, qui Sacramentum hoc ſuſcipere poteſt, conſtat debere eſſe primò Chriſtianum;dicit enim Iacobus: *In vobis.*

Secundò,infirmum,quia ait: *Infirmatur quis in vobis?* Nam qui benè valent, poſſunt agere pœnitentiam. Extrema autem vnctio, eſt ſpecialis miſericordia,quæ exhibetur ægrotis,qui iam non poſſunt agere pœnitentiam.

Tertiò, infirmum grauiter, ita vt de vita periclitetur; vt Concilia docent.

Quartò,adultum,& qui vſum rationis habuerit. Infantes enim, & qui ſemper amentes fuerunt, non habent reliquias peccatorum, quæ abſtergantur;nec ſunt capaces lætitiæ,& alleuiationis, quam Sacramentum adfert,& non ſine irreuerentia eis Sacramentum adminiſtraretur.

Quintò,non excommunicatum, nec ante Confeſsionem, & Abſolutionem,ſi conſtet eum teneri peccato, à quo nondum ſit abſolutus.

Ceremoniæ extremæ vnct. Duæ autem ſunt cæremoniæ in hoc Sacramento vſitatæ. Prima, vt recitentur Litaniæ, & aliæ quædam preces ante vnctionem.

Secunda, vt vngantur ſeptem corporis partes, nimirum oculi, aures,nares,os,& manus propter quinque ſenſus: deinde renes, vbi eſt ſedes concupiſcentiæ;& tandem pedes ob vim progreſsiuam,& executionem. Ita præſcribit Concilium Florentinum. Sed ex his vnctionibus aliqui putant nullam eſſe de eſſentia,ſed ſufficere,vt quouis loco vngatur ægrotus,quoad Sacramenti eſſentiam: reliqua ad ritum,& ſolennitatem pertinere. Hæc tamen opinio ſingularis eſt, & ideò minus tuta. Quidam verò exiſtimant omnes illas vnctiones eſſe de eſſentia. Sed communior opinio, quam etiam

ſequitur

ſequitur S. Thomas, eſt, vt ad eſſentiam ſolùm pertineat vnctio quinque ſenſuum. Ibi enim eſt origo omnium peccatorum: vis enim appetitiua pendet à cognoſcitiua; vis autem progreſsiua, ſiue executiua ab vtraque. Et ſanèratio honeſtatis in fœminis id poſtulare videtur, vt renes non vngantur. Itaque Concilium non præſcribit, vt partes illæ omnes vngantur; ſed ſolum enumerat omnes partes, quæ inungi ſolent iuxta varium Eccleſiarum ritum.

CAPVT III.

De Sacramento Ordinis.

PRIMA quæſtio eſt: *Sitne Ordinatio Sacramentum propriè dictum?* *Quæſt. 1.*

Prob. eſſe Sacramentum ex ſacris litteris. Tria requiruntur ad Sacramentum propriè dictum: ſymbolum externum, ſeu ritus; promiſsio gratiæ; & mandatum, ſeu inſtitutio diuina. Hæc omnia reperiuntur in Ordinatione. Ritus, externumque ſymbolum eſt manuum impoſitio: de qua eſt in Scriptura frequentiſsima mentio. Ordinantur enim Diaconi in Actibus per manus impoſitionem. Ordinantur Epiſcopi, Paulus, & Barnabas, impoſitione manuum. Et: *Cùm conſtituiſſent eis Presbyteros*; Græcè eſt, χειροτονήσαντες, id eſt, cùm per manus impoſitionem creaſſent Presbyteros. Et: *Cum impoſitione manuum presbyterij*. Et: *Nemini citò manus impoſueris*. Et: *Per impoſitionem manuum mearum.* *Prob. 1. Reſp. Act. 6. Act. 13. Act. 14. 1. Tim. 4. 1. Tim. 5. 2. Tim. 1.*

Quæ omnia loca intelliguntur ab omnibus expoſitoribus de Ordinatione. Vnde etiam apud Græcos ordinatio χειροτονία appellari ſolet, id eſt, manuum extenſio, ſiue impoſitio. Promiſsio gratiæ habetur expreſsè: *Noli negligere gratiam*. Et: *Admoneo te, vt reſuſcites gratiam*, &c. *1. Tim. 4. 2. Tim. 1.*

Denique mandatum, & inſtitutio: *Segregate mihi Saulum, & Barnabam*. Et: *In quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos*. Et: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, & Doctores*. *Act. 13. Act. 20. Epheſ. 4.*

Eadem veritas probari poſſet ex teſtimonijs ſanctorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum. *Prob. 2.*

Accedat etiam congruentia rationis. Deus enim, cuius perfecta ſunt opera, cùm dat poteſtatem, dat etiam ea, quæ requiruntur ad eius legitimum, & congruentem vſum. Id videmus in rebus naturalibus, quibus Deus nontantum potentias operatiuas dedit; ſed etiam certas, qualitates, & inſtrumenta, quibus expeditè, & rectè illis vtantur. *Prob. 3. Deut. 32.*

In Ordinatione autem ſacra datur homini poteſtas conficiendi, & miniſtrandi Sacramenta; quæ certè à peccatore rectè exerceri non poteſt. Dabit igitur Deus ſimul cum ea poteſtate etiam gratiam iuſtificantem, & perficientem animam, vt ritè fungatur tanto miniſterio.

Præterea; Si in Baptiſmo, in quo datur poteſtas ſuſcipiendi Euchariſtiam, & alia ſacramenta, datur etiam cum ea poteſtate gratia gratum faciens, quia ſine ea non rectè percipiuntur ſacramenta cætera: cur in ſacramento Ordinis, in qua datur poteſtas conferendi ſacramenta, non ſimul etiam dabitur gratia gratum faciens, cùm non minus peccatum ſit homini indigno ſacramenta tradere, quàm accipere? Quòd ſi in hoc ſacramento datur gratia gratum faciens, certè ſacramentum erit verè, & propriè dictum: omnis enim cęremonia inſtituta ad ſanctificandum ſacramentum eſt propriè dictum.

Quæſt. 2. Secunda quæſtio: *Quinam Ordines ſint Sacramenta?*

Septem eſſe Ordines demonſtrauimus in libro, de Clericis; videlicet ſacerdotum, Diaconorum, ſubdiaconorum, Acoluthorum, Exorciſtarum, Lectorum, & Oſtiariorum. Ex quibus Ordo ſacerdotum duplex eſt: ſunt enim alij maiores ſacerdotes, id eſt, Epiſcopi; alij minores, id eſt, Presbyteri. Ex his autem conuenit inter omnes Catholicos Ordinem Presbyterorum eſſe verè, & propriè ſacramentum; de alijs non omnino conuenit.

Prob. 1. ordinationem Epiſc. eſſe Sacramentum. Primum ergò, Ordinatio Epiſcopalis ſacramentum eſt verè, & propriè dictum. Mihi iſta aſſertio certiſsima videtur. Primò, quia ſcripturæ, quibus Catholici probant Ordinationem eſſe ſacramentum, de ordinatione Epiſcopali intelliguntur. Vt patet ex Apoſtolo Paulo ad Timot. In his enim ſolis locis diſertè ponitur ſymbolum externum cum promiſsione gratiæ. In his *1. Tim. 4. 2 Tim. 1.* autem locis agitur de Ordinatione Timothęi, qui Epiſcopus fuit à Paulo *Act. 13.* creatus; vt omnes interpretes docent. Pari ratione in Actibus agitur de Ordinatione Epiſcopali Pauli, & Barnabæ. Quare, ſi Ordinatio Epiſcopalis nõ eſt ſacramentum, non poſſumus ex ſcript. apertè probare Ordinationem eſſe ſacramentum.

Prob. 2. Secundò; Idem aſſeritur ab omnibus antiquis Patribus, & ab omnibus penè Canoniſtis.

Prob. 3. Tertiò; Epiſcopalis Ordinatio eſt cęremonia imprimens characterem ſpiritualem, & conferens gratiam, ergò eſt veriſsimum ſacramentum. Prob. anteced. Ac primum de charactere ex eo; quòd Epiſcopalis Ordinatio non poteſt repeti.

Præterea; Epiſcopus poteſt duo ſacramenta conferre; nimirum Confirmationem, & Ordines ſacros, quæ non poſſunt vlli alij Ordines inferiores conferre, &, ſi tentent id facere, nihil prorſus efficient. Ergò habet Epiſcopus ex ſua Ordinatione ſpiritualem poteſtatem, & proinde nouum characterem. Quod autem Epiſcopalis conſecratio conferat gratiam, prob. manifeſtiſsimo argumento: nam ideò probant Theologi in ordinatione Presbyterali dari gratiam, quia debet Presbyter quædam ſacramenta miniſtrare, quæ ſine gratia non dignè miniſtrantur. Epiſcopus autem debet quædam etiam ſacramenta miniſtrare, ſacramentum videlicet Confirmationis, & Ordinis, quæ ſine gratia non dignè miniſtrantur.

Denique; Mirabile eſt, quòd velint aliqui ad officium Diaconi. & ſubdiaconi requiri nouam gratiam, & ideò illas Ordinationes eſſe ſacramenta, & ad officium Epiſcopi, quod ſine vlla comparatione eſt difficilius, & excellentius, nolint gratiam requiri. Confirmatur hęc ratio: Primò ex ipſo ritu conſecrationis

tionis Epiſcopi. In nulla enim ordinatione adhibetur tanta ſolennitas, quanta in ordinatione Epiſcopi. Ibi eſt impoſitio manus, ibi vnctio, ibi plurima alia: non eſt autem credibile tot Sacramentalia inſtituta, vbi nullum ſit ſacramentum.

Secundò, quia ſi Epiſcopatus ſit Sacramentum à Presbyteratu diſtinctũ, facile erit defendere Epiſcopum iure diuino maiorem eſſe Presbytero, tam ordine, quam iuriſdictione.

De Diaconis valdè probabile eſt, & omnino tenendum, eorum ordinationem eſſe Sacramentum, licet id non ſit certum ex fide. Quod patet, quia non poteſt id euidenter deduci ex verbo Dei ſcripto, vel tradito: neque extat vlla Eccleſiæ de hac re expreſſa determinatio. *De Diaconis.*

Quòd autem ſit valdè probabile, Primò prob. ex communi ſententia Theologorum; ſolus enim videtur eſſe Durandus cum Caietano, qui aſſerit ſolum ſacerdotium eſſe Sacramentum Ordinis. *Prob. 1.*

Secundò, quia Apoſtolus Paulus ſemper coniungit Diaconos cum Epiſcopis, id eſt, cum Sacerdotibus: intelligit enim nomine Epiſcoporum etiam Presbyteros, vt Chryſoſtomus docet. *Prob. 2. 1 Tim. 3. Philip. 1. Tit. 1.*

Tertiò, quia Diaconi ordinantur per manus impoſitionem, id eſt, ſimili cæremonia, qua Epiſcopi, & Presbyteri. *Prob. 3. Act. 6.*

Quartò, quia Diaconi in abſentia Epiſcoporum poſſunt baptizare, Euchariſtiam dare, reconciliare pœnitentes publicos, prædicare, ac ferè omnia munera Epiſcoporum, ac Presbyterorum, in eorum abſentia exercere: ex quo ſequitur eos gratia Dei ſpeciali indigere, & proinde eorum ordinationem eſſe Sacramentum. *Prob. 4.*

Quintò; Diaconatus ſemel acceptus nunquam amittitur, nec poteſt repeti: ergò imprimit characterem: ergo eſt Sacramentum. *Prob. 5.*

De Subdiaconatu non eſt tanta certitudo, quanta de Diaconatu. Nam nec in Script. de eo fit mentio, nec eius ordinatio habet manus impoſitionem: nec Subdiaconi miniſtrant Euchariſtiam, aut alia facere poſſunt, quæ Diaconi. *De Subdiaconatu.*

Eſt tamen valdè probabile etiam hunc Ordinem eſſe Sacramentum; tum, quia videtur imprimere characterem, cùm ſit initerabilis; tum, quia habet annexum ſolenne votum continentiæ; tum denique, quia hæc eſt communis Theologorum ſententia antiquorum, & recentiorum, vno Durando excepto, & Caietano. *Prob.*

Denique de minoribus Ordinibus minus probabile eſt, quod Sacramenta ſint, quam de Subdiaconatu; nam neque eſt ita communis ſententia, ſicut de Diaconatu, & Subdiaconatu: & certum eſt leuiora eſſe munera horum Ordinum, quam ſuperiorum. Abſolutè tamen probabilior ſententia eſt, quæ Ordines omnes Sacramenta eſſe docet, quam ea, quæ id negat. *De minoribus ordinibus.*

Primò, quia id aſſerunt omnes veteres Scolaſtici, Durando excepto: & ex recentioribus grauiſsimi quique. *Prob. 1.*

Secundò; Id videtur ſenſiſſe Concilium Florent. Vbi enim dixit Sacramẽtum Ordinis eſſe ſextum ſacramentum, & materiam huius Sacramenti eſſe id, quod porrigitur in Ordinatione, continuo ponit exempla de Ordine ſacerdotis, *Prob. 2.*

cerdotis,

cerdotis, Diaconi, & ſubdiaconi; & addit idem de alijs Ordinibus intelligendum. Nec diſſentit Concilium Trident. nam ſeptem Ordines numerat, & poſteà abſolutè Sacramentum eſſe dicit. *Seſſ. 23. c. 2. c. 3.*

Prob 3. Tertiò; Minores Ordines non poſſunt iterari; igitur imprimunt characterem; ergò ſunt Sacramenta.

Obiect. Solut. Dices; Si, quot ſunt Ordines, tot ſacramenta eſſe ponamus, iam non erunt ſeptem Sacramenta, ſed quatuordecim. Reſp. omnes Ordines, licet ſint per ſe ſinguli ſacramenta, tamen vnum ſacramentum cenſeri, quia vnum ſunt, vel genere, vel quia ad vnum finem omnia referuntur.

CAPVT IV.

De materia, forma, effectu, Miniſtro, & cæremonijs Sacram. Ordinis.

Materia, & forma Sacram. Ordinis. CONVENIT inter omnes materiam eſſe aliquod ſignum ſenſibile; formam autem eſſe verba, quę dicuntur, cùm illud ſignum exhibetur. Quamuis enim Script. non faciat mentionem verborum; tamen apertè ſcribunt verba requiri antiquiſsimi Patres: & patet ex Ordine Romano, & ex omnibus, qui de hoc Sacram. tractant.

Queſt. Sed quia in Ordinatione Presbyteri, & Diaconi duplicia ſigna exhibentur; nimirum impoſitio manuum, & porrectio inſtrumenti; vt calicis, & patenæ in presbyteratu; & libri Euangeliorum in Diaconatu: ideò quæſtio exiſtit: *vtrum horum ſignorum ſit eſſentialis materia Sacramenti?* Duę autem ſunt Theologorum ſententiæ. Alij exiſtimant manus impoſitionem eſſe accidentariam, & ſolam inſtrumentorum porrectionem eſſentialem eſſe. *Reſp.* Altera ſententia longè probabilior, & verior eſt, videlicet non ſolùm inſtrumentorum porrectionem, ſed etiam manus impoſitionem eſſe materiam eſſentialem.

Prob. 1. Act. 6. 13. 14. 1. Tim. 4. 5. 2. Tim. 1. Prob. hæc ſententia primò, quia Scripturæ paſsim tradunt pro ſymbolo externo Ordinationis, manus impoſitionem; vt patet ex locis adductis.

Prob. 2. Idem patet ex traditione Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Dicere autem omnia Concilia, Pontifices, & Patres loqui de accidentaria cæremonia, ridiculum eſt, cùm nuſquam ponant aliam cæremoniam, & ſæpe ex profeſſo tractent de ritu Ordinationis. Quis enim credat tot Patres, & Concilia, cùm nihil frequentius tractent, quam Ordinationes Sacerdotum, ne ſemel quidem attigiſſe id, quod ad eſſentiam Sacramenti pertinet? Sanè Concilium *Seſſ. 14. c. 3.* Tridentinum de extrema Vnctione dicit Miniſtrum extremæ Vnctionis eſſe Epiſcopum, aut Presbyterum ritè ordinatum per manus impoſitionem. Et *Seſſ. 23. can. 4.* alibi de Sacramento Ordinis habet hæc verba: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere; Accipe Spiritum ſanctum anathema ſit.* Vbi Concilium declarat tunc ordinari Presbyteros, & tunc dari illis gratiam Spiritus ſancti, cùm eis dicitur: *Accipite Spiritum ſanctum.*

At,

At, cùm hoc dicitur, manus imponuntur, vt patet ex Pontificali, & Eccleſiæ conſuetudine: ergò ſentiebat Concilium illam impoſitionem manuum eſſe de eſſentia.

Porrò in Ordinatione Presbyterorum duæ conferuntur poteſtates. Vna conſecrandi Euchariſtiam, quæ dicitur poteſtas in corpus Chriſti verum. Altera abſoluendi, à peccatis, quæ dicitur poteſtas in corpus Chriſti myſticum. Propter has autem duas poteſtates duæ ſunt in Ordinatione Presbyterorum præcipuæ cæremonię. Vna, qua Epiſcopus porrigit futuro Presbytero patenam cum hoſtia, & calicem cum vino, ac dicit: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*. Altera, cùm poſt Miſſam Epiſcopus manus imponit, & dicit: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Vtraque autem cæremonia non ſolùm habetur in Pontificali, & eſt in vſu Eccleſiæ, ſed habetur etiam in antiquo Romano Ordine. Vtraque autem cæremonia eſt eſſentialis. Nam per vnam confertur vna poteſtas, per alteram altera; ſiue ſint duo characteres, ſiue vnus, qui in ſecunda cæremonia extendatur. Neque eſt probabile, quod quidam dicunt, in vna totum dari, & in altera tantum explicari, quod eſt datum in alia. Nam inprimis verba illa: *Accipe poteſtatem*, &c. Et: *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. non ſignificant explicari, ſed ſignificant reuera tunc dari. Deinde; Omnium conſenſu Chriſtus diuiſit has duas poteſtates, cùm ordinauit Apoſtolos, & vnam tradidit in cœna, cùm ait: *Hoc facite*: alteram poſt reſurrectionem, cùm ait: *Accipite Spiritum S.* Cur ergò non poſsit, immò & debeat etiam Eccleſia diuidere, & dare vnam poſt aliam? *Duplex poteſtas Presbyter.*

Effectum huius Sacramenti conuenit inter omnes eſſe duplicem. Primò, poteſtatẽ ſpiritualem perpetuam, in cuius ſignum imprimitur character. Secundo, gratiá gratum facientem, qua poſsint ordinati ritè fungi munere ſuo. *Effectus Sacram. Ordinis.*

De Miniſtro Ordinationis res perſpicua eſt, cùm nunquam Eccleſia agnouerit Presbyteros, vel Diaconos, niſi ab Epiſcopo ordinatos. *Miniſter Ordinationis.*

Cæremoniæ, quas aduerſarij reprehendunt, duæ ſunt: Vnctio, & Raſura. Hæc, & ſi eſt cæremonia Sacerdotum, non tamen fit in ipſa conſecratione Sacerdotali. Vnctio autem eſt cæremonia verè Sacramentalis, quanquam accidentaria: ſiquidem in ipſa Ordinatione vngitur caput Epiſcopis, & manus Presbyteris. *Cæremoniæ.*

DE SACRAMENTO MATRIMONII

LIBER VII.

CAPVT I.

Matrimonium eſſe Sacramentum.

VT Matrimonium veri nominis ſacramentum eſſe probemus, tria probanda erunt.

Primò, Matrimonium eſſe à Deo inſtitutum.

Secundò, eſſe ſymbolum rei ſacræ.

Tertiò, habere promiſsionem gratiæ iuſtificantis.

Matrimonium à Deo eſſe.

Primum poteſt duobus modis intelligi. Vno, vt intelligamus à Deo eſſe coniunctionem maſculi, & fœminæ, vt ea refertur ad genus propagandum. Altero, eam coniunctionem eſſe à Deo, vt refertur ad rem aliquam ſacram ſignificandam, & homines, qui iungantur, ſanctificandos.

Prob. 1. modo. Gen. 2. L. 9 de Gen. ad litteram, c. 7. Ibid. Matth. 19. Ibid. Ioan. 2. 1 Cor. 7. 1 Tim. 4. 1. Tim. 5. Hebr. 13.

Priore modo nuptias eſſe bonas, & à Deo, tam eſt in litteris diuinis euidens, vt mirum ſit vllos in hac re labi potuiſſe. *Non eſt*, inquit Deus, *bonum hominem eſſe ſolum: faciamus illi adiutorium ſimile ſibi*. In quem locum S. Auguſtinus ſcribens rectè animaduertit nulla in re, alia eſſe viro neceſſarium fœminæ adiutorium, niſi in procreatione prolis, & educatione liberorum; ſiquidem in alijs rebus melius viri à viris, quàm à fœminis, adiuuantur. Item verba illa: *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, dicta quidem ſunt ab Adamo, ſed ſine dubio diuino ſpiritu illa ei verba dictante: Nam Chriſtus tribuit hæc ipſa verba Deo. Itaque Adam nomine Dei, ſeu potius Deus per os Adami illa pronunciauit, ex quibus apertiſsimè Matrimonium approbatur. Rurſus Chriſtus: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Nec alia de cauſſa nuptijs intereſſe Dei filius, eaſque inſigni miraculo ornare voluit, niſi, vt indicaret (quod in eum locum notauit S. Auguſtinus) ſe feciſſe nuptias. Apoſtolus quoque: *Qui Matrimonio iungit virginem ſuam, benè facit*. Et: *Si nupſerit virgo, non peccauit*. Et alibi notat hæreticos futuros, qui prohiberent nubere. Et: *Volo ergò iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe*. Et: *Honorabile coniugium*, &c.

Denique, Plenæ ſunt Scripturæ non ſolùm teſtimonijs, ſed etiam exemplis ſanctiſsimorum virorum, qui nuptijs implicati Domino placuerunt. Accedunt Concilia vetera.

Poſteriore

Poſteriore modo Matrimonium eſſe à Deo inſtitutum, nonnulli laborioſè *Prob. 2. modo.*
probare nituntur ex obſcuris quibuſdam ſcripturæ locis, vt ex illo: *Quod Deus*
coniunxit, homo non ſeparet, ſed non eſt opus in hac re laborare. Nam, ſi probemus *Matth. 19.*
Matrimonium eſſe ſignum rei ſacræ, cui ſit annexa certa promiſſio gratiæ, ſe-
quetur inde neceſſario à Deo eſſe inſtitutum, etiamſi locum ſcripturæ non
habeamus, vbi expreſſa mentio fiat huius inſtitutionis: neque enim poteſt vl-
lus homo, vel Angelus eiuſmodi ſignum inſtituere.

Matrimonium itaque eſſe ſignum rei ſacræ, & proinde non ciuilem con- *Prob.*
tractum ſolum, ſed etiam myſterium quoddam, & Sacramentum, prob. ex *Matrim.*
Apoſtolo: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ex- *eſſe ſignum rei ſacræ.*
plicandum hic, vtrum hoc magnum myſterium conſtituatur ab Apoſtolo in *Epheſ. 5.*
coniugio Adami, & Euæ; an verò in alijs coniugijs? Et quanquam negari non
poteſt Adamum, & Euam figuram geſſiſſe Chriſti, & Eccleſiæ in eo, quòd
Eua de latere dormientis Adami formata eſt: tamen hoc loco Apoſtolus mag-
num Sacramentum non ad coniugium Adami, & Euæ, ſed ad nuptias fide-
lium ſine dubio refert. Nam Inprimis verba, quæ ipſe allegat ex Gen. *Relinquet*
homo patrem, & matrem, &c. de omni coniugio intelliguntur. Non enim ait: *Gen. 2.*
Ego relinquam: ſed indefinitè, *Relinquet homo*. Immò coniugio primorum pa-
rentum iſta verba accommodari non poſſunt: non enim reliquit Adam pa-
trem, & matrem, vt vxori adhæreret ſuæ, cùm parentes nullos habuerit ipſe
primus omnium parens.

Præterea, De futuris coniugijs loquitur: *Relinquet*. Non igitur de ſuo loqui-
tur, quod iam nouerat factum. Deinde, Chriſtus ex eodem loco concludit
Matrimonium non poſſe diſſolui: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Et certè *Matth. 19.*
non voluit Chriſtus id docere, Matrimonium Adami, & Euæ non eſse ſol-
uendum, quod antè multis annorum millibus per mortem diſſolutum erat;
ſed coniugia indefinitè, & in genere, de quibus à Iudæis interrogatus fuerat,
non debere diſſolui. Ad hæc, Apoſtolus, cùm adferat in argumentum verba *Epheſ. 5.*
illa Gen. ad probandam generalem propoſitionem, debere viros diligere
vxores ſuas, de omni coniugio ea verba interpretari voluiſse cenſendus eſt.
Quamuis autem de omni coniugio intelligi poſsint, tamen Apoſtolus non
ponit in eo Sacramentum, niſi vt ad coniugium Chriſtianorum fertur.
Non enim ait: Sacramentum hoc magnum fuit: ſed; *Eſt, in Chriſto, & in Ec-*
cleſia.

Tertium, quod ad rationem Sacramenti requiritur, gratiæ videlicet pro-
miſsio in coniugio, colligitur ex hoc ipſo cap. ad Epheſios. Nam hoc loco non *Prob. 3.*
ſolum docemur Matrimonium eſſe ſignum coniunctionis Chriſti, & Eccle- *Matrim. habere*
ſiæ per naturæ conformitatem; ſed etiam per ſpiritualem charitatem, qua *promiſſionem gratiæ.*
Chriſtus Eccleſiam diligit, & ſanctè gubernat, & ipſa Eccleſia Chriſto adhæ- *Epheſ. 5.*
ret per fidem, ſpem, & charitatem, eique per obedientiam ſubijcitur. Id au-
tem verum eſſe dubitari non poteſt; tum, quia Chriſtus per naturæ confor-
mitatem non ſoli Eccleſiæ iungitur, ſed toti humano generi: ſoli autem Ec-
cleſiæ iungitur, vt ſponſus ſponſæ, ſpirituali dilectione: & ideò neceſſe eſt, vt
coniugium hanc etiam ſpiritualem vnionem ſignificet, quæ eſt inter Chriſtũ,
& Eccleſiam.

Tum etiam, quia B. Paulus hanc vnionem ſpiritualem maximè vrget, cùm ait: *Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret*, &c. Non poteſt autem coniugium id ſignificare, niſi inter virum, & vxorem præter ciuilem contractum ſit etiam vnio ſpiritualis animorùm: & ideò ibid. Apoſtolus non ſemel monet, vt viri vxores diligant, vt Chriſtus Eccleſiam dilexit, & vxores viris obediant, vt Eccleſia obedit Chriſto. Quòd ſi Deus virum, & fœminam coniungit ad hunc finem, vt ſpirituali ſua vnione vnionem ſpiritualem Chriſti, & Eccleſiæ ſignificent, ſine dubio gratiam illis largitur, ſine qua ſpiritualem illam vnionem non haberent. Et
1. Tim. 2. confirm. hoc ex alijs Script. locis: *Saluabitur*, inquit, *per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.*

Nota 1. Vbi notandum illud: *Per filiorum generationem*, poſitum eſſe pro, *In filiorum generatione*. Non enim ſignificare vult Apoſtolus filiorum generationem eſse cauſsam ſalutis; ſed mulierem in ſtatu matrimonij, ſiue in ſtatu generandi filios, ſaluam fore, ſi permanſerit in fide, dilectione, & ſanctificatione. Et hinc tolluntur illæ quæſtiones, quas quidam poponunt; Quomodò ſaluari poterunt virgines, aut ſteriles, ſi mulier ſaluatur per filiorum generationem? Eſt
Act. 15. enim in Script. frequentiſsima illa phraſis, Per aliquid, pro, In aliquo. *Per*
Act. 26. *omne Sabbathum legitur Moyſes*. Et: *Per omnes Synagogas eram puniens illos*. Et: *Vt ſit*
Rom. 4. *pater omnium credentium per præputium*. Non enim præputium erat cauſa, cur Abraham eſset pater omnium, ſed in præputio exiſtens pater factus eſt omnium per fidem.

Nota 2. Notandum ſecundò illud: *Si permanſerit*, in Græcis codicibus, & aliquot etiam Latinis, eſſe in numero multitudinis: *Si permanſerint*; & ideò nonnullos Patres retuliſſe verbum illud ad filios, non ad matres, vt ſenſus ſit; Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi filij permanſerint in fide, &c. Cæterum multo probabilius eſt, vt referatur verbum ad matres; quod quidem rectè fieri poteſt, ſi legamus: *Si permanſerit*, vt legit Auguſtinus & ex Auguſtinus, Beda: ſiue legamus; *permanſerint*, vt habet maior pars codicum. Nam, vt acute viderunt, & notarunt Sedulius, & Primaſius in hunc locum, Apoſtolus ſæpe
1. Tim. 2. tranſit de numero ad numerum; vt in hoc ipſo capite: *Similiter & mulieres in*
Gal. 6. *habitu ornato*. Et mox: *Mulier in ſilentio diſcat*. Et: *Vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite; conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*. Ita igitur hoc loco ſenſus erit: *Saluabitur per filiorum generationem, ſi permanſerint*. Id eſt, Si vnaquæque illarum permanſerit. Vel, vt non malè Caietanus exponit: Si permanſerint ipſa, & vir eius. Nàm, quod ad filios referatur, duriſsimum eſt: quis enim credat Paulum velle ſalutem matris pendere à filiorum perſeuerantia?

Deinde; Educare filios, & inſtituere magis ad patrem, quàm ad matrem pertinet: & tamen Apoſtolus hic aliquid mulieribus proprium ſignificare voluit, quo eas conſolaretur, cùm eis loqui in Eccleſia prohibuiſſet. Apoſtolus igitur quatuor bona enumerat Matrimonij Chriſtiani contra quatuor mala, quæ ſine gratia Dei in Matrimonio euitari non poſſunt.

Primum eſt, non ſeruare coniugi fidem.

Secundum, odium, & rixæ, quæ ſubinde inter coniuges oriuntur.

Tertium, immunditia quædam, & turpitudo ex rebellatione membrorũ.

Quartum

Quartum, intemperantia. His Paulus opponit fidem, dilectionem, ſanctificationem, & ſobrietatem; in quibus permanendum eſſe dicit, tanquam videlicet in ipſa Matrimonij celebratione acceptis. Atque hinc vocat donum Dei Matrimonium Apoſtolus, vt ipſam virginitatem: *Vnuſquiſque*, inquit, *donũ ſuum habet ex Deo, vnus quidem ſic, alius autem ſic*. Et alibi hortatur coniuges, vt abſtineant ſe à fornicatione, & vas ſuum poſsideant in ſanctificatione; quam nimirum per Matrimonium antè acceperunt. 1. Cor. 7. 1. Theſſ. 4.

Eadem veritas probari poſſet ex Patribus: ſed venio ad rationes. Prob. 2.

Prima ducitur ab inſolubilitate Matrimonij, & Monogamia, quę eſt ratio, qua paſsim vtitur S. Auguſtinus. Matrimonium Chriſtianorum, eſt vnius tãtum cum vna, & omninò inſolubile: igitur eſt Sacramentum conferens gratiam, & propriè dictum. Antec. patet ex illo: *Qui dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam*. Et ex alijs multis teſtimonijs. Conſeq. prob. Nam ex eo, quod eſt vnum, & inſolubile, colliguntur duo. Primùm, eſſe ſignum ſacrum. Secundò, conferre gratiam: quæ duo Sacramentum propriè dictum efficiunt. Primum apertè colligitur. Nam illa omnimoda inſolubilitas in vnis nuptijs non poteſt referri in cauſam primariam, & certiſsimam, niſi in ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, in quam cauſam Auguſtinus eam inſolubilitatem refert. Nam, ſi conſideres Matrimonium, vt officium naturæ ad propagandam ſobolem, ægrè poteſt reddi ratio, cur ob ſterilitatem coniugis non liceat eam dimittere, aut aliam ducere. Si conſideres, vt eſt in remedium contra fornicationem inſtitutum, cur non poterit vxor perpetuo morbo laborans dimitti? aut cur non poterit alia duci? Quare habet Matrimoniũ quidem ex iure naturæ quandam inſolubilitatem; non tamen tantam, quin aliquando ratio dictet expedire, vt ſoluatur, accedente præſertim diſpenſatione diuina. Cur igitur Matrimonium ſit omnino inſolubile, illa eſt potiſsima cauſſa, quia ſignificat diuina inſtitutione inſolubilem coniunctionẽ Chriſti, & Eccleſiæ. Et hinc eſt, quod ſapientes huius mũdi, licet à diuortio abhorrerent, tamen, quia potiſsimam cauſſam ignorabant firmitatis vinculi coniugalis, certis de cauſsis coniuges dimittebant, vel commutabant, vel plures ducebant. Denique; Ex Apoſtolo conſtat Matrimonium legitimum, & conſummatum ante Baptiſmum contractum poſſe diſſolui; non autem poſſe, ſi poſt Baptiſmum contrahatur. Cuius certè nulla cauſſa reddi poteſt, niſi quia hoc ſacramentum ſignum eſt indiſſolubilis coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, illud non erat: nam remoto Sacramento paria ſunt coniugia fidelium, & infidelium. Secundum autem inde colligimus, quòd ad inſolubile vinculum tolerandum cum vna gratia Dei neceſſaria eſt, & Deus in neceſſarijs nunquã deeſt. Nam profecto res difficillima eſt, ita vni mulieri alligari, vt nulla de cauſſa, nec per vllam diſpenſationem poſsit vinculum ſolui viuente prima. Quis autem credat Deum rem, tam difficilem ſtatuiſſe, & non ſimul gratiæ auxilium ad eam ſuperandam, difficultatem contuliſſe? Adde, quod lex noua, quæ iugum ſuaue, & onus leue dicitur, comparata cum veteri eſſet in hac parte longè durior veteri, niſi gratiam coniunctam Matrimonium haberet: ſiquidem Hebræis licebat multas ſimul vxores habere, & impunè etiam coniuges per libellum repudij dimittere.

Prob. 3. 1. Ratio. Mat. 10. 1. Cor. 7.

2. Ratio. Secunda ratio ſumitur à fine Matrimonij, qui eſt duplex, propagatio ſobolis, & remedium contra peccatum fornicationis: nam vterque finis requirit in Matrimonio gratiam Dei. Ac de primo fine ſciendum pertinere ad Matrimonium non ſolum procreare liberos, ſed etiam educare, & inſtituere: in hoc enim differt coniugium hominum à coniunctionibus belluarum. quæ propriè Matrimonia non dicuntur, cùm ſolũ procreare, & alere, non autem inſtituere proles, ad beſtias pertineat. Sed præter officium inſtituendi liberos iuxta regulas rationis, quod eſt commune omnibus gentibus, ad Chriſtianos coniuges pertinet filios inſtituere in fide, & religione, & dare omnem operam, vt Eccleſiæ Catholicæ vera, & viua membra efficiantur. Et hoc patet, tum, quia ad hoc coniunguntur Eccleſiæ filij, vt Eccleſiam ipſam augeant, & conſeruent, tum etiam, quia hoc requirit ſimilitudo inter Chriſtum, & Eccleſiam ex vna parte, & viri, ac fœminæ coniunctio ex altera. Chriſtus enim, & Eccleſia ſemper filios ſpirituales per Baptiſmum gignunt, per Euchariſtiam nutriunt, per Confirmationem roborant, &c. Itaque obligantur coniuges Chriſtiani ex ipſo coniugio ad officia diuina: nunquam autem committuntur à Deo officia, quæ naturam ſuperant, niſi etiam ſimul gratia detur, per quam illa officia exerceantur, vt oportet. Quòd vero attinet ad alterum finem, rectè dicunt Theologi ſolum coniugium ſine gratia Dei non eſſe ſufficiens remedium cõtra fornicationem, tum, quia concupiſcentia ex actu coniugati accenditur potius, quàm extinguitur, tum, quia ſæpiſsimè accidit, vt ob morbum, vel abſentiam coniugis cogantur ad longum tempus ſe continere: quod quidem difficilius coniugatis eſse ſolet, quam in perpetuo cęlibatu virginibus viuere. Pertinuit igitur ad auctorem diuinæ legis, vt remedium perfectum, & omni ex parte ſufficiens Eccleſiæ filijs prouideret.

3 Ratio. Tertia ratio ſumitur à ritu, & cæremonijs. Nam iam inde ab exordio Eccleſiæ Matrimonium inter res ſacras habitum eſse conſtat, & inter ſacrorum ſolennia per Sacerdotum miniſterium celebrari ſolitum. At certè, ſi eſset contractus humanus tantum, quales ſunt contractus venditionis, & locationum humanarum, vel politicum vitæ genus, qualia ſunt, vt Caluinus loquitur, agricultura, tonſtrina, ars ſutoria, & cementaria, nunquam S. Patres cum rebus ſanctiſsimis Matrimonium coniunxiſsent.

4. Ratio. Quarta ratio ſumitur à conſenſu totius Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ ab annis ſaltem quingentis. Nam à tempore Magiſtri ſentent. omnes Theologi ſummo conſenſu docuerunt ſeptem eſse nouę legis Sacramenta, & in eis ſemper Matrimonium annumerarunt. Porro hic tantus Eccleſiarum conſenſus pijs, ac modeſtis Chriſtianis ſufficere omnino deberet, etiamſi argumentum præterea nullum haberemus. Nam in Script. & Patrum explicatione facilè labi poſsumus: at, quod Eccleſia nunquam deficiat, quodque errare nequeat, tam apertè, tam luculenter, tam diſertè ab ipſo Chriſto, & eius Apoſtolo dictum eſt, vt nihil apertius, nihil clarius, nihil expreſsius dici poſsit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, &c. Et: *Eccleſia Dei viui eſt columna, & firmamentum veritatis.* (Matth. 16. 1. Tim. 3.)

CAPVT

CAPVT II.

De materia, forma, & Miniſtro Sacramenti Matrimonij.

DE materia huius Sacramenti duæ ſunt Theologorum præcipuæ ſententię. *Materia Sacram. Matrim.*

Vna eſt, quod conſenſus coniugum verbis expreſſis, ſeu verba conſenſum exprimentia ſint materia, & forma huius Sacramenti.

Altera eſt, quod ipſa corpora, ſeu perſonæ contrahentium ſint materia, verba vero exprimentia conſenſum ſint forma. Quæ ſententiæ meo iudicio ſunt ambæ veræ, & facilè conciliari poſſunt. Nam coniugij ſacramentum duobus modis conſiderari poteſt. Vno modo, dum fit. Altero, dum permanet, poſt quam factum eſt. Eſt enim Matrimonium ſimile Euchariſtiæ, quæ non ſolum, dum fit, ſed etiam dum permanet, Sacramentum eſt. Dum enim coniuges viuunt, ſemper eorum ſocietas Sacramentum eſt Chriſti, & Eccleſiæ. Si igitur conſideretur Matrimonium, dum fit, tota eius eſsentia in ſignis exprimentibus conſenſum mutuum conſiſtit: corpora enim coniugum non concurrunt, niſi vt materia circa quam: vt etiam, dum fit Euchariſtia, tota eſſentia conſecrationis in verbis ſacris poſita eſt, panis autem, & vinum ſolum cōcurrunt, vt materia circa quam. Et idem videmus in alijs contractibus. Nam, cùm venditur, aut emitur domus, tota contractus ratio in conſenſu mutuo ſita eſt, domus autem eſt materia, circa quam operatio illa verſatur, nemo enim dicit domum, quæ venditur, partem eſſe contractus. Sed quia verba vnius coniugis determinant verba alterius, & ab illis pariter determinantur, ideo in iiſdem verbis diſtingui poteſt materia, & forma: nam verba, quatenus determinant, forma dici poſſunt; quatenus determinantur, materia. Si vero conſideretur Matrimonium iam factum, & celebratum, negari non poteſt ipſos coniuges ſimul cohabitantes, ſiue externam coniugum ſocietatem, & coniunctionem eſſe materiale ſymbolum externum, repræſentans Chriſti, & Eccleſię indiſſolubilem coniunctionem: quemadmodum in Sacramento Euchariſtiæ, conſecratione peracta remanent ſpecies conſecratæ, quæ ſunt ſymbolum ſenſibile, atque externum interni alimenti ſpiritualis.

Forma omnium conſenſu Theologorum, Cano excepto, ſunt verba, vel ſigna mutuum conſenſum exprimentia. *Forma.*

Miniſter autem ſunt coniuges ipſi. Nam, cùm ad Miniſtrum propriè pertineat verba formæ pronunciare, & per ea Sacramentum conficere; & in hoc Sacramento verba formæ à coniugibus proferantur, neceſſe eſt coniuges ipſos eſſe proprios huius Sacramenti Miniſtros. Neque abſurdum videri debet, quod in eaſdem perſonas concurrat cauſſa materialis, & efficiens: id enim exigit natura contractus, qui de perſonis contrahentium fit. Quemadmodum, *Miniſter.*

dum enim, ſi quis in ſeruum alicui ſe ipſe venderet, idem eſſet vendens, & res vendita, efficiens, & materia: ſic etiam in Matrimonio, cùm ipſi coniuges ſe mutuo tradant, ac donent, ipſi efficientes, & ipſi materia ſunt. Et quanquam requiritur ex decreto Eccleſiæ, Miniſter Eccleſiaſticus, qui conſenſum coniugum exquirat, & eundem approbet, & declaret, & benedictione Sacerdotali confirmet; tamen propriè, qui Matrimonij Sacramentum efficiuut, ipſi coniuges ſunt.

CAPVT III.

De vnitate Sacramenti Matrimonij.

Prob. 1. Licitas eſſe ſecundas nuptias.

DE vnitate Matrimonij Catholici verbo, & facto docent ſecundas nuptias, immò etiam tertias, & quartas, & alias deinceps eſſe licitas, & vera Matrimonia; atque adeò Sacramenta.

Rom 7. 1. Cor. 7. l. De bono viduitatis c. 12. 1. Tim. 5.

Id ex Apoſtolo manifeſtè colligitur, qui affirmat mulierem viro ſuo mortuo non fore adulteram, ſi alteri viro nupſerit. Et alibi: *Si dormierit vir eius, cui vult, nubat, tantùm in Domino.* Vbi Auguſtinus obſeruat non dixiſſe B. Paulũ: Si dormierit primus vir, aut ſecundus, aut tertius, ſed indefinite; *Vir eius.* Proinde ſemper nubere licet mortuo marito, quotus tandem fuerit. Idem viduas iuniores hortatur, vt ſecundò nubant ob incontinentiæ periculum.

Prob. 2.

Idem patet ex Concilio Nicæno, Florentino, & Patribus. Quòd autem ſecundæ nuptiæ non benedicantur, ſicut primæ, non eſt ideò, quòd Sacramento careant; ſed quia benedictio in primis nuptijs data non perit, neque debent iterum benedici, qui ſemel benedicti ſunt.

Porrò primus, qui inter Chriſtianos polygamiæ multarum vxorum ſimul aditum patefecit, videtur fuiſſe Valentinianus Imper. alioqui pius, & Catholicus Princeps. Is enim, cùm amore captus eſſet Iuſtinæ cuiuſdam, eamque in Matrimonium ducere vellet retenta priore coniuge Seuera, ex qua Gratianum filium iam ſuſceperat; vt colore aliquo intemperantiam ſuam tegeret, legem promulgauit, vt liceret vnicuique duas ſimul coniuges habere. Sed Concilium Tridentin. *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, & hoc nulla eſſe lege diuina prohibitum, anathema ſit.* Idem anteà multi definierunt Pontifices.

Seſſ. 24. can. 2.

Prob 1. Illicitam eſſe polygamiam.

Prob. hæc veritas primò: Chriſtus reuocat Matrimonium ad primam inſtitutionem, ac vult eam deinceps valere. Sed prima illa inſtitutio excludit polygamiam: igitur à Chriſto eſt prohibita. Maior propoſitio prob. Nam Dominus interrogatus à Phariſæis; An liceret vxorem repudiare? reſpondit non licere. *Quia, qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: itaq; iã non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo nõ ſeparet.*

Math. 19.

Et

Et cùm inſtarent Phariſæi Moyſen permiſiſſe libellum repudij, Dominus iterum reuocans totam cauſſam ad primam inſtitutionem, ait: *Ad duritiam cordis veſtri Moyſes permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic*, &c. Quòd autem Matrimonium initio inſtitutum omnìno excludat Polygamiam multarum vxorum ſimul, prob. Primò ex modo loquendi; illa enim verba in numero ſingulari: *Maſculum, & fœminam fecit eos.* Et: *Adhærebit vxori ſuæ.* Et: *Erunt, duo in carne vna*; apertè indicant Deum voluiſse Matrimonium eſſe coniunctionem vnius cum vna, non vnius cum multis.

Secundò ex illa explicatione Chriſti: *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Hæc enim verba ſignificant Matrimonij initio inſtituti eum eſſe effectum, vt, qui coniunguntur, fiant vna caro: at, ſi vnus multis iungatur, non erit vna caro, ſed multæ nec tam fiet vnio, quàm diuiſio per tale Matrimonium.

Tertiò patet ex ipſa prima creatione hominis. Nam, ſi Deus voluiſſet Matrimonium eſſe vnius cum multis, creaſſet Adamo non vnam tantum, ſed multas fœminas, quas in vxores ducere potuiſſet. Nam non poterat Adam vxorem habere, niſi quæ cum illo creata fuiſſet à Deo; repugnat enim omnino naturæ, vt pater ducat filiam, aut neptem: omnes autem fœminæ, præter Euam, filiæ, aut neptes fuerunt: Ergò coëgit Deus Adamum Monogamum eſſe. Accedat vltimo conſenſus Patrum.

Prob. ſecundò: Chriſtus declarat eum, qui dimiſſa vxore aliam duxerit, mœchari. Ex quibus teſtimonijs colligitur polygamiam iure Euangelico eſſe omnino illicitam: nam ideò mœchari dicitur, qui, dimiſſa priore, aliam ducit, quia prior non poterat dimitti; & licet videatur dimiſſa coram hominibus, tamen adhuc eſt verè vxor illius, qui eam primò duxerat. Nam, ſi per dimiſſionem deſijſſet eſſe vxor, non mœcharetur vir eius aliam ducens; ſicut non mœchatur, qui priore vxore mortua aliam ducit. Quòd ſi mœchatur, qui aliã ducit, viuente priore, non licet igitur plures coniuges habere, niſi adulteria licita eſſe velimus: &, ſi non licet aliam ducere, dimiſſa priore, multo minus priore retenta. Nam non licet, priore dimiſſa, aliam ducere, quia prior adhuc eſt vxor; at multo magis eſt vxor, quæ non eſt dimiſſa.

Prob. 2. Matt. 5. & 19. Mar. 10. Luc. 16.

Tertiò prob. ex Apoſtolo. Nam Inprimis Apoſtolus, vbicunque loquitur de Matrimonio, ſemper loquitur de vxore in numero ſingulari: *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat.* Et: *Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem*, &c. Deinde; Idem Apoſtolus apertiſsimè ſcribit vxorem non poſſe viuente marito alicui alteri nubere: *Viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum altero viro.* Et: *Iis, qui Matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Et infrà: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit: quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt à lege; cui vult, nubat.* Quæ loca prohibent polygamiam ex parte fęminarum expreſsè, id eſt, prohibent, ne fęminæ ſæpius nûbant viuentibus viris prioribus. Sed prohibent etiam conſequenter polygamiam ex parte virorum, id eſt, ne viri plures ſimul vxores ducant. Nam licet minus repugnet rationi, & naturæ, vt vir plures vxores, quàm vxor plures maritos habeat; vtrumque tamen rationi repugnat.

Prob. 3. 1. Cor 7. Rom. 7. 1. Cor. 7.

Præterea; Quidquid ſit de iure naturæ, iure Euangelico pares ſunt vir, &

fęmina, quantum ad fidem, & debitum coniugale, vt ipſe idem Paulus explicat, cùm ait: *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Quibus verbis Apoſtolus ſignificat in contractu Matrimonij Chriſtiani, quod eſt Sacramentum vnius Chriſti cum vna Eccleſia, ita coniungi virum vxori, vt ſe totam illi tradat, ſicut ſe totam viro mulier tradit. Ex quo ſequitur, quòd, ſicut non poteſt mulier ſine iniuſtitia ſe tradere alteri viro; ita nec poſsit vir ſine iniuſtitia ſe tradere alteri fœminæ.

Prob.4. Quartò prob. Polygamia, tum ex parte viri, tum ex parte vxoris, iuri naturæ, & rationi Matrimonij repugnat; non igitur licita eſt, præſertim in lege Euangelica, quæ ſuſtulit permiſsiones omnes, quæ erant in lege veteri. Antecedens, quod attinet ad polygamiam, qua vna mulier multis ſimul viris nuberet, apud omnes certum, & exploratum eſt: nam talis polygamia repugnat omnibus Matrimonij finibus.

Poſſunt autem diſtingui quatuor fines Matrimonij.

1. Finis Matrimonij. Primarius eſt ſuſceptio, & educatio prolis. At, cùm vna mulier non niſi ſemel in anno parere poſsit, ab vno viro ſufficienter fętari poterit. Si verò pluribus iungatur, non ſolùm non pariet ſæpius, ſed rarius, aut nunquam pariet: experientia enim teſtatur meretrices infęcundas eſſe. Deinde; Nemo virorũ illorum, quibus eadem vxor communis eſſet, filios ſuos noſſet, quod ſanè educationi liberorum plurimum noceret.

2. Finis. L.8. Eth. c.12. Alter finis eſt domeſtica ſocietas, & communicatio operum, quæ ad vitam neceſſaria ſunt. Nam, vt Ariſtoteles docet, vir, & vxor non iunguntur ſolùm ad procreandum, vt animalia cætera, ſed etiam ad cohabitandum, vt ſimul familiam regant, & officia domeſtica inter ſe partiantur: alia enim munia viro, alia vxori conueniunt. Hic autem finis omninò impediretur per multitudinem virorum in eadem familia: eſſent enim multa capita vnius corporis. Quocirca ſicut multi ſerui poſſunt eſſe vnius Domini, non tamen poteſt vnus ſeruus multis Dominis rectè ſeruire; ſic etiam poteſt aliquo modo vnus vir multas coniuges ſimul habere, nullo autem modo poteſt vna fœmina multos ſimul habere maritos.

3. Finis. Tertius finis eſt, vt ſit coniugium in remedium contra concupiſcentiam. At iſtud coniugium vnius fœminæ cum multis viris, non modo remedium non adferret contra concupiſcentiam, ſed etiam iram, rixas, & diſcordias implacabiles excitaret inter riuales, vt notum eſt; quas diſcordias non poſſet vxor vlla ratione compeſcere, cùm ei conueniat ſubijci, & obedire; non præeſſe, & dominari.

4. Finis. Quartus finis eſt, vt ſit Sacramentum Chriſti, & Eccleſiæ: cui fini maximè repugnat iſta polygamia. Vnus enim Deus eſt, cui Eccleſia iungitur, non multi: nec poteſt Eccleſia, ſiue anima quæuis multis Dijs coniungi, niſi fornicando.

L. de bono coniugali, c.17. Sunt autem hę rationes S. Auguſtini, qui etiam hanc ſententiam probat exemplo veterum Sanctorum. Inueniuntur enim quidam Sancti, qui plures vxores habuerunt; ſed, quæ maritis pluribus fuerit iuncta, nullam omnino ſanctarum legimus fœminarum. Quòd verò ad polygamiam illam attinet,

qua

qua vnus vir multas vxores habet, non eſt omnino extra controuerſiam, an talis polygamia iuri naturæ repugnet. Nam, etiamſi tale coniugium non repugnet primo fini Matrimonij, cùm facilè poſsit vnus vir ex multis fœminis liberos procreare, & alere; tamen alijs finibus apertè repugnat. Nam ſecundus finis, quæ eſt ſocialis cohabitatio, & domus gubernatio, non parum impeditur per vxorum multitudinem. Siquidem vxor, licet ſit viro ſubiecta; nō tamen vt famula, ſed vt ſocia, & collateralis: & ideò ipſa quoque in domo principatum habet; nam ideo non ex capite, neque ex pedibus, ſed ex latere formata eſt, vt neque dominetur viro, neque ſubijciatur inſtar ancillæ, ſed ſocia ſit, & collateralis. Quod etiam teſtantur honorum vocabula: Regum enim vxores Reginæ, & Auguſtorum Auguſtæ dicuntur. Iam verò omnis principatus ſua natura diligit ſingularitatem: repugnat igitur Matrimonio, vt vnius viri plures ſint coniuges. Tertius finis, qui eſt remedium contra concupiſcentiam, impeditur etiam per iſtam polygamiam vnius viri cum multis vxoribus. Nam ſine dubio non poteſt vnus vir ita debitum reddere multis vxoribus, atque vni: & videtur iniquitas quædam, quòd vxor ſe totam viro tradat, vir autem non ſe totum vxori.

Præterea, cùm vix fieri poſsit, vt non magis vna diligatur, quam altera, inde rixæ & contentiones ex hac polygamia facilè naſcuntur: ſicut etiam inter ſanctas fœminas, Saram, & Agar; Liam, & Rachelem, natas eſſe Scriptura teſtatur; & inter Annam, & Phenennam. His accedit prima inſtitutio: ſi enim polygamia naturæ conformis eſſet, ſine dubio Deus initio illam inſtituiſſet, cùm & eſſet eo tempore maximè neceſſaria ad propagandum genus, & naturalis origo tunc formaretur. *Gen. 16. Gen. 30. 1. Reg. 1.*

Quintum argumentum ſumi poteſt ab Eccleſiæ conſuetudine. Si enim polygamia Chriſtianis licita eſſet, aliquod exemplum proferretur probatorum Chriſtianorum, qui plures ſimul coniuges habuiſſent. Quid, quòd non ſolum Chriſtiani Monogamiam ſemper coluerunt, ſed etiam Ethnici apud Romanos? Nam in Iure ciuili ab Imperatoribus Gentilibus infamiæ nota, alijſque pœnis polygami afficiuntur. Ariſtoteles etiam, tum in Polit. tum in vtroque OEconomico, Monogamiam præcipit. *Prob. 5. L. 1. ff de his qui notant. infam. l. eum, qui. C de inceſt. nup.*

Sed vna eſt obiectio. Nam Abraham, Iacob, Dauid, alioſque Patriarchas vxores multas habuiſſe conſtat, & ſimul Deo gratos, & acceptos fuiſſe. *Obiect.*

Quod argumentum varijs modis ſolui ſolet. Quidam enim docent Patriarchas vnam tantùm vxorem legittimam habuiſſe, cęteras verò eorum concubinas fuiſſe. Id probant primò ex illis verbis Iudæorum: *Nos ex fornicatione non ſumus nati:* videntur enim ſignificare voluiſſe, Euthymio interprete, ſe non deſcendere ex Agar concubina Abrahæ; ſed ex legittima eius vxore, Sara. *Solut. 1. Ioan. 8.*

Deinde, quia Scriptura paſsim concubinas appellat mulieres illas, quæ præter vxorem Patriarchis adhęrebant; neque filios earum hęredes fuiſſe docet, vt patet: *Dedit Abraham cuncta, quæ poſſederat, Iſaac; filijs autem concubinarum largitus eſt munera.* *Gen. 25.*

Sed hęc ſententia eſt improbabilis, nec difficultatem ſoluit. Nam, quidquid *Refutatur.*

 ſit

ſit de Sara, & Agar, certè Lia, & Rachel duæ veræ coniuges fuerunt Patriarchæ Iacob: vtraque enim libera erat, & vtraque vxor perpetuo nominatur. Idem dici poteſt de Anna, & Phenenna vxoribus Helcanæ, & alijs permultis.

Deinde; Quis credat Patriarcham Abraham, virum ſapientiſsimum, & ſanctiſsimum, immò parentem omnis ſanctitatis, & in Scriptura ab Apoſtolis, & Prophetis, & ab ipſo Chriſto ſemper cum honore nominatum, vel ignoraſſe adulterium eſſe peccatum, vel adigi potuiſſe conſenſu coniugis, aut alia vlla de cauſſa ad id perpetrandum, quod peccatum eſſe non ignoraret. Adde, quòd, ſi non fuiſſent illæ veræ vxores Patriarcharum, oporteret dicere Patriarchas non tantùm ſemel, aut iterum ex humana fragilitate, ſed toto ferè vitæ tempore, idque palam, & ex profeſsione peccaſſe: illas enim mulieres
2. Reg. 12. perpetuo, & publicè retinebant. Præterea, Deus ipſe dicit Dauidi: *Dedi vxores Domini tui in ſinum tuum*: at quomodo, quæſo, Deus adulterij auctor eſſe poteſt?
Gal. 4. Denique, B. Paulus ſcribit, duos filios Abraham ſignificaſſe duo Teſtamenta, ſiue duos populos, & ſicut Abraham vnum filium habuit ex libera, id eſt, Sara, alterum ex ancilla, id eſt, Agar: ita Deum habuiſſe duos populos, vnum ex Synagoga ſerua, alterum ex Eccleſia libera. Significauit igitur Agar Synagogam. At Synagoga non fuit adulterina coniunctione Deo copulata, ſed legitima; ergò & Agar, ſi vera eſt ſignificatio, non fuit adultera concubina, ſed le-
Ioan. 8. gittima coniunx Abrahæ. Neque argumenta illa concludunt, nam illud: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*, intelligi debet de fornicatione ſpirituali, quæ eſt idololatria, non de fornicatione carnali, vt hunc locum S. Auguſtinus rectè exponit: ideò enim illi addunt: *Sed vnum Patrem habemus Deum*, ac ſi dixiſſent, Nos non deſcendimus ex Gentibus idololatris, qui cum multis Dijs fornicatur, ſed ex Patriarchis vnius Dei cultoribus.

Deinde, Idem patet ex verbis ſuperioribus: ſupra enim dixerant ſe Patrem habere Abraham, & inde concludunt poſtea ſe non eſſe ex fornicatione, ita vt idem ſit, eſſe ex Abraham, & non ex fornicatione eſſe. At, ſi ageretur de fornicatione carnali, & per fornicationem intelligeretur coniunctio cum Agar, fuiſſent ex fornicatione, etiamſi fuiſſent ex Abraham. Si verò agatur de ſpirituali fornicatione, id eſt, idololatria, veriſsimè dicuntur eſſe non ex fornicatione, quia ſunt ex Abraham, quia Abraham idololatra non fuit, ſed vnius Dei fideliſsimus cultor.

Neque ſecundum argumentum concludit: quia in Scriptura etiam veræ, & legitimæ vxores aliquando dicuntur concubinæ, & ipſæ concubinæ dicuntur
Gen. 16. vxores. Siquidem Agar dicitur vxor: Cethura dicitur etiam vxor: & paulò
Gen 25. poſt tam ipſa, quàm Agar dicuntur concubinæ: & alibi vxor vera, & legiti-
Iud. 19. ma, immò & vnica cuiuſdam Leuitæ nunc vxor, nunc concubina nominatur. Erant autem duo genera vxorum, tum apud Hebræos veteres, tum etiam apud Gentiles. Quædam enim ducebantur non ſolum ad propagandos liberos, ſed etiam ad ſocietatem omnium bonorum, & totius domus gubernationem; atque harum tantum filij erant hæredes; & hæ propriè dicebantur Matresfamilias. Quædam erant legittimæ etiam vxores; ſed non admiſſæ ad ſocietatem bonorum, & domus gubernationem; & hæ neque Matresfamilias dicebantur,

dicebantur,neque earum filij hæredes erant;& hæ tum vxores,tum concubinæ nominabantur.

Itaque alij ſoluunt obiectionem factam dicentes fęminas illas Patriarcharum veras,& legitimas vxores fuiſſe;ſed affirmantes id non eſſe prohibitum, niſi iure poſitiuo Euangelico. Sed hoc refellitur argumentis omnibus, quæ ſuperius in quarta ratione facta ſunt. *Solut. 2.*

Tertia ergo eſt ſententia Scolarum communis, Patriarchis ex diuina diſpenſatione licuiſſe pluresvxores ducere. Sed quia de hac etiam re variæ ſunt opiniones,& alij quidem volunt ſingulis Patribus peculiarem adfuiſſe diuinã inſpirationem,qua intelligerent licere ſibi diuina diſpenſatione pluribus vxoribus iungi:alij volunt ſatis fuiſſe, ſi primis Patriarchis diuina innotuerit ea diſpenſatio: & rurſus alij hanc diſpenſationem tantùm cum populo Dei; alij cum omnibus Gentibus factam docent : exponam paucis propoſitionibus, quid mihi de hac re probabilius videatur. *Solut. 3.*

Prima propoſitio eſt: *Circa polygamiam tam vxoris cum multis viris , quàm viri cum multis vxoribus, nullus homo diſpenſare poteſt, & maximè poſt Euangelium prædicatum.* *Propoſ. 1.*

Patet;quia polygamia prohibita eſt primum iure diuino naturali, & deinde iure diuino Euangelico:non poteſt autem inferior diſpenſare in lege ſuperioris,proinde nec homo in lege Dei. *Prob.*

Secunda propoſitio: *Poteſt Deus diſpenſare circa polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus; non autem vnius vxoris cum multis viris.* *Propoſ. 2.*

Ratio eſt,quia duo genera præceptorum ad ius naturæ pertinent. Quędam vniuerſalia,& communiſsima,quæ ſunt veluti principia prima iuris naturæ. Quædam alia, quæ ex primis tanquam concluſiones deriuantur. Et quidem priora illa continent ita vniuerſaliter regulam rectitudinis , vt in nullo caſu mutatione vlla indigeant; & ideo ſunt omnino indiſpenſabilia ; qualia ſunt præcepta Decalogi. Poſteriora autem continent, quidem regulam rectitudinis;ſed aliquando, mutatis circumſtantijs rerum, & perſonarum, vtile eſt legem mutari:tamen etiam tunc mutari non poteſt,niſi ab eo,qui illam poſuit. Iam igitur polygamia fœminæ vnius cum multis viris pertinet ad prima illa principia iuris naturæ, nec per vllam mutationem circumſtantiarum poteſt fieri bona, quia repugnat omnibus finibus Matrimonij; ideo in illam nulla cadit diſpenſatio . Polygamia autem vnius viri cum multis vxoribus ad poſterius genus præceptorum pertinet:quia non repugnat primario fini , ſed ſecundario tantum;& fieri poteſt,vt aliquando vtile ſit ad conſequendum primarium finem, contemnere ſecundarium: & idcirco in illam legem cadere poteſt diſpenſatio,ſed Dei tantùm,non hominum. *Prob.*

Tertia propoſitio: *Vt Deus dicatur diſpenſare circa polygamiam,non requiritur externa aliqua locutio,vel Scriptura,nec ſufficit,quod recta ratio dictet alicui illam eſſe licitam,ſed requiritur peculiaris inſpiratio Dei.* *Propoſ. 3.*

Prima pars prob. quia qualis eſt lex,talis etiam requiritur diſpenſatio. Lex autem prohibens polygamiam,tempore Patriarcharum, non erat ſcripta, in vllo libro , ſed ſolùm impreſſa in mentibus : libros enim Scripturæ ſacræ à Moyſe initium habuiſſe certum eſt.. *Prob. 1. pars.*

Prob. 2. pars. Secunda pars prob. quia lex prohibens polygamiam non erat ſolum naturalis, quia rationi rectæ conformis: ſed quia Deus ſpeciali inſpiratione docuerat Adamum, quæ eſſet natura Matrimonij à ſe inſtituti, & proinde ſe velle, vt monogamiam contineret. Nam ſecundaria iſta præcepta iuris naturæ non habent vim coactiuam, niſi ſpecialiter à Deo, vel ab aliquo Principe ſanciantur: ſed ſolùm obligant, quatenus recta ratio docet ita eſſe faciendum, vel nō faciendum. Sicut igitur ſpeciali inſpiratione ſancita fuerat à Deo lex Monogamiæ, ita ſpeciali inſpiratione opus erat in eius diſpenſatione.

Propoſ. 4. Quarta propoſitio: *Diſpenſatio circa polygamiam indicata eſt à Deo inprimis aliquot Patribus; deinde illorum verbo, aut exemplo ad cæteros peruenit.*

Prob. Prob. quia iam tempore Abrahæ, & deinceps poſtea res erat omnibus nota, adeò, vt Sara Abrahamum induceret ad ſecundam vxorem ducendam. Neque enim credibile eſt Saram fœminam ſanctiſsimam hoc facturam fuiſſe, niſi id licitum eſſe ſciuiſſet; neque veriſimile eſt illi primum hoc à Deo indicatum.

Pari ratione Laban obtulit Iacob duas filias; & rurſus illæ obtulerunt eidem duas alias vxores, neque ipſe miratus eſt, aut dixit non licere.

Deut. 21. Et denique Moyſes in Deuteronomio, tanquam de re nota, & paſsim licita loquitur, cùm ait: *Si habuerit homo duas vxores, vnam dilectam, alteram odioſam,* &c. Non igitur neceſse erat, vt ad ſingulos fieret inſpiratio diuina, ſed ſatis erat, ſi primis Patribus facta fuerit: & fortaſse ſoli Noë facta fuit, & deinde ipſe alios docuit.

Propoſ. 5. Quinta propoſitio: *Probabile eſt diſpenſationem conceſſam eſſe omnibus, non autem ſolum Hebræis.* Dico id eſse probabile, quia non ignoro multos exiſtimare ſoli populo Dei id eſse conceſsum, nimirum ad propagandam eam gentem, vnde Meſsias erat naſciturus.

Prob. 1. L. 16. de ciuit. c. 38. & l. 22. cont. Fauſt. c. 47. Prob. primò, quia Auguſtinus ſcribit, in terris vbi Iacob vxores quatuor duxit, fuiſse morem ducendi plures vxores poſteritatis cauſa, & eum morem fuiſse inculpabilem, quia eo tempore polygamiam lex nulla prohibebat. Quo loco Aug. indicat diſpēſationē fuiſse generalē; tum, quia abſolutè dicit, eo tempore nullam fuiſse legem prohibentem polygamiam, quia nimirum lex naturalis propter generalem diſpenſationem nuſquam obligabat; tum etiam, quia dicit in eo loco, & in alijs terris, vbi Iacob tunc erat, id fuiſse licitum. *Gen. 31.* Locus autem ille Gentilium erat, non Hebræorum: ſiquidem Laban, cuius filias Iacob accepit vxores, idololatra erat; tum denique, quia cauſſa, cur polygamia tunc eſset licita, dicitur ab Auguſtino fuiſse propagatio generis, ſeu ſufficiendæ prolis: nec vſquam dicit, quòd ſciam, propagandi populi Dei tantum.

Prob. 2. Gen. 26. 28. Secundò prob. quia Scriptura narrat non ſolum Abraham, & Iacob, & eorum poſteros, ſed etiam Eſau, qui ad populū Dei non pertinebat, multas vxores duxiſse: neque dubiū videtur, quin Eſau ad imitationē Abrahę id fecerit, neque Scriptura eum reprehendit. Iſmaëlitas quoque, qui vſque ad hūc diem conſuetudinem polygamiæ retinent, ab Abrahamo, alijſque Patribus eam accepiſſe credibile eſt: & cùm Scriptura Gentiles nō reprehēdat, quòd eo tēpore plures vxores haberent, probabile eſt omnino generalem permiſsionē fuiſse.

Sexta

Sexta propoſitio: *Probabile eſt diſpenſationem hanc ante Chriſti aduentum ceſſaſſe; ſed, ſi non antè ceſſauerit, certum eſt à Chriſto omnino eſſe ſublatam, ita, vt iam non ſolum Chriſtianis, ſed etiam alijs Gentibus omnibus polygamia prohibita ſit.* Propoſ. 6.

Quòd à Chriſto ſublata ſit diſpenſatio, ſi qua tunc erat, ſatis probatum eſt ſuperius in primo argumento. Quòd autem probabile ſit anteà per ſe ceſſaſse, inde colligimus, quòd iam antea ceſsauerat cauſsa diſpenſationis: cauſsa enim fuerat paucitas hominum. Nam, quia poſt diluuium homines paucisſimi erant, & non diu viuebant, vt ante diluuium, idcirco Deus ad faciliorem propagationem generis humani indulſit polygamiam: ſed antequam Chriſtus veniret, iam pleniſsimus erat mundus hominibus; quare ceſsauerat cauſsa diſpenſationis. Id, quod homines etiam intellexiſse videntur: nam nec apud Iudæos, nec apud Romanos erat in vſu polygamia tempore Chriſti, niſi fortè apud paucisſimos. Siquidem in Euangelio, ſiue diſcipuli, ſiue Phariſæi, ſiue alij loquantur, ſemper de vxore in numero ſingulari loquuntur: &, quod eſt manifeſtum indicium huius rei, Zacharias pater Ioannis, cùm vxorem ſterilem haberet, non tamen aliam vxorem accepit, ſed cum illa vna vſque ad ſenectutem vixit. Prob. Luc. 1.

CAPVT IV.

De firmitate Matrimonij.

NOtandum aliud iudicium eſse debere de coniugio fidelium, aliud de coniugio infidelium: & rurſus, aliud de coniugio fidelium rato, & non conſummato; & aliud de coniugio fidelium rato, & conſummato: denique, aliud de coniugio fidelium conſummato, quoad diuortium, aliud quoad repudium. Ex quo quatuor quæſtiones exiſtunt. Nota

Prima, *de coniugio infidelium*, erit breuiſsima. Coniugium enim infidelium ſolui poſse, etiam quoad vinculum, ſi alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit ei cohabitare ſine iniuria Creatoris, extra controuerſiam eſt ex doctrina B. Pauli: *Si infidelis diſcedit, diſcedat*, &c. Et ex doctrina Eccleſiæ. Neque obſtat illud: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Neque illud: *Qui dimiſerit vxorem, excepta cauſſa fornicationis*, &c. Neque illud, quòd propter hæreſin non ſoluitur Matrimonij vinculum, cùm tamen hæreſis ſpecies infidelitatis ſit. Nam ad primum reſponderi debet hoc Matrimonium non dirimi ab homine, ſed à Deo, cuius interpretem habemus Apoſtolum Paulum. Ad ſecundum dicendum cum Auguſtino Chriſtum loqui de Matrimonio inter fideles, Paulum de Matrimonio contracto inter infideles; id, quod Paulus ipſe ſatis declarat. Nam cùm dixiſset: *Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere*, Subiungit: *Cæteris autem ego dico, non Dominus, ſi quis habet vxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam*, &c. Vbi per *cæteros* intelligit eos, qui Matrimonium ante fidem contraxerunt, de quibus Dominus nihil præceperat: de his ergo Paulus dat conſilium, vt vir non dimittat vxorem infidelem, Quæſt. 1. 1. Cor. 7. Matth. 19. Matth. 5. L. 1. de adulterinis coniug. c. 1. & 2.

lem,ſi ea velit cohabitare ſine iniuria Creatoris. Sed quia hoc eſt conſilium, non præceptum,ideo licet etiam dimittere vxorem infidelem, & tunc maximè,ſi nolit cohabitare. Ad tertium dicendum magnum eſse diſcrimen inter coniugia contracta in infidelitate, & coniugia contracta poſt Baptiſmum. Priora enim,& ſi rata ſint,& firma ex natura ſua: tamen Sacraméta nõ ſunt, & ideò deeſt illis potiſsima ratio inſolubilitatis. At poſteriora Sacramenta ſunt,& proinde duplicem habent rationem inſolubilitatis. Quòd ergò Apoſtolus docuit de Matrimonijs in infidelitate contractis, non debet extendi ad Matrimonia contracta poſt Baptiſmum:& idcirco,ſi alter coniugum conuertatur ab hæreſi, & alter nolit cohabitare ſine iniuria Creatoris, non ſoluitur Matrimonium quoad vinculum,non quia hęreſis non ſit ſpecies infidelitatis,ſed quia Matrimonium illud poſt Baptiſmum contractum fuerat,& ea de cauſſa Sacramentum erat: & ſimiliter,ſi alter coniugum Chriſtianorum fiat non tantùm hęreticus,ſed etiam Apoſtata, Ethnicus,atheus, tamen nunquam ſoluitur vinculum Matrimonij,quia Sacramentum eſt.

Quæſt. 2. Altera quæſtio *de Matrimonio rato non conſummato*, alibi tractata eſt.

lib. 1 de Eccle. militante.c 17. Quæſt.3. Tertia quæſtio eſt *de ſolutione Matrimonij conſummati quoad thorum,& cohabitationem manente vinculo coniugali*;quę ſolutio propriè dicitur diuortium à Theologis, & diſtinguitur à repudio , quod eſt ſolutio etiam quoad vinculum. Quamuis Iureconſulti paulò aliter accipiant iſtas voces: nam repudium vocant dimiſsionem tum ſponſę, tum etiam vxoris; diuortium autem dimiſsionem ſolius vxoris poſt Matrimonium, ſiue quoad thorum,ſiue quoad vinculum. Vnde tam in Iure Canonico,quàm ciuili,in titulo,de diuortijs,agitur de ſolutione Matrimonij, ſiue quoad thorum tantum,ſiue etiam quoad vinculum.

Reſp. Sententia itaque Theologorum, & Eccleſię totius eſt, poſse Matrimonium conſummatum inter fideles ſolui quoad thorum, & cohabitationem duabus de cauſsis.

Primò,ex conſenſu, propter maiorem, atque altiorem ſtatum acquirendum; vt,ſi vterque coniugum continentiam perpetuam voueat,& ad religionem tranſeat; cuius rei plurima exempla Sanctorum extant , & habemus Matth. 19. teſtimonium Chriſti:*Omnis,qui reliquerit domum, vel agrum, vel vxorem,&c.* Vbi loquitur de dimiſsione vxoris,vt Apoſtoli fecerant, nimirum cauſſa ſequendi ipſum.

Secundò,ſine conſenſu,ob crimen, idque triplex. Primum eſt adulterium Matt. 5. coniugis alterius,de quo apud Matth. Deinde,ſi alter coniugum à fide Catholica recedat:& de hoc habemus Apoſtolicum præceptum: *Hæreticum hominem* Tit. 3. *poſt vnam,& ſecundam correctionem deuita.* Vbi Apoſtolus de omnibus generatim loquitur,neque coniuges,aut parentes excipit. Et de his etiam intelliguntur Luc. 14. verba Domini: *Si quis venit ad me , & non odit patrem ſuum, & matrem , & vxorem,&c.*

Denique,ſi alter coniugum impellat alterum ad peccatum, ita. vt non poſſit alter cum eo habitare ſine periculo Deum offendendi: & de hoc loquitur Matt. 18. Dominus:*Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum.* In quem locum ſcribens Hieronymus,docet ſententiam Domini eſſe, vt, ſi ij, qui nobis coniuncti ſunt, & chari

chari inſtar oculorum, vt parentes, filij, & vxor, cauſſa ſint ruinarum, ab ijs recedamus.

Atque hæc omnia habentur in decretis Eccleſiæ inſtit. de diuortijs: & nuper Concilium Trident. contra Lutheranos idipſum his verbis confirmauit: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cùm ob multas cauſſas ſeparationem inter coniuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem ad certum, incertúmque tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit.* Seſſ. 24. can. 8.

Sunt autem obſeruanda tria.

Primum eſt, libertatem diuortium faciendi ob crimen, parem eſſe viro, & vxori: licet enim Dominus de viro tantum loquatur, quia ordinariè viri vxores dimittunt, raro autem ab vxoribus dimittuntur viri; tamen, quod Dominus de viris dixit, etiam ad fœminas pertinet. Nam Apoſtolus vtrumq; dixit: *Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, & vir vxorem non dimittat;* nimirum ſine licita cauſſa. Idem docet Eccleſia. Nota 1. Matt. 19. 1. Cor 7.

Secundum eſt, diuortium quoad thorum tantum propria auctoritate poſſe fieri, modò verè nouerit coniunx coniugis adulterium. At verò diuortium quoad cohabitationem, quia res eſt publica, & quæ ſcandalizare poteſt cæteros, non poſſe fieri, niſi Eccleſiæ iudicio. Nota 2. c. Porrò, de diuortijs.

Tertium eſt, diuortium in cauſſa fornicationis quatuor de cauſis poſſe fieri illicitum. Nota 3.

Primò, ſi fornicatio fuerit ſine crimine, & proinde non fuerit, niſi materialis; vt, ſi mulier vim paſſa fuerit, aut ex ignorantia cum eo rem habuerit, quem virum ſuum eſse credebat, cùm tamen eſset alienus.

Secundò, ſi vterque coniunx eodem crimine teneatur.

Tertiò, ſi poſt cognitum adulterium coniugis cum eo rem habuerit.

Quartò, ſi auctor fuerit coniugi, vt fornicaretur.

In quarta quæſtione, de ſolutione nimirum Matrimonij conſummati quoad vinculum, habemus aduerſarios Græcos, Latinos, Hæreticos, Catholicos. Quæſt. 4.

Eccleſiæ tamen Catholicæ ſententia eſt, Matrimonij inter fideles contracti, & conſummati vinculum adeò eſſe inſolubile, vt neque cauſſa fornicationis dirimi poſsit; & ideò viuente coniuge nunquam eſſe licitum ad alias nuptias aſpirare. Patet ex Concilio Tridentino, vbi anathema dicitur ijs, qui ſentiunt Matrimonium quoad vinculum vlla de cauſſa ſolui poſſe. Reſp. Seſſ. 24. can. 6. & 7.

Prob. ex Script. Primus locus eſt: *Omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſſa, facit eam mœchari, &, qui dimiſſam duxerit, adulterat.* Vbi poſtrema illa verba vel vniuerſè accipienda ſunt, vel cum exceptione, niſi ob fornicationem. Si vniuerſè; ergò qui dimiſſam duxerit, etiam ob fornicationem, mœchatur; ergò non fuerat dimiſſa quoad vinculum, ſed ſolùm quoad thorum: non enim mœchatur, qui illam ducit, niſi adhuc eſſet priori viro alligata. Si cum exceptione; ergò qui fornicariam à viro dimiſſam duxerit, non mœchatur. Ergo melior eſt conditio fornicariæ, quàm innocentis, & caſtæ: nam fornicaria libera eſt, & nubere poteſt, innocens autem iniuſtè dimiſſa nec priorem virum habere poteſt, nec alteri nubere. Prob. 1. Matth. 5.

Atqui hoc abſurdiſsimum eſt, vt lex Chriſti iuſtiſsima dimiſſam iuſtè

meliori loco eſſe velit, quàm dimiſſam iniuſtè.

Mar. 10. Secundus locus eſt: *Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterij committit ſuper eam: &, ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur.* Similia alibi: *Omnis, qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur; &, qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Hæc verba vniuerſaliter docent nunquam ita diſſolui Matrimonium inter fideles contractum, & conſummatum, vt liceat ad alias nuptias tranſire.

Luc. 16.

Rom. 7. Tertius locus eſt: *An ignoratis, fratres, (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? Nam, quæ ſub viro eſt, mulier viuente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri, vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Similis locus habetur alibi. Ex his autem colligimus nunquam ſolui vinculum coniugale, niſi per mortem: &, quia non ſoluitur, manere etiam poſt diuortium quacunque de cauſſa factum.

1. Cor. 7.

Ibid. Quartus locus eſt: *His, qui Matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.*

Habemus autem hinc argumentum planè inſolubile. Nam vel mulier, de qua dicitur: *Si diſceſſerit*, &c. diſceſsit ex cauſſa diuortij, vt fornicationis, hæreſis, & quæcunque ſit alia; vel ſine tali aliqua cauſſa. Hoc poſterius dici non poteſt, nam Paulus non diceret de tali fœmina, *Maneat innupta, aut viro ſuo reconcilietur*; ſed diceret; Maneat innupta, donec viro ſuo reconcilietur, & omninò ad virum ſuum redeat: non enim poterat Paulus permittere iniuſtum diuortium contra expreſſum Domini mandatum. Et, ſi eodem cap. Paulus non permittit coniuges abſtinere à carnali commercio ob orationem, & ad tempus, niſi ex conſenſu, quomodo permitteret coniugem inuito marito ſine vlla cauſſa iuſti diuortij ſeparatam à viro manere? Loquitur ergò ſine vllo dubio de muliere, quæ diſceſsit ob iuſtam aliquam diuortij cauſſam. Atqui iſta non poteſt alteri nubere, vt Paulus apertiſsimè dicit; ergo etiam cauſa iuſta diuortij non ſoluit vinculum coniugij, neque licet coniugibus iuſto diuortio ſeparatis ad alia tranſire coniugia.

Prob 2. Eadem veritas ex traditione probari poteſt: extant enim omnibus ætatibus Patrum teſtimonia.

Prob. 3. 1. Ratio. Ephes. 5. Prob. ratione. Primò; Matrimonium fidelium ſignum eſt coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, vt Apoſtolus docet. At illa vnio indiſſolubilis eſt: igitur & vinculum cõiugale indiſſolubile eſt. Et quamuis tota ſimul Eccleſia à Deo fornicari non poſsit, tamen aliquæ partes Eccleſiæ, ſcilicet nõnulli fideles fornicantur interdum ſpiritualiter, & diuortium faciunt: ſed propterea non illis licet mutare Deum, aut Deus ita illos abijcit, vt nolit reconciliari; immò verò hortatur ad reconciliationem. Tale igitur debet eſſe coniugium Chriſtianorum, vt nunquam tale diuortium fiat, quin ſpes maneat reconciliationis.

2. Ratio. Secundò; Si licitum eſt Matrimonium aliud, iniuria afficeretur proles: nam filijs iam natis malè conſuleretur, qui pro patre vitricum, pro matre nouercã habere inciperent.

Ter-

Tertiò; Si eſset licitum eiuſmodi coniugium viuente altero coniuge, aperiretur aditus infinitis repudijs, etiam iniuſtis. Nunc enim, quia ſciunt fideles debere ſe aut cælibes viuere, aut priori coniugi reconciliari, non facilè ad diuortium adducuntur; aut, ſi ſcirent mox repudiata vxore poſse aliam duci, facillimè diuortia fierent, & quærerent occaſiones aliquando diſsidiorum, & criminum, &c. *3. Ratio.*

Quartò; Si poſt diuortium in cauſsa fornicationis liceret parti innocenti aliud Matrimonium inire, vel id liceret etiam nocenti, vel non liceret. Si liceret; ergò commodum ex peccato ſuo adulter reportaret, & ſæpe etiam viri dedita opera adulterium committerent, vt poſsent ab vxore liberari, & aliam vxorem ducere. Si non liceret, quæro, quare? nam, cùm ea perſona ſit à vinculo prioris coniugij ſoluta, (neque enim potuit pars innocens aliud Matrimonium inire, niſi vinculo prioris dirempto) neque vlli faciat iniuriam, quare non poteſt Matrimonium contrahere? *4. Ratio.*

Adde vltimò, quòd etiam apud Ethnicos, vbi morum diſciplina vigebat, nulla fiebant repudia. Scribit Tertullianus Romæ per annos ferè DC. ab Vrbe condita nullum ſcriptum fuiſse repudium: deinde autem euerſa diſciplina cum alijs vitijs etiam repudia introducta. *5. Ratio.* *Apologet. c. 6.*

CAPVT V.

De impedimentis Matrimonij.

DVO ſunt genera impedimentorum. Quædam enim impediunt contrahendum, ſed non dirimunt contractum. Quædam impediunt contrahendum, & dirimunt contractum. Prioris generis ſunt ea, quæ non aduerſantur eſsentiæ Matrimonij, ſed ſolennitati, aut ornamento alicui accidentario, & ideò, ſi cum eo impedimento Matrimonium contrahatur, peccant, qui ita contrahant, ſed Matrimonium eſt firmum, & ratum. Poſterioris generis ſunt, quæ ipſi eſsentiæ Matrimonij contraria ſunt, adeò, vt neceſsario aliquid eſsentiale Matrimonio deſit, proinde nec ſit verum Matrimonium, ſi cum eo impedimento fuerit celebratum. Quare non dicuntur iſta impedimenta dirimere contractum Matrimonium, quaſi Matrimonium verum dirimant, ſed quia Matrimonium de facto, non de iure contractum reddunt irritum. *Duplex impedimentum.*

Impedimenta huius generis numerantur omninò duodecim, quę his verſiculis continentur: *Impedimenta dirimentia contractum.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Sed vt huius numeri ratio intelligatur, ſciendum eſt omnia impedimenta reuocanda eſſe ad conſenſum coniugum, vel ad perſonas contrahentes. *Ratio diuiſionis.*

Nam, cùm tria ſint neceſſaria ad omnia Sacramenta, materia, forma, & intentio Miniſtri, in hoc Sacramento materia ſunt perſonæ legitimæ: ex conſenſu autem pendent forma, & intentio. Eſt enim conſenſus cauſa efficiens Matrimonij, ſigna verò exprimentia conſenſum, forma: vndè, ſi conſenſus adſit, etiam ſigna erunt vera, ſi conſenſus non adſit, ſigna erunt falſa; & ſimiliter ſi conſenſus adſit, intentio aderit, ſi conſenſus abſit, intentio aberit. Itaque ad Matrimonij Sacramentum nihil aliud requiritur eſſentialiter, niſi cõſenſus ſigno expreſſus inter legittimas perſonas.

Ex parte conſenſus. Iam igitur ex parte conſenſus ſumuntur duo generalia impedimenta, Ignorantia, & Coactio: Hæc enim duo faciunt inuoluntarium. Ad Ignorantiã pertinet error perſonæ, quod eſt primum impedimentum: neque enim conſentire cenſetur in Matrimonium, qui vni perſonæ iungitur, exiſtimans eſſe aliam.

Item, conditio perſonæ, quod eſt ſecundum impedimentum, vt, cùm quis ſeruam accipit, quam liberam eſſe credebat. Huc etiam pertinet carentia vſus liberi arbitrij; neque enim pueri, furioſi, amentes contrahere poſſunt, cùm deliberatum conſenſum habere nequeant. Et hoc impedimentum reducitur ad errorem. Ad coactionem pertinet vis, ſeu metus, quod eſt impedimentum ſeptimum.

Ex parte perſonarum. Ex parte perſonarum contrahentium ſumuntur cætera omnia, quorum alia reddunt perſonam inhabilem abſolutè, & proinde reſpectu cuiuſcunque Matrimonij: Alia reddunt inhabilem ſolùm reſpectu alicuius Matrimonij cum certa perſona contrahendi, non autem abſolutè. Ex his, quæ reddunt perſonam inhabilem abſolutè, alia ſunt naturalia, alia voluntaria. Naturale impedimentum eſt frigiditas, & impotentia quæuis coëundi perpetua, ſiue innata, ſiue maleficio procurata: & hoc eſt impedimentum duodecimum. Voluntaria impedimenta ſunt Votum ſolenne continentiæ, Ordo ſacer, Ligamen cum alio coniuge: quæ ſunt tertium, octauum, & nonum impedimentum, qui enim alligati ſunt Deo per vota Monaſtica, aut per ſacros Ordines, vel coniugi per Matrimonium, non poſſunt nouum coniugij vinculum accipere. Ea verò, quæ inhabilem faciunt reſpectu certi Matrimonij, non autem abſolutè, tria ſunt; crimen, nimia coniunctio, nimia diſiunctio. Crimen eſt impedimentum quintum. Et per crimen intelligitur adulterium mixtum homicidio cum ordine ad futurum coniugium. Non enim poteſt, qui cum aliqua adulterium commiſit, & eius viro necem molitus eſt, illam vnquam ducere in vxorem: quocirca hoc impedimentum dirimit certum aliquod Matrimonium, non autem omne abſolutè. Nimia diſiunctio vocatur cultus diſparitas, & eſt impedimentum ſextum: non enim poteſt fidelis cum infideli contrahere Matrimonium. Nimia coniunctio eſt cognatio, ad quam tria impedimenta reuocantur, nimirum cognatio naturalis, quæ dicitur propriè conſanguinitas, & eſt impedimentum quartum. Et ad illud reducuntur cognatio ſpiritualis, qualis eſt inter baptizantem, ſeu confirmantem, & baptizatum, ſeu confirmatum: & cognatio legalis, quę per adoptionem fit. Huc etiam pertinet affinitas, quæ per carnalem copulam acquiritur, quæ eſt impedimentum vndecimum. Et denique publica honeſtas, quæ eſt affinitas orta

ex ſponſalibus, & eſt impedimentum decimum.

Impedimenta autem, quæ contrahendum impediunt, ſed non dirimunt contractum, duo numerari ſolent: *Impedimenta impedientia contrahendum.*

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Per Eccleſiæ vetitum intelligunt prohibitionem, ne Matrimonia clam fiant, cùm debeant in facie Eccleſiæ, & coram teſtibus celebrari. Per tempus feriatum intelligunt certa tempora ſacra, vt Aduentus, & Quadrageſimæ, quibus Eccleſia nuptias celebrari prohibuit. Sed primum horum impedimentorum iam poſt Concilium Tridentinum non eſt amplius tantùm impediens coniugium contrahendum, ſed etiam dirimens contractum; quare reducendum eſt ad impedimentum criminis. Sunt præterea quædam alia impedimenta non dirimentia. vt votum continentiæ ſimplex, ſponſalia, inſtructio Catechumeni per traditionem Catechiſmi, & ſex crimina; inceſtus, raptus alienę ſponſæ. coniugium ſacrilegum cum ſanctimoniali, cædes vxoris, homicidium presbyteri, & Baptiſmus proprij filij. Sed hæc non ponuntur in numerum ſeorſim, ſed ad alia reducuntur.

Septem autem ſunt cum hæreticis huius temporis, de his impedimentis quæſtiones.

Prima eſt: *An requiratur neceſſario ad Matrimonium filiorum conſenſus parentũ?* *Quæſt. 1.*

Catholici Doctores adeò non dubitant Matrimonia ſine parentum conſenſu facta, firma, ac rata eſſe, vt neque vnquam inter impedimenta Matrimonij numerauerint defectum conſenſus paterni; & nuper Concilium Trident. in decreto de Matrimonijs clandeſtinis in hæc verba ſtatuit: *Sancta ſynodus anathemate damnat eos, qui falſo affirmant Matrimonia à filijsfam. ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe. & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.* *Reſp.* *Seſſ. 24.*

Sit igitur prima propoſitio: *Solo conſenſu parentum Matrimonium inter filios celebrari non poteſt: & ideò non poteſt pater filium ad coniugium cogere.* *Propoſ. 1.*

Prob. primò exemplo Scripturæ diuinæ. Nam cùm pater, & frater Rebeccæ de Matrimonio eius cum procuratore Abrahæ, qui eam in vxorem filio Abrahæ petebat, tractaſſent, dixerunt: *Vocemus puellam, & inquiramus eius voluntatem.* *Prob. 1.* *Gen. 24.*

Secundò patet ex Iure Canonico. *Prob. 2.*

Tertiò patet ratione. Nam illorum neceſſariò conſenſus requiritur, qui Matrimonij formam pronunciant; eſſent enim falſa illa verba: *Ego te accipio in meam*; *Ego te accipio in meum*, ſi conſenſus pronunciantium ea verba deeſſet. *3.*

Propoſitio ſecunda: *Filiorum conſenſus, etiamſi ſolus ſit, ad Matrimonium firmum, & ratum efficiendum ſufficit: nec poteſt à parentibus, vel Magiſtratu eiuſmodi Matrimonium irritari.* *Propoſ. 2.*

Prob. primò exemplis Script. Eſau duxit vxores duas, quæ ambæ offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ: proinde inuitis parentibus eas accepit. Et rurſus accepit tertiam contra eorundem parentum voluntatem: nec tamen Iſaac ea coniugia irritauit, & Script. ſimpliciter vxores vocat, quæ ita ductæ fuerant. *Prob. 1.* *Gen. 26.* *Gen. 28.*

Gen.29. & 30. Deinde; Iacob duxit vxorem vnam iuxta conſilium parentum ſuorum; ſed alias tres, & præſertim duas ancillas duxit parentibus omninò inſcijs: nec tamen Iacob ſanctiſsimus Patriarcha id feciſſet, ſi credidiſſet neceſſarium eſſe conſenſum parentum. Tob.7. Tobias quoque vxorem duxit in aliena regione, parentibus ignorantibus: nec tamen Angelus Raphaël, qui cum ipſo erat, eum admonuit, vt parentum conſenſum expectaret, neque ipſe religioni ſibi duxit inſcijs parentibus id facere.

Prob.2. Secundò prob. ex Iure Canonico.

3. Tertiò prob. ratione. In eiuſmodi coniugio nihil eorum deeſt, quæ ad eſſentiam Matrimonij pertinent; verum igitur, & ratum, atque adeò inſolubile Matrimonium erit. Prob. Antec. Nam conſenſus contrahentium adeſt, & proinde intentio Miniſtri; adeſt Materia: quæ ſunt perſonæ ad Matrimonium idoneæ; adeſt forma, id eſt, verba, ſeu ſigna mutui conſenſus.

Propoſ.3. Propoſitio tertia: *Peccant filij, quando ſine iuſta, & rationabili cauſſa parentibus inſcijs, vel inuitis, Matrimonia contrahunt.* Dixi, *ſine iuſta, & rationabili cauſſa*, quia poteſt aliquando fieri, vt filius non peccet inſcio parente vxorem ducendo; quia nimirum credit patrem id ratum habiturum. Et hoc modo Tobias inſcio patre vxorem duxit. Poteſt etiam fieri, vt non peccet filius inuito patre vxorem ducendo, ſi pater iniuſtè prohibeat filium à coniugio; vel cauſa maioris dotis non niſi indignam mulierem, aut etiam hæreticam ei dare velit.

Prob. Vt plurimum tamen peccant filij, cùm non ſequuntur in hac re parentum voluntatem: nam vt plurimum parentes ſunt prudentiores, neque periculum eſt, vt filijs malè conſultum velint, cùm eos naturaliter diligant.

Præterea; Parentum eſt filijs proſpicere, eoſque dirigere; ergò filiorum eſt Gen.24. ſinere ſe à parentibus regi, & duci. Et habemus exempla, & teſtimonia in Script. perſpicua. Iſaac accepit vxorem, quam pater ei dedit; & Rebecca vxor Exod 34. ipſius conſilium patris ſui in ea re ſecuta eſt. Præceptum etiam de Matrimo- Deut.7. nio filiorum parentibus potius datur, quam filijs, ne iungantur videlicet cum Gen.28. Chananæis: *Filiam tuam non dabis filio eius; nec filium illius accipies filio tuo.* Et Iſaac apertè iuſsit filio ſuo, vt non acciperet vxorem de filiabus Paleſtinorum, ſed aliquam ex filiabus Laban; quod & ipſe obedienter fecit.

Quæſt.2. Secunda quæſtio eſt *de impedimento Voti.*

Propoſ.1. Propoſitio prima: *Votum ſimplex impedit Matrimonium contrahendum.*

Prob. Eccleſ.5. Deut.23. Prob. Nam Votum perpetuæ continentiæ eſt licitum; ergò ſeruandum; cùm Script. dicat: *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere.* At reddi non poteſt ab eo, qui vxorem ducit, cùm teneatur illi petenti debitum reddere: non igitur licet ijs, qui Votum eiuſmodi habent, Matrimonio iungi. Præterea; Paulus 1.Tim 5. de viduis, quæ continentiam vouerant, ita pronunciat: *Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Vbi Apoſtolus non damnat viduas illas, quia, poſteaquam luxuriatæ fuerant, nubere voluerunt: id enim laudandum erat, non vituperandum: ſed quia nubere volentes primam fidem, Deo ſcilicet datam de ſeruanda continentia, irritam faciebant. Et hoc modo hunc locum intellexerunt omnes Interpretes Græci, & Latini.

Propoſitio

Propoſitio ſecunda: *Votum ſimplex non dirimit Matrimonium poſt ipſum votum contractum.* Hæc in Iure declarata eſt. *Propoſ. 2.*

Et ratio huic declarationi apertiſsima ſuffragatur. Promiſsio enim, qualis eſt votum ſimplex, obligat quidem in conſcientia, tamen non transfert dominium rei promiſſæ ab eo, qui promiſit, in eum, cui promiſſa eſt: & ideò, ſi is, qui promiſit, mutet ſententiam, & rem alteri reipſâ donet, ille quidem peccat, tamen donatio vim ſuam habet, niſi tale ſit votum ſimplex, quod hominem in ſtatu religioſo conſtituat, de quo hic non agitur. *Prob.*

Propoſitio tertia: *Votum ſolenne dirimit Matrimonium poſt ipſum votum celebratum.* *Propoſ. 3.*

Prob. auctoritate Conciliorum, Pontificum, Patrum. Vt autem idem ratione ex Verbo Dei ducta probemus, præmittendum neceſſario eſt quæſtionem eſſe inter Catholicos; *Quo iure Votum ſolenne dirimat Matrimonium poſt eiuſmodi Votum celebratum; naturaline, ac diuino, an ſolum Eccleſiaſtico, ac poſitiuo?* Et quidem grauiſsimi Theologi, S. Thomas, S. Bonauentura, Albertus, Richardus, Durandus, Dom. à Soto contendunt iure diuino, ac naturali dirimere Matrimonium. Quorum hæc eſt potiſsima ratio, quia Votum ſolenne non eſt ſimplex promiſsio facta Deo, vt eſt votum, quod dicitur ſimplex: ſed eſt traditio de præſenti ſui ipſius in perpetuum Chriſti obſequium; & ea traditio à Chriſto per miniſtros ſuos accepta, ac probata eſt. Quare differt Votum ſolenne à ſimplici, vt coniugium de præſenti contractum à ſponſalibus de futuro. Sed iure diuino, ac naturali nemo poteſt alteri dare, quod nō eſt ſuum, &, ſi dederit, irrita eſt donatio, igitur iure naturali, & diuino irritum eſt coniugium poſt Votum ſolenne. Et quidem, ſi ex Script. aut euidenti aliqua ratione demonſtrari poſſet Votum ſolenne differre à ſimplici, quòd in illo ſit donatio de præſenti, in iſto vero promiſsio tantum de futuro, non oporteret aliam quærere rationem. Tamen quia principium illud multi negant, vt Scotus, Paludanus, Caietanus, & omnes Interpretes Iuris Canonici, & contrà potius exiſtimant ſolo Eccleſiæ decreto factum eſſe, vt votum ſolenne dirimat Matrimonium, ideò probandum ſupereſt Eccleſiam potuiſse hoc impedimentū Matrimonij conſtituere. *Prob.* *Dubit.* *Reſp.*

Sed hoc facilè prob. primùm ex eo, quod fecit. Eccleſia enim ab antiquis tēporibus, tum in Concilijs, tum per ſummos Pontif. hoc ſtatuit. Fortaſſe etiā hoc de Apoſtolica traditione deſcendit. Nam Cyprianus, Baſilius, & Ambroſius, qui hoc impedimentum agnoſcunt, ante ea Concilia, eoſque Pontifices vixerunt, à quibus hoc decretum factum videtur: & ideo Concilia, & Pontif. non tam noui aliquid ſtatuiſſe, quā vetus decretū innouaſſe, aut declaraſſe cēſendi ſunt. Quod autē Eccleſia antiqua fecit, & ſæpius repetiuit, ſtultū, atque impiū eſt dicere, non eſſe Iure factum. Deinde prob. quia illegitimas facere perſonas ad Matrimoniū, non eſt mutare Sacramenti eſſentiam, ſed ratū, vel irritum facere contractum humanū, qui in Sacramēto Matrimonij prærequiritur. Non enim Chriſtus declarauit, quis contractus humanus ſit habendus legittimus, quis illegittimus, ſed ea declaratione præſuppoſita voluit contractum humanum inter virum, & fœminam Sacramentum eſſe. *Prob. 1.* *Prob. 2.*

Poſſe-

Prob. 1. poſſe Eccleſiam reddere perſonas habiles, vel inhabiles. Luc. 10. Matth. 16. Ioan. vlt. Poſſe autem Eccleſiam eiuſmodi contractus legittimos, vel illegittimos decreto ſuo reddere, perſonas habiles, vel inhabiles efficiendo, prob. Nam Inprimis huc pertinent omnia illa Script. loca, ex quibus diſcimus curam Eccleſiæ gubernandæ Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus eſſe commiſſam. *Qui vos audit, me audit.* Et: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Et: *Paſce oues meas.* Nam ad eum, qui iure præeſt, pertinet leges condere de actibus humanis, eoſque regere, & ratos, vel irritos facere.

Prob. 2. Deinde, In Teſtam. veteri præter Ius diuinum naturale erant etiam certæ leges poſitiuæ, iudiciales, accommodatæ illi populo, tum circa Matrimonia, tum circa alios contractus humanos: Illæ autem leges abrogatæ ſunt, neque habemus alias à Chriſto præſcriptas: ergò neceſſe eſt in Eccleſia eſſe poteſtatem ſimilium legum pro locis, & temporibus ſanciendarum; alioqui Chriſtiana Reſp. imperfectiſsima, ac planè miſerrima eſſet.

Prob. 3. Præterea; Poſſunt Reges politici, qui Reip. præſunt, circa humanos contractus humanas leges ferre, eoſque certo modo factos, ratos; ſecus autem, irritos eſſe decernere ob communem pacem, & concordiam populorum: ergò poterunt etiam id Principes Eccleſiaſtici ob ſalutem æternam animarum.

Quòd autem Eccleſia non ſolùm potuerit votum ſolenne impedimentum dirimens Matrimonij conſtituere, ſed etiam cauſſam habuerit id conſtituendi, facilè prob. poteſt.

Prob. 1. Eccleſia ad hoc cauſam habuiſſe. Nam, qui vota ſolennia continentiæ ſuſcipiunt, illi ſtatum vitæ mutant, & ab imperfecto ad perfectum aſcendunt: abſurdum autem eſſet, ſi ijdem poſtea iterum redirent ad ſtatum imperfectiorem.

2. Deinde; Qui hæc vota faciunt, magna deliberatione, & præcedente probatione diuturna faciunt: incongruum autem eſt id, quod maturo conſilio factum eſt, iterum mutari.

3. Ad hæc; Vota ſolennia regulariter publicè, & coram teſtibus multis, immò populo inſpectante fiunt; ergò non poſſunt ſine ingenti ſcandalo violari. Quare decuit Eccleſiam prouidere, ne id mutari poſsit. Medium autem efficaciſsimum prouidendi fuit irritare Matrimonia poſt eiuſmodi vota contracta.

4. Denique; Qui vota ſolennia faciunt, non ſolum Deo ſe obligant, ſed etiam ſpontè ſubijciunt ſe Eccleſiæ, vt ab ea cogi poſsint, etiam per viam iudicij: proinde queri non poſſunt, ſi eos inhabiles ad Matrimonium Eccleſia facit. Atque eædem iſtæ rationes oſtendunt, cur noluerit Eccleſia vota ſimplicia eſſe impedimenta dirimentia. Qui enim vota ſimplicia faciunt, nec ſtatum propriè mutant, & ſæpe ſine magna deliberatione, & priuatim, ac ſine teſtibus illa faciunt, neque ſe Eccleſiæ ſubijciunt magis, quàm antea ſubiecti erant: vnde cogi non poſſunt ad votum ſeruandum per viam iudicij, ſed per viam correctionis fraternæ, niſi talia ſint vota ſimplicia, quæ hominem verè, ac propriè Religioſum conſtituant: qualia ſunt vota ſimplicia Societatis IESV, quæ ex conſtitutione Gregorij XIII. quæ incipit, *Aſcendente Domino*, declarantur ſubſtantia Religionis, & dirimentia Matrimonium.

Quæſt. 3. Tertia quæſtio eſt de *impedimento Criminis.*

Iubent

Iubent enim Canones impedimentum eſse dirimens Matrimonium, ſi quis cum ea coniugium contrahat, quam polluit per adulterium. Sed tamen obſeruant Doctores, in tribus caſibus ſolum eſse irritum ita Matrimonium. *Reſp.*

Primus, cùm adulter procurat mortem coniugis ſuæ, vel mariti adulteræ, vt cum adultera coniugium celebrare poſsit: vel contra, ſi adultera procuret mortem viri ſui, vel vxoris adulteri, vt adulterum in maritum accipiat.

Secundus, ſi adulteri dederint ſibi inuicem fidem de Matrimonio inter ſe contrahendo poſt mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ: nam qui ita ſibi fidem dederunt, videntur omninò procuraturi mortem alterius coniugum.

Tertius eſt, ſi de facto adulteri inter ſe contraxerint viuentibus prioribus coniugibus. Crimen autem homicidij ſine adulterio in vno tantùm caſu dirimit Matrimonium, quando videlicet in morte alterius coniugum procuranda conueniunt tam vir, quàm fœmina, qui inter ſe coniugiũ inire cupiunt. Alioqui ſi alter tantùm homicidium procuret altero inſcio, & adulterium nõ præceſsit, non dirimitur Matrimonium.

Nititur hæc ſententia grauiſsimis teſtimonijs Pontificum, & Conciliorum, & grauiſsima ratione. Quid enim atrocius in coniugio fingi poteſt, quã vt alter coniugum non ſolùm fidem coniugi non ſeruet, ſed etiam vitæ eius inſidietur, cum quo ſummum amicitiæ gradum colere debuiſſet? *Prob.*

Neque obſtat exemplum Dauidis, qui Bethſabeam vxorem duxit, cùm & ipſam antea per adulterium polluiſſet, & virum eius occidiſſet. *Obiect.* *2. Reg. 12.*

Hoc enim impedimentum non eſt de iure diuino, ſed Eccleſiaſtico: & in Teſtamento veteri multa permittebantur, quæ in noua lege, quæ perfectior eſt, optimo iure interdicuntur; vt polygamia, libellus repudij, & alia id genus multa. Adde, quòd etiam ſecundum Eccleſiaſticam legem peccatum illud Dauidis, & Bethſabeæ fortaſſe non fuiſſet impedimentum dirimens. Non enim adulterium ſolum, neque coniugis homicidium quocunque animo perpetratum dirimens impedimentum iudicari ſolet; ſed illud ſolum homicidiũ coniugis, quod ea intentione committitur, vt eius vxore poſtea quis potiatur. Iam verò Bethſabea in adulterium quidem conſenſit, ſed in mortem viri nullo modo quidquam legitur machinata: proinde ex parte eius non fuit impedimentum, quo minus coniugium cum Dauide contrahere poſſet. Dauid autem adulterio homicidium Vriæ adiunxit, ſed non eſt certum, an eo animo, vt vxore eius potiretur. Nam antea ſæpe conatus erat inducere Vriam, vt ad vxorem rediret; vt eo modo adulterium tegeretur. *Solut.*

Quarta quæſtio eſt de *Cultus diſparitate:* de qua ſit prima propoſitio: *Quæſt. 4.*

Non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hæreticis Matrimonia iungere. *Propoſ. 1.*

Prob. primò ex Verbo Dei. Deus enim prohibuit populo ſuo Matrimonia iungere cum Gentilibus. Et quamuis præceptum illud ſit iudiciale, & ſolos Iudæos propriè obligauerit, tamen habet aliquid etiam moralis, & ad omnes pertinet, ſi cauſſa inſpiciatur: nam cauſsam reddit planè moralem, quæ etiam nunc locum habet: *Quia ſeducet,* inquit, *filium tuum, ne ſequatur me, & vt magis ſeruiat Dijs alienis.* Et alibi addit Deus: *Certiſsimè auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos alienos.* Et ibidem additur Salomonem contra hoc præceptum egiſse, & *Prob. 1.* *Deut. 7.* *3. Reg. 11.*

illi continuo accidiſſe, quod Deus prædixerat. deprauatus enim per vxores illas Ethnicas adorauit earum idola. Et ſanè, ſi vir ſapientiſsimus, & qui multas alias vxores habebat, per noua illa coniugia cum Gentilibus ita peruerti potuit, vt ſingularum Deos coleret; quantum periculum ijs imminet, qui vnam tantùm, eamque ethnicam, vel hæreticam ducunt, & qui nullo modo ſunt cum Salomone in prudentia, & ſapientia comparandi?

1. Cor. 7. Deinde; Verbum illud B. Pauli: *Cui vult, nubat, tantum in Domino*; præceptum eſſe de Matrimonio non iungendo, niſi cum fidelibus, docent Interpretes huius

2. Cor. 6. loci ferè omnes. Eſt etiam alius locus: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Quem S. Hieronymus exponit de coniugio cum infidelibus non iungendo.

Prob. 2. Prob etiam veritas ex Concilijs, & Patribus.

3. Denique ratione. Matrimonium fidelis cum infideli multa ſecum adfert incommoda, & damna; non igitur licitum debet cenſeri. Antec. prob. Nam Inprimis periculum, & quidem grauiſsimum adfert fideli apoſtatandi à vera

Eccli. 3. fide: *Et qui amat periculum, peribit in illo.*

Deinde; proles non poterit commodè educari in vera religione. Ad hæc; Vix poterit in domo pax, & tranquillitas illa inueniri, quæ ad coniugium requiritur; ſiquidem diſſenſio circa religionem contentiones, & iurgia, odium etiam, & alienationem animorum gignit.

Denique; Si maritus ſit infidelis, facilè impediet omnia exercitia pietatis, quæ alioqui vxor Chriſtiana exercere tenetur.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Matrimonium inter fidelem, & infidelem non eſt irritum iure diuino, naturali, vel poſitiuo, vel certa aliqua lege Eccleſiæ.*

Prob. 1. quod non iure diuino naturali. Quòd nõ iure diuino naturali, prob. primò, quia nõ tollit cultus diſparitas omninò finem Matrimonij, licet aliquo modo impediat. Nam ex tali coniugio proles naſci poteſt, & inſtitui etiam in religione, licet difficilius: & aliquando accidere poteſt, vt non impediatur vllo modo educatio, neque pars, vt, ſi alter coniugum de religione nihil curet, aut benè ſit affectus erga religionem. Quo caſu non modò non erit impedimentum, aut periculum vllum coniugi fideli, ſed etiam erit magna ſpes trahendi alterum ad fidem: tunc autem (ſi non obſtet ius poſitiuum) ratio dictat coniugium eiuſmodi non eſſe malum, ſed bonum.

Prob. 2. Secundò prob. exemplis Sanctorum, qui ſine dubio infidelibus coniuncti non fuiſſent, ſi id Matrimonium iure naturæ irritum eſſet. Extant autem exempla in lege naturæ, in lege ſcripta, in lege gratiæ.

In lege naturæ Iacob vxores duxit filias Laban Idololatræ; Ioſeph filiam Putipharis Ægyptiam; Moyſes filiam Ietro Æthiopiſſam.

In lege ſcripta Eſther nupſit Aſſuero Regi Perſarum Ethnico, & Salomon vxorem duxit filiam Pharaonis, & Dauid accepit filiam Regis

2. Reg. 3. Geſſur.

L. 1. in Iouin. l. de fide. & oper. c. 19. In lege gratiæ teſtantur Hieronymus, & Aguſtinus ſuo tempore fuiſſe frequentiſſima in Eccleſia eiuſmodi coniugia; & quamuis à Patribus reprehenderentur, tamen non dirimebantur; nec eſt probabile fuiſſe tolerata, ſi vera

Matrimonia

Matrimonia non fuiſſent. Ita S. Monica virum habuit paganum: & Clotildis Chriſtiana nupſit Clodouæo Regi Francorum Ethnico. Vtraque autem pia erat, & virum ad fidem conuertit: non poteſt autem fieri, vt piæ fœminæ eſſent, & in perpetua fornicatione viuerent.

Quòd non ſit etiam impedimentum dirimens iure diuino poſitiuo, prob. nam in Teſtam. nouo nón extat tale præceptum. Verba enim Pauli: *Tantum in Domino*. Et: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, non próbant, niſi non eſſe contrahendum cum infidelibus: non autem probant Matrimonium eſſe irritum. *Prob. quod non iure diuino poſitiuo* *1. Cor. 7.* *2. Cor. 6.*

In Teſtam. autem veteri non inuenitur præceptum ita prohibens coniugia cum infidelibus, vt ea redderentur irrita, niſi apud Eſdram. Ibi enim legimus, Eſdra interpretante legem Domini in Deut: à Moyſe latam, ſeparatos fuiſſe filios Iſraël à coniugibus infidelibus, quas duxerant. Sed illud præceptum, quatenus irritans Matrimonium, iudiciale fuit, non naturale; & ideò ceſſauit cum cæteris, neque ad Chriſtianos pertinet. Fuiſſe autem iudiciale, ex eo colligitur, quòd ſolum prohibuerit coniugia Iudæorum cum infidelibus habitantibus in terra Chanaam, quos Deus omnino interfici, & deleri volebat: non autem cum infidelibus cæteris. Vnde Eſther legittimè nupſit Aſſuero Gentili, & Salomon accepit in vxorem filiam Pharaonis. *1. Eſd. 9. & 10.*

Iam vero, quod non ſit cultus diſparitas impedimentum dirimens ob certam aliquam legem Eccleſiæ, prob. quia nulla extat talis lex. *Prob quod non iure Eccleſ.*

Nam Concilia non probant Matrimonium eſſe irritum, ſi fiat inter fidelem, & infidelem, ſed tantum non eſſe faciendum.

Concilium enim Chalcedonenſe, & Agathenſe inter infideles nominatim ponunt etiam hæreticos, & tamen communi conſenſu Catholicorum Matrimonium cum hæretico non eſt irritum.

Concilium autem Toletanum IV. iubet quidem ſeparari coniuges, ſed non loquitur, niſi de Iudæis, & in Hiſpania: neque enim Concilium illud vniuerſale, ſed nationale fuit; quare legem toti Eccleſiæ dare non potuit.

Propoſitio tertia: *Matrimonium inter fidelem, & infidelem non baptizatum, irritum eſt ex more populi Chriſtiani vim legis obtinente.* *Propoſ. 3.*

Prob. nam ab annis vt minimum CD. ſine vlla controuerſia creditum eſt in Eccleſia Chriſtiana iſta Matrimonia eſſe nulla. Nam Magiſter Sententiarum & Gratianus, & deinceps omnes Theologi, & Canoniſtæ tanquam rem exploratam, & à maioribus acceptam hoc tradiderunt. Cùm igitur tota Eccleſia à multis iam ſæculis id crediderit, & ſeruauerit, & tamen certa aliqua lex non inueniatur, neceſſe eſt, vt id paulatim ſit introductum, & conſuetudo vim legis obtinuerit. Non poſſe autem hunc morem, ſiue hanc legem improbari, prob. dupliciter. *Prob.*

Primò exemplo legis veteris.

Si enim in lege veteri Cultus diſparitas erat impedimentum dirimens saltem intra certas nationes, certè maiori ratióne potuit fieri cultus diſparitas impedimentum dirimens apud Chriſtianos: nam lex Chriſtiana perfectior eſt.

NNNn 2 Præte-

Prætereà; Maior eſt cultus diſparitas inter Chriſtianos, & infideles, quàm inter Iudæos, & infideles. Nam Chriſtiana lex omnibus eſt ad ſalutem neceſſaria; & qui Chriſtiani non ſunt, alieni ſunt à Deo, & ab Eccleſia, ac religione diuina. At lex Hebræorum non erat omnibus neceſſaria, multique inter Gentes ſaluari poterant, dum lex vigeret: quare non erant Gentiles extra Eccleſiam Dei, niſi per hoc ſolum, quod ad populum Iſraël non pertinebant.

Secundò; Matrimonium apud Chriſtianos Sacramentum eſt; ergò non debet à Chriſtianis illis perſonis tribui, qui Sacramenta ſuſcipere nequeunt. Ergò maxima fuit cauſſa irritandi Matrimonia fidelium cum infidelibus: non enim infidelis non baptizatus vllius Sacramenti eſt capax. Et hæc etiam ratio eſt, cur Matrimonia cum hæreticis irritata non ſint, quia videlicet Sacramenta eſſe poſſunt ratione præcedentis Baptiſmi in vtroque coniuge.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Poteſt ſummus Pontifex, ſi cauſſa iuſta id poſtulet, cum fide i diſpenſare, vt cum infideli Matrimonium contrahat.*

Prob. Hæc propoſitio ex ſuperioribus ſequitur. Si enim agatur de præcepto irritante eiuſmodi Matrimonia, dubium non eſt, quin in eo ſummus Pontifex diſpenſare poſsit, cùm id præceptum non ſit naturale, nec diuinum poſitiuū, ſed planè Eccleſiaſticum. Si verò agatur de præcepto ſimpliciter prohibente, de quo in prima propoſitione diximus, id præceptum vel eſt poſitiuum, vel naturale. Si eſt naturale, non obligat, niſi quatenus recta ratio dictat id non eſſe faciendum, vel ob periculum ſubuerſionis, vel ob alias cauſſas. Quare ceſſantibus illis cauſsis non eſt contra ius naturæ eiuſmodi coniugium præſertim accedente declaratione ſummi Paſtoris: vnde etiam Eſther, Ioſeph, Iacob, Moyſes, & alij viri ſancti cum infidelibus Matrimonio iuncti ſunt, quia ceſſabat ratio periculi, &c. Si verò eſt præceptum poſitiuum humanum, vt Apoſtoli Pauli, & Conciliorum, ac Pontificum, poteſt ſine dubio, Apoſtolorum, & Pontificum illorum ſucceſſor in eo diſpenſare ceſſante periculo, & iuſta cauſſa id poſtulante. Præceptum autem poſitiuum diuinum nullum eſt.

Deut. 7. Illud enim Deut. quatenus poſitiuum, iam eſt abrogatum: quatenus autem aliquo modo naturale erat, non obligat, vt diximus, niſi quando ratio recta iudicat ineſſe periculum illud, ob quod præceptum datum eſt.

Quæſt. 5. Quinta quæſtio eſt de *impedimento Cognationis*. Vt autem ſciamus, quid ſit Cognatio, qui, & quot eius gradus, notandum, quòd Iureconſulti diſtinguūt inter Cognationem, & Agnationem.

Differentia inter Cognationem, & Agnationem. Cognatos enim vocant, qui ex eodem ſanguine per matrem deſcendunt; Agnatos, qui per patrem; tametſi cognatos etiam omnes conſanguineos appellent. Itaque Cognatio aliquando eſt nomen generis, aliquando ſpeciei. Agnatio autem ſemper eſt nomen ſpeciei: qui enim agnati ſunt, cognati etiam dici poſſunt, non contra. In iure Canonico tum Cognatio, tum Agnatio ſimpliciter dicitur conſanguinitas, quæ in hoc differt ab affinitate, quòd conſanguinitas eſt vinculum eorum, qui ab vno aliquo per ſanguinis propagationē deſcendunt; ita vt omnes eundem ſanguinem participent, & ad vnum ſtipitem reducantur: affinitas autem inter eos eſt, qui non per propagationem, ſed

per

per vnionem duorum in carnem vnam coniunguntur. Quia enim per carnalem copulam vir, & mulier fiunt vna caro, inde eſt, quòd conſanguinei vnius ex illis efficiuntur proximi, & affines alterius. Itaque parentes, & fratres, & cæteri conſanguinei vxoris efficiuntur affines mariti, & contra, parentes, & fratres, & cæteri conſanguinei mariti eodem modo efficiuntur affines vxoris: non tamen conſanguinei vnius coniugis ſunt affines conſanguineis alterius coniugis, ſed ſolùm ipſi coniugi. Et quidem in eo gradu fiunt affines alteri cõiugum, in quo ſunt conſanguinei alteri: pater enim ſponſæ efficitur quodammodo pater ſponſi, & frater ſponſæ efficitur frater ſponſi, &c. Quare, ſi quis nouerit gradus conſanguinitatis, facile colliget gradus affinitatis.

Quantùm igitur ad gradus, ſciendum eſt aliter numerari in Iure Ciuile, aliter in Canonico. In Ciuili duplex ordo conſtituitur. Vnus rectus, vt patris, filij, nepotis, &c. vel ſurſum verſus, aui, abaui, &c. Alter tranſuerſus, fratrum, conſobrinorum. Et quidem in ordine recto tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ omiſſo ſtipite; verbi gratia, filius eſt in primo gradu, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto, &c. neque in hac re diſcrepat ius canonicum. *Gradus cognationis iure Ciuili.*

In ordine autem tranſuerſo Ius Ciuile nullum ponit primum gradum, ſed incipit à ſecundo, qui eſt fratrum inter ſe. Et ratio eſt: quia in tranſuerſo ordine etiam tot ponit Ius Ciuile gradus, quot ſunt perſonæ dempto ſtipite; fratres autem, vt minimum duo eſſe debent. Si enim vnus tantùm ſit alicuius patris filius, is non dicitur frater, ſed filius tantùm: proinde non facit ordinem tranſuerſum, ſed tantùm propagat ordinem rectum. Fratres igitur, qui duo ſunt vt minimum, ſecundum efficiunt gradum: tertium autem efficiunt patruus, vel auunculus cum filijs fratrum, vel ſororum: nam tunc tres perſonæ inueniuntur dempto ſtipite. Sint, exempli gratia, duo fratres: ſi alteri eorum filius naſcatur, iam erunt tres, & incipiet dici alter fratrum patruus reſpectu filij fratris ſui; atque ita in tertio gradu ſunt patruus, & filius fratris. Et eadem de auunculo, amita, matertera ratio eſt. Quartum faciunt filij fratrum, qui inter ſe patrueles dicuntur, vel conſobrini, ſi filij ſororum ſint. Neque enim poſſunt eſſe patrueles, ſiue conſobrini, niſi quatuor perſonæ dempto ſtipite numerentur, duo ſcilicet fratres, & duo ipſorum filij. Quintus gradus erit inter patruelem vnius, & filium alterius. Sextus gradus inter duos filios patruelium: & ſic deinceps. Vbi notandum ſecundùm gradum eſſe æqualiter diſtantium à ſtipite, tertium autem inæqualiter diſtantium, ad eundem modum quartum, ſextum, octauum, &c. eſſe æqualiter diſtantium: quintum, ſeptimum, nonum, &c. eſſe inæqualiter diſtantium.

Secundum autem Ius Canonicum, in ordine recto primus gradus eſt filiorum, qui proximè à ſtipite deriuantur, ſecundus nepotum, tertius pronepotũ, &c. In ordine tranſuerſo primus gradus eſt fratrum germanorum, ſecundus patruelium, ſeu conſobrinorum, & ſimul patrui, & filij fratris; tertius filiorũ duorum fratrum patruelium, & ſimul patruelis, & filij alterius patruelis, & ſic deinceps. Ex quo deducit Alexander Papa II. ex duobus gradibus ſecundũ Ius Ciuile vnum conſtitui ſecundũ Ius Canonicum, & proinde eum qui eſt ſecundus Iure Ciuili, eſſe primũ Iure Canonico: & qui eſt tertius & quartus *Gradus cognationis iure Canonico.* *can. Ad ſedem, 35. q. 5.*

Iure Ciuili, eſſe ſecundum Iure Canonico, & qui eſt quintus & ſextus Iure Ciuili, eſſe tertium Iure Canonico: & qui & ſeptimus & octauus Iure Ciuili, eſſe quartum Iure Canonico.

Ratio ſupputationis canonicæ. Ratio autem Canonicæ ſupputationis redditur optima à Theologis, & Canoniſtis: quia nimirum, cùm perſonæ in ordine tranſuerſo non coniunguntur, niſi ratione ſtipitis, à quo procedunt, non poſſunt inter ſe magis, aut minus diſtare, quàm à ſtipite diſtent: neceſſario igitur efficitur, vt eo gradu inter ſe coniungantur, vel diſtent, quo ſtipiti coniunguntur, vel ab eo diſtant.

Quare duo fratres in primo gradu erunt, quia vterque in primo gradu eſt cum ſtipite: conſobrini in ſecundo erunt, quia vterque in ſecundo gradu eſt cum ſtipite. Quòd ſi inæqualiter à ſtipite diſtent, vt patruus, & filius fratris, tunc eo gradu inter ſe diſtabunt, quo diſtat à ſtipite ille, qui eſt remotior. Cùm enim per ſtipitem coniungantur, fieri non poteſt, vt vllus propinquior ſit conſanguineo ſuo, quàm ſtipiti: non igitur filius fratris minus diſtare poteſt à patruo, quàm ab auo. Licet igitur patruus vno tantum gradu diſtet à ſtipite, tamen quia filius fratris duobus gradibus diſtat ab eodem ſtipite, ideò patruus, & filius fratris in ſecundo gradu ſunt, non minus, quàm duo filij fratrum.

Et hoc eſt, quod Alexander Papa ſignificauit, cum ait ex duobus gradibus ciuilibus fieri vnum Canonicum. Siquidem Iure Ciuili patruus, & filius fratris faciunt vnum gradum; duo filij fratrum faciunt alterum, quia vna perſona additur ad numerum, & Ius Ciuile numerum perſonarum reſpicit: at Iure Canonico idem eſt gradus patrui, & filij fratris, qui duorum patruelium; quia Ius Canonicum non numerat perſonas, ſed diſtantiam à ſtipite conſiderat.

Nota. Eſt autem obſeruandum graduum ſupputationem non extendi in infinitum. Nam virtus paterna in filium traducta, per quam eſt filius patri ſimilis, non ſolum in ſpecie; ſed etiam in indiuiduo, vt complexione, moribus, colore, lineamentis, ob quam exiſtit peculiaris affectio inter conſanguineos, paulatim minuitur, ita vt maior ſit in filio, quàm in nepote; maior in nepote, quàm in pronepote, &c. & tandem poſt aliquot generationes penitùs euaneſcit.

Alioqui, ſi ſemper duraret, id ſequeretur, vt omnes homines, qui ab vno Adamo primo ſtipite generis humani deſcendunt, conſanguinei eſſent; cùm tamen è contrario experiamur non modò non omnes homines, ſed neque ciues vnius oppidi eum affectum retinere, quem natura conſanguineis inſeuit.

Quia tamen non facilè ſciri poteſt, quouſque illa virtus eiuſdem ſanguinis perſeueret, & probabile eſt non æqualiter ſemper, ſed nunc in pluribus, nunc in paucioribus generationibus conſeruari, prout in vno potentior eſt virtus, quàm in alio; ideò, vt certi aliquid haberemus, Legiſlatores certum numerũ graduum præfixerunt.

Gradus prohibiti à Moyſe. Leuit. 18. Et quidem Moyſes præfixit duos gradus tantùm, primum videlicet, & ſecundum. Prohibuit enim in recta linea coniugium patris cum filia, & cum nepte;

nepte; & ſimiliter matris cum filio, & cum nepote: in tranſuerſa prohibuit coniugium fratris cum ſorore, ſiue ex vno, ſiue ex vtroque parente, & nepotis cum amita, & matertera, non tamen prohibuit coniugium è contrario patrui, vel auunculi cũ filia fratris, vel ſororis. Et hæc quoad conſanguinitatẽ, vbi ſunt duo gradus ſecundum Canones, & tres ſecundum leges. Quoad affinitatem, prohibuit coniugium filij cum nouerca, & patris cum nuru, & rurſus patris cum priuigna, vel eius filia Et hæc in ordine recto. In tranſuerſo autem prohibuit coniugium cum vxore fratris, & cum ſorore vxoris vxore viuente; & cum vxore patrui. Vbi etiam duo gradus ſecundum Canones ſunt, primus & ſecundus, & tres ſecundum leges: nam filia priuignæ eſt in ſecundo gradu cum patre, & vxor patrui eſt in ſecundo gradu cum eius nepote.

Sed quamuis lex diuina his paucis gradibus contenta fuerit, tamen lex ciuilis prohibuit etiam coniugia conſobrinorum, qui ſunt in quarto gradu ſecundum leges. *Prohibiti gradus L. ciuili.*

Lex autem Eccleſiaſtica longius progreſſa eſt. Eccleſia enim olim ſeptimum gradum definierat, vltra quem non eſſet vlla conſanguinitas: ſed poſtea in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. eſt reſtricta tum conſanguinitas, tum affinitas ad quartum gradum. *Item lege Eccleſ.* *c. Non debet, de conſanguinitate, & affin.*

Ex quo intelligimus id, quod communiter dici ſolet, in linea recta in infinitum prohiberi connubia. Quanquam non eſt, cur de hac re valdè ſolliciti ſimus, cum vix contingere poſsit, vt cupiant aliqui matrimonium inire in gradu quinto, aut vlteriore in linea recta. Aut enim non inueniuntur homines viui, aut ſunt ita inæquales quoad ætatem, vt abſurdiſsimum ſit eos inter ſe velle Matrimonium contrahere. Nam, vt demus in aliqua linea ſingulos gignere, cùm primùm per ætatem licet, id eſt, cùm ad annum decimumquintum peruenerint, quod tamen rarò, aut nunquam accidit; ſi deberent in quinto gradu coniungi, haberet vnus annos 90. alter 15. & ſi in octauo gradu, haberet vnus annos 135. alter 15.

Immò ipſe Adam, qui vixit 930. annos, non ſuperuixit tamen, niſi vſque ad octauam generationem: quo tempore ſi extra conſanguinitatem ſuam vxorem ducere voluiſſet, debuiſſet vir decrepitus annorum ferè 900. puellam annorum 15. vxorem accipere.

Addidit præterea Eccleſia duas alias ſpecies cognationis, quæ in Leuitico non habentur; nimirum cognationem ſpiritualem, quæ oritur ex Baptiſmo, & Confirmatione; & cognationem legalem, quæ oritur ex adoptione. Item, addidit duas alias quaſi ſpecies affinitatis, vnam, quæ oritur ex ſponſalibus, quæ publicæ honeſtatis iuſtitia appellatur, & alteram, quæ oritur ex copula carnali fornicaria, quamuis hæc vltima ex Leuitico iuxta quoſdam non difficulter eruatur.

Porrò iuxta Concilij Tridentini decreta cognatio ſpiritualis, & Publica etiam honeſtas intra primum annum tantum Matrimonia dirimunt: affinitas autem ex copula fornicaria intra primum, & ſecundum. Eſt & alia affinitas, quæ oritur ex Matrimonio rato, ſed nondum conſummato, quæ quamuis Publica iuſtitia dici ſoleat, tamen haud dubiè eſt quid perfectius: & ideò *Seſ. 24.*

Pius-

Pius V. Papa declarauit reſtrictionem Concilij Publicæ iuſtitiæ ad primum gradum non habere locum, niſi in ſponſalibus de futuro.

Propoſ. 1. His præmiſsis ſit prima propoſitio: *Ratio ſupputandi gradus cognationis, qua vtuntur ſacri Canones, optima eſt.*

Prob. Nam, cùm cognatio ſit vinculum eorum, qui propagantur ab vno, non poteſt fingi melior ratio ſupputandi gradus, quàm penes diſtantiam ab illo vno. Et confirmatur: quia licet ratio ciuilis ſupputandi gradus ſit etiam bona, tamen non poteſt negari, quin Canonica ſit melior, cùm in linea tranſuerſa primum gradum ponat: videtur enim neſcio quid abſurdi præ ſe ferre, quòd detur ſecundus gradus ſine primo; & reuera datur in ratione ſupputandi ciuili. Et quamuis ipſi etiam reſpondere poſsint non dari primum in illa ratione ſupputandi; tamen quis negabit rectè feciſſe Canoniſtas, qui aliam rationem excogitarunt, qua illi etiam incommodo mederentur?

Propoſ 2. Propoſitio ſecunda: *Non obligant iure diuino Chriſtianos præcepta omnia, quæ de gradibus habentur in Leuitico.*

Nota 1. Obſeruandum inprimis, inter nos, & aduerſarios conuenire, præcepta Leuitici non obligare Chriſtianos, quatenus propriè Leuitica, id eſt, politica, & iudicialia ſunt: ſed tantum quatenus naturalia. Sed tota controuerſia eſt; an omnia illa præcepta, quæ habentur in Leuitico de gradibus cognationis, ſint naturalia; an aliqua, vel omnia ſint iudicialia? Nos autem docemus non eſſe omnia naturalia, & ideò in quibuſdam poſſe per Eccleſiam diſpenſari, vt

Seſſ. 24. can. 3. Concilium Trident. affirmat.

Nota 2. Obſeruandum ſecundò naturalia præcepta illa eſſe, quæ ſolo lumine naturæ ſine aliquo diſcurſu, aut certè per diſcurſum rationis facillimum cognoſcuntur, & apud omnes ſunt eadem, tum quoad notitiam, tum quoad rectitudinem.

Nam quæ indigent lumine ſupernaturali, dicuntur diuina poſitiua: quę per diſcurſum humanum à Principe conſtituuntur, dicuntur humana; & talia non ſunt eadem apud omnes.

Poteſt autem tribus modis aliquod præceptum prohibens dici naturale.

Primò, quia ſit de re intrinſecè mala, ita vt ſemper, & apud omnes ſit mala, nec poſsit per mutationem circumſtantiarum fieri bona; qualia ſunt, mentiri, mœchari, odiſſe Deum, &c. & hæc propriè vim legis habent, & ſunt omninò indiſpenſabilia.

Secundò, quia ſit de re mala ſemper, & apud omnes, excepta extrema neceſsitate: quale eſt tollere alienum inuito Domino. Id enim apud omnes, & ſemper eſt malum, excepta vltima neceſsitate: tunc enim, quod erat alienum, deſinit eſſe alienum, & ſit commune. Et tale etiam videtur eſſe Matrimonium cum propria ſorore: nam vbique apud homines, qui rectà ratione vtuntur, id iudicatur malum, niſi extrema omnino cogente neceſſitate, qualis fuit initio mundi. Et hæc etiam præcepta vim habent legis naturalis, & ſunt indiſpenſabilia, niſi ceſſet obligatio, extrema neceſsitate adueniente.

Tertio modo, quia ſit de re mala, ſi res illa nude, & abſolutè ſumatur, quę tamen

tamen poſsit mutatis circumſtantijs varijs modis honeſtari, & fieri bona: quale eſt occidere hominem. Nam homicidium abſolutè, & nudè ſumptum quid malum ſonat apud omnes,& hoc modo habetur in Decalogo: *Non occides*;tamen,ſi addantur variæ circumſtantiæ, vt, quòd fiat publica auctoritate,ob bonum commune;in eum, qui perniciosus eſt Reip.iam non ſonat malum: & ideò in eadem lege Moyſis ſæpe iubentur occidi homines; vt malefici, adulteri,homicidæ.

Et tale etiam eſt iuramentum : ſiquidem nudè ſumptum quid malum ſonat,cùm ſit quoddam ſignum incredulitatis, & fraudum humanarum. Si enim inter homines fides vigeret,& ſuſpicio fraudum ceſſaret, nemo expeteret iuramentum . Et ideò Dominus prohibet iuramentum, nimirum nudè ſumptum: & tamen dubium eſſe non poteſt, quin iuramentum ſuis circumſtantijs,ſeu comitibus,vt vocant, ornatum, ſit bonum, & licitum. Hoc igitur tertio modo præcepta naturalia vim habent legis, ſi agatur de re nudè ſumpta.

Si autem agatur de re adhibitis varijs circumſtantijs, non habent vim legis,quia tunc res illæ mutabiles ſunt,neque ſunt apud omnes eædem; & ideò neceſſe eſt,vt ſanciantur ſpeciali lege poſitiua, ſi omninò prohibendæ ſint: ac præſertim ſi non ſolùm Matrimonium impedire, ſed etiam dirimere debeant. Nam multa ſunt, quæ, ſi fiant contra rectam rationem, mala ſunt, & tamen facta tenent,niſi ſpeciali lege irritentur;vt diximus de coniugio filiorum inuitis parentibus.

Iam igitur cùm in concluſione negamus omnia præcepta Leuitici de gradibus cognationis eſſe naturalia,intelligimus primo, & ſecundo modo: nam tertio modo poſſet concedi omnia eſſe naturalia;vt concedunt pleriq; Theologorum veterum. Sed non inde ſequitur omnia illa præcepta vim legis habere,niſi agatur de gradibus nudè ſumptis. Proinde multi ex illis gradibus,ſi conſiderentur,vt varijs circumſtantijs mutari poſſunt, non erunt iure naturali prohibiti.

Obſeruandum tertio, nos in concluſione non dicere, nulla præcepta Leuitici eſſe naturalia;ſed non omnia eſſe naturalia;quia de aliquibus id libenter fatemur, vt de primo gradu conſanguinitatis; ſed de omnibus id non concedimus. Vnde etiam Concilium Tridentinum non dixit Eccleſiam poſſe diſpẽſare in omnibus,ſed tantum in aliquibus. *Nota 3.*

Prob. nunc propoſitio primò ex Leuitico: nam ibi feruntur leges de gradibus, in quibus Matrimonium prohibetur: & alibi adduntur pœnæ ijs,qui intra eos gradus coniugium fortè contraxerint. Colligimus autem ex pœnis illis maximam diuerſitatem inter illos gradus. Nam coniugium in primo gradu affinitatis in recta linea Deus punit morte, & coniungit hoc peccatum cum adulterio, & cum Sodomia, quæ ſunt manifeſtè contra Ius naturæ; & eadem eſt ratio,vel potiùs maior de conſanguinitate in primo gradu in linea recta. Neque enim dubitari poteſt, quin ſit dignus morte, qui duxerit matrẽ ſuam,ſi eſt dignus morte,qui duxerit nouercam. *Prob. 1. propoſ. Leuit. 18. Leuit. 20.*

Deinde, eandem pœnam mortis lex ſtatuit in eos,qui iunguntur in primo gradu conſanguinitatis in linea tranſuerſa, vt cùm frater accipit ſororem.

At coniugium in ſecundo gradu conſanguinitatis in linea tranſuerſa, vt nepotis cum amita, vel matertera, non punitur morte, ſed pœna leuiori. Et ſimiliter coniugium in primo gradu affinitatis, vt, qui cum vxore fratris defuncti; & in ſecundo gradu, vt nepotis cum vxore patrui, non puniuntur morte, ſed tantùm priuatione filiorum: id eſt, vt filij non adſcribantur ipſis. Quæ pœna ſatis apertè indicat coniugia iſta non prohiberi iure naturæ, ſed iure poſitiuo proprio Iudæorum. Non enim ratio communis dictat apud omnes homines iſtam eſſe iuſtam pœnam huius criminis.

Prob. 2. Secundò prob. Nam, ſi omnia illa præcepta eſſent naturalia, ſemper obligaſſent, etiam ante legem datam; quemadmodum obligat lex de non occidendo, non mœchando, non furando, non mentiendo, antequam lex à Deo per Moyſen populo ſuo daretur: ſi autem leges illæ ſemper obligaſſent, nunquam ſancti viri, & amici Dei contra eas leges Matrimonia contraxiſſent.

Habemus autem exempla non pauca Sanctorum, qui in lege naturæ in gradibus in Leuitico prohibitis connubia contraxerunt.

Gen. 29. Leuit. 18. Primum exemplum, ſit Patriarchæ Iacob, qui duas ſorores viuentes ſimul accepit vxores, Liam, & Rachelem: id autem expreſsè prohibetur in Leuitico, & eſt primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa: immò duplex erat in eo coniugio affinitas, nam vtrique ſorori erat affinis ratione alterius.

Gen. 38. Leuit. 18. Secundum exemplum eſt Iudæ Patriarchæ, qui dedit filio ſuo ſecundò genito vxorem primogeniti defuncti, & illo etiam defuncto eandem promiſit tertio filio, qui tamen gradus in Leuitico prohibetur; & eſt etiá primus gradus affinitatis in linea tranſuerſa.

Exod. 6. Tertium exemplum eſt Moyſis, qui natus eſt ex coniugio nepotis cum amita. Sic enim legimus: *Accepit Amram vxorem Iochabed patruelem ſuam, quæ peperit ei Aaron, & Moyſen.* Eo autem loco nomen patruelis accipitur pro patrua, non pro ſorore patruele. Nam vox Hebræa ſignificat patruam: non enim habent Hebræi diſtinctum nomen pro ſorore patris, vt nos Latini nomen Amitæ.

Num. 26. Hieronymus autem, ne diceret patruam, quod Latinè eſt inuſitatum, maluit dicere patruelem. Sed præter vocem Hebræam eſt locus manifeſtus in Numeris. Propriè enim Iochabed erat amita ipſius Amram: nam Amram fuit filius Caat filij Leui, & accepit vxorem Iochabed filiam Leui, quæ nata eſt ei in Ægypto.

Prob. 3. Tertiò prob. Nam, ſi omnia illa præcepta Leuitici de gradibus Iure naturæ conſtituta eſſent, ſine dubio vniuerſalia eſſent, ita vt intra eundem gradum omnia Matrimonia eſſent illicita. At Moyſes in Leuitico quædam coniugia prohibuit, & quædam permiſit in eodem gradu: ergò non eſt illa prohibitio iuris naturæ, ſed iudicialis, & poſitiua.

Propoſitio certiſsima eſt: quod enim iure naturæ prohibetur, ſemper, & vbique prohibetur. Aſſumptio prob. Nam lex illa Leuitici prohibet coniugium nepotis cum amita, & matertera, & non prohibet coniugium patrui, vel auunculi cum nepte ex fratre, vel ſorore; cùm tamen ſint in eodem gradu nepos, & amita; patruus, & neptis.

Præte-

Præterea; Lex prohibet coniugium cum vxore fratris etiam defuncti, & non prohibet coniugium cum ſorore vxoris, niſi ea viuente; ac proinde non prohibet cum ſorore vxoris iam defunctæ: & tamen eſt idem prorſus gradus affinitatis, cum ſorore vxoris, & cum vxore fratris.

Denique; Matrimonium iure naturæ non eſt prohibitum inter patrueles; & tamen in eo gradu ſunt patrueles, in quo eſt amita cum ſuo nepote: omnes enim ſunt in ſecundo gradu. Non igitur ſecundus ille gradus iure naturæ prohibitus eſt. Confirmatur hæc ratio exemplo Abrahæ, & fratris eius Nachor, qui duxerunt vxores duas filiás fratris ſui Aran. Ex quo ſequitur non eſſe contra ius naturæ, vt patruus neptem ducat, & conſequenter, vt nepos ducat amitam, cùm ſint in eodem gradu. *Gen. 11.*

Prob. vltimò propoſitio ex Deuter. vbi præcipitur, vt, ſi quis abſque liberis moriatur, ducat frater eius vxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Lex iſta nihil iubet contra ius naturæ: quid enim abſurdius, quàm vt naturæ auctor contra naturam pugnet? Non igitur eſt contra ius naturæ, vt ob iuſtum aliquem finem quis ducat vxorem fratris ſui: ergò, quod in Leuitico legimus, ne quis ducat vxorem fratris ſui, non eſt naturale præceptum, ſi intelligatur ſimpliciter. *Prob. 4. Deut. 25. Leuit. 18.*

Eſt autem obſeruandum multos conatos eſſe hæc duo loca conciliare: ſed probabiliſsima eſt Caietani expoſitio, & aliorum, qui volunt non prohiberi in Leuitico Matrimonium cum vxore fratris defuncti; niſi accipiendo tale coniugium nudè, & ſolitariè, ſicut accipitur homicidium in Decalogo, cùm dicitur: *Non occides.* Quæ lex non impedit, quo minus poſtea fiant leges poſitiuæ particulares, quæ coniugium cum vxore fratris cum aliqua circumſtantia prohibeant, cùm alia iubeant: ad quem modum non impedit lex Decalogi, *Non occides*, quò minùs fiant leges particulares, quæ iubeant occidi latronem, & maleficum; & contra iubeant non occidi eum, qui caſu, vel ſeipſe defendendo alium occiderit, &c. *Nota. In comment. Leuit.*

Propoſitio tertia: *Iure naturæ interdicta ſunt coniugia in primo gradu conſanguinitatis, tam in recta linea, quàm in tranſuerſa; & in primo gradu affinitatis in recta linea tantum.* *Propoſ. 3.*

Nota primò, nos nihil dixiſſe de ſecundo, & tertio, & ſequentibus gradibus in recta linea, non quod eos non putamus iure naturæ prohibitos, ſed quia eadem ratio eſſe videtur de primo, & de cæteris: eſt enim communis ſententia inter aſcendentes, & deſcendentes omnia coniugia eſſe prohibita. Nam etiamſi in gradibus remotioribus minor ſit propinquitas ſanguinis, tamen maior eſt inæqualitas ætatis, quæ defectum illum propinquitatis compenſat; vt, exempli gratia, inter nepotem, & auiam minor eſt propinquitas ſanguinis, & proinde minor indecentia coniugij, quàm inter filium, & matrem; tamen maior eſt inæqualitas ætatis, & conſequenter maior indecentia ratione ætatis: nepos enim vix eſt adoleſcens, cùm auia iam eſt anus. Pari ratione inter pronepotem, & proauiam minor eſt propinquitas ſanguinis, tamen maior inæqualitas ætatis, quàm inter nepotem, & auiam. Et quando tam procul proceditur in gradibus, vt iam nulla ſit communicatio ſanguinis, vt in quinto gradu, & ſequentibus; tunc aut mortui ſunt aſcendentes, aut *Nota 1.*

omninò confecti, & decrepiti; & contra deſcendentes, aut infantuli, aut tam teneræ ætatis ſunt, vt nulla ratio ferat inter eos coniugia copulari.

Nota 2. Notandum ſecundò, nos in concluſione poſuiſſe primum gradum, ſed non omnino vniuerſaliter: nam primum gradum affinitatis in linea tranſuerſa non putamus prohibitum eſſe iure naturæ. Neque id mirum videri debet: nam magna differentia eſt inter primum gradum in linea recta, & primum in tranſuerſa; & rurſum diſcrimen eſt non contemnendum inter conſanguinitatem, & affinitatem: immò in eodem primo gradu in linea recta inuenitur latitudo quædam, & proinde diuerſitas.

Poſſumus autem doctrinæ cauſſa ita diſponere ordinem coniugiorum iure naturæ prohibitorum.

Primum, idque omnium turpiſsimum eſt, filij cum matre. Nam & ſumma coniunctio eſt inter matrem, & filium; & præterea deberet mater, quæ naturę ordine filio præeſt, eidem coniugij ratione ſubeſſe.

Secundum eſt patris cum filia. Id enim par eſt primo, quod attinet ad coniunctionem; ſed minus turpe eſt, quia non inuertitur ordo regiminis, cum & filię, & vxoris ſit ſubiici, non præeſſe. Ac de his duobus omnes conueniũt iure naturæ eſſe prohibita.

Tertium eſt fratris cum ſorore germana ex vtroque parente: nam & hic ſumma coniunctio eſt, ſed lateralis, & ideò minor, quàm ſit ea, quæ patri cum filia intercedit.

Quartum eſt fratris cum ſorore ex altero tantum parente: neque enim dubium eſſe poteſt, quin ſit minùs turpe coniugium cum ſorore ex altero parente, quàm ex vtroque.

Quintum eſt priuigni cum nouerca: id enim parum omninò abeſt à tertio, & fortè nihil. Nam etiamſi ex vna parte minus turpitudinis habeat, quia eſt affinitas, non conſanguinitas; tamen ex altera parte plus indecentiæ præ ſe fert, cùm ſit in recta linea, & inuertitur ordo regiminis; nouerca enim eſt loco matris, & ordinariè ſenior eſſe ſolet, & in priuignum ordine naturæ poteſtatem habet.

Sextum eſt vitrici cum priuigna: hoc enim eſt in eodem gradu cum ſuperiori, ſed deeſt indecentia ex inuerſione regiminis. Priuignæ enim ſubeſſe conuenit vitrico, ſiue ſit loco tantum patris, ſiue fiat etiam maritus. Et quod dictum eſt de priuigno, & nouerca, intelligendum eſt etiam de genero, & ſocru; & quod dictum eſt de vitrico, & priuigna, intelligendum eſt de ſocru, & nuru. De his quatuor gradibus non deſunt, qui negent eos iure naturæ prohibitos; tamen ſententia communior, & verior contrarium habet.

Nota 3. Notandum tertiò, nos in concluſione dixiſſe coniugia in his gradibus indiſpenſabilia eſſe ab homine, quia putamus à Deo diſpenſabilia eſſe coniugia omnia in quouis gradu: nullus enim eſt gradus, in quo coniugium ita ſit intrinſecè malum, vt repugnet illud fieri bene. Quòd ex illo patet, quia nullus gradus tollit finem Matrimonij primarium, vel ſecundarium, licet aliquo modo impediat: nam ex coniugio etiam filij cum matre naſci poſſunt liberi, & educari, &c. neque legi vllum, qui expreſsè hoc negauerit. Et aliquod argumentum ad hoc probandum adferri poſſet ex facto filiorum

Loth,

Loth, quæ, cùm exiſtimarent nullum omninò virum in mundo ſupereſſe, *Gen 19.* crediderunt ſibi licitum eſſe ex proprio patre liberos quærere. Et quanquam à peccato non excuſentur, quia debuiſſent curam iſtam generis propagandi patri relinquere, aut certè cum eo communicare conſilium, & ipſius expectare iudicium, & non præuenire, ac patrem decipere: tamen factum ipſum indicat in tam extremo caſu non eſſe omninò contra humanam rationem huiuſmodi coniugium, præſertim ſi accederet auctoritas diſpenſantis Dei. Immò Chryſtomus, & Ambroſius eas omni crimine liberant: Auguſtinus peccaſſe dicit, non tam ardore libidinis, quàm nimio amore poſteritatis.

His notatis prob. concluſio primò, quia omnia, & ſola coniugia prædicta *Prob. 1. propoſ.* puniuntur vltimo ſupplicio; cùm cætera puniantur leuioribus pœnis. *Leuit. 20.*

Secundò, quia nulla extant exempla Sanctorum, qui vllo vnquam tem- *2.* pore in his gradibus contraxerint Matrimonium, cùm tamen extent de alijs.

Tertiò, quia nulla vnquam facta eſt diſpenſatio ab Eccleſia in his gradibus: *3.* quamuis non defuerint, qui eam aliquando quærerent. Nam de Comite Armeniaco refert Paulus Æmilius, eum falſo Pontificis diplomate ſororem *In Ludouico XI.* germanam ſibi Matrimonio iunxiſſe: quia nimirum verum diploma nunquá extorquere potuit à Pontifice, falſum à corrupto quodam miniſtro procurauit. In gradibus autem, quos diximus iure naturæ non prohiberi, non ſemel factæ leguntur diſpenſationes.

Quartò, quia omnes Gentes aut à coniugijs prædictis naturaliter abhor- *4.* rent; aut, ſi quæ Gentes ijs indulgent, ab alijs feræ, & barbaræ iudicantur. Ariſtoteles quoque inde reprehendit communionem vxorum, quia ſequere- *Polit. 2.* tur, quod filij parentibus, & fratres ſororibus iungerentur. Et alibi ſcribit *L. 9. de hiſt. animal. 47.* camelos, & equos non poſſe adigi, vt cum matribus miſceantur, & exempla duo planè admirabilia refert. Suetonius inter flagitia Caij Imp. refert, quòd *In Caio.* ſororem Druſillam vxoris loco habere voluerit. Eutropius, & alij Scriptores in Antonini Caracallæ vita notant eundem, quòd ob nimiam impudicitiam à nouerca Iulia non abſtinuerit.

Propoſitio quarta: *Rectè Catholica Eccleſia coniugia prohibuit olim vſque ad ſep-* *Propoſ. 4.* *timum; poſtea verò vſque ad quartum gradum conſanguinitatis, & affinitatis.*

Cauſſam habuiſſe Eccleſiam, cur eiuſmodi leges tulerit, prob. quatuor ra- *Prob. 1.* tionibus.

Prima ducitur ab honore debito conſanguineis, & affinibus: docet enim natura parentibus, & conſequenter alijs conſanguineis, & affinibus deberi peculiarem verecundiam, reuerentiam, ſeu cultum, & obſeruantiam. Huic autem reuerentiæ repugnat maximè coniugalis actus, qui ſine turpitudine quadam, & irreuerentia exerceri non poteſt. Quocirca in Leuitico, cùm pro- *Leuit. 18.* hibetur coniugium cum matre, cauſſa redditur: *Quia mater tua eſt.* Et cùm prohibetur coniugium cum nuru, dicitur: *Quia vxor filij tui eſt.* Hæc autem ratio eouſque valet, quouſque habetur notitia cognationis: ſolent autem homines ordinariè vſque ad quartam generationem ſe cognatos agnoſcere, deinceps autem vix vlli ſunt, qui ſe pro cognatis habeant.

Prob. 2. Secunda ratio ducitur à conſuetudine, & familiaritate, quæ inter conſanguineos, & affines eſſe debet. Nam parentes, & filij, fratres, & ſorores, aui, & nepotes, nouerca, & priuigni in eadem domo habitant, & aſsiduè noctu, & interdiu ſimul verſantur: cæteri etiam propinqui crebro, & fidenter propinquos adeunt, & cum illis manent. Vt autem iſta intima conſuetudo innoxia eſſet, oportuit omnino inter eiuſmodi perſonas coniugia interdicere: alioqui enim tria mala ex iſta aſsidua conuerſatione naſcerentur.

Vnum, quòd nimis facilè, & nimis etiam citò, ac temerè Matrimonia conciliarentur.

Deinde, maxima præberetur inceſtibus occaſio: nam facilius peccata committuntur cum eis, cum quibus ius eſt Matrimonij contrahendi, quàm cum alijs.

Denique; eſſent omnia plena malis ſuſpicionibus: & affabilitas, blanditiæque, & oſcula, quæ nunc inter propinquos pietatis ſunt, tunc libidinis eſſe non temerè crederentur.

Prob. 3. Tertia ratio ſumitur à ſtudio charitatis inter extraneos dilatandæ. Nam per Matrimonia coniunguntur, & colliguntur homines vinculo neceſsitudinis. Quod ſi inter propinquos Matrimonia contrahantur, perit hic fructus ampliſsimus propagandæ neceſsitudinis: nam ad vnam perſonam multa vincula inutiliter reſtringuntur, quæ in multas vtiliſsimè ſpargi potuiſſent.

Prob. 4. Quarta ratio ſumitur ab vſu moderato officij coniugalis. Cùm enim naturaliter conſanguinei diligantur, ſi adderetur etiam amor coniugalis, creſceret plus debito carnalis amor.

Propoſ. 5. Propoſitio quinta: *Cognatio ſpiritualis, & legalis, Publica iuſtitia, & Affinitas ex fornicatione meritò ab Eccleſia inter impedimenta Matrimonij referuntur.*

De cognatione ſpirituali, & legali integri tituli extant in epiſtolis decretalibus. Præterea, rationes quatuor pro confirmatione propoſitionis superioris vim etiam habent in his duabus cognationibus. Iam verò publica honeſtas eſt inchoata quædam affinitas: ſicut ſponſalia Matrimonium inchoatum dici poſſunt; ideò, ſicut perfecta affinitas impedimentum eſt Matrimonium dirimens in omnibus gradibus, ita par erat, vt Publica honeſtas Matrimonium in aliquo ſaltem caſu dirimeret. Denique; Affinitas ex fornicatione vera affinitas eſt, licet paulò imperfectior, quam ea ſit, quæ oritur ex legittimo Matrimonio: quare nulla cauſſa eſt, cur non dirimat Matrimonium. Antecedens eſt perſpicuum: nam affinitas naſcitur ex eo, quòd per coniugium duæ perſonæ efficiuntur vna caro: at per fornicationem etiam duæ perſonæ efficiuntur vna caro, dicente Apoſtolo: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Erunt enim,* inquit, *duo in carne vna.* Præterea, ex fornicatione oritur vera cognatio, cùm ſit verè pater, qui ſic generat, & verè filius, qui ſic generatur: cur igitur ex fornicatione oriri non poſſet affinitas? Adde, quod legimus decem Dauid concubinas, quas filius eius Abſalon violauerat, incluſas ab eodem Dauide fuiſſe, & nunquam amplius ab eo cognitas; quia nimirum factæ erant illæ omnes quaſi nurus ob coniunctionem cum filio ſuo.

Prob. (beside "cretalibus")
1. Cor. 6. (beside "duæ perſonæ efficiuntur")
2. Reg. 20. (beside "qui ſic generatur")

Impedimenta impedientia. Nunc de duobus illis impedimentis agendum, quibus Matrimonium contrahendum

trahendum impediri, non tamen dirimi contractum diximus.

Primum eſt Eccleſię Interdictum, per quod intelligitur communiter Matrimonium clandeſtinum, quod ſub grauibus pœnis in Iure Canonico interdicitur: acpotiſsimum in Concilio Lateranenſi; & nuper in Concilio Tridentino non ſolùm prohibitum eſt, ſed etiam planè irritatum, ac illegitimum redditum, vt iam, qui ita contrahunt, verum non habeant Matrimonium, ſed in perpetua fornicatione maneant. Potuiſſe autem Eccleſiam hæc Matrimonia irritare, dubitare non poteſt, qui credit potuiſſe eandem Eccleſiam irritare Matrimonia in certis gradibus cognationis, vel ob votum ſolenne continentiæ, aut alijs de cauſsis, de quibus ſuprà diximus: eadem eſt enim omnium ratio. *Interdictum Eccleſiæ.* *ca. 51.* *Seſſ. 24.*

Alterum impedimentum, quod tempus feriatum dicitur, nihil ſignificat aliud, niſi interdictam eſſe nuptiarum ſolennitatem certis anni temporibus. Et quidem antiquo iure prohibebantur ſolennes nuptiæ ab initio Aduentus vſque ad Epiphaniam; item à Septuageſima vſque ad octauam Paſchæ; denique à diebus Rogationum vſque ad octauam Pentecoſtes. De qua re extant decreta Conciliorum antiquorum, & Pontificum apud Gratianum. Ratio huius prohibitionis eſt, quia toto anno feſta omnium celeberrima ſunt hæc tria, Natalis Domini, Paſcha, & Pentecoſte; atque in his tenebantur omnes ad Euchariſtiam accedere ex Concilio Agathenſi. Solennitas autem nuptiarum res eſt magnæ diſtractionis, cùm conuiuia, alijque apparatus fieri ſoleant. Vt igitur Chriſtiani homines ſine impedimento ad ea feſta ſpiritualia, & ad Sacramentum Euchariſtiæ ſuſcipiendum parati inuenirentur, optimo conſilio ab Eccleſia ſolennes nuptiæ tribus illis temporibus prohibitæ fuerunt. Quam tamen prohibitionem nuper Concilium Tridentinũ temperauit, atque ad duo tantum tempora redegit; ſolùm enim ab Aduentu Domini vſque ad Epiphaniam, & à die Cinerum vſque ad octauam Paſchæ ſolennes nuptias interdixit. Et habemus fundamenta huius rei in diuinis litteris. Nam Hebræi accepturi legem, & celebraturi primum feſtum Pentecoſtes, iubentur triduo integro præparari, & non appropinquare vxoribus. Et Achimelech Sacerdos negat Dauidi panem ſanctum, niſi mundus eſſet à mulieribus. Denique B. Paulus vult coniuges ex conſenſu inuicem à copula cõiugali abſtinere, vt vacent orationi. *Tempus feriatum.* *Can. 18.* *Seſſ. 24. c. 10.* *Exod. 19.* *1. Reg. 21.* *1. Cor. 7.*

CAPVT

CAPVT VI.

De cauſsis Matrimonialibus, & cæremoniis Sacramenti Coniugij.

Diuerſitas cauſſarum Matrimonij. CATHOLICI diſtinguunt de cauſsis Matrimonialibus. Quædam enim ſunt omninò politicæ; vt de dotibus, de ſucceſsionibus, de hæreditatibus, &c. Quædam ſunt omninò ſpirituales; vt de partibus Sacramentorum, de benedictione Sacerdotali, &c. Quædam partim politicæ, partim ſpirituales; vt de gradibus cognationis, de diuortijs, de impedimentis, & alijs, quæ ad ipſum contractum Matrimonij pertinent: quatenus enim contractus ille eſt naturalis, eſt materia politica; quatenus idem contractus eſt, fundamentum Sacramenti, & res conſcientiæ, ſpiritualis eſt. Et quidem cauſsas primi generis non negamus ad politicum Magiſtratum ſimpliciter pertinere; vnde etiã quotidie intra Catholicam Eccleſiam coram Iudice ſæculari cauſſæ illæ agũtur. Cauſſas ſecundi generis nemo negare poteſt ad ſolam Eccleſiam pertinere: alioqui quo tempore nulli Principes, nulliue Magiſtratus politici erant Chriſtiani, oportuiſſet cauſſas omnino ſpirituales ad infidelem Iudicem deferre, aut ſine legittimo iudice cauſſæ illæ fuiſſent.

Quæſt. *Reſp.* Potiſsima quæſtio eſt de cauſsis tertij generis: quas quidem nos dicimus ad politicum Magiſtratum pertinere poſſe, ſed cum ſubordinatione ad Eccleſiaſticum; ſimpliciter autem ad Principem Eccleſiaſticum pertinere; vt in *Seſſ. 24. can. 12.* Concilio Tridentino definitum eſt.

Id nunc rurſus tribus rationibus confirmatur.

Prob. 1. Primò; Matrimonium eſt Eccleſiæ Sacramentum; neque apud Chriſtianos ſeparatur contractus legittimus Matrimonij à Sacramento Matrimonij, cùm omnis contractus legittimus Matrimonij hoc ipſo ſit Sacramentum Matrimonij. Ergò iudicare, an aliquis contractus Matrimonij ſit legittimus, eſt iudicare, an ille contractus ſit Sacramentum: ſed de Sacramentis iudicare ad Eccleſiam ſpectat; igitur & de tali contractu iudicare ad Eccleſiam ſpectat.

Prob. 2. Secundò; Etiamſi Matrimonium Sacramentum non eſſet, tamen, quia res eſt conſcientiæ ex legibus diuinis pendens, ad paſtores animarum ſine dubio pertineret; quemadmodum quæſtiones de cambijs, de cenſibus, alijſque contractibus, in quibus interdum abſconduntur vſuræ, ab Eccleſia iudicantur.

Prob. 3. Tertiò prob. ex praxi totius Eccleſiæ. Nam inprimis Chriſtus ipſe cauſ-*Matt. 9. & 19* ſam de diuortio, & repudio, non remiſit ad politicum Magiſtratum, ſed ipſe *1. Cor. 7.* iudicauit.

Deinde; Apoſtolus cauſſam coniugij inter fidelem, & infidelem, ſimiliter cognouit, neque ad Magiſtratum eam reiecit. Denique; Plena ſunt Concilia, & Pontificum reſcripta legibus, & ſententijs in cauſſa Matrimonij: ſiquidẽ, vt

vt ex epiſtolis decretalibus cognoſci poteſt, ſemper in Eccleſia hæc fuit conſuetudo, vt de huiuſmodi cauſsis non Reges, ſed Pontifices conſulerent. Neque iſta iudicia Chriſti, Apoſtoli, Pontificum, & Conciliorum fuerunt meræ interpretationes verbi Dei, vt Kemnitius ſomniat, ſed legittimę ſententię coactiuæ. Nam Chriſtus aperte legem tulit de tollẽdo repudio Iudæis permiſſo: ſic enim loquitur Apoſtolus de illa Chriſti lege: *Iis, qui Matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Præterea; In Teſtamento veteri circa dubias quæſtiones mittebantur homines ad Sacerdotem, vt verum iudicem, non vt ſimplicem conſiliarium. Iubebatur enim occidi, qui ſententiæ Sacerdotis non acquieſcebat. Et ſanè æquum non eſt maiorem fuiſſe Sacerdotis Aaronici, quã Chriſtiani Pontificis auctoritatem. Denique; Cur non potiùs ad homines doctos, quàm ad Pontifices, cauſſæ iſtę ordinariè ferebantur, ſi conſultoris ſapientia, non iudicis auctoritas in Sacerdotibus quærebatur? *1. Cor. 7.* *Deut. 17.*

Poſtrema controuerſia eſt de ritibus, & cæremonijs, quibus Matrimonij Sacramentum in Eccleſia Catholica ſolet adminiſtrari: id enim commune eſt omnibus Sacramentis, vt pręter eſſentialem cæremoniam à Deo inſtitutam, in qua Sacramenti eſſentia conſiſtit, adhibeantur etiam aliqui alij ritus ex antiquo Eccleſiæ more, vel inſtituto, quò maiori cum pietate, ac deuotione Sacramentum percipiatur. In Matrimonio igitur hæ cæremoniæ obſeruari ſolent. Primò, benedicũtur noui ſponſi in Eccleſia à Sacerdote. Secundò, offertur pro eis oblatio Euchariſtiæ. Tertiò velamine obnubuntur. Quartò vitta partim candida, partim purpurea ſimul iunguntur. Quintò annulo à Sacerdote benedicto ſponſus ſponſam donat. Sextò varijs precibus coniugium recens contractum Domino commendatur. Septimò cohortatione ſacerdotali monentur officij, vt honeſtè in Matrimonio ſe gerant. *Cæremonia Matrim.*

F I N I S.

PPPP INDEX

INDEX CAPITVM SECVNDÆ PARTIS

Demonſtrationis Chriſtianæ fidei,

De Sacramentis.

LIBER I.

De Sacramentis in genere.

CAp. I. De nomine Sacramenti.
II. De definitione Sacramenti.
III. De materia, & forma Sacramenti.
IV. De fine, & neceſsitate sacramentorum.
V. De cauſſa efficiente sacramentorum.
VI. De effectu sacramentorum, ſcilicet Gratia, quæ in illis confertur.
VII. De Charactere.
VIII. De numero, & ordine sacramentorum.
IX. De cæremonijs sacramentorum.

LIBER II.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

Cap. I. De nomine, definitione, materia, forma, neceſsitate, & inſtitutione Baptiſmi.
II. De Miniſtro Baptiſmi, & ſuſcipientibus Baptiſmum.
III. De effectibus Baptiſmi, & de comparatione Baptiſmi Chriſti, & Ioãnis.
IIII. De Cęremonijs Baptiſmi.
V. De Sacramento Confirmationis.
VI. De materia, forma, effectu, & miniſtro Confirmationis.
VII. De Cęremonijs Confirmationis.

LIBER III.

De Sacramento Euchariſtiæ.

Cap. I. De reali præſentia Chriſti Domini in sacramento Euchariſtiæ.

II. Po-

II. Potuiſſe Deum reipſa præſens exhibere corpus,& ſanguinem Domini in ſpecie panis,& vini.
III. Deum voluiſſe, & feciſſe, vt reipſa corpus Domini in Euchariſtia præſens eſſet.
IIII. De modo exiſtendi corporis Domini in Euchariſtia.
V. De ipſo Sacramento Euchariſtiæ.
VI. De materia,& forma Euchariſtiæ.
VII. De Miniſtro,& effectu sacramenti Euchariſtię.
VIII. De vſu Sacramenti Euchariſtiæ.

LIBER IV.

De Miſſa.

I. De voce,Miſſa.
II. De definitione,& diuiſione sacrificij.
III. Miſſam eſſe sacrificium.
IV. In qua parte Miſſæ propriè conſiſtat eſſentia sacrificij?
V. Quale ſacrificium Miſſa ſit?
VI. Pro quibus ſacrificium Miſſæ offerri debeat,aut poſsit?
VII. De Miſsis priuatis,genere linguæ,& modo vocis.
VIII. De cæremonijs Miſſę.
IX. De veritate,& antiquitate eorum,quæ leguntur in Miſſa.

LIBER V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. De ipſo Pœnitentiæ Sacramento.
II. De diuiſione Sacramenti Pœnitentiæ , & ritibus Pœnitentiæ ſolennis.
III. Quid ſit Contritio?
IV. De neceſsitate Contritionis.
V. De neceſsitate Confeſsionis.
VI. De satisfactione.

LIBER VI.

De extrema Vnctione, & Ordine.

I. Extremam vnctionem verè,& propriè eſſe sacramentum.
II. De materia,forma, effectu, Miniſtro,suſcipiente,& cæremonijs ex-

tremæ vnctionis.
III. De Sacramento Ordinis.
IV. De materia, forma, effectu, Miniſtro, & cæremonijs Sacramenti Ordinis.

LIBER VII.

De Sacramento Matrimonij.

I. Matrimonium eſſe Sacramentum.
II. De materia, forma, & Miniſtro Sacramenti Matrimonij.
III. De vnitate Sacramenti Matrimonij.
IV. De firmitate Matrimonij.
V. De impedimentis Matrimonij.
VI. De cauſis Matrimonialibus, & cæremonijs Sacramenti Coniugij.

FINIS.

ROBERTI
BELLARMINI
POLITIANI
S. R. E. CARDINALIS
Fundamenti Chriſtianæ Fidei

PARS TERTIA.

OPERA

V. P. F. BALDVINI IVNII Ordinis Minorum,
Ex controuerſijs deſumpta.



ANTVERPIAE,
Sumptibus Hæredum MARTINI NVTII.
M. DC. XI.
Cum gratia, & Priuilegio.

DE GRATIA PRIMI HOMINIS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De gratia animæ primi hominis, ſeu iuſtitia originali.

CVM in hac poſtrema parte de gratia humano generi in primo noſtro parente collata; deque eius gratiæ per peccatum eiuſdem primi hominis amiſsione; ac demum de gratiæ per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum reparatione propoſitum nobis ſit (Deo benè adiuuante) differere: ratio ordinis poſtulat, vt ab eo, quod primo loco poſitum eſt, ſcribendi principium faciamus. Igitur de gratia primi hominis ſcripturus, ac de gratia tripliçi, videlicet de gratia Animæ, quæ dicitur Iuſtitia originalis, de gratia Corporis, id eſt, de corporis immortalitate; & de gratia loci, id eſt, de Paradiſo; ab ea quæſtione ducemus exordium, quæ naturæ ordine cæteras antecedit.

Eſt autem ea quæſtio: *Vtrum primus homo cum dono aliquo ſupernaturali conditus fuerit?* Quæſt.

Pro cuius reſponſione ſit prima propoſitio: *Homo non fuit creatus, qualis nunc naſcitur, pronus ad malum, infirmus, ignorans; ſed rectus, iuſtus, ſapiens, ſine concupiſcentia, & difficultate, quam ipſi in nobis aſsiduè experimur.* Propoſ. 1.

Iſta ex diuinis litteris ſatis apertè colligitur. Nam quod legimus; *Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*; communis expoſitio Patrum ita accipiendum eſſe docet, vt *imago* ad naturam intelligentiæ, & voluntatis; *ſimilitudo* ad ſapientiam, & iuſtitiam referatur. Ex quo ſequitur, quòd primus homo non ſolam naturam in creatione acceperit, cum qua nunc etiam homines naſci videmus; ſed etiam ornamenta quædam ſapientiæ, & iuſtitiæ, quibus ſine dubitatione caremus. Prob. Gen. 1.

Deinde legimus de primis noſtris parentibus: *Erat autem vterq; nudus, & non erubeſcebant.* Huius rei cauſam Patres aſsignant, quòd primi noſtri parentes ante peccatum carerent pudenda illa rebellione membrorum, ob quam nunc erubeſcimus, ſi nudi conſpiciamur. Huc etiam pertinet illud Apoſtoli: *Iam non ego operor illud, ſed, quod habitat in me, peccatum.* Vocat enim *peccatum* rebellionem carnis, quia ex peccato nata fuerat. Ex quo ſequitur, quod Adam ante pecca- Gen. 2. Rom. 7.

tum rebellione illa caruerit, ſine qua nullus iam hominum naſcitur. Præte-
Eccle.7. rea, *Fecit Deus initio hominem rectum*, vt legimus, *& ſecundum ſe veſtiuit illum vir-*
Eccli. 17. *tute*. Nunc autem *ſumus natura filij iræ*, vt ait Apoſtolus. Non igitur tales nunc
Epheſ 2. naſcimur, qualis initio primus homo conditus fuit. Ad hæc, *Fecit Deus hominem*
Sap. 2. *inexterminabilem*: & ideò ad præcepti cuſtodiam pœnam illam comminatus
Gen. 2. fuerat: *Quacunque die comederis, morte morieris*. Quare, cùm nunc ex ipſo ortu
mortis debitum circumferamus, neque vllus ſit, qui mortis imperium effu-
gere queat, certè ſequitur longè deterioris conditionis eſſe hominum propa-
gationem, quàm fuerit prima creatio. Nunc etiam tantam experimur omnes
Rom.7. corporis, animique miſeriam, vt Apoſtolus clamet: *Infœlix ego homo, quis me li-*
Eccle.40. *berabit de corpore mortis huius?* Et ante eum Eccleſiaſticus: *Graue iugum ſuper filios*
Adam à die exitus de ventre matris eorum vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.
Iob 14. Et Iob adhuc antiquior: *Homo*, inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, reple-*
tur multis miſerijs, &c.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda. *Primus homo non quamlibet animi rectitudinem; ſed ipſam*
etiam gratiam gratum facientem in creatione accepit.

Non deſunt quidam Theologi, qui Iuſtitiam originalem primo parenti
in creatione conceſſam ſeparent à gratia gratum faciente, ac doceant acce-
piſſe Adamum initio habitum quendam, qui partem inferiorem ſuperiori
ſubijceret; non tamen accepiſſe gratiam illam gratum facientem, quæ filios,
& amicos Dei efficit, quęque ad vitam æternam promerendam neceſſaria eſt.
L.2. ſenten. In qua ſententia videtur fuiſſe Petrus Lombardus, & qui eum ſequitur,
diſt. 24. Ioannes Scotus, & alij quidam. Nos Albertum Magnum, S. Thomam, & a-
In comment. lios ſequimur, qui Iuſtitiam originalem cum gratia gratum faciente ita con-
eiuſdem diſt. iungunt, vt obedientia partis inferioris ad ſuperiorem à gratia gratum fa-
p.1.q.95. ciente, quæ partem ſuperiorem Deo obſequentem reddebat, velut à fonte, &
ar.1. radice dependeat. Siue autem gratia gratum faciens dicenda ſit pars origina-
lis iuſtitiæ; ſiue tantum radix, & cauſa, non multum refert.

Quare primum parentem noſtrum cum gratia gratum faciente conditum
Prob. 1. fuiſſe, probatur ex diuinis litteris, quæ ſatis hoc apertè indicant, cùm dicunt
propoſ. nos per Chriſtum renouari ad eam iuſtitiam in qua initio conditi ſumus.
Epheſ.4. *Renouamini* (inquit Apoſtolus) *ſpiritu mentis veſtræ: & induite nouum hominem, qui*
ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Qui renouari iubetur,
fuit aliquando nouus; quòd ſi renouatio in eo conſiſtat, vt induamus homi-
nem Chriſto ſimilem, *creatum ſecundum Deum in iuſtitia, & ſanctitate veritatis*;
fuimus igitur aliquando, videlicet in primo noſtro parente, homines noui,
conditi ſecundum Deum in iuſtitia, & ſanctitate veritatis. Dicit autem; *Reno-*
uamini ſpiritu mentis veſtræ; tum vt intelligamus in Adamo non ſolum carnem,
ſed etiam mentem noſtram fuiſſe vitiatam per amiſsionem gratiæ: tum e-
tiam, quia non renouamur in hoc mundo ad eam innocentiam, quæ fuit in
Rom. 8. carne primi hominis, ſed ſolùm ad eam, quæ fuit in mente, *expectantes interim*
redemptionem corporis noſtri; vt idem Apoſtolus ait. Similis locus eſt in epiſtola
Coloſſ. 3. ad Coloſſ. *Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis,*
& induentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius, qui
creauit illum. Homo, *qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem Dei*, ad quam
initio

initio conditus fuerat, animus noſter eſt, qui per Chriſti gratiam quotidie proficit in agnitione Dei, & ſanctitate, ac iuſtitia, & eo modo renouatur in eo diuina imago, quæ per peccatum obſcurata fuerat. Ex quo ſequitur, quòd ante vetuſtatem, & obſcuritatem iſtam fuerit in homine agnitio Dei, & ſanctitas, atque adeò noua, & ſplendidiſsima Dei imago. Neque abſimilis eſt locus ille: *Sed licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpitur; tamen is, qui intus eſt renouatur de die in diem.* *2. Cor. 4.*

Idem etiam docent Concilium ſecundum Arauſicanum, & Trident. ac veteres Patres. *Prob. 2. can. 19. Seſſ. 5.*

Propoſitio tertia. *Primus homo iuſtitia originali, & habitu gratiæ gratum facientis ornatus non eguit auxilio ſpeciali, quo ad bene operandum excitaretur, vel ad vitanda peccata.* *Propoſ. 3.*

Hæc ſic explicatur. Quatuor dona Dei poſſunt in homine conſiderari. Primum eſt, habitus gratiæ naturam perficiens, vt pars inferior ſuperiori, & ſuperior Deo ſubiecta maneat. Secundum, conſeruatio eius habitus: eſt enim commune omnibus rebus creatis, vt permanere non poſſint, niſi Deo perpetuò eas conſeruante. Tertium cooperatio Dei cum homine per auxilium generale in operibus naturalibus, & ſpeciale in ſupernaturalibus. Neque enim poſſunt ſecundæ cauſæ operari, niſi cooperante cum eis prima cauſa. Quartum eſt motio quædam Dei per auxilium excitans, quæ facit hominem vti prioribus donis. Priora tria dona non præſtant homini vt operetur, ſed tantum, vt poſſit operari, ſi velit: quartum autem facit hominem velle, & operari. *Quatuor dona Dei in homine.*

Iam igitur primus homo habuit tria priora dona; quarto non eguit, neque illud habuit. Nos poſt lapſum eius indigemus omnibus, & omnia de Dei benignitate per Chriſti merita obtinemus. Ratio huius diſcriminis eſt, quia primum donum in Adamo non ſolum mentem ſubijciebat Deo, ſed etiam carnem ſpiritui, proinde non impediebatur, nec retardabatur Adam à bono opere, neque ad peccandum incitabatur per carnalem concupiſcentiam: in nobis autem primum illud donum mentem ſubijcit Deo, ſed non carnem ſpiritui, ideò propter carnales illecebras, quæ aſsiduè vel incitant ad peccandum, vel à bono retardant, deſideſque, ac dormitantes efficiunt, egemus auxilio excitante, dirigente, ac protegente.

Propoſitio quarta. *Rectitudo illa, qua Adam creatus fuit, & ſine qua poſt eius lapſum homines omnes naſcuntur, donum ſupernaturale fuit.* *Propoſ. 4.*

Poteſt autem duobus modis aliquid dici ſupernaturale, *Per ſe*, & *Per accidens*. *Per ſe* dicitur ſupernaturale, quod ex genere ſuo non eſt aptum fluere ex principijs naturæ: qualis fuit aſcenſio Eliæ igneo curru in cœlum, robur Samſonis, & alia id genus. *Per accidens ſupernaturale* vocatur, quod interdum obtinetur diuino miraculo, licet alioqui ex naturæ principijs fluere ſoleat: vt ſenſus videndi, quem Dominus cæco nato reſtituit, ſapientia diuinitus Salomoni data. Exiſtimamus ergò rectitudinem illam etiam partis inferioris fuiſſe donum ſupernaturale per ſe, ita vt neque ex naturæ principijs fluxerit, neque potuerit fluere. Vnde illo dono remoto ſtatim natura humana ſibi relicta pugnam illam experiri cœpit partis inferioris cum ſuperiore, quæ erat *Per ſe ſupernaturale.* *Per accidens ſupernaturale.*

ſutura naturalis,id eſt,ex conditione materiæ ſecutura,niſi Deus iuſtitiæ donum homini addidiſſet. Quare non magis differt ſtatus hominis poſt lapſum Adæ à ſtatu eiuſdem in puris naturalibus , quàm differat ſpoliatus à nudo: neque deterior eſt humana natura,ſi culpam originalem detrahas;neque magis ignorantia, & infirmitate laborat,quam eſſet,& laboraret in puris naturalibus condita . Proinde corruptio naturæ non ex alicuius doni naturalis carentia,neque ex alicuius malæ qualitatis acceſſu,ſed ex ſola doni ſupernaturalis ob Adæ peccatum amiſsione profluxit.

Prob. 1. Gen 3. Probatur hæc ſententia ex Scripturis. Et primum ex illis verbis: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Id eſt,quanquam te valdè glorioſum mea benignitate effecerim,ita vt poſſes,neque mortem,neque mala vlla formidare ; tamen ex natura tua puluis eras,mortalis,fragilis,doloribus , laboribuſque obnoxius. Et,quia dono illo meo ſuperaddito tua culpa ſpoliatus es, & in ſtatum tuum naturalem recidiſti,ideò nunc etiam puluis es,& in puluerem reuerteris. Ad

Pſal. 8. hæc in Pſalmo; *Quid eſt homo,quia memor es eius,aut filius hominis,quia viſitas eum? minuiſti eum paulò minùs ab Angelis,gloria,& honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum*

Pſal. 48. *ſuper opera manuū tuarum*. Et alibi: *Homo,cùm in honore eſſet,non intellexit,comparatus eſt iumentis inſipientibus,& ſimilis factus eſt illis*. Vbi duobus modis indicatur fuiſſe primum hominem donis ſupernaturalibus ornatum ; Primùm, quia miratur Propheta hominem ferè Angelis æquatum , quaſi dicat mirum eſt hominem natura ſua corporeum,mortalem, animalium cæterorum affectibus obnoxium,ad eam gloriam euectum,vt parum omninò ab Angelis abeſſet. Deinde,quòd dona illa vocat honorem, & gloriam: honor enim,& glo-

Eccli. 17. ria ſine dubio aliquid extrinſecum,& ſuperadditum deſignat. Item: *Deus creauit hominem de terra,& ſecundum ſe veſtiuit eum virtute*. Quo loco creatio refertur ad naturam:indumentum virtutis (quod extrinſecum aliquid deſignat) ad

Luc. 10. ſuperaddita dona. Huc etiam pertinet parabola de eo, qui incidit in latrones. Primum enim deſpoliauerunt eum;Deinde,plagis inflictis abierunt ſemiuiuo relicto.

Prob. 2. Idem etiam docent teſtimonia veterum Patrum.

Prob. 3. 1. Ratio. Prob. ratione. Prima,naturale eſt corpori animali,ſenſu, & appetitu prædito,concupiſcere bonum ſenſibile: naturale eſt ſpiritui rationali concupiſcere bonum ſpirituale:quare ſi fiat vna natura ex corpore animali, & ſpiritu rationali conflata,erit naturale illi habere diuerſas,& inter ſe pugnātes propenſiones. Quòd igitur primi parentes noſtri ante peccatum pugna illa diuerſarum appetitionum carerent,donum erat ſupernaturale, non conditio naturalis.

2. Ratio. Secunda ratio. Si corruptio,quæ nunc eſt in natura humana, non eſt conſecuta ex ſola remotione doni ſupernaturalis, neque fuiſſet in homine in puris naturalibus condito;quæro cauſſam eius. Reſpondent quidā cauſſam eſſe Deum . At Scripturæ partim reclamant quæ concupiſcentiam non eſſe ex

1 Ioan 2. Deo,multis in locis teſtantur: Ioannes dicit *concupiſcentiam non eſſe ex Patre, ſed*

Iacob 1. *ex mundo*. Iacobus ſcribit *neminem à Deo tentari,ſed à concupiſcentia ſua*. Lex, Non

Rom 7. *concupiſces*,ſancta,& bona,quam & legem mentis Apoſtolus vocat,ſine dubio eſt à Deo:quomodo igitur lex membrorum, quæ illi repugnat, eſt à Deo? &

quomodo

quomodo iubet Deus, vt non faciamus, quod ipſe in pœnam peccati cogit nos facere? Omitto ſententias illas, quæ cauſſam huius corruptionis referunt in pomum vetitum, ſiue in flatum ſerpentis, quia planè improbabiles ſunt. Quare, cùm nulla poſsit reddi cauſſa huius corruptionis præter conditionem materiæ, vt cauſſam efficientem; & peccatum Adami, vt cauſſam demeritoriam; & diuinam iuſtitiam dono ſupernaturali hominem ſpoliantem, vt cauſam remouentem prohibens, in his eſt acquieſcendum.

Tertia ratio. Ex peccatis, quæ ab hominibus poſt lapſum primi hominis committuntur, quamuis plurimis, & grauiſsimis, amittitur ſolùm donum gratiæ ſupernaturalis, & acquiritur propenſio quædam ad idem peccatum iterum committendum, & minuitur inclinatio ad virtutem peccato illi cõtrariam; ſed non corrumpitur principium, aut donũ aliquod naturale, neque acquiritur, aut augetur propenſio ad omnia vitia, neque minuitur inclinatio ad omnes virtutes, vt ipſa experientia teſtatur. At peccatum Adæ cùm fuerit certum quoddam, & actuale peccatum, & eiuſdem generis, cuius ſunt cætera, quæ ab hominibus committuntur, non videtur alium effectum producere potuiſſe, quàm producant cætera, eo excepto, quòd illud vt capitis totius naturæ in omnes poſteros redũdauit. Nõ igitur probabile eſt ex peccato Adę naturalia principia, ſiue dona potuiſſe corrumpi, neque illam concupiſcentiã naſci, quæ eſt propenſio ad omnia vitia, niſi ea, remoto iuſtitiæ originalis dono, ex ipſa natura compoſita ex contrarijs conſecuta fuiſſet. 3. Ratio.

Quarta ratio. Si natura humana, qualis nunc eſt, remota culpa, mala eſt, & neceſſariò labitur in peccata; & ideò non potuit à Deo creari, vt aduerſarij volunt, ſine iuſtitia originali: certè ſequitur non poſſe hominem mortuum à Deo reuocari ad vitam, niſi præditum originali iuſtitia: idem enim ſequitur abſurdum, ſiue creetur, ſiue reparetur à Deo natura mala, & quæ neceſſario peccet. At multos nouimus ex ſacris litteris à mortuis excitatos diuina virture, & ex ijs nonnullos, quos omnino credibile eſt à peccato originis fuiſſe purgatos; qualis fuit Lazarus frater Marthæ, & infantes illi, quos Elias, & Elizæus à mortuis reuocarunt: qui tamen ſine dubitatione vlla etiã in noua illa vita iuſtitia originali carebant, & tales erant, quales ſunt cæteri, qui ex parentum carne per generationẽ via ordinaria propagantur. Adde, quòd hæc ratio fit à maiori. Nam ſi Deus animas iuſtas Lazari, & infantium illorum coniungere potuit corpori mortali, animali, concupiſcentiæ, & ignorantiæ obnoxio: cur non magis potuit initio animas neque iuſtas, neque iniuſtas ſimili corpori coniungere? 4. Ratio.

Quinta ratio. Primi parentes euecti fuerunt ad eam dignitatem, vt eſſent filij Dei, & Dij quidam; at profectò abſurdiſsimum eſt, rem creatam, qualis eſt homo, Deum, vel Dei filium naturaliter facere; quia verè ac naturaliter filius eſt, per quem nos in filiationem ſumus adoptari. 5. Ratio.

CAPVT II.

De gratia corporis, ſeu immortalitate corporis.

1. *Error.* PELAGIANI affirmabant hominem fuiſſe moriturum, etiam ſi non
Refutatur. peccaſset. Contra: Mortem pœnam eſſe peccati colligitur ex illis verbis:
Gen. 2. *Quacunque die comederis, morte morieris.* Quorſum enim mortis comminatio in
præuaricationis pœnam, ſi Adam etiam non peccando moriturus erat? Atque
Gen. 3. de morte corporis debere hoc intelligi, patet ex illo: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Vbi Dominus Adamum damnat ad eam pœnam, quam illi fuerat an-
Sap. 1. tea comminatus. Alia etiam loca ſunt. Vt: *Deus mortem non fecit.* Et: *Deus creauit*
Sap. 2. *hominem inexterminabilem: inuidia autem diaboli mors intrauit in orbem terrarum.*
Rom. 5. Et: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et:
Rom. 6. *Stipendia peccati mors.* Et: *Si autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt*
Rom. 8. *propter peccatum,* &c. Non dicit, Corpus mortale eſt propter peccatum, ſed, *mortuum:* quia etiam ante peccatum corpus Adami erat aliquo modo mortale, ſed per peccatum coniectum eſt in neceſsitatem ineuitabilem moriendi. Id autem, quod neceſſario breui futurum eſt, quodque iam imminet, vſitatè dicitur factum. Denique; S. Paulus non ſemel repetit hanc veritatem, cùm
1. Cor. 15. ait: *In Adamo omnes moriuntur.* Et: *Per hominem mors.* Et: *Stimulus mortis peccatum eſt.*

Alter error. Alter error eſt, qui etiam dicebant immortalitatem illam primi hominis fuiſſe naturalem, non ſupernaturalem.

L. 1. De peccat. merit. & remiſſ. Sed contrarium conſtat ex D. Auguſtino, qui multis modis docet corpus primi noſtri parentis natura ſua fuiſſe mortale, ſola autem gratia conditoris immortale.

Refutatur 1. a S. Auguſt. Primò, quia comparat immortalitatem primi hominis cum veſtimentis, & calceamentis Iſraëlitarum, quæ in ſolitudine per annos 40. obtrita non ſunt. Neque dubitari poteſt, quin naturaliter corrumpi debuerint.

2. Secundò, quia comparat ſtatum primi hominis ante peccatum cum ſtatu Enoch, & Eliæ, quos certum eſt corpus habere mortale, & aliquando moriturum; tametſi diuina gratia per tot ſæculorum curricula conſeruetur.

3. Tertiò, quia bis, terue dicit corpus primi hominis fuiſſe mortale, & à mortalitate ad immortalitatem quandoque ſine media morte venturum. Quòd ſi mortale erat, certè natura mortale erat: niſi quis ita deſipiat, vt mortalitatem primi hominis adſcribat gratiæ, immortalitatem naturæ.

4. Quartò, quia dicit ſic fuiſſe mortale corpus illud, quamuis nunquam moriturum, quemadmodum caro noſtra vulnerabilis eſt, quamuis non ſit eam neceſſe vulnerari. Caro autem noſtra natura vulnerabilis eſt, ſed diligenti cuſtodia fieri poteſt, vt nunquam vulneretur. Igitur & illud corpus natura mortale

mortale erat, ſed diuina gratia futurum erat, vt nunquam moreretur.

Eadem ſententia confirmatur ratione. Nam, cùm hominis natura ex con- *Refutatur*
trarijs elementis, & humoribus conſtet, intrinſecam potentiam ad corrup- *1. Ratione.*
tionem habet. Proinde immortalitas eſt ei præter naturam, vel potiùs ſuprà naturam; mortalitas autem naturalis.

Deinde; Homo in ſtatu innocentiæ erat generabilis, cùm ei dictum eſſet: 2.
Creſcite, & multiplicamini. Ergò, & natura ſua coruptibilis. *Gen. 1.*

Tertiò, in ſtatu innocentiæ natura humana cibo, & potu indigebat, vt pa- 3.
tet, quia dantur fructus arborum, & herbæ tum homini, tum animantibus *Ibid.*
cæteris in eſcam. At corpus, quod cibo indiget, vt conſeruetur, & ſi non alatur, perit, certè mortale natura ſua eſſe conuincitur.

Quartò, pertinet hic locus ille: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* 4. *Gen. 3.*

CAPVT III.

De gratia loci, ſeu de Paradiſo.

PAradiſum locum fuiſſe corporeum, plantis veris corporatiſque plenum, *Prob.*
& veros fontes, fluminibuſque irriguum, probatur ex diuinis litteris, quę *paradiſus*
ita deſcribunt paradiſum, vt ambigi non poſsit, quin ſit locus verus, & cor- *fuiſſe corpo-*
poralis. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, & in eo po-* *reus.* *Gen. 2.*
ſuit hominem, quem formauerat, &c. At plantari corporum eſt: & homo corporalis, & animalis, qualem fuiſſe Adamum omnes fatentur, in loco vero, & corporali poni debuit. Item ibidem additur: *Fluuius egrediebatur de loco volupta-* *Ibid.*
tis ad irrigandum paradiſum qui inde diuiditur in quatuor capita: nomen vni Phiſon, &c. At flumina iſta, vera, corporalia, aſpectabilia, nauigabilia, & potabilia ſunt; vt perſpicuum eſt de Euphrate, & Tigri notiſsimis, maximiſque fluminibus. Rurſus: *Adam & Eua abſconderunt ſe inter ligna paradiſi, conſuerunt{q́}, ſibi perizomata* *Gen. 3.*
de folijs ficus. Erant igitur in paradiſo vera, & corporalia ligna, inter quæ latere poterant homines veri, & corporales: erant etiam folia ficulnea vera, quibus vera hominum membra tegi poterant.

Denique; ibidem legimus fuiſſe Adamum eiectum de paradiſo, cuſtodiamque angelorum adhibitam, ne aditus ei pateret ad lignum vitæ. At, ſi lignum vitæ fuiſſet ſolùm ſpirituale, ſapientia videlicet, aut virtus aliqua, vt quidam ſomniant, tanta diligentia Deus non cauiſſet, ne ad ipſum hominibus aditus pateret: ſiquidem vbi ſapientia dicitur lignum vitæ, paſsim *Prou. 3.*
homines inuitantur ad ſapientiam, & virtutem. Idem etiam docent teſtimonia Patrum.

Porrò *in qua parte terrarum ſit paradiſus*, non vna eſt ſententia. *Quæſt.*

Quidam arbitrati ſunt totum orbem terrarum eſſe paradiſum illum, de *1. ſententia.*
quo loquitur Scriptura. Sed repugnat huic ſententiæ Scriptura diuina. *Gen. 2.*
Nam, ſi Deus hominem extra paradiſum de limo terræ formatum in pa- *Refutatur.*

radiſum

radiſum introduxit, ac deinde è paradiſo eiectum in eam regionem reduxit, vbi conditus fuerat;. vt legimus in Geneſi, quomodo fieri poteſt, vt ſit vniuerſa terra paradiſus? vt omittam cuſtodiam angelorum paradiſo appoſitam, ne hominibus reliquam terram incolentibus aditus ad paradiſum pateat. Accedit quoque Scriptorum penè omnium conſenſus, qui paradiſum quoddam eſſe volunt orbis terræ pomarium, & quaſi regiam principis animalium.

Gen. 2. & 3.

2. Sententia. Altera eſt ſententia eorum, qui docent paradiſum eſſe extra totam terram, quam nos incolimus. Exiſtimant enim terram noſtram vndique cingi ab Oceano: Oceanum autem cingi ab alia terra longè maiore, eamque eſſe, & nominari paradiſum.

Refutatur. Sed neque hæc ſententia ſatis diuinis litteris, aut Patrum traditione congruit. Siquidem Tigris, & Euphrates, & cætera flumina, quæ oriuntur ex paradiſo, in hac terra noſtra inueniuntur: neque credibile eſt, quod per immenſum tractum ad nos perueniant ex illo alio orbe terrarum, qui fingitur vltra Oceanum.

Deinde videtur iam ſatis compertum varijs multorum nauigationibus, neque ab Oceano cingi omnem terram, neque eſſe vltra Oceanum aliam terram. Denique communis eſt opinio, paradiſum ſitum eſſe ad Orientem: ex quo ſequitur, quòd ſit falſum ab eo cingi Oceanum vniuerſum.

3. Sententia. Tertia ſententia eſt, paradiſum eſſe locum quendam ſublimem, & vſque ad globum Lunæ pertingentem.

Refut. At profectò incredibile eſt, cum eſſe ſitum paradiſi, tum quòd ea regio inſaluberrima ſit, atque adeò inhabitabilis propter nimiam aëris ſubtilitatem, & perpetuam agitationem; tum quia ſi tanta eſſet eius loci ſublimitas, ab aliqua regione paradiſus conſpiceretur; & vel à nobis, vel antipodis noſtris aliquando Solis, & Lunæ conſpectum eriperet, præſertim cùm eadem illa opinio ad Orientem paradiſum conſtituat.

Tum denique, quia ſi vlla eſſet proportio altitudinis paradiſi ad latitudinem, non ſufficeret totius terræ amplitudo ad baſim eius capiendam; ſiquidem Mathematici demonſtrant à ſuperficie terræ vſque ad globum Lunæ intercedere ſpacium ſupra centum millium milliariorum.

4. Sententia. Quarta eſt ſententia recentiorum quorundam, qui exiſtimant Paradiſum fuiſſe in Meſopotamia; ſed diluuij tempore, ita eius pulchritudinem, & amœnitatem petijſſe, vt nullum remanſerit veſtigium paradiſi, vt iam neque ſit opus cuſtodia Cherubim, & flammei gladij, & non ſolum hominibus quibuſcunque, ſed etiam beſtijs pateat ad eum locum acceſſus.

Refut. Mihi verò multis de cauſis hæc ſententia non probatur. Primum, quia eſt opinio noua, & repugnans communi Doctorum conſenſui, non ſolum Patrum, ſed etiam Scolaſticorum. Deinde, in ipſo Paradiſo oriebatur fluuius, qui inde diuidebatur in quatuor capita, quorum nomina ſunt Euphrates, Tigris, Phiſon, & Geon: at in Meſopotamia nullus eiuſmodi fluuius oritur. Fluunt quidem per Meſopotamiam Euphrates, & Tigris; cæterum non ibi oriuntur, ſed in Armenia ſuos habent fontes. Porrò Phiſon, & Geon neque in Meſopotamia fontes habent, neque in ea vllo modo reperiuntur. Tertio

tio paradiſus ita deſcribitur communiter, quod fuerit in eo ver perpetuum; nulla frigora, nulli æſtus, nullæ pluuiæ, niues, grandines, nullæ etiam nubes: quod ipſum ſignificat Scriptura, cùm dicit primos homines in paradiſo fuiſſe nudos. At Meſopotamia, quanquam ſit amœniſsima regio, ſua tamen habet frigora, ſuos æſtus, pluuias, grandines, &c. Neque reſponderi poteſt ob diluuium mutatam eſſe magna ex parte loci illius fœlicitatem: nam diluuium non mutauit ſitum locorum, & aëris temperamentum. Itaque perierint ob diluuium, arbores, perierint fructus, & flores, temperamentum aëris perire non potuit. Accedit poſtremò, quod ſententia eſt grauiſsimorum auctorum Henoch, & Eliam eſſe translatos in paradiſum, vnde expulſus fuit Adam, atque illic nunc vitam fœliciſsimam ducere. Credo autem nemini vnquam veniſſe in mentem, quòd diceret Henoch, & Eliam translatos fuiſſe in Meſopotamiam.

Porrò quidam recentiores contendunt paradiſum illum, in quo habitauit Adam, nuſquam in terris nunc extare. Quod probant, tum quia dicuntur *aquæ diluuij cooperuiſſe omnes montes excelſos ſub vniuerſo cælo*; tum, quia paradiſus in Meſopotamia ſitus erat, quæ regio notiſsima eſt, nec in ea vllus cernitur paradiſus. Quia verò nullum vnquam ex veteribus legi, qui paradiſum terreſtrem, vel aquis diluuij, vel alia de cauſa perijſſe ſcripſerit; & contra legi plurimos, qui illum extare affirmant, non facilè auderem à tam communi, celebrique opinione recedere. 5. Sententia. Gen. 7.

Ratio videtur probabilis, cur paradiſus conſeruari debuerit, videlicet vt Henoch, & Elias, quos certum eſt in ſuis corporibus viuere, congruentem ſuo ſtatui ſedem haberent, donec tempus eſſet, vt cum Antichriſto congredientes, vitam cum morte commutarent. Neque argumentum illud de aquis diluuij cogit, vt à communi ſententia recedamus. Nam credibile eſt in paradiſum aquas diluuij minimè penetraſſe. Ad illum autem Scripturæ locum, vbi dicuntur aquæ diluuij cooperuiſſe omnes montes ſub vniuerſo cœlo, reſpondemus, id eſſe intelligendum de omnibus montibus eius terræ, quæ à peccatoribus incolebatur, quæque habitationi hominum poſt lapſum Adæ data erat. Similis eſt locus in eodem capite: *Mortui ſunt vniuerſi homines, remanſitq́, ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca*. At Henoch mortuus non eſt, quamuis non eſſet in arca. Reſpon. Ibid.

Solet etiam quæri à Theologis; *Soline homines, an etiam animantia rationis expertia in paradiſo locum habitura fuiſſent, ſi homo non peccaſſet?* Et quidem Ioannes Damaſcenus id negat, & eum ſequitur D. Thomas, & alij quidam ex ſcolaſticis. Quæſt.

At grauior nobis auctoritas videtur S. Baſilij, & S. Auguſtini, qui contra ſentiunt. Et ſanè non modicum ornamentum terreno paradiſo defuiſſet, ſi nulli in aquis piſces, nullæ in ſiluis auiculæ; nulla in pratis, & campis pecora conſpici potuiſſent vt illud omittam, non fruſtra primis hominibus dictum à Deo fuiſſe, vt piſcibus, volucribus, & cæteris animantibus dominarentur. Neque verò metuendum erat, ne animantia bruta ſumerent de fructibus ligni vitæ, & immortalia fierent. Nam neque illa cibos ſumpſiſſent naturæ ſuæ non congruentes, neque ſi fructibus ligni vitæ veſci potuiſſent, immortalita- L. 2. de fide. c. 11. p. 1. q. 102. ar. 2. Reſp.

tem vlla ratione conſequerentur. Siquidem lignum non ex natura ſua, ſed ex inſpiratione ſalubritatis occultæ immortalitatem hominibus attuliſſet, ferè ad eum modum, quo Sacramenta Chriſtiana corporalia, ac ſenſibilia gratiam ſpiritualem, ac inuiſibilem operantur. Videmus autem, quòd ſi fortè ſacratiſſimam Euchariſtiam guſtarent animantia bruta, nullum inde fructum ſpiritualem conſequantur.

Quæſtio. Quærunt adhuc nonnulli; *quidnam fuerint illa Cherubin*, quæ ad paradiſi cuſtodiam adhibita fuiſſe diuina Scriptura commemorat? Aliqui putant nihil aliud eſſe, niſi ſpectra quædam, ſiue formas horribiles animalium, quæ ingredi cupientes in paradiſum terrefaciebant. *Sententia.*

Refut. Sed hæc opinio inepta eſt, & ridicula. Nam vt omittam in diuinis litteris nomine Cherubin paſsim Angelos ſignificari: & non fuiſſe Adamum tam rudem, vt ſimulacro inanimi terreri potuerit: certè grauiſsimi Patres Cherubin hoc loco veros, ſanctoſque Angelos fuiſſe non dubitarunt. *Reſp.*

Quæſtio. De *ligno ſcientiæ boni, & mali* quærunt, *Vnde ea arbor hoc nomen habuerit?* Ioſephus ſcribit eam arborem vim habuiſſe acuendi ingenium, ac prudentiam augendi. Ioannes Damaſcenus docet, arborem illam ſic appellatam, quod adferret cognitionem propriæ naturæ. Eam verò cognitionem adultis, & perfectis vtilem eſſe; imperfectis autem, & ad concupiſcentiam pronis inutilem, & noxiam; & ideo prohibitum fuiſſe Adamo adhuc imperfecto exiſtenti, ne arborem illam contingeret. *L. 1. antiquitat. c. 2. Sententia. L. 2. de Fide, c. 11.*

Refutatur. Sed hæc improbabilia ſunt. Nam nec Deus prohibuiſſet hominibus arborem, quæ prudentiam augeret, ac per hoc vtiliſsima illis eſſet: neque Adam eo tempore rudis, & imperfectus erat, ſed perfectus, & ſapiens; quippe qui nomina omnibus animantibus impoſuit: neque naturam ſuam ignorare potuit, qui naturas omnium rerum nouerat.

Reſp. Vera igitur eſt ſententia, lignum ſciĕtiæ boni, & mali ſic appellatum, quod guſtatum ob inobedientiæ culpam mala multa adferret, ac per hoc homines experiendo diſcerent diſcrimem boni, & mali; quod antea ſola contemplatione didicerant.

De efficacia ligni vitæ. 1. Sententia. L. 14. de ciuit. Dei, c. 16. De vi autem, & efficacia ligni vitæ duæ ſunt Patrum ſententiæ. Vna eſt S. Auguſtini, quem Theologi Scolaſtici ferè ſequuntur, lignum vitæ inſtitutum fuiſſe ad arcendam mortem, quæ contingere ſolet ex ſenio. Quamuis enim per communes cibos reparetur humidū radicale, quod ex generatione accepimus, quodque aſsiduè per actionem caloris naturalis abſumitur, tamen extranea illa ſubſtantia, quæ ex alimento accedit præexiſtenti humido, nunquam eſt tantæ virtutis, quantæ fuerat illa, quæ deperdita eſt. Vult igitur S. Auguſtinus eum fuiſse vſum ligni vitæ, vt vim nutrientem roboraret, & eo modo hominem à ſenectute, & morte defenderet.

Altera Sententia. Altera ſententia eſt multorum veterum Patrum, & valdè cōformis Script. ſacræ, & rationi, quæ docet lignum vitæ eam vim habuiſse, vt ſemel guſtatum perfectam adferret immortalitatem, qualem habebimus poſt reſurrectionem, & ideò non antea ſumendum fuiſse, quam trāsferentur homines de ſtatu gratiæ, in quo poterant mori, ad ſtatum gloriæ, in quo non poſſent amplius mori.

Porrò

Porrò fauet huic ſententiæ vehementer teſtimonium illud Script. *Dixit Deus, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* Illa enim particula, *ne fortè*, cogere videtur, vt ex hoc loco intelligamus lignum vitæ etiam ſemel caſu guſtatum perfectam immortalitatem allaturum. Quod vero quidam dicunt Deum locutum eſse ironicè, cùm ait; *& viuat in æternum*; non eſt probabile: tum quia repugnat teſtimonijs Patrum: tum quia eiectio Adæ de paradiſo, & Angelus cum gladio flammineo conſtitutus ad cuſtodiendam viam ligni vitæ ſatis indicant Deum propriè, & ſeriò eſse locutum. Prob. 1. Gen 3.

Accedit etiam ratio. Nam non videtur fuiſse neceſsarium lignum vitæ, vt conſeruaret homines in ſtatu innocentiæ, ne ſenium eos diſsolueret: ſi enim abſque iuſtitia originali, & extra paradiſum inter tot anguſtias, & pericula vixerunt multi ſupra nongentos annos, vt Adam, Seth, Enos, Cainam, Iared, Mathuſalem, Noë, certè cum originali iuſtitia, in regione ſaluberrima paradiſi & in ſumma corporis, atque animi tranquillitate longè diutius viuere potuiſſent, quouſque videlicet transferẽdi eſſent de ſtatu gratiæ ad ſtatum gloriæ. Neque enim credibile eſt tempus viæ, & meriti, quod in Angelis breuiſſimum fuit, in hominibus futurum fuiſse longiſsimum. Prob. 2.

DE AMISSIONE GRATIÆ, ET STATV PECCATI.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De peccati definitione, & diuiſione.

l.2. De conſen. Euang. c.4. *Definitio peccati.* *1. Ioan. 3.*

PECCATVM ſic definitur à S. Auguſtino: *Peccatum eſt tranſgreſsio legis*. Quæ definitio generaliſsima eſt, & conuenit in peccata omnia, non ſolùm morum; ſed etiam naturæ, & artis. Nihil enim aliud eſt peccatum, niſi declinare, & recedere à regula. Quod etiam breuiſsimè docuit Ioannes: *Peccatum eſt iniquitas*. Et clariùs Græcè: ἁμαρτία ἐςὶ ἀνομία. At Peccatum in

L. 22. con. Fauſ. c. 27.

moribus, de quo ſolo nos agimus, definit idem S. Auguſtinus, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*. Quæ definitio magno applauſu à Theologis recepta eſt. Nec immerito. Nam, cùm duo quædam in peccato reperiantur; ſubſtantia, quæ eſt materiale; & ratio ipſa, quæ eſt formale peccati; vtrumque Auguſtinus ea definitione complexus eſt. Subſtantia peccati eſt actio aliqua voluntaria, vel voluntaria actionis omiſsio. Ratio peccati eſt ipſa declinatio, vel receſsio à regula in illa actione, vel eius omiſsione.

Et quoniam tria ſunt inſtrumenta generalia actionum, cor, lingua, manus: & rurſus tria ſunt genera actionum; vnum planè ſpiritualium, vt deſideriorum; aliud planè corporalium, vt factorum; aliud partim corporalium, partim ſpiritualium, vt verborum: propterea S. Auguſtinus, vt comprehenderet quidquid eſt in peccato materiale, dixit peccatum eſſe *dictum, vel factũ, vel concupitum*. Non meminit autem omiſsionis, quia definitiones debent eſſe breues, & negatio ex affirmatione colligitur.

Porrò peccati rationem indicauit Auguſtinus, cùm ait, *contra legem æternam*. Nec dicere voluit, contra rationem, vt loquuntur Philoſophi: nec, contra legem Dei, vt loquitur S. Ambroſius: neque, contra legem, ſimpliciter; ſed *contra legem æternam*: nimirum vt comprehenderet omnes leges, & ipſam legum radicem. Nam omnis lex tum naturalis, tum poſitiua; & poſitiua, tum Dei, tum hominum, ideò eſt lex, quia congruit cum lege æterna, quæ eſt

ipſa

ipſa Dei ratio ſumma, ac perfectiſsima regula: neque eſt aliud qualibet vera lex, niſi adumbratio quædam, & participatio legis æternæ.

Vnum deſiderari videtur in definitione S. Auguſtini, vt videlicet voluntarij mentio in ea fieret. Non enim quoduis dictum, factum, concupitum contra legem æternam eſt peccatum; ſed voluntarium. Sed facilè poterat ex alijs partibus definitionis colligi. Siquidem non eſt propriè contra legem, niſi id, quod eſt voluntarium. Neque enim lex propriè datur, niſi ijs, qui habent vſum liberi arbitrij.

Iam verò quinque ſunt peccati diuiſiones. Prima ſumitur ab obiectis, vt peccata, Alia ſint carnalia, Alia ſpiritualia: iuxta illud; *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus*. Eſt autem hæc plena, & perfecta partitio. Siquidem res omnes, ad quas inordinatè conuertimur, cùm peccamus, aut ſunt bona apprehenſa ſenſibus carnis, vt cibus, potus, cõcubitus, aut intelligentia, vt honor, poteſtas, diuitiæ. Per conuerſionem ad priora fiunt peccata carnalia: per conuerſionem ad poſteriora fiunt peccata ſpiritualia. Illa nos reddunt ſimiles belluis, iſta dæmonibus: & Latinè dicuntur illa flagitia, iſta ſcelera, vel facinora. *1. Peccati diuiſio. 2. Cor. 7.*

Altera partitio ducitur ab origine. Dicuntur enim Alia peccata actualia, Alia originalia. *2. Peccati diuiſio.*

Actualia ſunt, quæ propria voluntate committimus. *Actualia.*

Originalia ſunt, quæ trahuntur ab Adamo primo parente: per carnalem propagationem; quæque voluntaria ſunt aliena, non propria voluntate. *Originalia.*

Tertia partitio ſumitur à lege. Dicuntur enim peccata Alia commiſsionis, Alia omiſsionis. *3. Peccati diuiſio.*

Commiſsionis peccata ſunt, quæ pugnant cum lege negante, ac prohibente aliquid, vt adulterium, homicidium, furtum, quæ legibus illis repugnant: *Non mœchaberis, Non occides, Non furaberis.* *Commiſsionis.*

Omiſsionis verò ea peccata dicuntur, quę violant leges affirmantes, & imperantes aliquid. vt, cùm quis parentibus debitum honorem non exhibet, cõtra illud: *Honora Patrem*, &c. Et quidem commiſsio Peccatum; omiſsio delictum propriè dici ſolet: vt patet ex Leuitico, vbi alia ſacrificia inſtituuntur pro peccatis, alia pro delictis. *Omiſsionis. Leuit. 7.*

Quarta partitio: Peccata alia committuntur in Deum, Alia in proximum, Alia in noſipſos. Aduerſus quæ nos munit Apoſtolus, cùm ait: *Sobriè, iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo.* *4. Peccati diuiſio. Tit. 2.*

Sobriè videlicet quoad nos, *iuſtè* quoad proximum, *piè* quoad Deum. Et Propheta Dauid aduerſus eadem peccata *Spiritum ſanctum, ſpiritum rectum, ſpiritum principalem* à Deo petebat. *Pſal. 50.*

Quinta partitio: *5. Peccati diuiſio.*

Peccata alia ſunt, { Lethalia.
{ Venialia. { Ex cauſſa.
{ Ab Euentu.
{ Ex natura. { Ex { Genere ſuo.
{ Imperfectione operis. { Subreptione.
{ Paruitate materiæ.

Lethalia

Lethalia. *Lethalia* ſunt, quę hominem planè auertunt à Deo, & quibus pœna debetur æterna.

Venialia. *Venialia*, quæ nonnihil impediunt curſum ad Deum, non tamen ab eo auertunt, & facili negocio expiantur. Priora dicuntur Crimina; poſteriora Delicta.

Venialia ex cauſſa. *Venialia ex cauſſa* ſunt, quæ ex ignorantia, vel infirmitate committuntur. Quod genus peccati non dicitur veniale, vt diſtinguatur contra quodcunque mortale, ſed contra mortale ex malitia. Tametſi enim peccata ex ignorantia, vel ex infirmitate ſæpe ſint merè mortalia, tamen dicuntur omnia venialia, quia eſt in eis aliquid imminuens culpæ prauitatem, & ratione cuius is, qui *1 Timot. 1.* peccauit, eſt vicinior indulgentiæ. De hoc loquitur Apoſtolus: *Fui blaſphemus, & contumelioſus, & perſecutor, ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Veniale ab euentu. *Veniale ab euentu* dicitur id, quod per pœnitentiam expiatur. Hoc quoque non opponitur abſolutè mortalibus, ſed ijs, quæ reipſa nunquam remittuntur, ac per hoc ad mortem perducunt æternam.

Venialia ex natura. *Venialia ex natura*, & ratione peccati dicuntur ea, quæ non ſunt contraria charitati Dei, & proximi, quæque propriè, & abſolutè mortalibus opponuntur.

Venialia ex genere ſuo. *Venialia ex genere ſuo* dicuntur ea, quæ habent pro obiecto rem malam, & inordinatam, ſed quæ charitati Dei, vel proximi non repugnet. Quale eſt verbum otioſum, riſus nimius, &c. Et his contraria ſunt peccata mortalia ex genere ſuo; vt periurium, adulterium, &c. quæ apertè cum charitate Dei, vel proximi pugnant.

Venialia ex imperfectione operis. *Venialia ex imperfectione operis* ſunt, quæ tametſi ex genere ſuo mortalia eſſe poſſent, tamen ob imperfectionem operis venialia efficiuntur; quia videlicet ſola imperfectio operis facit, vt cum charitate pugnare non iudicentur. His contraria ſunt mortalia ex parte agentis, quæ quidem ex genere ſuo venialia eſſe potuiſſent, & tamen ex diſpoſitione quadam peccantis mortalia ſunt. Vt ſi quis adeò delectetur otioſis fabulationibus, vt paratus eſset in ijs tempus conterere, etiam cùm ex diuino præcepto aliquid aliud ei neceſsario faciendũ incumberet.

Venialia ex ſubreptione. *Venialia ex ſubreptione* ſunt, quæ non ſunt perfectè voluntaria, vt ſubiti motus cupiditatis, iræ, inuidentiæ, &c. qui prius in animo exiſtunt, quàm ratio planè deliberare potuerit, eſsent admittendi, nec ne?

Ex paruitate materiæ. *Ex materiæ paruitate* ſunt, quæ in re parua, ac leui committuntur. vt furtum vnius oboli; quod neque proximum notabiliter lædit, neque apud æquos homines amicitiam ſolet tollere.

CAPVT

CAPVT II.

De diſtinctione peccati venialis, & mortalis.

REfellendi hic primum ſunt errores hæreticorum.

Primus error eſt Iouiniani, & Pelagij, qui ſimpliciter diſtinctionem peccati mortalis, & venialis tollebant è medio. Refellitur autem apertiſsimè hic error ex ijs Scripturis, quæ docent peccata quædam iniuſtos homines conſtituere; quædam in ipſis iuſtis ita hærere, vt non propterea iuſti eſſe deſinant. 1. Error.

Ad primum caput illa pertinent Ezechielis vbi, poſteaquam Dominus per Prophetam deſcripſit hominem probum, qui non leuauerit oculos ad idola domus Iſraël, non adulterium, non furtum fecerit, hominem non contriſtauerit, &c. ſubiungit: *Hic iuſtus eſt, vita viuet*, quaſi dicat, ſi ſecus fecerit, iuſtus non erit; ſed iniuſtus. Et ideò paulò poſt addit: *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid viuet?* Eodem pertinet illud Apoſtoli: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poßidebunt? nolite errare; neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poßidebunt: Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Vbi Apoſtolus tribus modis oſtendit peccata, quæ hic enumerantur, facere homines iniuſtos; ſiue cum iuſtitia non poſſe conſiſtere. Primò, quia docet eos, qui talia agunt, eſſe iniquos. Nam, cùm dixiſſet: *Neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poßidebunt?* continuò explicuit, qui ſint appellandi iniqui, cùm addit: *Neque fornicarij, &c.* Secundò, quia purgationem ab eiuſmodi peccatis non ſolùm ablutionem vocat, ſed etiam iuſtificationem: nimirum, vt indicaret iniuſtos eſſe, qui talia agunt, vel egerunt, donec per Dei gratiam iuſtificentur. Tertiò, quia teſtatur eiuſmodi peccatis excludi hominem, ac priuari poſſeſsione regni cęlorum, quæ merces eſt operum bonorum, & corona iuſtitiæ. Refut. 1. Ezech. 18. 1. Cor. 6.

Ad alterum autem caput pertinet illud Prophetę: *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno.* Vbi illud, *Pro hac*, refertur ad peccati remiſsionem, de qua paulò antè dixerat: Dixi, *confitebor aduerſum iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Cùm igitur pro remiſsione peccati oret omnis Sanctus, manifeſtè ſequitur eſſe quædam peccata, quæ in ſanctis aliquando inueniuntur, nec tollunt ſanctitatem. Eodem pertinet illud: *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuël inter eos, qui inuocant nomen eius: cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum, quod dedit illis. Domine, Deus noſter, tu exaudiebas eos; Deus, tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Ex hoc loco diſcimus Moyſen, & Aaron, & Samuëlem viros iuſtos fuiſſe, & cuſtodiuiſſe præcepta Domini: & tamen non defuiſſe illis peccata, ob quæ Dei propitiatione egebant, Refut. 2. Pſal. 31. Pſal. 98.

bant, & à Domino paternè caſtigarentur. Simile eſt illud Salomonis: *Septies*
Prou. 24. *in die cadet iuſtus, & reſurget.* Et: *Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non*
Eccle. 7. *peccet.* Et in Teſtamento nouo docuit Chriſtus Apoſtolos, & omnes alios fi-
Matth. 6. deles, quantumuis iuſtiſsimos, quotidie dicere: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et S.
1. Ioan. 1. Ioannes, qui ſine dubio ſanctus, & iuſtus erat, de ſe, & alijs dicit: *Si dixerimus,*
quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. Et S. Iacobus ſimiliter de ſe, & alijs
Iacob. 3. pronunciat: *In multis offendimus omnes.* Idem etiam ex definitione Conciliorũ,
Refut. 3. & conſenſu ſanctorum Patrum probari poteſt.

Alter error. Alter error eſt Ioannis VVicleffi, & Ioannis Caluini, qui peccata venialia dici volunt omnia peccata prædeſtinatorum; mortalia verò omnia peccata reproborum.

Refutatur 1. *1. Exemplum.* Quæ ſententia confutatur. Nam profectò Adam prædeſtinatus erat, & nunc in cœlis cum beatis ſpiritibus regnat: & tamen eundem Adamum lethaliter peccaſſe, & verè à gratia Dei excidiſſe, nemo vnquam negauit; cùm Apo-
Rom. 5. ſtolus dicat: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum*
Gen. 2. *mors.* & cùm Deus tam apertè comminatus eſſet: *Quacunque die comederis ex ea, morte morieris.* Quod de morte non ſolum corporis, ſed etiam animæ intelligendum eſſe, docent S. Patres. Adde etiam, quod non ſolum lapſus eſt Adam in peccatum lethalis inobedientię, ſed etiam amiſit fidem; quam amitti non poſſe Caluinus exiſtimat.

2. Exemplum. Alterum exemplum eſt ſancti Prophetę Dauid, quem prędeſtinatum fuiſſe, atque adeò ſaluum, & ſanctum eſſe, nemo negare poteſt, cùm Dominus di-
Luc. 13. cat: *Cùm videritis Abraham, Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei.* Non aberit ergò Dauid, qui per excellentiam inuenit Prophetę cognomen. Eundem fuiſſe fidelem, & iuſtum, antequam in peccatum adulterij, & homicidij
Act. 13. laberetur, æquè certum eſt. Nam Apoſtolus Paulus ſic ait de eo: *Suſcitauit illis* (Deus) *Dauid Regem, cui teſtimonium perhibens dixit; Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundum cor meum.* Et Pſalmi eius apertè indicant fuiſſe Dauidem plenum fide, & Spiritu ſancto.

Porrò eundem lapſum eſſe in peccata mortalia, eaque grauiſsima, ac per hoc Spiritum ſanctum excuſsiſſe, & à gratia excidiſſe facilè probari poteſt. Nam hoc apertiſsimè inprimis docet ipſe Dauid *in Pſal. 50.* vbi propriè deflet adulterium ſuum, & homicidium occaſione Bethſabeæ commiſſum. Vbi in-
Pſal 50. ter cætera dicit: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Et: *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Nec ſanè peteret cor mundum in ſe creari, & renouari ſpiritum rectum, niſi crederet per peccatum munditiem cordis, & rectitudinem ſpiritus ſe amiſiſſe. Quod verò ſubiungitur: *Et Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me:* non ſignificat in eo peccante remanſiſſe habitatorem Spiritum ſanctum, qui in ſolis iuſtis propriè habitat: ſed ſignificat (teſte Auguſtino) ſpiritum cœpiſſe iterum Dauidi adeſſe, cùm ei pœnitentiam inſpirauit; & ideò Dauidem, qui donum Dei non ignorabat, precatum eſſe à Deo, vt ſpiritum illum ſanctum pœnitentiæ lachrymas in ſe excitantem non auferret. Quod autem Dauid reconciliationem adhuc expectaret, & peteret, perſpicuum eſt ex verbis ſequentibus: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Et rurſum: *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata.* Et:

Cor

Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. His accedunt teſtimonia Patrum.

Tertium exemplum eſt Apoſtoli Petri, quem prædeſtinatum fuiſſe, & nũc 3. Exemplum.
ſaluum, ſanctum, & beatum eſſe, nemo negat, cum B. Ioannes in extremo
Euangelio ſuo tam luculentum teſtimonium reddiderit beatæ morti ipſius.
Nam, cùm Dominus Petro dixiſſet: *Cùm ſenueris, alius cinget te, & ducet, quò tu* Ioan. vlt.
non vis; ſubiunxit Euangeliſta: *Hoc autem dixit ſignificans, qua morte clarificaturus*
eſſet Deum. Eundem Petrum fidelem, & iuſtum fuiſſe antequam Dominum ter
abnegaret, teſtis eſt Chriſtus ipſe, qui eum *beatum* appellauit: & eidem dixit: Matt. 16.
Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Eundem Ioan. 13.
autem mortale peccatum, & quidem grauiſsimum admiſiſſe, cùm ad vocem
ancillæ Dominum negauit; nec ſolùm negauit, ſed etiam iureiurando, & anathematizando
negationem confirmauit; teſtantur lacrymæ, & pœnitentia
eius. Teſtantur etiam S. Patres idipſum paſsim. Falſum ergò omninò eſt,
peccata prædeſtinatorum non poſſe eſſe lethalia, præſertim ſi fidem aliquando
habuerint.

His omnibus accedat manifeſta ratio. Actiones illas Adami, Dauidis, Petri Refut. 3.
ex genere ſuo peccata fuiſſe, nemo negare poteſt: ea verò peccata à ſcientibus,
& volentibus commiſſa, atque adeò voluntaria fuiſſe, extra controuerſiã eſt.
Quæro igitur, an ea peccata ſimul cum fide iuſtificante in hominibus illis
Adamo, Dauide, Petro conſiſtere potuerint; an non potuerint? Nam ſi non
potuerunt, excuſſerunt fidem iuſtificantem; ac per hoc læthalia fuerunt. Si
verò dicat Caluinus cum fide conſiſtere potuiſſe, ſequitur poſſe homines ſemel
iuſtificatos liberè præuaricari Dei mãdata; adulteria, homicidia perpetrare,
Chriſtum abnegare, addita etiam execratione, & periurio.

Tertius error eſt Lutheranorum, qui tria præcipuè docent. Primò, pecca- 3. Error.
ta venialia eſſe illa, quæ à Deo non imputantur, quamuis ex ſe digna ſint pœna,
ac ſupplicio ſempiterno.

Repugnat autem hoc apertè Scripturis, & Patribus. Scriptura ſiquidem Refut.
in ijs locis, vbi de peccatis venialibus loquitur, manifeſtè docet oportere à
Deo peti remiſsionem eorum peccatorum: non igitur ea ſunt recta, & condonata,
vel non imputata; ſed imputantur, & ligant, ac reum faciunt, quamuis
facilè condonentur, ac remittantur. Nam in iſto loco; *Dimitte nobis debita* Matth. 6.
noſtra; agitur de venialibus: quia iuſtorum etiam eſt hæc humilis, & vera confeſsio.
At hic videmus peti à iuſtis remiſsionem peccatorum venialium. Eadem
ratio eſt de illo loco: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus*, &c. continuò 1. Ioan. 1.
ſubiungitur: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata*
noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. At ſi peccata iuſtorum, quia perſona
grata eſt non imputarentur, quid opus eſſet remiſsione? & cur oporteret cõfeſsionem
antè præmittere? Nec diſsimilis eſt ille locus: *Pro hac* (id eſt, pro re- Pſal. 31.
miſsione peccati) *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Et illud: *Tu propi-* Pſal. 98.
tius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Certè ſi vlciſcebatur Deus
peccata ſeruorum ſuorum fidelium Moyſis, Aaronis, & Samuelis, imputabat
eis; nec tegebat, donec purgata eſsent. Huc etiam pertinet illud: *Qui lotus* Ioan. 13.
eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet: quod ſancti Patres ad peccata venialia perti-

nere docuerunt. Qui enim lotus eſt ab impietate, & lethalibus criminibus, adhuc eget lotione pedum, id eſt, remiſsione venialium, quæ inſtar pulueris in via vitæ huius pedibus noſtris adhærent.

4. Error. Secundò, dicunt Lutherani illa peccata à Deo non imputari, quæ ſimul in homine cum fide, id eſt, cum fiducia miſericordiæ conſiſtunt.

Refut. 1. Quod ſi hoc ita ſit, ſequitur nullum eſſe mortale peccatum præter infidelitatem: ac proinde ſacrilegia, homicidia, adulteria, furta, rapinas non eſſe peccata mortalia; quod eſt contra manifeſtam Chriſti, & Apoſtolorum ſententiam. Hoc autem inde ſequi, probatur: Nam nullum eſt peccatum, quod fidem neceſſario excludat præter id, quod ei opponitur, quod eſt infidelitas. Nam, ſi per fidem intelligatur aſſenſus certus, & indubitatus his omnibus rebus adhibitus, quas Eccleſia ex verbo Dei ſcripto, vel tradito credendas eſſe docet, multos videmus inter Catholicos peccatores publicos, homicidas, fornicarios, &c. qui tamen ſine vlla dubitatione fidem habent ijs omnibus, quę Eccleſia credenda proponit.

Si verò per fidem accipiamus, (vt falſo exiſtimant Lutherani) fiduciam miſericordiæ propter Chriſtum; & quidem ſpecialem, qua vnuſquiſque certò credat, & confidat ſibi Deum propter Chriſtum eſſe propitium, videmus plurimos inter hæreticos, qui eiuſmodi fidem ſe habere dicant, cùm vitam turpiſsimam ducant, & errores etiam grauiſsimos de Chriſto, de Eccleſia, de Sacramentis, de peccatis, de iuſtificatione, cæteriſque rebus ad doctrinā fidei pertinentibus doceant.

Refut. 2. Idem hoc probatur ex doctrina Patrum, & ex communi ſenſu, & conſenſu omnium gentium. Nam, ſi peccata omnia, vel ſaltem grauiora, quæ nos mortalia appellamus, cum fide conſiſtere non poſſent, ſequeretur, non poſſe hominem Chriſtianum labi in fornicationem, furtum, &c. quin eodem momento fieret hæreticus. Nam fidem iuſtificantem amitteret, quæ ſola eſt vera fides: qui autem fidem veram amittunt, hæretici dicuntur. At hoc repugnat toti antiquitati. Semper enim in Eccleſia latiſsimum diſcrimen eſt agnitum, inter hæreticos, & malos Catholicos: cùm illi diſceſsionem faciant ab Eccleſia, iſti intra Eccleſiam perditè viuant: illi doctrinam oppugnent, iſti diſciplinam violent: illi zizanijs, iſti paleis: illi lupis rapacibus, iſti morbidis ouibus comparentur.

Eſſe autem hoc contra doctrinam Chriſti, & Apoſtolorum, quæ erat argumenti noſtri aſſumptio, facilè poteſt oſtendi. Chriſtus enim inquit: *Qui*
Matth. 5. *dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ex quo intelligimus verbum con-
Matt. 25. tumelioſum in fratrem, peccatum eſſe lethale. Et: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare,* &c. Ex quo loco rectè
L. de fide, & oper. c. 15. colligit Auguſtinus non communicare bona ſua cum indigentibus, & multo magis rapere aliena, peccata eſſe mortalia, etiam in his, qui fidem nunquam
1. Cor. 6. amiſerunt. Apoſtolus autem enumerat aliquot genera peccatorum, & ſubiu-
Ephes. 5. & Gal. 5. git: *Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt.*

5. Error. Refut. Tertiò dicunt Lutherani, illa ſola peccata cum fide conſiſtere, quæ inuoluntaria ſunt. Hoc apertiſsimè conuincitur falſum eſſe ex ijs, quæ dicta ſunt.

Non

Non ſolum enim inuoluntaria, ſed etiam voluntaria, quantumuis grauia, ſimul cum fide conſiſtunt præter id ſolùm, quod fidei contrarium eſt, hæreſin videlicet, aut infidelitatem. Deinde peccata prorſus inuoluntaria apud eos, qui rectè iudicare poſſunt, non venialia, ſed nulla ſunt: &, ſi S. Auguſtino credimus, repugnantia loquitur, qui dicit peccatum inuoluntarium, cùm de ratione peccati ſit eſſe voluntarium.

L. de vera religione, c. 14.

Nunc probandum nobis eſt, peccatum veniale natura ſua diſtingui à mortali, ac ſine vlla relatione vel ad prædeſtinationem, vel ad miſericordiam Dei, vel ad ſtatum renatorum eſſe eiuſmodi, vt pœnam quidem mereatur, ſed non æternam: & Deum offendat, ſed non vſque ad amicitiæ diſſolutionem.

Prob. 1. diſtinctio peccati venialis à mortali.

Matt. 5.

Probatur primò ex Scripturis. Sic enim legimus: *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit, raca, reus erit concilio: qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hoc loco non reſpicit Dominus prædeſtinationem; neque diſcutit, quid poſſit, aut velit diuina miſericordia: ſed res ipſas dijudicat, & peccatorum menſuram. Facit autem tres gradus iracundiæ. Vnum eius, quæ ita leuis eſt, vt in vocem nullam erumpat. Alterum eius, quæ paulò grauior eſt, non tamen peruenit vſque ad apertum conuitium. Tertium eius, quæ grauiſsima eſt, & manifeſtum conuitium parit. Quamuis enim poſſit interdum iracundia interior eſſe grauiſsima, & tamen diſsimulari exterius; nihilominus ordinariè quo eſt maior, eò ſe magis prodit: & ideò Dominus leuiſsimam iracundiam vocat eam, quæ non manifeſtatur vllo ſigno exteriore. Probabile verò eſt, *Raca*, hoc loco ſignificare hominem vacuum opibus, aut dignitate; aut certè vanum, & ocioſum. Nam & in his ſignificationibus inuenitur ea vox in Scripturis; & longè minùs lædit, quàm vox, *fatuus*.

Reus iudicij.

L. 1. de ſerm. Domini in monte.

Reus concilij.

Reus gehennæ ignis.

His autem tribus gradibus peccatorum reſpondent tres reatus, iudicij, concilij, & gehennæ ignis. Et quidem *reus iudicij* dicitur (vt explicat S. Auguſtinus) qui aliquid fecit, vnde in iudicium vocari poſsit, vt cauſſa eius diſcutiatur. *Reus Concilij*, cuius culpa certa eſt; ſed ambiguum quanta ſit, & quam pœnam mereatur; & ideo iudices inter ſe conueniunt in Concilium, vt definiant pœnæ menſuram. *Reus gehennæ ignis* dicitur, cuius culpa, & menſura culpæ, ac per hoc etiam pœnæ grauitas certa eſt. Ex his conficitur argumentum. Manifeſtum conuitium, teſte, vel iudice Chriſto, facit reum gehennæ ignis, ac per hoc eſt peccatum mortale: iracundia ſono vocis expreſſa, ſed ad malum conuitij non pertingens, facit reum concilij, id eſt, non conſtat, an mereatur gehennam; ſed aut ea pœna, aut minore digna ſit. Inueniuntur igitur peccata quædam, quæ leuiora ſunt, quàm vt gehennam ignis mereantur. Quorſum enim cogeretur Concilium ad diſcernendum, num aliqua culpa ignis gehenna punienda eſſet, ſi omnes culpæ gehennam ignis mereantur?

Rurſus, iracundia, quæ nullo ſigno externo foras erupit, non facit reum Concilio, ſed iudicio: id eſt, non conſtat, an mereantur pœnam aliquam, an nullam; ex quo ſequitur, vt ſine dubio, ſi pœnam meretur, temporalem non æternam mereatur; cùm ſit leuior culpa, quàm ea eſset, de qua dubium eſse poterat temporalene ſupplicium, an æternum mereretur.

Alia duo teſtimonia ſunt, in quibus Dominus peccata quædam comparat
Matt. 23. rebus natura ſua leuiſsimis; alia verò grauiſsimis. *Duces cæci*, inquit, *excolantes culicem; camelum autem glutientes*. Hic videmus peccata quædam conferri culi-
Luc. 6. cibus, alia camelis. Rurſus: *Quid*, inquit, *vides feſtucam in oculo fratris tui; trabem*
Luc. 12. *autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?* Aliud teſtimonium: *Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouiſsimum minutum reddas.* Per *nouiſsimum minutum* intelligunt Patres peccata minuta, & leuiſsima, pro quibus in carcere purgatorij ſatiſfaciendum eſt, niſi in hac vita purgata, vel relaxata fuerint. Cùm igitur debitum vnius minuti minimum ſit, neque in vllo tribunali pro tam exiguo debito vllus damnari poſsit ad mortem; ſi Dominus peccata venialia tali debito rectè comparauit, ſequitur, vt peccata venialia ex natura ſua mortem æternam nulla ratione mereantur.

Ad hęc Apoſtolus Paulus peccata venialia rebus natúra ſua leuiſsimis cõ-
1. Cor. 3. parat: ligno ſcilicet, fęno, ſtipulis. *Si quis*, inquit, *ſuperædificat ſuper fundamentũ hoc aurũ, argentum, lapides precioſos; ligna, fænũ, ſtipulã, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur; & vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen, quaſi per ignem.* Quo loco (vt Patres exponunt) ſignificat Apoſtolus per *aurum*, & *argentum*, & *lapides precioſos* opera perfecta, & laudabilia, quæ in iudicio Dei examinata nihil, niſi mercedem, promerentur, per *lignum fænum*, & *ſtipulas* opera inutilia, & reprehenſione digna, ſed venialia; quæ detrimentum quidem adferant, & purgatione indigeant, non tamen à ſalute excidere faciant.

Accedat his teſtimonium S. Iacobi Apoſtoli, qui diſtinguit tentationem à
Iacob. 1. peccato, & peccatum à crimine: *Vnuſquiſque*, inquit, *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Concupiſcentia verò, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Vbi S. Iacobus diſtinguit tres motus concupiſcentiæ.

Vnum inuoluntarium, quo quis ad peccatum incitatur ſine vllo conſenſu, cùm ait: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus.* Et hunc motum non dicit Apoſtolus eſſe peccatum, ſed cauſſam peccati, ſi nimirum accedat conſenſus.

Alterum motum vult eſſe imperfectè voluntarium, cùm ait, *Concupiſcentia verò, cùm conceperit, parit peccatum.* Eſſe autem hunc motum imperfectè voluntarium, & proinde peccatum, ſed veniale, patet, quia nominatur peccatum, & tamen diſtinguitur à peccato conſummato, & mortem generante. Ex quo intelligimus hunc ſecundum motum non eſſe peccatum conſummatum, nec mortem generare, ac per hoc non eſſe peccatum mortale.

Tertium denique adiungit perfectè voluntarium. Et hunc motum eſſe peccatum mortale, declarat Apoſtolus, dicens: *Peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Neque verò ſuſpicari debemus peccatum conſummatum hoc loco dici ſolùm peccatum opere perpetratum, quaſi deſideria illicita mortalia peccata nominari non poſſent, niſi opere compleantur. Nam, cùm inter decem prima pręcepta legis diſtinctè nominentur, tanquam duo
Exod. 20. diuerſa mandata: *Non mœchaberis.* Et: *Non concupiſces vxorem proximi tui.* Et cum

Dominus in Euang. dixerit: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*: dubium eſſe non poteſt, quin peccatum conſummatum, & generans mortem ſit concupiſcentia, cui perfectus, & coſummatus adhibetur conſenſus tametſi nunquam opere compleatur. Matt. 5.

Accedant vltimo duo loca, in quibus de peccatis quibuſdam longè mitius Scripturæ loquuntur, quàm de ijs loqui ſoleant, quæ ſunt omnium conſenſu peccata lethalia. *De omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij*. Aliud profectò eſt verbum ocioſum non eſſe ſine culpa, & ideo diſcutiendum in die iudicij: Aliud verò: *Ite in ignem æternum. Ligatis manibus, & pedibus eius, proijcite eum in tenebras exteriores. Diſcedite à me operarij iniquitatis*. Et alia id genus, quæ paſsim occurrunt in Euangelijs: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, non nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei, &c.* Non temerè B. Apoſtolus, cùm ſex peccatorum genera cauenda eſſe pronunciaſſet: quæ videlicet apud Gentiles vix pro peccatis agnoſcebantur, fornicationem, immunditiam, auaritiam, turpia verba, ſtultiloquia, & ſcurrilitatem, de tribus prioribus tantum adiunxit eos, qui talia agunt, non habere hęreditatem in regno Chriſti, & Dei. Nimirum enim docere volebat tria poſteriora debere quidem eſſe aliena ab ore ſanctificato fidelium; non tamen ex genere ſuo talia eſſe, quæ excludant ab hęreditate Chriſtj, & Dei. Matt. 12. Matt. 25. Ma. ca. 22. Luc. 13. Epheſ. 5.

Idem prob. ſecundò ex traditione Eccleſiæ. Nam Concilium Mileuitanũ docet ſanctos, & iuſtos homines habere peccata quędam, quæ, tametſi ſanctitati, & iuſtitiæ non repugnent, tamen verè peccata ſint, & remiſsione indigeant. Prob. 2. veritas. can. 7. & 8.

In Concilio etiam Trident. docemur, in confeſsione Sacramentali peccata mortalia omnia, quæ menti occurrunt poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem, eſſe neceſſario aperienda: venialia verò vtiliter aperiri, non neceſſario. Ex quo ſequitur, quòd peccata venialia non ſolùm in hominibus iuſtis, ſed etiam in impijs eſſe poſsint: alioqui homines impij omnia omnino peccata in confeſsione neceſſario aperire deberent. Seſſ. 14. c. 5.

Prob. tertiò ex traditione Patrum, Græcorum, & Latinorum. Prob 3.

Quarto prob. ratione. Prob 4.

Prima ratio: Si peccata venialia ex natura ſua eſſent mortalia, & ſolùm fidelibus ob fidem, quam habent, non imputarentur, certè infidelibus omninò imputarentur, & mortalia eſſent. Id verò manifeſtè falſum, atque abſurdum eſt. Ergo & prius. Propoſitio ab aduerſarijs conceditur, neque vlla probatione eget. Nam, ſi ſola fides cauſſa eſt, cur peccata aliqua ſint venialia, ſine dubio peccata omnia mortalia erunt ijs, qui fide carent. Aſſumpt. prob. Nam in eodem genere peccati grauius Deum fidelis, quàm infidelis offendit. Siquidem fidelis magis tenetur perfectioni ſtudere, quàm infidelis, cùm & maiori lumine ſit præditus, & plura à Deo beneficia, plura contra peccatum remedia, plura denique adiumenta receperit. *Ille ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem* 1. Ratio. Luc. 12.

tem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Et Apoſtolus: *Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Contra vero idem Apoſtolus docet peccata infidelium ob ignorantiam eſſe leuiora, cùm de ſe ita loquitur: *Miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Et ſanè quis capiat, verbum ocioſum infideli alicui peccatum eſſe mortale, mihi autem veniale, cùm ego diſertis verbis Deum dixiſſe legerim: *De omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij:* Ille autem nihil eiuſmodi audiuerit; & cùm ſine vlla comparatione magis tenear ego perfectioni ſtudere, quàm ille?

Hebr. 10. 1. Tim. 1. Matth. 12.

2. Ratio. Secunda ratio: Si propriè loqui velimus, non ideò peccatum aliquod eſt veniale, quia Deus illud ad reatum mortis non imputat, ſed ideo non imputat, quia eſt veniale. Veniale ſiquidem dicitur, quod eſt venia dignum, ſiue in quo aliquid eſt, cur mitius puniri debeat. Quæro igitur, quid illud ſit, quod facit, vt peccatum aliquod ſit venia dignum, & ad reatum mortis à Deo non imputetur? Reſpondebunt eſſe fidem, cum qua peccatum illud ſimul conſiſtit. Sed rurſus quæro, cur peccatum aliquod cum fide ſimul conſiſtat? Reſpondebunt, quia illud inuoluntarium eſt, hoc voluntarium. At quid hoc eſt aliud, niſi diſcrimen peccatorum mortalium, & venialium ad ipſam peccati rationem, & naturam referre, & verbo negare, quod reipſa affirmare cogaris? Nam voluntarium eſſe, & inuoluntarium ad ipſam peccati naturam, & rationem pertinet. Siquidem peccatum, quò magis eſt voluntarium, eò magis eſt peccatum; quò minus eſt voluntarium, eò minus eſt peccatum; &, ſi nullo modo volũtarium ſit, nullo modo peccatum erit.

3. Ratio. Tertia ratio ex S. Thoma: Peccatum veniale ex natura ſua non ponit in homine auerſionem à Deo, cùm non repugnet charitati, vt notum eſt: at pœna æterna non debetur peccato, niſi ratione auerſionis à bono æterno, quod eſt Deus. Ergò peccatum veniale ex natura ſua non eſt tale, vt reum faciat hominem ſupplicij ſempiterni.

4. Ratio. Quarta ratio: Si natura ſua quæuis offenſio diſſolueret amicitiam Dei, eadem ratione diſſolueret quamuis aliam amicitiam. Quod enim ex natura rei conuenit, ſemper, & vbique conuenit. At multum differt offenſio grauis, & capitalis à leui, & veniali inter homines.

5. Ratio. Quinta ratio: Peccatum non dicitur vniuocè de mortali, & veniali; ſed per analogiam quandam, & proinde peccatum veniale non eſt perfectè peccatum, ſicut mortale; ſed imperfectè. Igitur non debetur ei pœna æterna, quæ eſt ſimpliciter, & perfectè pœna, vel potius pœnarum omnium grauiſsima. Antecedens, quod ſolùm in controuerſiam venire poteſt, prob. Ad peccatum conſtituendum duo potiſsimùm requiruntur; vt ſit voluntarium, & contra legem. Peccatum autem veniale omne, aut non eſt perfectè voluntarium, aut non eſt perfectè contra legem. Quod prob. & declaratur. Nam peccatum veniale triplex eſt. Aut enim eſt veniale ex genere ſuo, vt verbum ocioſum: aut ex imperfectione operis; & hoc vel ex ſubreptione, vt deſiderium illicitæ rei non plenè deliberatum; vel ex paruitate materiæ, vt furtum vnius oboli, vel

alterius rei nullo precio æſtimatæ, aut viliſsimo. Peccatum igitur veniale ex ſubreptione non eſt perfectè voluntarium, proinde nec perfectè peccatum. Peccatum autem veniale ex paruitate materiæ eſt quidem perfectè voluntarium, ſed non perfectè contra legem. Lex enim non prohibet furtum vnius oboli in ſpecie, ſed prohibet furtum in genere. Et, quia finis præcepti eſt charitas, qui prohibet furtum, prohibet iniuriam, & læſionem proximi: & furtum quidem rei notabilis, quo ſimpliciter proximus læditur, prohibet ſimpliciter; furtum rei minimæ, quo proximus non læditur, niſi ſecundum quid, non prohibet, niſi ſecundum quid. Idem de ceteris ſimilibus legibus intelligendum eſt. Quare peccatum veniale ex imperfectione operis non eſt perfectè contra legem, proinde nec perfectè peccatum. Denique; Peccatum veniale ex genere ſuo eſſe poteſt perfectè voluntarium, & perfectè contra legem, ſi lex aliqua ſpecialis de eo fit: ſed ea lex non erit perfectè, & in rigore lex, vt ſic loquamur. Nam, cùm finis præcepti ſit charitas, & ex fine menſurentur præcepta, ſi quod præceptum conſtituatur de re, quæ parum admodum ad eum finem pertineat; vt ſi ſpeciali præcepto caueatur, ne quis verbum ocioſum loquatur; illud præceptum non poterit eſſe perfectè, & in rigore, atque antonomaſticè lex. Ita videmus omnia peccata venialia, aut non eſſe perfectè voluntaria, aut non eſſe perfectè contra legem, quæ perfectè, & in rigore ſit lex. Et quia, quod non eſt perfectè voluntarium, hoc ipſo etiam non eſt perfectè contra legem, niſi materialiter; propterea rectè dicunt Theologi peccata venialia cuiuſcunque generis ſint, non eſſe contra legem, ſed præter legem. Quod totũ hac etiam ratione confirmari poteſt. Si peccatum veniale perfectè, ac propriè eſſet contra legem, ſequeretur hominem iuſtum ſtatim, atque vnum aliquod peccatum veniale commiſit, eſſe verè, ac perfectè legis præuaricatorem, ac per hoc reum omnium cœleſtium præceptorum, iuxta illud: *Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus.* Hoc autem falſum, & abſurdiſsimum eſſe conſtat ex eo, quòd Script. vocat homines ſimpliciter ſanctos, & iuſtos, & legis diuinæ obſeruatores, etiam cùm peccatis venialibus non carent. Nam de Zacharia, & Elizabeth ſcribit Lucas: *Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela.* Hos autem non caruiſſe peccatis venialibus, etiam tunc, cùm incedebant in omnibus mandatis Domini, dubium eſſe non poteſt, cùm Apoſtolus Ioannes de ſe, & ſui ſimilibus dicat: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.* Et alius Apoſtolus: *In multis offendimus omnes.* Denique; Peccata venialia non excludunt charitatem, nam alioqui in hominibus iuſtis eſſe non poſſent, cùm charitas ſit vera, perfectaque iuſtitia: *Qui autem diligit, legem impleuit.* Non igitur legis præuaricator eſt, qui ſola habet peccata venialia, quin potius ijs etiam præſentibus legem implere dicitur.

Iacob. 2. *Luc. 1.* *1. Ioan. 1.* *Iacob. 3.* *Rom. 13.*

Capvt III.

Deum non peccare, nec eſſe peccati auctorem.

Prob. 1. PRob. primò ex Scripturis, quæ diſertis verbis affirmant à Deo peccata nõ
Gen. 1. fieri. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Et: *Deus fidelis, & abſque*
Deut. 32. *vlla iniquitate.* Et: *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem*
Habac. 1. *non poteris.* Et: *Nunquid iniquus eſt Deus? abſit, alioqui quomodo iudicabit Deus hunc*
Rom 3. *mundum?* Et: *Nunquid iniquitas apud Deum? abſit.* Et: *Peccatum in eo non eſt.* Et: *Nihil*
Rom 9. *odiſti eorum, quæ feciſti.* Item: *Odio eſt Deo impius, & impietas eius.* Denique; Script.
1. Ioan. 3. plena eſt eiuſmodi teſtimonijs.
Sap. 11.
Sap. 14.

Prob. 2. Secundò; Script. docet Deum non velle peccata; ac proinde non decreuiſſe
Pſal 5. ab æterno, vt peccata fierent. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et: *Perdidiſti omnes,*
Pſal 72. *qui fornicantur abs te.* Et: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus?* Et:
Ezech. 18. *Deus neminem vult perire.*
2. Pet. 3.

Prob. 3. Tertiò; Script. manifeſtè docet Deum non imperare peccata, ac per hoc
Eccle. 15. non eſſe auctorem peccatorum, vt cauſſam moralem. *Nemini mandauit impiè*
Ierem. 19. *agere.* Et: *Ædificauerunt excelſa Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Denique; Deus ſeueriſsimè prohibet, & punit omnia peccata.

Prob. 4. Quartò; Script. docet Deum non incitare, ac multo minùs compellere ho-
Iac. 1. mines ad peccandum. *Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim*
Eccle. 15. *intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat.* Et: *Non dicas; Per Deum abeſt. Quæ enim odit, ne feceris. Non dicas; Ille me implanauit. Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Quo teſtimonio Spiritus ſanctus ſtudioſè refutare voluiſſe videtur ſententiam aduerſariorum. Quia enim Petrus ille falsò Martyr nominatus, duobus modis dicit Deum impellere ad opera mala: vno modo, ita deſerendo, vt nulla ratione poſsit homo tentationi reſiſtere: altero modo, præbendo peccati incitamenta intus in animo, & etiam extra. Contra priorem modum clamat Spiritus ſanctus: *Non dicas; Per Deum abeſt.* Contra poſteriorem addit: *Non dicas; Ille me implanauit.* Et quoniam Beza docet Deum voluiſſe, ac decreuiſſe, vt primus homo peccaret, & peccando nos omnes peccatores efficeret, quoniam, niſi homines peccatores eſſent, non poſſet Deus gloriam iuſtitiæ, & miſericordiæ ſuæ partim puniendo, partim miſerendo patefacere: ex quo ſequitur, vt neceſſarij ſint Deo homines impij: ideò Spiritus ſanctus addi vo-
1. Cor. 10. luit illam rationem: *Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Ad hæc Paulus; *Fidelis Deus, qui non ſinet vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Profectò, qui non permittit nos tentari ſupra vires, multo minus ipſe nos tentat, aut impellit ad peccandum.

Prob. 5. Quintò; Script. docet peccatum eſſe proprium creaturæ. Ex quo ſequitur,

vt

vt nullo modo in Creatorem referri poſsit. *Perditio tua ex te, Iſraël, tantummodo* Oſee 13.
in me auxilium tuum, id eſt, nihil ex me habes, niſi adiutorium; ruinam ex te ſo-
lo habes. *Cùm loquitur mendacium, de proprio loquitur: quia mendax eſt, & pater e-* Ioan 8.
ius. Et: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt*. Denique; *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non* 1. Ioan 3.
ſunt vllæ. 1. Ioan. 1.

Sextò; Script. docet Deum hortari homines, vt non obdurent corda ſua. Prob. 6.
Nolite obdurare corda veſtra. Item, pulſare ad oſtium cordis, & paratum eſſe in- Pſalm 94.
gredi, ſi aperiatur. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum*. Apoc. 3.
Item, inuitare omnes ad ſe: *Venite ad me omnes*. Non igitur Deus poteſt eſſe Matth 11.
cauſſa peccati indurando propriè corda hominum, & intus efficaciter ope-
rando. Alioqui videretur Deus ſibi ipſe contrarius. Idem prob. ex traditione
Patrum.

Prob. denique ratione. Prob 7. 8.

Prima ratio eſt S. Anſelmi: Iuſta voluntas hominis eſt ea tantùm, quę vult 1. Ratio.
id, quod Deus vult eam velle: iniuſta vero è contrario eſt ea, quæ vult id,
quod Deus non vult eam velle. Ergo, ſi Deus vellet hominem peccare, vel-
let hominem velle id, quod non vellet eum velle, quæ eſt manifeſta contra-
dictio.

Secunda ratio eſt Fulgentij: In Dei operibus nihil poteſt eſſe non plenum 2. Ratio.
ſapientiæ, & rationis: nulla autem poteſt excogitari ratio, cur Deus velit, aut
faciat homines peccare: non igitur id vult, aut facit. Aſſumptio demonſtratur
hoc modo: In omni opere Dei aut iuſtitia, aut miſericordia cernitur: nam
omnes viæ eius miſericordia, & veritas. Et quidem, cur Deus hominem ex iniuſto Pſal. 24.
faciat iuſtum, ratio reddi poteſt, quia in eo opere miſericordia diuina mirifi-
cè declaratur: at cur ex iuſto facere velit iniuſtum, ratio reddi nequit, cùm in
hoc opere nec miſericordia, nec iuſtitia, ſed iniquitas potius, & crudelitas le-
cum habeant.

Tertia ratio eſt S. Auguſtini: Nullo ſapiente homine auctore fit homo de- 3. Ratio.
terior: Non enim parua iſta culpa eſt, immò tanta eſt, quæ in ſapiẽtem quem-
uis hominem cadere nequeat. Eſt autem Deus omni homine ſapiente præ-
ſtantior. Igitur multo minus Deo auctore fit deterior. Item: Quiſquis om-
nium, quæ ſunt, auctor eſt, & ad cuius bonitatem id tantum pertinet, vt ſit
omne, quod eſt, non eſſe ad eum pertinere nullo modo poteſt. Omne autem,
quod deficit, ab eo, quod eſt eſſe, deficit, & tendit in non eſſe. Eſſe autem, & in
nullo deficere bonum eſt; & malum eſt deficere. At ille, ad quem non eſse non
pertinet, non eſt cauſsa deficiendi, id eſt, tendendi ad non eſse, quia, vt ita di-
cam, eſsendi cauſsa eſt. Boni igitur tantummodo cauſsa eſt, & propterea ipſe
ſummum bonum eſt: quocirca mali auctor non eſt, qui omnium, quæ ſunt,
auctor eſt, quia in quantum ſunt, in tantum bona ſunt. Simili ratione vtun-
tur ferè omnes Patres, qui ex eo, quod Deus natura bonus eſt, & ſummum,
purumque bonum, colligunt fieri non poſse, vt ab ipſo ſit origo mali; cùm ſi-
mile à ſimili, non à contrario producatur.

Quarta ratio eſt S. Ambroſij: Deus cupit eradicari malitiam, & ideo pro- 4. Ratio.
hibet, ac punit peccata. Et ipſe Dei filius venit, vt tollat peccata mundi, &
diſsoluat opera diaboli, vt deſtruat corpus peccati: qua igitur ratione fieri

 poteſt,

poteſt, vt Deus velit homines peccare, & ideò non ſolum peccata permittat, ſed etiam incitet, & impellat homines ad peccatum?

5. Ratio. Quinta ratio eſſe poteſt: Si Deus eſset auctor peccati, ipſe quoque peccaret. At peccare non minus Deo repugnat, quàm non eſse. Ergò, &c. Propoſitio certiſsima eſt: nam, ſi Deus eſset auctor peccati, certè vellet homines peccare: homines peccare eſt malum: ergò Deus vellet malum: ac per hoc voluntas eius eſset mala: vbi autem eſt voluntas mala, ibi eſt peccatum. Aſsumptio prob. ex ipſa Dei natura, quæ planè tollitur, ac deſtruitur, ſi peccatum in eo ponatur. Nam peccare eſt deficere: Deus autem, ſi poteſt deficere, nō eſt ſummum, & infinitum eſse; proinde nec eſt Deus.

Item; Peccare non poteſt, qui non errat aliqua in re: neque enim voluntas poteſt appetere malum, niſi ſub ratione boni. Vnde illud ſapientis: *Errant, qui operantur malum.* Et illud Philoſophi: *Omnis malus ignorans.* Deus autem, ſi poteſt errare, non eſt ſumma, & infinita ſapientia, proinde nec eſt Deus. Rurſus; Peccare eſt recedere à regula legis æternæ, quæ eſt ipſa diuina ſapientia: Deus autem à diuina ſapientia recedere non poteſt, quin à ſe ipſe recedat, cùm ſit ipſa diuina ſapientia. Denique; Peccare eſt auerſi ab vltimo fine, & ſummo bono, quod nihil eſt, niſi Deus: igitur, ſicut repugnat Deum à ſe auerti, ita repugnat Deum peccare.

Prou. 14. Ethic. 3. c. 1.

6. Ratio. Accedat poſtrema ratio ex eo, quod omnes communiter execrantur Marcionem, Manichæum, & alios veteres hæreticos, qui aliquo modo Deum faciebant auctorem peccatorum: at longè magis execrandi ſunt Libertini, & Caluiniſtæ. Siquidem illi veteres, cùm non auderent in Deum bonum referre cauſſam mali, duos Deos finxerunt; vnum bonum, bonorum auctorem; & alterum malum, auctorem malorum. Libertini verò, & Caluiniſtæ vnum, & eundem Deum auctorem faciunt omnium ſcelerum, & flagitiorum, quæ ab hominibus perpetrantur.

Obiect. Vna eſt obiect. quam Theologi Catholici veritatis explicandæ cauſſa proponere ſolent. Deus eſt cauſſa totius entitatis, quæ in mala actione cernitur, cùm ſecundum Script. *Per ipſum omnia facta ſint, & ſine ipſo factum eſt nihil*: igitur videtur etiam eſſe cauſſa deformitatis, quæ ex actione illa reſultat.

Ioan. 1.

Nota 1. Pro reſp. quædam notanda ſunt. Primum, peccati, quod non tam actio, quàm defectio eſt, non eſſe quærendam cauſſam efficientem, ſed deficientem. Quare, ſi ad vnum aliquem effectum multæ cauſſæ concurrant, & aliquæ deficiant, aliquæ non deficiant, illæ ſolæ veræ cauſſæ dicendæ erunt peccati, quod in effectu cernitur, quę in agendo defecerint. Exempli cauſſa: gignitur monſtrum, homo videlicet longè breuior iuſto, aut aliquo membro carens: ad generationem hominis illius concurrit Deus, ſol, pater, & mater; præterea virtus ſeminalis, vt inſtrumentum; menſtruum, vt materia: ſed quia non deficit, niſi materia, ei ſoli tribuitur cauſſa monſtri. Ambulat claudus deformi inceſſu: ſed quia non deficit Deus, neque virtus motrix, quæ in homine eſt; ſed ſola tibia, quæ ob curuitatem non planè ſubijcitur virtuti motrici, ſoli tibiæ tribuitur cauſſa claudicationis.

Nota 2. Secundò notandum, peccatum, quod eſt malum morale, formaliter conſiſtere in priuatione rectitudinis, quæ in actu voluntatis debuit ineſſe; videlicet.

ſet conformitatis ad regulam rectæ rationis, ſiue legis diuinæ: cauſſam autem huius priuationis per ſe non poſſe eſſe aliquid poſitiuum, ſed aliam priuationem, ſeu defectum. Triplex autem defectus aſsignari poteſt in quem referenda eſt cauſſa peccati. Primus, atque adeò proximus, & immediatus defectus eſt, non attendere ad regulam rationis. Inde enim oritur, vt voluntas producat actum non conformem rationi, qui peccatum eſt, quia non reſpicit regulam rationis, dum operatur. Hic autem defectus, licet non ſit actus poſitiuus, ſed negatio quædam, tamen eſt voluntarius, quia alioqui non eſſet cauſſa peccati: nec tamen eſt voluntarius, quia ſit actus elicitus à voluntate, ſed quia eſt in poteſtate voluntatis attendere, vel non attendere ad regulam. Non minus enim liberè voluntas operatur, quàm non operatur. Neque eſt hic defectus, quatenus præcedit actum peccati, malum aliquod naturale, aut voluntarium, ſed ſimplex negatio. Non eſt (inquam) malum naturale, quia tunc peccatum etiam, quod inde naſcitur, eſſet naturale, nec poſſet homo non ſemper peccare, proinde nec propriè peccaret. Neque eſt malum voluntarium, quia eſſet peccatum, & oporteret quærere defectum præcedentem, & ſic daretur progreſſus in infinitum. Eſt igitur defectus ille, vt præcedit peccatum tempore, aut natura, cauſſa mali: vt autem comitatur actum, induit rationem mali. Malum eſt enim non attendere ad regulam, dum quis operatur; ſiue operari, non attendendo ad regulam. Alter defectus, ſed remotus eſt, quòd voluntas creata non ſit ſummum bonum. Inde enim fit, vt voluntas non ſemper ad regulam attendat, & defectus ſit capax, quia non eſt bonũ ſummum. Tertius defectus, ac remotiſsimus eſt, quòd voluntas humana ex nihilo ſit creata. Inde enim non eſt ſummum, & infinitum bonum, in quod defectus cadere non poteſt, quia ex nihilo facta eſt.

Ex his intelligimus non neceſſarium eſse, vt Deus ad peccatum concurrat; & nullo modo fieri poſse, vt Deus peccet. Non enim eſt neceſsarium, vt Deus ad peccatum concurrat, quia & ipſum peccatum propriè non eſt res aliqua, ſed priuatio eſt: & cauſa, ſiue radix, & origo peccati ſimiliter negatio eſt, non res aliqua. Porrò Deus nullo modo peccare poteſt, quia non poteſt eſse cauſſa deficiens, cùm ſit bonum ſummum, & infinitum, & non poſsit eius voluntas non ſemper ad regulam ſuæ ſapientiæ reſpicere, cùm in Deo ſapientia, & voluntas idem ſint; ac per hoc voluntas Dei ſit ipſa regula omnis bonæ actionis. *Solutio.*

Tertiò obſeruandum, in actu peccati tria neceſsariò requiri, quorum vno deficiente deſinit eſse peccatum. *Nota 3.*

Primum eſt, vt non congruat cum ſua regula: iſta enim declinatio à regula eſt formale peccati.

Alterum, vt producatur à libero arbitrio. Actus enim non eſt moralis per ſe, niſi elicitus à libera voluntate: ſiquidem actus aliarum potentiarum non ſunt morales ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed ſolùm quatenus imperantur à libera voluntate; & eo modo participant rationem moralis. Quocirca pecudes, & homines furioſi, vel infantes, aut dormientes nullum habent actum moralem, nec peccare poſsunt, quia peccatum eſt malum morale.

Tertium eſt, vt ſit actus particularis, vel potius ſingularis, determinatus in certa ſpecie conſtitutus. Neque de hoc vlla dubitatio eſſe poteſt. Non enim actus morales, niſi certi, & ſingulares eſſe queunt, neque alios producere poteſt cauſſa particularis, qualis eſt voluntas. Hæc tria ad primum reuocari poſſunt. Non enim eſſe poteſt actus non conformis regulæ, id eſt, legi, niſi ſit particularis, & à libero arbitrio productus. Lex enim non eſt, niſi de actibus particularibus, & certis: neque legis capax eſt, niſi potentia libera, qualis eſt voluntas. Itaque non potuit rectius, & breuius definiri peccatum, quàm à S. Ioanne eſt definitum: *Peccatum eſt iniquitas:* vel (vt clarius habetur Græcè) ἁμαρτία ἐστὶ ἀνομία.

1 Ioan. 3.

Solutio alia.

Ex his apertiſsima erit ratio, cur Deus non peccet, neque peccati cauſſa iure dici poſſit, quamuis concurrat ad actionem illam efficiendam, quæ homini eſt peccatum. Ratio eſt, quia Deus non efficit actionem illam, vt cauſſa particularis, ſed vt cauſſa vniuerſalis, præbens vim, & influxum quendam indifferentem, & communem ad illam actionem, & contrariam, ita vt actio illa non ſit talis in ſpecie, quia à Deo fit, ſed ſolum, quia fit à ſua particulari cauſſa, quæ eſt humana voluntas. Hæc enim eſt, quæ vitio ſuo non attendens ad regulam, abutitur auxilio generali Dei ad hanc actionem, cum eodem auxilio ad aliam actionem benè vti potuiſſet, & debuiſſet. Neque multum refert, vtrum cum S. Thoma dicamus, Deum concurrere ad actionem ſecundarum cauſſarum mouendo ipſas cauſſas ſecundas; an verò cùm alijs ſentiamus, Deum concurrere operando immediatè in ipſum effectum: modò illud teneamus concurſum Dei eſſe generalem, & à concurſu ſecundæ cauſſæ limitari. Quod exemplo Solis facilè poteſt oſtendi. Quemadmodum enim ad productionem hominis concurrit Sol cum homine; ſed non ideò, qui naſcitur, eſt homo, quia producitur à Sole, ſed quia producitur ab homine: potuiſſet enim per eundem Solis concurſum produci bos, aut equus, ſi talis fuiſſet cauſſa ſecunda: &, ſi fortè defectus reperiatur in homine illo recens nato, nemo referet cauſſam defectus illius in ſolem, ſed in hominem, non tam quia Sol ſit cauſſa neceſsaria, quàm quia per Solis concurſum potuiſſet homo perfectus procreari, ſi defectus in cauſſa proxima nullus fuiſſet. Ita quoque ad actionem voluntatis humanæ concurrit Deus cum libero arbitrio; ſed, quia Deus generali tantum concurſu adeſt, non eſt talis actio, quia à Deo eſt, ſed quia à libero arbitrio producitur: &, ſi fortè actio mala eſt, defectus ad Deum nullo modo pertinet, cùm per eius concurſum potuiſſet contraria actio æquè produci, atque ea, quæ producta eſt.

CAPVT

CAPVT IV.

De tentatione primorum parentum.

PRima de hac quæſtio eſt: *An omninò tentari potuerint primi illi homines ad peccandum.* *Quæſt. 1.*

Potuiſse tentari, ac reuera peccaſſe, ac legem Dei præuaricaſſe, prob. Nam *Reſp. prob.* præceptum illud de pomo vetito veram fuiſse legem, & primos parentes pomo illo deguſtato verè, grauiterque peccaſſe, teſtis eſt pœna, quæ pomi eſum conſecuta eſt. Cur enim de paradiſo expulſi; à ligno vitæ excluſi, mortis neceſsitate conſtricti, atque ad victum cum dolore, & laboro quærendum damnati ſunt, ſi nihil peccarunt? Quod ſi fortè reſpondeant, mortis neceſsitatem, & ęrumnas ceteras ex natura peſtiferi illius cibi, non ex peccati merito, aut ex ſententia iuſti iudicis manaſſe, occurret Script. quæ refellit iſtam reſponſionem. *A muliere initium peccati, & per illam morimur omnes.* Et: *Per vnum* *Eccli. 25.* *hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Et: *Stipendia pec-* *Rom. 5.* *cati, mors.* Et: *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.* Vides igitur non ex *Rom. 6.* *Rom. 8.* natura ligni ſcientiæ boni, & mali, ſed ex peccato natam. Deinde; Lignum ſcientiæ ſine dubio bonum erat: nam *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant val-* *Gen. 1.* *dè bona.* Ad hæc; Immortalitas primorum hominum in paradiſo non erat homini naturalis, ſed ex gratia, & amicitia diuina pendebat: non igitur natura ligni alicuius eam corrumpere potuit, ſed ſola culpa, & auerſio ab amicitia, & gratia Dei.

Altera quæſtio eſt: *Cur Deus tentari voluerit primos parentes, aut permiſerit, quos* *Quæſt. 2.* *non ignorabat tentatione vincendos?*

De hac S. Auguſtinus tria docet. *Reſp.*

Primò, nullam feciſse Deum iniuriam homini, quòd eum à diabolo tentari permiſerit, cùm eum tantis viribus inſtruxerit, vt facilè potuerit aduerſarium ſuperare.

Secundò, primariam cauſsam huius permiſsionis Deo ſoli eſse notam.

Tertiò; rationes illas probabiliter reddi poſse, quia id requirerent Omnipotentia, Prouidentia, Miſericordia, Iuſtitia Dei, Pulchritudo vniuerſi, & ipſa hominis gloria; atque vtilitas. Omnipotentia quidem, quia magis pertinebat ad eam de malis bene facere, quam mala eſse non ſinere. Prouidentia etiam, quia ad eam pertinet, vt homines libero arbitrio præditos ſineret pro arbitratu ſuo reſiſtere, vel cedere tentatori. Miſericordia quoque; & iuſtitia, quia ex damnata maſsa alios iuſtè puniet, alios miſericorditer liberabit. Ornatus etiam, quia anima damnata, quamuis miſera, melior eſt quolibet corpore, & ornat locum, in quo à Deo prò merito ſuæ actionis ponitur. Denique; Id requirebat hominis gloria, atque vtilitas. Primum enim; non videtur magnæ laudis fuiſse futurum hominem, ſi propterea poſset benè viuere, quia

nemo

nemo malè viuere ſuadebat. Deinde; Perſpiciebat Deus valdè vtile id futurũ ad eruditionem Sanctorum: nimirum vt caſus primi hominis præberet futuris Sanctis contra cupiditatem deuitationis exemplum, & incuteret contra ſuperbiam timorem pium. Ad hæc; Permiſit Deus tentationem, & caſum primi hominis, quia præſcius erat, quòd ab eius ſemine adiuto ſua gratia ipſe diabolus fuerat Sanctorum gloria maiore vincendus. Denique; Addere poſſumus occaſione peccati primorum hominum Chriſtum nobis donatum, per quem maiora Dei munera ſuſcepimus, quam ea fuerunt, quæ per Adamum amiſimus. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Et ibidem: *Non ſicut delictum, ita & donum.* Validius enim factum eſt donum libertatis, inquit Leo, quam dilictum ſeruitutis.

Rom. 5. *Serm. 12. de paſſione Domini.*

De Serpente. Vt autem de primorum hominum tentatore pauca dicamus, verum illum, & naturalem ſerpentem fuiſſe, ſed per eum diabolum eſſe locutum, tam ex litteris ſacris perſpicuum eſt, vt vix vlla probatione opus eſſe videatur. Nam quæ dicuntur de pœna ſerpentis, quòd maledictus ſit ſuper omnia animantia, & beſtias terræ; quod ſuper pectus ſuum gradiatur; quòd terram comedat, quod inimicitia perpetua ſit inter filios Euæ, & ſerpentes, aptiſsimè in verũ, & naturalem ſerpentem quadrant. Quocirca ſummo conſenſu S. Patres docent verum illum fuiſſe ſerpentem. Non autem ipſum per ſe mutum ſerpentem, ſed diabolum per eum eſſe locutum, teſtatur Sapiens. *Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Teſtatur etiam Chriſtus: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* Homicida enim ab initio non aliter fuit, niſi quia primos homines veneno ſuæ mortificauit inuidiæ. Teſtatur quoque S. Ioannes, qui non alia de cauſſa diabolum vocat *ſerpentem antiquum*, niſi quia diabolus initio ſerpentem iuduit. Teſtantur denique omnes Patres.

Gen. 3. *Sap. 2.* *Ioan. 8.* *Apoc. 20.*

Dubitatio. Vna ſupereſt dubitatio: An diabolus ſponte ſua ſerpentem elegerit, per quem Heuam ſeducere conaretur, an aliam beſtiam non ſit à Deo permiſſus aſſumere, quàm ſerpentem? Chryſoſtomus ſcribit diabolum de induſtria ſerpentem elegiſſe, quod is aptiſsimus videretur ob naturalem ſuam calliditatem ad inſidias mulieri faciendas. Sed probabilior videtur ſententia S. Auguſtini, qui docet Satanam non fuiſse permiſſum alio inſtrumento vti, quàm ſerpentis ore. Cùm enim mens diaboli eò tenderet, vt ſeduceret, facilius ſperare potuit ſe conſecuturum, quod quærebat, ſi inſidias tegeret, quàm ſi aperiret. Tegeret autem, ſi columbam, aut ouem aſſumeret, quæ ſunt animalia naturæ ſimplicis, & innocentis. Sed voluit Deus, vt, ſi diabolus hominem tentare vellet, id non faceret, niſi per ſerpentem, vt, ſicut diabolo permittebat tentare, ita hominem admoneret ex ipſa forma ſerpentis, quem callidum animal eſse non ignorabat, vt caueret inſidias.

Homil. 16. in Gen. *L. 11. de Gen. c. 3.*

Quòd verò Chryſoſtomus ait, diabolum quæſiuiſse idoneum animal ad inſidias faciendas, locum haberet, ſi ea calliditate, quæ naturaliter in ſerpente ineſt, Heua decipi potuiſset: ſed, cùm non ſerpentis muti, ſed diaboli aſtutia neceſſaria fuerit ad hominem ſeducendum, æquè potuit diabolus per ſerpen-

tem,

rem,ac per columbam,& occultiore cõſilio,ac maiore fraude per columbam
negotium ſeductionis peragere.

CAPVT V.

De ipſo peccato primorum parentum.

PRima hic ſe offert quæſtio: *Quodnam fuerit primum primorum hominum, & principale peccatum?* *Quæſt. 1.*

Communis Catholicorum Theologorum ſententia eſt, primum pecca- *Reſp.*
tum Heuæ fuiſse ſuperbiam. De Adamo S.Bonauẽtura & Scotus exiſtimant *In 2. ſent.*
primum peccatum eius fuiſse inordinatum amorem erga coniugem;amorem *diſt. 21. & 22.*
autem non carnalis concupiſcentiæ, ſed humanæ amicitiæ. S. Thomas verò *2.2.q.163.*
vtriuſque parentis primum peccatum docet fuiſse ſuperbiam: quæ ſententia
omnino recipienda eſt.

Nam & cum diuinis litteris, & cum teſtimonijs Patrum, & cum ipſa ra- *Prob. 1.*
tione maximè conuenit. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo, quoniam ab eo,* *Eccle. 10.*
qui fecit eum, receſsit cor eius. Et rurſum: *Initium omnis peccati ſuperbia.* Quo loco *Ibid.*
duobus argumentis sapiens oſtendit ſuperbiam eſse vitium maximè dete-
ſtabile.

Primum,quia principium ſuperbiæ humanæ, id eſt, primus actus ſuperbiæ
hominis apparuit in illa defectione primi hominis,qui à Deo, qui eum recens
creauerat,ſponte receſsit,nolens ſubijci eius imperio.

Deinde,quia illa primi hominis ſuperbia fuit initium omnis peccati, ſiue
omnium peccatorum, quæ ab hominibus commiſſa ſunt, & quotidie com-
mittuntur. Quod idem confirmat Tobias: *Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in* *Tob. 4.*
tuo verbo dominari permittas. In illa enim initium ſumpſit omnis perditio. Quamuis
enim hæc loca referri poſſent ad peccatum Angeli, quod fuit abſolutè omniũ
primum:tamen credibilius eſt Eccleſiaſticum, & Tobiam reſpexiſſe ad pri-
mum peccatum primorum hominum, quod notius erat vulgo, quàm pecca-
tum Angeli. Ad hæc B.Paulus: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores con-* *Rom 5.*
ſtituti ſunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iuſti conſtituentur multi. Quo loco
Apoſtolus loquitur de peccato Adami potius, quàm Heuæ: ſiquidem *in Adamo*
omnes moriuntur. Et: *Per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, in quo omnes* *1.Cor.15.*
peccauerunt. Et loquitur de primo peccato, non de ceteris, quæ poſt primum *Rom.5.*
commiſit: nam per primum peccatum amiſit gratiam Dei, & iuſtitiam origi-
nalem, cuius priuatio eſt in eius poſteris originale peccatum. Porrò actus
primus ſuperbiæ eſt, nolle ſubijci imperio, & præceptis alterius, quæ propriè
dicitur inobedientia: ſicut è contrario humilitatis eſt, ſubijci imperio, & præ-
ceptis aliorum, quæ propriè dicitur obedientia. Hinc legimus: *Initium ſuperbiæ* *Eccli. 10.*
hominis apoſtatare à Deo. Quod non ita accipiendum eſt, quaſi apoſtaſia ſit prior,
quàm ſuperbia; ſed ſignificat Eccleſiaſticus primam partem, ſiue primum ſu-
perbiæ actum fuiſſe nolle parere Deo. Hinc etiam dicitur homini: *A ſeculo con-* *Hierem. 2.*

fregiſti iugum meum, rupiſti vincula, dixiſti; Non ſeruiam. S. etiam Auguſtinus pro eodem habet ſuperbiam, & inobedientiam; humilitatem, & obedientiam. Apoſtolus igitur conſiderauit peccatum primi parentis ab occulta inobedientia cæpiſse, qua in ſuperbiam elatus non imperio Dei ſubijci, ſed in ſua poteſtate eſſe dilexit, & inde erupiſſe in apertam inobedientiam, qua fructum vetitum guſtare præſumpſit: & ideo propriè, & aptiſsimè dixit per vnius inobedientiam multos peccatores eſſe conſtitutos. Quòd ſi primum peccatum hominum primorum fuit infidelitas, aut amor coniugis, non verè, aut certè non propriè S. Paulus illud peccatum inobedientiam appellaſſet. Superbia verò, quamuis ex ſe latiùs pateat, quàm inobedientia, & non omnis ſuperbia inobedientia ſit; omnis tamen inobedientia formaliter ſumpta ſuperbia eſt, ac per hoc ſuperbia, qua quis contemnit præceptum, nec parere vult legi Superioris, propriè contumacia; ſiue inobedientia dici poteſt. Quemadmodum etiam humilitas, quæ reddit hominem ſubiectum ſuperiori quoad omnia, latiùs patet, quàm obedientia, quæ reddit hominem ſubiectum ſuperiori, quatenus aliquid præcipit: tamen quædam humilitas, ea videlicet, quæ hominem præcepto ſuperioris ſubijcit, ſimul & humilitas, & obedientia dicitur. Idē prob. ex Patribus.

Prob. 2. 1. Ratio. Prob. etiam ratione. Nam inter actus malos priores fuerunt interiores, quàm exteriores, tam circa obiectum intelligibile, quàm circa ſenſibile. Cū enim pars inferior ſubiecta eſſet ſuperiori, nec ab ea deficere poſſet, donec ipſa non deficeret à Deo, non potuit concupiſcentia ſenſibilis alicuius boni in animo præualere, niſi priùs ipſe animus à Deo auerſus ad infima corruiſſet. Quare fieri non poteſt, vt amor erga vxorem immoderatus primum peccatum Adami fuerit. Nec ſolùm de amore carnalis concupiſcentiæ loquor, ſed etiam de amore ſocialis beneuolentiæ, quem Bonauentura, & Scotus primum peccatum ſtatuunt. Nam & ille amor rei ſenſibilis erat, videlicet conſortij humani, & ſocialis vitæ, quam amittere Adamus nolens, maluit legem Dei tráſgredi, quàm vitæ ſociam contriſtare.

2. Ratio. Porrò inter actus interiores, & circa bonum intelligibile prior eſt actus circa finem, quàm circa media: ſiquidem media appetuntur propter finem, nō contra. Finis autem hominis in malis eſt excellentia propria, quæ ſuperbiæ obiectum eſt. Non igitur infidelitas, aut aliquid aliud, ſed ſuperbia primum peccatum vtriuſque primi parentis fuit.

3 Ratio. Præterea; Non potuit mens primorum parentum diuino lumine illuſtrata in errorem induci, niſi antea per auerſionem à Deo lumine illo deſtituta fuiſſet: quemadmodum nemo poteſt credere Solem non lucere, dum Solem ipſum reſpicit: ergò infidelitatem primorum parentum auerſio à Deo, & peccatum præceſsit: non igitur infidelitas primum peccatum fuit.

Ad hæc; Mater infidelitatis eſt ſuperbia: igitur ſuperbia infidelitatem præceſsit; non è contrario.

4. Ratio. Denique; Prior in peccatis eſt conuerſio ad bonum creatum, quàm auerſio à bono increato: neque enim auerſio per ſe appetibilis eſt, cùm non ſit bona, & ſolùm bonum, obiectum ſit voluntatis. Itaque quia conuertimur ad bonū creatum, ſequitur, vt auertamur ab increato; non autem primò, & per ſe auerſio

auerſio ipſa à voluntate eligitur. At non velle Deo credere, qui eſt actus infidelitatis, eſt auerſio quædam à Deo: igitur infidelitas non eſt primus actus malus, ſed alium aliquem priorem, quo ad bonum creatum conuertimur, ſequitur. Quare Scripturæ diuinæ non vno in loco teſtantur, mala opera præcedentia eſſe cauſſam conſequentis infidelitatis. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Et: *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide.* 1.Tim.1. 1.Tim.6.

Porrò initium huius ſuperbiæ potuit eſſe, ac fuit in homine ſine vllo præcedente errore per ſolam incogitantiam, ſiue inconſiderationem. Non enim cœpit ſuperbia ab illo actu; Nolo eſſe ſub Dei poteſtate: ſed poſt audita verba diaboli; *Eritis, ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum,* (quæ verba mulier ab ipſo diabolo, vir à muliere audiuit; ſicut è contrario, præceptum Dei vir ab ipſo Deo, mulier à viro audierat) voluere cœperunt intra ſe pulchrum eſſe non pendere ab alio, & ſimul cœperunt delectari in propria poteſtate, eamque appetere, ac vehementer placere ſibi: & occupati eiuſmodi cogitatione, delectatione, ac deſiderio, non erexerunt animum ad Deum, neque cogitauerunt id neque fieri poſſe, neque ſibi expedire, atque ita paulatim ad ſe magis, ac magis conuerſi, & à Deo auerſi cæcutire cœperunt, & fidem habere verbis Satanæ, & Dei præceptum, minaſque contemnere. Sic enim gradatim pergitur in via iniquitatis ab amore ſui vſque ac contemptum Dei; quemadmodum in via iuſtitiæ ab amore Dei vſque ad contemptum ſui. Itaque ſimile videtur fuiſse peccatum primum hominum primorum ei peccato, quod à Theologis dicitur delectatio moroſa. Neque enim, qui circa pecunias, aut dignitates, aut voluptates delectationem moroſam habent, ſtatuunt furtis, ambitioni, aut fornicationi operam dare; neque cogitant, fierine poſsit, an non, quod animo voluunt; ſed ſolùm ea cogitatione delectantur, ac ſi res ipſa præſto eſſet, & peccatum non imaginatione, ſed opere patraretur. Et ſi autem contendimus primum peccatum primorum hominum non fuiſse infidelitatem, non tamen negamus eos poſt ſuperbiæ peccatum incidiſse in infidelitatem: quæ eſt communis Patrum ſententia. Gen. 3.

Sed meritò quæri poteſt; *Quid illud ſit, quod primi homines de Deo non crediderunt?* Quæſt. 2.

Ac de fœmina quidem duæ ſunt opiniones: quidam enim exiſtimant, eã non credidiſse mortem ſubſecuturam, ſi fructum arboris vetitæ deguſtaret; quin potius credidiſse Deum eſſe mentitum, & ex inuidentia prohibuiſse fructum illum optimum, & vtiliſsimum. Et in hunc ſenſum exponunt verba illa: *Cur præcepit vobis Deus, &c.* Et: *Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quia, quocunque die comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.* Alij volunt Heuam credidiſse, non fuiſſe à Deo prohibitũ fructum ligni ſcientiæ boni, & mali, ſeque, ac virum ſuum non benè intellexiſse verba Domini. Atque in hanc ſententiam exponunt verba illa: *Cur præcepit vobis Deus, vt non ederetis de omni ligno, &c.* Ac ſi dictum eſſet; cur præcepiſset Deus, vt à fructu alicuius arboris manum abſtineretis, cùm omnes ſint bonæ, & ſalutares? Non eſt igitur, cur credatis vos morituros, ſi lignum ſcientiæ guſtaueritis: ſcit enim Deus eã arborem vtiliſsimam eſſe, quippe quę ſcientiam augeat; & ideò, cùm bonus De Heua.

 ſit,

ſit, & veſtri curam gerat, nunquam rem tam bonam vobis prohibuiſset. Eidẽ
2. Cor. 11. ſententiæ nõ parum fauet, quòd Apoſtolus comparat ſeductionem Heuæ per ſerpentem cum ſeductione Corinthiorum per Pſeudoapoſtolos. Neque enim illi apertè Deum calumniabantur, ſed transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti prætexebant honorem Dei, & verum Chriſti Euangelium. Fauet quoque, quòd mulier non audierit à Deo immediatè præceptum, ſed per Adamum illud acceperit. Hinc enim facilè fuit illi perſuadere, aut præceptum non eſſe datum; aut non ſic accipiendum, vt Adam illi dixerat. Fauet denique huic expoſitioni textus Hebraicus; ſiquidem vox illa, quam noſter interpres vertit, *cur*, magis ad verbum redderetur per particulam, *verè quod*, vel, *etiam quod*, vt ſenſus ſit: Eſtne verum, quòd Deus præceperit vobis, ne de omni ligno comederetis? Vbi videmus inſinuari dubitationem de præcepto, datumne fuerit à Deo, an non. Accedit, quod ſecundum hanc explicationem clariùs apparet ſeductio mulieris, & aſtutia ſerpentis. Nam ſeducitur quis, cùm ei perſuadetur aliquid falſum ſub ſpecie veri: at mulieri iuſtæ, & innocenti Deum eſſe inuidum, & mendacem, non potuit prima fronte veriſimile videri: ſic autem non benè intellexiſſe verba Dei, planè credibile videri potuit. Hæc ſententia poſterior mihi valdè probatur, tametſi prior etiam probabilis ſit.

De Adamo. 1 Tim. 2. Gen. 3. De viro, id eſt, Adamo minor quæſtio eſt. Nam, teſte B. Paulo, *Vir non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prąuaricatione fuit.* Et in ipſa ſacra hiſtoria legimus dixiſſe mulierem: *Serpens decepit me.* Virum autem non dixiſſe ſe fuiſſe ſeductum, ſed comediſſe pomum ſibi à muliere allatum. Quare ſiue diabolus perſuadere voluerit, Deum eſſe inuidum, & mendacem; ſiue præceptum de fructu ligni ſcientiæ non edendo, non fuiſſe accipiendum propriè, ſed cum aliquo tropo; id mulier credidit, ac per hoc ſeducta in præuaricatione fuit: vir autem non credidit, neque ſeductus fuit, ſed alia ratione errauit, nimirum exiſtimauit (vt S. Auguſtinus multis in locis docet) veniale fore, ſi contra præceptum Dei de illo fructu comederet, ne ſociam, eamque vnicam contriſtaret. In eo quoque errauit, quòd, cùm videret vxorem ſuam manducato cibo illo non fuiſse mortuam, ſibi ipſe perſuaſit ſe quoque non moriturum, ſi cibum eundem manducaret. Quia verò credere tenebatur verbo Dei, quo dictũ fuerat: *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris*; ideò Patres rectè dicũt,
Gen. 2. Adamũ Deo nõ credidiſse, & infidelẽ, vel, vt Tertullianus loquitur, hæreticũ eſſe factum. Denique, tum ex præcedenti elatione, tum ex habita experientia dubitare cępit, an fortè verùm eſſet, quod diabolus dixerat: *Eritis ſicut Dij.* Non enim Deus ironicè dixiſſet: *Ecce Adam ſicut vnus ex nobis factus eſt*, niſi Adam aliquo modo credidiſſet ſe futurum, ſicut Deum, cibum illum comedendo: hæc autem erat fidem habere diabolo, & non Deo.

Quæſt. 3. 1. Tim. 2. 2 Cor. 11. Ex his alia ſolui quæſtio poteſt: *Vtrum Adam propriè dici poſſit ſeductus?* Nam ſub vna parte B. Pauli verba ſunt clariſſima. *Vir non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Et rurſus: *Timeo, ne, ſicut ſerpens Heuam ſeduxit, aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri.* Vbi nulla mentio fit Adami. Ab altera parte communis Patrum ſententia id videtur habere, vt Adam ſeductus fuerit.

Reſp. Eſt igitur veriſsima ſententia S. Auguſtini; videlicet Adamum propriè nõ

fuiſſe

fuiſſe ſeductum, & verba Apoſtoli ſine vlla additione propriè, & formaliter eſſe accipienda, cùm ipſe ait: *Vir non eſt ſeductus, &c.* Nam in tribus errauit Adã: quòd crediderit peccatum eſſe veniale, mandatum Dei præuaricari: quòd crediderit ſe manducando cibum vetitum, non eſſe moriturum: quòd crediderit ſe futurum ſimilem Deo, & nullius prouidentiæ, imperioque ſubiectum. 1.Tim. 2.

Primi erroris cauſſa fuit amor nimius erga coniugem, ac per hoc non ſeductio alicuius, qui per dolum eum deceperit, ſed propria ipſius prauitas, & cæcitas ex præcedente elatione ſubſecuta.

Secundi erroris cauſſa fuit, præter propriam cæcitatem experientia, quam habuit, cùm vidit vxorem illo cibo manducato non eſſe mortuam: fortè etiã vxoris adhortatio, quæ tamen propriè ſeductio dici non poterat, cùm ipſa non animo fallendi, ſed ſimpliciter, quod verum eſſe credebat, viro ſuo proponeret.

Tertij erroris occaſio fuit verbum ſerpentis à muliere viro ſuo relatum: *Eritis ſicut Dij.* Cauſſa autem fuit non ipſius ſerpentis, aut mulieris auctoritas, vel perſuaſio; ſed tum experientia præcedens, quæ, vt fecit illum dubitare de illo: *Morte moriemini*; ita fecit propendere ad illud credendum: *Eritis ſicut Dij*: Gen. 3. tum propria ſuperbia, id eſt, amor propriæ poteſtatis; libenter enim, & facilè credimus, quod amamus. Patres autem, qui ſcribunt Adamum ſeductum fuiſſe, ſolùm ſignificare voluerunt eum à diabolo, non quidem immediatè, & propriè; ſed mediatè, occaſionabiliter, & materialiter fuiſſe ſeductum. Qua ſignificatione eandem vocem accipit B. Paulus, cùm ait: *Peccatum per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit.* Et: *Qui ſe exiſtimat aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Et Sapiens cùm dicit: *Creaturas factas eſſe in muſcipulam pedibus inſipientiũ.* Et Daniel, cùm ad ſenem illum ſceleſtum loquitur: *Species decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Rom. 7. Gal. 6. Sap. 14. Dan. 13.

Tractari ſolet hìc & alia quæſtio: *An primum peccatum in ſtatu innocentiæ potuerit eſſe veniale?* Et quidem non deſunt, qui exiſtimant, quòd ſic. Sed grauiores Theologi contrarium docent. Et huius rei duplex eſt ratio. Quæſt. 4. Reſp.

Prior ducitur ab effectu: nam ſi peccatum veniale in ſtatu innocentiæ locum haberet, ſequeretur etiam timorem, ac dolorem in eo ſtatu locum habere. Culpam enim ſequitur pœna: &, quia culpa venialis non tollit gratiam, & amicitiam Dei, neque in ſtatu innocentiæ originalem iuſtitiam ſuſtuliſſet, neque hominem ex paradiſo voluptatis eieciſſet, fuiſſet vtique in paradiſo, & in illo ſtatu felicitatis aliqua pœna, ac per hoc timor, & dolor: quod eſt abſurdiſsimum. 1. Ratio.

Poſterior ratio ducitur à cauſa. Nam peccatum veniale, aut tale eſt ex ſubreptione, aut ex genere ſuo. Rurſus, quod ex ſubreptione eſt, aut oritur ex appetitu carnis præueniente rationem, vt imperfectum deſiderium adulterij; aut ex ipſa voluntate præueniente perfectam rationis deliberationem, vt imperfectus motus infidelitatis. Quod autem eſt veniale ex genere ſuo, vt mendacium officioſum, ſemper oritur ex aliquo inordinato amore, vel timore, ac per hoc ex aliqua rebellione partis inferioris à ſuperiore, vel ipſius voluntatis à ratione. At in ſtatu innocentiæ nulla eſſe poterat rebellio partis 2. Ratio.

vnius ab altera, neque fieri poterat, vt appetitus inferior voluntatem, aut voluntas rationem præueniret. Id enim efficiebat iuſtitia originalis, vt perfecta ſubordinatio maneret partis inferioris ad ſuperiorem. Et præterea, nullus erat in homine error, nulla difficultas: ergò nulla via, nullus aditus patebat peccato, manente in homine originali iuſtitia. Ea verò iuſtitia, niſi per peccatum mortale, tolli non poterat: peccato igitur veniali nullus in ſtatu innocentię locus eſſe poterat.

Quæſt. 5. Tractatur hic & alia quæſtio: *Vter peccauerit grauius, vir primus, an mulier prima?*

Sententia. Et quidem Chryſoſtomus docet peccatum mulieris grauius fuiſse, quàm peccatum viri. Contra S. Ambroſius multis argumentis contendit virum grauius peccaſſe, quàm fœminam. S. Auguſtinus dicit eos peccaſſe impari ſexu, & pari faſtu: tamen ſemper ita loquitur, ac ſi æquale putauerit fuiſse peccatum mulieris peccato viri. Ac probabilis quidem eſt ſententia Ioannis Chryſoſtomi, & multorum Scolaſticorum: quia, ſi mulier credidit Deum ex inuidia eſse mentitum, cùm ait: *Quacunque die comederis, morte morieris*, quod Doctores illi probabiliter ſentiunt, certè mulieris ſuperbia, & infidelitas longè fuit grauior, quam ſuperbia, & infidelitas viri. Mulier enim voluit inuito Deo fieri, ſicut Deus, quæ eſt ſuperbia planè intolerabilis; & credidit Deum eſſe inuidum, & mendacem, quæ eſt ſpecies infidelitatis extremæ, & blaſphemiam continet inauditam. Vir enim non credidit Deum eſſe inuidum, vel mendacem; ſed veniale fore peccatum ſuum, ac per hoc ſe non moriturum, tranſgrediendo præceptum; fortè etiam futurum, ſicut Deum. Proinde cupiuit quidem fieri ſicut Deus, ſed non inuito Deo; & infidelis fuit, ſed abſque blaſphemia illa, & errore grauiſsimo, quę in peccato mulieris fuerunt.

Reſp. Probabilius tamen nobis etiam videtur, mulierem non credidiſse Deum eſse inuidum, & mendacem; ſed ſolùm pręceptum Dei à ſe, vel à viro ſuo non bene intellectum: ac per hoc cum S. Ambroſio arbitramur virum abſolutè grauius peccaſse, quam fœminam; licet quoad aliquos actus ęquè peccauerit mulier, ac vir.

7. Actus mali in peccato viri. Sed vt omnia hæc facilius perſpiciantur, ſciendum eſt in peccato viri fuiſse ſeptem actus malos, & in peccato fœminæ totidem, ſed non omnino eoſdem. Primus actus malus in peccato viri, ſuperbia fuit, qua in ſua potius eſſe, quàm in Dei poteſtate dilexit. Secundus amor coniugis immoderatus. Tertius infidelitas, qua Deo non credidit dicenti: *Morte morieris*: & diabolo credidit: *Eritis ſicut Dij*. Quartus eſt curioſitas: ſollicitauit enim eum quædam experiendi cupiditas. Quintus eſt inobedientia particularis, & expreſſa: *Comediſti de ligno, de quo præceperam, ne comederes*, inquit Deus ad Adam. Sextus eſt excuſatio peccati: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi*. Septimus eſt læſio proximi: *nam in Adam omnes moriuntur*. *Gen. 3. Ibid. 1. Cor. 15.*

7. Actus mali in peccato mulieris. In peccato mulieris primus fuit ſuperbia. Secundus infidelitas, qua ſerpenti credidit, & Deo non credidit. Tertius concupiſcentia cibi prohibiti. *Vidit lignum, quod eſſet pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue*. Quartus inobedientia particularis, & notiſsima. *Sumpſit enim de fructu, & manducauit*. Quintus inductio viri *Gen. 3. Ibid.*

viri ad peccandum: *Attulit viro, qui & ipſe comedit.* Sextus excuſatio peccati: *Serpens decepit me.* Septimus læſio generis humani: Nam *à muliere initium omnis peccati, & per illam omnes morimur.* *Ibid.* *Eccli.25.*

Iam vero ſi conferamus actus ipſos malos inter ſe, inueniemus peccatum viri æquale eſſe, aut aliquanto grauius peccato mulieris: ſi conferamus perſonas peccantes inueniemus in multis peccatum viri eſſe grauius, in paucißimis grauius eſse peccatum mulieris. Primus actus vtriuſque fuit ſuperbia, & ſuperbia planè eadem. Secundus actus vtrique communis fuit infidelitas, & infidelitas eadem, aut perſimilis; vterque credidit ſe non moriturum, ſed futurum ſicut Deum. Hoc videtur ſolum eſſe diſcriminis, quòd mulier credidit præceptum non eſſe datum, aut à ſe non bene intellectum; vir credidit veniale fore peccatum, ſi præceptum tranſgrederetur, ac per hoc non ita accipiendum præceptum, vt verba ſonare videbantur. Itaque ferè in idem recidit infidelitas vtriuſque. Tertius actus vtrique communis fuit inobedientia, & inobedientia omninò eadem. Quartus fuit excuſatio peccati. Et in hoc actu grauior fuit iniquitas viri, quam mulieris. Vir enim ſociam accuſauit, mulier hoſtem: & præterea vir in Deum culpam reiecit, cùm ait: *Mulier, quam dediſti mihi, &c.* Mulier in ſerpentis aſtutiam, & in ſuam ſimplicitatem: *Serpens*, inquit, *decepit me.* Quintus actus communis vtrique fuit læſio generis humani: & in hoc etiam actu ſine controuerſia grauiùs Adam, quã Heua peccauit. Nam Heua occaſionem dedit perditioni generis humani, ſed Adam vera, & propria cauſſa fuit eius perditionis. Nam, ſi ſola Heua peccaſſet, non propterea corruptum eſſet genus humanum: ſiquidem *per vnius hominis inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, & in vno homine*, Adamo videlicet, *omnes peccauerunt.* Sextus actus viri proprius fuit amor nimius in coniugem; cui reſpondet ſextus actus mulieris proprius, inuitatio viri ad peccatum. Qui duo actus videntur omninò ſimiles; cùm Heua non alia de cauſſa virum incitauerit ad cibum vetitum, niſi quia valde diligebat eum, & vt bonum, quod ſe inueniſſe credebat, cum eo communicaret. Septimus actus viri proprius fuit cupiditas experiendi, an cibus ille mortem adferret: cui reſpondet ſeptimus actus mulieris proprius, concupiſcentia cibi illius, qui vel ipſo aſpectu ſpeciem, & ſuauitatem præ ſe ferebat. In hoc verò actu, quis non videt grauiorem eſſe viri culpã, quàm mulieris? Nam curioſitas illa viri tentatio Dei erat, & quidem periculoſa admodum; cupiditas mulieris tentatio fuit gulæ, quæ ab obiecti præſentia facilè irritatur. Actus igitur mali per ſe conſiderati magis virũ, quã mulierem damnant. *Gen.3.* *Rom.5.*

Quòd ſi perſonas conſideremus, aliaſque actuum illorum circumſtantias, longè clariùs apparebit maiorem viri, quàm fœminæ, culpam eſſe iudicandam.

Primùm enim vir erat ſapientior, & fortior. Deinde, vir caput erat mulieris, & eam docere, non eam audire debuit. Quod exprobrans illi Deus ait: *Quia audiuiſti vocem vxoris tuæ, &c.* Tertiò, vir hoſtem habuit debiliorem: mulier fortiorem. Quartò, vir à Deo præceptum acceperat: mulier à viro.

Quintò,

Quintò, mulier magis agnouit culpam, quàm vir: ſiquidem confeſſa eſt errorem, cùm ait: *Serpens decepit me*: vir neque culpam, neque errorem agnouiſse videtur. Sextò, Deus longè grauius Adamum reprehendit, quam Heuam. Ait enim per irriſionem: *Ecce Adam ſicut vnus ex nobis factus eſt*, &c. Septimò, cùm Deus & virum, & mulierem propria pœna mulctaſset, pœnam mortis, quæ vtrique communis futura erat, ſoli Adamo ſignificauit, dicens: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

Quaeſt. 6. Vltima quæſtio eſse ſolet: *An peccatum primi hominis fuerit peccatorum omnium grauiſſimum?*

Reſp. Communis Doctorum reſponſio eſt, non abſolutè, ſed ſecundum aliquid omnium peccatorum fuiſse grauiſsimum. Et quidem, quod non fuerit abſolutè grauiſsimum, facilè probari poteſt. Illud enim peccatum abſolutè dicitur grauius, quod ſecundum ſpeciem ſuam eſt grauius; illud abſolutè grauiſsimũ, quod ſecundum ſpeciem ſuam eſt grauiſsimum. Illud autem ſecundum ſpeciem eſt grauius, cuius obiectum maiori bono contrarium eſt: & ideò, cùm nihil ſit amori Dei præferendum, nullaque ſit virtus caritate præſtantior, efficitur, vt nihil ſit in malis deterius odio Dei. Porro peccatum primi hominis non fuit propriè odium Dei, ſed ſuperbia, inobedientia, infidelitas, quę non caritati ſed humilitati, obedientię, ac fidei propriè opponuntur.

L. 14. de ciuit. Dei, c. 12. Quod autem ſecundum aliquid peccatum illud peccatorum omnium grauiſsimum fuerit, demonſtrat S. Auguſt. ex triplici capite. Primùm, ex facilitate non peccandi, quæ maior fuit in Adam, quàm in alijs hominibus vnquã. Habuit enim pręceptum vnum tantùm, idque leuiſsimum: habuit multa, quę ad ſeruandum impellerent, Dei iubentis auctoritatem, & grauiſsimas pœnas tranſgreſſori propoſitas: caruit concupiſcentia, quæ ad peccatum induceret. Altera ratio ducitur ab ingratitudine primi hominis, qui ſumma felicitate in paradiſo fruebatur. Nunc enim maxima Deo beneficia habemus, ſed partim in fide, vt beneficium incarnationis; partim in ſpe, vt ſempiternam felicitatẽ. Ex quo fit, vt parum admodum illa cognoſcamus. Deinde, admiſta ſunt nobis beneficia flagellis, & conſolationes tribulationibus. Quocirca non eſt adeò mirum, ſi in his tenebris, & in hoc exilio multi Deum deſerant, & ad temporalia bona declinent. At Adam plurima habuit beneficia Dei, maximũ lumen, nullas tribulationes, nullam ignorantiam, & tamen Deum deſeruit. Tertia ratio ſumitur à læſione generis humani. Peccatum enim in eadem ſpecie tanto grauius eſt, quantò pluribus nocet. Nullum autem fuit vnquam peccatum, quod pluribus noceret, quàm peccatum Adæ: ſiquidem vniuerſum genus humanum damnationi addixit.

CAPVT

CAPVT VI.

De pœna primi peccati, & pœnitentia primorum parentum.

POEna, quæ propriè primo peccato, quaſi è regione reſpondet, iactura fuit *Pœna primaria peccati originalis.*
originalis iuſtitiæ, & ſupernaturalium donorum, quibus Deus naturam noſtram inſtruxerat. Hæc enim eſt pęna, quam æqualiter patiũtur, quotquot ex Adamo originem ducunt, & in ipſo, ac per ipſum initio peccauerunt. Cetera verò mala tam corporis, quàm animæ, quæ nos in hac miſeriarum valle premunt, ſunt quidem primi peccati pœnæ, quia ex prima illa pœna, id eſt, ex originalis iuſtitiæ amiſsione naſcuntur; tamen non ita propriè, & immediatè, vt illa donorum ablatio. Illa enim eſt pœna, quaſi à iudice taxata, vt S. Thomas loquitur: cetera mala eam pœnam conſequuntur, ad eum modum, quo ſequitur inundatio fluminis, aut maris, aggeribus diſruptis, quibus aquarum impetus continebatur. Atque ea cauſſa eſt, cur cetera mala non æqualiter omnes premant, licet in primo peccato ſint omnes homines pares. Sed quamuis hæc ita ſe habeant, tamen Deus, cùm deſcribit pœnas tum viri, tum mulieris, *Gen. 3.* non meminit iuſtitiæ originalis, ſed malorum conſequentium. Tum, quia primam illam, & propriam peccati ſui pęnam iam ſentiebant, & nuditate, erubeſcentia, ac fuga inobedientiæ pœnam ſe luere teſtabantur. Deus autem non quid iam paterentur, ſed quid deinçeps paſſuri eſſent, indicere eis volebat. Tum etiam, vt ab effectis diſcerent, quàm grauis ſit pęna, illa originalis iuſtitiæ carentia, quandoquidem ex illa vna tot aliæ calamitates ſecuturæ erant. Porrò mala illa conſequentia primam primi peccati pœnam ſunt ferè innumerabilia. Deus autem ſolùm attigit ea, quæ ad vitam ipſam corporalem *Gen 3.* pertinent, quoniam, cùm vita ipſa ſit fundamentum bonorum omnium temporalium, mala, quæ ad vitam pertinent, ſunt omnium communiſsima, & notiſsima.

Tria verò ſunt mala, quæ ad vitam corporalem ex pęna peccati redundarunt. *Mala vitæ corporalis.* Vnum mulieribus proprium. Alterum proprium viris. Tertium vtriſque commune. Ingreſſus hominis in vitam grauis eſt mulieribus, quæ cum labore gerunt in vtero conceptum fętum, & cum dolore pariunt. Conſeruatio vitæ laborioſa eſt viris, ad quos præcipuè ſpectat & ſibi, & vxori, ac proli quærere victum. Denique, exitus è vita, ſiue moriendi neceſsitas tum viris, tũ fęminis ſummam triſtitiam adfert.

Hæc tria mala Deus deſcribit: ac de primo ſic loquitur: *Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. *Pœna mulieris. Gen. 3.* Quid ſibi velint hæc verba, non facile eſt explicare, præſertim cùm multiplicatio conceptuum ad benedictionem pertineat, ac in paradiſo, ac ſtatu innocentiæ futura eſſet, iuxta illud: *Creſcite, & multiplicamini.* *Gen 1.*

Non defuerunt grauiſsimi Patres, & Gregor. Niſſenus, Chryſoſtomus, Ioannes Damaſcenus, Hieron. qui exiſtimauerint propagationem generis humani per opus nuptiarum, ac per hoc conceptum, & partum, & ſubiectionem fœminæ ad virum, non fuiſſe futura in ſtatu innocentiæ: & idcircò rectè inter pœnas primi peccati numerari. Sed hæc opinio merito refellitur à S. Thoma, & cæteris Theologis, à S. Auguſtino, & cæteris Latinis Patribus, qui poſt ipſius tempora ſcripſerunt. Et ſanè Script. diuina non obſcurè teſtatur propagationem hominum in paradiſo per maſculi, & fœminæ coniunctionem fuiſſe futuram: *Maſculum, & fœminam creauit eos, & dixit; Creſcite, & multiplicamini.* Vbi videmus ante peccatum homines cum ſexuum diuerſitate creatos; idque in eum finem, vt creſcerent, & multiplicarentur. Rurſus: *Dixit Deus; Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Ex quo loco rectè colligit Auguſtinus mulierem ideò potiſsimùm inſtitutam, vt in propagatione filiorum virum iuuaret. Neque enim aliud eſt opus in quo non meliùs vir à viro, quàm à fœmina iuuari poſsit. Ac præſertim in paradiſo, vbi nullus erat labor ſubeundus, nulla indigentia timebatur, nulla fuit cauſſa, cur fœmina viro neceſſaria eſſet, niſi propter generationem. Accedit, quòd in ipſo loco felicitatis ante peccatum commiſsum dixit Adam: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Quæ verba ad Matrimonium, atque ad maritalem coniunctionem pertinere, teſtatur Chriſtus, & Apoſtolus.

Gen. 1. *Gen. 2.* *Ibid.* *Matt. 19.* *Ephe ſ. 5.*

Denique; homo in ſtatu innocentiæ, quamuis per donum ſupernaturale id haberet, vt poſſet non mori, tamen corpus habuit verè animale, quod, vt cibo egebat, vt conſeruaretur, ita etiam generatione opus habebat, vt propagaretur. Fuiſſet igitur, ſi homo non peccaſſet, ſanctum connubium, & thorus immaculatus, abſque libidinoſo carnis ardore, geſtaſſet mater in vtero prolem ſine labore, peperiſſet ſine dolore. Fuiſſet etiam ſubiectio vxoris ad virum, ſed charitatis, non conditionis; & ſpontaneæ voluntatis, non violentæ coactionis. Quare pœna peccati eſt, quòd fœminæ cum faſtidio, & labore conceptum fœtum in vtero gerant, quòd cum dolore pariant, quòd viris ita ſubijciantur, vt etiam inuitæ illis parere, eoſque non ſolùm diligere, ſed etiam timere cogantur. Atque hoc eſt; quòd Heuæ Deus prænunciauit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, &c.* Quod non ita accipiendum eſt, quaſi multiplicatio conceptuum abſolutè ad pœnam pertineat; ſed vel Hebraica phraſi dictum eſt: *Multiplicabo ærumnas, & conceptus;* pro eo, quod eſt: Multiplicabo ærumnas conceptuum, & ideò fortaſsis LXX. Interpretes ad rem explicandam omiſerunt vocem, conceptus, quæ in Hebræo habetur, & ſimpliciter poſuerunt: Multiplicabo triſtitias, & gemitum tuum. Vel dictum eſt: Multiplicabo conceptus; quia, ſi Adam; & Heua non peccaſſent, ſoli illi fœtus concepti fuiſſent, qui ad maturitatem peruenturi erant; nunc autem ſæpe fœminæ fœtum concipiunt, & cum labore, & triſtitia gerunt, qui antea extinguitur, quàm lucem videre incipiat. Quæ multiplicatio conceptuum grauiſsima ſanè pœna iudicanda eſt. Porro, quod dicitur: *Sub viri poteſtate eris:* vel, vt habent Græca; Ad virum tuum conuerſio tua; duobus modis accipi poteſt propter ambiguitatem vocis Hebraicæ, quæ tum conuerſionem, & obedientiam; tum deſiderium,

Gen. 3.

deſiderium,& concupiſcentiam ſignificare ſolet. Vel igitur ſenſus erit, mulierem ſeruiendo,& obediendo ad virum conuertendam, vt ab eius ore, & mãdatis pendeat: vel certè ſignificabitur, mulierem etiam poſt laborem gerendi vteri, & dolorem pariendi adhuc virum deſideraturam. Siquidem non leuis eſt pœna, non poſſe ab eo ſe continere, quod tam ingentem laborem,& triſtitiam adfert.

Iam verò, quod attinet ad pęnam viris propriam, quæ eſt in parando victu, qui & ſibi, & vxori,& liberis ſatis eſſe poſsit, ea deſcribitur ibi: *Maledicta terra in opere tuo; in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ; in ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Quibus verbis triplex labor agricolarum deſcribitur. *Pœna viri.* *Gen. 3.*

Primus naſcitur ex terræ ſterilitate, de qua dicitur: *Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea.* Maledictio enim in Script. deſignat ſterilitatem: vt contra benedictio fęcunditatem. Itaque multi requiruntur labores, vt quis de terra ſterili comedere, id eſt, fructum ad cibum idoneum colligere poſsit.

Secundus labor naſcitur ex ſpinis, maliſq́ue herbis, quæ ex terra, etiam fęcunda, cum bonis frugibus oriuntur. Et quia, niſi magno labore ſpinæ, & tribuli, ac noxiæ herbæ euellantur, bonas herbas habere non poſſumus, ideò dicitur: *Spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ*; hoc eſt, herbas quidem habere poteris, ſed non abſque impedimento ſpinarum, & tribulorum.

Tertius labor eſt in colenda terra, quamuis fęcunda, & ſpinis, ac tribulis vacua. Tot enim labores exanthlandi ſunt in arando, ſerendo, metendo; in vitibus, & arboribus plantandis, & putandis, alijſque id genus rebus faciendis, vt meritò dictum ſit: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Quo loco nomine *panis* omnis cibus intelligitur ſecundum morem Script. familiarem. Illud hoc loco prætereundum non eſt, quod nos habemus in editione Latina, *Maledicta terra in opere tuo*; in Hebraicis codicibus eſſe: Maledicta terra propter te. Ex quo intelligimus illud: *In opere tuo*; non ſignificare, in opere terræ colendæ, ſed in peccato tuo: vt S. Hieronymus notat.

Reſtat pęna communis viris, ac mulieribus, quæ eſt neceſsitas moriendi, quam Deus cum pęnis, quæ ad virum magis propriè pertinent, coniungere voluit: tum, quia peccatum viri propriè cauſſa mortis fuit: tum, quia in viro mulier intelligitur, cùm vir ſit caput mulieris: tum denique, quia vir grauius peccauit, quàm mulier. Porrò hęc pęna in illis verbis continetur: *Puluis es, & in puluerem reuerteris*. Ex quibus intelligimus illud: *Quocunque die comederis, morte morieris*; nihil aliud ſignificare, niſi, morti certiſsimæ obnoxius eris. *Pœna communis.* *Gen. 3.* *Gen. 2.*

Pęnæ Adami,& Heuæ adiunxit Deus pęnam ſerpentis: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ. Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius*. Quæ verba tum ad ſerpentem corporalem, vt exponit Chryſoſtomus; tum ad ipſum diabolum, vt Auguſtinus, commodè referuntur. Quamuis enim ſerpens corporalis propriè non peccauerit, quippe qui rationis expers eſt; tamen puniri de- *Pœna ſerpentis.* *Gen. 3.*

buit, vt iram Dei aduerſus peccatum intelligeremus. Magnum enim eſt iræ indicium, cùm non ſolùm peccati auctor punitur, ſed inſtrumenta etiam, quibus peccatum commiſſum eſt, conteruntur. Si autem referamus pœnam ad ſerpentem corporalem, dixit ei Dominus: *Quia feciſti hoc*; ſerpentem Deus alloquitur, non quòd ipſe verba illa intelligere poſſet, ſed propter Adamum, & Heuam, qui præſentes aderant: quemadmodum etiam Chriſtus aliquando ficulneæ maledixit, aliquando imperauit mari, & ventis.

Porrò non quæſiuit Deus à ſerpente, quare id feciſſet, ſicut ab Heua quæſiuit, neque enim ſerpens ille corporalis rationem aliquam facti ſui reddere potuiſſet: ſed ſimpliciter ait: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ*: id eſt, quia inſtrumentum diaboli ad homines ſeducendos, & perdendos fuiſti, abiectiſsimum eris animal, & omnibus inuiſum, & execrabile: &, cùm antea non toto corpore reperes, ſed tantum parte poſteriore, anteriore autem rectus incederes, deinceps ſuper ventrem, & ſuper pectus tuum gradieris: terram quoque perpetuo comedes, cùm antea nequaquam terra, ſed herba eſſet cibus tuus: denique, cùm in paradiſo cum animantibus cæteris, & cum ipſo homine pacificè viueres, bellum erit poſt hac inter te, & mulierem, & prolem tuam, & proles mulieris, quòd nullo vnquam tempore ſopietur. Iam verò, ſi ad ipſum diabolum hæc verba pertineant, non dixit Dominus diabolo: Quare hoc feciſti; ſed: *Quia hoc feciſti*, quia videlicet diabolus ita eſt obduratus in malo, vt nullo modo emendari queat. Eſt verò idem ipſe maledictus inter omnia animantia, & beſtias terræ, quia miſer, ac vilis effectus eſt ſuper omnes, ſiue angelos, ſiue homines peccatores. Quemadmodum enim iuſtitia angelos, atque homines Deos quodammodo facit, ſic è contrario peccatum eoſdem beſtias facit. Super pectus autem diabolus graditur, tum, quia in aſtutia, & calliditate ſua confidit: tum, quia permittitur à Deo de ſuperbia, & falſa poteſtate gaudere, qui antea de veritate, & charitate gaudebat. Non enim parua pena eſt, cùm aliquis adhuc peccare, & de peccato gaudere ſinitur.

Porrò terram diabolus comedit, ſiue quia terrenos, ac reprobos homines vorat; non ſanctos, atque electos: ſiue quia in terrena Sanctorum corpora poteſtatem exercet; animas autem non poteſt occidere. Id verò faciet cunctis diebus vitæ ſuæ, id eſt, vſque ad diem iudicij: tamdiu enim diabolus nocere ſinetur, & tam diu viuere ſe putabit, quàm diu nocere poterit. Denique, Inimicitia erit perpetua inter diabolum, & mulierem, & inter vtriuſque ſemen: & diabolus quidem inſidiabitur calcaneo, ſed interim tamẽ caput ſuum contritum referet. S. Auguſtinus per ſemen diaboli ſuggeſtiones malas, per ſemen mulieris fructum boni operis intelligendum eſſe docet. Diabolus enim mala ſuggerendo calcaneo inſidiatur, vt hominem iuſtum labi faciat; ſed ille caput ſerpentis conterit, quia ipſa ſuggeſtionum initia ſtatim comprimit.

De pęnitentia primorum parentum communis Patrum, & Eccleſiæ conſenſus eſt, eos ſaluos eſſe. Id S. Iræneus multis rationibus probare conatur.

L. 3. c. 34. & ſeq.

Prob. primos parentes ſaluos eſſe.

Primum, quia noua eſt ſententia contraria, & ab ipſo Tatiano hæretico primum excogitata.

Deinde,

Deinde, quia Deus non maledixit Adamo, & Heuæ, ſicut maledixit ſerpenti, cuius ſalus omnino deplorata erat.

Tertiò, quia Adam, & Heua in ſignum pœnitentiæ induerunt ſe aſperis perizomatis ex folijs ficulneis, quaſi ſacco, & cilicio.

Quartò, quia non videretur bonus paſtor ouem centeſimam, quæ perierat, propriè inueniſſe, ſi primus homo, qui per eam ſignificabatur, ſaluus non eſſet.

Quintò, quia poſſet diabolus merito gloriari ſe à Chriſto victum non eſſe, ſi filij, ac poſteri primorum parentum, non ipſi primi parentes de captiuitate liberarentur. Diabolus enim primos parentes propriè ſuperauit: cæteros autem homines ideò iure captiuos tenet, quòd filij ſint eorum, quos ipſe iure belli ſeruos ſuos fecit. A quo enim quis ſuperatur, ſeruus eius efficitur. Addit Epiphanius aliud argumentum ex eo, quòd non ſine ingenti myſterio Adam ſepultus fuiſſe tradatur in ipſo loco, vbi Chriſtus in cruce pendens ſanguinem ſuum fudit: qui quidem locus à cranio primi hominis ibi reperto Caluariæ nomen accepit. Quorſum enim diuina prouidentia hoc procuraſſet, vt cadauer primi hominis ea potiſsimum terra contegeretur, quæ ſanguine Redemptoris aſpergenda erat, niſi vt intelligeremus, ipſum etiam primum hominē à peccato ſuo Chriſti ſanguine expiatum? *Hæreſ. 46.*

CAPVT VII.

Sitne aliquod peccatum originis?

VEritas Catholicæ fidei eſt, à peccato primi hominis peccatum originale in poſteros Adami per generationem deriuari. *Reſp.*

Quod prob. ex Script. Præcipuum teſtimonium eſt: *Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Et infra: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Ex his tale argumentum duci poteſt. Per vnum hominem intrauit in hunc mundum quoddam peccatum, quod omnes homines peccatores, & per hoc morti obnoxios fecit: At eiuſmodi peccatum non poteſt eſſe actuale, id eſt, actuali voluntate commiſſum, cùm etiam infantes ſint morti obnoxij, & ſæpe moriantur, antequam quidquam boni, vel mali propria voluntate deſignare potuerunt: igitur eſt peccatum originale. *Prob. 1. Rom. 5.*

Sunt & alia multa loca in Script. vtriuſque Teſtamenti. Primus locus eſt, quem S. Auguſt. cæterique Patres paſsim allegare ſolent ex verſione LXX. interpretum his verbis: *Nemo mundus à ſorde, nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper terram.* In codice Hebraico non difficulter idem ſenſus reperitur. ſic enim ſonat: *Quis dabit mundum ab immundo? non vnus,* (mundus videlicet eſt) *etiamſi breues dies eius.* *Iob 14. 3.*

Interpres noſter ſic reddidit: *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu, qui ſolus es? breues dies hominis ſunt.* Quæ lectio, tametſi aliquid addat ad verba Hebraica per modum paraphraſis, tamen quoad ſententiam optimè conuenit cum ipſo Hebraico textu. Vtramque autem verſionem, & noſtram vulgatam Latinam, & illam L X X. verba Hebraica ferre poſſunt. Et, cùm noſtra ſit à Concilio OEcumenico approbata, & illa ab omnibus penè veteribus, quòd attinet ad hunc locum, celebrata, neutra contemnenda eſt. Et quidem iuxta noſtram editionem ſumitur argumentum pro peccato originali ex eo, quod, ſi ſolus Deus poteſt mundare hominem de immundo conceptum ſemine, ſequitur eundem hominem ab ipſa conceptione eſſe immundum. Non enim mundari egent, niſi immundi. Hæc autem immunditia ſine dubio non corporalis, ſed ſpiritualis eſt: nam à corporali immunditia mundari homo etiam ab homine poteſt.

Iſa. 64. *Zach. 3.* Denique; In Script. immunditia pro peccato ſumitur: *Facti ſumus, vt immundus, omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ.* Et: *Auferte veſtimenta ſordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* Porrò iuxta editionem L X X. teſtimonium eſt adhuc illuſtrius. Nam, ſi non eſt mundus à ſorde infans vnius diei, profectò peccatum quoddam omnibus nobis ab ipſa conceptione inhæret.

Pſal. 50. Alter locus eſt: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Sciendum non impedire argumentum pro peccato originis, quòd in multitudine dicatur homo concipi in peccatis, cùm peccatum originis vnum ſit, non multa. Nam reuera in Hebraico fonte numerus eſt ſingularis: & ideò S. Hieronymus, & alij ferè omnes reddiderunt: *In iniquitate*; &, *In peccato.* Adde peccatum originis etiam ſignificari poſſe nomine peccatorum, & iniquitatũ: tum quia non eſt inuſitata in Script. & prophanis auctoribus figura intellectionis, qua numerus multitudinis ponitur pro numero ſingulari, & contra numerus ſingularis pro numero multitudinis: tum, quia in peccato illo primi Adami, quod à poſteris generatione contrahitur, multæ fuerunt iniquitates: ſuperbia, infidelitas, inobedientia, & aliæ.

Ioan. 1. Ex nouo Teſtamento primus locus eſt: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollis peccata mundi.* Vbi in textu Græco legitur in ſingulari: τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, *Ecce, qui tollit peccatum illud mundi.* Quod eſt autem peccatum illud mundi, niſi commune illud peccatum, quod per vnum hominem in hunc mundum intrauit?

Ioan. 3. Secundus locus eſt: *Qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum.* Vbi notat S. Auguſtinus non eſſe dictum: ira Dei veniet ſuper eum: ſed, *Manet ſuper eum*, quia iam antea erat, & manet in omnibus filijs Adæ, niſi per Chriſtum tollatur.

Rom. 3. *Rom 9.* *Rom 5.* Tertius eſt: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Certè enim, ſi omnes peccauerunt, non excipiuntur paruuli à peccato. Paruuli autem propria voluntate nihil boni, aut mali egerunt, vt idem Apoſtolus ait. Igitur omnes peccaſſe dicuntur, quia filij illius ſunt, in quo omnes peccauerunt.

1. Cor. 15. Quartò, habemus comparationem illam Adami cum Chriſto, gratiæ cum peccato, reſurrectionis cum morte, quam Apoſtolus facit. Ex qua manifeſtè colli-

colligitur, ita omnes, qui ex Adamo naſcuntur, peccatum, & mortis æternæ debitum contrahere: ſicut omnes, qui renaſcuntur in Chriſto, gratiam iuſtificationis, & beatæ reſurrectionis pignus acquirunt.

Quintò habemus inſignem illam Apoſtoli ratiocinationem: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Vbi primum conditionalis conſecutio ponitur: *Si vnus pro omnibus mortuus eſt: ergò omnes mortui ſunt.* Deinde, abſolutè aſſumitur: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt.* Relinquitur autem, vt abſolutè concludamus: Ergò omnes mortui ſunt. Et ſatis apertè loquitur B. Paulus de morte omnium, non tam corporali, quam ſpirituali. Dicit enim Chriſtum mortuum eſſe, *vt, qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed Deo.* Et paulò poſt clariùs quòd dixerat, Chriſtum pro nobis mortuum, docet *Nos Deo per Chriſtum reconciliatos.* Et paulò poſt clariſsimè dicit: *Eum, qui peccatum non fecerat, pro nobis peccatum,* id eſt, hoſtiam pro peccato, *factum, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in illo.* Iam igitur, cùm conſtet Chriſtum pro nobis omnibus omnino mortuum, atque hoſtiam pro peccato factum eſſe, ſequitur omnes omninò, ſine vlla exceptione ſexus, conditionis, ætatis, mortuos eſſe in Adamo, & redemptore, ſeu iuſtificatore indiguiſſe. *2. Cor. 5.*

Sextus locus: *Concluſit Script. omnia ſub peccato, vt remiſsio per Chriſtum daretur credentibus.* Eſt enim ſententia huius loci, Scripturam demonſtrare omnes homines eſſe peccatores, nec poſſe, niſi per Chriſtum, ad indulgentiam peruenire. *Gal 3.*

Septimus eſt: *Eramus & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri.* Dicimur enim *natura filij iræ,* quia à natiuitate, vel quia ex natura peccato primi hominis viciata reatum peccati trahimus, ex quo iræ atque vindictæ diuinæ obnoxij ſumus. Aliqui interpretantur illud, *natura,* ac ſi dictum eſſet, prorſus: quam interpretationem S. Hierony. non reijcit, quin etiam fatetur vocem eſſe ambiguam, tamerſi priorem ipſe expoſitionem ſequatur. *Epheſ. 2.*

Prob. etiam veritas ex traditione Eccleſiæ, teſtimonijs ſcilicet Patrum illorum, qui antè Pelagianam hæreſin exortam ſcripſerunt: deinde decretis Eccleſiæ, quæ propriè iſtam hæreſin damnarunt. Habemus iudicia totius orbis terrarum, quibus accedunt duo Concilia vniuerſalia, Florentinum, & Tridentinum. *Prob. 2.*

Prob. denique ratione. Prima ratio ducitur ex Baptiſmo, eaque inuicta prorſus, & inſolubilis, qua veteres paſsim vſi ſunt. Infantes continuo baptizandi ſunt, ſi periculum ſit, ne in ea ætate moriantur; vt ex Apoſtolica traditione docent Patres; & ſemper hæc ſollicitudo fidelium fuit in Eccleſia, vt diligentiſsimè prouiderent, ne quis omninò, ſiue adultus, ſiue infans, abſque Baptiſmo diſcederet. Et præter Apoſtolicam traditionem, habemus verbum ipſum ſcriptum, quod ea traditio nobis explicuit clarius: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Eſt autem certum Baptiſmum dari ad remiſsionem peccati: nam qui baptizantur, *renaſcuntur ex aqua, & Spiritu ſancto.* Cur autem renaſci debet per gratiam, cuius generatio corrupta non fuit per peccatum? Item; Qui baptizantur, moriuntur peccato, & reſurgunt, *vt in nouitate vitæ ambulent.* Quomodo vero mori poteſt peccato, qui peccatum nullum habet? Rurſus; Qui Baptizantur, mundantur, & lauantur: *Prob. 3. 1. Ratio. Ioan. 3. Rom. 6.*

Mundans

Epheſ. 5. Tit 3. Act. 22. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Et: *Per lauacrum regenerationis, & renouationis*. Et: *Ablue peccata tua inuocato nomine ipſius*. Qui autem fieri poteſt, vt mundetur, & lauetur, qui ſordes, aut maculas nullas habet? Denique; Idem oſtendit forma Baptiſmi. Siue enim per formam intelligamus verba illa: *Ego te baptizo, &c.* ſiue ſymbolum illud externum, quod eſt ſimilitudo rei internæ; falſa erit forma Baptiſmi, ſi Baptiſmus non datur in remiſsionem peccatorum. Nam quid eſt: *Ego te baptizo*, niſi; Ego te lauo, vel mundo, iuxta Scripturas definiétes Baptiſmum lauacrum regenerationis, quo mundamur in verbo vitæ? Quid verò ſignificat ſymbolum illud externum, quo mergimur in aquam, &
Rom. 6. emergimus ex aqua, niſi *mori nos peccato*, vt Apoſtolus docet, *vt reſurgamus iuſtitiæ*? Quare dubitari non poteſt, quin infantes, quibus neceſſarium eſſe Baptiſmum oſtendimus, peccatum habeant, quod ſecum ex vtero matris adduxerint.

2. Ratio. Secunda ratio ducitur à cæremonijs Baptiſmi antiquiſsimis, & in Eccleſia vniuerſa celebratis; exorciſmo videlicet, & exſufflatione. Quo argumento vtitur paſsim S. Auguſtinus, & Celeſtinus Papa, & alij poſteriores. Nam Pelagiani reprehendere non poterant, nec audebant vſum vniuerſæ Eccleſiæ, quo per exorciſmum, & exſufflationem ab infantibus baptizandis ſpiritus immundus abigitur. Quòd ſi ſpiritus immundus infantes ante Baptiſmum poſsidet, negari non poteſt, quin eos per peccatum captiuos teneat. Neque enim permitteret Deus à diabolo creaturam ſuam poſsideri, niſi ſibi eam per peccatum antea ſubieciſſet. A quo enim quis ſuperatur, eius ſeruus efficitur.

3. Ratio. Tertia ratio eſt ex Circumciſionis myſterio. Circumciſio enim ex ſententia S. Auguſtini, Gregorij, Bernardi, Innocentij III. ad peccatum originis purgandum inſtituta erat. Ex aliorum verò ſententia, ſi non ad tollendum peccatum originale, certè ad ſignificandum eius purgationem referebatur. Nam ideò in eo membro fieri iuſſa eſt, in quo euidentius peccati illius effectus apparet, & per quod genus humanum carnaliter propagatur, & propagatione inficitur.

4. Ratio. Gen. 2. Quarta ratio eſt ex pœna peccati. Mors enim pœna peccati eſt, vt patet ex eo: *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris*. Moriuntur autem omnes, & ipſi etiam infantes, qui propria voluntate nihil egerunt boni, vel mali. Igitur peccatum quoddam in infantibus ineſt, quod non committitur propria voluntate, ſed ipſa propagatione à parentibus trahitur.

5. Ratio. Iſa. 53. Rom. 5. 1. Pet 3. 2. Cor. 5. 1. Tim. 2. Quinta ratio eſt ex paſsione, & morte Domini. Dominus enim pro iniuſtis paſſus, & mortuus eſt. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. Et: *Chriſtus ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt*. Et: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis*. Mortuus eſt autem pro omnibus, vt eadem Script. teſtatur: *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*. Et: *Dedit redemptionem ſeipſum pro omnibus*. Igitur omnes iniuſti, & peccatores ſunt, aut certè fuerunt.

6 Ratio. Luc. 15. Luc. 10. Sexta ratio ſumitur ex parabolis, & figuris. Nam centeſima ouis, quæ aberrauit à grege, & drachma perdita omnium conſenſu naturam humanam vniuerſam ſignificant. Ille etiam, qui deſcendens ab Ieruſalem in Iericho, incidit in latrones, atque ab eis ſpoliatus, & ſemiuiuus relictus iacebat in via,

ſine

ſine dubio genus humanum deſignat, quod à Satana in primo parente gratiæ cęleſtis indumento exutum, & plagis confectum ita iacebat, vt ſemiuiuus rectè dici poſſet, cùm ablata eſſet animæ vita gratiæ, non vita naturæ.

Septima ratio ex diuerſo iudicio, & ſenſu Sanctorum, & Ethnicorum in natalitijs hominum. Siquidem Ethnici, qui peccatum originis ignorabant, magna celebritate colebant dies natales, ac potiſsimum Reges, & Principes. Pharao celebrabat conuiuium ſolenne die natalitiorum ſuorum. Idem faciebat Herodes. Idem paſsim legitur in hiſtorijs Gentilium. Contra vero Sancti diem ſuum natalem ob originis corruptionem deplorant: *Pereat dies, in qua natus ſum*. Et: *Maledicta dies, in qua natus ſum*. Abraham quoque filij ſui non diem natalem, ſed diem ablactationis celebrauit. Porrò Eccleſia Chriſtiana natalitia Sanctorum feſtiuis gaudijs recolit; ſed ea natalitia vocat, non quibus cum peccato naſcuntur ad vitam mortalem, ſed quibus per temporalem mortem tranſeunt ad vitam beatam, & immortalem. Scit enim *pretioſam eſſe in conſpectu Domini Sanctorum eius mortem*: Et; *Beatos eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur*.

7. Ratio. Gen 40. Matt. 14. Iob 3. Hierem. 20. Gen. 21. Pſal. 115. Apoc. 14.

Octaua ratio eſt ex antiquitate ſententiæ Catholicæ, & nouitate erroris contrarij. Vna enim ex præcipuis notis hæreſeos eſt, ſi, poſt fidem Catholicam prædicatam, & receptam, & longo tempore cultam, noua aliqua opinio exoriatur, quæ nouitate ſua perturbet animos fidelium aſſuetos iam contrariæ doctrinæ. Talem fuiſſe doctrinam Pelagij teſtatur S. Auguſtinus.

8. Ratio. L. 2. de pecc. meritis, & remiſſ. c. 6. & 7.

Sed præcipuum Pelagianorum argumentum eſt: Peccatum non in carne, ſed in anima ſedem habet: ſed anima non trahitur ex Adamo, aut, ſi trahitur, non propagatione, ſed imitatione trahitur. Hoc argumentum ſemper Auguſtino difficillimum, ac pœnè inſolubile viſum eſt. Qua etiam de cauſſa nunquam certò ſibi perſuadere potuit, animas creari ex nihilo, non à parentibus trahi. Pro ſolutione notandum varias eſſe de origine animæ ſententias. Aliqui cenſent latere originem animæ, neque eſſe aliquid temerè definiendum. Huius ſententiæ fuit ad mortem vſque S. Auguſtinus, S. Gregorius, & Eucherius: nec deſunt, qui in eadem dubitatione adhuc hętendum eſſe velint.

Obiect.

Nos tamen hoc tempore hanc ſententiam minimè tutam eſſe cenſemus, & ideò illi ſententiæ ſubſcribimus, quæ docet hominibus ſingulis animas ſingulas, non ex propagine, ſed ex nihilo tunc primùm creari, atque infundi, cùm in vteris matrum fętus concepti, atque ad animationem præparati ſunt.

Origo animæ.

Ratio, cur priorem ſententiam explodendam, & hanc ſextam amplectendam eſſe iudicemus, duplex eſt. Primum enim habemus hoc tempore præter teſtimonia Patrum, qui S. Auguſtini tempora præceſſerunt, reſcriptum S. Leonis I. ad Turbium, decretum Leonis IX. in Concilio Lateranenſi, conſenſum Theologorum omnium, qui his quingentis annis floruerunt; denique rationes egregias à Theologis excogitatas; quibus argumentis S. Auguſtinus caruit.

Prob. 1.

Deinde; Tota cauſſa, quæ S. Auguſtinum impediuit, ne creationem nouarum animarum certò ſibi perſuaderet, fuit argumentum Pelagianorum con-

Prob. 2.

tra peccatum originale ſupra allatum. Nam argumenta cætera contra nouam animarum creationem putauit ſe facilè poſſe diſſoluere, & reipſa diſſoluit: ſed ingenuè confitetur ſe neque legendo, neque orando, neque ratiocinando inuenire potuiſſe, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur. Cæterum remota quæſtione peccati originis S. Auguſtinus ſententiam de creatione animarum veriſsimam eſſe non dubitauit. At reuerà neque animarum creatio impedit peccati traductionem, neque propagatio animarũ ex anima Adami propagationem peccati iuuat: ſiquidem Adamus iuſtificatus fuit à peccato, quoad animam, antequam filios generaret. Sæpe etiam parentes iuſti, & peccato originali carentes filios gignunt: non poteſt autem ex anima iuſta trahi anima iniuſta, ac per hoc non ideò traducitur peccatum in prolem, quia anima fit ex anima. Porrò de modo, quo peccatum originale traducitur, variæ ſunt ſententiæ: ſed veriſsimam eſſe puto S. Anſelmi, S. Thomæ, Scoti, Durandi, & aliorum, ad traductionem peccati originalis nihil aliud requiri, niſi vt homo per veram generationem ab Adamo deſcendat. Hoc enim ipſo, quòd aliquis in lumbis Adæ fuit, cùm is pręceptum in paradiſo tranſgrederetur, in illo eius peccato communicauit. Nam, vt Apoſtolus loquitur, *In illo omnes peccauerunt*: omnes, inquam, qui in lumbis eius erant. Ex his facile erit argumentum Pelagianorum ſoluere. *Rom 5.*

Solut. Reſpondemus enim ad aſſumptionem, animam non trahi ex Adamo, quaſi ab Adamo fiat, vel ex Adami anima fiat; ſed tamen eſſe partem hominis, quæ verè trahitur ab Adamo. Neque enim, vt peccatum ex Adamo trahatur, neceſſarium eſt, vt anima fiat ab Adamo; ſed ſatis eſt, ſi homo ipſe, cuius pars eſt anima, fiat ab Adamo. Porrò verè, & propriè dicitur hominem generare, tametſi anima non producatur ab homine, ſed inſpiretur à Deo. Nam generatio non terminatur ad productionem formæ, vel materiæ, ſed compoſiti. Proinde, qui animam cum carne coniungit, is verè hominem facit. Coniungit autem animam cum carne is, qui materiam ita diſponit, (quod facit homo per generationem vt infallibiliter anima conſequatur. Ex quo intelligimus non ſolùm non impediri traductionem peccati ex eo, quod animæ creentur à Deo; ſed neque multum iuuari, vel illuſtrari, ſi animæ hominum intelliguntur fieri ex propagine, ſicut animæ beſtiarum fiunt. Nam beſtiarum animæ non fiunt ex propagine, quaſi pars aliqua animæ parentum traijciatur in prolem (pater enim ſolùm præbet ſemen, quod eſt ſuperfluum alimenti, & mater ſanguinem menſtruum, qui etiam eſt ſuperfluum alimenti, & neutrum eſt pars animantis) ſed quia parentes generando diſponunt materiam vſque ad animationem.

CAPVT

CAPVT VIII.

Vnde, ad quos, & quod peccatum trahatur?

TRES hic quæſtiones breuiores ſunt. Prima: *Vnde hoc peccatum trahatur?* Queſt. 1.
Certum autem eſt hoc peccatum ex Adamo trahi. De illo enim Apoſto- Rom. 5.
lus dicit: *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundum.* Et: *Sicut in Adam* 1. Cor. 15.
omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur.

Duo ſunt, quæ in controuerſiam vocari poſſunt.

Vnum: Si Heua ſola peccaſſet, Adamo in innocentia permanente, an pec- Dubit. 1.
catum Heuæ ad poſteros traduceretur?

Alterum: Si primi parentes non peccaſſent, peccaſſet autem Cain, vel ali- Dubit. 2.
quis alius ex poſteris Adami, vtrum peccatum illud ad filios dimanaret?

Quoad prius conueniunt omnes, peccatum propriè dictum non fuiſſe Reſp. ad 1.
traijciendum in poſteros, ſi ſola Heua peccaſſet: tamen in eo diſſentiunt, quod
aliqui exiſtimant ex peccato ſolius Heuæ dimanaturam in filios moriendi
neceſsitatem, & cetera incommoda, quæ mortalitas ſecum trahit. Alij contra
diſputant, neque peccatum, neque moriendi neceſsitatem in filijs Adæ locum
habitura ex peccato ſolius Heuæ. Quæ ſententia eſt S. Thomæ, & ſine dubi- 1. 2. q. 81. ar. 5.
tatione veriſsima. Nam peccatum originale contrahimus, quia, cùm Adam
peccauit, in illo fuimus, vt in actiuo principio. Non fuimus autem in Heua,
vt in actiuo principio, cùm mater non virtutem actiuam, ſed materiam ſo-
lum ad prolem generandam præbeat. Quòd ſi peccatum ab Heua non trahi-
mus, certè nec mortem ab illa trahimus, quæ eſt peccati pœna. *Stipendium enim* Rom. 6.
peccati mors. Quare Script. non dicit: In Heua omnes moriuntur: ſed, *In Adam* 1. Cor. 15.
omnes moriuntur. Et tamen, cùm Heua priùs peccauerit, quàm Adam, ſi ab
Heua mortem traheremus, omninò dicendum fuiſſet: In Heua omnes mo-
riuntur. Scribit quidem Eccleſiaſticus: *A muliere initium factum eſt peccati, &* Eccli. 25.
per illam morimur omnes. Sed aliud eſt, per illam; aliud, in illa. Per illam mori-
mur, quia illa occaſionem peccandi viro ſuo præbuit, vnde mors conſecuta
eſt: at non in illa, ſed in Adam omnes moriuntur, quia non Heuæ, ſed Adæ
peccatum commune fuit omnibus; & ideò illo peccante omnes in illo pecca-
uimus, & illo moriente omnes in illo mortui ſumus. Denique; Concilium Can. 2.
Arauſicanum ſtatuit non poſſe mortem ſine peccato ad homines tranſire, niſi
iniuſtitia Deo detur, & contradicatur Apoſtolo dicenti: *Per vnum hominem pec-*
catum in hunc mundum, &c.

Quod ad alterum attinet, communis ſententia eſt, ſi primus homo non pec- Reſp. ad 2.
caſſet, qui totius naturæ perſonam gerebat, quocunque alio peccante peccatũ
futurum fuiſſe perſonale, & particulare; & ideò poſteritatem eius infici, &
minimè vitiari potuiſſe.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt: *Ad quos peccatum originale traijciatur?* Et quidem in controuerſiam vocari non debet; An traijciatur ad eos, qui ex Adamo per carnalem generationem minimè deſcendunt: neque enim dubitari poteſt, quin Dominus Ieſus Chriſtus, qui non ex ſemine viri, ſed Spiritus ſancti virtute in vtero Virginis conceptus eſt, originali peccato caruerit. Et eadem ratio eſſet, ſi aliquis alius per diuinam potentiam aliunde, quàm ex Adam, originem duceret.

Reſp. Itaque ſolùm quæſtio eſt: Vtrum omnes, qui per carnalem generationem ex Adamo naſcuntur, trahant originale peccatum? ſiquidem non pauci ex hæreticis ſine peccato originis concipi, ac naſci volunt omnes filios fidelium.

Prob. 1. Sed hoc manifeſtè repugnat verbo Dei, Patrum traditioni, decretis Conciliorum, atque Pontificum, & Eccleſiæ vniuerſæ conſuetudini. Teſtimonia enim, quæ ſupra attulimus ex Script. ad probandum originale peccatum, generalia ſunt, & omnes homines, ſiue fidelium, ſiue infidelium filios comprehendunt.

Pſal. 50. Deinde, locus ille: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, &c. non quemcunque hominem, ſed Dauidem ipſum in peccato fuiſſe conceptum docet: porrò Dauidem filium fuiſſe hominis fidelis, dubitari non poteſt. Item illud: *Eramus & nos natura filij iræ, ſicut & cæteri*; apertiſsimè dicitur de filijs fidelium, qualis erat Apoſtolus, qui ſcribit ſe fuiſſe de genere Iſraël, ex tribu Beniamin, Hebræum ex Hebræis. Et alibi dicit ſe natura, hoc eſt, à natiuitate, Iudæum, non ex Gentibus peccatorem. Denique; Circumciſio Dei mandato filijs fidelium adhibenda erat, & tamen ea peccatum originis, vel tollebat, vel tollendum ſignificabat, vt veteres omnes concedunt.

Epheſ. 2. Philip. 3. Gal. 2. Gen. 17.

Prob. 2. 3. Ad hæc accedit traditio Patrum, Conciliorum, atque Pontificum decreta: Eccleſiæ etiam conſuetudo. Nam ſemper in Eccleſia fuit hæc ſollicitudo fidelium, vt ſummopere cauerent, ne filij ipſorum in quauis ætate ſine Baptiſmo diſcederent. Fuit etiam conſuetudo ſemper in Eccleſia celeberrima, exorciſandi, & exſufflandi filios fidelium baptizandos. Illa enim apertiſsimè teſtatur, filios, etiam fidelium, immundo ſpiritui ſubditos eſſe, donec Spiritu S. in eos ſuperueniente mundentur.

Quæſtio autem illa: Vtrum B. Virgo Maria ſine peccato originali concepta ſit? alibi, volente Deo, à nobis tractabitur.

Quæſt. 3. Tertia quæſtio eſt: *Quodnam peccatum per generationem traijciatur ad poſteros?* Illudne vnum, quod Adam primo commiſit; an cætera omnia tum ipſius Adæ, tum aliorum parentum?

Reſp. Extra controuerſiam eſt, quòd attinet ad culpam, vnum tantùm, hoc eſt, primum primi parentis peccatum ad poſteros carnali generatione tranſmitti.

Prob. 1. Rom. 5. Sic enim Apoſtolus loquitur: *Iudicium quidem ex vno* (delicto) *in omnes homines in condemnationem; gratia verò ex multis delictis in iuſtificationem*. Quo loco differentiam ponit Apoſtolus inter peccatum quo damnata eſt maſſa generis humani, & gratiam, qua liberatur: ac dicit peccatum vnum fuiſſe, quod omnes homines perdidit; gratiam verò non ab illo vno ſolùm, ſed etiam ab omnibus

alijs

alijs liberare. Hinc idem Apoſtolus ait: *Vnius delicto multi mortui ſunt.* Et: *Vnius delicto mors regnauit.* Et: *Vnius delicto in omnes homines in condemnationem.* Et: *Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Hinc etiam vocat Adamũ formam futuri, id eſt, Chriſti. Et alibi comparat Adamum cum Chriſto, & illum vocat primum hominem, hunc ſecundum hominem; quia nimirum ille ſolus omnem ſuam poſteritatem perdidit; hic ſolus omnem ſuam poſteritatẽ reparauit. Quod ſi peccata non ſolùm primi parentis, ſed aliorum etiam per generationem traheremus, neque ſolus Adam rectè diceretur forma futuri, neque Chriſtus rectè diceretur ſecundus homo. Deinde, Sancti Patres hoc idẽ ſumma conſenſione teſtantur. *Ibid.* *Ibid.* *1. Cor. 15.*

His accedunt rationes. Nam, ſi Adam non peccaſſet, tranſmiſiſſet quidẽ ad poſteros iuſtitiam originalem, quæ non tam ipſi, quàm toti naturæ in ipſo data fuerat: non autem tranſmiſiſſet dona ſua perſonalia, ſapientiam, prudentiam acquiſitas virtutes, & alia id genus. igitur ratio poſtulat, vt non tranſmittat etiam peccata ſua perſonalia, ſed illud vnum dumtaxat, propter quod iuſtitia originali priuatus fuit, quod naturæ peccatum à Theologis nominatur. *Prob. 2. 3.* *1. Ratio.*

Deinde; Experientia teſtatur ſæpe viros admodum malos genuiſſe viros admodum bonos, id eſt, ab ineunte ætate pronos ad virtutes, & opera egregia. Achaz enim, & Amon Reges deterrimi filios genuerunt Ezechiam, & Ioſiam, qui & viri optimi, & Reges præſtantiſsimi ab ipſa penè infantia fuiſſe narrantur. At, ſi vitia parentum omnium tranſirent ad proles, laboraſſent certè parentum vitijs Ezechias, & Ioſias, ſaltem initio ætatis: neque enim vno die tot vitia eradicari potuiſſent. *2. Ratio.*

CAPVT IX.

Quid ſit peccatum originis?

SCiendum primo eſt peccati nomen bifariam accipi ſolere. Vno modo, pro libera tranſgreſsione præcepti. Alio modo, pro eo, quod remanet in anima peccatoris, poſt actionem illam tranſgreſsionis præcepti. Nam, quòd actio ipſa, qua præceptum tranſgredimur, & ſit, & dicatur propriè peccatum, nemo eſt, qui neget, & perſpicuum eſt ex definitione peccati, quę eſt *dictum, vel factũ, vel concupitum, &c.* Quòd autem poſt actionem peccati aliquid maneat, quod ſit, & dicatur propriè peccatum, ex eo poteſt intelligi, quòd, qui peccatum commiſerunt, dicuntur ab omnibus poſt actionem peccati propriè, & formaliter peccatores: item, dicuntur eſſe in peccato, habere peccatum, mundati à peccatis, &c. Quamuis autem id, quod remanet poſt actionem, ſit aliquo modo effectus eiuſdem actionis, tamen eſt etiam aliquo modo idem cum ipſa actione; & ideò non per figuram metonymiæ, ſed propriè dicitur peccatum: & duplex illa ſignificatio peccati non eſt ſignificatio duarum rerum, ſiue duorum peccatorum, ſed vnius, & eiuſdem alio, atque alio modo ſe habentis. *Nota 1.*

Sicut enim calefactio, & calor per calefactionem acquiſitus, non ſunt duo calores, ſed vnus, qui calefactio dicitur, dum acquiritur, & fit; calor autem, dum factus, & acquiſitus permanet: ſic etiam peccati peruerſio; ſiue obliquitas, vt eſt in motu, dicitur peccatum in priore ſignificatione; vt autem permanet in anima peccantis, dicitur peccatum in ſignificatione poſteriore. Nam ſicut, qui à Sole auertitur, manet auerſus in tenebris, donec ad Solem iterum reuertatur: & qui ab aliquo recedit, manet in ea diſtantia, donec iterum accedat: ſic etiam, qui per peccatum à Deo auertitur, & recedit, non ſolum, dum peccat, ſed etiam poſtquam peccauit, manet à Deo auerſus, & longè diſsitus, donec per pœnitentiam conuertatur, & reuertatur ad Deum.

Nota 2. Sciendum ſecundò, has varias peccati ſignificationes in peccato actuali, & perſonali ab omnibus agnoſci; non item in originali. Sed, cùm originale peccatum non minus verè, & propriè ſit peccatum, quàm perſonale, nihil eſt, cur timeamus etiam ad originale illas extendere. Itaque, cùm videamus in puero recens nato nihil eſſe, quod peccatum in priore ſignificatione dici poſsit, quippe in quo voluntas ab omni actione vacat; certè peccatum in priore ſignificatione non in nobis, ſed in prima tantùm origine. id eſt, in primo parente quærendum eſt. Nec eſt aliud haud dubiè, quàm inobedientia illa voluntariè ab eo commiſſa, per quàm ſe, & ſuos poſteros iuſtitia originali ſpoliauit, reos mortis effecit, turpes, & inuiſos Deo reddidit. Itaque peccatum in priore ſignificatione vnum eſt dumtaxat omnium hominum; ſed in Adamo actuale, & perſonale; in nobis originale dicitur. Solus enim ipſe actuali voluntate illud commiſit: nobis verò communicatur per generationem eo modo, quo communicari poteſt id, quod tranſijt, nimirum per imputationem. Omnibus enim imputatur, qui ex Adamo naſcuntur, quoniam omnes in lumbis Adami exiſtentes in eo, & per eum peccauimus, cùm ipſe peccauit. Dicimus prætere, quemadmodum in Adamo, præter actum illius peccati, fuit etiam peruerſio voluntatis, & obliquitas ex actione relicta, per quam peccator propriè, & formaliter dicebatur, & erat, donec per pœnitentiam remitteretur: ita quoque in nobis omnibus, cùm primùm homines eſſe incipimus, præter inobedientiæ Adami imputationem, eſſe etiam ſimilem peruerſionem, & obliquitatem vnicuique inhærentem, per quam peccatores propriè, & formaliter dicimur, donec per Baptiſmum talis iniquitas remittatur: ſed hanc obliquitatem fuiſſe in Adamo perſonale peccatum in poſteriore ſignificatione; in nobis originale etiam in poſteriore ſignificatione. Atque huc reſpexerunt Sanctus Anſelmus, S. Thomas. S. Bonauentura, Scotus, Durandus, Gabriel, qui pecatum originis eſſe voluerunt carentiam iuſtitiæ originalis debitæ in eſſe.

Nota 3. Sciendum tertiò, & ſi Doctores citati in eo conueniant, tamen in modo explicandi non omninò inter ſe conuenire. Videtur enim priuatio doni illius eſſe potiùs pœna, quàm culpa, & ideò laborant omnes, vt oſtendant, quomodo ſit peccatum, & alij alia dicunt. Sed veriſsima nobis videtur ſententia eorum, qui carentiam ipſam doni diuini per actum peccati effectam, ſiue ex actione illa manantem, peccatum originale eſſe definiunt. Ita D. Thomas, qui docet

1.2.q.82. art.3.

docet formale in peccato originis eſſe priuationem iuſtitiæ originalis : quæ
voluntatem ſubijciebat Deo.

Si quis igitur à nobis quærat : *Quid propriè ſit originale peccatum?* Quæſt.

Reſpondebimus cum diſtinctione: Si peccatum pro actione cum lege pug- Reſp.
nante accipiatur , peccatum originale eſt prima Adami inobedientia ab Ada-
mo ipſo commiſſa, non vt erat ſingularis perſona , ſed vt perſonam totius ge-
neris humani gerebat. Si verò peccatum accipiatur pro eo, quod reſidet in ho-
minem poſt actionem, & vnde idem homo non peccans, ſed peccator nomi-
natur; peccatum originale eſt carentia doni iuſtitiæ originalis , ſiue habitualis
auerſio, & obliquitas voluntatis , quæ & macula mentem Deo inuiſam red-
dens appellari poteſt.

Vt autem hoc probetur, ſit prima propoſitio: ***Prima Adami præuaricatio, quæ*** Propoſ. 1.
totius humani generis præuaricatio fuit, peccatum eſt originale, ſi peccatum pro actione ſu-
matur.

Prob. primò ex diuinis litteris: ***In quo omnes peccauerunt.*** Ex quo loco intelli- Prob. 1.
gimus nos omnes non ſolum naſci peccatores , ſed etiam aliquando pecca- Rom. 5.
uiſſe; quod & alibi docet Apoſtolus : *Omnes peccauerunt , & egent gloria Dei.* Sed Rom. 3.
quia certum eſt neminem noſtrum peccauiſſe propria voluntate , antequam Rom. 9.
nati eſſemus , vt ipſe idem teſtatur, ſequitur, vt peccauerimus aliena volun-
tate, id eſt, Adami: quæ tamen voluntas, niſi fuiſſet aliquo modo totius natu-
ræ, ac per hoc etiam noſtra, nullo modo verè peccauiſſe diceremur. Pecca-
uimus igitur in primo homine, quando ille peccauit , & illa eius præuari-
catio noſtra etiam præuaricatio fuit. Idem probant illa verba: *Per vnius inobe-* Rom. 5.
dientiam peccatores conſtituti ſunt multi. Et : *Vnius delicto in omnes homines in con-*
demnationem . Non enim verè per Adami inobedientiam conſtitueremur
peccatores , niſi inobedientia illius noſtra etiam inobedientia eſſet, & ex il-
la profluxiſſet illa macula, & peruerſio, quæ in nobis inhæret . Neque iuſtè
vnius delicto condemnaremur omnes, niſi delictum illud commune fuiſſet
omnibus.

Secundò prob. teſtimonijs S. Patrum. Prob. 2.

Tertiò prob . euidentiſſima ratione. 3.

Niſi enim ponamus nos in Adamo, & cum Adamo verè peccaſſe, nulla ra-
tione explicari poterit, quomodo in paruulis recens natis ſit aliqua culpa ve-
ra: & hoc Catholicum dogma non tam ſupra rationem , quàm contra ra-
tionem eſſe videbitur. Nam, quidquid dicamus in paruulis ex peccato Ada-
mi hærere, ſiue reatum, ſiue auerſionem, ſiue gratiæ priuationem, ſiue quid
aliud, illud nullo modo paruulis vitio dari , ac ne eſſe quidem poterit,
niſi proceſſerit ab actione libera , cuius actionis illi aliquo modo partici-
pes fuerint . Ac reatus quidem , cùm ſit relatio conſequens actionem, qua
ratione fieri poteſt , vt exiſtat in eo , qui non eſt particeps actionis ? Auerſio
habitualis, niſi præceſſerit actualis, ne intelligi quidem poteſt . Nam ſi Deus
per abſolutam ſuam potentiam ſpoliaret hominem iuſtum gratia ſine vlla
ipſius culpa actuali , ſolo beneplacito ſuæ voluntatis , careret ille quidem
conuerſione habituali ad Deum, quam habitus gratiæ faciebat; ſed non prop-
terea diceretur à Deo auerſus, ſed tantùm non conuerſus.

Sicut

Sicut ſi Deus hominem aliquem ex nihilo nunc produceret, & habitum gratiæ illi non infunderet, non haberet ille conuerſionem ad Deum, ſed neque auerſionem, ſed tantum non conuerſionem, quę nomen culpæ nullo modo meretur. Sed fingamus paruulum aliquem habere auerſionem, & reatum, & tamen non peccaſſe cum primo parente, quis capere poterit eum meritò reprehendi, & puniri debere? quam culpam habet in eo, quòd ita generatus eſt? num impedire potuit, ne ſic gigneretur?

Propoſ. 2. Secunda propoſitio: *Priuatio doni iuſtitiæ originalis, quatenus auerſio eſt mentis à Deo per modum habitus manens, peccatum eſt originale, ſi peccatum accipiatur pro eo, quod remanet tranſeunte actu, & vnde habet homo, vt propriè, & formaliter peccator dicatur.*

Prob. Prob. Nam ex omnibus, quæ remanent in anima peccatoris, tranſeunte actu peccati, nihil eſt, quod propriam peccati rationem habere poſsit, niſi priuatio iuſtitiæ, ſiue auerſio, & macula, quæ vnum, & idem ſunt.

Remanet in anima peccatoris primò ordo quidam ad actum præcedentem, ſiue priuatio innocentiæ, quæ eſt in eo ſita, vt aliquis nunquam peccauerit.

Secundò, reatus culpæ, qui eſt dignitas odij, indignitas gratiæ, & meritum pęnæ.

Tertiò, reatus pęnæ, id eſt, ordinatio, ſiue obligatio ad luendam pęnam.

Quartò, offenſa, ſiue inimicitia eius, qui per peccatum eſt læſus.

Quintò, diſpoſitio, vel habitus acquiſitus.

Sextò, auerſio, ſiue obliquitas voluntatis manens per modum habitus.

Septimò, priuatio gratiæ, ſiue iuſtitiæ à Deo infuſæ.

Octauò, macula, atque fęditas, quæ ex priuatione diuini nitoris, atque luminis oritur.

Ex his omnibus ordo ad actum præcedentem non eſt propriè peccatum: non enim facit, vt homo peccatum habeat, ſed vt habuerit, nec poſsit non habuiſſe. Quocirca ille ordo manet etiam poſt peccatum remiſſum, nec poteſt vlla ratione deleri. Innocentia enim ſemel amiſſa per nullam potentiam poteſt reparari.

Reatus culpæ, id eſt, dignitas odij, indignitas gratiæ, & meritum pęnæ, non eſt propriè peccatum, ſed effectus neceſſario conſequens, & aliquid manens poſt actum peccati. Non enim homo eſt dignus præcisè odio, quia peccauit: alioqui nunquam talis dignitas auferri poſſet, & peccatum eſſet irremiſsibile: ſicut fieri non poteſt, vt, qui peccauit, non peccauerit. Conſequitur igitur ea dignitas odij, vel deformitatem, vel obliquitatem remanentem, vel damnum datum, & nondum reſarcitum: atque ita non eſt peccatum, ſed effectus peccati. Præterea; Talis dignitas, vel indignitas non eſt aliquid recedens à lege, non eſt voluntaria, non deformat, non occidit ſpiritualiter animam, non eſt priuatio boni, neque habet aliquid aliud eorum, quæ propriè peccato conueniunt.

Reatus pęnæ; ſiue meritum, ſiue obligatio, ſiue etiam ordinatio dicatur ad pœnam, multò minus peccatum eſt, quàm reatus culpæ. Nam ordinatio ad pœnam, & obligatio oriuntur ex merito, & dignitate pœnæ, & ſunt à Deo obligan-

obligante, & ordinante eum, qui peccauit, ad luendam pœnam. Quare tantum abeſt, vt reatus pœnæ ſit peccatum, vt potius ſit aliquid boni à Deo inſtitutum ad reformandum, & reſtituendum ordinem iuſtitiæ, quem culpa turbauerat.

Offenſa quoque non videtur propriè eſſe peccatum, cùm ſit in eo, qui per peccatum eſt læſus, non in eo, qui læſit.

Diſpoſitio, vel habitus acquiſitus vitium eſt, non peccatum. Nam & eſt qualitas poſitiua, & manet ſæpenumero poſt culpam remiſſam.

Reſtat igitur auerſio habitualis, quæ propriè peccatum ſit. Nam, vt peccatum actuale eſt auerſio actualis à Deo, & eius lege: ita peccatum habituale eſt auerſio habitualis à Deo, & eius lege. Et ſicut peccatum actuale eſt priuatio rectitudinis actualis; ita peccatum habituale eſt priuatio rectitudinis habitualis, quæ eſt habitus gratiæ. Et ſicut peccatum actuale eſt voluntarium actuali voluntate; ita peccatum habituale eſt voluntarium habituali voluntate. Ex quo intelligimus, multum intereſſe inter habitum vitioſum acquiſitum per actus frequentatos, & peccatum habituale. Nam habitus acquiſitus eſt qualitas poſitiua: peccatum habituale priuatio. Item; habitus acquiſitus non poteſt tolli per vnum actum voluntatis, quamuis efficaciſsimum: peccatum habituale ſicut vno actu fit, ita vno actu tollitur. Rurſus; habitus, acquiſitus poteſt eſſe etiam valdè intenſus cum actu contrario, & cum gratia Dei: peccatum habituale non poteſt, ſaltem de potentia ordinaria. Denique; habitus acquiſitus non poteſt dici propriè voluntarius, cùm maneat in nobis per aliquod tempus nobis inuitis, & repugnantibus: peccatum habituale eſt voluntarium, quia voluntariè in peccato manemus, &, ſi efficaciter velimus non manere, non manemus. Itaque differt habituale peccatum ab habitu acquiſito, quomodo qui curuus manet, quia ita vult manere, ab eo, qui ob aſſuetudinem ita curuus eſt, vt non poſsit, niſi admodum difficulter, erigi. Quia tamen peccatum habituale non eſt voluntarium, niſi habitualiter, ideò poteſt manere, etiam in dormiente, in amente, infante.

Porrò Priuatio gratiæ, & Macula, quæ duo poſtrema erant, re non differunt ab auerſione habituali. Nam, cùm gratia Dei per modum habitus in voluntate inhærens, eam formaliter conuerſam ad Deum, iuſtam, rectam, formoſamque efficiat, eius priuatio voluntatem eandem habitualiter auerſam, iniuſtam, obliquam, & deformem facit.

CAPVT X.

De pœna infantium ſine Baptiſmo diſcedentium.

RESTAT pœna peccati originalis, ac primum de ijs, qui in Infantia peccato nondum remiſſo rapiuntur, ſit prima propoſitio; *Paruuli* *Propoſ. 1.*

 ſine

ſine Baptiſmo diſcedentes mortis æternæ pœna damnandi ſunt.

Prob. Nam fide tenendum eſt, tales paruulos abſolutè eſſe damnatos, & non ſolum cœleſti, ſed etiam naturali beatitudine perpetuò carituros. Quod ad beatitudinem cœleſtem attinet, extat clariſsima Domini ſententia: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* (Ioan. 3.) De quo ſupra. Quòd autem ne naturali quidem beatitudine beati ſint, his argumentis probamus.

Prob. 1. quod ne naturaliter beati ſint. Primùm ex Script. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam:* Et infra: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* (Ioan. 3.) Iam, cùm paruuli non baptizati nullo modo reſpiciant in ſerpentem, id eſt, non credant in Chriſtum, neque per ſe, neque per alios, neque actu, neque habitu, quid ſequitur, niſi vt non habeant vitam æternam, vt pereant in æternum, vt non videant vitam, vt ira Dei maneat ſuper illos? Rectè enim aduertit Auguſtinus non eſſe dictum: Ira Dei veniet ſuper eos: ſed, *manet ſuper eos*, vt intelligeremus fidem in Chriſtum neceſſariam, non ſolum, ne incidamus in iram Dei, ſed etiam vt liberemur ab ira, in quam incidimus per inobedientiam primi hominis: de qua dictum eſt ab Apoſtolo: *Eramus enim & nos natura filij iræ, ſicut & ceteri.* His accedit illud: (Epheſ. 2.) *Per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* (Rom. 5.) Sunt igitur paruuli ſine Baptiſmo decedentes ſecundum Script. à Deo condemnati, & iratum contra ſe Deum habent, & non videbunt in æternum vitam beatam, ac felicem: nam corporalem quidem vitam in communi reſurrectione percipient: ſed non dicentur reſurgere ad vitam, ſed ad mortem, qui ideò reſurgent, vt perpetuo ſint miſeri; & non eſt vera vita, niſi vbi feliciter viuitur. (Apoc. 20.) Denique; *Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima, in his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Et infra: *Qui non eſt inuentus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* At paruuli non baptizati non habent partem in reſurrectione prima, nec ſunt ſcripti in libro vitæ: igitur in eos mors ſecunda habet poteſtatem, & miſsi ſunt in ſtagnum ignis.

Prob. 2. Secundum argumentum ſumitur à definitionibus Conciliorum Paleſtini, (Seſſ. 5.) Carthaginenſis, Mileuitani, Florentini, ac tandem Trident. quod conſentaneè ad antiqua Concilia diſertis verbis docuit paruulos ſine Baptiſmo ad vitã æternam non peruenire.

Prob. 3. Tertium argumentum ſumitur ex teſtimonijs ſummorum Pontificum.

4. Quartum ex teſtimonijs Patrum.

5. Quintum ex rationibus, quæ in Script. & Patribus fundamentum habent.

1. Ratio. Prima ratio: Paruuli non baptizati, tum in hac vita, tum in alia, ſunt captiui, & in poteſtate diaboli: non igitur beati, ne naturali quidem beatitudine, ſed abſolutè infelices, & miſeri. Et quidem, quod infantuli, niſi baptizentur, ſint in poteſtate diaboli, & captiui, certiſsimum eſt. (Coloſſ. 1.) Nam Apoſtolus dicit, nos per Chriſtum eripi de poteſtate tenebrarum. Ex quo ſequitur, vt ante Baptiſmum ſimus omnes ſub poteſtate tenebrarum. Quare Chriſtus ipſe

ipſe dicit ſe mittere Paulum *ad gentes, & populos, vt aperiat oculos eorum, & conuertantur de tenebris ad lucem, & de poteſtate Sathanæ ad Deum*. Comparat etiam Sathanam *forti armato cuſtodienti atrium ſuum.* Et: *Nunc*, inquit, *Princeps huius mundi eÿcietur foras.* Hanc autem diaboli expulſionem in paruulis fieri per Baptiſmum, docent exorciſmi, & exſufflationes, quarum in Eccleſia ſemper vſus fuit. *Act. 26.* *Luc. 11.* *Ioan. 12.*

Altera ratio ſumitur ex loco, in quo paruuli degunt, & ſemper degent: ſiquidem locus eorum eſt carcer inferni, locus horridus, & tenebricoſus, in quo, qui degent, ſine dubio beati eſſe non poterunt, cùm beatitudo definiatur ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Locum autem talium infantium eſſe carcerem inferni, docent inprimis ferè omnes Theologi ſcolaſtici. Hoc ſolùm inter veteres illos Theologos intereſt, quòd alij conſtituunt infantes in parte inferni altiore, quam limbum puerorum appellant: alij cum ceteris damnatis eos locum habere pronunciant. Docent hoc idem Patres Concilij Florent. qui ſimpliciter definiunt animas eorum, qui in ſolo peccato originali, vel mortali actuali decedunt, in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Neque vlla eſt ratio, cur ex eo loco poſt vltimum iudicij magni diem liberandæ ſint, cùm poſt hanc vitam non ſit locus miſericordiæ, ſed iuſtitiæ, & ſcriptum ſit: *Vbicunque ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad aquilonem, ibi erit.* Quem locum S. Hieronym. & alij communiter exponunt de hominibus, qui in eo ſtatu perpetuò erunt, in quo illos mors inuenerit. Docent hoc ipſum denique ſancti Patres, qui non incerta opinione, ſed fide certiſsima contra hæreſin Pelagianorum rem iſtam tenendam confirmant. Accedat etiam ratio, quæ non obſcurè docet infantes, qui non erunt in cœlo, non alium locum habituros, quàm inferorum ſubterraneas ſedes. Siquidem omninò credibile eſt poſt vltimi iudicij diem elementum aquæ ad locum ſuum naturalem eſſe rediturum, totamque terram vndique cooperturum. Nam, vt Theologi Doctores communi conſenſu docent, poſt diem iudicij nullæ erunt amplius plantæ, nulla animantia, nulla corpora mixta, hominibus dumtaxat exceptis. Neque enim perpetuo duratura ſunt, niſi quæ vel in toto, vel ex parte incorruptionem ab ipſa natura ſortita ſunt. Eiuſmodi autem ſunt primùm corpora cœleſtia, quæ & ſecundum totum, & ſecundum partes incorruptibilia ſunt. Deinde, elementa, quæ ſecundum totum, licet non ſecundum partes à natura incorruptionem habent. Denique, homines, qui ſecundum partem, quæ eſt anima rationalis, non ſecundum totum immortales ſunt. Cetera corpora ſunt omnia, tum in toto tum partibus corruptibilia. Quare, cum aqua initio mundi totam ambiret terram, vt natura eius poſtulare videbatur, ac deinde iuſſu Dei in locum vnum congregata fuerit, vt eſſet locus in terra generationi animantium, & plantarum; certè generatione iſta ſublata ratio ipſa, & natura rerum poſtulat, vt aqua ad locum priſtinum reuertatur. Ex quibus colligimus locum infantium ſine Baptiſmo decedentium non alium, quàm infernum, eſſe futurum: ac per hoc non habituros illos beatitudinem vllam, etiam naturalem, cùm ad beatitudinem omnia bona, inter quæ non minimum eſt loci commoditas, & præſtantia ſine dubio requirantur. *2. Ratio.* *Seſſ. vlt.* *Eccle. 11.* *In comment.*

 Tertia

3. Ratio. Tertia ratio principalis ſumitur ex natura, & ratione beatitudinis. Beatitudo enim naturalis requirit præcipuè perfectionem intelligentiæ per ſcientias: non erit autem talis beatitudo in infantibus ſine Baptiſmo decedentibus: igitur non erit in eis vlla beatitudo. Aſſumpt. prob. Scientia rerum, vel à Deo infunditur, vel proprio labore acquiritur. Non infundetur paruulis, de quibus agimus, vlla ſcientia, quia eam neque bonis operibus meruerunt, neque gratis eis donabitur, cùm poſt mortem non ſit tempus gratiæ, ſed iudicij; & ipſi præterea ſint vaſa iræ, non miſericordiæ. Quòd autem attinet ad acquiſitionem proprio labore, non poterit, ea non eſſe valdè tenuis, & exigua, cùm neque in hac vita didicerint aliquid, & in alia etiam clauſi perpetuo ſint futuri in carcere tenebricoſo, vbi miniſterio ſenſuum parum admodum iuuari poterunt. Nam animæ ſeparatæ, ſi priuilegium abſit, intelligunt quidem aliquid, ſed valdè imperfectè, & confuse, & ideò naturaliter corpori vniuntur, vt eo tanquam inſtrumento vtantur ad res perfectè, diſtinctéque intelligendas. Eadem eſt ratio de virtutibus moralibus, quarum perfectio ad naturæ felicitatem neceſſaria eſt. Nam, vt ex hac vita decedunt infantes ſine vitijs, & virtutibus poſitiuis, cum ſola habituali auerſione à Deo, ita ſemper erunt auerſi habitualiter à Deo, neque proficient in virtutibus, niſi valdè fortè imperfectè, pro ratione imperfectæ cognitionis, quam in eo ſtatu aſſequentur.

Propoſ. 2. Propoſitio ſecunda: *Paruuli ſine Baptiſmo decedentes non punientur pœna ſenſus, ſiue ignis ſenſibilis*. Contraria ſententia non videtur apertè ab Eccleſia reprobata, reijcitur tamen paſsim in ſcholis, & nobis improbabilis videtur.

Prob. 1. Apoc. 18. Prob propoſ. primùm ex Script. *Quantum ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tantũ date illi tormentum, & luctum*. At paruuli nulla ſe ratione glorificauerunt, neque in delicijs vllis fuerunt: nullum igitur merentur tormentum, & luctum. Itẽ; Iſa. vlt. & Mar. 9. Ignis coniungitur cum verme: *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. Conſtat autem paruulos nullam paſſuros pœnam ex morſu vermis, id eſt, ex conſcientia mali operis animum pungente, atque affligente: igitur credibile etiam eſt nullam eſſe paſſuros ignis materialis pęnam.

Prob. 2. L. 3 decret. tit. de baptiſmo, & c. maiores. Secundò prob. ex epiſtola decretali Innocen. III. Pont. grauiſsimi, atque doctiſsimi, vbi legimus peccati originalis pœnam eſſe carentiam viſionis diuinæ; actualis autem gehennæ perpetuæ cruciatum. Quo loco per cruciatum gehennæ non poteſt intelligi, niſi pœna ſenſus, quæ opponitur pœnæ damni.

Prob. 3. Tertiò prob. ex teſtimonijs ſanctorum Patrum.

4. Quartò prob. ratione.

1. Ratio. Prima ratio: Peccatum originis non tollit in homine ordinem naturalem, ſed ſupernaturalem, conuerſionem ſcilicet ad Deum per donum gratiæ ſupernaturale: igitur æquum eſt, vt pœna peccati originalis ſit priuatio boni ſupernaturalis, qualis eſt carentia viſionis diuinæ, non autem inflictio pęnæ ſenſibilis, quæ naturam ipſam lædit.

2. Ratio. Secunda ratio: Propter habitualem carentiam virtutum, & habitualem pronitatem ad vitia nemo puniri ſolet pœna poſitiua, ac ſenſibili, ſed ſolum propter culpam actualem: non enim ſuſpenduntur à Magiſtratu, qui carent habitu

habitu iuſtitiæ, vel qui proni ſunt ad furta, ſed qui reipſa furantur. Poſſunt tamen, qui carent virtutibus, & è contrario proni ſunt ad mala, reijci tanquã indigni ab aliqua dignitate adipiſcenda. At peccatum originis eſt culpa ſolùm habitualis: ſunt enim infantes propter id peccatum habitualiter auerſi à Deo, & habitualiter proni ad concupiſcendum cõtra rationem. Ergò reijci poſſunt tanquam indigni, à cęleſti beatitudine adeunda: non tamen puniri ſupplicio ignis, & ſulphuris, quæ ſunt pęnæ ſenſibiles, ac poſitiuæ.

Tertia ratio: Propter originale peccatum non iniungitur in Eccleſia hominibus baptizandis, quamuis adultis, vlla ſatisfactio pęnalis, neque iubentur eiuſmodi homines propter id peccatum vllam animo triſtitiam, doloremúe concipere: igitur credibile eſt nullam ei reſpondere ſenſibilem pęnam in ſæculo futuro, ſed carentiam tantum beatitudinis ſempiternæ. 3. Ratio.

Propoſitio tertia: *Probabile eſt paruulos non Baptizatos paſſuros interiorem animi dolorem, quamuis mitiſſimum.* Dicimus enim habituros eos animi dolorem, quòd intelligent ſe beatitudine priuatos, à conſortio piorum fratrum, & parentum alienos, in carcerem inferni detruſos, & in tenebris perpetuis vitam acturos. Propoſ. 3.

Cęterum hunc dolorem in eis leuiſsimum, mitiſsimumq́ue multis de cauſſis futurum. Tum, quod diſpoſitionem ad beatudinem non, niſi remotiſsimam, habuerint: Tum, quòd intelligent, non propria negligentia ſe tantum bonum amiſiſſe; vnde etiam verme conſcientiæ carebunt: Tum quòd delicias, neque cœleſtes, neque terrenas vnquam guſtauerint; facilè enim ijs bonis caremus, quibus nunquam aſſueuimus. Tùm denique, quòd videbunt plurimos eſſe in eodem gehennæ carcere ſe multò infeliciores, ad quorum ſortem ipſi quoque pertinere potuiſſent, ſi diutius ſibi viuere contigiſſet. Nititur hæc ſententia auctoritate ſanctorum Patrum, Auguſtini, Fulgentij, Gregorij, & aliorum. Accedit, quòd nullus eorum hactenus, qui contra ſentiunt, congruentem rationem reddere potuit, cur infantes non triſtentur, dum cogitant ſe cœleſti beatitudine priuatos, & in carcerem inferni detruſos. Prob.

CAPVT XI.

De pœna peccati originalis aliquamdiu ſuperuiuentium.

CAlamitates illas, quas in hac vita patiuntur, qui aliquamdiu ſuperuiuũt, & tum præſertim, ſi ad vſum rationis accedant. S. Auguſtinus ad duos veluti fontes reducit: ignorantiam, & difficultatẽ: ex quibus alios duos fontes malorum oriri dicit: errorem, & dolorem. Ignorantia enim parit errorem: difficultas dolorem. Theologi Scolaſtici paulo aliter hæc tradunt: Scribunt enim quatuor eſſe vulnera naturæ; Ignorantiam, Malitiam, Concupiſcentiam; L. 3. de libero arbit. c. 18. 19. 20. & alibi.

centiam, Infirmitatem: quorum primum in mente, ſecundum in voluntate, tertium in appetitu concupiſcente, quartum in iraſcente conſtituunt. Sed nos diſtinctius explicabimus.

Diuiſio malorum huius vitæ. Igitur mala huius vitæ, alia ſunt interna, alia externa. Interna voco, quæ ſunt in ipſo homine; vt ignorantia, concupiſcentia, & ſimilia. Externa, quæ ſunt extra hominem; vt habere Deum iratum, eſſe ſub diaboli poteſtate, carere obedientia animantium ratione expertium; à cœlo, ab aëre, ab aqua, ab ipſa terra multas, & varias calamitates aſsiduè perpeti. Sed rurſus Interna, alia ſunt in parte animæ ſuperiore; alia in inferiore; alia in corpore. In ſuperiore læſa ſunt intelligentia, & voluntas. In inferiore ſenſus, tum interni, tum externi, & vtraque appetendi facultas. In corpore denique ſunt plurima incommoda, & ad extremum ipſa mors. Vt igitur à prima parte animi noſtri incipiamus, in Intelligentia, ſeu mente humana plurima ſunt vulnera.

1. Malum in intelligentia. Primum eſt ignorantia rerum neceſſariarum in infantibus tanta, quanta ne in beſtijs quidem cernitur.

2. Malum. Secundum eſt fatuitas, cum qua nonnulli naſcuntur. Nullum enim eſt animal, quod ita naſcatur deſtitutum omninò ab omni operatione naturę ſuæ propria, vt hominum aliqui naſcuntur.

3\. Tertium eſt difficultas diſcendi. Nam ſine labore ignoramus, cum labore diſcimus. Tamque altè radices ſuas in quorundam mentibus ignorantia iecit, vt malint illi ſemper in tenebris ignorantiæ viuere, quàm tantum laboris, quantum ad diſcendum neceſſarium eſſe vident, omninò ſubire.

4 Quartum eſt ignoratio vltimi finis, in cuius adeptione tota hominis beatitudo conſiſtit. Non enim ſolùm ignorant omnes homines, niſi diuinitus adiuuentur, finem ſupernaturalem; ſed etiam maxima pars hominum, ab ipſo naturali fine intelligendo aberrat. Cuius rei teſtes eſſe poſſunt tam diuerſæ Philoſophorum ſententiæ de ſummo bono. Quid autem miſerius fingi poteſt, quam ignoratio finis proprij, id eſt, veri; ac ſummi boni?

5\. Quintum eſt ignoratio mediorum ad finem, id eſt, earum rerum, per quas ad bonam, beatamque vitam peruenire poteſt. Nemo eſt enim tam prudens, qui non ſæpenumero dubitet, hæſitet, cæcutiat in deliberatione rerum agendarum; ac præſertim circa locum, tempus, modum, aliaſque rerum circumſtantias: *Cogitationes enim mortalium timidæ ſunt, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* *Sap. 9.*

6\. Sextum eſt difficultas intelligendi naturas rerum. Nam cùm hominis proprium munus eſſe videatur res omnes contemplari, & ex earum cognitione ad conditoris cognitionem aſcendere, & inſitum ſit homini à natura incredibile ſciendi deſiderium; tamen tanta eſt imbecillitas mentis humanæ, vt ne formicæ quidem naturam perfectè nouerit. Itaque verè dixit Eccleſiaſtes:

Eccle. 1. *Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone.* Et: *Mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.* *Eccle. 3.*

Quàm autem obſcuram, ac tenuem de Deo notionem acquirere poſsit humanum ſtudium, teſtantur tot monſtroſæ opiniones Ethnicorum de natura Dei,

Dei, qui eo vſque progreſſi ſunt, vt etiam cępis, & allijs diuinitatem dare non dubitauerint.

Septimum eſt ignorantia propriæ mentis. Nam cæteræ mentes, angelicæ videlicet, ſeipſas perfectè norunt: mens verò humana nihil minus, quam ſeipſam cognoſcit: nec ſolum naturam ſuam, ſed etiam opera ſua ignorat. Hinc ſanctus ille Propheta ingemiſcens clamat: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Domine.* Incredibilis planè eſt infelicitas, vt ipſe, qui propria voluntate peccat, non poſsit ſæpe diſcernere, an verè peccauerit? an deliberata voluntate conſenſerit? quoties, quantumque deliquerit? At, qui fieri poteſt, vt vitam rectè inſtituat, & ægritudinibus ſuis medicinam faciat, qui ſeipſe non nouit, nec ſcit, quo morbo laboret, ac ne id quidem intelligit, an laboret. 7. Pſal. 18.

Octauum eſt, quòd mens humana ab ipſo corpore, quod ei datum eſt pro inſtrumento ad ſcientias comparandas, impeditur, ne facilè, perfectèque intelligat: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Certè autem nullum eſt aliud corpus, quod impediat actionem præſtantiſsimam propriæ formæ. 8. Sap. 9.

Nonum eſt curioſitas quędam propemodum naturalis. Rari enim ſunt, qui non libentius, ac diligentius aliena facta, ac pręſertim errata obſeruent, quàm ſua. Vnde data eſt occaſio fabulę de duabus manticis, quarum anterior aliena vitia, poſterior propria continet. *Sed non videmus,* inquit ille, *manticæ quod in tergo eſt.* Et alius: *Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.* Magna eſt hæc miſeria: nam propria vitia cognoſcere ſemper eſt vtile; ſæpe autem neceſſarium; aliena ſcrutari vix vnquam vtile, ſæpenumero noxium, ac perniciosum fit. 9.

Decimum eſt, quod multa inania, leuia, inepta voluimus animo, vel inuiti, etiam alieniſsimo tempore. Deplorant hanc miſeriam S. Patres paſſim. Itaque, quod ait Apoſtolus: *Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens,* in ipſam etiam humanam mentem optimè quadrat. 10. Rom. 8.

His accedit, quòd, cùm mens æterna ſit, & ei perpetua debeatur operatio, tamen, dum eſt in corpore, ne mediam quidem temporis partem ſibi vendicare poteſt. Nam, ſi detrahas infantiam, ac pueritiam, in quibus ætatibus mens aut nihil, aut parum admodum operatur: ſi demas tempus, quod ſibi corpus ſumit, tum ad ſomnum, tum ad alias neceſſitates vitæ, quantulum eſt, quod intelligentiæ ad opus ſuum relinquitur.

Voluntatis vulnus multiplex eſt.

Primum eſt illa, quam Greci vocant φιλαυτίαν, id eſt, amorem ſui. Omnes enim quærunt, quæ ſua ſunt, niſi per Spiritum ſanctum charitas Dei in eorum cordibus infundatur. Atque hinc naſcuntur infinita mala. 1. Malum in Voluntate.

Secundum eſt difficultas, quam experimur in vitijs ſuperandis, & virtutibus colendis. Nam finis hominis naturalis, quantum ad voluntatem, eſt viuere ſecundum rationem. Proinde virtus ſecundum naturam eſt; vitium contra naturam: & videmus res omnes libenter, & facilè moueri ad ea, quę 2. Malum

naturę

naturæ ſuæ conſentanea ſunt; ægrè,& difficulter ad ea,quæ naturæ ſuæ repugnant. At homines *lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Et: *Bibunt, ſicut aquam, iniquitatem*, id eſt, ſine moleſtia, labore,& facilè, ſuauiterque peccata committunt. Teſtes huius rei ſunt multiplices illæ pœnæ, quas tum in paruulos, tum in maiores cogimur exercere, vt homines vel inuiti coërceantur à vitijs.

Prou. 2. Iob 15.

3. Tertium eſt incredibilis quædam negligentia in ijs, quæ ad beatè viuendũ, tum in hac vita, tum etiam poſt mortem pertinent. Nam cum ſatis conſtet beatitudinem in hac vita in virtute perfecta ſitam eſſe, & ſimul experiamur viam ad perfectam virtutem eſſe difficilem, ratio poſtulat, vt magno ſtudio in hanc rem incumbamus. Si enim, qui magnum ſtudium adhibent, non ſine labore perueniunt, quid fiet de illis, qui nullum adhibent. Rurſus; Cùm animã eſſe immortalem naturaliter cognoſcamus, par eſſet, vt nihil ſæpius, nihil diligentius, nihil maiori cum ſollicitudine tractaremus, quam quid nobis ſit euenturum poſt mortem. At contra plerique hominum nihil minus curant, quam de comparandis virtutibus, vel beatitudine ſempiterna: &, quod magis eſt admirandum, ne in extrema quidem ſenectute, cùm certum eſt mortem longè abeſſe non poſſe, ſtudium incipiunt adhibere ad procurandam ſalutem. Tanta videlicet obliuio, tantus ſopor, tanta ſecuritas humanũ genus merito primæ præuaricationis oppreſsit.

4. Quartum eſt immoderata ſollicitudo in temporalibus lucris captandis. Qui enim in veris, & ſummis bonis quærendis ſupra modum negligentes ſunt, ijdem ſunt in comparandis bonis falſis, inanibus, & fugacibus attentiſſimi. Quam calamitatem non tantum Eccleſiaſtes multis in locis deplorat; ſed etiam Ethnicus ille, qui Satyras ſuas ita cœpit: *O curas hominum, ô quantum in rebus inane eſt.*

5. Quintum eſt mira quædam peruerſitas voluntatis humanæ, quæ ad verum Deum colendum tardiſsima eſt, etiam cùm is ſe per multa miracula, & beneficia aperuit: ad colendos autem Deos falſos promptiſsima, tametſi nihil omninò de eorum diuinitate cognouerit. Certè Philoſophi multi *per ea, quæ facta ſunt*, vt Apoſtolus loquitur, *Deum cognouerunt, non tamen ſicut Deum glorificauerunt.* Hebræi quoque Deum verum per innumerabilia ſigna, & prodigia cognitum facillimè faſtidiebant, ac deſerebant: & ad ſacrificandum falſis Dijs etiam filios proprios promptiſsimi erant. Quare Deus ipſe Iudæis exprobrat inconſtantiam Dei veri colendi exemplo Ethnicorum, qui in cultu falſorum Deorum retinendo conſtantiſsimi erant.

Rom. 1. Hier. 2.

6. Sextum eſt inconſtantia, inſtabilitas, pugna quædam, & contentio voluntatis humanæ. Nam res cæteræ, tam ſuperiores, vt Angeli; quàm inferiores, vt pecudes, ſemper idem volunt, aut nolunt, bonum proſequuntur, malum fugiunt. At homines rem eandem modò volunt, modò nolunt, modò neque planè volunt, neque planè nolunt. Placet adulterium, dicit incontinens: ſed nolo, quia lex prohibet. Neque ſolum pars inferior cum ſuperiore, ſed ſuperior ſecum ipſa confligit.

7. Septimum eſt faſtidium proprij ſtatus. Magnum enim argumentum eſt corruptionis voluntatis humanę, quòd nemo ſua ſorte contentus viuat: ſed

laudat diuerſa ſequentes, vt ille ait. Id enim ſignum eſt ęgritudinis manifeſtę: nam res cæteræ, ſi adſint, quæ natura eorum requirit; facillimè acquieſcunt, neque mutationem vllam expetunt. Proprium autem ægrotantium eſt nunc vnum, nunc aliud velle; faſtidire cibos, lectum; modò huc, modò illuc impacienter ſe conuertere.

Octauum eſt, quòd nullus, niſi per gratiam renouetur, peccata omnia mortalia vitare poteſt: venialia verò ne renouati quidem poſſunt, niſi priuilegio ſingulari. Quare ita proprium hominibus videtur eſſe peccatum, vt vulgò dici ſoleat, humanum eſſe peccare. Vnde ille peccatum excuſans: *Perſuaſit*, inquit, *nox, amor, vinum, adoleſcentia; humanum eſt*. Et alius quidam: *Nemo ſine crimine viuit: optimus ille eſt, qui minimis vrgetur.* Magna eſt hæc voluntatis ægritudo, vt, cùm nemo peccare poſsit, niſi velit, & nihil ſit magis in poteſtate hominis, quàm velle, tamen non poſsit ſemper benè velle, & per hoc abſque omni peccato viuere. In parte animæ inferiore, in qua ſunt ſenſus, tum interni, tum externi, & duplex appetendi facultas, multa ſunt etiam, & grauia vulnera. 8.

Primùm, quòd multi naſcantur cæci, aut ſurdi, aut muti, aut claudi, aut alio modo in hac parte læſi. Nam ſine dubio nihil vnquam tale accidiſſet, ſi primus homo non peccaſſet. Neque in alijs animantibus iſta cernimus, quæ in hominibus ſæpe deflemus. 1. *Malum in parte animæ inferiori.*

Secundum eſt illuſio ſomniorum, quæ per ſenſus interiores efficitur, quæ illuſione partem quidem illam temporis nobis liberam relinquit, quæ ad aliquantulam quietem à natura conceſſa videtur. 2.

Tertium eſt, quòd, cùm interior ſenſus ideò nobis ſit à natura attributus, vt menti ad contemplationem, intelligentiamque deſeruiat; tamen ſæpe mirum in modum intelligentiam impedit, & confundit, cùm importuniſsimo tempore varia figmenta ſuggerit animo, & à contemplatione rerum cœleſtiũ ad ſuas nugas pœnè violenter auertit. 3.

Quartum eſt infirmitas in appetitu, qui dicitur iraſcibilis. Nam, cùm hæc facultas homini data ſit, vt imperanti rationi tanquam miles armatus obediat, & ſit quaſi neruus quidam animi, fortitudinem, conſtantiamque, ac robur ad res bene, & ordine gerendas prębens; contra plerumque accidit, vt imperium animę ſponte inuadens hominem penitus in feram conuertat, eumque cogat impetu ferri, inſilire; rabie, vt canes, affici; pungere, vt ſcorpiones; mordere, vt ſerpentes. Naſcitur nobiſcum iſta peſtis, & in ipſa infantia incipit apparere. 4.

Quintum eſt concupiſcentia, quæ poſt amiſſam originalem iuſtitiam ſoluta, contra ſpiritum pugnat. Et hinc naſcitur inteſtinum illud bellum, quod vſque ad mortem finiri non poteſt. Propter quod Apoſtolus clamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quantum autem imperium in rationem hic affectus acceperit, & contra, quàm debiles ſint vires rationis aduerſus impetum huius indomitæ feræ, teſtantur vitia plurimorum adoleſcentium, qui tam immenſo voluptatum turpiſsimarum incendio flagrant, vt penè ad inſaniam redigantur. Teſtantur nouæ, & inauditæ libidinum adinuentiones, quibus concupiſcentia hominum longè ſuperat concupiſcentiam be- 5. *Rom. 7.*

 ſtiarum.

ſtiarum. Teſtantur ieiunia, vigiliæ, ſacci, humicubationes, ſpinarum aculei, aliaq́ue id genus, quibus viri ſancti, tanquam armis cœleſtibus, vt hoc malum reprimerent, vſi ſunt. Teſtantur horribiles tragœdiæ, quæ ſingulis ætatibus, & in omnibus mundi partibus occaſione carnalis concupiſcentiæ acciderunt. Certè in Script. ſanctis horrorem incutiunt, quæ de Samſone, Salomone, & Dauide leguntur, exempla: quorum primus fortitudine, ſecundus ſapientia, tertius ad fortitudinem ſapientiam, ſanctitatem, & pietatem planè ſingularē adiunxerat.

1. Malum corporis. Corporales miſeriæ, in hac lacrymarum valle innumerabiles planè ſunt, quæ tamen nullæ fuiſſent, niſi peccatum eis aditum patefeciſſet.

Primum, tot ſunt morborum genera, vt nec libris medicorum omnia cōprehenſa ſint.

2. Secundò, In eorum pluribus ac penè omnibus etiam ipſa adiumenta, & medicamenta tormenta ſunt, inedia, pharmaca, ſectiones, vſtiones; vt multi ſæpe leuius malum æſtiment morbum, quàm medicinam.

3. Tertiò, Inopia cibi, ac potus ad quantam rabiem homines interdum adducant, multa & in ſacris, & in prophanis auctoribus exempla declarant.

4. Quartò, Ad inopiam arcendam tantus labor neceſſarius, vt Script. primo
Gen. 3. homini fuiſſe dictum teſtetur: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*. Et rurſum
Iob 5. propter eandem cauſſam ita dicitur *homo naſci ad laborem* quaſi ad proprium quoddam munus, *vt auis naſcitur ad volatum*. Itaque ſicut miſeria morbi per aliam miſeriam ſæpe grauiorem, id eſt, per medicamenta pellitur: ſic etiam malum inopiæ per malum laboris nec breuius, nec leuius temperatur.

5. Quintò, Accedit breuitas vitæ. Nam, cùm homines ad ſcientiam rerum, quæ propria eſt hominis operatio, non niſi longo tempore, magnoq́ue labore perueniant, æquum eſſe videbatur, vt diutiſsimè viuerent: alioqui futurum erat, vt penè nulli finem ſibi proprium, & naturalem attingerent. Contra tamen vita hominis breuiſsima eſt. Plurimi enim ante decedunt, quàm ad maturitatem venire cœperint, &, qui longiſsimè viuunt, ad ætatem ceruorum, & cornicum minimè perueniunt. Quare non defuerunt ex Ethnicis, qui de natura quererentur, quòd longiorem vitam cornicibus, quàm hominibus dediſſet. Alius tunc vitam ſe relinquere dicebat, cùm diſcere, & vitam hominis propriā agere inciperet. Alius librum ſuum ab illis verbis exorditur: *Ars longa, vita breuis*: quaſi dicere vellet, non rectè agi cum natura humana, quæ propter vitæ breuitatem artes ſibi proprias aſſequi non poteſt. Script. etiam diuina:
Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſerijs, qui quaſi flos egre-*
Iſa. 4. *ditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.* Iſaias etiam, & Apoſtolus Petrus homi-
1. Pet. 1. nem comparare fœno non dubitarunt, quod ad primum ſolis radium ſiccatur, & cadit.

6. Malum. Accedit poſtremò timor continuus imminentis mortis. Nam, tametſi vita
1. Reg. 15. humana amara eſt valde, tamen adhuc amarior eſſe videtur interitus: *Siccine*
2. Cor. 5. *ſeparat*, aiebat ille, *amara mors?* Et Apoſtolus: *Ingemiſcimus grauati eò, quòd nolumus*
Hebr. 2. *expoliari, ſed ſuperveſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* Et alibi dicit Chriſtū per mortem ſuam deſtruxiſſe eum, qui habebat imperium mortis, id eſt, diabolum, vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.

ſeruituti. Animus certè immortalis, & , qui naturalis forma corporis eſt, ſine dubio corpus immortale deſiderat: proinde mors inimica naturæ, & omnium terribilium extremum rectè nominata eſt.

Miſeriæ extrinſecus accedentes ſunt iſtæ.

Prima & ſumma eſt, quod homines poſt peccatum primi parentis Deum iratum, & inimicum habent: *Naſcimur enim omnes filij iræ.* Si autem Deus cōtra nos eſt, quis pro nobis eſſe audebit? Et quid mirum, ſi armatur orbis terræ cōtra hominem, cùm inimicus homini ſit, qui fecit cœlum, & terram? *1. Malum exterius. Epheſ. 2.*

2. Secunda eſt, quòd traditi ſimus in poteſtate principis tenebrarum, qui quidem multorum, etiam paruulorum, corpora inuadit, eoſque miſerabiliter vexat, & cruciat. Omnium autem mentes ſollicitat ad peccatum, & mille nocendi artes habens die, noctuque, tanquam Leo rugiens, circuit quærens, quē deuoret. Contra mille formes dæmonum incurſus quis innocentia ſua fidit? quandoquidem, ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil eſt innocentius, aliquando ſic vexant, vt in eis maximè, Deo ſinente, iſta mōſtretur huius vitæ flenda calamitas.

3. Tertia eſt, quòd homo homini hoſtis crudeliſsimus, & immaniſsimus omni tempore, & loco inſidiatur. Quis enim explicet, quantum homines ab hoſtibus, à pyratis, à latronibus patiantur?

4. Quarta eſt inobedientia animantium rationis expertium: *Præpoſuit* enim *Deus hominem beſtijs terræ, volatilibus cœli, & piſcibus maris.* Et certè, ſi primus homo ab imperio Dei non receſsiſſet, omnia animantia imperio hominis facilè paruiſſent. Nunc verò retinet quidem homo principatum in beſtias, eiſq; iure ſuo ad ſua commoda vti poteſt: ſed liberam executionem propter peccatum amiſit. Detrectant enim imperium: ſæpe etiam in ipſum Dominum ſuum inſurgunt, neque niſi magno labore, & induſtria, ſubijciuntur. Significauit hoc Deus verbis illis ad Noë: *Terror veſter, ac tremor ſit ſuper omnia animantia terræ, & ſuper omnes volucres cœli, & cuncta, quæ mouentur in terra.* Quo loco verba illa: *Terror, ac tremor*, indicant in ſtatu innocentiæ fuiſſe pacificum imperium: poſt peccatum autem futurum violentum, atque terribile; ſicut Principes regunt aliquando populos rebelles, & Domini mancipia fugitiua. *Gen. 1. Gen. 9.*

5. Quinta eſt calamitas, quæ à cœlo, terra, mari, non rarò accidere ſolet. Nam vix dici poteſt, quanta ea detrimenta ſint, quæ contingunt hominum generi ab æſtibus, frigoribus, tēpeſtatibus, imbribus, alluuionibus, coruſcatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibuſque terrarum, oppreſsionibus ruinarum, eruptionibus ignium; à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum.

6. Sexta eſt, quę nullo caſu prouideri poteſt, ærumna caſuum fortuitorum, quæ, ſicut in ſtatu innocentiæ locum nullum habuiſſet, ita poſt peccatum vndique occurrat.

Porrò de miſeria humanę vitæ duplex cum Pelagianis controuerſia eſt. Prior; *An ſint verè mala illa omnia, quæ nos inter miſerias numerauimus?* *Quæſt. 1.*

Ac concupiſcentiam quidem, de qua præcipua controuerſia eſt, eſſe malā, prob. primo: Nam Apoſtolus docet: *Malum adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Vbi per *malum adiacens* nihil aliud intelligi poteſt, niſi concupiſcentia carnis: nam illud idem malum in eodē capite idem Apoſtolus vocat legem mem- *Prob. 1. de concupiſcentia. Rom. 7.*

 brorum,

brorum, & legem peccati repugnantem legi mentis. At, ſi concupiſcentia eſſet bonum naturæ, quomodo ab Apoſtolo malum nominaretur?

Prob. 2. 1. Cor. 7. Secundò idem Apoſtolus: *Qui non ſe continent, nubant: melius eſt nubere, quam vri*. Et rurſus admonens coniugatos, vt propter orationem ad tempus, & ex conſenſu contineant, & rurſus propter tentationis periculum reuertantur in idipſum. *Hoc*, inquit, *dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium*. Vbi S. Apoſtolus ſatis apertè declarat, coniugium datum eſſe à Deo in remedium concupiſcentiæ, & indulgentiæ opus eſſe, cum opus coniugij exercetur non amore prolis, ſed ad ſatisfaciendum concupiſcentiæ: at certè remedio, & indulgẽtia non egent res bonæ, ſed malæ.

Prob. 3. 1. Cor. 9. 2. Cor. 12. Tertiò idem Apoſtolus *caſtigat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigit*: etiam Dominum rogat, vt auferatur à ſe ſtimulus carnis. At, quod tantus Apoſtolus ita vehementer oppugnat, & precibus apud Deum, & aſperitate vitæ in ſe, ſine dubio malum eſt, & eo carere, bonum.

Prob. 4. Gal. 5. Quartò idem Apoſtolus dicit *carnem concupiſcere aduerſus ſpiritum, ſpiritum autem aduerſus carnem*. At concupiſcentiam ſpiritus bonam eſſe teſtantur opera eius, quæ ibidem enumerantur: *Charitas, gaudium, pax*, &c. Igitur malam eſſe neceſſe eſt concupiſcentiam carnis, quæ concupiſcentiæ ſpiritus aduerſatur. Vt interim omittam, quòd, cùm eius fructus, qui in eodem capite notantur, Matt. 7. mali ſint, non poteſt ipſa non eſſe mala. *Non enim poteſt arbor bona malos fructus facere*.

Prob. 5. 1. Ioan. 2. Quintò Apoſtolus Ioannes concupiſcentiam dicit non eſſe ex Patre, ſed ex mundo. Quomodo autẽ bonum eſt, quod non eſt à Deo, à quo omne bonũ eſt?

Prob. 6. Sextò, Concupiſcentia carnis eget fræno: alioqui fertur immoderatè in omnia flagitia. At frænum non ipſa ſibi adhibet, ſed à ratione illi imponitur. Igitur ipſa ex ſe immoderata, ac per hoc mala, ac vitioſa eſt.

Prob. 7. Septimò, Propter iſtam concupiſcentiam omnis concubitus, etiam legitimus cum vxore, vitat aſpectum, &, niſi in latebris, vel in tenebris, nunquã peragitur. At propter bona nemo erubeſcit, nemo tenebras quærit.

Prob. 8. Octauò, Malum eſt, vt inferiora ſuperioribus reluctentur. Id enim contra æquitatem, & rectam rationem eſt. At propter concupiſcentiam pars animæ inferior ſuperiori, id eſt, rationi repugnat, legi mentis non paret, ſpiritui aduerſatur. Quis igitur ambigat, an ea ſit mala appellanda?

Prob. 9. Nonò, Accedant teſtimonia Patrum, & etiam Ethnicorum.

Quæſt. 2. Altera controuerſia eſt: *An miſeriæ iſtæ ſuperius numeratæ ſint ex merito peccati, an ex conditione naturæ?*

Reſp. 1. & prob. 1. Pſal. 48. Poſſunt autem humanæ calamitates omnes ad decem præcipuas reuocari. Prima eſt ignorantia in mente. Hanc certam eſſe ex peccato, teſtatur Dauid: *Homo, cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Adamum quoque ante peccatum nouiſſe naturas rerum, Gen. 2. quas nunc ignoramus, ſatis apertè colligitur ex Gen. vbi nomina impoſuit omnibus animantibus, vt natura vniuſcuiuſque exigere videbatur. Deinde, In paradiſo nullus fuiſſet error, nulla deceptio, nulla ignorantia earum rerũ, quæ pro loco, & tempore ſcienda fuiſſent. Nam iſta omnia ſunt mala, & pœnæ peccati.

Secunda eſt, Malitia in voluntate. Hanc non fuiſſe in primis parentibus 2.
ante peccatum, & ex peccato natam eſſe, teſtatur Eccleſ. *Hoc inueni, quòd fecerit* Eccle. 7.
Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.

Tertia eſt, Concupiſcentia in parte inferiore. Hanc pœnam eſſe peccati, 3.
docet Apoſtolus, cùm eam ſæpiſsimè vocat *peccatum*, quia videlicet ex peccato Rom. 7.
nata ſit. Docet etiam verecundia primorum parentum, qui poſt peccatum Gen. 3.
erubuerunt nuditatem ſuam, eamque frondibus, quæ primæ in promptu fuerunt, tegere feſtinarunt. Docet poſtremò etiam ratio. Nam aut in paradiſo fuiſſet libido, &, quotieſcunque illa exurgeret, toties ei per cōcubitum ſatiſfieret: aut fuiſſet quidem, ſed per temperantiam frænaretur: aut denique non fuiſſet, & nulla exiſtente libidine, vt cætera membra, quæque ad opera ſua; ſic ad opus proprium etiam genitalia, iuſsis volentium, ſine vlla difficultate ſeruiſſent. Sed duo priora reſpuenda ſunt, quibus libidini aut ſeruitur, aut repugnatur. Nam illud primum tam præclara illius ſtatus honeſtas; hoc autem ſecundum tam magna fęlicitas non vult. Reſtat igitur, vt tertium tantum ſit verum, & libido, quæ in primis parentibus ante peccatum non fuit, ex peccato ſit natum, & ad nos per peccatum, in quo concipimur, propagata deſcendat.

Quarta eſt labor, & dolor in corpore. Hunc ex peccato manaſſe, Deus ip- 4.
ſe teſtatur: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Vnde illud: *Iugum graue ſuper* Gen. 3.
filios Adam, à die exitus de ventre matris ipſorum, vſque ad diem ſepulturæ in matrem Eccli. 40.
omnium.

Quinta eſt Mors ipſa, de qua B. Paulus: *Per vnum hominem peccatum in hunc* 5.
mundum intrauit, & per peccatum mors. Et: *Stipendia peccati mors.* Rom. 5.

Sexta eſt Ira Dei. Hanc autem eſſe pœnam peccati, nulla ratione dubitari Rom. 6.
poteſt, niſi de ipſius Dei iuſtitia dubitetur. Nam *vultus Domini* non eſt, niſi *ſu-* 6. Pſal. 33.
per facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Et Apoſtolus ſcribit, *reuelari* Rom. 1.
iram Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam. Itaque non naſceremur fi- Epheſ. 2.
lij iræ, quales nos naſci, ſcribit Apoſtolus, niſi in iniquitatibus conciperemur, Pſal. 50.
& in peccatis parerent nos matres noſtræ.

Septima eſt captiuitas ſub diabolo. Hanc pœnam eſſe peccati, docet B. Pe- 7.
trus: *A quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt.* Deinde; Non daret Deus hominem 2. Pet. 2.
diabolo tanquam naturam inferiorem naturæ excellentiori, quomodo tradidit homini beſtias terræ. Nam & ſi mortalis eſt homo, tamen eſt etiã rationalis, & Dei capax; & ideò non Angelorum ſeruus, ſed conſeruus eſt, & Deo non per Angelos, ſed per ſe famulatum præſtat. Quare, quòd diabolus princeps huius mundi nominetur in Script. & homines captiuos teneat ad ſuam ipſius voluntatem, & nos Chriſti ope indigeamus, vt de poteſtate Sathanæ liberemur, non poteſt aliunde, quàm ex peccato factum eſſe.

Octaua eſt crudelitas hominum in alios homines. Hanc verò ex peccato 8.
manare, Iacobus Apoſtolus docet: *Vnde bella, & lites in vobis? nónne ex concupiſcen-* Iacob. 4.
tijs veſtris, quæ militant in membris veſtris? Concupiſcentiã autę pœnã eſſe peccati ante demõſtrauimus. Itaq; peccatũ cõcupiſcentiã procreauit: concupiſcentia verò lites, & bella. Neque hæc ſolum, ſed etiam ſeditiones, rixas, homicidia,
veneficia, impudicitiam, & illa omnia mala, quæ *opera carnis* vocat Apoſtolus. Gal. 5.

9. Nona eſt inimicitia, & rebellio beſtiarum. Non fuiſſe hoc malum futurum
Gen.3. in ſtatu innocentiæ, colligitur ex Gen. vbi ſerpens familiariter cum Heua colloquitur, & neque ipſa ſerpentem horret, neque ſerpens ipſam, aut fugit, aut
Gen.2. ferit. Idem poteſt intelligi ex eo, quòd Dei animantia omnia venerunt ad hominem, vt ab eo, tanquam à proprio Rege, ac Domino. nomen acciperent, & ſubiectionem, ac fidelitatem eidem quodammodo teſtarentur. Accedit etiam, quòd multi ſancti viri, vt Magnus Antonius, S. Martinus, S. Franciſcus, & alij quamplurimi, etiam in hac vita miram animantium, etiam ferociſsimarum, obedientiam habuerunt. Quod certè non aliunde fiebat, niſi quia in eis gratia Dei ſanauerat magna ex parte naturam: & ſicut inobedientia primi hominis erga Deum effecerat, vt beſtiæ imperium hominis detrectarent; ſic etiam perfecta obedientia Sanctorum erga Deum faciebat, vt animantia bruta antiquũ imperium cognoſcerent.

10. Decima ſunt illa omnia mala, quæ à cœlo, terra, mari; vel ante præuiſa, vel
omninò inopinata homines patiuntur hęc enim omnia ad peccati ſupplicium
Sap.5. pertinere docet Sap. qui dicit *armari creaturam ad vltionem inimicorum Dei, & pugnare cum eo orbem terrarum contra inſenſatos.* Neque dubitari poteſt, quin ad has etiam calamitates Eccleſiaſticus reſpexerit, cùm iugum graue impoſitum
Eccli.40. eſſe dixit ſuper filios Adæ.
Prob.2. Prob. etiam, miſerias vitæ humanæ eſſe pœnas, ſiue fructus peccati originalis, ratione. Nam, tametſi calamitates humani generis ferè omnes potuerint eſſe naturales: quod accidiſſet, ſi Deus hominem ſine originali iuſtitia in puris naturalibus condere voluiſſet; ex quo ſequitur, vt, remota reuelatione diuina, non poſsit certò ſtatui, corruptionem humanam pœnam eſſe peccati: tamen hac reuelatione iam habita, & fide in animis noſtris accenſa diuinitus, non mediocriter ratio naturalis fidem ipſa corroborat. Omnino enim veriſimile eſt, Deum optimum, & noſtri generis amantiſsimum, non fuiſſe conditurum hominem tam miſerum, quàm nunc eſt, niſi peccati noſtri magnitudo tale ſupplicium meruiſſet. Quare pleriquè veterum Ethnicorum humanæ vitę miſerias ita deflent, vt vel de natura, tanquam de nouerca, querantur; vel per has miſerias puniri peccata animarum in alia vita commiſſa ſuſpicentur.

fructus peccati originalis

Nota

DE GRATIA, ET LIBERO ARBITRIO.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De nomine, & partitione gratiæ.

GRATIA inde nomen accepit, quod gratis detur. Opponi- *Gratia nomen.*
tur autem debito, dicente Apoſtolo: *Ei autem, qui operatur,* Rom.4.
merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Et: Rom.11.
Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non eſt gra-
tia. Porrò tres ſunt in ſacris litteris huius vocabuli no-
tiones.

Accipitur primum ampliſsima ſignificatione, pro quouis beneficio Dei, *1. Acceptio Gratiæ.*
ſiue illud naturale ſit, ſiue naturæ ordinem, gradumque tranſcendat: quomo-
do accipitur ibi: *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ* Sap.16.
deſeruiebant. Quo loco gratiam vocat Script. illam Dei benignitatem, & pro-
uidentiam, quæ, tanquam nutrix, omnia, quæ ab ipſo Deo ſunt creata,
conſeruat, & fouet. Sed hæc acceptio gratiæ non multum ad rem noſtram
facit.

Accipitur ſecundò gratia Dei pro illis ſolis beneficijs diuinis, quæ naturæ *2. Acceptio.*
ſuperaddita, neque ad rei, naturam conſtituendam, aut conſeruandam ſunt
neceſſaria, neque ex ipſa fluunt, aut ipſi quoquo modo debentur. Intelligimus
autem hoc loco gratiam Dei vocari ſupernaturalia beneficia generali quadã
ſignificatione, vt etiam illa comprehendantur, quæ non ex merito Chriſti,
ſed ex ſola Dei liberalitate, neque in indignos, & peccatores, ſed in non dig-
nos, & non iuſtos conferuntur; quæque non tam indebita, quàm non debita
nominanda ſunt. Talis fuit iuſtitia originalis, & gratia gratum faciens primo
noſtro parenti in creatione collata. Huc etiam referri poteſt gratia, quam in
humanitate Chriſti fuiſſe teſtantur Scripturæ. *Diffuſa eſt gratia in labijs tuis.* Et: Pſal.44.
Gratia Dei erat in illo. Et: *Plenum gratiæ, & veritatis.* Luc.2. Ioan.1.

Accipitur tertiò gratia Dei maximè propriè pro ſolis illis Dei beneficijs, *3. Acceptio.*
quæ non modò ſupernaturalia, & non debita ſunt, ſed etiam indignis homi-
nibus ex Chriſti merito conferuntur: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per re-* Rom.3.
demptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Vbi non ſatis eſſe credidit Apoſtolus, ſi diceret:
Iuſtificati gratis: ſed addidit: *Per gratiam ipſius.* Et: *Per redemptionem, quæ eſt in Chri-*
ſto: nimirum, vt ſignificaret iuſtificationem poſt lapſum Adæ non ſolùm gra-

tis dari, ſed etiam indignis, & peccatoribus dari, qui, niſi per ſecundum Adamum redimerentur, iræ filij, & ſerui Sathanæ æterno tempore permanerent. *Rom. 6.* Idem quoque Apoſtolus, cùm dixiſſet: *Stipendium peccati mors:* non adiunxit: Stipendium iuſtitiæ vita æterna, quod antitheſis requirere videbatur, & quod ſine dubio adiunxiſſet, ſi de homine ante lapſum loqueretur: ſed adiunxit: *Gratia Dei vita æterna.* Tametſi enim vita æterna certa ſit merces operum, eam tamen gratiam appellare maluit S. Apoſtolus, vt intelligeremus, ipſa etiam noſtra merita eſſe Dei munera; neque id ſolùm, quod ſine Dei gratia nulla eſſe poſsint liberi arbitrij bona merita, ſed quia poſt illam Adami ruinam noua quadam, & ſingulari Dei gratia liberandum fuit liberum arbitrium à captiuitate, & ſeruitute peccati.

Diuiſio Gratiæ. Iam verò gratiæ ſecundo, & tertio modo acceptæ multæ ſunt partitiones:

- Gratia, Alia eſt:
  - Æterna.
  - Tēporaria.
    - Gratis data.
    - Gratū faciēs.
      - Permanēs, ſeu habitualis.
        - Fides.
        - Spes.
        - Charitas.
      - Auxiliū ſpeciale.
        - Excitans. / Adiuuans.
        - Sufficiens. / Efficax.
        - Operans. / Cooperans.

Gratia æterna. Epheſ. 1. *Gratia æterna* eſt amor ille, quo nos Deus ante mundi conſtitutionem ab ipſa æternitate dilexit: in cuius gratiæ laudem, & gloriam nos à Deo prædeſtinatos eſſe, atque electos in adoptionem filiorum, teſtatur Apoſtolus: *Prædeſtinauit nos in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.*

Gratia temporaria. Rom. 8. *Gratia temporaria* dicuntur beneficia vocationis, & iuſtificationis, quæ ex æterna gratia, vt effectus ex cauſſa, deriuantur. Nam *quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Altera partitio non ſic accipienda eſt, quaſi aliqua ſit gratia non gratis data, ſed vni ſpeciei, quòd proprio nomine careat, relinquitur nomen generis.

Gratia gratis data 1. Cor. 12. *Gratia gratis data* eſt donum ſupernaturale abſque vllo debito ad aliorum ſpiritualem ſalutem præcipuè collatum. *Diuiſiones gratiarum ſunt, &c.*

Gratia gratum faciens 2. Cor. 12. *Gratia gratum faciens* eſt donum ſupernaturale abſque vllo debito ad propriam vniuſcuiuſque ſpiritualem ſalutem potiſsimum datum. *Sufficit tibi gratia mea. Supernaturale donum* vtraque gratia dicitur, quia non conſequitur naturam, ſed ſupra naturam conceditur diuinitus: idque abſque vllo debito,

quia

quia neque debetur naturæ, neque cadit ſub meritum perſonæ. Quamuis autem ex gratia gratis data interdum beneficia corporalia conſequantur, vt bona valetudo ægrotantis: tamen quia finis vltimus omnis gratiæ gratis datæ eſt ſanitas animæ ſempiterna, ideò ad ſpiritualem ſalutem eas referri diximus. Denique addidimus in definitione gratiæ gratis datæ ad aliorum præcipuè ſalutem hoc genus pertinere, quia licet ſit commune gratiæ gratis datæ cum gratia gratum faciente, vt tam propriæ, quàm alienæ ſaluti conducant: tamen illud intereſt, quòd gratia gratum faciens datur potiſsimum ad propriam vniuſcuiuſque ſalutem, ſecundariò ad aliorum; nimirum vt nos ipſi primum iuſti, perfectique efficiamur; deinde cæteri *videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt.* Matt. 5. Contra vero gratia gratis data alienam ſalutem ſpectat præcipuè, eorum videlicet, qui prædicatione, & miraculis, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam pertrahuntur: Propriam autem ſecundariò: quia, dum per ea dona ſolerter in proximorum ſalutem incumbimus, Deum nobis conciliamus, atque ab eo audire meremur: *Euge ſerue bone, &c.* Sicut enim Philoſophi duo genera virtutum eſſe volunt: quaſdam priuatas, & neceſſarias vnicuique, vbicunque viuat; vt temperantiam, & continentiam: quaſdam communes, & neceſſarias in Rep. propter aliorum ſocietatem, vt iuſtitiam, & liberalitatem: ita etiam Deus in Rep. Chriſtiana duo eſſe voluit genera adiumentorum; priuatum, quo quiſque ſit bonus; & commune, quo indigemus ad aliorum iuuandam ſalutem. Matt. 25.

Gratia permanens, ſeu *habitualis* dicuntur habitus infuſi fidei, ſpei, & caritatis, ac præcipuè caritatis. *Gratia permanens.*

Gratia auxilij ſpecialis definiri poſſe videtur his verbis: *Eſt motio Dei, qua homo ad operationes, quæ naturam ſuam aliquo modo ſuperant, adiuuatur.* Motio dicitur, vt diſtinguatur ab infuſis, & permanentibus qualitatibus. Neque enim auxilium ſpeciale eſt habitus infuſus, aut permanens qualitas, ſed actio, qua Deus hominem mouet ad operandum, vel cum eo operatur. Non eſt autem hoc auxiliũ neceſſarium ad operationes, quæ vires naturæ non ſuperant; quales ſunt intelligere, & appetere res humanas: ad huiuſmodi enim ſufficit auxilium generale; ſed neceſſarium eſt ad eas operationes, quæ quoquomodo naturæ vires excedunt. *Auxilium ſpeciale.*

Porro tribus modis operatio aliqua vires naturę ſuperare poteſt. *Tribus modis operatio vires naturæ ſuperat.*

Primum ſimpliciter, & abſolute; vt, ſi ex genere ſuo operatio ſit ordinis altioris, quàm ſunt res naturales: quales ſunt actus virtutum Theologicarũ, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ non acquiruntur per iteratos, & frequentatos actus, ſed diuinitus in animam infunduntur.

Secundò non ſimpliciter, ſed ratione ſtatus peccati. Sicut enim homo ægrotus mouere non poteſt ingentem aliquam molem, niſi iuuetur ab alio, quã ipſe idem, ſi ſanus eſſet, ſolus mouere potuiſſet: ſic homo per peccatum debilitatus multa non poteſt per auxilium ſpeciale efficere, quæ in ſtatu innocentiæ ſine tali auxilio facilè effeciſſet.

Tertiò ratione modi, loci, temporis, perſonæ, aut alterius cuiuslibet circũſtantiæ. Sæpe enim accidit, vt id, quod neque ex genere ſuo, neque ratione ſtatus, vires naturæ ſuperat, eaſdem tamen ſuperet ratione circumſtantiæ.

Denique; Omnis gratia prior præueniens dici poteſt, ſi comparetur ad poſteriorem.

CAPVT II.

De gratia permanente, ſeu habituali.

PRima hic quæſtio eſt: *Sitne aliqua gratia habitualis?* *Quæſt. 1.*

Communis Theologorum ſententia eſt, habitum aliquem ſupernaturalem à Deo nobis infundi, quo anima exornetur, & perficiatur, atque adeò iuſta, Deoque grata, & accepta reddatur. Eſt etiam hæc totius Eccleſiæ ſententia: nam extant duorum Conciliorum generalium de hac re decreta Cōcilium enim Viennenſe ſub Clemente V. Pont. Max. in Gallijs celebratum, cùm de hac re variæ Theologorum circumferrentur opiniones, ſtatuit eam eſſe recipiendã, quæ aſſerit infundi in Baptiſmo tũ paruulis, tũ adultis, habitus gratiæ, & virtutũ. Conciliũ etiam Tridẽt. quãuis definire noluerit: Sitne gratia gratum faciens habitus propriè dictus, an qualitas alia? tamen eſſe qualitatem permanentem per modum habitus, atque animæ inhærentem, ſatis apertè definiuiſſe videtur, cùm ait iuſtificationem non eſſe ſolùm remiſsionẽ peccatorum, ſed etiam ſanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum. Et cum paulò infrà addit in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum ſimul infundi fidem, ſpem, & caritatem, eaque animę inhærere. Et cùm diſtinguit gratiam iuſtificationis ab actibus fidei, ſpei, dilectionis, & pœnitentiæ. Et cùm definit iuſtificationis gratiam non eſſe tantùm externum Dei fauorem, ſed etiam caritatem in corde diffuſam, eique inhęrentem. Denique; hanc fuiſſe Concilij Trident. mentem præter alios auctores teſtatur Catechiſmus eiuſdem Concilij his verbis: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis propoſita, decreuit, non ſolùm, per quam peccatorum fit remiſſio; ſed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſáſque animas pulchriores, & ſplendidiores reddit.* Ac ne quis fortè conetur per diuinam qualitatem intelligere actionem, non habitum, paulo poſt idem auctor ſcribit per eam qualitatem, quæ in cordibus noſtris diffunditur, ad omnia Chriſtianæ pietatis officia nos habiles reddi. Et paulo infra adiungit ex ea pias, honeſtaſque actiones proficiſci.

Reſp. *Clement. 1. de ſum. Trin. & fide Cath.* *Seſſ. 6. c. 7.* *can. 3. can. 11.* *De Sacram. Bapt.*

Prob. hæc ſententia primùm ex Script. *Prob. 1. reſp.*

Primùm prob. teſtimonio, quo aduerſarij contrarium probant: *Per obedientiam vnius hominis iuſti conſtituentur multi.* Nos enim per obedientiam vnius Chriſti multos iuſtos conſtitui exiſtimamus in eo ſenſu, vt merito obedientiæ Chriſti reconcilietur nobis Deus, & ab eo iuſtitia donemur, quæ ſit qualitas animæ noſtræ infuſa, & inhęrens. Id manifeſtè probamus ex antitheſi verborum Apoſtoli. Dixerat enim: *Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Et continuò adiecit: *Ita per obedientiam vnius* *Rom. 5.*

hominis iuſti conſtituentur multi. Conſtat autem nos non conſtitui peccatores per imputationem iniuſtitiæ, quæ fuit in Adamo, ſed per iniuſtitiam nobis verè inhęrentem, per modum habitus, quam contraximus ob inobedientiam primi hominis, cuius filij ſumus: Igitur iuſti etiam conſtituimur, ſi quid Apoſtoli antitheſis valet, non per imputationem iuſtitiæ, quę eſt in Chriſto, ſed per iuſtitiam nobis verè inhęrentem per modum habitus, quę nobis infunditur ob Chriſti obedientiam, cuius per lauacrum regenerationis filij efficimur.

Ioan. 4. Secundò prob. veritas ex verbis Domini: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Fons enim iſte Spiritus ſanctus eſt per gratiam inhabitans, ſiue gratia à Spiritu ſancto inhabitante diffuſa; vt colligitur, tum

Ioan. 7. ex alio loco Ioannis, vbi, cùm Dominus dixiſſet: *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* ſubiunxit Euangeliſta: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Tum ex Patribus, qui hęc loca communiter exponunt de Spiritu ſancto, ſiue de gratia eius viuificante. Hęc enim duo in idem recidunt, cùm Spiritus ſanctus non inhabitet, niſi per effectum aliquem creatum, id eſt, per gratiam, & charitatem; neque gratia, & charitas ſine Spiritu ſancto inhabitante eſſe poſsit. Magis propriè tamen videtur hic locus exponi de ipſa gratia creata, quàm de Spiritu ſancto creato-

Ioan. 4. re, tum quia Dominus ait: *Fiet in eo fons aquæ*; ſiquidem fieri ad rem creatam pertinet: tum etiam, quia eiuſdem ſunt generis fons, & aqua ex fonte manans; & ſancta opera, quę intelliguntur per aquam ex fonte fluentem, magis conueniunt cum habitu gratię, quàm cum Spiritu ſancto. Porrò dubitari non poteſt, quin per fontem intelligatur aliquid permanens, & fixum, ac per hoc ſignificetur gratia inhęrens animę per modum habitus permanentis, vnde fluant riui bonorum operum, qui ſaliant in vitam ęternam: aqua enim tam valdè aſcendit, quàm eſt altus locus, vnde deſcendit; ideò aquę eius ad cœlum vſque perueniunt, id eſt, merentur opera iuſta regnum cœleſte, quoniam ex gratia cœleſti, ac diuina proueniunt.

Tertiò prob. ex illis Script. teſtimonijs, quę ſignificant gratiam diffundi,

Rom. 5. ſiue effundi in cordibus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſan-*

Tit. 3. *ctum, qui datus eſt nobis.* Et: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè.* Certè enim tunc Spiritus ſanctus abundè effunditur, cùm abundanter gratia eius donatur: effuſio autem, & diffuſio gratię, ſiue charitatis in corda hominum, non ad actionem hominis, ſed ad donum Dei collatum hominibus referri debet. Actiones enim effunduntur

Matt. 15. ex cordibus: *De corde enim*, ait Dominus, *exeunt cogitationes malæ*, &c. non effunduntur, aut diffunduntur in corda, neque donum in corde effuſum externus Dei fauor propriè dici poteſt, ſed aliquid ipſum cor attingens, purgans, & renouans, vt Apoſtolus loquitur.

Quartò huc pertinent etiam illa loca, vbi gratia comparatur pignori, ſigillo, vnctioni, vel ſemini, rebus videlicet creatis, & permanentibus. *Qui vnxit*

2. Cor. 1. *nos, Deus, & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Et: *Vnctionem,*

1. Ioan. 2. *quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* Et: *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non*

1. Ioan. 3. *facit, quia ſemen eius manet in eo.* Quid enim, quęſo, eſt aliud ſemen Dei in nobis

nobis manens, niſi charitas habitualis, ex qua fructus bonorum operum naſcantur?

Secundò prob. hæc ſententia teſtimonijs veterum, qui, tametſi non aperte nominent habitum, vel qualitatem; tamen ita rem deſcribunt, vt pauco negocio poſsit intelligi verum eſſe, quod ait Concilium Viennenſe hanc ſentẽtiam teſtimonijs veterum eſſe conformem. *Prob. 2.*

Tertiò prob. ratione. *Prob. 3.*

Prima ratio eſt ex parte Dei. Deus diligit iuſtos, & odit peccatores, vt Scripturæ paſsim loquuntur: nulla autem mutatio in ipſo Deo cogitari poteſt: igitur mutatio fit in homine, cùm ex non dilecto incipit eſſe dilectus. Quare concedendum eſt in homine iuſto eſſe pulchritudinem aliquam veram, & ſpiritualem, ob quam oculis Dei gratus efficitur, præſertim cum Deus non poſsit decipi, aut errare, vt diligat iniuſtum pro iuſto, & deformem pro formoſo. Præterea; Dei dilectio efficax eſt: igitur, cui vult Deus bonum, continuò ille efficitur bonus; nihil enim aliud eſt diligere, niſi velle bonum. Et quidem homines multa bona cupiunt amicis, quæ tamen ipſi conferre non poſſunt: at Dei voluntas omnipotens, & efficaciſsima eſt. *1. Ratio.*

Secunda ratio ex parte hominis: Homo ad ſupernaturalia opera conditus, opera ſupernaturalia operari debet, quibus ad finem illum tendere, ac tandem peruenire queat. Sed opera ſupernaturalia prærequirunt eſſe ſupernaturale, ſiue formam ſupernaturalem: talia enim ſunt opera, qualis eſt forma, ſeu eſſentia, vnde opera ipſa procedunt; quod in rebus omnibus cernimus. Igitur dat Deus hominibus, quos iuſtificat, formam ſupernaturalem, quam habitum gratiæ nominamus. Et fortaſſe huc reſpexit S. Petrus, cùm ait nos *effici diuinæ conſortes naturæ*. Præterea; Non eſt homo iuſtus, & ſanctus eo tempore ſolùm, quo iuſta, & ſancta opera facit; ſed etiam dum ceſſat, dum quieſcit, dum dormit. Non igitur ab opere, ſed ab habitu permanente iuſtus, & ſanctus dicitur. Ipſe etiam Ariſtoteles vidit, & docuit non poſſe verè, & propriè nominari iuſtum, qui aliquod opus iuſtum fecerit, ſed qui iuſtitiæ habitũ acquiſierit. *2. Ratio.* *2. Pet. 1.*

Tertia ratio ex parte inſtrumentorum iuſtificationis, quæ ſunt cœleſtia Sacramenta: Baptiſmus non ſolùm homines, qui vſum habent rationis, ſed etiam infantes, amentes, dormientes quandoque iuſtificat. At in illis, qui vſu rationis carent, nulla ineſſe poteſt iuſtitia actualis: erit igitur habitualis. Præterea; Baptiſmus non quomodocunque iuſtificat, ſed per modum regenerationis. Sic enim legimus: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. Et: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*. At regenerari non eſt aliquid agere, ſed nouam naturam, & diuinam, ac ſupernaturalem formam accipere, vnde filij Dei nominemur, & ſimus. Iuſtitia igitur, quæ per Baptiſmum acquiritur, non eſt actualis, ſed habitualis, quæ per modum formæ in anima inhæreat, eamque ad eſſe quoddam diuinum, & ſupernaturale euehat. Denique; Sacramenta, ſaltem ex communi Catholicorum ſententia, gratiam conferunt, & efficiunt, vt inſtrumenta Dei: Non autem efficiunt actualem in nobis iuſtitiam, vt experientia inprimis non obſcure teſtatur: efficiunt igitur habitualem. *3. Ratio.* *Ioan. 3.* *Tit. 3.*

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt: *Vtrum habitus gratiæ ſit idem cum habitu caritatis?*

1. ſententia. Quatuor ſunt apud Doct. de hac re ſententiæ. Quidam enim volunt gratiam gratum facientem eſſe habitum re, ac ratione à caritate diſtinctum; & gratiam quidem in ipſa animæ ſubſtantia, tãquam in ſubiecto, ſedem habere; caritatem in voluntate. Exiſtimant enim ita ſe habere gratiam ad virtutes infuſas, ſicut ſe habet anima ad ſuas potentias: & ſicut anima dat eſſe naturale corpori, ex ipſa autem potentiæ fluunt, quę ſunt actionum inſtrumenta; ſic etiam gratiam dare animæ eſſe quoddam ſupernaturale, ex ipſa verò quodã-modò fluere habitus virtutum infuſarum qui ſint principia proxima operationis ſupernaturalis. Ita docet S. Thomas, Capreolus, Caietanus, Ferrar. Dom. à Soto, & alij. 1.2.q.110. ar. 3. & 4.

2. ſententia. Alij diſtinctionem inter gratiam & charitatem non realem, ſed formalem conſtituunt. vt Alex. Alenſis, Albertus Magnus, S. Bonauentura fortaſsis.

3. ſententia. Alij gratiam, & charitatem neque reipſa, neque formaliter; ſed tantum ratione diſtinguunt. Docent enim vnum, atque eundem habitum, qua parte ſubiectum reſpicit, atque hominem ipſum, in quo ineſt, exornat, Deoque gratum, & amabilem reddit, gratiam nominari: qua parte reſpicit opus, & voluntatem promptam efficit ad Deum ſuper omnia diligẽdum, dici propriè charitatem. Hæc eſt Alex. Alenſis, qui fortè mutauit ſuam opinionem, Richardi, Mayronis, Gabrielis, Maioris, & aliorum.

4. ſententia. Alij denique nihil omninò intereſſe volunt inter gratiam & charitatem, ſoloque nomine diſtingui affirmant. Ita Durandus. Quamuis autem duæ priores ſententiæ, & quarta probabiles ſint, & auctores inſignes, ac doctiſsimos habeant; tertia tamen probabilior mihi videtur, & cum Script. & Patribus, & cum ipſo Trident. Concilio magis congruere.

Refellitur 4. Et quidem ſententia quarta refelli videtur ſatis, cum auctoritate omnium aliorum Theologorum, qui diſtinctionem aliquam inter charitatem, & gratiam agnouerunt: tum etiam, quia, ſi gratia facit hominem Deo dilectum, & charitas facit eundem hominem dilectorem Dei, vt communis conceptio, & nomina ipſa teſtantur, profectò aliquid intereſt inter charitatem, & gratiam.

Refelluntur 1 & 2. Priores autem duæ ſententię his argumentis refelluntur.

1. argumentum. Primò, Concilium Trident. tametſi non voluit quæſtionem illam, vt quæ ad fidem non pertinet, definire, tamen ſatis apertè indicaſſe videtur, cui ſententiæ magis faueret. Num vbi propriè de hac re agit, ſimpliciter affirmat vnicam eſſe formalem cauſſam iuſtificationis, eamque in fide, & ſpe, & charitate conſiſtere: *Demum*, inquit, *vnica formalis cauſſa eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit*. Et paulò poſt explicans, quid ſit illa iuſtitia: *Quanquam*, inquit, *nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur; id tamen hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſsimæ paſsionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur per fidem, ſpem, & charitatem: nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit*. Et paulò poſt hanc fidem viuam, id eſt, cum ſpe, & charitate Seſſ.6. cap.7

ritate

ritate coniunctam eſſe dicit id, quod ex traditione Apoſtolica petunt Catechumeni ab Eccleſia, cùm petunt fidem vitam ęternam prędſtantem. Et mox adiungit, hanc fidem viuam eſſe veram, & Chriſtianam iuſtitiam, quam ceu primam ſtolam per Adami peccatum amiſſam, ac per Chriſti obedientiam recuperatam, candidam, & immaculatam iubentur renati ſeruare. At certè, ſi gratia iuſtificans à virtutum Theologicarum habitibus diſtingueretur, iure Concilium reprehendi poſſet, quòd hoc loco nullum de iſtiuſmodi gratia mẽtionem feciſſet. An non eſſet imperfecta, & manca tanti Concilij doctrina, ſi in explicatione iuſtificationis illud omiſiſſet, quod eſt in iuſtificatione præcipuum? Adde, quòd idem Concilium doceat iuſtitiæ incrementum ab Eccleſia poſtulari, cùm ita orat: *Da nobis, Domine, fidei, ſpei, & charitatis augmentum.* cap. 10.

Alterum argumentum ſumitur à doctrina veterum Patrum, qui perpetuò iuſtitiam, qua coram Deo iuſtificamur, eique grati, & accepti ſumus, in virtute, ac præcipuè in charitate conſtituunt. 2. argument.

Tertium argumentum peti poteſt ex litteris diuinis, in quibus ea omnia videmus charitati tribui, quæ ab auctoribus contrariæ ſententiæ tribuuntur gratiæ, non ſolùm abſolutè, ſed etiam vt eam diſtingui ipſi docēt à charitate. Profectò autem, ſi in charitatem ſecundum Script. conueniunt ea omnia, quæ ſoli gratiæ iure tribui ſolent, alterum neceſſe eſt, vel in Script. falſam doctrinam. quod fieri non poteſt, contineri; vel, quod nos contendimus, gratiam à charitate, aut nullo modo, aut ſola, ratione diſtingui. Gratię propriũ eſſe volunt, vt a charitate ipſorum opinione diſtinguitur, dare animę quoddam eſſe ſupernaturale, ex quo dicatur homo filius Dei per participationem, & diuinę conſors naturæ. Id verò totum Script. apertiſsime tribuit charitati. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus.* Et *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* Pręterea; Tunc accipit homo illud eſſe ſupernaturale, cùm regeneratur, ac renaſcitur, nouaque efficitur creatura. Id autem fieri per charitatem, ex Script, ita prob. Semen, ex quo regeneràmur, eſt verbum Dei: *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed ex incorruptibili per verbum Dei viui.* Et: *Genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Verbum autem fidem in nobis propriè gignit, eamque viuam, quę per dilectionem operatur: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Fides igitur viua, id eſt, cum charitate, eſt id, per quod renaſcimur, & proinde ipſa dat illud eſſe diuinum, & ſupernaturale, vnde dicimur filij Dei. Et confirm. ex illis verbis: *Omnes enim filij Dei eſtis per fidem.* Loqui autem B. Paulum de fide viua, perſpicuum eſt ex alio loco, vbi, cùm dixiſſet: *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, ex gratia excidiſtis:* ſubiungit explicans, quid ſit iſta gratia, & quid faciat filios Dei. *Nam,* inquit, *in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Et alibi hanc ipſam fidem viuam, vocat nouã creaturam, cùm ait: *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura.* De qua noua creatura idem Apoſtolus dicit: *Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* Et confirm. rurſus ex parte eorum, qui nos regenerant, qui ſunt Euangelij prędicatores: *Per Euangelium ego vos genui.* Et: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Chriſtus autem in nobis per fidem formatur, & habitat: *Chriſtum habitare per fidem in cordibus*

1. Ioan. 3. — 1. Ioan. 4. — 1. Pet. 1. — Iaco. 1. — Rom. 10. — Gal. 3. — Gal. 5. — Gal. 6. — Ephes. 2. — 1. Cor 4. — Gal. 4. — Ephes. 3.; 3. argument.

cordibus veſtris. Fidem autem iſtam debere eſſe viuam, & charitate formatam, dubium eſſe non poteſt. Quare S. Ioannes dicit Deum per charitatem in nobis manere: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

1. Ioan. 4. Sunt præterea multa alia, quæ tribui ſolent gratiæ, quæ omnia in Script. tribuuntur charitati. Neque aliquid afferri poteſt ita gratiæ proprium, vt non conueniat etiam charitati: quare nulla eſt cauſſa, cur diſtincti habitus ponantur gratiæ, & charitatis.

Prou. 8. Ioan. 14. Primò; Gratiæ proprium eſſe dicunt facere hominem Deo dilectum. At de charitate: *Ego diligentes me diligo*. Et: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.*

1. Ioan. 3. Secundò Gratia dicitur eſſe animæ vita; vt peccatum, mors. At: *Qui non diligit, manet in morte, & nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.*

Luc. 7. Gal. 6. Tertiò; per gratiam à peccato iuſtificamur. At: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et iam antea ex Apoſtolo oſtendimus nouam creaturam eſſe fidem per dilectionem operantem: & ex Trident. Concilio demonſtrauimus formalem cauſſam iuſtificationis eſſe charitatem mentibus noſtris infuſam. Neque vllus eſt Theologus, aut Philoſophus, qui iuſtitiæ nomine aliud, quam virtutem intelligat.

Rom. 13. 1. Cor. 13. Quartò gratia eſt fons, & radix omnium virtutum. At Apoſtolus: *Plenitudo*, inquit, *legis eſt dilectio*. Et: *Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna eſt, &c. omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

Iac. 1. Quintò gratia ſeparat filios regni à filijs damnationis: nullus enim cum gratia petit, nullus ſine gratia ſaluatur. At Iacobus ait, coronam vitæ repromiſſam eſſe diligentibus Deum.

1. Cor. 13. Coloſſ. 3. Sextò gratia eſt donum Dei omnium maximum. At Apoſtolus anteponit charitatem omnibus alijs donis. Et: *Super omnia*, inquit, *charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.*

1. Cor. 6. 1. Ioan. 4. Septimò nihil maius gratia facere poteſt, quàm cõiungere hominem Deo. At: *Qui adhæret Deo*, videlicet per charitatem, *vnus Spiritus fit cum eo*. Et: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Ioan. 15. Octauò gratia facit amicos Deo. At: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.*

Nonò gratia formoſos, & gratioſos facit. At charitas eſt veſtis illa nuptialis, qua qui carent, mittuntur in tenebras exteriores.

Accedant poſtremò argumenta ducta ex ratione.

A Argum. 1. Ratio. Prima ratio: Si gratia Dei diſtingueretur à charitate, cæteriſque infuſis virtutibus, ſicut diſtinguitur anima à potentijs, vel lumen rationis à virtutibus, vt S. Thomas docet, ſequeretur, amiſſa gratia per peccatum, ſimul amitti virtutes omnes infuſas; ſicut pereunte anima pereunt neceſſario omnes eius potentiæ, & ſine lumine rationis nullæ omnino virtutes in anima conſeruantur. At fides infuſa non perit gratia recedente, vt Catholici omnes fatentur. Non igitur diſtinguitur, neque pendet fides à gratia gratum faciente, vt diſtinguuntur, ac pendent potentiæ ab anima, & virtutes à lumine rationis.

2. Ratio. Secunda ratio: Si gratia eſſet habitus à charitate diſtinctus, id ſine dubio eſſet propter tria, quæ videntur eſſe propria ipſi gratiæ, & charitati, non conuenire:

uenire: quorum Primum eſt, dare animæ eſſe diuinum, & ſupernaturale. Alterum, eſſe proprium effectum amoris erga hominem. Tertium, eſſe id, quo propriè Deo gratus eſt, quicunque illi gratus eſt. At hęc tria apertiſsimè quadrant in charitatem: non igitur opus eſt alium habitum quęrere. Prob. aſſumptio argumenti. Nam, quod attinet ad eſſe diuinum, certum eſt non poſſe hominem participare diuinum eſse, niſi accidentaliter: nullum eſt autem accidens, quo magis participemus eſse diuinum, quam charitate. Ac ne ipſa quidem gratia, ſi eſſet, vt ponitur à S. Thoma, ita nos eueheret ad eſſe diuinum, vt re vera charitas facit.

Gratia enim illa eſſet accidens ordinis ſupernaturalis, & daret animæ eſſe quoddam accidentarium ſupernaturale: at charitas, præterquam quod eſt accidens ordinis ſupernaturalis, & dat animæ eſſe ſupernaturale accidentarium, coniungit animam cum Deo, quam intimè, atque arctè in hac vita fieri poteſt, quod non faceret gratia. Deus enim intelligentia, & voluntate attingitur: ſed intelligentia in hac vita non niſi per fidem, & in ænigmate Deum attingit; voluntas autem etiam in hac vita immediatè, & propriè Deo coniungitur per amorem. Adde, quòd, cùm ſumma perfectio in Deo ſit cognitio, & amor, in futura vita participabimus per gloriam diuinam perfectionem viſionis Dei, de qua S. Ioannes: *Similes ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* Nunc autem participamus per gratiam perfectionem amoris Dei, & proximi, de qua Dominus: *Diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Patris veſtri, &c.* Quod attinet ad effectum proprium amoris Dei, ille profecto charitas eſt. Quid enim vult nobis Deus, cùm nos amat, niſi id, quod nobis eſt optimum? Optimum autem nobis charitas eſt. Quod autem attinet ad tertium, de eo, quo propriè Deo grati ſumus. Id verò nihil eſt aliud, niſi charitas: ſiquidem in ea conſiſtit ſumma ſimilitudo ad Deum, quam in hac vita poſsimus habere. Deus enim diligit ſibi ſimiles, & eò nos magis diligit, quo ſumus ei ſimiliores. Atque hoc eſt verum amicitiæ fundamentum inter nos, & Deum: amicitia ſiquidem oritur ex ſimilitudine, cùm omne ſimile diligat ſuum ſimile. Similitudo autem, quæ eſt fundamentum amicitiæ, non tam eſt ſimilitudo naturę, quàm morum, & virtutum: alioqui inter omnes homines eſſet amicitia; & inter Angelos, & homines nulla eſſet. Porrò eſt regina virtutum, & omnibus alijs virtutibus longè pręſtat. Quare ſimilitudo in charitate eſt prima, & ſumma cauſſa amicitię inter nos, & Deum.

1. Ioan. 3.

Matt. 5.

3. Ratio. Tertia ratio: Gratia propriè opponitur culpæ: ſed culpa eſt actualis, & habitualis deformitas in voluntate: igitur & gratia erit habitus, & actus in voluntate.

4. Ratio. Quarta ratio: Gratia reſpondet gloriæ: ſed gloria non erit habitus aliquis in eſſentia animæ, vt Theologi communiter docent; ſed coniunctio cum Deo per viſionem, & amorem: igitur & gratia non eſt habitus aliquis in eſſentia animæ; ſed Fides, Spes, & Charitas ipſius animæ potentijs diuinitus infuſæ, atque in illis inhęrentes.

5. Ratio. Quinta ratio: Per gratiam formaliter iuſtificamur: at iuſtitia communi cōſenſu Theologorum, & Philoſophorum virtus animi eſt, & in voluntate nō in eſſentia animę ſedem habet.

Porrò, vt ſolidiùs confirmetur, gratiam gratum facientem eſſe qualitatẽ, operæ precium eſſe duximus hoc loco refellere ſententiam eorum, qui docent charitatem, qua diligimus Deum, non eſſe habitum creatum, ſed ipſam perſonam Spiritus ſancti: quæ ſententia Petro Lombardo tribui ſolet. Eſt autẽ obſeruandum non fuiſſe Lombardum tam rudem, & hebetem, vt exiſtimaret actionem diligendi, quam nos producimus, quæque charitas actualis à Theologis nominatur, eſſe Spiritum ſanctum: ſed quod docuit Lombardus, id fuit cauſſam, ſiue principium proximum dilectionis Dei eſſe in nobis Spiritum ſanctum; non autem habitum aliquem creatum, quales ſunt habitus fidei, ſpei, cęterarumque virtutum. Itaque hoc intereſſe voluit inter charitatem, & alias virtutes, quod in iſtis præter actionem habitus etiam creatus reperiatur; in illa nullus ſit habitus creatus, ſed ipſe ſpiritus ſanctus immediatè nos moueat ad actionem diligendi. Quam ſententiam omnes Theologi refellunt, & inprimis s. Thomas. *2.2.q.23.a.2*

Prob. 1. charitatem eſſe qualitatem creatam. Prob. igitur charitatem eſſe qualitatem creatam. Primò ex teſtimonio B. Pauli: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* *Rom 5.* Sciendum hic eſt, ambiguũ videri poſſe, loquaturne Apoſtolus de charitate, qua nos Deus diligit; an de illa, qua nos diligimus Deum. Nam commentarius, qui inſcribitur Ambroſio, hunc locum explicat de charitate Dei erga nos. Contrà autem Auguſtinus, Bernardus, Anſelmus, & alij nonnulli in hunc locum docent Apoſtolum loqui de charitate, qua nos diligimus Deum. Plenus cõmẽtarius de vtraque explicat. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Sedulius, Oecumenius, Thomas, & alij. Sed tamen propriè loqui Paulum de charitate, quæ eſt in nobis per modum habitus, prob. Nam loquitur Apoſtolus non de dilectione actuali, ſed de re aliqua permanente. Actualis enim dilectio nõ diffunditur à Deo in cor noſtrum, ſed effunditur à corde noſtro in Deum, iuxta illud; *Finis præcepti eſt charitas de corde puro.* *1. Tim. 1.* In quo loco de actu, non de habitu agitur: actus enim eſt finis præcepti, non habitus. Itaque charitas actualis exit de corde puro, & ad Deum tendit. Apoſtolus autem ad Rom. loquitur de charitate, quæ in cor noſtrum à Deo immittitur, & in eo permanet. *Rom. 5.* Rem autem iſtam permanentem non eſſe Spiritum ſanctum, ſed donum eius, prob. ex voce illa, *Diffuſa eſt*: non enim propriè conuenit Spiritui ſancto diffundi, niſi ratione ſuorum donorum. Quare B. Petrus dicit: *Dextera igitur Dei exaltatus effudit hoc donum, quod vos videtis, & audiſtis.* *Act. 2.* Vbi donum creatum dicitur effuſum. Idem etiam prob. ex illis verbis: *Per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* *Rom. 5.* Hic enim diſtinguitur Spiritus ſanctus à charitate in nobis effuſa, vt cauſſa ab effectu.

Prob. 2. & 3. Secundò prob. ex teſtimonijs Patrum.

2.2 q. 21. a. 2. Tertiò prob. ratione.

1. Ratio. Prima ratio eſt S. Thomæ: Si nullus eſt habitus charitatis, vel Spiritus ſanctus efficit in animis noſtris dilectionem, concurrente, & cooperante libera voluntate; vel ea non concurrente, nec cooperante. Si primum detur, ſequitur actionem diligendi in nobis non eſſe perfectam, facilem, promptã, ſuauem: neque enim potentia perfectam actionem facere poteſt, niſi ipſa perfecta ſit per habitum; neque poteſt promptè, & ſuauiter operari, niſi ex forma

quam

quam in ſe habeat, inclinetur ad operationem. Si detur ſecundum, ſequitur eandẽ actionem non eſſe voluntariá, & liberam, ac per hoc neque meritoriá. Vtrumque autem eſt & contra rationem dilectionis, & contra id, quod quiſque in ſe experitur. Nihil enim magis voluntarium eſſe poteſt, nihil promptius, nihil facilius, nihil ſuauius charitate. Neque ſolùm ſecundum Script. actio diligendi eſt meritoria, ſed principium, & radix omnis meriti: nam *coronam vitæ repromiſit Deus diligentibus ſe.* Iac. 1.

Secunda ratio: Per charitatem efficimur filij Dei, proinde adipiſcimur eſſe 2. ratio. diuinum per eam iuxta illud: *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Non enim Pſal. 81. eſt filius Dei, niſi Deus: ſicut nec filius hominis, niſi homo. Ergò Spiritus ſanctus, ſi charitas eſt, homines, quos inhabitat, facit eſſe Deos, ac per hoc eis communicat perſonam, vel naturam ſuam. Non autem communicat perſonam: id enim ſingulare priuilegium eſt humanitatis Chriſti, vt in perſona diuina ſuſtentetur. Communicat igitur naturam, iuxta illud: *Vt diuinæ efficiamur conſortes naturæ.* 2. Pet. 1. Porrò Dei natura communicari non poteſt, niſi per accidentariam aliquam ſui participationem, id eſt, per formam aliquam creatam: charitas igitur eſt forma creata, per quam nos Spiritus ſanctus inhabitat.

Tertia ratio: Spiritus ſanctus non ſolum adultos, ſed etiam infantes bap- 3. Ratio. tizatos inhabitat: efficit igitur in illis charitatem. At non actualem: ergò habitualem.

CAPVT III.

De gratia gratis data.

DVbitatio prima eſt: *Sitne gratia gratis data habitus permanens, an motio Dei tranſiens?* Queſt. 1.

Reſp. ex nouem donis gratis datis, quæ enumerantur ab Apoſtolo, quin- Reſp. que videri habitus permanentes: *Sapientiam, ſcientiam, fidem, genera linguarum,* 1. Cor. 12. *& interpretationem ſermonum*: quatuor reliqua motiones tranſeuntes: *gratiam ſanitatum, operationem virtutum, prophetiam, & diſcretionem ſpirituum.*

Ratio horum omnium eſt, quia proprium eſt habituum, vt, qui eos ha- Prob. bent, pro arbitrio eis vtantur. Porrò dubitari non poteſt, quin ij, qui habent donum ſcientiæ, ſapientiæ, & ſimilia, ijs vti poſsint, quando velint. Contrà verò certum eſt donum prophetiæ non ſemper adfuiſſe Prophetis; ſed tunc ſolùm, cùm à Deo ad aliquid prænoſcendum illuſtrabantur; vt perſpicuum eſt ex libris Regum, vbi Elizęus, egregius alioqui Propheta, per pſaltem, & 4. Reg. 3. & 4. Dei laudem, ſpiritum prophetiæ in ſe excitabat, & apertè faſſus eſt, ſe ignoraſſe mortem filij Sunamitis: *Anima*, inquit, *eius in amaritudine eſt, & Dominus non indicauit mihi.* Idem dicendum videtur de dono ſanitatum, & operatione virtutum. Ordinariè enim non fiunt miracula, quando volunt homines, ſed quando Deus eos ad ea facienda impellit. Quòd ſi aliqui donum ſanitatum

 habere

habere videantur per modum habitus, quales ſunt Francorum Reges, qui curant morbum ſtrumæ, quando volunt; tamen neque in ijs donum illud eſt verè habitus: ſiquidem miracula non fiunt ex virtute aliqua creata, quæ in hominibus inhæreat, ſed ex virtute Dei, qui eis aſsiſtit, qui miracula faciunt.

Quæſt. 2. Dubitatio ſecunda: *An gratiæ gratis datæ ſeiungi poſsint, vel à ſe inuicem, vel à gratia gratum faciente?*

Reſp. *1. Cor. 12.* Certum eſt hæc dona à ſe inuicem ſeparari, dicente Apoſtolo: *Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ,* &c. Quanquam credibile ſit in Apoſtolis omnia dona fuiſſe.

Prob. Rurſus; Dubitari non poteſt, quin à gratia gratum faciẽte ſeparari queant. Poſſe enim eſſe ſine charitate donum linguarum, prophetiam, ſapientiam, *1. Cor. 13.* ſcientiam, & fidem, idem Apoſtolus teſtatur. Conſtat autem charitatem, vel ipſam eſſe gratiam gratum facientem, vel eius comitem indiuiduam. Ad hæc; *Matth. 7.* Dominus ait multos dicturos in die iudicij: *Nónne in nomine tuo prophetauimus, &* *Num. 22.* *virtutes multas fecimus?* Qui tamen audient: *Neſcio vos.* Et: *Diſcedite à me omnes o-* *& 23.* *perarij iniquitatis.* Denique; Balaam ariolus multa de Chriſto verè prophetauit; *Ioan. 11.* & Cayphas, vir alioqui perditiſsimus, cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetauit. Negandum tamen non eſt, vt plurimum; gratias gratis datas cum gratia gratum faciente coniungi, quia eiuſmodi donis ſeruos ſuos Deus ornat exterius, vt appareat, quid ſint apud Deum interius.

Quæſt. 3. Dubitatio tertia: *An ſermo ſapientiæ, & ſermo ſcientiæ ſint idem, quod ſpiritus ſa-* *Iſa. 11.* *pientiæ, & ſpiritus ſcientiæ: de quibus agitur apud Iſaiam.*

Reſp. Nobis probabile videtur parum, aut nihil intereſse inter ſermonem ſapiẽtiæ, & ſcientiæ; & Spiritum ſapientiæ, & ſcientiæ; atque hæc dona Spiritus ſancti, vt à nobis accipiuntur, à charitate, & à ſe inuicem ſeparari poſse.

Prob. Illa enim eſt ſententia S. Auguſt. & idem colligi poteſt ex B. Paulo. Nam Paulus, cùm oſtendere vellet gratias gratis datas ſine charitate nihil prodeſſe, *1. Cor. 13.* ita locutus eſt: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, & cimbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem,* &c. Vbi quod *1. Cor. 12.* alibi vocauerat ſermonem ſapientiæ, explicat per illud: *Si nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem,* &c. Et quod vocauerat ſermonem ſcientiæ, ſimpliciter vocat omnem ſcientiam. Quare per ſermonẽ ſapientię, & ſcientię non intelligebat Apoſtolus ſolum donum explicandi myſteria, vel dogmata; ſed ipſam cognitionem myſteriorum, & dogmatum, quam qui habent, ſapienter, & ſcienter ſermonem proferre poſſunt. Cognitio autem myſteriorum, & dogmatum ad ipſum donum ſapientiæ, & ſcientiæ pertinet, & à charitate ſeparari poteſt, iuxta illud: *Si nouerim myſteria omnia,* &c. Deinde; Multi ſunt fideles adeò rudes, vt nihil ferè capiant, niſi craſſo modo, & exemplis corporalibus proponatur. His autem tribuere donum ſcientiæ, vel intellectus, ridiculum planè videtur: quos tamen charitate, & gratia gratum faciente deſtitutos eſſe, dicere non poſſumus. Ad hæc; Quorſum in Eccleſia neceſsarij eſsent Doctores, ſi omnes dono ſapientiæ, & ſcientiæ præditi eſsẽt? Neque enim probabile eſt, dona iſta nihil eſse aliud, niſi qualitates diuinitus

infuſas,

infuſas, quibus mens humana facilè duci ſe ſinat à Spiritu ſancto: ſiquidem Script. & Patres per ſapientiam, ſcientiam, & intellectum paſsim intelligunt cognitionem myſteriorum, aliarumque rerum, quam certum eſt non in omnibus eſse, in quibus eſt charitas. Si autem accipiantur pro talibus habitibus, ſicut accepit eiuſmodi dona S. Thomas, tunc dicendum erit, hęc dona inſeperabilia eſse, tum inter ſe, tum à charitate: & aliud eſse ſermonem ſapientiæ, & ſcientiæ; aliud ſpiritum ſapientiæ, & ſcientiæ. 1.2.q.68.

Dubitatio quarta: *An gratiæ gratis datæ ſint tantùm nouem?* Quæſt. 4.

Reſp. eſse multo plures: neque enim Apoſtolus omnes enumerauit, ſed tãtum aliquas exempli loco poſuit. Reſp. 1. Cor. 12.

Id patet ex epiſtola ad Rom. vbi loquens idem Apoſtolus de eadem re, adiungit ad prophetiam gratiam docendi, & exhortandi: item gratiam gubernandi, miniſtrandi, diſpenſandi, quorum donorum meminerat idem Apoſtolus in prima epiſtola ad Cor. vbi ait: *Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes virtutes?* &c. Itaque multa ſunt, & varia dona Spiritus ſancti, quæ ad aliorum vtilitatem fidelibus conceduntur, neque opus eſt curioſè certum numerum quærere, cùm is nuſquã prçciſè in ſacris litteris indicetur. Prob. Rom. 12. 1. Cor. 12.

Dubitatio quinta: *An poteſtas conferendi Sacram. ſit gratia gratis data?* Quæſt. 5.

Facilis eſt reſponſio: nam & ſi illa ſit aliquo modo gratia gratis data, tamẽ propriè non eſt ex genere eorum donorum, quæ à Theologis dicuntur gratię gratis datę. Siquidem gratię gratis datę, cùm exercentur, auctorem ſuũ Spiritum ſanctum exterius manifeſtant, iuxta illud: *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.* Quicunque enim audit aliquem loquentem varijs linguis, aut miracula facientem, aut prophetantem, aut efficaciter perſuadentem, facilè iudicat auctorem illius doni Spiritum ſanctum eſse. At poteſtas Sacramenta conferendi occulta eſt, & potius eget fide, vt credatur ineſse, quam ipſa fidem alijs faciat. Deinde; Gratia gratis data non tribuitur vnicuique eam volenti, ſed diſtribuitur à Deo, prout ipſe voluerit. Poteſtas autẽ Sacramenta conferendi datur omnibus, qui Sacram. Ordinis ſuſcipere volunt. Denique; hęc poteſtas datur per homines: gratię illæ immediatè à Spiritu ſancto. Reſp. Ibid.

Dubitatio ſexta: *Vtrum gratiæ gratis datæ ſint nobiliores, quàm gratia gratum faciens?* Quæſt. 6.

Reſpondet Apoſtolus charitatem, quæ eſt gratia gratum faciens, alijs omnibus donis præſtare. De hac enim ait: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Quod idem teſtantur ſancti Patres. Reſp. 1. Cor. 12.

Accedit etiam ratio: quia gratia gratum faciens immediatè hominem cum Deo coniungit, & amicum, ac filium Dei facit: gratiæ verò gratis datæ, veluti quædam inſtrumenta ſunt, quibus vnus homo alios pręparat, ac diſponit, vt gratiam gratum facientem aliquando recipiant, & per eam in amicitiam Dei, *& adoptionem filiorum*, recipiantur.

CAPVT IV.

De gratia ſufficienti, efficaci, operante, & cooperante.

Prob. Gratia ſufficient. PRob. Gratia ſufficiens primùm: Nam auxilium Dei verè ſufficiens adfuiſſe nonnullis, qui tamen reipſa conuerſi non ſunt, ac per hoc auxiliũ illud efficax non fuiſſe, manifeſtè colligitur ex ſacris litteris. Ita enim loquitur Dominus: *Habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meã, quid eſt, quod vltra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectaui, quod faceret vuas, & fecit labruſcas?* (*Iſa. 5.*) Hi quos Dominus reprehendit, ſine dubio non habuerunt gratiam illam efficacem, quæ à nullo duro corde reſpuitur: nam, ſi habuiſſent, fructum bonum vtique feciſſent. Si verò ſufficientem gratiam per quam verè, & propriè conuerti poſſent, non habuiſſent, non verè diceret Dominus: *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Reſponderetur enim: poſteaquam vineam plantaſti, & ex ea fructum facere cupiebas, debuiſti ea omnia circa illam adhibere, quæ neceſſaria erant, vt fructum facere poſſet: quomodo autem omnia neceſſaria adhibuiſti, ſi defuit illi ſufficiens cultura, nec habuit verè, quæ requirebantur ad faciendum fructum? Deinde; Quorſum diceret Dominus: *Expectaui, vt faceret vuas*; ſi non dediſſet ei facultatem germinandi, & omnia neceſſaria ad proferendas vuas: Oportet igitur, vt fateamur, habuiſſe illos homines auxilium Dei planè ſufficiens ad conuerſionem, & ad vitam Deo gratam inſtituendam. Similis locus eſt ille: (*Matth. 23.*) *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Illi, de quibus queritur Dominus, non habuerunt gratiam efficacem: ſi enim habuiſſent, voluiſſent ſine dubio ſub alas Domini congregari. Nec tamen caruerũt gratia neceſſaria, & ſufficienti, qua poſſent velle, quod Deus volebat: alioqui non diceret Chriſtus: *Volui congregare filios tuos, & noluiſti.* Quomodo enim voluit, & ita voluit, vt queratur de nolentibus, ſi eos, quos ſciebat per ſe non poſſe velle, non iuuit, vt poſſent velle? Illud etiam: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*, (*Act. 7.*) ſatis aperrè ſignificat quibuſdam inſpirari bona deſideria, & ita inſpirari, vt conuerti poſsint, & tamen eos nolle conuerti. Nam, ſi non inſpirabantur Iudæis illis bona deſideria, quomodo reſiſtebant Spiritui ſancto? Si non poterant reſiſtere, cur à S. Stephano tam acriter arguuntur? Apoſtolus quoque Paulus idem oſtendit: (*Rom. 2.*) *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Cur enim, quæſo, Deus ad pœnitentiam expectaret, quibus non dediſſet ſufficiens conſilium ad conuerſionem? Ignorat fortaſſe neminem poſſe conuerti, & pœnitentiam agere, niſi cui vires ipſe præbuerit? Denique, vt alia multa ſimilia loca prætermittam, Dominus ait: (*Apoc. 3.*) *Ego ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis aperuerit*

uenerit mihi, intrabo ad eum. Vel igitur ij, ad quorum cor Dominus pulſat, habẽt ſufficiens auxilium aperiendi, vel non habent: ſi habent, eſt quod volumus: ſi non habent, cur obſecro, Dominus pulſat? An ignorat eos aperire non poſſe?

Iam verò Auxilium efficax etiam quibuſdam dari, per quod infallibiliter conuertantur, prob. Nam Dominus ait: *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Quòd ſi omnis, qui audit, & diſcit à Patre, venit ad Chriſtum, nullus eſt, qui audiat, & diſcat, qui non veniat. Et igitur quædam vox Patris intus in corde loquens, quæ infallibiliter perſuadeat. Iſtam vocem efficacem gratiam nominamus. Idem probant illa verba Domini de ouibus ſuis: *Et non rapiet eas quiſquam de manu mea*: quia nimirum dabit illis gratiam efficacem, per quam infallibiliter conuertantur, & in finem perſeuerent. Eodem pertinet illud Apoſtoli: *Quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Loquitur enim de vocatis ſecundum propoſitum: nam paulò antè dixerat: *Omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Et mox: *Nam quos præſciuit, hos & prædeſtinauit: quos prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Itaque licet multi ſunt vocati, qui non reſpondent, nec iuſtificantur, tamen qui vocantur ſecundum propoſitum, omnes reſpondent, & iuſtificantur. Et ideò de his abſolutè pronunciat Spiritus ſanctus. *Quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Iſta vocatio ſecundum propoſitum, quam vocatus nullus contemnit, gratia efficax eſt. Hinc etiam Dominus dicit: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Vbi, quia de gratia efficaci ſermo eſt, non dicit Dominus: Faciam, vt in præceptis meis ambulare poſsitis; ſed, vt ambuletis.

Prob. 1. Gratia efficax. *Ioan. 6.* *Ioan. 10.* *Rom. 8.* *Ezech. 36.*

Hæc etiam partitio gratiæ poteſt probari teſtimonijs S. Auguſtini.

Prob. quoque ratione. Nam, ſi non detur gratia aliqua ſufficiens, tria ſequuntur incommoda. Primum, quòd primus homo non ſua culpa cecidiſſet: nam non habuit primus homo gratiam efficacem ad perſeuerandum; non enim perſeuerauit. Vel igitur habuit ſufficientem gratiam, qua ſtare poſſet, vel non habuit. Si habuit, eſt quod nos dicimus: ſi non habuit, certè non ſua culpa cecidit. Non enim culpæ adſcribi poteſt, quod nullo modo vitari potuit. Alterum, quod videbitur Deus amicos ſuos deſerere, antequam ab eis deſeratur. Nam, cùm iuſtus aliquis peccat, certè non habuit gratiam efficacem ad reſiſtendum peccato: ſi enim habuiſſet, vtique non peccaſſet. Quòd ſi ne ſufficientem quidem habuit, qua poſſet reſiſtere, quomodo non fuit à Deo deſertus, antequam ipſe Deum dereſeret? Abſurdum autem eſſe Dei amicos deſtitui neceſſario adiutorio, antequam ipſi Deum cadendo deſerant, teſtantur Patres, & Concilium Trident. Tertium incommodum eſt, quòd nemo poterit verè dicere, ſe non feciſſe tantum boni, quantum potuit: neque vllus ſe meritò reprehenderet, quòd gratiæ Dei non ſit cooperatus, quantũ potuit. & debuit. Nam, ſi nulla ſit gratia, niſi efficax, nulla erit gratia, cui vlla ex parte vnquam reſiſtatur; ac per hoc vnuſquiſque nihil vnquam minus aget, quàm id ſit, ad quod illum gratia diuina mouet. At certè S. Patres omnes ſeipſos negligentiæ, & ignauiæ accuſare ſolent, ac non ſe cooperatos eſſe gratiæ, vt par erat, cum gemitu confitentur.

Prob. ratione Gratia ſufficiens. *Seſſ. 6. c. 11. & 13.*

Iam.

Prob. ratione Gratia efficax. *L. de prædeſt. Sanctorum, c. 10.*

Iam verò præter ſufficientem dari etiam gratiam efficacem, vel vnico illo argumento confirmari poteſt: quia ſublata gratia efficaci tollitur fundamentum diuinæ prædeſtinationis. *Prædeſtinatio enim* (vt ait S. Auguſtinus) *eſt gratiæ præparatio; gratia verò ipſa donatio.* At præparatio gratiæ ſufficientis communis eſt etiam reprobis. Deinde; Prædeſtinatio non eſt ſola præparatio, ſed præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicunque liberantur. Nouit igitur Deus quædam eſſe beneficia, quibus aliquis infallibiliter liberabitur, & ea præparat, ſi is ad numerum pertinet electorum. Illa autem eſt gratia efficax, per quam quis infallibiliter liberatur.

De Gratia operante, & cooperante. *Philip. 2.* *L. de gratia, & liber. arbit. c. 17.*

De gratia operante, & cooperante non leuis quæſtio eſt, quam peperit obſcuritas, verborum S. Auguſtini, & Apoſtoli Pauli, vnde eam Auguſtinus accepit. Apoſtoli verba ſunt: *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Quæ verba ſic explicat S. Auguſtinus: *Ipſe, vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Et mox: *Vt velimus ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur.* Multæ ſunt huius partitionis expoſitiones.

Sed dicendum eſt gratiam operantem illam eſſe, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis; qualis eſt conuerſio ſiue ab infidelitate ad fidem, ſiue à peccatis cæteris ad pœnitentiam: gratiam verò cooperantem eſſe illam, quæ efficit conſequentes actus voluntatis; quales ſunt velle orare, velle quærere Sacerdotem, velle bona opera facere, & alij ſimiles. Quos continuo ſequuntur actus externi, ita vt gratia operans nihil aliud ſit, niſi auxilium ſpeciale efficax reſpectu primi actus voluntatis; gratia verò cooperans ſit auxilium ſpeciale reſpectu actuum ſequentium.

Quæſtio.

Sed quæſtio eſt: Quomodo ſit intelligendum, quod S. Auguſtinus ait primum actum deliberatæ voluntatis fieri ſine nobis? Quomodo enim fit ſine nobis, quod noſtra libera deliberatione, & electione efficitur?

Reſp.

Obſeruandum autem, Deum ſecundum quoddam genus cauſſæ eſſe mouentem reſpectu ipſius velle deliberati, & voluntatem non eſſe mouentem, ſed tantum motam; cùm tamen ſecundum aliud genus cauſſæ ad eundem actum volendi producendum Deus concurrat vt mouens, voluntas autem, tum vt mouens, tum vt mota: & ideò vtrumque verum eſſe, Deum operari ipſum velle deliberatum ſine nobis, & non operari ſine nobis. Nam ſi conſideremus cauſſam efficientem, & phyſicam illius actus, ea non ſolum eſt Deus per auxilium ſpeciale, ſed etiam voluntas per liberum arbitrium; & hoc modo illud velle eſt Dei, & noſtrum, & nos in eo cooperamur Deo, & Deus illud operatur non ſine nobis. At ſi conſideremus cauſſam illius eiuſdem actus moralem, id eſt, cauſſam mouentem ſuadendo, hortando, conſulendo, ea ſolus eſt Deus: voluntas autem ſecundum hoc genus cauſſæ non eſt mouens, ſed mota tantùm. Non enim ipſa ſe voluntas impellit ſuadendo, & hortando, vt velit, quod non vult; ſed Deus per inſpirationes ſuas intus animæ loquens, ei ſuadet, & perſuadet, vt velit. Hæc eſt igitur gratia operans, quæ præuenit conatum, & induſtriam noſtram, & operatur, vt velimus,

mus, quod antea nolebamus, ſine nobis operantibus, vt velimus, non tamen ſine nobis liberè conſentientibus, dum volumus. Atque hinc intelligimus, cur ad primum actum voluntatis tantùm requiratur gratia operans; ad reliquos autem non ſit neceſsaria operans, ſed cooperans. Nam, poſteaquam cępimus velle conuerti ad Deum, iam nos ipſi non tantùm per liberum arbitrium producimus Deo iuuante reliquos actus; ſed etiam nos incitamus, & impellimus, Deo cooperante, ad eos.

CAPVT V.

De gratiæ communicatione, & prædeſtinatione.

CONTROVERSIA grauis eſt: *An gratia ſufficiens ad ſalutem detur omnibus hominibus?* Et, ſi ita eſt: *Quomodo gratuitæ prædeſtinationis veritas ſaluetur?* *Quæſtio.*

Sunt autem duæ ſententiæ contrarię, inter quas media eſt Theologorum Catholicorum quamplurimorum, ac ferè omnium, qui docent omnibus hominibus pro loco, & tempore, ſufficiens auxilium non deeſſe; & tamen ſine prę ueniente gratia neminem poſſe gratiam deſiderare, petere, vel accipere. *Reſp.*

Itaque ſit prima propoſitio: *Auxilium gratiæ Dei non ita offertur omnibus hominibus, vt Deus expectet homines, qui illud deſiderent, vel poſtulent; ſed præuenit omnia deſideria, & omnem inuocationem.* *Propoſ. 1.*

Hęc habetur in Conſilio Arauſicano, vbi legimus: *Si quis per inuocationem humanam gratiam dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: Inuentus ſum à non quærentibus me; palam apparui his, qui me non interrogabant.* Item: *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, vt etiam purgari velimus per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino; & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* *Prob. can. 3. & 4.*

Propoſitio ſecunda: *Auxilium gratiæ Dei non æqualiter omnibus adeſt.* *Propoſ. 2.*

Hęc in diuinis litteris ita luculenter habetur, vt mirum videri poſsit ab vllo vnquam fuiſſe negatum. Vrget S. Auguſtinus illud: *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animum eius.* Certè enim non omnibus hoc pręſtat Deus, vt eos rapiat, antequam in peccata labantur. Vrget etiam illud: *Si in Tyro, & Sidone hæc facta fuiſſent, in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Vbi videmus Deum mirabili, ſed iuſto, & ſibi ſolo noto iudicio, non ſolùm non ęqualiter omnibus gratię auxilia ſubminiſtrare; ſed etiam iis, quos credituros pręuidebat, ſi miracula Chriſti vidiſſent, ea miracula non oſtendiſse, & eadem illis oſtendiſse, quos pręuidebat, quibuſcunque viſis miraculis, minimè credituros. Huc pertinet etiam illud: *Prob. Sap. 4. Matt. 11.*

Mat. 15. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem non eſt datum.* Et, *Cuius vult,*
Rom. 9. *miſeretur, & quem vult, indurat.* Et: *Vnicuique Deus diuiſit menſuram fidei.* Et: *Non*
Rom. 12. *omnium eſt fides.* Et: *Vobis donatum eſt, vt in illum credatis.* Denique; Vt alia in-
2. Teſ. 3. numerabilia prætermittam, ſi gratia æqualiter omnibus adeſt, quomodo
Philip. 11. Deus in præteritis generationibus permiſit omnibus ingredi vias ſuas: nunc
Act. 14. & 17. autem annunciat, vt pœnitentiam agant. Cur Paulus illo ipſo tempore, quo ſpirabat minas, & cædes in diſcipulos Domini, diuino miraculo, Chriſto ipſum vocante, conuertitur, cùm tam multos minùs fortaſſe malos in delictis ſuis Deus iacere permittat? Cur ex paruulis morientibus interdum filius optimi viri ſine Baptiſmo decedit, & perit; filius adulteri, vel inceſtuoſi Baptiſmo abluitur, & regno potitur æterno? Cur demum inſcrutabilia Apoſtolus eſſe dicit iudicia Dei, & inueſtigabiles vias eius in electione, & reprobatione mortalium, ſi gratia æqualiter omnibus adeſt, & ex arbitrio hominum pendet, vt eam capiant, vel abijciant?

Propoſ. 3. Propoſitio tertia: *Nulla eſſet in Deo iniquitas, ſi non ſolum aliquibus, ſed etiam omnibus hominibus auxilium ſufficiens ad ſalutem negaret.*

Prob. Hæc certiſsima eſt apud eos, qui ex diuinis litteris peccatum originale nouerunt. Nam, cùm per peccatum primi hominis naſcamur omnes filij iræ, vt
Ephеſ. 2. Apoſtolus docet, nihil nobis iure debetur, niſi pœna. Hinc dicit Spiritus
Sap. 12. ſanctus: *Quis ſtabit contra iudicium tuum, aut quis tibi imputabit, ſi perierint natio-*
Rom. 9. *nes, quas tu feciſti?* Et Apoſtolus demonſtrat ſolam eſſe miſericordiam, qua Deus ex maſſa perditionis aliqua vaſa facit in honorem; vnde etiam vaſa miſericordiæ appellat. Denique; Prima gratia datur inimicis; ac per hoc modis omnibus eſt indebita: nulli igitur fieret iniuria, ſi ea gratia nemini præberetur.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Siue detur ſufficiens auxilium omnibus, ſiue tantum aliquibus; nos tamen de nullius ſalute, donec in hac vita fuerit, deſperare debemus, neque ab vllo ſubtrahere correptionem, exhortationem, & alia charitatis officia.*

Prob. Hæc quoque ſine controuerſia recipitur ab omnibus. Nam, tametſi nonnulli ita desererentur à Deo, omniquе auxilio prorſus deſtituerentur, vt nulla ratione conuerti poſſent; nos tamen, qui neſcimus, qui ſint illi, de omnibus bene ſperare debemus, ac dicere cum Propheta Ioële: *Quis ſcit, ſi con-*
Ioël. 2. *uertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem?* Et Apoſtolum Paulũ audire, qui iubet, vt manſueti ſimus ad omnes, & cum patientia, & modeſtia corripiamus eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiã ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis.

Propoſ. 5. Propoſitio quinta: *Auxilium ſufficiens ad ſalutem pro loco, & tempore, mediatè, vel immediatè omnibus datur.*

Dicimus *auxilium ſufficiens ad ſalutem:* nam de auxilio ſufficienti ad non peccandum eſt alia ratio. Itaque hic tantùm diſſerimus de auxilio ſufficienti ad reſurgendum à peccato, atque ad iuſtificationem, & ſalutem comparandam. Dicimus, *pro loco, & tempore:* quoniam non definimus hoc loco, vtrum omni tempore, omnique momento tale auxilium adſit; ſed tantùm id aſſerimus, nullum eſſe, qui non aliquando ſaltem hoc auxilium habeat. Dicimus, *mediatè, vel immediatè:* quoniam ijs, qui vſu rationis vtuntur, immitti credimus

à Deo

à Deo ſanctas inſpirationes, ac per hoc immediatè illos habere gratiam excitantem, cui, ſi velint acquieſcere, poſſint ad iuſtificationem diſponi, & ad ſalutem aliquando pertingere: ijs autem, qui rationis vſum non habent, quales ſunt infantes, vel ab infantia mente capti, mediatè auxilium donari cenſemus, quoniam parentes eorum non ſolùm ſibi ipſis proſpicere, ſed etiam filijs ſuis præſertim rationis vſu carentibus, baptiſmum procurare poſſunt, ſi volunt.

Hæc propoſitio prob. ex diuinis litteris. *Non eſt, qui ſe abſcondat à calore eius.* Item: *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Videtur enim hoc loco ſignificare Spiritus ſanctus omnibus hominibus primùm à Deo exhiberi miſericordiam: deinde, ſi ea non vtantur, exhiberi iudicium. Non poteſt autem rectè dici agi cum aliquo miſericorditer, quod attinet ad ſalutem, niſi detur ei ſufficiens auxilium ad ſalutem: neque iuſtè puniri poteſt, qui ex diuino auxilio non proficit, ſi auxilium non ſit ſufficiens. Item: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens: Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? conuertimini ad correptionem meam. En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Hæc certè prædicatio generalis, & comminatio item generalis ſatis apertè ſignificat, Dei ſapientiam nullum ita deſerere, quin aliquando eum vocet, & auxilium ſufficiens illi præbeat. Item: *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam: diligis enim omnia, quæ ſunt & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti. Parcis autem omnibus, quia tua ſunt, Domine, qui amas animas.* Hæc certè vix intelligi poſſunt, niſi fateamur omnibus tribui ſufficiens auxilium: quomodo enim miſeretur, & parcit omnibus, ſi non dat ſaltem eis auxilium, quo ad reconciliationem poſſint peruenire, ſi velint? Neque debent hæc reſtringi ad electos; nam ratio, cur Deus omnibus parcat, & omnibus miſereatur, redditur hoc loco ex creatione, quia Deus omnes creauit, & quoniam amat animas, & res à ſeipſo factas: at creatio communis eſt omnibus abſolutè. Item: *Si inimicos ſeruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciaſti attentione, dans tempus, & locum, per quæ poſſint mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicaſti ſeruos tuos?* At fruſtra Deus daret tempus, & locum peccatoribus, per quæ poſſent mutari à malitia, niſi auxilium etiam præberet, ſine quo mutari non poſſent. Item: *Sic locuti eſtis dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus, quomodo ergò viuere poterimus? Dic ad eos: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat: conuertimini, conuertimini, & quare moriemini?* Illa exhortatio, *conuertimini*, irriſoria videretur, niſi Deus dediſſet illis vires, quibus conuerti poſſent. Non fuiſſe autem irriſoriam, ſiue ironicã exhortationem, teſtatur iuramentum illud: *Viuo ego, dicit Dominus* &c. Item illud: *Qui ſolem oriri facit ſuper bonos, et malos, et pluit ſuper iniuſtos, et iuſtos.* Monet S. Ambroſius intelligendum eiſſe etiam de ſole iuſtitiæ, & pluuia gratiæ. Illa item inuitatio: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis* &c. ne ſit fruſtrà, requirit omninò, vt, ſicut vocatio eſt generalis, ita & auxilium, quo

Prob propoſ. Pſal. 18. Pſal. 24. Prou. 1. Sap. 11. Sap. 12. Ezech. 33. Matth. 5. Serm. 8 in Pſal. 118. Matth. 11.

Ioan. 1. poſsint homines venire, ſit generale. Illud item: *Illuminat omnem hominem*, re-
1 Tim. 2. fertur ad lumen gratiæ, quo nemo omninò priuatur. Illud quoque: *Vult om-*
2. Pet. 3. *nes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Et: *Non vult aliquos perire ſed*
omnes ad pœnitentiam conuerti: exponitur quidem varijs modis à S. Auguſtino:
L. de ſpiritu. ſed illa expoſitio videtur maximè congruere Apoſtolicę ſententię, quam habet,
& lit. c. 33. vbi quęſtionem exponit; cur Deus non det omnibus velle credere, cum
velit homines omnes ſaluos fieri? Et reſpondet, Deum velle omnes ſaluos
fieri, ſic tamen, vt non adimat illis liberum arbitrium, quo vel benè vel malè
vtentes iuſtiſsimè iudicentur: & addit infideles contra Dei voluntatem face-
re, cùm non credunt Euangelio, tamen non vincere Dei voluntatem, quo-
niam experientur in ſupplicijs poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam
contempſerunt. Ex his intelligimus hanc fuiſſe Auguſt: ſententiam de hoc
loco Apoſtoli, Deum velle omnes ſaluos fieri, quia dat omnibus, vnde poſ-
ſint velle credere, & ſaluari, ſic tamen, vt, ſi ipſi noluerint, non ſaluentur, ſed
ad ſupplicia deſtinentur æterna. Quæ fuit etiam ſententia aliorum Patrum,
qui dicunt Deum velle omnes ſaluos fieri, ſi & ipſi velint; nimirum ſi velint
1. Tim. 4. cooperari diuinæ gratiæ pręuenienti. Illud item: *Qui eſt ſaluator omnium ho-*
minum maximè fidelium; vix poteſt aliter exponi, quàm vt intelligamus,
Deum ſaluatorem eſſe omnium, quia dat omnibus, vnde ſaluari poſsint: ſed
maximè fidelium, quia dat eis non ſolum vt ſaluari poſsint, ſed etiam, vt ſal-
uentur.

1. Cor. 15. Denique; Illud: *Pro peccatis noſtris mortuus eſt Chriſtus*. Et: *Qui dedit ſemetip-*
1. Tim. 2. *ſum redemptionem pro omnibus*. Et: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non ſo-*
1. Ioan. 2. *lùm autem noſtris, ſed etiam totius mundi*; quomodo poteſt verum eſſe, ſi non
datur omnibus aliquid, vnde Chriſti mortis participes fieri queant? Nam,
cùm non poſsit vllus ſine præueniente dono particeps eſſe mortis Chri-
ſti, & precij redemptionis huius, fruſtra Chriſtus pro omnibus precium
ſoluit, ſi noluit omnibus viam aperire, qua ad redemptionem peruenire
poſſent.

Prob. eadem ſententia teſtimonijs Patrum.

Propoſ. 6. Propoſitio ſexta: *Auxilium Dei ſufficiens, & neceſſarium ad reſurgendum à pecca-*
to etſi nulli deſit pro loco, & tempore; non tamen adeſt omnibus momentis. Hæc pro-
poſitio non à nobis primum aſſeritur, ſed ante nos confirmarunt aliqui re-
centiores.

Prob. 1. Prob. ex diuinis litteris. *Conſidera opera Dei, quòd nemo poteſt corrigere, quem ille*
Eccle. 7. *deſpexerit*. Certè, qui hoc dixit, pro comperto videtur habere, aliquos à Deo in-
terdum ita deſpici, ac deſeri, vt conuerti nequeant. Item: *Propterea non poterant*
Ioan. 12. *credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*. Quo
loco notandum, illud, *Non poterant credere*, non eſſe dictum ſolùm propter cer-
tam præſcientiam futurorum, id eſt, quia præuiderat Iſaias, eos non credituros:
quomodo poſſemus dicere; Non poterat Petrus non negare ſaluatorem,
quandoquidem Chriſtus, qui mentiri non poterat, eum negaturum prædixe-
Ibid. rat. Nam hoc paulò ante ſignificauerat Ioannes illis verbis: *Cùm autem tanta*
ſigna feciſſet, non credebant in eum, vt ſermo Iſaiæ impleretur: Domine, quis credidit au-
ditui noſtro? Ibi igitur cauſſam reddit, cur non crederent ex prædictione Iſaiæ.

Sed

Sed mox adiungit aliam cauſſam ab excæcatione, & de ea dicit: *Et propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum.* Porrò excæcati non ſolùm non vident, ſed etiam videre durante excæcatione non poſſunt. Præterea; S. Paulus admonet, patienter, & manſuetè corripiendos eſſe peccatores, & cauſſam reddens, ait: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis.* (2. Tim. 2.) Vbi videmus donum pœnitentiæ nõ ſemper adeſſe, ſed dari à Deo, quando, & quibus ipſe voluerit: alioqui non diceret Apoſtolus: *Ne quando det*, ſi ſemper daret.

Secundò idem prob. ex Patribus. (Prob. 2.)

Tertiò prob. ratione. (& 3.)

Nam non poteſt vllus conuerti ſine gratia præueniente, cùm ſcriptum ſit: *Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater, qui miſit me, traxerit illum.* (Ioan. 6.) Gratia verò iſta præueniens non ſemper adeſt, vt vel ipſa experientia teſtatur. Non enim ſentimus aſsiduè nos illuminari à Deo, aut immitti bona deſideria, quibus excitemur ad conuerſionem. Non igitur ſemper habemus auxilium ſufficiens ad conuerſionem.

Propoſitio ſeptima: *Auxilium ſufficiens, ac neceſſarium ad vitanda peccata omnibus hominibus, & omni tempore, vel immediatè, vel mediatè, à diuina benignitate præſtatur.* (Propoſ. 7.)

Dicimus, *ad peccata vitanda*, non ad reſurgendum à peccato: multum enim inter hæc intereſt; & ideò non pugnat hæc propoſitio cum ſuperiore. Nam, vt quis poſsit à peccato reſurgere, requiritur neceſſario interna excitatio, quæ non ſemper adeſt: vt autem poſsit quis vitare peccatum, non eſt neceſſaria interna illa inſpiratio; ſed ſatis eſt, ſi vel vires aduerſario minuantur, vel remoueatur tentationis occaſio, vel terror aliquis inijciatur, vel aliquid magis alliciens offeratur. Quòd ſi etiam ad omne peccatum vitandum excitatio illa requireretur, adhuc multum intereſſet inter vitationem peccati, & conuerſionẽ à peccato. Nam, vt quis poſſet ſemper conuerti, requireretur, vt ſemper haberet gratiam illam excitantem, quam tamen non ſemper haberi experientia ipſa teſtatur: vt verò quis poſset ſemper vitare peccata, non requireretur, vt quis ſemper haberet gratiam excitantem, ſed tunc ſolùm, cùm adeſset peccãdi periculum, quod periculum non ſemper adeſt, cùm aliquando nullum occurrat præceptum affirmatiuum, & nulla tentatio contra negatiua.

Dicimus deinde, *mediatè, vel immediatè* quoniam certum eſt aliquos non habere ſufficiens auxilium, quo poſsint immediatè reſiſtere tentatori, & euitare peccatum, tamen habere auxilium, quo poſsint à Deo maiorem gratiam, maioreſque vires, maiora denique præſidia impetrare, quibus adiuti omnino tentationi reſiſtent, & peccata vitabunt. Id perſpicuum eſt, tum ex Scripturis, quæ iubent nos orare, ne intremus in tentationem: tum ex ſummis Pontificibus, & Patribus.

Prob. propoſitio primò ex teſtimonio Script. *Non dicas; Per Deum abeſt.* (Matth. 6. & 20.) His verbis ſignificat Spiritus ſanctus, neminem poſſe culpam peccati ſui reijcere in Deum, quaſi per illum fiat, quo minus peccata vitemus. (Prob. 1.) Cui ſimile eſt illud: *Perditio tua ex te Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* (Eccli. 15. Oſee 13.)

Secundò prob. ex teſtimonijs Patrum. (Prob. 2.)

Prob 3. Tertio prob. ratione, quæ in Script. & Patribus fundamentum habet. Nulli ſunt, quamuis excæcati, & obdurati, qui non verè, propriéque peccẽt, ſi deliberato animo tranſgrediantur præcepta Dei: nemo autem peccat in eo, quod vitare non poteſt: igitur nulli ſunt, quamuis excæcati, & obdurati, qui non poſsint Dei mandata non tranſgredi. Cùm autem id non poſsint viribus proprijs; vt nunc aſſumimus tanquam certum, & alibi probabimus, ſequitur, vt poſsint per auxilium Dei, quod ſemper illis ſit paratum, ac promptum.

Ioan. 15. Propoſitio prob. nam Chriſtus dicit de Iudæis: *Si non veniſſem, et locutus fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Et infrà: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et

Ioan. 12. tamen de iſtis eiſdem dixerat: *Cùm tanta ſigna feciſſet, non credebant in eum.* Et infrà: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: Excæcauit oculos eorum,* &c. Vides, quomodo iſti obcæcati erant, & tamen peccatum habebant: imo excuſationem non habebant de peccato ſuo. Item Apoſtolus, poſteaquam

Rom. 1. dixerat: *Tradidit illos in reprobum ſenſum* &c. eos grauiſsimè reprehendit, & pœna digniſsimos fuiſſe demonſtrat: *Cùm iuſtitiam,* inquit, *Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte.* Ad hæc; Communis eſt ſententia Patrum, & Scolaſticorum, & ex litteris diuinis apertè colligitur, ſæpenumero peccatum pœnam eſſe peccati: atqui id verum non eſſet, ſi excæcati, atque obdurati peccare non poſſent. Denique; Multa ſequerentur abſurda, ſi non peccarent excæcati, qui pleno iudicio mandata Dei violare non dubitant. Nam prodeſſet eis excæcatio, quoniam faceret eos impeccabiles. Item, iniuſtè punirentur, quoniam omnis pœna, ſi iuſta eſt, pœna peccati eſt. Poſtremò, viderentur ante mortem ad terminum perueniſſe, quoniam ſuis operibus nec benè, nec malè mereri poſſent. Aſſumptio certiſsima eſt, & ſæpe habetur apud S. Auguſtinum.

Propoſ. 8. Propoſitio octaua: *Quamuis gratia ſufficiens omnibus detur, tamen prædeſtinationis diuinæ nulla ratio ex parte noſtri aſsignari poteſt.*

Dicimus nullam rationem aſsignari poſſe, vt excludamus non ſolùm merita propriè dicta, ſed etiam bonum vſum liberi arbitrij, aut gratiæ, aut vtriuſque ſimul à Deo præuiſum, etiamſi non dicatur eſſe meritum, niſi de cõgruo, & etiamſi non dicatur vera cauſſa, ſed tantùm conditio ſine qua non prædeſtinaretur is, qui prædeſtinatur.

Addidimus illud, *ex parte noſtra*, quoniam ex parte Dei aſsignari poteſt cauſſa in genere, vt oſtendatur miſericordia, & iuſtitia ipſius. In particulari quoque dubitari non poteſt: quid Deo non deſit ſua ratio, cur iſtum potiùs, quàm illum prædeſtinare voluerit ad vitam, quamuis ea nobis occulta ſit.

Operæ precium autem erit, antequam ad probandam propoſitionem noſtram accedamus, explicare breuiter, quid ſit prædeſtinatio. Eam ita definit

Prædeſtinatio l. de bono perſeuer. c. 14. S. Auguſtinus: *Eſt præſcientia, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſsimè liberantur, quicunque liberantur.* Sed poſſet paulò pleniùs ex doctrina eiuſdem Auguſtini ita definiri: *Prædeſtinatio eſt prouidentia Dei, qua certi homines ex maſſa perditionis miſericorditer electi per infallibilia media in vitam diriguntur æternam.*

Dicitur

Dicitur, *prouidentia*, quoniam prædeſtinatio eſt ſpecies prouidentiæ; & rectiſsimè ponitur genus initio bonæ definitionis. Dicitur, *Dei*, quoniam prædeſtinare ad vitam æternam non poteſt eſſe actio, niſi Dei, qui ſolus vitam communicare poteſt æternam. *Gratiam enim, & gloriam dabit Dominus.* Di- *Pſal. 83.*
citur, *certi homines*, quoniam prouidentia ad res omnes: prædeſtinatio, de qua nunc agimus, ad ſolos homines pertinet. Nam etſi Angeli dicantur quoque à S. Auguſtino prædeſtinati, tamen alia ratio eſt prædeſtinationis Angelorũ, alia hominum. Addidimus autem, *certi*, quoniam non omnes homines prędeſtinantur ad vitam, ſed ſolùm aliqui: & ii non confuſè, ſed diſtinctè; tales, & tales, Petrus, Andreas, Iacobus &c. Dicitur, *ex maſſa perditionis*, quoniam prædeſtinatio ex ſententia S. Auguſtini, & Script. non præceſsit, ſed ſecuta eſt præuiſionem peccati originalis, ob quod vniuerſum genus humanum factum eſt quaſi quædam maſſa damnata. Vnde eſt illud: *An non habet poteſtatem* *Rom. 9.*
figulus ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? Dicitur, *miſericorditer ſelecti*, quoniam, vt in propoſitione aſſeruimus, nihil inuenit Deus in ijs, quos elegit ad gloriam, niſi meritum mortis, & propterea miſericorditer eos liberat, non reddens eis debitam pœnam, ſed donans indebitam gratiam. Dicitur, *per infallibilia media*, quoniam prædeſtinatio certiſsima eſt. Nemo enim rapere poteſt electas oues de manu paſtoris omnipotentis. Di- *Ioan. 10.*
citur, *in vitam diriguntur æternam*, quia in hoc propriè ratio prædeſtinationis conſiſtit, vt ſit directio, & quaſi tranſmiſsio rei prædeſtinatæ per certa media ad ſuum finem. Ex hac definitione perſpicua erit definitio S. Auguſtini. Significat enim Auguſtinus nihil aliud eſſe prædeſtinare, niſi præſcire, quibus medijs infallibiliter certi homines ſaluari poſsint, & velle efficaciter ea media præparare. Ex quo rurſus intelligi poterit prædeſtinationem partim ad intellectum pertinere, partim ad voluntatem. Nam præſcire, diſponere, dirigere, opera ſunt intelligentiæ: ſeligere, velle, miſereri, voluntatis. Quod etiam in diuinis litteris obſeruare licet. Nam ad intelligentiam pertinet illud:
Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit. Et illud: *Firmum fundamentum Dei* *Rom. 11.*
ſtat, nouit Dominus, qui ſunt eius. Ad voluntatem verò illud: *Vt ſecundum electio-* *2 Tim. 2.* *Rom. 9.*
nem propoſitum Dei maneret. Et illud: *Complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.* *Luc. 12.*

Diſputant quidem Theologi; vtrum prædeſtinatio magis ad intelligen- *Dubitatio.*
tiam, quàm ad voluntatem pertineat? Sed nobis placet ſententia S. Thomæ, *p. 1. q. 23. a. 1.*
& Caietani, qui docent prædeſtinationem eſſe potiùs intelligẽtiæ, quàm vo- *P. eſſ.*
luntatis. Idem ſignificant ipſa nomina, tum Græca, tum Latina: nam προορίζειν, qua voce vtitur Apoſtolus frequentiſsimè, quid eſt, niſi prædefinire, ac prædecernere? Sicut etiam Latina vox, *prædeſtinare*, idem ſignificare videtur, quod præmittere, ſeu præordinare. Itaque ſecundum modum noſtrum intelligendi iſte videtur fuiſſe ordo prædeſtinationis in mente diuina. Primum præuidit Deus, ſi hominem conderet, eum lapſurum cum omni poſteritate, & ſimul vidit poſſe ſe varijs modis liberare, vel omnes, vel aliquos pro arbitratu ſuo. Deinde, voluit hominem condere, ac, vt laberetur, permittere, & quoſdam ex numero lapſorum miſericorditer liberare, alijs in maſſa perditionis iuſtè relictis. Tertiò, excogitauit remedia ſaluandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio, & paſsio Saluatoris. Quartò, ap-

probauit.

probauit ea remedia, & tunc elegit Chriſtum, & nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Quintò, diſpoſuit, ordinauit, & quodammodo imperauit, vt ita fieret. Ex quibus actibus primus fuit intelligentiæ, ſecūdus voluntatis, tertius intelligētiæ, quartus voluntatis, quintus intelligētiæ. Itaque primus, medius, & vltimus ad intelligentiam pertinent, & in vltimo potiſsimum prædeſtinationis ratio, eſſentiaque conſiſtit.

Prob. 1. Propoſ. 8. Tandem prob. octaua propoſitio, Primum ex Script. Docent enim Scripturæ quoſdam electos eſſe ex omni genere humano, eoſque electos eſſe ad regnum cœlorum; & electos efficaciter, vt infallibiliter ad regnum perueniant; denique electos omninò gratis, & ante omnem operum præuiſionem. Eſſe
Matth. 20. aliquos electos docent Scripturæ: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Et: *Congre-*
& 22. *gabunt electos eius à quatuor ventis:* Et: *Quis accuſabit aduerſus electos Dei?* Et: *Elegit*
Matth. 24. *nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Eſſe electos ad regnum, docet Dominus: *No-*
Rom. 8. *lite timere, puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Item Apoſto-
Epheſ. 1. lus: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Eſſe infallibiliter ſaluan-
Luca 12. dos, docet idem Dominus: *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Et: *Dabunt ſigna, &*
Rom. 11. *prodigia, vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt etiam electi.* Et: *Hæc eſt voluntas Patris,*
Matt. 24. *vt omne, quod dedit mihi, non perdam, ſed reſuſcitem in nouiſsimo die*: id eſt, vt nullum
Ioan. 6. perdam, ſed omnes reſuſcitem. Et: *Nemo rapiet eas de manu mea.* Et iterum: *Ne-*
Ioan. 10. *mo poteſt rapere de manu Patris mei: Ego & Pater vnum ſumus.* Et Apoſtolus: *Sine pœ-*
Rom. 11. *nitentia ſunt dona, & vocatio Dei.* Et: *Quos prædeſtinauit, hos vocauit,* nimirum ſecun-
Rom. 9. dum propoſitum: *& quos vocauit,* videlicet ſecundum propoſitum, *Hos iuſtificauit: & quos iuſtificauit,* item ſecundum propoſitum, *hos magnificauit.* Eſſe electos ex mera Dei gratia, & miſericordia, docet inprimis Dominus: *Complacuit Pa-*
Luca 12. *tri veſtro dare vobis regnum.* Certè vox illa, *Complacuit,* indicat puram Dei benig-
Ioan. 15. nitatem. Sed manifeſtius ibi: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos; & poſui vos, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus veſter maneat.* Non igitur elegit Deus homines, quia videt ſe eligendum ab eis, ipſoſque boni operis fructum allaturos, & in bono opere perſeueraturos; ſed elegit, vt faciat benè operantes, & in bono
Rom. 11. opere perſeuerantes. Et adhuc manifeſtius Apoſtolus: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal: ſic ergò in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Non dicit, relicti ſunt, aut, remanſerunt: ſed, *ego reliqui mihi*; & ideò reliquias dicit ſaluari ſecundum electionem gratiæ, id
Epheſ. 1. eſt, non debitam, ſed gratuitam. Et clarius: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati.* Et: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorū ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* Non ait, elegit nos, quia ſanctos vidit futuros; ſed, *vt eſſemus ſancti:* neque ait, elegit nos propter bonum vſum liberi arbitrij, aut gratiæ: ſed, *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* & hoc, *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ,* vt laudaretur, & glorificaretur gratia ipſius.
Ibid. Addit etiam: *In quo nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius:* vbi oſtendit vocationem electorum reſpectu ipſorum hominum dici poſſe fortuitam, quoniam ipſi nihil agebant, vt vocarentur, ac ne cogitabant quidē de vocatione: ſed reſpectu Dei non eſſe ſortem, ſed determinatam electionē, & propoſitum. Eſſe denique electos, non ſolum gratis, ſed etiam abſq; vlla præ-
Rom. 9. uiſione operum, docet idem Apoſtolus: *Cùm nondum nati eſſent, aut aliquid boni*

vel

vel mali egiſſent, vt ſecundum electionē propoſitū Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptū eſt; Iacob dilexi, Eſau autē odio habui. Vbi propoſitum erat Apoſtolo demonſtrare adoptionē filiorum Dei nō pendere ex carnali generatione Abrahā, vt Iudæi exiſtimabant; neque ex operibus noſtris, aut parentū noſtrorum; ſed ex mero Dei beneplacito. Itaque, vt hoc demonſtraret, attulit figuram Iacob, & Eſau, quorū priorē Deus dilexit, poſteriorē odio habuit, cùm eſſent inter ſe omnino pares: nam pares fuiſſe demonſtrat, quia orti ex ijſdē parentibus, & eodem concubitu generati, & partu editi ne fortè diceretur vni profuiſſe merita parentum, alteri non profuiſſe. Et non ſolū pares fuiſſe dicit, quantū ad parentes, ſed etiam quantū ad ſe, quoniā nihil boni, aut mali egerant, neque agere potuerant, quando dictū eſt eis: *Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Cùm igitur inter ſe pares eſſent, tantam illam diſcretionē non ex operibus eorum, aut parentum, profectā eſſe concludit Apoſtolus, ſed ex voluntate Dei, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, id eſt, vt decretum Dei perficeretur, quo vnum elegerat, alterū reprobauerat. Quoniā autem hoc aliquo modo videri poſſet iniuſtū, obijcit ſibi ipſe B. Paulus: *Quid ergò dicemus? Nunquid iniquitas eſt apud Deum?* & reſpondet: *Abſit: Moyſi enim dicit: Miſerebor, cuius miſereor, & miſericordiā præſtabo, cuius miſerebor. Et, ô homo, tu, quis es, qui reſpondeas Deo? An non habet poteſtatem figulus luti facere aliud vas in honorem, aliud in cōtumeliam?* At, ſi ex operibus præuiſis Deus vnū diligeret, alterū odio haberet, promptum fuiſſet B. Paulo hoc dicere, & omnē ſuſpicionē iniuſtitiæ Dei vno verbo de medio tollere. Cū autem hoc nō fecerit, ſed omnia reuocauerit ad voluntatem Dei, qui miſeretur, cuius voluerit, & cuius non voluerit, non miſeretur; certū eſſe debet ex Apoſtoli ſentētia, prædeſtinationē, & electionē, ſiue diſcretionem ex maſſa perditionis non pendere ex vlla præuiſione operū noſtrorum, ſed ex mero beneplacito Dei. Item, poſteaquā Apoſtolus dixerat: *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt*; addit continuo: *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iā non eſt gratia.* Et: *Collabora Euangelio ſecundū virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, non ſecundū opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiā, quæ data eſt nobis in Chriſto ante tēpora ſecularia.* Ibid. Rom. 11. 2. Tim. 1.

Prob. etiam octaua propoſitio ex traditione Eccleſiaſtica.

Tertiò prob. ratione. Prima ratio: Sine fide nemo ſaluari poteſt: *Qui enim nō crediderit, condemnabitur.* Fides autē donū Dei eſt, quod non omnibus datur, ſed ijs tātum, quibus eā Deus donare voluerit. *Vobis enim*, inquit Apoſtolus, *donatū eſt pro Chriſto, nō ſolū vt in illum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Igitur ſoli illi ſaluantur, quos Deus gratis ſaluari decreuerit. Præſciuit vero Deus ante mūdi conſtitutionē, quibus ſalutē gratis daturus eſſet, & hoc ipſū ab ipſa æternitate decreuit, & præordinauit, cū Dei ſciētia, & propoſitū æterna, & immutabilia ſint. Igitur vera eſt ſentētia de gratuita præſciētia, & prædeſtinatione diuina. Prob 2. & 3. 1. Ratio. Mar. vlt. Philip. 1.

Secunda ratio ducitur a dono perſeuerantiæ. Sine perſeuerantia nemo poteſt ſaluari: *Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et: *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* At perſeuerantia donū eſt Dei, quod non datur ex meritis, ſed ex gratia: & quāuis omnes iuſti perſeuerare poſſint, ſi velint, tamen ſoli illi perſeuerant, qui habent hoc donū perſeuerandi vſque ad finem, ac per hoc ſalus, & prædeſtinatio ad ſalutē ex voluntate Dei ſimpliciter pendet. 2. Ratio. Matth. 10. Apoc. 3.

Prob. aſſumptio: Primùm enim Dominus, cùm dixiſſet: *Si hæc ſcitis, beati*
Ioan. 13. *eritis, ſi feceritis ea*; ſubiungit: *Non de omnibus vobis dico; ego ſcio, quos elegerim.* Vbi
ſatis indicauit non omnibus dari, vt perſeueranter faciant, ſed ſolùm electis.
Et alibi loquens de illis, quos elegerat: *Ego poſui vos*, inquit, *vt eatis, & fructum*
Ioan. 15. *afferatis, & fructus veſter maneat.* Quod eſt idem, ac ſi dixiſſet: Ego dabo vobis
benè operari, & perſeuerare in bono opere vſque in finem. Et Apoſtolus: *Non*
Rom. 9. *volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Vbi ponit homines velle, & currere,
id eſt, credere, & operari, ac per hoc habuiſſe gratiam credendi, & operandi:
& tamen quia videbat non peruenturos ad brauium niſi eos, qui ex peculiari
miſericordia haberent perſeuerantiam, ideò dixit: *Sed miſerentis eſt Dei.* Item:
Philip. 2. *Cum metu*, inquit, *& tremore ſalutem veſtram operamini. Deus eſt, qui operatur in*
vobis velle, & perficere pro bona voluntate. Quæ eſt iſta conſecutio: *Cum metu ope-*
ramini, quia Deus eſt, qui operatur? Nimirum Apoſtolus monet, quamuis bene
operamur, non tamen certò nobis perſeuerãtiam promittamus, ſed cum me-
tu, & tremore Deo ſubiecti ſimus, à cuius manu pendet perſeuerãtia noſtra.
Ipſe eſt enim, qui ijs, qui perſeuerant, operatur velle, & perficere pro bona
1. Ioan. 2. voluntate. Et S. Ioannes: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, ſed non erant ex nobis: nam*
ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.

Vt multa alia teſtimonia diuina prætercam, prob. etiam aſſumptio duabus
ſolidiſsimis rationibus. Prima ſumitur ab orationibus, quas iubemur aſsi-
duè fundere pro dono perſeuerantiæ: nam ſi perſeuerantiæ donũ nihil aliud
eſſet, niſi auxilium, quo perſeuerare poſsimus, non eſſet opus tanta precum
aſsiduitate: id enim donum ſemper habent, qui iuſti ſunt. Non enim deſerit
Deus, niſi priùs ab homine deſeratur. Sic etiam donum perſeuerantiæ ſemel
impetratum amitti non poſſet; hoc eſt, ſi ante mortem reuera obtineretur,
non eſſet opus vſque ad mortem donum illud à Domino petere. Iubemur
autem quotidie, quantumuis proficiamus, ſemper dicere: *Sanctificetur nomen*
tuum: *Fiat voluntas tua*: *Ne nos inducas in tentationem*: *Libera nos à malo.* Quibus
omnibus verbis, quid aliud, niſi perſeuerantiam, petimus?

Altera ratio ſumitur à termino, & periodo vitæ humanę, quę non ab alio,
Iob. 14. quàm ab ipſo hominum conditore ſtatuitur: *Ipſe enim conſtituit terminos, qui*
1. Reg. 2. *præteriri non poſſunt.* Et: *Ipſe mortificat, & viuificat.* Cùm igitur in manu Dei ſit,
iuſtum rapere, antequam malitia illum deprauet, & peccatorem expectare,
donec ad ſanitatem redeat; & contra, iuſtum in vita relinquere, donec iterũ
labatur, & pereat, & peccatorem, antequam conuertatur, de medio tollere,
quis non videt perſeuerantiam donum eſſe Dei?

3. Ratio. Tertia ratio ad prob. propoſitionem octauam ducitur à paruulorum di-
uerſitate, quorum aliqui rapiuntur ſtatim à Baptiſmo, alij pauló antè Bap-
tiſmum, quorum priores ad gloriam prædeſtinatorum, poſteriores ad pœnã
reproborum pertinere non eſt dubium: nec poſſunt hic vlla merita præuiſa,
vlluſque bonus vſus liberi arbitrij, aut gratiæ fingi.

4. Ratio. Quarta ratio ſumitur ab exemplo Chriſti, qui caput eſt, & princeps om-
nium electorum. *Chriſtus enim prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute*, vt Apoſtolus
Rom. 1. loquitur: & prædeſtinatus eſt omninò gratis, non propter opera aliqua prę-
uiſa; non enim aliqua opera facere potuit homo Chriſtus, vt filius Dei fieret,

cùm

cùm ex illo cœperit eſſe filius Dei, ex quo cœpit eſſe homo. Nam filium Dei vnicum fœmina illa gratia plena concepit, non hominem aliquem, qui poſtea accedentibus meritis ad perſonam filij Dei aſſumeretur. Vt igitur Chriſtus ipſe gratis omninò prædeſtinatus eſt, ita membra Chriſti gratis prædeſtinata ſunt: prædeſtinamur enim nos, *vt conformes efficiamur imagini filij Dei*, vt ait Apoſtolus. *Rom. 8.* Itaque ſicut ille homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei naturalis, nullis præcedentibus meritis; ita nos etiam prædeſtinamur, vt ſimus filij Dei per adoptionem, nullis præcedentibus meritis.

Quinta ratio ſumitur à fine prædeſtinationis. Prædeſtinatio pro fine habet *oſtenſionem diuitiarum gratiæ Dei in vaſa miſericordiæ, & laudem gloriæ gratiæ ſuæ*, vt Apoſtolus teſtatur. At, ſi prædeſtinaret homines Deus propter bonum vſum liberi arbitrij, gratięve præuiſum, non oſtenderet diuitias gratiæ, ſed iuſtitiæ, aut æquitatis. *5. Ratio. Rom. 9 & 11. Epheſ. 1.*

Sexta ratio: Diſcretionem electorum à reprobis Scripturæ referunt inter arcana, & Sacramenta altiſsima, & inſcrutabilia: *O altitudo diuitiarum ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod enim tãtopere miratur Apoſtolus eo loco, eſt, *quòd Deus omnia concluſerit in incredulitatem, vt omnium miſereatur*; id eſt, permiſerit omnes fieri incredulos, priùs gentiles, poſtea Iudæos, *vt omnium miſereatur*, id eſt, Gentium, & Iudæorum, & inde factum ſit, vt aliquando ex Gentilibus pauciſsimi, ac ferè nulli ſaluarentur, nunc plurimi ſaluentur: & contrà, ex Iudæis multi ſaluarentur aliquando, nunc pauciſsimi ſaluentur; & rurſus in fine ſæculi multi ſaluandi ſint. *6 Ratio. Rom. 11.*

Septima ratio eſt: Si Deus prędeſtinaret propter bonum vſum liberi arbitrij, gratiæue pręuiſum, certè in huius prędeſtinationis executionem prædicatores ad omnes eos dirigeret, quos præuidet bene vſuros Euangelio, atque apud eos omnes ſigna fieri vellet, quas ex ijs ſignis conuertendos, ſaluandoſque prænoſcit. At Deus ad Ezechielem: *Si ad populum ignotæ linguæ mitterem te, audirent te. domus autem Iſrael nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Et Dominus, *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, olim in cinere in cilicio pœnitentiam egiſſent.* Quid hic, obſecro, reſponderi poteſt? Si prædeſtinat Deus ex pręuiſio bono vſu liberi arbitrij, vel gratiæ, cur non prędeſtinat populos illos ignotæ linguæ, & Tyrios, & Sidonios? *7. Ratio. Ezech. 3. Matth. 11.*

Propoſitio nona: *Reprobatio duos actus comprehendit: alterum negatiuum, cuius nulla eſt cauſſa ex parte hominum; alterum poſitiuum, cuius cauſſa eſt peccati originalis, vel actualis præuiſio.* Reprobi enim opponuntur electis contradictoriè, & contrariè. Primùm enim non habet Deus voluntatem illos ſaluandi: deinde habet voluntatem eos damnandi. Et quidem quòd attinet ad priorem actum, nulla datur eius cauſſa ex parte hominum, ſicut neque prędeſtinationis. Poſterioris autem datur cauſſa, præuiſio peccati. *Propoſ. 9.*

Non dari cauſſam ex parte hominum reprobationis negatiuæ, prob. primò ex Apoſtolo: *Antequam aliquid boni, vel mali egiſſent, non ex operibus, ſed ex vocatione dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori.* Et: *Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Illud enim: *Antequam aliquid boni, vel mali egiſſent*, referri debet non ſolùm ad bona, & mala *Prior pars prob. 1. Rom. 9.*

coram hominibus;ſed etiam ad bona, & mala in præſcientia Dei, quoniam alioqui daretur cauſſa prædeſtinationis ex parte hominum.

Prob. 2. Deinde,prob. ratione: Nam hoc ipſo,quod aliquis non prædeſtinatur,intelligitur reprobatus negatiua reprobatione. At prædeſtinatio facta eſt ante præuiſionem operum, neque habet vllo modo cauſſam ex parte hominum: igitur etiam reprobatio negatiua facta eſt ante præuiſionem operum, neque ex parte hominum vllam cauſſam habet.

Poſterior pars prob. 1. Reprobationis autem poſitiuæ, id eſt, alterius illius actus,quo Deus vult reprobos æternis ſupplicijs addicere,cauſſam eſſe peccata hominum,non autem ſolam Dei voluntatem, prob. primò ex Scripturis, quæ paſsim docent pœnam ęternam iuſto Dei iudicio peccatis hominum reddi. *Ite maledicti in ignē æternum: eſuriui enim,& non dediſtis mihi manducare,&c.* Et: *Ira, & indignatio in omnem animam operantis malum.* Quamuis enim eadem Script. doceat, vitam ęternam iuſto Dei iudicio reddi bonis hominum meritis,tamen potuit Deus prędeſtinare ad vitam æternam ſine pręuiſione operum, quia potuit auctor eſſe prædeſtinatis,vt bona opera facerent, non autem potuit ſine pręuiſione operum damnare ad gehennam,quæ eſt pœna peccati ſecundum Script. quia non potuit auctor eſſe reprobis, vt mala opera facerent.

Matt. 25. Rom. 2.

Prob. 2. Deinde prob. ratione: nam condemnare aliquem ſine cauſſa eſt punire ſine culpa,quod iniuſtum eſſe,& Deo,qui iuſtiſsimus eſt conuenire non poſſe,extra controuerſiam eſt. Adiecimus in propoſitione cauſſam reprobationis eſſe præuiſionem originalis peccati, vel actualis, quia non omnes Deus reprobat poſitiuè propter originale peccatum, cùm illud verè nonnullis reprobis per Baptiſmi gratiam remittatur; ſed alios propter originale peccatum tantum, vt paruulos non baptizatos; alios propter actuale tantùm, vt baptizatos adultos; alios propter vtrumque, vt infideles adultos.

Propoſ. 10. Propoſitio decima: *Quamuis Angeli quoque ſancti gratis prædeſtinati ſint ad vitam; Angeli verò mali, partim ex ſola Dei voluntate, partim ob præuiſa peccata reprobati; tamen diuitiæ, gratiæ, & iuſtitiæ Dei magis oſtenduntur in electione, & reprobatione hominum, quàm Angelorum.*

Prob prior pars. 1. Tim. 5. Eſſe Angelos electos,& prędeſtinatos, docet Apoſtolus: *Teſtor coram Deo,& Chriſto Ieſu,& electis Angelis, vt cuſtodias hæc,* &c. Eſſe autem gratis electos, & prædeſtinatos,poteſt hac ratione probari. Antequam Deus Angelos abſolutè creare, vel prædeſtinare vellet, ſine dubio cognouit eos bene vſuros libero arbitrio, & gratia,& tandem ſaluandos, ſi eam gratiam illis præberet, quam reipſa præbuit. Hęc enim cognitio neceſſaria eſt in Deo, ac per hoc prior eſt, quàm abſoluta voluntas creandi, vel prædeſtinandi Angelos, quę non eſt neceſſaria, ſed libera: neceſſaria enim priora ſunt liberis ſecundum modum noſtrum intelligendi. Igitur, cùm Deus voluit Angelos creare, & eam gratiam illis præbere, quam prębuit, ſine dubio voluit etiam illos infallibiliter ſaluare. Nam, ſi id non voluiſſet, eam gratiam non dediſſet, per quam eos infallibiliter ſaluandos eſſe præuiderat. Prius autem eſt, velle Angelis gratiam præbere, quàm videre opera ex illa gratia procedentia, cùm cauſſa ſit prior effectu. Igitur prius voluit Deus abſolutè Angelos ſaluare, quàm eorum opera futura præuiderit. Eadem ratione probari poteſt, reprobationem Angelorum negatiuam

tiuam non pendere ex præuiſione peccati, Nam præuidit Deus Angelos, qui perierunt, infallibiliter perituros, ſi eam ſolam gratiam illis daret, quam reipſa illis dedit. Ergò, cùm eam ſolam gratiam illis dare voluit, ſimul voluit eos non prædeſtinare ad gloriam, ſed permittere, vt exciderent à ſalute: nam, ſi eos Deus abſolutè ſaluare voluiſſet, non defuiſſet eius ſapientiæ ratio, qua id faceret. Nulla igitur cauſſa reddi pòteſt, cur Deus Angelis alijs dare voluerit gratiam, per quam videbat infallibiliter ſaluandos; alijs verò, per quam videbat infallibiliter non ſaluandos; niſi quia voluit illos ſaluare, iſtos non voluit ſaluare. Cur autem Angelos malos voluerit poſitiuè damnare, ſine dubio cauſſa fuit peccatum eorum præuiſum. Non enim iuſtè pœna damnationis infligitur, niſi vbi culpa præceſſerit.

Iam verò maiores diuitias cum gratiæ, tum Iuſtitiæ, Deum oſtendiſſe in electione, & reprobatione hominum, quàm Angelorum, facilè demonſtrari poteſt. *Poſterior pars probl.* Nam, quod attinet ad gratiam, Deus prædeſtinauit homines quoſdam ad gloriam, qui non ſolum gloria indigni, ſed etiam pœna dignißimi erant; cùm eſſent natura filij iræ, ſicut & ceteri. Angeli vero neque pœna digni, neque gloria indigni; ſed ſolum non digni, antequam prædeſtinarentur, erant. Deinde; homines, qui natura ſua Angelis inferiores, prædeſtinauit Deus ad æqualem gloriam cum Angelis: *Matth. 22.* æquales enim nos Angelis futuros veritas ipſa promiſit. Immò verò naturam noſtram ratione incarnationis Chriſti ad gloriam longè excellentiorem prædeſtinatam eſſe ſcimus, quàm Angelorum: ſiquidem in illa ſuprema Ieruſalem caput omnium hominum, & Angelorum, non aliquis Angelus erit, ſed Chriſtus Ieſus, Deus & homo. Itaque Deus, vt oſtenderet immenſas diuitias gratiæ ſuæ, naturam humanam ex profundiore abyſſo miſeriæ eduxit, & ad altius faſtigium gloriȩ perduxit, quàm Angelorũ. Denique; Electis Angelis Deus non aliam gratiam dedit, quàm habitualem, qua fieret, vt poſſent perſeuerare, ſi vellent: non autem dedit gratiam illam excitantem, qua fieret, vt vellent; ſed, vt vellent, in eorum reliquit arbitrio. Hominibus autem electis Deus non ſolum habitualem gratiam donat, qua poſſunt benè operari, & perſeuerare, ſi velint; ſed etiam ita illos excitat, eiſq; in corde perſuadet intus efficaci vocatione, vt faciat illos etiam velle. Quod vero attinet ad iuſtitiam, longè maior iuſtitiæ rigor apparet in reprobatione hominum, quàm Angelorum, tum quia maximam partem hominum, minimã Angelorum reprobauit; tum etiam, quoniam Angelorum nullum Deus pœnæ ſempiternæ addicit, niſi propter culpam propria voluntate commiſſam: hominum autem plurimos damnat propter ſolum originale peccatum, quod aliena voluntate commiſſum fuiſſe, non dubium eſt. Quare non ſolùm cum Angelis, ſed etiam præ Angelis miſericordiam, & iudicium Deo noſtro cantare poſſumus, & debemus.

CAPVT VI.

De nomine, & definitione, ſeu natura liberi arbitrij.

1. liberi arbitrij acceptio. NOmen *liberi arbitrij* tribus modis ab auctoribus explicatur. Aliqui exiſtimant nomen liberi arbitrij ſignificare cōiunctionem duorum actuū, id eſt, iudicij rationis, & electionis voluntatis; & ratione iudicij nominari arbitrium, ratione electionis appellari liberum. Itaque volunt liberum arbitrium nihil aliud eſſe, niſi iudicium cum electione, ſiue electionem cum iudicio.

2. acceptio. Alij volunt nomen liberi arbitrij dici propriè de actu rationis, id eſt, in iudicio. Arbitrari enim idem eſt, quod iudicare. Cur autem iudicium rationis dicatur liberum, duæ cauſſæ reddi ſolent. Prior eſt, quia liberè iudicat de actu ſuæ voluntatis. Poſterior eſt, tum quia eſt indifferens ad multa; tum quia in rebus dubijs, ac præſertim in particulari, iudicamus, vt volumus.

3. acceptio. Alij denique, quorum videtur eſſe optima, veriſsimaque ſententia, per liberum arbitrium ſolius voluntatis actum ſignificari docent. Nam is ſolus verè, & propriè liber eſt. Atque hæc eſt ſententia S. Thomæ, & SS. Patrum, qui paſsim ad nomen arbitrij addunt voluntatis nomen, ac dicunt liberum voluntatis arbitrium. Neque mirum videri debet nomen arbitrij commodari voluntati, cùm propriè ad intellectum pertineat. Nam electio voluntatis eſt quaſi ſententia quædam, & iudicium vltimum ipſius voluntatis. Vnde etiam vulgò dicimus: In meo arbitrio eſt hoc facere, id eſt, in mea electione, & poteſtate. Dicitur autem arbitrium potiùs, quàm iudicium: quoniam hoc intereſt inter iudices & arbitros, quòd arbitri multo ſint liberiores, quàm iudices. Siquidem iudices tenentur ſequi leges, &, ſi non iudicant ſecundum leges, ab eis appellari poteſt. Arbitri verò ſoluti ſunt, & liberi, & ſententiam ferunt, prout volunt, neque vlla datur appellatio.

Etſi autem variæ ſunt liberi arbitrij definitiones, plenior tamen ex doctrina S. Thomæ collecta eſt hæc: *Liberum arbitrium eſt libera poteſtas ex his, quæ ad finem aliquem conducunt, vnum præ alio eligendi, aut vnum, & idem acceptandi, vel pro arbitrio reſpuendi, intelligenti naturæ ad magnam Dei gloriam attributa.* (Liberum arbitrium.)

In qua definitione duæ illæ voces primæ, *libera poteſtas*, explicauit formam ipſam, & rationem liberi arbitrij. Eſt enim liberum arbitrium potentia quędā, non habitus, vel actus, & potentia non qualiſcunque, ſed indeterminata, & libera, qualis ſola eſt voluntas. Itaque nomen illud, *potentia*, ſeu *poteſtas* in definitione indicat genus: illud *libera*, differentiam. Quia verò potentia omnis eſt accidens, & omne accidens pendet à ſubiecto, in quo eſt, & rurſus omnis potentia habitudinem habet ad actum, & obiectum, ideò in definitione plena, & perfecta explicandum fuit ſubiectum, actus, & obiectum.

Et

Et quidem ſubiectum liberi arbitrij ſignificatum eſt in illis verbis: *Intelligenti naturæ*. Omnes enim, & ſolę illę naturæ, quę intelligentia prędirę ſunt, liberum habent voluntatis arbitrium, Deus videlicet, Angeli, & homines. Obiectum liberi arbitrij indicatur illis verbis: *Ex his, quæ ad finem aliquem conducũt*. Siquidem liberum arbitrium non verſatur circa finem, ſed circa media. Electio enim, eſt proprius actus liberi arbitrij, eſt quaſi concluſio conſultationis. Conſultatio autem omnis de medijs eſt ad finem, non de ipſo fine. Itaque hoc intereſt inter voluntatem, & liberum arbitrium; quòd eadem appetendi potentia rationalis, vt reſpicit finem, dicitur voluntas; vt reſpicit media, dicitur liberum arbitrium. Sicut etiam eadem potentia intelligendi, vt reſpicit prima principia, dicitur intellectus; vt reſpicit concluſionem, quę per diſcurſum ex principijs colligitur, dicitur ratio. Actus liberi arbitrij continetur in illis verbis: *Vnum præ alio eligendi, aut vnum, & idem acceptandi, vel etiam pro arbitrio reſpuendi*. Actus enim liberi arbitrij proprius eſt electio. Sed ea duobus modis fieri poteſt: Aut ſeligendo vnum ex duobus, aut pluribus propoſitis; quę dici ſolet libertas contrarietatis, aut ſpecificationis: vel vno tantùm propoſito illud acceptando, vel reijciendo, quę dicitur libertas contradictionis, ſiue exercitij. Adiecimus etiam finem, cuius gratia liberum arbitrium naturę intelligenti attributum eſt, ſcilicet. *Ad magnam Dei gloriam*.

De illa parte, *libera*, queritur; *Quænam libertas ſit, à qua dicitur arbitrium liberum?* Triplex enim libertas diſtinguitur. Prima dicitur libertas naturæ, ſecũda libertas gratię, tertia libertas glorię. De prima Apoſtolus: *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis*. De ſecunda. *Liberati à peccato ſerui facti eſtis iuſtitiæ*. De tertia: *Tunc & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*. Ceterùm ſatis conſtat inter auctores libertatem, à qua dicitur liberum arbitrium, non eſſe, niſi primam. Neque enim carent libero arbitrio homines impij, quamuis ſerui ſint peccati, & corruptionis, ac per hoc careant ſecunda, & tertia libertate. Sed rurſus libertas naturę in duas ſpecies diuidi poteſt. Eſt enim libertas, quę opponitur ſimplici coactioni; & eſt libertas, cui non ſola coactio, ſed etiam neceſsitas repugnat. Dicuntur illa libera eſſe à ſimplici coactione, quę, tametſi neceſſariò fiant, nec poſsint non fieri, tamen ſponte, voluntariè, & libenter fiunt: vt cùm ita volumus eſſe felices, vt infelices nullo modo eſſe poſsimus. Illa vero dicuntur eſſe libera à neceſsitate, quæ pro arbitrio poſſumus velle, & nolle, ſiue etiam velle, & non velle; vt cùm ambulamus, & loquimur, quando ſedere, & tacere potuiſſemus. *Quæſtio.* *Triplex libertas.* *1. Cor. 7.* *Rom. 6.* *Rom. 8.* *Reſp.* *Naturalis duplex.*

Quęritur igitur: *An ad liberum arbitrium conſtituendum requiratur libertas à neceſsitate; an verò ſufficiat ea, quæ eſt à coactione.* *Quæſt.*

Communis ſententia eſt requiri libertatem à neceſsitate, neque ſufficere à coactione. *Reſp.*

Id prob. primo ex diuinis litteris: *Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui, adiecit mandata, & præcepta. Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Neque verò aliquid intereſt, vtrũ hæc verba conueniant homini pro eo tempore, quo erat in paradiſo ante pec- *Prob. 1.* *Eccli. 15.*

catum;

catum; an verò pro eo tempore, quo iam in peccata deciderat. Non enim diſputamus nunc de libero arbitrio hominis lapſi, ſed in genere. Apertiſsimè autem per Eccleſiaſticum Spiritus ſanctus docet, quid ſit in manu conſilij ſui, id eſt, liberi arbitrij, cùm dicit hominem poſſe, ſi velit, ſeruare legem, & non ſeruare, ſi non velit. Et rurſus, ex duobus contrarijs poſſe alterum eligere, ignem, vel aquam; bonum, vel malúm; vitam, vel mortem. Atque ita eſſe in homine libertatem, tum volendi, & non volendi, quæ eſt libertas contradictionis; tum ex duobus contrarijs vnum eligendi, alterũ recuſandi, quæ eſt libertas contrarietatis.

Prob. 2. Idem prob. ex definitione Eccleſiæ, & Patribus.

[illegible]3. Prob. etiam ratione. Primò; Si ad liberum arbitrium conſtituendum ſufficeret libertas à coactione, ſequeretur etiam in pecoribus eſſe liberũ arbitriũ. Nam & illa ſine coactione vlla, ſponte ſua feruntur ad pabulum. Secundò; ſequeretur in pueris, furioſis, ſomniantibus eſſe vſum liberi arbitrij. Iſti enim omnes ſponte agunt. Tertiò, ſequeretur Deum per liberum arbitrium, & ex electione genuiſſe filium, quoniam non coactus genuit. Atqui id per abſurdũ eſſe ſancti Patres paſsim docent. Quartò, nulla fuiſſet vnquam quæſtio de libero arbitrio, neque Ariſtoteles reprehendi potuiſſet, quòd ſcripſerit, Deum ex neceſsitate agere; neque vlla cum hęreticis controuerſia remaneret. Nam neque Ariſtoteles, neque Manichęi, neque Lutherani, aut vlli alij negant vnquam, vel Deum, vel homines liberos eſſe à coactione. Denique; Pugnantia videtur dicere, qui affirmat liberum arbitrium à coactione, non à neceſsitate ſolutum eſſe. Siquidem liberum arbitrium non eſt ſimplex voluntas, ſed voluntas, vt eſt principium electionis. Porrò volũtas ſimplex poteſt quidem intelligi cum libertate à ſola coactione: talis enim eſt voluntas beatitudinis, ſaltem quoad ſpecificationem. At poteſtas electiua non videtur intelligi poſſe cũ determinatione ad vnum, & ex neceſsitate. Electio enim eſt inter multa, & ideò electionem præcedit conſultatio. At, ſi neceſſe habeo vnum aliquid velle, aut facere, vbi eſt conſultatio? vbi electio?

Quæſtio. Reſp. p. 1. q. 83. art. 1. 2. 3. & alibi. De illa definitionis particula, *potentia*, quęritur: *An liberum arbitrium ſit potentia? & quæ potentia?* Sunt autem multæ de hac re Theologorum ſententiæ: ſed veriſsima nobis videtur ſententia S. Thomæ, & aliorum, qui docent liberum arbitrium eſſe quidem potentiam vnam, & particularem, ipſam videlicet voluntatem; ſed addunt radicem libertatis eſſe in ratione, & voluntaté pendere, ac determinari à iudicio vltimo practicæ rationis.

Propoſ. 1. Prob. Pro qua ſit propoſitio prima: *Liberum arbitrium non eſt actus.* Prob. Nam liberum arbitrium eſt aliquid à natura inſitum homini, quod nulla ratione tolli poteſt. Non igitur eſt actus; qui modò adeſt, modò abeſt, & nõ à natura ineſt, ſed à nobis producitur. Alioqui ſæpe homines etiam ſani, & vigilantes libero carerent arbitrio.

Propoſ. 2. Prob. Propoſitio ſecunda: *Liberum arbitrium non eſt habitus, ſed potentia.* Prob. Nam vel is habitus eſſet naturalis, vel acquiſitus. Non naturalis, quia, cùm habitus ſit inclinatio ad aliquid, naturaliter inclinati eſſemus ad vnum: atque ita periret libertas ad oppoſita. Non etiam acquiſitus, quia liberum arbitrium habemus à natura, proinde cum illo naſcimur.

Prope-

Propoſitio tertia: *Liberum arbitrium non eſt potentia vniuerſalis.* Prob. Nam *Propoſ. 3.* tametſi potentiæ cæteræ, præter voluntatem, ſint actuum liberorum capaces, *Prob.* tamen non ſunt actus earum liberi, vt ab ipſis procedunt, ſed vt procedunt à voluntate, à qua imperantur. Proinde non ſunt potentiæ illæ liberæ, nec liberi arbitrij nomen merentur. Illa enim ſola potentia rectè dicitur libera, quæ eſt domina ſui actus, quęque pro arbitrio poteſt illum producere, vel nõ producere. Adde, quòd, ſi liberum arbitrium eſſet potentia vniuerſalis, tot eſſent libera arbitria, quot ſunt potentiæ.

Propoſitio quarta: *Liberum arbitrium non eſt potentia quædam tertia, diſtincta à* *Propoſ. 4.* *ratione, & voluntate.* Prob. nam nullus eſt actus, qui tertiæ iſti poteſtati reſpon- *Prob.* deat. Quòd enim aliqui dicunt proprium actum huius potentiæ eſſe, mouere intelligentiam, & voluntatem; nihil facit ad rem: nam voluntas eſt, quæ ſe, & alias omnes potentias mouet.

Propoſitio quinta: *Libertas formaliter non eſt in ratione, ſed in ſola voluntate.* *Propoſ. 5.*

Prob. Nam ſacræ litteræ voluntati libertatem tribuunt: *Si volueris mandata* *Prob. 1.* *Eccli 15.* *ſeruare, conſeruabunt te: ante hominem vita, & mors, quidquid placuerit ei, dabitur illi.* *1. Cor. 7.* Et: *Non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis, &c.*

Sancti Patres etiam liberum voluntatis arbitrium nominant, vt oſtendãt *Prob. 2.* in voluntate libertatem eſſe: &, cùm de libero arbitrio loquuntur, voluntatẽ ipſam appellant.

Accedant rationes petitæ ab abſurdis. Nam, ſi formaliter eſſet in ratione li- *Prob. 3.* bertas, ſequeretur primò hominem peccare ante conſenſum voluntatis. Secundò, eundem bis peccare: cùm primò iudicat eſſe faciendum id, quod non licet, & deinde cùm ipſum eligit. Tertiò, ignorantiam planè inuoluntariam à peccato non excuſare. Nam ad peccandum non requiritur, niſi libertas: libera enim tranſgreſsio legis peccatum eſt. Quare, ſi ante conſenſum voluntatis libertas eſt in ratione, ante conſenſum voluntatis ratio peccare poterit, &, cũ poſtea accedit conſenſus, erit aliud peccatum, & ignorantia erit libera, quamuis ſit inuoluntaria.

Accedat deinde ratio etiam oſtenſiua, qua poteſt demonſtrari, rationẽ non *Prob. 4.* eſſe liberam vllo genere libertatis, id eſt, neque à coactione, neque à neceſsitate, neque quoad ſpecificationem, neque quoad exercitium.

Primum, non eſſe liberam rationem à coactione eo modo, quo voluntas eſt libera à coactione. prob. Nam voluntas libera dicitur à coactione, quia fieri non poteſt, vt voluntas aliquid velit contra inclinationem ſuam, vel totius ſuppoſiti; nam ipſa inclinatur ad omne bonum. proinde non poteſt aliquid velle contra ſuam inclinationem; & rurſus ipſa eſt inclinatio totius ſuppoſiti, ac per hoc non poteſt velle aliquid contra inclinationem totius ſuppoſiti. Itaque nullo modo poteſt cogi, quia non poteſt fieri, vt velit, quod non vult. At ratio inclinatur quidem ad omne verum intelligendum, tamen eius inclinatio non eſt inclinatio totius ſuppoſiti, ac per hoc cogi poteſt ad iudicandum, & credendum contra inclinationem, non quidem ſuam, ſed totius ſuppoſiti. Ita dæmones credunt vnum eſſe Deum coacti, & idcirco etiam *Iac. 2.* contremiſcunt. Et ſæpe, qui ægrotant, coguntur credere ſe breui morituros, quod omninò refugiunt, &, ſi fieri poſſet, nollent credere.

Rurſus, non eſſe liberam à neceſsitate quoad ſpecificationem, prob. Ratio enim, ſi proponantur ei argumenta neceſſaria, neceſſariò aſſentitur: ſi probabilia, neceſſariò opinatur, id eſt, cum formidine credit: ſi contraria æque probabilia, neceſſariò dubitat, niſi accedat inclinatio voluntatis. Atque hęc ita eſſe teſtatur Philoſophus. Teſtatur etiam experientia. Nemo enim conſultat, vtrum debeat veritati cognitæ aſſentiri, nec ne; ſed ſimpliciter eò accedit, quò argumentorum vis ducit. Teſtatur denique fides Catholica, quæ propterea requirit pium voluntatis affectum, quia alioqui mens noſtra non facilè poſſet adduci, vt crederet, quæ rationem ipſam ſuperant: ſępe etiam, quamuis non ita ſit, eidem repugnare videntur.

Non eſſe liberam quoad exercitium, facilè probari poteſt. Nam omnis actio fit ex appetitu alicuius boni. Appetitus autem boni in anima ratione prædita nihil eſt, niſi voluntas. Ipſa igitur voluntas rationem applicat ad intelligendum. vel etiam ab actu intelligendi reuocat. Quòd ſi inclinatio rationis ad intelligendum appetitus etiam nominetur, certum eſt eiuſmodi appetitum eſſe naturalem, & inclinare ad perpetuum actum. Proinde, quòd ratio nunc exerceat actum ſpeculandi, vel iudicandi, vel alium quemcunque, nunc verò quieſcat, non poteſt referri in ipſam rationem, ſed in appetitū totius ſuppoſiti, qui non eſt alius, niſi voluntas. Poſtrema ratio ſumitur ex fine. Siquidem ad finem animæ rationalis non conducebat, vt in ratione eſſet libertas. Ratio enim eſt regula actionum humanarū: regula autem debet eſſe immobilis, vniformis, determinata, neceſſaria; alioqui eſſet pernicioſa, & Lesbiæ regulę ſimilis, quæ quòd plumbea eſſet, facilè flectabatur in varias partes.

Propoſ. 6. Propoſitio ſexta: *Voluntatis electio pendet neceſſariò ab vltimo iudicio practicæ rationis.*

Prob. Prob. Nam voluntas non poteſt aliquid velle ſine præcedenti iudicio rationis: ergò, ſi iudicium ſit indeterminatum, & ipſa erit indeterminata, ſi iudicium determinatum ſit, & ipſa erit determinata. At iudicium vltimum practicum eſt omninò determinatum: dicit enim tunc ratio hoc nunc omnibus conſideratis eſſe faciendum: ergò voluntas neceſſariò eliget id, quod vltimum iudicium practicum determinauit eſſe eligendum. Prob. Antec. primæ conſecutionis multis rationibus. Primò; Voluntas eſt appetitus rationalis, & electio eſt appetitus intellectiuus; nemo enim poteſt amare incognitū: igitur ſine rationis actu præcedente nulla eſſe poteſt electio. Secundò; Voluntatis obiectum eſt bonum apprehenſum, & iudicatum conueniens: quocirca, ſi voluntas aliquid vellet ſine præcedente cognitione, & iudicio, operaretur ſine obiecto, quod fieri non poteſt. Tertiò; Quidquid homo agit, propter aliquem finem agit; ac proinde fieri nequit, vt moueatur ad eligendum aliquid, niſi ratio dictet illud eſſe medium conueniens ad propoſitum finem. Denique; Idem docet experientia. Nemo enim eſt, qui, ſi quæratur ab eo, cur aliquid agat, non reſpondeat, quia iudicat ita eſſe faciendum. Prob. nunc illa conſecutio: Si iudicium ſit determinatum, & electionem fore determinatam. Nam ſi, cùm eſt iudicium planè determinatum ad vnum, voluntas poſsit aliud eligere, aut illud non eligere, nulla reddi poterit ratio, cur voluntas aliud non iudicatum elegerit, aut illud iam iudicatum non elegerit: atque

atque ita dabitur electio ſine iudicio, & actio ſine obiecto. Confirmatur à ſimili. Nam appetitus beſtiarum ideò eſt determinatus ad vnum, quia cognitio ſenſuum eſt determinata ad vnum. Rurſus; Voluntas humana reſpectu vltimi finis determinata eſt ad vnum, ſaltem quoad ſpecificationem, quia iudicium rationis determinatum eſt ad vnum, nec poteſt repręſentare vltimũ finem, niſi ſub ratione boni. Denique; Voluntas beatorum, etiam quoad exercitium, determinata eſt ad vnum, quoad appetitum vltimi finis, quia rationis iudicium repręſentans illum finem tantum ſub ratione boni, ſemper eſt pręſens, & perfectè applicatum mentibus beatorum. Ergò à ſimili in quacunque re particulari eligenda erit voluntas determinata ad vnum, quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, & reipſa neceſſariò eliget, quãdo aderit pręſens iudicium practicum particulare, dictans hic, & nunc abſolutè omnibus conſideratis hoc eſſe eligendum. Nam tale iudicium repręſentat rem tantùm ſub ratione boni pro eo tempore, vt eſt præſens, & perfectè applicatum. Accedit, quòd, ſi poſſet fieri, vt quis eligeret contra dictamen vltimi iudicij practici, poſſet etiam fieri, vt in voluntate eſſet peccatum, ſine vllo errore, vel defectu in ratione, ſiue intelligentia: quod eſt contra illud: *Errant, qui operantur malum*: & manifeſtiſsimè pugnat cum ſententia Philoſophi. Prou. 14.

Propoſitio ſeptima: *Et ſi voluntas ſola ſit formaliter libera, radix tamen libertatis eius in ratione eſt.* Propoſ. 7.

Prob. nam voluntas ideò libera eſt, quia eſt appetitus rationalis: ſicut è contrario appetitus in beſtijs ideò non eſt liberus, quia non eſt rationalis: igitur cauſſa libertatis eſt ipſa ratio. Præterea; Appetitus non poteſt in aliquid ferri, niſi proponatur ei à potentia cognoſcente, tanquam bonum, & conueniens; nec poteſt ab aliquo refugere, niſi proponatur ei, vt malum, & noxiũ: igitur, ſi potentia cognoſcens ſit determinata ad vnum, id eſt, non proponat, niſi vnum, ſiue bonum, ſiue malum, appetitus neceſſariò tendet in illud, aut ab eo refugiet; vt videmus fieri in beſtijs, quarum cognitio eſt per ſenſum, ac per hoc determinata ad vnum. At ſi potentia cognoſcens ſit indeterminata, & proponat varia obiecta, oſtendens in ſingulis eſſe rationem boni, & rationem mali, ac denique viam aperiat ad oppoſita, qualis eſt ratio noſtra reſpectu mediorum, quæ non habent neceſſariam connexionem cum fine, tunc appetitus erit liber, & poterit inclinari in varias partes. Voluntas igitur ideò libera eſt, quia ſequitur rationem, quę varia, & contingentia media ad finem obtinendum ei proponit. Prob.

Circa iſtam particulam definitionis: *Eligendi vnum præ alio, vel acceptandi, aut reſpuendi*, quæſtio tractari ſolet: *Sitne officium liberi arbitrij agere, vel pati*; ſiue, *Sitne voluntas humana potentia paſsiua, an actiua?* Quæſtio.

Tres pręcipuę Theologorum ſententiæ ſunt: ſed veriſsima nobis videtur eorum, qui volunt liberum arbitrium ſimpliciter eſſe actiuum. Reſp.

Rationes ſunt: Primùm; Sancti Patres non obſcurè docent liberum arbitrium non eſſe potentiam paſsiuam, cùm dicunt in poteſtate voluntatis eſſe agere, & non agere, velle, & non velle. Deinde; Actio voluntatis eſt actio vitalis, ac per hoc à principio interno, & vitali neceſſariò producitur. Non Prob.

igitur actiuè fieri poteſt, vt ab aliqua re extrinſeca, quale eſt phantaſma, vel obiectum. Ad hęc; Actio voluntatis eſt actio immanens: igitur produci debet ab eodem illo principio, in quo, tanquam ſubiecto, recipitur. Recipitur autem à voluntate: igitur à voluntate, non à ratione, aut alia quacunque re actiuè producitur. Præterea; Si liberum arbitrium eſset potentia paſsiua, falsò diceretur liberum. Non enim eſt in poteſtate patientis, quid in ipſo fiat, ſed in poteſtate agentis eſt, quid in alio faciat. Qua ratione materia prima indeterminata eſt, atque indifferens ad multa, & tamen non eſt, nec dici poteſt libera, quia determinatur ab alio, non ſeipſam determinat.

Circa illam particulam, *quæ ad finem aliquem ducunt* tres quæſtiones ſunt.

Quæſt. 1. Prima eſt: *Vtrum ad obiectum liberi arbitrij pertineant bona, & mala, an ſolùm bona?*

Reſp. Communis ſententia Theologorum eſt, voluntatis obiectum proprium, & primarium eſſe bonum, ſiue aliquid apprehenſum ſub ratione boni; malum autem non pertinere ad obiectum voluntatis, niſi ſecundario, & per accidés, quatenus videlicet malum nolumus, & ideò nolumus, quia bono, quod per ſe volumus, contrarium eſt.

Prob. 1. Ratio. Rationes ſunt. Prima: Inclinatio voluntatis in ſuum obiectum eſt naturalis: igitur auctor eius eſt Deus. Quare non poteſt eſſe, niſi bona. At ſi obiectũ voluntatis eſſet malum, & inclinatio eius eſſet mala; immò eſſet inclinatio in perniciem propriam, quod ſine dubio naturali inclinationi repugnat: proinde eſſet naturalis, & non naturalis, à Deo, & non à Deo, quæ ſunt contradicentia.

2. Ratio. Secunda: Ens, vt omnia omninò comprehendit, eſt proprium obiectum intelligentiæ: non igitur eſſe poteſt obiectum voluntatis. Neque enim diuerſarum potentiarum idem obiectum eſſe poteſt.

3. Ratio. Tertia: Voluntas magis appetit id, quod eſt vtilius appetenti, quàm quod eſt in ſe præſtantius, & nobilius: quis enim non multò malit vnum aureum nummum, quàm decem muſcas? Ergò obiectum voluntatis non eſt ens abſolutè, ſed bonum, & conueniens.

4. Ratio. Quarta: Obiectum appetitus non poteſt eſſe, niſi id, quod eſt appetibile. At bonum eſt, quod omnia appetunt: igitur bonum propriè eſt obiectum voluntatis.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt: *Vtrum liberum arbitrium ſit etiam præſentium, an tantum futurorum?* id eſt, habeat ne homo in poteſtate ſua actiones ſuas futuras tantum, an etiam præſentes?

Reſp. Tres de hac re ſunt ſententiæ; ſed communior in Scolis, ac ſine dubio verior eſt, quæ docet liberum arbitrium in ſua poteſtate non ſolum futuras actiones habere, ſed etiam præſentes; nec tantum inchoationem, ſed etiam cõtinuationem.

Prob prior pars. Prob. prior pars: nam, ſi liberum arbitrium non eſt præſentium, ſequeretur, vt nec poſset eſse futurorum. Non enim verè dici poteſt: hoc liberè fiet; ſi in præſenti non poteſt verè dici: hoc liberè fit. Sed neque verè dici poteſt: hoc liberè factum eſt, ſi non potuit in præſenti verè dici: hoc liberè fit. Itaque tota perit libertas.

Deinde;

Deinde; Si prę ſentium actionum nulla eſſet vera libertas, Deus non eſſet verè liber, quippe cui nihil eſt præteritum, nihil futurum. Tertiò; Sequeretur Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis, & Angelos in primo inſtanti creationis, neque boni aliquid meruiſſe, neque mereri vlla ratione potuiſſe: quod ſanè doctrinæ ſcolarum minimè conſentaneum eſſe videtur. Denique; Accedit & illud abſurdum, vt, qui peccant, tunc minimè peccent, quando maximè peccant: nam tum maximè peccat quis, cùm eſt in ipſo actu, & ardore peccati: at, ſi pręſentium non eſt liberum arbitrium, ille, qui actu peccat, non liberè peccat, proinde nec peccat.

Quo argumento prob. etiam pars illa poſterior de continuatione. Nam, ſi neceſſariò continuari debet actio, & in ipſa continuatione non eſt libertas, ſequitur hominem per aliquod tempus bene operando non mereri, & male agendo non peccare. *Prob. poſterior.*

Tertia quæſtio eſt: *Sitne obiectum liberi arbitrij finis, an id, quod eſt ad finem?* *Quæſt. 3.*

Reſp. Si conſideremus quidquid aliquo modo pertineat ad liberum arbitrium, tunc non ſolum media, ſed etiam finis ad liberum arbitrium pertinebit: ſiquidem intentio finis libera eſſe poteſt. Si verò conſideremus pręcipuum actum liberi arbitrij, qui eſt electio, tunc ſola media, non autem finis ad liberum arbitrium pertinebunt. Cæterum ſæpe finis induit rationem medij, & eo modo ad obiectum liberi arbitrij pertinere poteſt. Et quidem in finibus ſubordinatis nemo neſcit, quin vnum, & idem nunc finis, nunc medij rationem habeat; ac per hoc res eadem, vt finis, ſub conſultationem, & electionem non cadat; vt medium, cadat. Sed vltimus finis non poteſt induere rationē medij: poteſt tamen appetitio eius eſſe medium ad finem eundem aſſequendū. Itaque deſiderium felicitatis, dum peregrinamur à patria, liberū eſt, quoad exercitiū, & ipſa dilectio Dei medium eſt aptiſsimum ad aſſequendam beatitudinem. *Reſp.*

Sed exiſtit non exigua dubitatio de primo amore finis, qui in voluntate oriri cæpit, cùm ipſa ab actu omninò ceſſaret, an videlicet ille etiam amor ſit liber, an verò neceſſarius? Tres Theologorum ſunt ſententiæ: ſed meo iudicio media verior eſt, quæ docet primum actum voluntatis fieri efficienter ab ipſa voluntate; ſed tribui Deo auctori, quoniam ſit naturalis, & ſequatur ex inclinatione illa naturali, quam Deus in voluntate impreſsit, ad eum ferè modum, quo grauia, & leuia dicuntur moueri à generante. *Dubitatio.* *Reſp.*

Et quidem primum actum voluntatis elici actiuè ab ipſa voluntate, prob. Nam, ſi complacentia illa erga bonū in vniuerſum ſit actualis, certè erit actus voluntatis: ſi actus voluntatis, certè immanens, & vitalis: ergò ab ipſa volūtate actiuè procedet. *Prob prior partis.*

Eſſe autem primam appetitionem finis naturalem, & Deo auctori tribuēdam, hac ratione probat egregiè S. Thomas: Omne, quod agit, agit propter finem, ſiue ex appetitione finis: ergò, quando voluntas mouet ſe, & agit, ex appetitione finis ſe mouet, & agit: ergò, antequam ſe moueat, & agat, debet habere appetitionem finis. Ergò ad primā finis appetitionē non ſeipſa mouet, neque propriè agit, ſed mouetur, & agitur ab auctore naturæ per naturalē inclinationē volūtati impreſsā. Alioqui enim, ſi ad primā appetitionē finis ſeipſa *Prob. poſterioris.*

 moueret,

moueret, & ageret, deberet ex alia appetitione finis ſe mouere, & agere: & ſic daretur appetitio prior prima, vel certè proceſſus in infinitum. Et confirm. à ſimili. Nam intelligentia dicitur agere, & ſe mouere, cùm ex principijs per proprium diſcurſum indagat concluſiones: at, cùm ipſa principia cognoſcit, non dicitur propriè agere, & ſe mouere, quia non per diſcurſum inueſtigat eorum principiorum cognitionem, ſed illam habet ex naturali lumine à Deo creatore impreſſa. Sic igitur voluntas propriè agit, cùm ex amore finis per conſilium eligit media ad aſſequendum finem: non autem, cùm ipſum finem ex naturali inclinatione ſibi à Deo indita incipit appetere.

Iam verò illa definitionis particula, *Intelligentis natura*, explicat ſubiectum liberi arbitrij. Sex autem omnino ſunt, quæ in controuerſiam venire poſſent, res inanimæ, plantæ, beſtiæ, homines, Angeli, Deus. Ac, vt certa ſeparemus à dubijs.

Inanimata. & plantæ. Primùm, extra controuerſiam eſt, nihil eorum, quæ cognitione carent, ſiue ſint inanima, vt elementa, & lapides; ſiue animata, vt herbas, & plantas, liberum arbitrium habere poſſe. Neque enim fieri poteſt, vt non careant libero arbitrio, qui omni arbitrio carent.

Animantia rationis expertia. Deinde; Certum eſt animantia rationis expertia prædita eſſe quadam imagine, & quaſi adumbratione liberi arbitrij; non tamen vero, propriéque dicto libero arbitrio. Præditas eſſe imagine quadam liberi arbitrij beſtias, quę liberum arbitrium metaphoricè nominari poſsit, perſpicuum eſt ex eo, quòd earum appetitio aliquo modo indifferens eſt ad multa; non ita ad vnum tantùm alligata; vt potentia calefactiua ignis ad calefaciendum, & ſimiles. Deinde, quòd quaſi iudicio quodam vti videntur. Oues enim in campis vnam herbam carpunt, aliam negligunt, lupum fugiunt, canem ſequuntur: equi, & canes terrentur minis, alliciuntur blanditijs. Denique; Quòd non ſolùm iudicium, ſed quædam etiam miram prudentiam, & ſagacitatem præ ſe ferant in operibus ſuis; vt aranea, formicæ, apis, hirundo, & alia. Ceterùm carere omnes beſtias libero arbitrio propriè dicto, teſtantur omnes Theologi, & *Pſal. 31.* Philoſophi; teſtatur ipſa diuina Scriptura. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, qui-* *Pſal. 48.* *bus non eſt intellectus.* Et: *Comparatus eſt iumentis inſipientibus* &c. Teſtatur denique ipſa ratio. Nam potentia ſuprema, quæ eſt in beſtijs, ſiue imaginatio, ſiue æſtimatiua nominetur, corporalis, ac materialis eſt: proinde pertingere non poteſt ad cognitionem vniuerſalem, quæ fundamentum eſt ratiocinationis, neque poteſt reflecti ipſa in ſe, & iudicare de ſuo iudicio, quod eſt fundamentum libertatis. Neque his repugnat, quòd earum appetitio videatur indifferens ad multa: nam indifferentia illa determinatur per naturale iudicium, cui reluctari non queunt. Atque hinc naſcitur, vt omnia animantia eiuſdem generis eodem modo operentur. Quòd autem terreantur minis, & alliciantur blanditijs, oritur ex eo, quòd ex memoria verberum, aut beneficiorum cognoſcunt aliquid boni, vel mali ſibi demonſtrari, & non poſſunt id non cognoſcere, & æſtimare, & iudicium eiuſmodi non ſequi.

Homines. Eccl. 15. Ad hæc; Certum eſt hominem abſolutè conſideratum eſſe liberi arbitrij. *Angeli.* Perſpicuum eſt enim illud: *Reliquit hominem in manu ſui conſilij* &c.

Neque minus certum eſt Angelos libero arbitrio præditos eſſe, præſertim ſi ao-

ſi abſolutè ſecundum naturam ſuam conſiderentur ante confirmationem in
bono, vel obfirmationem in malo. Nam inprimis litteræ ſacræ de Angelis ita
loquuntur, vt de rebus intelligentibus, vt conſtat ex Geneſi, Tobia, Luca. *Gen 18. & 19. Tob 12. Luc 1 & 2. & alibi.*
Vbi autem intelligentia eſt, ibi ſine dubio & libertas eſt. Deinde; Script. ſa-
cra teſtatur Angelos eſſe naturæ præſtantioris, quàm homines: *Minuiſti eum*
paulominus ab Angelis. Igitur, ſi homines libero arbitrio præditi ſunt, cur non *Pſal. 8.*
multò magis Angeli? Ad hæc; Script. teſtatur Angelos aliquando peccaſſe, &
punitos eſſe. *Angelis peccantibus non pepercit.* At peccatum, & pœna peccati ſine *2. Pet. 2.*
arbitrij libertate eſſe non poſſunt. Denique; Sancti Patres diſertis verbis li-
berum arbitrium Angelis tribuunt. Vna ſupereſt dubitatio: *Sitne Deus etiam* *Queſtio.*
verè, ac propriè liberi arbitrij?

Veriſsima eſt ſententia Theologorum, Deum eſſe liberi arbitrij. Et prob. *Prob. 1. reſp.*
primùm ex Script. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Et: *Magna opera Domini, ex-* *Pſal. 113. Pſal 110.*
quiſita in omnes voluntates eius. Et: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis* *Ephe. 1.*
ſuæ. Et: *hæc omnia operatur vnus, & idem Spiritus diuidens ſingulis, prout vult.* Ex his *1. Cor. 12.*
omnibus & ſimilibus locis efficitur, Deum operari per cognitionem, & vo-
luntatem, & res creatas tales eſſe, quales Deus eſſe voluit, non quales coëgit
neceſsitas. Rurſus, habemus alia loca, quibus oſtenditur Deus poſſe facere,
quę non facit, & contra, non facere, quę facit. *Potens eſt Deus nos de manibus tuis,* *Dan. 3.*
o Rex, liberare: quòd ſi noluerit, ſtatuam tamen, quam feciſti, non adorabimus. Vbi
Script. docet poſſe fieri, vt Deus nollet liberare tres pueros de fornace,
quos tamen liberare voluit, & reipſa liberauit. Et: *Non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere* *Eſter 13.*
voluntati. ſi decreueris ſaluare nos, continuo liberabimur. Hic pręterquam quòd ſig-
nificatur potuiſſe Deum non facere, quod fecit, habetur etiam vocabulum
decernendi, quod propriè ad liberum arbitrium pertinet. Similis locus eſt:
Non erat impoßibilis manus tua, immittere illis multitudinem vrſorum, aut audaces leo- *Sap. 11.*
nes &c. Nec tamen id fecit: quare poterat facere, quod non fecit. Ibidem: *Mi-*
ſereris omnium, qui omnia potes, diſsimulans peccata hominum propter pœnitentiam. At
certè non verè dicitur diſsimulare peccata is, qui non punit, quia non poteſt;
ſed is, qui, cùm poſsit, non vult. Item: *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare fi-* *Matth. 3.*
lios Abrahæ. In quem locum ſcribunt Patres ex veris, propriéque dictis lapidi-
bus poſſe Deum excitare filios Abrahę, quamuis id nunquam fecerit. Item:
Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlo- *Matth. 19.*
rum. Et paulò poſt: *Apud homines hoc impoßibile eſt, apud Deum omnia poßibilia ſunt.*
Et: *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam* *Matth. 26.*
duodecim legiones Angelorum? Poterat Chriſtus orare Patrem, vt mitteret, & po-
terat Pater mittere, & tamen neuter fecit, quod poterat facere. Item: *Abba* *Mar 14.*
Pater, omnia tibi poßibilia ſunt, transfer calicem hunc à me. Perſpicuum eſt ex hoc
loco poſsibile Deo fuiſſe transferre calicem paſsionis à Chriſto, quod tamen
factum non eſſe ſcimus. Et reprehendit Apoſtolus Gentiles, quòd, cùm Deũ *Rom. 1.*
cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: at non
debetur gratiarum actio, niſi ei, qui liberè agit, & beneficia præſtat; cùm poſ-
ſit non præſtare. Ergò Deus liberè agit, & liberè procurat res humanas.

Idem prob. teſtimonijs Patrum. *Prob. 2. & 3.*

Prob. etiam rationibus contra Philoſophos.

Primò;

1. Ratio. Primò; Deus eſt cauſſa efficiens omnium rerum, intelligentiarum, cœlorum, elementorum, &c. Igitur non neceſsitate, ſed voluntate operatur. Antecedens prob. Nam, ſi intelligentiæ carerent efficienti cauſa, & vnaquæque earum ſuum cœleſtem orbem produxiſset, (vt videtur ſenſiſse Philoſophus) nulla ratio reddi poſset, cur tot intelligentiæ eſsent, & non plures, cur tantæ virtutis, & non maioris, aut minoris, cur ita inter ſe ſubordinatæ: quis deinde procreaſset elementa? Prob. conſeq. Nam, ſi prima intelligētia produxit omnia per ſe, vel ſaltem ſuum orbem cœleſtem, & alteram intelligentiam, non potuit non liberè operari. Nam, quæ operantur ex neceſsitate naturæ, determinata ſunt ad vnum, nec poſsunt producere, niſi vnum aliquid ſimile ſibi. Sicut homo naturaliter nihil producit, niſi alium hominem; at ex arte res plurimas, & inter ſe maximè diſcrepantes, variaſque producit.

2. Ratio. Secundò; Deus eſt infinitæ potentiæ, ac virtutis: ergo poteſt res perfectiores, & meliores facere, quàm reipſa faciat, ac per hoc nunquam operatur ſecundum totam ſuam virtutem, quod eſt proprium eorum, qui operantur ex neceſsitate naturæ. Eſse autem Deum potentiæ infinitæ, planè manifeſtum eſſe videtur: nam, quod ex ſe eſt illimitatum, & infinitum, non poteſt limitari, & finiri, niſi vel à cauſa efficiente, vel à ſubiecto: eſse autem ex ſe eſt illimitatum, & infinitum, & in Deo non poteſt limitari, & finiri, cùm Deus cauſa efficiente, & ſubiecto careat: igitur in Deo eſse eſt illimitatum, & infinitum. Quod ſi eſse in Deo eſt infinitum, cur non etiam potentia infinita erit? Eſse enim eſt propter operationem, nec dari poteſt eſse, cui non reſpondeat potentia operandi, quoniam otioſum eſset.

3. Ratio. Tertio; Si Deus ex naturæ neceſsitate, non liberè, & pro arbitrio faceret, quæ facit, fruſtra opem eius homines implorarent: fruſtra eſsent omnes aræ, ſacrificia, vota. Hoc tamen eſt contra communem naturæ inſtinctum, & cōſenſum omnium Gentium.

4. Ratio. Quarto; Nihil eſt, quod neceſsario appetatur, niſi finis, & quæ cum fine neceſsariam connexionem habent. At res creatæ non ſunt finis Dei, neque cum fine Dei neceſsariam connexionem habent: Deus enim eſt finis omnium rerū, ac per hoc ipſe ſibi eſt finis, neque eget vlla re ad finem ſuum aſsequendum, cū ſe ipſe carere non poſsit: igitur non neceſsario vult res creatas, ſed liberè.

5. Ratio. Quinto; Homo eſt liberi arbitrij, vt Philoſophi etiam ferè omnes docent: ergò & Deus liberi arbitrij eſt. Neque enim fas eſt vllam perfectionem homini tribuere, quæ non excellentius reperiatur in Deo.

Quæſtio. Poſtrema quæſtio eſt circa vltimam definitionis particulam: *Ad magnā Dei gloriam: Cur Deus condiderit Angelos, & homines cum libero arbitrio?*

Reſp. Reſp. ad inſignem Dei gloriam.

1. Ratio. Prima igitur ratio ducitur à potentia, & ſapientia Dei, quæ in hac re mirificè ſplendent. Deus enim per hoc, quod Angelos, & homines liberos cōdidit, oſtendit potentiam ſuam nullo modo impediri poſse, etiamſi permittat creaturis, quas regit, liberè agere.

2. Ratio. Secunda ratio ſumitur à iuſtitia Dei, & æquitate, quæ in eo perſpicuè apparet, quod Angelos, & homines ita creauit, vt poſsent benè, & malè agere, & ipſe ſine acceptione perſonarum bonos præmijs, malos ſupplicijs afficeret.

Tertia

Tertia ratio, vt diuina bonitas illuſtretur. Inſignis enim Dei bonitas in eo conſpicitur, quòd non ſolùm voluit gloriam ſempiternam nobiſcum communicare, ſed etiam addidit, vt eam per propria merita, id eſt, nobiliſsimo modo conſequeremur. *3. Ratio.*

Quarta ratio fuit, vt appareat infinita magnitudo, & inexhauſtus theſaurus diuitiarum Dei. Nam, ſi Deus haberet apud ſe certam menſuram bonorũ, quibus remunerare poſſet cultores ſuos, non permiſiſſet Angelis, & hominibus liberum arbitrium, quo merita poſſent augere, quantum vellent. *4. Ratio.*

Quinta ratio eſſe potuit, vt innoteſcat Deum ſibi ſufficere, & bonorũ noſtrorum nullo modo egere; & ideo ſponte famulis ſuis libertatẽ conceſsit arbitrij; vt & in obſequio permanerent, & imperiũ detrectarent, prout vellent. *5. Ratio.*

Sexta ratio ex præcedenti oritur, & infinitam Dei charitatem erga creaturas ſuas oſtendit. Nam, cùm Deus non egeat hominibus, &, ſi egeret, nõ multum eis fidere poſſet, quippe qui tam facilè ob libertatem arbitrij à creatore ſuo deficiunt, æquum eſſe videbatur, vt nõ vſque adeò magnam de hominibus curam gereret: & tamen ob nimiam charitatem ſuam non minorem de ipſis curam gerit, quàm ſi abſque illis gloriam, vitamque ſuam conſeruare poſſet. *6. Ratio.*

Septima ratio, quòd id poſtulare videbatur perfectio, & ornamentum vniuerſi. Nam, cùm ſit aliquid, quod agit, & non agitur, vt Deus: aliquid, quod agitur, & non agit, vt natura rationis expers; æquum erat, vt etiam extaret aliquid, quod ageretur, & ageret. Et talis eſt naturæ creatura intelligens, & libero arbitrio prædita, qualis eſt in Angelis, & hominibus. Item; Cùm ſit aliquid, quod ex nihilo, & liberè operatur, vt Deus: aliquid, quod ex alio, & neceſſario operatur, vt res omnes infra hominem; certè pulchrum erat, vt aliquid eſſet, quod ex alio, & liberè operaretur, quales ſunt Angeli, & homines. Nam, quòd aliquid ex nihilo, & neceſſario operetur, quod eſt quartum membrum diuiſionis, fieri non poteſt, cùm operari ex nihilo ſit ſummè perfectionis, operari neceſſario ſummæ imperfectionis. *7. Ratio.*

CAPVT VII.

De viribus liberi arbitrij in operibus naturalibus.

TRia ſunt genera humanarum, tum cognitionum, tum actionũ. Eſt enim alia cognitio naturalis, ſiue theorica, ſiue mechanica. Alia eſt cognitio moralis, id eſt, notitia eius, quod ſecundum virtutem eſt agendum, vel omittendum. Alia denique eſt cognitio ſupernaturalis, id eſt, eorũ, quæ ſciri nõ poſſunt, niſi diuinitus reuelẽtur. Sic etiã actionũ, Aliæ ſunt naturales, quales ſunt ambulare, ſedere, agros colere, &c. Aliæ morales, quibus actiones omnes virtutum, & vitiorum continentur, vt eleemoſynas dare, ieiunare, &c. & contra, furari, fornicari, &c. Aliæ diuinæ, & ſupernaturales, quę propriè ad ſalutem ęternam conſequendam pertinent; vt credere, ſperare, orare, diligere, & ſacrificare, &c. Et quamuis actiones primi generis, quas naturales diximus, à quibuſdam etiam ciuiles nominantur, in particulari, ſiue *Triplex cognitio. Triplex actio.*

(vt Theologi loquuntur) in indiuiduo ſin neceſſariò bonæ, aut malæ moraliter, (iuxta doctrinam S. Thomæ, quam nos vt probabiliorem ſequimur) tamen ex genere ſuo indifferẽtes ſunt, & poteſt etiam fieri, vt aliquis ſit liber in eiuſmodi actionibus, qua parte naturales ſunt, & non ſit liber, qua parte ſunt morales, vt, ſi quis exiſtimet omnia opera infidelium eſſe peccata, is fortaſſe dicet habere hominem infidelem liberum arbitrium ad colendum agrum, & non colendum, quatenus colere agrum eſt opus naturale; non autem habere, quatenus eſt morale, quia poterit colere agrũ, vel non colere, ſed non poterit in eo opere vlla ratione vitare peccatũ. Nos igitur de ſingulis cognitionum, actionumque generibus tres tractabimus quæſtiones.

Quæſt. 1. Prima in naturalibus quæſtio eſt: *An ad cognoſcendum verum naturale indigeamus gratia?* ſiue: *Vtrum ita ſit læſa mens humana per peccatum, vt non poßit ſolis naturæ viribus cognoſcere aliquod verum mechanicum, vel theoricum naturale.*

Reſp. Eſt autem communis omnium ſententia, poſſe cognoſci ſolo lumine naturę multas veritates theoricas, & mechanicas, quæ in ſcientijs, & artibus humanis, & naturalibus continentur.

Dubitatio. Vna ſolùm dubitatio remanet: *Vtrum Deum eſſe, & eſſe vnum, poßit cognoſci lumine rationis, abſque ſpeciali gratiæ auxilio?*

Reſp. Affirmatiuam partem tenent omnes ferè Theologi. Et certè, quod naturali ratione demonſtratur, naturali lumine cognoſcitur, neque opus eſt ad aſſentiendum ijs auxilio gratiæ ſpeciali, cùm ſine labore ijs aſſentiamur, quin etiam non aſſentiri nulla ratione poſsimus.

Prob. 1. Prob. hæc veritas primò ex diuinis litteris: *Omnes homines vident eum, ſed vnuſquiſque intuetur procul.* Vbi dicuntur homines videre Deum, quia omnes habent lumen naturale, quo pertingere poſſunt ad cognitionem veri Dei. tamẽ
Iob. 36. procul eũ intueri dicuntur, quia non poſſunt cognoſcere, niſi cõmunia quędam, vt eſſe, eſſe vnum, eſſe bonum &c.

Sap 13. Alter locus: *Si tantùm potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodo huius Dominum non faciliùs inuenerunt?* Ex quo loco diſcimus verum, & vnum Deum naturaliter poſſe cognoſci.

Act. 17. Tertius eſt: *Quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum.* Eſt enim ſententia huius loci interprete Chryſoſtomo, & Oecumenio, tam eſſe facilẽ, & obuiam Dei notitiam ex rebus creatis, vt ferè palpari, & attrectari queat, quomodo tractantur ea, quæ ante pedes, & oculos iacent.

Rom. 1. Quartus eſt: *Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Qui cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerũt.* Hoc loco ſignificat Apoſtolus ſapientes mundi ex rebus creatis verum cognouiſſe Deum. Nam, ſi non cognouiſſent verum Deum, non dicerentur veritatem in iniquitate detinuiſſe, neque abſolutè pronunciaret Apoſtolus: *Cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt:* neque propter cognitionem numinis in genere dicerentur *inexcuſabiles* circa peccatum idololatrię. Non enim

inexcu-

inexcuſabiles eſſent colentes idola pro Dijs, ſi nullum alium Deum cognouiſſent, aut cognoſcere potuiſſent. Præterea; Ex hoc loco intelligimus Deũ manifeſtaſſe deitatem ſuam Philoſophis, non per reuelationem ſpecialem, ſed per ſpecies rerum creatarum: nam cùm dixiſſet Paulus: *Deus illis manifeſtauit*, continuò explicat, quemadmodum manifeſtauerit, dicens: *Inuiſibilia enim ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Et hoc modo exponunt Patres. Denique; (ex hoc loco colligimus Philoſophos cognouiſſe non ſolùm Deum eſſe, ſed etiam liberè agere, & prouidere rebus humanis. Nam alioqui non reprehenderentur, quòd gratias non egiſſent. Non enim debetur gratiarum actio ei, qui ex neceſsitate naturæ operatur; ſed ei, qui beneficia nobis præſtat, cùm ſit in eius poteſtate, non præſtare.

Prob. ſecundò eadem veritas ex teſtimonio Patrum. *Prob. 2. & 3.*

Vltimò prob. ratione. Nam, ſi Deum eſſe vnum, non poſſet cognoſci ſine gratia Dei ſpeciali, id fieret, vel quia obiectũ ſit ſupernaturale, vel quia actio intelligendi Deum ſit valde difficilis, aut etiam impoſsibilis viribus ſolius naturæ: neutrum autem dici poteſt. Nam vnitatem Dei eſſe obiectum naturale, & nulla ad hoc opus eſſe reuelatione, teſtatur Sapiens: *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit horum creator videri*. Teſtantur etiam demonſtrationes plurimæ ex naturalibus effectis ductæ, quibus probatur Deũ eſſe vnum. Quòd autem demonſtrari poteſt naturalibus rationibus, certè nõ eſt ſupernaturale, nec ſuperat vim intelligentiæ naturalis. Vbi verò demonſtratio adfertur, non eſt difficile aſſentiri; ſed contrà potiùs, difficile eſt, vel impoſsibile non aſſentiri. Quare non requiritur auxilium ſpeciale ad hunc actum producendum, præſertim cùm nec vehementia perturbationum, neque alia cauſſa iudicium theoricum impedire poſsit, licet impediat iudicium practicum, & actiones voluntarias. *Sap. 13.*

Altera quæſtio eſt de actionibus naturalibus, ſiue politicis, aut mechanichis, abſtrahendo à malitia, vel bonitate morali; *an eæ poſſint à nobis fieri ſolis viribus naturæ*? Duo de hac re contrarij errores aliquando extiterunt. *Quæſt. 2.*

Et contra primum prob. ſecundas cauſſas, & præſertim homines, aliquid verè, & propriè operari. Id enim Script. paſsim docet. Nam dicit terram germinare, ſtellas lucere ſuper terram, aues volare ſub firmamento cœli, homines dominari, ac præeſſe animantibus cæteris. Et alia id genus frequentiſsimè in diuinis litteris reperiuntur. *Prob. 1. ſecũdas cauſſas verè operari. Gen. 1.*

Sancti quoque Patres idipſum affirmant. *Prob. 2. & 3.*

Denique; Rationes etiam in promptu ſunt. Nam inprimis, ſi neque ignis calefaceret, neque Sol illuminaret, falleretur ſenſus circa proprium obiectũ, nulluſque eſſe poſſet experimentis locus. Certè enim ſenſus ignem calidum, & Solem lucidum eſſe iudicat, quoniam ab illo per calefactionem, ab iſto per illuminationem immutari ſe ſentit. Deinde; Quorſum Deus rebus naturalibus virtutes operatrices dediſſet? Immò, quorſum rerum naturas eſſe omninò voluiſſet, ſi omnia otioſa erant futura? Denique; Vnde naſcerentur monſtra, quæ dicuntur, & ſunt peccata naturæ, ſi ſolus Deus omnia efficeret, cùm in Deum error non cadat?

Iam verò contra alterum errorem humanam voluntatem, vt etiam res

Prob. 1. eas nihil ſine Deo operari. Act. 17. cæteras, nihil omninò agere poſſe, nec ſe vlla ratione mouere, niſi Deus ſecum illis ſimul operetur, nec ſufficere eſſentiam, & virtutem operatricem ad operandum, ſi deſit auxilium conditoris, prob. primùm ex diuinis litteris: *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* Quo loco, ſi Deus ſolùm donaret nobis naturam, & vires ad operandum, eaſque conſeruaret, non etiam ſimul operaretur nobiſcum, ſatis eſſet dicere: *In ipſo viuimus, & ſumus.* Quorſum igitur additum est: *mouemur*, niſi vt intelligamus, non poſſe nos moueri ſine præſenti auxilio Dei; quemadmodum non poſſumus eſse, & viuere, niſi Deus vitam, quam dedit, conſeruare voluerit? Itaque in Deo ſumus, quia ipſe fecit nos, & non ipſi nos: in Deo viuimus, quia ipſe nos portat verbo virtutis ſuæ: in Deo mouemur, quia ſine illo nihil poſſumus facere. Siquidem illa præpoſitio, *In*, idem valet hoc loco, quod, *per*, vt ſit ſenſus: Per ipſum viuimus, mouemur, & ſumus. Sicut in illis locis: *In Deo meo tranſgrediar murum. In Deo faciemus virtutem.* Et: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio.* Et: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Idem Apoſtolus dicit, *Deum operari omnia in omnibus.* Quod multo antè ſcripſerat Iſaias: *Omnia opera noſtra operatus es, Domine.* Rurſus; De alijs rebus idem Scriptura teſtatur: *Qui producit in montibus fœnum.* Et: *Pelle, & carnibus veſtiſti me.* Et: *Antequam te formarem in vtero, noui te.* Et Dominus: *Quòd ſi fœnum agri Dominus ſic veſtit.* Et: *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.*

Pſal. 17. Matt. 17. Philip. 4. 1. Cor. 12. Iſa. 26. Pſal. 146. Iob 10. Hierem. 1. Matth. 6. Ioan. 5. Prob. 2. & 3.

Sancti etiam Patres ex allegatis Scripturis errorem iſtum communi conſenſu refellunt.

Accedat poſtremò ratio. Nam omnes res creatæ ita pendent à diuina conſeruatione, vt ne ad momentum quidem per ſe, ac ſine Deo eſſe poſsint. At, ſi aliquid fieret ſine Dei auxilio, ſaltem in primo illo inſtanti, quo fieret, per ſe, ac ſine Deo eſset. Sicut igitur lumen Solis in aëre in primo inſtanti fit à Sole, & toto reliquo tempore ab eodem conſeruatur, nec vllo modo eſſe poteſt ſine præſentia Solis continuantis eſſe, quod initio illi dedit: ſic etiam omnis effectus cuiuſcunque cauſſæ ſecundæ initio fit à Deo, & ab eodem conſeruatur, nec poteſt vlla ratione incipere, vel durare ſine actione Dei dantis, vel continuantis eſſe. Porrò res omnes creatas perpetuò à diuina conſeruatione pendere, nemo eſt, qui neget, cùm Apoſtolus dicat: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*, & fusè doceatur à Patribus. His igitur erroribus extremis refutatis manet ſententia illa media, & communis in Scolis Theologorum poſſe ab homine fieri multa opera ſine auxilio Dei ſpeciali; vt arare, ſerere, ambulare, ſedere, loqui, &c. nihil tamen fieri poſſe ſine auxilio Dei generali.

Heb. 1.

Quæſt. 3. Tertia quæſtio eſt: *Vtrum homo liberum arbitrium habeat in actionibus illis naturalibus, ſiue ciuilibus, quas diximus fieri poſſe cum ſolo generali auxilio Dei?*

Reſp. Communis eſt Catholicorum ferè omnium ſententia, non ſolum eſſe hominem liberi arbitrij in actionibus dictis, ſed etiam id eſſe euidens, tum lumine naturæ, tum in doctrina fidei.

Prob. 1. ex doctrina fidei. Prob. hominem in illis actionibus eſſe liberum ſecundum doctrinā fidei ex diuinis litteris. Primùm, ſunt ea teſtimonia, quæ tribuunt homini poſt lapſum electionem diuerſarum rerum. Neque enim intelligi poteſt vera electionis poteſtas ſine vera arbitrij libertate: nā electio eſt actus maximè proprius liberi arbitrij. Ea ſunt; *In arbitrio viri erit, ſiue faciat, ſiue non faciat.* Et: *Optio vobis*

Num. 30. Ioſue 24.

vobis datur, eligite hodie, quod vobis placet. Et: *Trium tibi datur optio: elige vnum, quod* 2. Reg 24.
volueris, ex his. Et: *Poſtula quod vis, vt dem tibi.* Et: *Anguſtiæ mihi ſunt vndique, & quid* 3. Reg. 3.
eligam, ignoro. Dan. 13.

Secundò; huc pertinent ea teſtimonia, quæ docent hominem aliqua poſſe Prob. 2.
facere, quæ non facit; contra facere aliqua, quæ potuiſſet nō facere. Hinc enim
apertiſsimè patet liberum eſſe in eiuſmodi hominem, vt pro arbitrio faciat,
vel non faciat. *Quia poſtulaſti verbum hoc, & non poſtulaſti diuitias, aut animas ini-* 3. Reg 3.
micorum tuorum, ſed poſtulaſti ſapientiam, &c. Et: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt* Eccli. 31.
tranſgreſſus, &c. Et: *Non ſum liber? Non ſum Apoſtolus?* Quo loco docet Apoſtolus 1. Cor. 9.
potuiſſe ſe circumducere ſororem, & ab Eccleſijs ſumptus accipere, ſed neu-
trum facere voluiſſe. Et: *Nonne manens tibi manebat, venundatum in tua erat pote-* Act. 5.
ſtate? id eſt, Nónne poteras, Anania, agrum tuum non vendere? &, poſteaquam
vendideras, nónne poteras precium tibi retinere? quis te agrum vendere, aut
precium offerre coëgit?

Tertiò, accedant illa teſtimonia, quæ conditionem continent. Ea ſiquidem Prob. 3.
virtute includunt liberā oppoſitorū optionē. *Si volueritis, & audieritis me, bona* Iſaia 1.
terræ comedetis. Et: *Si vis ad vitā ingredi, ſerua mandata.* Ibidem: *Si vis perfectus eſſe,* Matt. 19.
vade, vende omnia, quæ habes. Et: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum,* &c. Luca 9.

Quartò; Prædictis locis adiungi poſſunt ea, quæ continent reprehēſionem Prob. 4.
cum interrogatione. Sequitur enim inde potuiſſe hominem non facere id,
propter quod reprehenditur. Mulieri dicitur: *Quare hoc feciſti?* Serpenti verò, Gen. 3.
qui eſt expers rationis, & libertatis, non dicitur: Quare hoc feciſti: ſed, *Quia*
hoc feciſti: Item, ad Cain: *Quare iratus es? & quare concidit vultus tuus?* Neque enim Gen. 4.
oui dicitur. Quare fugis lupum? Non poteſt enim non fugere lupum.

Quintò, adijci poſſunt omnia teſtimonia, quę continent laudes ſanctorum Prob. 5.
Patrum, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſis, Iob, Dauid, Tobię, Pro-
phetarum denique omnium. Item, illa, quæ continent præcepta, conſilia, co-
hortationes; qualia ſunt Prouerbia Salomonis, liber Eccleſiaſtici, magna pars
Pſalmorum, Prophetarum, Euangeliorum, Epiſtolarum Petri, Pauli, Ioan-
nis, Iacobi, Iudæ. Hæc enim omnia ſignificant hominem eſſe liberi arbitrij.

Poſtremo; Addantur ea teſtimonia, quæ probant primum hominem ante Prob. 6.
lapſum præditum fuiſſe libero arbitrio; quale eſt illud: *Deus creauit hominem,* Eccli. 15.
& reliquit illum in manu conſilij ſui, &c. Hinc enim ſequitur etiam poſt lapſum
eſſe liberi arbitrij. Tota namque ratio Caluini, cur homo careat libero arbi-
trio poſt lapſum, vt ipſe vult, eſt in eo poſita, quod libertas hominis pugnet
cum prouidentia Dei. At prouidentia Dei non incepit à lapſu hominis, ſed
fuit etiam antea. Ex hac etiam ſequitur, quòd homo libertate fruatur arbi-
trij. Nam prouidentiæ diuinæ illud eſt proprium non deſtruere, ſed conſerua-
re naturas: *diſponit* enim *omnia ſuauiter.* Itaque, cùm natura rationalis liberta- Sap. 8.
tem arbitrij poſtulet, eamque ab initio à conditore perceperit, ſic homines di-
uina prouidentia gubernat, & regit, vt liberam eius electionem nullo modo
impediat.

Eadem veritas prob. etiam ex traditione veterum Patrum. Prob 7.

Eſſe etiam euidens lumine rationis naturalis, hominem liberi eſſe arbi- Prob lumine
trij in actionibus ciuilibus, & externis, prob. naturæ.

1. Ratio. Prima ratio duci poteſt à communi conſenſu Sapientum, etiam Ethnicorum. Id enim docent Peripatetici, Academici, Stoici. M. etiam Tullius maluit Deo prouidentiam auferre, quàm homini libertatem, & ita (teſte Augustino) vt faceret homines liberos, facit ſacrilegos. *L. 5. de ciuit. Dei. c. 9.*

2. Ratio. Altera ratio ſumitur à conſenſu orbis terrarũ vniuerſi. Nulla eſt enim, aut fuit vnquam Reſp. nullum Imperium, quod non habuerit publicum conſilium, magiſtratus, leges, pœnas, & pręmia. Quæ omninò ſuperuacanea eſſent, ſi libertatem arbitrij homines non haberent. Item, in omni exercitu Imperatores, & Duces & oratione, & promiſsis, & tympanis, & tubis accendunt animos militum. Quorſum autem hæc fierent, ſi non conſilio, & deliberatione animi homines ad opera ſua ſe ipſi mouerent, & poſſent pro arbitrio agere, & non agere. Ad hæc; Omnes omninò homines prudentiam, atque induſtriam neceſſariam eſſe cenſent in operibus humanis, ſiue ij ſint mercatores, ſiue agricolæ, ſiue opifices, aut quicunque alij.

3. Ratio. Tertia ratio ducitur ab experientia, quæ illos ipſos, qui verbis liberum arbitrium negant, reipſa, & factis illud affirmare compellit. Hortantur etiam illi ſuos, eiſque pręcipiunt; puniunt quoque, ſi perperam agant, ſolliciti ſunt in periculis, cauti in rebus dubijs, & ſi quis eos afficiat iniuria, iraſcuntur, & vltionem parant.

4. Ratio. Quarta ratio ſumitur à peccatis hominum. Siquidem euidens eſt, homines quandoque peccare, nec minùs euidens eſt, neminem poſſe ſine libertate arbitrij peccare. Conſcientiæ ſtimulus, ac remorſus; verecundia, quæ naſcitur ex peccato; reprehenſiones aliorum; commune odium in eos, qui male agunt, ita vt etiam furibus ſint fures inuiſi, apertiſsimè teſtantur homines quandoque peccare. Neminem autem peccare in eo, quòd neceſsitate facit, omnibus eſt manifeſtum.

5. Ratio. Quinta ratio ducitur ab ipſa rei natura. Talis eſt enim in vnaquaque re modus appetẽdi, qualis eſt cognoſcendi: appetitio enim cognitionem ſequitur, nec fieri poteſt, vt quis appetat rem incognitam. In homine autem eſt cognitio finis, & mediorum ad finem, tum neceſſariorum, tum etiam contingentium. Igitur hominum appetitio ex neceſsitate fertur in finem, & in ea media, quæ ſunt cum fine ex neceſsitate coniuncta; in alia verò non niſi contingenter. Atqui hoc eſt hominem eſſe liberum libertate contingentiæ, poſſe videlicet accipere, vel reijcere ea media, quæ ratio docet non eſſe neceſſariò cum fine connexa. Rurſus; Conſultatio ad electionem ordinatur: proinde, vbi eſt vis conſultiua, ibi etiam eſt vis electiua: vbi autem eſt vis electiua, ibi eſt liberras arbitrij, cùm nihil aliud ſit libertas arbitrij, niſi poteſtas electionis. Euidens autem eſt, eſſe in homine vim conſultiuam, vt experientia teſtatur: igitur euidens quoque eſt, eſſe in homine vim electiuam, atque arbitrij libertatem.

1. Ratio concordiæ liberi arbitrij cum cooperatione diuina. Porrò ad explicandam concordiam diuinæ cooperationis cum libero arbitrio, duæ nobis rationes occurrunt ſatis accommodatæ. Vna eſt iuxta ſententiam Scoti, & aliorum, qui docent cooperationem diuinam ſe tenere ex parte effectus, non ex parte cauſſæ, id eſt, concurſum Dei non determinare noſtram voluntatem, nec aliquid in illam imprimere, aut operari, ſed imme-

diatè

diatè influere in effectum, eumq́ue producere illo ipſo momento, quo à voluntate noſtra producitur. Hinc enim ſequitur, vt neque Deus determinet, ſiue neceſsitet voluntatem, neque voluntas Deum. Nam & vterque concurſum ſuum liberè adhibet, &, ſi alter nolit concurrere, opus non fiet. Simile eſt, cùm duo ferunt ingentem lapidem, quem vnus ferre non poſſet, neuter enim alteri vires addit, aut impellit eũ, & vtrique liberum eſt relinquere onus. Quanquam Deus, niſi extraordinariè miraculum facere velit, ſemper concurrit, quando voluntas noſtra concurrit, quoniam ad hoc ſe liberè obligauit, quando liberam voluntatem creauit. Ex quo etiam ſequitur, vt licet in eodem prorſus momento temporis, & naturæ, Deus, & voluntas operari incipiant, tamen Deus operetur, quia voluntas operatur; non contrà. Et hoc eſt, quòd aliqui dicunt, voluntatem priùs natura operari, quàm Deum, non prioritate inſtantis in quo, ſed à quo.

Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione diuina, & fortaſſe etiam probabilior, eſt iuxta ſententia S. Thomæ, qui docet cooperationem diuinam ita concurrere cum ſecundis cauſsis etiam liberis, vt non ſolùm eis det, & conſeruet virtutes operatrices, ſed etiam eas moueat, & applicet ad opus. Quæ ſententia videtur valdè conſentanea, tum Script. quæ dicit nos in Deo eſſe, viuere, & moueri: tum etiam rationi, & ordini, quem habet prima cauſſa cum ſecundis. Vt autem iuxta hanc ſententiam oſtendamus rectè defendi liberũ arbitrium, ſciendũ eſt influxum, ſeu virtutem Dei, qua voluntas mouetur, & applicatur ad opus, recipi in cauſsis ſecundis ſecũdũ earum diſpoſitionem. Iſte autẽ modus, ſeu conditio in voluntate, ſecundũ quam recipitur in ea motus Dei, nihil eſt aliud, niſi negatiua quædam determinatio, præcedens tum influxum Dei, tum actum elicitum voluntatis: nimirum quòd voluntas ſinat ſe moueri ab obiecto per rationẽ ſibi propoſito, vel non ſinat. Hæc enim determinatio dicitur negatiua, quia non conſiſtit in actu poſitiuo, ſed in negatione actus, cùm tamen voluntas non minùs ſit libera, vt agat, quàm vt non agat. Atque hinc fit, vt voluntas ſit verè libera, & ſe ipſa determinet, tametſi Deus illam moueat, & applicet ad opus, quoniam ipſa Dei motio in eius poteſtate eſt; ſiue, Dei motione voluntas noſtra liberè vtitur. Nam, ſi moueri ſe ſinat ab obiecto propoſito, Deus eam applicat, & mouet ad actum eliciendum: ſi non ſinat, Deus eam non applicat, neque mouet. *Altera ratio.*

CAPVT VIII.

De viribus liberi arbitrij in rebus moralibus.

PRima quæſtio eſt: *An poſſit viribus naturæ cognoſci verum aliquod morale, ſcilicet ſine auxilio gratiæ ſpecialis.* *Quæſt. 1.*

Vbi

Auxilium gratiæ. Vbi per *auxilium gratiæ* non intelligimus gratiam iuſtificantem, ſed motionem,& directionem diuinam,qualem peccatores quoque habere poſſunt. Satis enim conſtat ex communi omnium conſenſu iniuſtos, & peccatores aliqua vera,non ſolum naturalia,ſed etiam moralia,& ſupernaturalia poſſe cognoſcere. Sed vtrum id poſsint viribus ſuis, an Deo ſpeciali auxilio iuuante, in controuerſia eſt.

Verum morale. Nomine autem *veri moralis* non accipimus verum morale vniuersè conſideratum, vt Deum eſſe colendum, parentes venerandos; id enim non minus facilè poteſt intelligi, quàm verum naturale theoricum : ſed verum morale cum omnibus circumſtantijs,quæ neceſſariæ ſunt,vt actio voluntatis ei vero conformis ſit actio virtutis; vt cùm quis iudicat ſibi hoc tempore eleëmoſynam faciendam,vel quod mutuo eſt acceptum eſſe reſtituendum hoc tempore,quia ratio iuſtitiæ nunc id fieri poſtulat.

Cognitio. Denique; Nomine *Cognitionis* nō intelligimus ſimplicem apprehenſionem, ſed etiam iudicium, & iudicium non illud vltimum, ad quod ex neceſsitate ſequitur electio;id enim ex voluntate dependet: ſed iudicium præcedens imperium voluntatis, quale inter conſultandum exerceri ſolet.

Reſponſ. Reſpondeo igitur ad quęſtionem,poſſe cognoſci viribus naturę,& auxilio Dei generali,aliquod verum morale. Ita ſentiunt omnes ferè Theologi, S. Bonauentura,Scotus,D.Thomas,& alij. Dicimus itaque in ſtatu naturę corruptæ non ita eſſe extinctum lumen rationis practicæ, quin poſsit cum ſolo auxilio Dei generali aliquod verum morale cognoſcere: quamuis alioquin multis ſæpe fallatur,& erret, niſi diuina illuſtratione, & gubernatione dirigatur.

Poſteriorem partem probat experientia, & nulli negant.

Prior pars prob. 1. Pſal. 4. Prior pars prob. primò ex diuinis litteris. *Multi dicunt,quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultis tui, Domine.* Vbi Propheta docet, non poſſe excuſari per ignorantiam homines,ſi non ſeruant præcepta moralia, cùm ab ipſa natura lumen in corde impreſſum habeant. Et: *Si verò vtiq; iuſtitiam loquimini,rectè iudicate filij hominum.* Significat enim Propheta omnes homines habere in corde impreſſa quædam præcepta iuſtitiæ, & ideò inexcuſabiles eſſe, cùm ea non ſeruant, quæ ignorare non poſſunt. Item: *Cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt* . Oſtendit enim Apoſtolus potùiſſe Gentiles per cognitionem vnius Dei ex creaturis acceptam,à cultu idolorum abſtinere, & ideò eſſe inexcuſabiles,quod *veritatem Dei iniuſtitia detinuerint*, & mutauerint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis. Item: *Cùm gentes,quæ legem non habent,naturaliter ea,quæ legis ſunt,faciunt,eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptæ in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*,&c. Vbi oſtendit Apoſtolus, Ethnicos,qui legem ſcriptam non acceperunt, ſolo lumine rationis quædam cognoſcere,quæ ad honeſtè viuendum pertinent. Id enim ſignificat illud. *Oſtendunt opus legis ſcriptæ in cordibus ſuis*;id eſt,oſtendunt in corde ſe ſcriptum habere,quid ſit faciendum, vt rectè, & cum ratione viuatur . Etſi autem aliqui hunc locum referant ad Chriſtianos ex Gentibus conuerſos , communior tamen eſt expoſitio verba illa eſſe intelligenda de Gentibus illis , quæ Chriſtum

Pſal. 57. *Rom. 1.* *Rom. 2.*

ſtum ignorantes ſolo naturali lumine ducebantur. Ita ſentiunt multi Patres, & recentiores. Conſtat autem hæc explicatio inprimis ex propoſito, & intentione S. Pauli. Voluit enim oſtendere in prima parte epiſtolæ neceſsitatem fidei Chriſtianæ, ſine qua nemo coram Deo iuſtificari poteſt, ſiue is Gentilis ſit, ſiue Iudæus. Ad hoc oſtendendum in primo cap. demonſtrauit, Principes, & magiſtros primarios Gentilium, videlicet Philoſophos, qui ſapientiſsimi, & optimi habebantur, grauiſsimis ſceleribus etiam contra naturam fuiſſe coöperatos.

Deinde, in ſecundo cap. idem oſtendit de Iudæis, qui, tametſi legem ſcriptam digito Dei acceperant, nihilominus multis, maximiſque peccatis inueniebantur obnoxij. Ex quibus efficit omnes eſſe peccatores, & egere gloria Dei, & quicunque in lege peccauerunt, per legem eſſe iudicandos; qui autem ſine lege peccauerunt, ſine lege perituros. Quoniam verò durum, & iniquum eſſe videbatur, vt, qui ſine lege peccauerunt, tanquam præuaricatores punirentur, ideò addidit eos etiam, qui ſine lege, ſcripta videlicet in tabulis, peccauerunt, non omninò ſine lege fuiſſe, quandoquidem ex eo, quòd interdum faciunt aliqua opera legis, oſtendunt ſe habere in cordibus legem à Deo impreſſam.

Deinde; Idem intelligi poteſt ex illa voce, *Gentes*: nam Script. ſacra nomen Gentis abſolutè poſitum ferè ſemper vſurpat pro infidelibus. *Hæc enim omnia* Matth. 6.
Gentes inquirunt. Et: *Tradetur enim Gentibus, & illudetur*. Et: *Iudæis quidem ſcanda-* Luc. 18.
lum, Gentibus autem ſtultitiam, nobis autem, &c. Item: *Fornicatio auditur inter vos,* 1. Cor. 1.
qualis nec inter Gentes. Et: *Sine offenſione eſtote Iudæis, & Gentibus, & Eccleſiæ Dei*. Et. 1. Cor. 5. 1. Cor. 10.
Scitis enim, cùm Gentes eſſetis, ad ſimulachra muta prout ducebamini, &c. Accedit etiã 1. Cor. 12.
illud: *Qui legem non habent*, quòd rectè dicitur de Gẽtibus nondum conuerſis ad Rom. 2.
Chriſtum: de Gẽtibus autem, quæ per fidem, & Baptiſmum in Eccleſiam intrauerunt, rectè dici non poteſt, cùm in ipſo initio Cathechumenis tradatur Decalogus cum ſymbolo fidei. Denique; Vox illa, *naturaliter*, ſatis apertè ſignificat Apoſtolum loqui de lumine, quod habetur ex natura. Declarat enim idem Apoſtolus, quid ſit *naturaliter*, cùm ait: *Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum*. Quod eſt idem, ac ſi dixiſſet; ideò naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, quia ſi ſecus facere velint, conſcientiam reclamantem ſentiunt. Et certè in Script. vox, *naturaliter*, ita ſolet accipi, vt id fieri dicatur naturaliter, quod ſit dictante, & monente natura. *Quæcunque naturaliter, tanquam* Epiſt. Iud.
muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Et: *Hi, velut irrationalia pecora, natu-* 2. Pet. 2.
raliter in captionem, & perniciem in his, quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt.

Prob. etiam eadem veritas teſtimonijs Patrum. Prob. 2.

Prob. denique ratione. & 3.

Prima ratio: Pharao Rex Ægypti, quamuis perditiſsimus eſſet, co- 1. Ratio.
gnouit tamen aliquod verum morale in particulari, cùm ait: *Peccaui,* Exod. 9.
Dominus iuſtus, ego, & populus meus impij. Neque veriſimile eſt, id eum cognouiſſe per ſpeciale adiutorium Dei, cùm potiùs contra teſtetur Script. ſubtractum ei fuiſſe ſpeciale auxilium, cum ait: *Indurauit Dominus cor Pha-* Ibid.
raonis.

2. Ratio. Secunda ratio: Omnis potentia naturalis poteſt circa obiectum ſibi proportionatum cum ſolo generali auxilio aliquem actum exercere: alioqui otioſa, & ſuperuacanea eſſet. Eſt autem intellectus humanus potentia naturalis, & eius obiectum proportionatum eſt verum morale, id eſt bonum ſecundum rationem, ſiue in vniuerſum, ſiue in particulari. Igitur poteſt intellectus humanus cum ſolo auxilio generali verum aliquod morale, etiam in particulari, cognoſcere.

3. Ratio. Tertia ratio: homo ſine auxilio ſpeciali cognoſcit verum morale in vniuerſum, id eſt, prima principia doctrinæ moralis, vt omnes fatentur: ergò poterit etiam ſine auxilio ſpeciali concluſiones aliquas, ſaltem faciliores, inde deducere. Idem enim eſt lumē, per quod prima principia intelligimus, & quo per diſcurſum concluſiones ex principijs illis deducimus. Et re vera incredibile eſt, ſcire hominem, non licere rem alienam ſibi vſurpare, & rurſus ſcire rem aliquam eſſe alienam, & tamen non poſſe ſine ſpeciali auxilio iudicare rē illam ſibi non eſſe tollendam.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt: *Quid poßit voluntas circa bonum morale?*

1. Quæſt. Hæc autem quæſtio poteſt eſſe triplex. Vna: *Poßitne totum morale bonum efficere, id eſt, omnia moralia præcepta implere?* Altera, *Poßitne, ſi non omnia, certè ſingula,*
2. Quæſt. *etiam grauißima, quale eſt inprimis, diligere Deum ſuper omnia, ſaltem vt auctorem naturæ?*
3. Quæſt. Tertia: *Poßitne aliqua perficere, vrgēte tentatione; an ſolū tentatione ceſſante?*

Nos ſecuti, quod plures, & grauiores Theologi docent propoſitiones tres conſtituemus.

Prima: *Non poteſt homo ſolis naturæ viribus implere omnia mandata moralia ſecundum ſubſtantiam operis.*

Propoſ. 1. Dicimus primùm, *Præcepta omnia*, quia non loquimur de ſingulis ſeorſim conſideratis, ſed de omnibus ſimul: neque ſignificare volumus, non poſſe aliquem ad breuiſsimum tempus ſeruare omnia, cùm poſsit fieri, vt aliquando nullum occurrat præceptum affirmatiuum, & nulla adſit tentatio prouocans ad violanda præcepta negatiua. Itaque ſententia propoſitionis illius eſt, vt non poſsint longiore aliquo tempore, quo varia præcepta obſeruanda ſe offerunt, ſolis naturæ viribus ita omnia adimpleri, vt omni ex parte peccatum vitetur.

Deinde dicimus: *Secundum ſubſtantiam operis*; quia non diſputamus hoc loco de obſeruatione mandatorum ex charitate Dei, & eo modo, qui requiritur, vt obſeruatio ſit meritoria apud Deum: ſed de ea tantum diſſerimus, quæ neceſſaria eſt, vt nouum peccatum vitetur, & fiat opus bonum ſecundum moralem quandam honeſtatem.

Poſtremò dicimus: *Solis naturæ viribus*; vt excludamus non ſolùm gratiam
1. 2. q. 109. ar. 4. & 8. iuſtificationis, ſed etiam auxilium ſpeciale. Nam etiamſi ſententia S. Thomæ, qui docet ſine gratia iuſtificationis non poſſe impleri omnia mandata, nec poſſe vitari longo tempore peccatum lethale, veriſsima nobis videatur, tamen hoc loco ſatis nobis erit, ſi probauerimus non ſufficere per ſe vires naturæ corruptæ ad legem implendam, ſed neceſſarium omninò eſſe auxilium gratiæ: ſiue ea gratia ſit habitus permanens, & iuſtificans, ſiue auxilium tantùm ſpeciale.

Prob.

Prob. propoſitio ex diuinis litteris primùm. Nam Script. paſsim docet le- *Prob 1.*
gis obſeruationem tribuendam eſſe gratiæ Dei. *Spiritum meum ponam in medio* *Ezech. 36.*
veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis. Et: *Quod impoſsibile erat legi, in quo* *Rom. 8.*
infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati, & de
peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis. Vbi Apoſtolus a-
pertiſsimè dicit, impoſsibilem fuiſſe legis obſeruationem ſine gratia Dei; id-
que propter carnis infirmitatem, quia natura corrupta infirma facta erat, &
ideò miſſum fuiſſe Filium Dei, vt per ipſum poſsibile fieret, quod alioqui im-
poſsibile erat: nec dubium eſt, quin loquatur de præceptis naturalibus, ſiue
moralibus, cùm in ſpecie diſſerat de præcepto, *Non concupiſces.* Idem etiam A- *Ibid.*
poſtolus legem diuinam moralem, & naturalem vocat legẽ peccati, & mor- *1. Cor. 15.*
tis: item virtutem peccati: & apertiſsimè dicit litteram occidere, quoniam *2 Cor. 3.*
demonſtrando, quid ſit faciendum, & non præbendo vires naturæ infirmæ,
præuaricatorem hominem conſtituit, & reum peccati, & mortis. Addit autẽ *Rom. 8.*
Apoſtolus Spiritum vitæ quem habemus à Deo per Chriſtum, liberaſſe nos à
lege mortis, quia per gratiam ſpiritus legem implemus, quam per vires natu-
ræ, & litteram legis implere nunquam potuiſſemus. Et in eandem ſententiã,
poſtquam dixerat: *Virtus verò peccati lex*; addidit: *Gratias autem Deo, qui dedit no-* *1 Cor. 15.*
bis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et ad illa verba: *littera occidit,*
adiunxit: *Spiritus autem viuificat.* Ex quibus locis S. Auguſtinus contra Pela- *2. Cor. 3.*
gianos euidenter ſe demonſtraſſe exiſtimat, vt re vera demonſtrauit, nõ poſſe *L. de ſpiritu, & littera.*
viribus ſolius naturæ legem impleri. Rurſus: *Factores legis iuſtificabuntur,* in- *Rom. 2.*
quit Apoſtolus: & tamen idem dicit: *Si ex lege eſſet iuſtitia, Chriſtus gratis mortuus*
eſſet. Et poſset ſine dubio etiam dici: Si ex natura eſset iuſtitia, Chriſtus gra- *Gal. 2.*
tis mortuus eſset. Non igitur fieri poteſt, vt tota lex ſolius viribus naturæ
impleatur.

Idem prob. etiam ex traditione Eccleſiæ. *Prob. 2. & 3.*

Prob. denique ratione S. Thomæ: quoniam natura humana per peccatum
primi hominis deprauata, auerſa eſt à Deo, & conuerſa ad creaturas, ac præ-
ſertim ad ſe proinde finem vltimum vel actu, vel habitu, vel certè propenſio-
ne quadam in creatura, non in Deo, conſtitutum habet. Quare, quando oc-
currunt aliqua agenda, vel euitanda ex fine illo præconcepto, quaſi natura-
liter inclinatur ad malum, & violenter ad bonum: ideò neceſsaria eſt vis
quædam, & vt homo perpetuò vigilet, & præmeditetur, & contra propen-
ſionem, & amorem proprium pugnet; quod impoſsibile eſse moraliter, non
ſolùm ratio, ſed etiam experientia docet.

Propoſitio ſecunda: *Immò nullum omninò præceptum morale ſeruare poteſt homo* *Propoſ. 2.*
ſuis ſolis viribus, ſi tentatione vrgeatur.

Obſeruandum primò, tribus modis vinci poſse tentationem aliquam. Vno
modo, ſuccumbendo alteri tentationi: vt, cùm quis, vt auram popularem *Tribus modis vincuntur tentatio.*
captet, & vir fortis, ac continens habeatur, abſtinet ſe à flagitio, ad quod a-
lioqui non leuiter ſtimulabatur. Atque de hoc ſatis conſtat poſse hominem
vni potiùs vitio, quàm alteri cedere; vel, quod eſt verius, poſse in eodem
homine vnum vitium ab alio maiore ſuperari: neque hoc eſt tentationem
deijcere, ſed à tentatione proſterni. Altero modo poteſt tentatio ita vinci, vt
HHHHh 2 non

non ſolùm peccatum ſimpliciter euitetur, ſed etiam ex victoria meritum acquiratur: quod fit, cùm ex charitate Dei, tentatio vincitur. De eo loqui videtur
1. Cor. 10. tur Apoſtolus: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.* Tertiò modo poteſt vinci tentatio, ita vt nec peccatum vllum admittatur, nec tamen meritum comparetur: & de hoc ſolo modo hîc agimus.

Nota 1. Obſeruandum ſecundò nos, cùm dicimus nullam tentationem ſolis naturæ viribus vinci poſſe, loqui de vera tentatione, non de leuiſsima aliqua titillatione, quæ nomen tentationis abſolutè, & propriè non meretur.

Nota 2. Præterea; Sciendum nos non ſemper requirere ad vincendas tentationes auxilium ſpeciale propriè dictum, id eſt, internam illuſtrationem, vel motionem ſupernaturalem; ſed quodcunque auxilium Dei, ſiue conſiſtat in eo, quòd Deus ſingulari prouidentia ſua remoueat occaſiones peccandi, ſiue in eo, quòd non permittat diabolum ſæuire, quantum vellet; ſiue quocunque alio modo nos Deus iuuet. Multæ enim tentationes ſunt, quæ per ſe non ſuperant vires humanas, & tamen, ſi Deus homines prorſus deſtituat, & diabolum ſinat agere, quantum poteſt, illæ fient grauiſsimæ, & intolerabiles: tanta eſt humana fragilitas ad reſiſtendum, & diabolica potentia ad nocendum. Atque hinc fortaſſe conciliari poſſunt auctores, qui dicunt nullam tentationem ſine auxilio Dei vinci poſſe, cum ijs, qui dicunt aliquas poſſe. Nam ij poſteriores loquuntur de auxilio ſupernaturali, & conſiderant menſuram virium humanarum in comparatione ad leuem aliquam tentationem abſolutè ſumptam. Priores autem per auxilium Dei accipiunt quamcunque ſingularem Dei prouidentiam, quæ ſæpe vtitur rebus naturalibus ad ea, quæ fieri cupit, perficienda; & vires humanas conſiderant per comparationem ad tentationem, non qualis eſt per ſe, ſed qualis eſſet, ſi Deus permitteret, & non iuuaret, aut vires nobis addendo, aut aduerſarijs ſubtrahendo. Sed quanquã vterque modus dicendi bonum ſenſum habere poſsit, tamen magis conſentaneè ad Script. & Patres loquuntur, qui dicunt, nullam tentationem ſine Dei auxilio vinci poſſe.

Prob 1. propoſ. Sap. 8. Quod quidem prob. primum ex Script. Nam locus ille: *Nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det*; propriè ad vincendas tentationes pertinet. Neque enim difficile eſt, continere, quandò nulla tentatio ad peccandum inuitat. Præterea;
1. Cor. 10. Verba illa Pauli: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis,* ſatis apertè indicant, tentationes ſupra id, quod poſſumus, creſcere poſſe, ſi Deus permittat. His accedunt plurima teſtimonia Pſalm. quæ victoriam in tenta-
Pſal. 17. tione ſimpliciter Deo tribuunt. *In te eripiar à tentatione.* Et: *Adiutor meus eſto, ne*
Pſalm. 26. *derelinquas me.* Et: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum: auertiſti fa-*
Pſal. 29. *ciem tuam, & factus ſum conturbatus.* Et: *Impulſus euerſus ſum, vt caderem, & Domi-*
Pſal. 117. *nus ſuſcepit me.* Illa quoque oratio: *Et ne nos inducas in tentationem*: Et illa exhor-
Matt. 6. Matt. 26. tatio: *Orate, ne intretis in tentationem,* ſatis oſtendunt ſine Dei adiutorio tentationibus reſiſti non poſſe.

Prob. 2. Prob. ſecundò ex traditione Eccleſiaſtica.

& 3. Accedat poſtremò Eccleſiæ conſuetudo, quæ inter quotidianas preces nihil magis frequentat, quàm illud: *Deus in adiutorium meum intende,* &c. Et in

oratione,

oratione, quæ legitur ad primam, inuocat protectionem Dei contra tentationes : *Tua nos hodie ſalua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum*, &c.

Propoſitio tertia: *Poteſt tamen nulla tentatione vrgente, ſine fide, cum auxilio ſpeciali, & etiam ſine illo, ſuis viribus aliquod bonum morale ita perficere, vt in eo nullum omninò peccatum admittat.* Propoſ.3.

Sciendum, non eſſe omninò idem, facere bonum morale, & obſeruare præceptum ſecundum ſubſtantiam operis. Poteſt enim ſeruari præceptum ſecundum ſubſtantiam operis, etiam cum peccato, vt ſi quis amico reſtituat depoſitum, vt illo ipſe à furibus ſpolietur. At bonum morale non poteſt cum peccato fieri: proinde maius quiddam eſt, facere bonum morale, quàm ſeruare præceptum; & ideò in noſtra propoſitione non tam præcepti, quàm boni moralis mentionem facimus. Nota.

Prob. propoſ. primùm ex illis Scripturis, quæ teſtantur, Deum remunerare bona quædam opera Gentilium: non enim Deus, qui iuſtiſsimus eſt, & iuſtitiam diligit, quique ſapientiſsimus eſt, & falli nullo modo poteſt, opera mala remuneraret, cùm iuſto iudicio ſupplicium mereantur, non præmium. Prob.1. *Quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit illis domos.* Senſus eſt: quia Ægyptiæ obſtetrices non paruerunt iniuſto imperio Pharaonis, qui iuſſerat occidi omnes infantes maſculorum Hebræorum, exiſtimantes id eſſe, vt reuera erat, contra Dei voluntatem, ideò Deus pro hac miſericordia, quam exercuerant in filios Hebræorum, dedit eis pro mercede copioſam, & felicem prolem, atque ita domos eis ædificauit, & ſtabiliuit. Exod.1. Item: *Fili hominis, Nabuchodonozor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum. Omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt: & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dedi Nabuchodonozor Regem Babylonis in terram Aegypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui illius.* Ezech.29. Exercitus iſte ſine dubio infidelis erat, & tamen, quia Regi ſuo fideliter ſeruiuit in bello iuſto contra Tyrum, quam vrbem ob ſua peccata Deus euerti volebat, ideò mercedem illis reddidit, donans ei mirabili prouidentia ſpolia Ægypti, quæ propter ſcelera quoque ſua ſpoliari meruerat. Item; Cùm grauem pœnam temporalem prædixiſſet Daniel Regi Nabuchodonozor à Deo propter peccata ſua, illum ad eleëmoſynas hortatur, quibus redimat, ſiue auertat pœnam illam temporalem: *Nunc*, inquit, *Rex, conſilium meum placeat tibi, peccata tua eleëmoſynis redime*, &c. Dan.4. Quòd ſi eleëmoſynæ hominis infidelis auertere poterant pœnam temporalem, certè bona opera erant, non peccata: non enim peccata iram Dei mitigant, ſed magis accendunt.

Secundò prob. ex alijs Scripturis, quæ indicant, infideles facere, aut facere poſſe aliqua bona opera: *Si ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis: nónne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergò vos perfecti*, &c. Prob.2. Matt.5. Vbi tribuitur Ethnicis bonum opus oſtendendi ſigna beneuolentiæ erga ſuos: niſi enim hoc bonum opus eſſet, non diceret Dominus: *Quid amplius facitis?* ſed, cur hoc facitis? Vult igitur Dominus ſuos non contraria, ſed maiora facere.

Rom. 2. Item: *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*, &c. Hic Apoſtolus apertè docet Gentiles naturali lumine implere aliqua legis mandata.

Accedunt deinde teſtimonia Patrum.

Prob. 3. & 4. 1. Ratio. Prob. etiam rationibus. Prima ratio: Si opera facta ſine fide, & auxilio ſpeciali, ſemper eſſent peccata, id accideret, vel, quia deeſt illis circumſtātia finis, cùm propter Deum non fiant: Vel, quia fiunt ab homine peccatore, ac per hoc inficiantur, & vitiantur à cauſſa ſua, tametſi ex genere ſuo ſint bona. Vel, quia bona opera moralia non habeant proportionem cum naturæ noſtræ viribus: Vel denique, quia nimis difficilia ſunt ob carnis rebellionem, dæmoniſque tyrannidem. At nihil horum dici poteſt. Nam, quòd attinet ad circumſtantiam finis, poſſunt Ethnici etiam ſine fide cognoſcere Deum eſſe, & curam noſtri gerere: proinde poterunt bona moralia operari, vt Deo auctori naturæ obediant. Deinde; Non eſt neceſſe omnia in Deum referre explicitè, ſed ſatis eſt, ſi opus referatur in bonum finem proximum: tunc enim per ſe dirigetur in Deum, vt in vltimum finem. Sicut enim omne agens particulare agit in virtute primi motoris, id eſt, Dei; ſic etiam omnis bonus finis mouet in virtute finis vltimi: alioqui non ſolùm infideles, ſed fideles etiam, & iuſtiſsimi quique ſemper peccarent, cùm inter operandum de Deo non cogitant; ſed operantur, quia ratio dictat eſſe bonum, & faciendum. Itaque, niſi apponatur circumſtantia finis mali, omne opus bonum morale refertur in Deum, etiamſi auctor operis id non cogitet, vel intendat. Quòd autem poſsit homo ſuis viribus non apponere circumſtantiam finis mali, immò etiā dirigere opus in finem bonum ſecundum rationem, manifeſtum eſt: nam, ſi poteſt ſuis viribus operari malum, ſed arduum, & naturæ contrarium, cur nō poterit operari bonum facile, congruumque naturæ? Si poteſt, exempli gratia, ſuis viribus, ſine auxilio gratiæ, proijcere omnia bona ſua in mare, vel ipſe ſe occidere, à quo natura abhorret; cur non poterit paucos nummos largiri indigenti? Quòd autem attinet ad inquinationem cauſſæ, non poteſt opus inquinari à malitia cauſſæ, niſi quando ab ipſa malitia procedit. Nam ſi ex bono naturæ, non ex adiuncta malitia operetur quis, opus erit ſimpliciter bonum. Atque hoc modo eleēmoſyna hominis impudici bona eſſe poterit, ſi fiat miſericordiæ cauſſa, non impudicitiæ. Per accidēs enim opus illud eſt hominis impudici, per ſe autem miſericordis. Hoc autem eſſe veriſsimum, ex eo poteſt intelligi, quòd, ſi ſemper malitia cauſſæ inquinaret effectum, oporteret opus nō ſolùm eſſe malum, ſed in ſpecie malitiam ipſam cauſſæ participare. Itaque eleēmoſyna hominis auari eſſet mala in ſpecie auaritiæ, & ieiunium intemperantis eſſet malum in ſpecie intemperantiæ. Neque tertium illud dici poteſt, non habere proportionem opus bonum morale cum viribus naturæ. Natura ſiquidem, quamuis per peccatum deterior facta ſit, quàm eſſet in ſtatu innocentiæ; non tamen infirmior eſt, quàm fuiſſet in puris naturalibus. In puris autem naturalibus ſine dubio proportionē habuiſſet cum bono morali, quod naturaliter cognoſcitur, & appetitur. Quorſum enim ratio illi data eſſet, ſi nihil omninò ſecundum rationem agere poſſet? Agere verò ſecundum rationem eſt moraliter bene agere.

Denique;

Denique; Nec quartum dici poteſt de nimia difficultate ob tentationum vehementiam. Nam non agimus hic, niſi de rebus facilibus, & naturæ valdè conſentaneis, atque omni tentatione ceſſante: qualia ſunt miſereri pauperis in via occurrentis, prouidere filijs, adiuuare cognatos, & alia id genus.

Secunda ratio dicitur ab abſurdis: Nam, ſi nullum opus bonum fieri poſſet ab infidelibus, ſequeretur melius illis eſſe, remoto præcepto, bona opera ex obiecto non facere, quàm facere. Nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi eſſent infideles, ne facerent eleēmoſynas, ne pacificarent diſcordes, ne imperitos docerent, niſi quando ex præcepto aliquo tenerentur. Quæ ſine dubio ſunt abſurdiſsima. *2. Ratio.*

Vltima quæſtio eſt: *Sitne homo in ſtatu naturæ lapſæ liberi arbitrij in bono morali eligendo, & malo euitando?* ſiue, quod idem eſt; *in præceptis morum obſeruandis, aut præuaricandis?* *Quæſt. 3.*

Et quidem Catholici omnes, tum veteres, tum recentiores, tanquam dogma fidei Catholicæ prædicant partem affirmatiuam. *Reſp.*

Prob. primò rationibus ducentibus ad impoſsibile. *Prob. 1.*

Prima ratio: Aut peccatum eſt neceſſarium, aut voluntarium: ſi eſt neceſſarium; igitur non eſt peccatum; ac per hoc peccatum non erit peccatum, quod fieri non poteſt. Si eſt voluntarium; igitur vitari poteſt; ac proinde homo eſt liberi arbitrij in moralibus, quippe qui poteſt peccare, & non peccare. *1. Ratio.*

Secunda ratio: Si non ſit in homine libertas arbitrij, nullus erit pœnæ, aut præmio locus: id autem totius generis humani conſenſu, ſenſuque refellitur. Confirmatur, qui ratio debiti, ſiue pœnæ, ſiue præmij debitum ſit, id neceſſariò poſtulat, vt id, quod datur, ſit proprium. Nam, ſi quis rem non ſuam, ſed alienam donet, nihil ei propterea iure debebitur. *2. Ratio.*

Non eſt autem proprium, niſi id, cuius domini ſumus: illius verò domini tantùm ſumus, quod eſt in poteſtate noſtra, ita vt vel dare, vel non dare, facere, vel non facere pro arbitrio valeamus. Vnde S. Paulus: *Si, quod nolo, facio, iam non ego operor illud*: quia non eſt noſtrum, neque nos propriè facimus, niſi quod liberè facimus. Quocirca, tametſi beſtiæ nobis in multis rebus vtiliſsimè ſeruiant, nihil tamen eis præmij debere putamus, quoniam nō liberè ſed ex neceſsitate deſeruiunt. *Rom. 7.*

Tertia ratio: Si non eſſet in hominibus libertas arbitrij, non eſſent alij boni, alij mali, ſed omnes boni, & omnes mali. Et, ſi eſſent omnes boni, non eſſent alij alijs meliores, ſed omnes æque boni: & ſi eſſent omnes mali, non eſſent alij peiores alijs, ſed omnes æque mali. Id autem falſum eſſe experientia docet. *3. Ratio.*

Quarta ratio: Si tollatur liberum arbitrium ab humano genere in actionibus morū ſimul etiam tolli neceſſe erit cohortationes, obiurgationes, laudes, vituperationes, præcepta, conſilia, monita, & alia id genus. Quorſum enim moneas, laudes, vituperes, præcipias, reprehendas, horteris, ſi non poſſunt homines aliud facere, quàm faciunt? *4. Ratio.*

Secundò prob. eadem veritas rationibus oſtenſiuis ex verbo Dei. *Prob. 2.*

Prima

1 Claſsis. Prima claſsis continet ea teſtimonia, quæ præcipiunt aliquid homini faciendum, vel non faciendum. *Non habebis Deos alienos. Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Honora patrem tuum, & matrem tuam*, & alia ſimilia. Ex quibus teſtimonijs conficitur hoc argumentum: Præceptum eſt regula benè viuendi: fruſtra autem datur regula ei, qui non poteſt deficere, aut non poteſt non deficere: ſolùm liberum arbitrium eſt, quod in via morum poteſt deficere, & non deficere: igitur fruſtra homini à Deo præceptum datur, ſi caret libero arbitrio. Nihil autem Deus facit fruſtra: ergò non caret homo libero arbitrio.

Exod. 20.

2. Claſsis. Secunda claſsis continet ea teſtimonia, quibus nobis aliquid promittitur à Deo ſub conditione, ſi voluerimus. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis: ſi nolueritis, gladius deuorabit vos.* Et: *Quærite bonum, & non malum, & viuetis.* Et: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Ex his tale efficitur argumentum: Aut eſt in poteſtate noſtra præſtare conditionem oblatam, aut non eſt: ſi detur primum, demonſtratur liberum arbitrium: ſi ſecundum, illa non eſt verè ſub cõditione promiſsio, ſed manifeſta irriſio. Non ſecus ac ſi quis proponeret brauium, ac præconis voce clamari iuberet, vt, qui voluerint, currant; dandum enim brauium ei, qui cæteros currendo ſuperauerit: deinde paucos quoſdam vi traheret ad brauium, alios vinculis, & catenis conſtringeret, ne ſe commouere poſſent.

Iſa. 1. Amos 5. Matth. 19.

3. Claſsis. Tertia claſsis ea teſtimonia complectitur, quæ docent per hominem ſtetiſſe, quò minus benè ageret, & peccaret. *Amalec, & Chananæus ante vos ſunt, quorum gladio corruetis, eò quòd nolueritis acquieſcere Domino.* Et: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.* Et: *Quid potui vineæ meæ facere, & non feci?* Et: *Hæc gens non audiuit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam, ideò proiecta eſt à Domino:* Et: *Quia induraſtis cor veſtrum, & noluiſtis obedire Domino, hæc omnia mala euenerunt vobis.* Et: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti?* Et: *Incircumciſi cordibus, & auribus, vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.* Ex his tale ducitur argumentum: Vel poteſt is, qui peccat, non peccare; vel non poteſt: ſi poteſt, habet igitur liberum arbitrium: ſi non poteſt, igitur Deus fruſtra quæritur de homine, quaſi per illum ſteterit, quo minus benè ageret, cùm ipſe aliter facere non potuerit.

Num. 14. Deut. 30. Iſa. 5. Hierem. 7. Hierem. 32. Matth. 23. Act. 7.

4. Claſsis. Quarta claſsis continet ea teſtimonia, quę docent, Deum quaſi recedere, & explorare, quid homines faciant, & quorſum ſtudia ſua conuertant. *Adduxit te Dominus quadraginta annis per deſertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in animo tuo verſabantur, vtrum cuſtodires mandata illius, an non.* Et: *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt videat, ſi diligatis eum in toto corde.* At fruſtra exploraret Deus, quid homines facere velint, niſi poſſent rem eandem facere, & non facere. Nemo enim prudens explorat euentum rei determinatæ ad vnum.

Deut. 8. Deut. 13.

5. Claſsis. Quinta claſsis continet duo loca omnium grauiſsima. Prior eſt: *Quare iratus es, & quare concidit vultus tuus? Nónne, ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* In hoc tot penè ſunt argumenta, quot verba. *Quare*, inquit Deus ad Cain, *iratus es? & cur concidit vultus tuus?* Hæc interrogatio indicat potuiſſe Cainum, ſi voluiſſet, non iraſci, & non triſtari. *Nónne ſi benè egeris, recipies? ſin autem, malè*, &c. Illæ conditiones,

Gen. 4.

tione, *ſi benè*, &c, *ſi malè*, nónne etiam liberum oſtendunt voluntatis arbitrium? Cur enim non dicimus homini: Si Solem ſtare feceris, habebis hoc, aut illud? niſi quia non ignoramus, non eſſe in hominis poteſtate, vt Solem ſtare faciat? *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Hic apertiſsimè in ſtatu naturæ corruptæ liberum prædicatur arbitrium. Quid enim eſt, *ſub te erit appetitus eius:* niſi, in poteſtate tua erit peccati cupiditas? Et quid ſignificat, *tu dominaberis illius*, niſi, poteris, ſi volueris, cupiditati reſiſtere, & ita efficere, vt non regnet peccatum in tuo mortali corpore? Poſterior locus inuictiſsimus eſt, & nulla declaratione indiget: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te. Appoſuit tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Eccli. 15.

Sexta claſsis continet alia quædam loca. 6. *Claſsis.*

Primus eſt: *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum.* Et infrà: *Teſtes inuoco cœlum, & terram, quod propoſuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergò vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Non video, quid ad hunc locum reſponderi poſsit. Liber hic inprimis non eſt dubiæ fidei. Deinde; Non loquitur Moyſes ad homines in ſtatu innocentiæ, ſed ad Hebræos, qui tunc erant cum ipſo. Denique; Nullæ hic ſunt ambages: nam Moyſes iurat per cœlum, & terram, ſe dediſſe populo optionem, vt facerent, quod vellent, in re maximè morali, id eſt, in præceptis ſeruandis, aut violandis, & cohortatum fuiſſe eundem populum ad electionem obedientiæ, quæ vitam adfert, & dehortatum ab electione contumaciæ, quæ mortem adfert. Nihil autem magis proprium eſt liberi arbitrij, quàm electio. Deut. 30.

Secundus locus eſt: *Optio vobis datur, cui ſeruire potiſſimum debeatis*, &c. Hic etiam locus ad liberum arbitrium in moralibus pertinet, quoniam Ioſue ſignificat, populum eligere potuiſſe, velletne Deo vero cultum adhibere, an idolis, id eſt, an vellet benè agere, an peccare. Ioſ. 24.

Tertius locus eſt: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit, ideò ſtabilita ſunt bona illius.* Hoc etiam non poteſt trahi ad ſtatum innocentiæ: & liberum arbitrium aſſeritur hic ita verè, propriéque in moralibus, vt dicatur vir bonus ideò dignus laude, & præmio, quòd potuerit tranſgredi, & non ſit tranſgreſſus, facere malum, & non fecerit. Eccli. 31.

Quartus locus eſt: *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, benè facit.* Et ſuprà: *Quod vult, faciat, non peccat, ſi nubat.* Hoc loco agitur de bono morali, vt patet ex illo: *Benè facit.* Et infrà: *Meliùs facit.* Et: *Non peccat*, &c. De hoc autem bono morali faciendo, vel non faciendo dicit Apoſtolus habere hominem liberam electionem, modò non ſit impeditus extrinſeca aliqua neceſsitate voti, iuramenti, aut præcepti. Huc enim pertinet illud: *Non habens neceſſitatem.* Excludit autem extrinſecam neceſsitatem, non quòd illa tollat liberum arbitrium, ſed vt oſtendat eum, qui non ligatur neceſsitate extrinſeca, ſimpliciter, & abſolutè eſſe liberum, vt poſsit non ſolùm facere, & non facere, ſed etiam non peccet, ſiue faciat, ſiue non faciat. Nam libertas ab extrinſeca ne- 1. Cor. 7.

ceſsitate prærequirit libertatem ab intrinſeca: & ideò, qui liber dicitur eſſe ab extrinſeca, conſequenter aſſeritur liber ab intrinſeca.

2. Cor. 9. Quintus locus eſt: *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde, non ex triſtitia, aut ex neceßitate: hilarem enim datorem diligit* Deus. Loquitur Apoſtolus de facienda eleemoſyna, quod eſt morale opus, & monet, vt vnuſquiſque libenter tribuat id, quod deſtinauit in corde ſuo, id eſt, quod libera voluntate prælegit, cùm in poteſtate haberet parum, aut multum velle dare, aut etiam omnino nihil velle dare. Nam illud verbum, προαιρεῖται, quo ipſe vtitur, propriè ad liberum arbitrium pertinet. Diſtinguitur enim voluntarium in genere, ſiue ſpontaneum, quod etiam beſtijs conuenit, à voluntario libero, quod eſt proprium rationalis, ſiue intelligentis naturæ, quod aliud dicitur ἑκούσιον, hoc autem προαιρετικόν.

Prob. 3. Prob. etiam liberum arbitrium in moralibus teſtimonijs Patrum Græcorum, & Latinorum.

CAPVT IX.

De viribus liberi arbitrij in rebus ſupernaturalibus.

Quæſt. 1. PRIMA quæſtio eſt: *Quid poſsit intelligentia humana in rebus ſupernaturalibus?*

Reſp. Conuenit autem inter nos, & aduerſarios, ſiue ij Pelagiani, ſiue Lutherani ſint, tria potiſsimum eſſe neceſſaria, vt myſteria ſupernaturalia percipiantur à nobis.

Primum eſt diuina reuelatio, quę per Script. aut prędicatores à Deo miſſos proponatur. Cùm enim hæc ſupernaturalia ſint, nulli mortalium vnquam veniſſent in mentem, niſi Deus ipſe illa manifeſtare voluiſſet. Sic enim loquitur B. Paulus: *Loquimur* Dei *ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt*. Et mox: *Sicut ſcriptum eſt, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit* Deus *diligentibus ſe; nobis autem reuelauit* Deus *per* Spiritum *ſuum*. Et: *Quomodo credent in eum, quem non audierunt? quomodo audient ſine prædicante?* Et Dominus: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem, peccatum non haberent.* Quia videlicet ſine prędicante credere non potuiſſent, ideò non credendo minimè peccaſſent. Hinc etiam videmus mandari Apoſtolis: *Prædicate* Euangelium *omni creaturæ*. Et mitti Philippum, vt prędicaret Eunucho: mitti Petrum, vt prędicaret Cornelio: mitti Paulum, vt prędicaret Macedonibus: quia videlicet ordinariè ad fidem neceſſaria eſt prędicatio. Quocirca Dominus non vi, & armis, ſed verbo prędicationis ſe regnum collegiſſe teſtatur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.*

1. Cor. 2.
Rom. 10.
Ioan. 15.
Mar. vlt.
Act. 8.
Act. 10.
Act. 17.
Pſal. 2.

Alterum eſt perſuaſio aliqua, ſiue per ſigna, & prodigia, ſiue aliqua alia ratione. Non enim ſatis eſt ad hoc, vt homines credere teneantur, ſi ſolùm eis

doctrina

doctrina à Deo reuelata proponatur; ſed neceſſe eſt, vt accedat etiam aliquid,
quod eam doctrinam credibilem faciat. Hinc enim Dominus, cùm mitteret
Moyſen ad prędicandum, dedit illi poteſtatem miracula faciendi, quibus fi- *Exod 4.*
dem faceret prędicationem ſuam verè eſſe diuinam Et Chriſtus, cùm dixiſſet:
Prædicate, dicentes: appropinquabit regnum cælorum, adiunxit continuò: *Infirmos cu-* *Matt. 10.*
rate, mortuos ſuſcitate, &c. Et ſicut ait: *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem, peccatum*
non haberent. Sic etiam ait: *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum* *Ioan. 15.* *Eccli 19.*
non haberent. Adde etiam illud: *Qui cito credit, leuis eſt corde.* Valdè autem citò
credit, qui res longiſsimè remotas ab humanis ſenſibus, & quæ omnem intel-
ligentiam ſuperant, ſine vlla perſuaſione credit. Idem enim faceret, ſi res ab-
ſurdiſsimæ, ac omninò improbabiles ei proponerentur.

Tertium eſt imperium voluntatis. Quoniam enim nulla eſt perſuaſio, quæ
cogere poſsit hominem ad credendos articulos ſupernaturales, ac ne ipſa qui-
dem miracula omninò mentem conuincere queant, ideò requiritur inclina-
tio voluntatis, quæ moueat intellectum ad aſſentiendum ijs, quæ vim intelli-
gentiæ ſuperant. Non poſſe autem quæuis miracula cogere aliquem ad fidem,
ſi is nolit credere, ſatis apertè indicat illud: *Cùm tanta ſigna feciſſet, non credebant* *Ioan. 12.*
in eum. Quocirca B. Paulus docet, captiuandum eſſe intellectum in obſequiũ *2. Cor. 10.*
fidei, hoc eſt, pio affectu quaſi cogendum, vt ijs aſſentiatur, quæ cum ratione
pugnare quodammodo videantur.

His igitur poſitis quæſtio remanet; *Vtrum, qui prædicatorem audit, aut doctri-* *Quæſt.*
nam à Deo reuelatam per ſe legit, & habet congruentem perſuaſionem miraculorum, aut
alterius teſtimonij, quo res, quæ credenda proponitur, efficiatur credibilis, poſsit eam rem
credere ſine ſpeciali illuſtratione diuina?

Negatiua pars veriſsima eſt, & prob. Primùm enim perſpicua ſunt verba *Reſp.*
Domini: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Vbi nota nõ *Prob. 1.*
dixiſſe Dominum: nemo venit; ſed, *Nemo poteſt venire*, propter quoſdam, qui *Ioan. 6.*
minùs cautè dicunt, re ipſa neminem credere ſine ſpeciali gratia Dei, tamen
fieri poſſe, vt credat. Porrò venire ad Chriſtum nihil eſſe aliud, niſi credere in
ipſum, explicat ipſe. cùm ait: *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, ſed propterea dixi* *Ibid.*
vobis, quia nemo poteſt ad me venire, niſi datum ei fuerit à Patre meo. Itaque, ſi venire
eſt credere. & nemo poteſt venire, niſi trahatur à Patre, certè nemo poteſt
credere, niſi à Patre trahatur. In eundem ſenſum etiam illa dicta ſunt à Do-
mino: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, &* *Matt. 11.*
prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante te. Et nemo
nouit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuela-
re. Non enim loquitur Dominus de reuelatione per externam prædicatio-
nem, ſed per internam illuſtrationem: & ſuaſionem, de qua dixit: *Omnis, qui* *Ioan. 6.*
audiuit a Patre, & didicit, venit ad me. Nam paulò antè exprobrauerat ciuitati-
bus, in quibus longo tempore prædicauerat, & plurima ſigna fecerat. Et vi-
dens poſt eam prædicationem ſapientes, & prudentes, id eſt, Scribas, & Pha-
riſæos, non eſſe conuerſos, ſed tantum ſimplices turbas, explicare voluit rectè
quidem reprehendi eos, qui non crediderunt; ſed non debere ſuis ſolis viri-
bus tribuere fidem eos, qui crediderunt, cùm Patri cœleſti placuerit abſcon-
dere hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelare paruulis, trahendo iſtos,

 illos

Ioan. 12. illos non trahendo. Similis ſententia eſt illa: *Propterea non poterant credere, quia*
iterum dixit Iſaias: excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum. Illos enim excæ-
care dicitur Deus, quos non illuſtrat, cùm ſine eius lumine videre nequeant.
Ad hæc; Apoſtolus plenus eſt eiuſmodi teſtimoniorum, vt mirum ſit, eſſe ali-
quos, qui hunc Apoſtolum diligenter euoluerunt, & tamen non didicerint, fi-
dem eſſe donum Dei. *Vnicuique*, inquit, *ſicut diuiſit Deus menſuram fidei.* Et: *Quis*
Rom. 12. *enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* Et: *Conſilium autem do, tanquam*
1. Cor. 4. *miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.* Et: *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus,*
1. Cor. 7. *niſi in Spiritu ſancto.* Et: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex no-*
1. Cor. 12. *bis.* Et: *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt.* Et. *Pax*
2. Cor. 3. *fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.* Et: *Vobis donatum eſt*
Epheſ. 2. *non ſolum, vt in illum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Denique S. Lucas: *Cre-*
Epheſ. 6. *diderunt*, inquit, *quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Et: *Aperuit Dominus*
Philip. 1. *oſtium fidei.* Et: *Loquebamur mulieribus, quæ conuenerant, & quædam mulier nomine Ly-*
Act. 13. Act. 14. Act. 16. *dia, purpuraria, audiuit, cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.*

Prob. 2. & 3. Accedant deinde teſtimonia Conciliorum, & Patrum.

1. Ratio. Prob. denique rationibus. Prima ſumitur ab oratione Eccleſiæ. Orat enim
In expoſ. orationis Dominicæ. illa pro infidelibus, vt conuertantur. Et hoc ipſum iuberi dicit S. Cyprianus,
cùm Dominus præcipit, vt orantes dicamus: *Fiat voluntas tua, &c.* At fruſtra
fierent iſtæ preces, ſi poſſent infideles ſine Dei auxilio credere: ſatis enim eſſet
prædicare illis fidem, & admonere, vt crederent.

2. Ratio. Secunda ratio ſumitur ab abſurdis, quæ potiſsimùm ſunt tria. Primùm e-
nim ſequeretur, gratiam ſecundum merita noſtra dari, & ita gratiam non eſſe
gratiam, quod ita viſum eſt abſurdum Patribus noſtris, vt in Concilio Palæ-
ſtino (quod primùm contra Pelagium celebratum eſt) ipſe etiam Pelagius id,
quamuis ore, non corde, damnauerit. Id autem ſequi, prob. quia nonnullum
eſt meritum fidei, ratione cuius oratio impetrat, quidquid poſtulat. Meretur
enim exaudiri, qui poſtulat cum fide. Deinde; Sequeretur initium ſalutis eſſe
Gal. 3. ex nobis. Nam, cùm *iuſtus ex fide viuat*, ſi initium fidei eſſet ex nobis, initium
vitę eſſet ex nobis. Id autem abſurdum eſſe, patet, Tum, quia repugnat Apo-
Rom. 11. ſtolo dicenti: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et: *Quid habes, quod non accepiſti?*
1. Cor. 4. Tum, quia, ſi poteſt homo per ſe incipere credere, poterit etiam per ſe augere
fidem: difficilius enim eſt incipere opus, quam augere inchoatum; atque ita
vel non egebant homines Deo, vel ita partientur cum eo, vt ſibi tribuant,
quod eſt melius, illi, quod eſt deterius; ſiue priores operis partes ſibi, poſte-
riores Deo. Poſtremò; Sequetur tolli penitus fundamentum diuinæ prædeſti-
nationis, & electionis: non enim ſaluæ fierent reliquiæ ſecundum electionem
Rom. 11. gratiæ, vt Apoſtolus prædicat; ſed iuxta meritum fidei, & bonum vſum liberi
arbitrij.

3. Ratio. Tertia ratio pendet ex ijs, quæ iam dicentur, nullum opus pietatis vel in-
choari, vel perfici poſſe ſine ſpeciali gratia Dei. Certum eſt autem initium fidei
includere pium affectum, ac per hoc eſſe opus pium, vel certè pij operis in-
choationem.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt *de viribus voluntatis humanæ in ijs rebus, quæ ad pietatem, & ſa-*
lutem æternam pertinent.

Nos

Nos tres ſententias paucis comprobabimus. *Prob. 1.*

Prima erit, non poſſe hominem ſine ſpeciali gratia Dei aliquid velle, aut facere in ijs rebus, quæ ad pietatem, & ſalutem pertinent. *Sententia 1.*

Prob. ex teſtimonijs Propheticis, Euangelicis, & Apoſtolicis. Quod enim legimus: *Inuentus ſum à non quærentibus; palam apparui his, qui me non interrogabant:* *Iſa. 65.* Et quod Dominus ait: *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat:* *Luc. 19.* nónne indicat, nos non incipere quęrendo Deum, ſed Deum incipere quęrendo nos auerſos, & fugientes? Illud verò, quod idem Dominus ait: *Sine me nihil poteſtis facere:* *Ioan. 15.* intelligendum eſt omninò de bono opere, quod ad ſalutem pertineat. Sicut etiam illud Apoſtoli: *Quis enim te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti?* *1. Cor. 4.* aduerſus eps facit, qui ob fidem, aut iuſtitiam ad ſalutem pertinentem, inflabantur. Alioqui hę ſententiæ non eſſent vniuerſaliter veræ: nam aliqua bona opera naturalia, & aliqua etiam moralia ſine ſpeciali Dei auxilio fieri poſſe, antè diximus.

Denique; Vt multa alia prætercam, illud etiam Apoſtoli: *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti.* *Philip 1.* Et: *Deus eſt enim, qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate:* *Philip. 2.* ſatis apertè oſtendit, nihil omninò boni ad ſalutem pertinentis ſine Deo inchoari poſſe.

Prob. eadem veritas ex definitionibus Conciliorum, reſcriptis Pōtificum, & teſtimonijs Patrum. *Prob. 2.*

His accedat argumentum ab orationibus, & gratiarum actione. Non enim ſine cauſſa orat Eccleſia, vt Deus noſtras actiones aſpirando præueniat, & adiuuando proſequatur, nec ſine cauſſa pro omni bono opere gratias agit, niſi quia nouit, nihil veri boni, id eſt, quod ad ſalutem pertineat, ſine Saluatoris gratia fieri poſſe. *Prob. 3.*

Altera ſententia eſt, non poſſe hominem ſolis naturæ viribus ad gratiam accipiendam vlla ſe ratione diſponere. Quæ ſententia ita intelligenda eſt, vt non ſolum non poſſit homo ſuis viribus ſe præparare ad habitum gratię gratum facientis, ſed neque ad gratiam adiutorij ſpecialis: & rurſus, non modo non poſſit ita ſe præparare, vt ex condigno illi gratia conferatur, ſed neque ex congruo: ac demum nihil agere poſſit, cuius cauſſa Deus illi gratiam dare dicatur. *2. Sentent.*

Id prob. primum omnibus argumentis, quibus ſuperior ſententia confirmata eſt. Nam omnis diſpoſitio ad gratiam aliquid eſt ad ſalutem æternam pertinens: proinde fieri non poteſt ſolis viribus naturę: vt dictum eſt. Sed duo præcipuè loca vrget S. Auguſt. Prior eſt: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Nam, qui ſe diſponit, non debet trahi, ſed duci: iam enim venire paratus eſt. Alter eſt: *Sine me nihil poteſtis facere.* Poſſet enim Dominum conuincere, qui poſſet ſe diſponere. Poſſet & Apoſtolo interroganti: *Quid habes, quod non accepiſti?* reſpondere; habeo cordis mei præparationem. *Prob. 1. L. 1. ad Bonifac. c. 19. & l. 2. c. 8. Ioan. 6. Ioan. 15. 1. Cor. 4.*

Deinde; Probant hanc ſententiam illæ omnes Scripturæ, quæ docent conuerſionem ad Deum eſſe opus Dei: *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter.* Et: *Conuerte nos, Domine, & conuertemur.* Nam conuerſio eſt diſpoſitio, & diſpoſitio eſt conuerſio. Quemadmodum enim, qui eſt auerſus à Sole, non incipit diſponi ad recipiendam lucem, niſi cùm incipit conuerti ad aſpiciendum *Pſal 84. Thren 5.*

Solem; ſic etiam, qui eſt auerſus à Deo, non incipit diſponi ad gratiam Dei,
Pſal. 76. niſi cùm ad eum incipit reuerti. Eodem pertinet illud: *Dixi, nunc cœpi, hæc mu-*
tatio dexteræ excelſi. Quod ſignificat ipſam conuerſionis inchoationem dono
Ezech. 36. Dei eſſe tribuendam. Illud item: *Non propter vos faciam, domus Iſraël, ſed propter*
nomen meum ſanctum, quod polluiſtis in Gentibus: quid aliud indicat, niſi nihil Deũ
in hominibus inuenire, cur eos ad ſe conuertat, detque eis *cor nouum, & ſpiritũ*
Prou. 8. *nouum*, vt ſtatim adiungitur. Adducunt etiam Patres paſsim illud: *Præparatur*
voluntas à Domino. Sic enim reddiderunt LXX. id, quod nos legimus: *Hauriet*
Rom 11. *ſalutem à Domino.* Frequentiſsimè etiam S. Auguſtinus profert illud: *Quis prior*
dedit illi, & retribuetur ei? Quod apertiſsimè ſignificat Dei gratiam à nullo hu-
mano opere præueniri. Præueniretur autem, ſi homo ſuis ſolis viribus poſſet
ad gratiam ſe diſponere. Daret enim prior Deo pium illum affectum diſpo-
nendi ſe ad gratiam. Huc denique pertinent variæ Scripturæ ſimilitudines.
Comparatur enim homo peccator terræ omni humore deſtitutæ, quæ ne mi-
nutiſsimam quidẽ herbam germinare poteſt, niſi deſuper irrigetur. Sic enim
Pſal. 142. ait Dauid: *Anima mea, ſicut terra ſine aqua, tibi.* Et paulò antè: *Non iuſtificabitur*
Iſa. 47. *in conſpectu tuo omnis viuens.* Comparatur item luto, quod à figulo tractatur.
Ierem 18. At certè lutum non diſponit ſeipſum ad formam vaſis recipiẽdam, ſed à figu-
& Rom. 9. lo primùm diſponitur, deinde formatur. Comparatur præterea homini mor-
Luc. 15. tuo, qui ad vitam reuocandus eſt: *Mortuus erat, & reuixit.* Et. *Cùm eſſetis mortui*
Epheſ. 2. *in peccatis, & delictis.* At mortuus non ſe diſponit ad vitam, nec poteſt, niſi vim
Coloſ. 2. aliquam vitalem ab excitatore ſuo recipiat. Comparatur quoque iuſtificatio
1. Pet. 1. generationi: *Renati, non ex ſemine corruptibili.* Et: *Genuit nos verbo veritatis.* At
Iac. 1. materia non ſeipſam diſponit, ſed à generante diſponitur. Comparatur de-
Cant. 8. nique ipſa Dei gratia igni: *Lampades eius lampades ignis, atque flammarum* Et Do-
Luc. 12. minus: *Ignem veni mittere in terram.* Nihil autem incipit diſponi ad concipien-
dum ignem, niſi per calorem, qui eſt eiuſmodi ignis effectus. Scripturæ igi-
tur & verbis, & ſimilitudinibus clamant non poſſe peccatorem ad gratiam
recipiendam vlla ſe ratione diſponere.

Prob. 2. Prob. ſecundò eadem veritas ex definitione Eccleſiaſtica.

Prob 3. Prob. tertiò ratione. Nam eius eſt diſponere ad formam, cuius eſt intro-
ducere formam: diſpoſitio enim eſt effectus agentis, non materiæ, aut alte-
rius cauſſæ: gratiam autem iuſtificationis Deus producit, & in animam intro-
ducit. Igitur Deus animam diſponit, ac pręparat, non ipſa ſe diſponere, ac pręparare poteſt, niſi prout mouetur ab ipſo Deo per aliud gratiæ donum. Huc
etiam pertinet ratio ducta ab orationibus piorum, & ab abſurdis, quæ ſupe-
riùs poſitę ſunt ad probandum initium fidei non haberi ſine dono gratiæ.

3. Sententia. Tertia ſententia eſt de dilectione Dei.

1 dilectionis acceptio. Sciendum eſt multiplicem eſſe dilectionis acceptionem. Primùm, accipi
poteſt dilectio Dei, vel pro actione voluntatis; vel pro propenſione quadam
ad Deum, vt finem vltimum, & ſummum bonum. Et de priore quærimus tã-
tùm hoc loco. Nam pro comperto haberi exiſtimamus, naturam voluntatis
propenſam eſſe ad bonum, ac per hoc ad Deum, ad quem facti ſumus: fecit e-
nim nos Deus ad ſe, & ideò inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcamus
in ipſo.

Secundò, dilectio, quæ eſt actus voluntatis, accipi poteſt, vel pro dilectione Dei, vt is eſt auctor naturæ; vel pro dilectione eiuſdem, vt eſt donator fęlicitatis æternæ. Et hoc poſteriore modo concedunt omnes Theologi, non poſſe diligi Deum ſine gratia Dei, & fide præcedente: neque nos de hac re dubitamus. *2. acceptio.*

Tertiò, dilectio Dei, ſiue vt auctor bonorum naturalium, ſiue etiam ſupernaturalium, alia eſt perfecta, alia imperfecta. Idque tribus modis. Alia eſt enim perfecta, quia eſt dilectio Dei ſuper omnia, quæ videlicet Deum rebus omnibus anteponit. Alia eſt imperfecta, quia afficitur quidem erga Deum, ſed non omnibus rebus illum præfert. *3. acceptio.*

Rurſus: Alia eſt perfecta, quia non ſolùm Deum rebus omnibus præfert, ſed maiore ardore, ac vehementia in illum afficitur, quàm in vllam rem creatam; quæ dici ſolet dilectio ſuper omnia, tam appreciatiuè, quàm intenſiuè. Alia eſt imperfecta, quia æſtimat quidem ſuper omnia Deum, & mallet cętera omnia potiùs, quàm illum perdere, tamen non ita vehementer, quod attinet ad intentionem afficitur in Deum, ac in res creatas. Denique: Alia eſt perfecta, quia non modò Deum ſuper omnia diligit vnico aliquo actu voluntatis, dum eum cogitat ſummum eſſe, ac infinitum bonum, ſed etiam perſeuerat in dilectione vſque ad impletionem omnium mandatorum: quę dicitur dilectio ſuper omnia quoad affectum, & effectum. Alia eſt imperfecta, quia afficitur quidem in Deum ſuper omnia, dum eum cogitat ſummum eſſe bonum, & nulla occurrit tentationis occaſio, tamen occurrente obiecto aliquo allicientе, facile deficit, & extinguitur. Nos itaque ſententiam hanc tertiam ita intelligimus, vt exiſtimemus, non poſſe Deum ſine ope ipſius diligi, neque vt auctorem naturæ, neque vt largitorem gratiæ & gloriæ; neque perfectè, neque imperfectè vllo modo.

Prob. primùm ex ſcript. quæ paſsim teſtatur dilectionē eſſe donum Dei. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et: *Charitas ex Deo eſt.* Et: *Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre.* Et: *Fructus ſpiritus eſt charitas, gaudium,* &c. *Prob 1. Rom. 5. 1. Ioan. 4. Ephеſ. 6. Gal. 5.*

Dicent, fortaſſe hæc ſolùm intelligi de amore Dei, vt eſt auctor bonorum ſupernaturalium. At ſcript. nuſquam ita reſtringit donum dilectionis, ſed abſolutè pronunciat charitatem Dei ex Deo eſſe, & per ſpiritum nobis dari: auctor autem bonorum omnium naturalium verè ac propriè Deus eſt: cur igitur eius dilectio non fit ex Deo, & ſpiritus ſancti donum? Præterea; Qui diligit Deum, vt auctorem naturæ, & proximum propter Deum, certè implet totam legem naturalem: nam *plenitudo legis eſt dilectio.* Qui verò totam legem naturalem implet, in eo ſine dubio charitas illa eſt, quam ſcripturæ nobis cōmendant. Nam B. Paulus ſcribens: *Qui diligit, legem impleuit,* de lege naturæ loquitur, vt perſpicuum eſt ex illis verbis: *Non adulterabis, Non occides,* &c. Et illæ conditiones veræ charitatis: *Charitas patiens eſt, benigna eſt,* &c. ſine dubio dilectioni illi conueniunt, qua diligitur ſuper omnia Deus, vt auctor naturę. Denique; Qui diligit Deum, vt auctorem naturæ, certè proximum poteſt diligere, & reipſa diligit, ſicut ſeipſum. At Dominus: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et infrà: *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit:* *Obiect. 1. Solut. Rom. 13. Ibid. 1. Cor. 13. Ioan. 14.*

& qui

& qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Quæ ſint autem præcepta, explicat *Ioan. 15.* alibi: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et infrà: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Itaque vera charitas Dei eſt in eo, qui diligit proximum. Immò *1. Ioan 2.* etiam perfecta charitas: nam: *Qui ſeruat verbum eius, in hoc verè charitas Dei perfe-* *1. Ioan 4.* *cta eſt.* Et: *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta eſt.*

Obiect. 2. Dicent rurſus, eas Scripturas non loqui de quacunque dilectione Dei, ſed de illa tantum, quæ naſcitur ex habitu infuſo, eamque ſolam propriè eſſe do- *Solut.* num Dei, & naturæ viribus non poſſe haberi. At Pelagius non docebat, dilectionem, quæ naſcitur ex habitu infuſo, viribus naturę haberi poſſe: & tamen Auguſtinus, alijque Patres Scripturas à nobis allegatas adducebant contra Pelagianos, qui contendebant Deum diligi poſſe ſine auxilio gratię.

Pręterea; Scriptura diuina non ſolùm prædicat dilectionem eſſe donum Dei, ſed etiam præcipit, vt diligamus Deum. At certè non præcipit, vt diligamus ex habitu infuſo, quem habere non eſt in noſtra poteſtate; ſed vt diligamus Deum ex toto corde; ſicut, cùm præcipit, vt iuſtè, ſobrièque viuamus, non imperat, vt iſta faciamus ex habitu, ſed tantum, vt faciamus. Lex enim de actibus datur, non de habitibus. Igitur dilectio, quę ſecundum Scripturas eſt donum Dei, non eſt ſolùm habitus infuſus, aut actio ex habitu illo ſcaturiens; ſed quęcunque actio, qua diligimus Deum.

Obiect. 3. Dicent fortaſſe poſtremò, Scripturas à nobis allatas non poſſe intelligi de dilectione imperfecta, qua non diligitur Deus ſuper omnia, & toto corde, ſed *Solut.* ſolùm de perfecta. At id quidem verum eſt, quoniam dilectio imperfecta, qua Deus non antefertur omnibus rebus, non meretur nomen charitatis, neque legem implet, neque conueniunt ei encomia, quę paſsim in diuinis litteris tribuuntur charitati: tamen ex ijſdem locis conuincitur imperfecta illa dilectio donum eſſe Dei, & ex ſolis naturæ viribus haberi non poſſe. Nam cuius rei perfectio eſt à Deo, ab illo etiam eſt inchoatio. Et ſicut initium fidei eſſe à Deo probatur, quia fides eſt à Deo; ita quoque initium charitatis Deo tribuendum eſt, quia charitas eſt à Deo.

Prob. 2. Prob. ſecundò teſtimonijs Conciliorum, & S. Auguſtini.

& 3. Prob. tertiò rationibus.

1. Ratio. Prima ratio: Amor Dei ſuper omnia, etiamſi Deum ſolum reſpiciat, vt auctorem naturæ, non patitur ſecum vllum affectum inordinatum; immò includit odium rerum omnium delectabilium contra legem Dei. Ergò, ſi poteſt hic amor naturæ viribus obtineri, poterit homo naturæ viribus implere omnia mandata, viuere ſine omni peccato, immò & à præteritis ſine gratia Dei iuſtificari. Nam implicat contradictionem, vt quis in peccato mortali ſit, & non ſit auerſus à Deo, & conuerſus ad creaturas. Proinde vel per amorem illum Dei ſuper omnia iuſtificabitur à peccatis, vel certè ſimul erit auerſus à Deo, & conuerſus ad Deum, auerſus à creatura, & conuerſus ad creaturam.

2 Ratio. Secunda ratio: Dilectio Dei ſuper omnia eſt vltima, & maxima diſpoſitio ad gratiam remiſsionis peccatorum, ita vt non pręcedat illam remiſsionem *Ioan. 14.* vllo ſpacio temporis: nam Deus diligentes ſe diligit. Et: *Qui diligit me, diligetur*

getur à patre meo. Et peccatrici *remiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7.
Quare, ſi poſſet homo ſuis viribus ſemper diligere Deum ſuper omnia, poſſet ſine vlla Dei gratia præueniente pertingere ad remiſsionem peccatorum: quæ eſt ipſiſsima hæreſis Pelagiana.

Tertia ratio: Nullum opus pietatis fieri poteſt ſolis naturæ viribus, neque contrarium affirmari poteſt ſine periculo hæreſis. At dilectio Dei, quamuis vt auctoris naturæ, & imperfecta, atque inchoata, opus eſt pietatis. Igitur omnis dilectio eget auxilio gratiæ, vt haberi poſsit à nobis. 3. Ratio.

Neque reſponderi poteſt, dilectionem illam ſolam eſſe pietatem, quæ fertur in Deum, vt auctorem beatitudinis. Obiect.

Nam etiam in puris naturalibus teneretur homo Deum colere, quamuis tunc nulla eſſet fælicitatis æternæ promiſsio. Neque dubium eſt, quin pietatis cultus debeatur Deo, quia Deus eſt, id eſt, ſummum bonum, principium primum, & finis vltimus omnium rerum: quod certè illi conueniret, etiamſi ſupernaturalem beatitudinem largiri nemini voluiſſet. Solut.

Quarta ratio: Omnis diſpoſitio ad iuſtificationem ex dono Dei, & gratia illius præueniente oritur. At quæuis dilectio, quantumuis parua, & inchoata, eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, cùm ſit conuerſio, vel certè conuerſionis initium. Igitur ſine dono Dei, & gratia illius præueniente haberi non poteſt. Neque verò neceſſe eſt, vt dilectio Dei feratur in Deum, vt auctorem beatitudinis, vt dici poſsit conuerſio. Nam, quemadmodum auerſio à Deo, vt auctore naturæ, vera eſt auerſio; ita conuerſio ad eundem, vt auctorem naturæ, vera eſt conuerſio. 4 Ratio.

Poſtrema quæſtio eſt: *Sitne homo poſt lapſum primi hominis verè liberi arbitrij in ijs rebus, quæ pertinent ad ſalutem, vt, quamuis nihil poſsit ſine auxilio gratiæ, tamen per gratiam præuenientem excitatus, & à Deo adiutus, ita valeat operari, vt poſsit etiam non operari?* Quæſt. 3.

Affirmatiua pars prob. primùm ex Script. Primum teſtimonium ſumitur ab illis locis, in quibus dicuntur homines in operibus pietatis operarij, ædificatores, plantatores, rigatores, cooperatores, coadiutores Dei. Nam, ſi homines propriè nihil agerent per liberum arbitrium, ſed tantùm ducerentur, & mouerentur, vt mera inſtrumenta, non deberent appellari cooperatores, & coadiutores Dei, ſed ligones, raſtra, ſecures, & alia id genus. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Hîc certè operarij dicuntur, qui bona opera ad ſalutem conducentia peregerunt. Et: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Ibidem: *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores.* Reſp. Prob. 1. Matt. 20 1. Cor. 3

Vbi duo vocabula notanda ſunt: pronomen, *Suum*: nam, ſi rectè labor dicitur noſter, certè nos ipſi Domini ſumus illius actionis, quam laborando efficimus. Alterum eſt vocabulum, *Adiutores*; quod in Græco eſt συνεργοὶ, id eſt, cooperatores, qua voce nulla fingi poteſt aptior. Eadem vtitur Marcus: *Illi verò profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante.* Vbi illud quoque notandum, cû agitur de prędicatione, in qua requiritur opus humanû, & liberû, dici, *Domino cooperante*: cùm verò agitur de miraculis, quę non ſunt in poteſtate hominum, Mar. vlt.

ſed fiunt à Deo per homines, vt mera inſtrumenta, non dici, Domino cooperante; ſed, *Domino confirmante ſermonem ſequentibus ſignis:* vbi miracula ſimpliciter tribuuntur Deo, licet per homines fiant, quoniam non pendent ex libero
Rom. 8. arbitrio. Alius locus eſt: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Vbi Græca lectio duplicem oſtendit ſenſum. Nam illud *συνεργεῖ* poteſt referri ad nomen, omnia, & tunc reddendum eſt, *cooperantur*, & ſenſus eſt diligentibus Deum omnia eſſe vtilia, & cooperari ad ſalutem. Hunc ſenſum facit lectio Latina vulgata, quæ reprehendi non poteſt, cùm non ſit inuſitatũ apud Græcos coniungere nominatiuum numeri multitudinis cum verbo numeri ſingularis. Sed poteſt etiam aptiſsimè referri verbum illud, *συνεργεῖ*, ad nomen, *πνεῦμα*, quod præcedit, vt ſit ſenſus, diligentibus Deum Spiritus ſanctus omnia cooperatur ad bonum.

Prob. 2. Alterum teſtimonium ſumitur ex illis locis, quæ imperant, aut ſuadent hominibus opera pietatis, & ipſam etiam conuerſionem ad Deum. Stultum enim eſſet imperare, aut ſuadere eiuſmodi opera ei, qui non haberet arbitrij
Zach. 1. libertatem. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* Et: *Conuertimini ad me in*
Ioel. 2. *toto corde veſtro.* Et: *Tu fornicata es cum amatoribus plurimis, verumtamen reuertere*
Ierem. 3. *ad me.* Et: *Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum.* Et: *Lauamini, mundi eſtote.* Et:
Ezech. 18. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Et petentibus
Iſa. 1. Iudæis: *Quid faciemus, vt operemur opera Dei?* Reſpondit Dominus: *Hoc eſt opus*
Ioan. 6. *Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille.* Itaque ipſum credere, quod eſt opus Dei, iubet Dominus, vt nos ipſi operemur, ac per hoc iubet, vt Deo in hoc opere
Coloſſ. 3. cooperemur. Item: *Exuite veterem hominem, & induite nouum.* Et: *Cum metu, &*
Philip. 2. *tremore ſalutem veſtram operamini: Deus enim eſt, qui operatur in vobis.* Quid hoc eſt aliud, niſi; Cooperamini Deo ſalutem veſtram in vobis operanti?

Prob. 3. Tertium teſtimonium ſumitur ex illis locis, quæ docent, nos à Deo iuuari in operibus pietatis: non enim propriè dicendus eſt iuuari, qui nihil agit, ſed
Pſal. 26. qui laborat in agendo. *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me.* Et: *Deus in adiutorium*
Pſal. 69. *meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.* Et: *Spiritus adiuuet infirmitatem*
Rom. 8. *noſtram. Nam, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quo loco agitur de oratione, quæ eſt actio maximè pia, & ſalutaris, quam Spiritus ſanctus operatur in nobis, dum facit nos orare, ac gemere. Sed quia non facit id ſolus, ſed nobiſcum, ideò poſuit Apoſtolus illud verbum: *Adiuuat*, quod in Græco multò eſt ſignificantius. Nam *συναντιλαμβάνεται*, qua voce B. Paulus vtitur, propriè dicitur de ijs, qui quaſi è regione manibus capiunt onus, vt laboranti ſuccurrant. Item: *Plus omnibus*
1. Cor. 15. *laboraui, non autem ego, ſed gratia Dei mecum.* Cur non dixit Apoſtolus: Gratia, quæ eſt in me: ſed, gratia, quæ mecum eſt, niſi vt oſtenderet gratiam nobiſcũ laborare, non ſolam operari? Reſpexit enim ad illud: *Mitte illum de cœlis ſanctis*
Sap. 9. *tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.*

Prob. 4. Quartum teſtimonium ſumitur ex ijs locis, quæ docent hominem à Deo
Prou. 11. vocatum poſſe non venire. Nam, cùm per gratiam Dei poſsit venire, vt ad-
Matth. 23. uerſarij concedunt, ſi poſsit etiam gratiæ reſiſtere, & non venire, ſine dubio
Ioan. 6. liberi arbitrij eſſe conuincitur. *Vocaui, & renuiſtis.* Et: *Volui congregare filios tuos,*
Act. 7. *& noluiſti.* Et: *Vultis & vos abire?* Et: *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* Et: *Ego ſto*
Apoc. 3.

ad

ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum.

Prob. etiam libertas arbitrij in operibus pietatis ex traditione veteris Eccleſiæ. *Prob. 5. & 6.*

Prob. denique rationibus iiſdem, quæ ſuperius allatæ ſunt ad confirmandum liberum arbitrium in actione morali. Primùm; Si non eſſet homo liberi arbitrij, ſequeretur non peccare eos, qui nolunt credere in Chriſtum, aut cõuerti nolunt à peccatis, aut nolunt propter Deum bona opera facere. Deinde; Sequeretur non eſſe laudandos, nec vllo præmio dignos eos, qui volunt credere ſperare, diligere, conuerti, propter Deum quoduis arduum, & acerbum pati. Tertiò; Nullum haberent locum in eiuſmodi rebus præcepta, conſilia, cohortationes, admonitiones, reprehenſiones, exempla, &c. Quartò; Tolleretur è medio omnis diligentia, atque induſtria in fide, & pietate augenda, & excolenda.

CAPVT X.

De cooperatione gratiæ, & liberi arbitrij.

SEptem quaſi tempora hominis per Spiritum renaſcentis conſideramus. Primum dici poteſt, cùm omni gratia Dei caret, & in tenebris peccati, vel morte iacet. Secundum cùm à Deo per internam vocationem excitatur. Tertium cùm vocationi acquieſcens eligit pœnitentiam. Quartum cùm incipit opera pœnitentiæ facere, orare, ieiunare, flere, eleẽmoſynas dare. Quintum cùm illi per actionem pœnitentiæ diſpoſito gratia iuſtificationis infunditur. Sextum cùm iuſtificatus opera iuſtitiæ facere ſtatuit. Septimum cùm ipſa opera faciens viam mandatorum magna alacritate percurrit.

De his ſit prima ſententia: *Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non ſolùm ad opera naturalia, & moralia, ſed etiam ad opera pietatis, & ſupernaturalia.* *Propoſ. 1.*

Prob. Prob. Nam liberum arbitrium non poteſt dari, nec tolli per gratiam, neque per peccatum. Manet igitur ante gratiam, & poſt peccatum. Non dari per gratiam certum eſt, quia libero arbitrio poſſumus benè, & malè vti, & non niſi per ipſum peccamus, quando peccamus. At gratiæ donis nemo poteſt malè vti, neque per gratiam vllus peccat. Nec minùs certum eſt, non dari liberum arbitrium per peccatum, quia nemo poteſt benè vti peccato. Non tolli per gratiam, extra controuerſiam eſt, quia gratia perficit, non deſtruit naturam. Non tolli etiam per peccatum, inde conſtat, quòd peccatum lædere potuit naturalia bona, non tamen extinguere.

Secunda ſententia eſt: *Habet homo ante omnem gratiam potentiam remotam, & imperfectam ad opera pietatis facienda.* Prob. nam intelligi non poteſt, quomodo ad opera pietatis actiuè voluntas humana concurrat, ſi non habeat ex ſe potentiam actiuam, ſaltem remotam. *Propoſ. 2. Prob.*

Propoſ. 3. Tertia ſententia: *Non habet homo ante omnem gratiam potentiam proximam, & perfectam ad opera pietatis: & ideò nihil omninò in hoc genere ex ſe facere poteſt.*

Obiect. Solut. Dices: Quomodo liberum eſt arbitrium ad vtrumlibet, ante gratiam, ſi bonum facere non poteſt? Reſp. liberum eſt, ſed libertas eius eſt quaſi ligata, & impedita: ſoluitur autem, cùm potentia proxima ad operandum per Dei gratiam præuenientem ei cõfertur. Simile aliquid videmus in potentia videndi: nam abſente ſpecie ſenſibili habet homo potentiam, & libertatem videndi; nõ enim ea ſpecies cauſſa eſt libertatis, aut potentiæ videndi: tamen potentia remota eſt, & libertas ligata, donec accepta ſpecie potentia perficiatur, & in actum prodire poſsit.

Propoſ. 4. Quarta ſententia: *Gratia excitans interna neceſſario præcedere debet hominis conuerſionem, ſiue ab infidelitate ad fidem, ſiue à peccato ad iuſtitiam; neque ſufficit gratia adiuuans.*

Prob. 1. Ioan. 6. Prob. ex illo: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Tractus enim non eſt gratia adiuuans, ſed excitans, quia præuenit nolentem, vt faciat volentem. Gratia enim adiuuans non præuenit, ſed comitatur; neque, dicitur trahi, qui iuuatur, ſed qui impellitur. Neque per hunc tractum poteſt intelligi prædicatio externa: Dominus enim iam prædicauerat iſtis, quibus hoc dicebat: Sed, quoniam multi ex eis non conuertebantur, ideò adiunxit: *Nemo poteſt, &c.* & addidit: *Omnis, qui audiuit a Patre meo, & didicit, venit ad me.* Ibid.

Prob. 2. Idem etiam prob. ex Concilijs, & Patribus.

& 3. Accedat poſtremò etiam ratio: Nam gratia adiuuans requiritur ad exercitium actus, gratia excitans ad ſpecificationem. Illa enim eſt ratio agendi, & quaſi ſemen fructus futuri. Et ſicut aqua, vt poſsit calefacere, non ſolum exigit concurſum diuinum, quo adiuuetur, ſed etiam vt priùs in ipſa imprimatur forma caloris, quæ ſit ratio agendi: ſic etiam mens humana, vt pariat actum pietatis, non auxilio tantum eget cooperationis Dei, ſed etiam ſemine Spiritus ſancti, quod in gratia excitante, & præueniente, id eſt, in illuminatione cordis, & boni deſiderij inſpiratione conſiſtit.

Propoſ. 5. Prob. Quinta ſententia: *Gratia excitans datur homini ſine vllis meritis præcedentibus, & ſine vlla præparatione.* Prob. Nam, cùm hæc abſolutè prima gratia ſit, non poteſt vlla ratione cadere ſub meritum, ne gratia non ſit gratia: &, cùm hæc eadem ſit prima diſpoſitio ad iuſtitiam, non poteſt eam vlla ratione præcedere alia diſpoſitio.

Propoſ. 6. Prob. Sexta ſententia: *Gratia excitans non datur homini ſine actione ipſius, quamuis ſine cooperatione liberi arbitrij detur.* Prob. Nam gratia excitans duo quædam complectitur, initium bonæ cogitationis, & initium boni deſiderij. Cogitare autem, & deſiderare ſunt actus mentis, & voluntatis. Quare fieri non poteſt, vt quis ſine ſuo actu ad cogitandum, & deſiderandum excitetur. Quia tamen ſunt repentini quidam motus, & omnem deliberationem rationis præueniunt, ideò non ſunt actus liberi arbitrij: qualia ſunt etiam ſæpe immunda deſideria, & ſordidæ cogitationes, quas diabolus interdum nobis inuitis immittit. Et ſicut de malis motibus, quos inuiti patimur, quoniam liberi non ſunt, vere dixit Apoſtolus: *Iam non ego operor illud, ſed, quod habitat in me, peccatum* ita de illis Rom. 7. motibus bonis eadem ratione, quia liberi non ſunt, dicere poſſumus: Iam non ego

ego operor illud, ſed, quæ præuenit me, gratia Dei.

Septima ſententia: *Ad aſſentiendum gratiæ excitanti, ſiue diuinæ internæ vocationi, requiritur neceſſario gratia adiuuans.* Propoſ. 7.

Notandum à nonnullis diſtingui quatuor motus, qui poſſunt in homine exiſtere, cùm à Deo interna inſpiratione excitatur. Vel enim, qui vocatur, reijcit vocantem; vel neque reijcit, neque recipit, ſed ſinit Deum pulſare ad oſtium cordis, & tamen nullo modo afficitur ad pulſantem: vel neque reijcit, neque recipit, ſed gaudet tamen ea vocatione, & incipit affici ad vocantem: vel denique ſimpliciter vocantem amplectitur, & ſe trahi ſinit, quocunque voluerit. Et quidem de primo, & poſtremo cordis motu nulla poteſt eſſe diſcordia. Nota.

Certum eſt enim, poſſe hominem ſine auxilio gratiæ reijcere vocantem: non enim Deus nos ad peccandum adiuuat. Nec minùs eſt certum, non poſſe hominem ſine gratia Dei vocantem amplecti. De ſecundo autem, & tertio vix etiam eſt vlla cauſſa iuſta ambigendi: nam ſecundus pertinet ad primum, & tertius ad poſtremum. Nam audire vocantem, & non ſequi, quid eſt aliud, niſi eum contemnere, & reijcere? Et gaudere de vocatione Dei initium eſt bonæ voluntatis, pijque affectus erga Deum; & licet non ſit abſolutè venire, tamen eſt inclinari ad veniendum, & quaſi itineris inchoatio. Prob.

Octaua ſententia: *Neque gratia excitans, neque adiuuans, vllam imponit homini neceſſitatem, quò minùs poſſit liberè conſentire, aut diſſentire vocanti Deo.* Propoſ. 8.

Nam inprimis gratia excitans, ſi ſolùm ſit ſufficiens, non autem efficax, reijci poteſt, & reipſa reijcitur, vt experientia docet. Si verò ſit efficax, non reijcitur vnquam, neque reijci poteſt ex hypotheſi, ſed abſolutè reijci poteſt. Ratio eſt, quia gratia, quantumuis efficax, nihil eſt aliud, niſi ſuaſio, quæ non determinat voluntatem, ſed inclinat per modum proponentis obiecti. Sed ideò nunquam reijcitur, quia Deus ſic ſuadet, vt videt aptum eſſe homini, vt ſuaſori acquieſcat. Gratia verò adiuuans tribus in rebus conſiſtit. Primò, in directione hominis. Secundò, in protectione eiuſdem, contra varias diaboli tentationes. Tertiò, in cooperatione intrinſeca, ad eliciendum actum cum ipſa voluntate. Et quidem directio, & protectio nullam imponunt neceſsitatem, cùm non attingant ipſum actum liberæ electionis, ſed tantum remoueant impedimenta. Cooperatio autem illa intrinſeca non alio modo concurrit, quàm auxilium generale. Sicut enim ad opera naturalia facienda neceſſarium eſt auxilium generale, ſic ad opera ſupernaturalia auxilium ſpeciale. Et ſicut illud nunquam deeſt ijs, qui habent formas naturales, per quas operari queant: ita neque hoc deeſt vnquam ijs, qui habent formam ſupernaturalem, id eſt, habitus infuſarum virtutum, vel certè gratiam excitantem. Et ſicut denique auxilium generale ita concurrit cum omnibus rebus in actionibus naturalibus, vt tamen non impediat libertatem, & contingentiam: ita auxilium adiuuans ita concurrit ad omnes actiones ſupernaturales, vt non impediat hominis libertatem, quia eodem prorſus modo auxilia iſta concurrunt. Neque hoc negari poteſt à Catholicis ſalua Concilij Trident. auctoritate, quod diſertis verbis docet hominem excitatum, & adiutum liberè moueri in Deum, quoniam vocationem Dei & recipere, & reijcere poteſt. Prob. Seſſ. 6. c. 5. & can. 4.

Propoſ. 9. Nona ſententia: *Fieri poteſt, vt in eadem motione interna duobus adhibita, vnus conuertatur, alius non conuertatur, & vnus magis, alius minùs proficiat.*

Prob. Nam motio diuina relinquit hominem planè liberum, vt poſsit conuerti, & non conuerti, & magis, minùſque proficere. Et confirm. ex parabola ſeminantis: vbi Dominus cauſſam diuerſitatis, cur idem ſemen alicubi multùm, alicubi parum, alicubi nihil omninò protulerit, refert in variam terræ diſpoſitionem. Denique; Accedit etiam communis piorum confeſsio, qui negligentiam ſuam accuſant, & ingenuè profitentur, ſe non tantùm proficere, quantùm poſſent, ſi gratiæ diuinæ maiori ſtudio cooperarentur.

Matth. 13.

Propoſ. 10. Decima ſententia: *Conuerſio hominis ad Deum, vt etiam quodlibet aliud opus pium, quatenus opus, à libero arbitrio eſt tantùm, non tamen ſecluſo auxilio generali; quatenus pium, à ſola gratia eſt; quatenus opus pium, à libero arbitrio, & gratia ſimul.*

Prob. Prob. Nam cauſſa efficiens actionis humanæ, vt eſt actio, eſt ipſa voluntas hominis; vt eſt libera, eſt libertas arbitrij; vt eſt pia, eſt diuinum ſemen, & auxilium tali ſemini conueniens. Proinde gratia ſolùm facit, vt actio humana ſit talis, id eſt, pia, & ſupernaturalis, ad quod ſanè viribus ſuis nunquam ipſa natura pertingeret.

Propoſ. 11. Vndecima ſententia: *Ad opera, quæ ſequuntur actum conuerſionis, tam interna, quàm externa, id eſt, opera pœnitentiæ, quibus ad iuſtificationis gratiam præparamur, non videtur requiri neceſſariò noua aliqua gratia; ſed ſolùm continua directio, & protectio, & conſeruatio diuini ſeminis iam concepti, & formati.*

Prob. Prob. quia poſita voluntate efficaci, non eſt dubium, quin cætera opera neceſſariò conſequantur. Nam, qui vult efficaciter vitam mutare, orare, ieiunare, eleëmoſynas dare, continere ſe à delitijs, & voluptatibus, iſta omnia non difficulter exequitur. Deinde; Sicut in operibus mentis ex principijs cognitis poſſumus diſcurrendo concluſiones colligere: ſic etiam in operibus voluntatis ex amore finis, ſiue naturaliter excitato, ſiue ex diuina inſpiratione concepto, poſſumus ſine dubio abſque noua inſpiratione progredi ad inquiſitionem, & electionem mediorum. Gratia enim non tollit, aut impedit, ſed iuuat, ac perficit naturalem efficaciam liberæ voluntatis. Qui ergò Deo miſericorditer præuenienti, & vocanti acquieſcens, firmiſsimè ſtatuit mutare vitam, poterit ſine nouæ gratiæ inſpiratione inquirere, & accipere media ad hoc vtilia, modò non deſit diuinæ directionis, & protectionis auxilium.

Propoſ. 12. Duodecima ſententia: *Habitus gratiæ iuſtificantis à ſolo Deo infunditur, non tamè ſine præuia diſpoſitione noſtra.*

Prob. Hæc eſt certiſsima, quoniam habitus gratiæ diuina qualitas eſt, quæ non educitur de potentia naturali, ſed per quandam quaſi creationem producitur. Solus autem Deus res creare poteſt. Ex quo ſequitur, cùm gratia præueniens ſemini comparatur, non fieri ſimilem gratiam illam ſeminibus herbarum, quę virtute continent formam rei producendæ; ſed ſemini humano, quod non continet virtute formam humanam, id eſt animã rationalem, quæ à ſolo Deo creatur, ſed diſpoſitiones tantùm ad eam formam recipiendam. *Renati*, inquit B. Petrus, *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei.* Itaque, ſicut in humana generatione ex vi ſeminis diſponitur, formaturque materia, vt fiat apta ad animam ex diuina creatione, atque infuſione recipiendam: ſic etiã

1. Pet. 1.

ex vi

ex vi gratiæ excitantis, & adiuuantis, diſponitur anima peccatoris, vt ei gratia iuſtificans diuino munere infundatur.

Decimatertia ſententia: *Homo iuſtus poteſt, quando vult, iuſtitiam, tam internam quàm externam exercere, id eſt, bona opera facere, ac diuina præcepta ſeruare, neque indiget ordinariè noua gratia excitante, ſed ſolùm adiuuante.* *Propoſ. 13.*

Colligitur ex ſuperioribus. Nam, ſi poteſt homo nondum iuſtificatus ex ſemine bonæ inſpirationis producere fructum conuerſionis, & operum pœnitentiæ, quantò magis ex ſemine gratiæ gratum facientis producere poteſt fructum iuſtitiæ, & bonorum operum? Habetur id præterea diſertis verbis poſitum in canone poſtremo Concilij Arauſicani. Diximus autem *ordinariè*, quoniam non eſt negãdum in arduis quibuſdam operibus noua exigi, & ſpecialia auxilia gratiæ. Requiri autem in omni opere bono, & pio, gratiam adiuuantem, id eſt, dirigentem, & protegentem, nec ſufficere gratiam iuſtificantem, docent Script. Concilia, & Patres paſsim. Illud enim: *Sine me nihil poteſtis facere*, dictum eſt Apoſtolis, qui ſine dubio iuſti erant. Et illud: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem*, &c. intelligunt Patres de anima iuſti, quæ ſine diuina protectione non poteſt tentationi reſiſtere. *Prob.* *Ioan. 15.* *Pſal. 126.*

LIBER

DE IVSTIFICATIONE.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De nomine Iuſtificationis, Iuſtitiæ, & cauſsis Iuſtificationis.

IVSTIFICATIONIS nomen in ſacris litteris multis modis accipitur.

1 Iuſtificationis acceptio. Pſal. 118.

Primùm, pro ipſa lege, quæ iuſtitiam docet: qua notione paſsim vtitur Dauid in Pſalmis: *Iuſtificationes tuas cuſtodiam. Doce me iuſtificationes tuas. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*, &c.

2. Acceptio. 1. Cor. 6. Rom 8. Rom. 4

Deinde, pro acquiſitione iuſtitiæ: *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis*. Et: *Quos vocauit, hos iuſtificauit*. Et: *Credenti in eum, qui iuſtificat impium.*

3. Acceptio.

Tertiò, pro incremento iuſtitiæ. Nam, quemadmodum vſitatè dicitur caleſieri, non ſolùm qui fit calidus ex frigido, ſed etiam qui ex calido fit calidior: ſic etiam iuſtificari dicitur non ſolum is, qui ex impio fit iuſtus, ſed ille quoque, qui ex iuſto fit iuſtior. Sic loquitur Eccleſiaſticus: *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Domini manet in æternum*. Et Iacobus: *Videtis, quod ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm*. Et Ioannes: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.*

Eccli. 18. Iac 2. Apoc. 22.

4. Acceptio.

Quartò, pro declaratione iuſtitię, modo quodam forenſi, vt ille dicatur iuſtificari, qui, cùm eſſet ab accuſatore factus reus alicuius iniquitatis, à iudice per ſententiam declaratur iuſtus, atque abſoluitur. *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, vterque abominabilis eſt apud Deum*. Et: *Væ, qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo*. Et. *Iuſtificata eſt ſapientia ab omnibus filijs ſuis*. Et: *Ille autem volens iuſtificare ſeipſum.*

Prou. 17. Iſa 5. Luca 7. Luca 10.

Porrò Iuſtitia, vnde iuſtificatio nomen habet, nihil eſt aliud, niſi ordinis rectitudo. Id enim eſt iuſtum, quod rectum, & adæquatum, & cum ſua regula optimè congruens.

1. Iuſtitiæ acceptio. Gen. 30. Iſa. 5.

Inueniuntur autem in ſacris litteris plures Iuſtitiæ acceptiones. Interdum enim idem ſonat Iuſtitia, quod Ius. *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea, cùm placiti tempus venerit apud te*. Et: *Iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.*

2. Acceptio.

Interdum accipitur pro rectitudine ſcripta in libris, quæ propriè Iuſtitia

legi

legis dici poteſt: *Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.* Et: *Si præputium iuſtitias legis cuſtodiat.* Pſal 18. Rom 2.

Accipitur tertiò pro rectitudine operum externorum, quæ dici poteſt iuſtitia operum: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plùs, quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Iuſtitia enim Scribarum, & Phariſæorum, tota in externa legis obſeruatione erat, de qua etiam Apoſtolus: *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam ſed non apud Deum*, homines enim laudant eum, quem vident opera externa facere ſecundum regulam iuſtitiæ, de interno affectu minimè iudicantes. Et talis ferè eſt tota iuſtitia politica, quam ſolam Philoſophi cognouerunt, & docuerunt: ea enim ordinat homines inter ſe, quátum ad actiones externas. Eſt autem duplex Iuſtitia iſta politica, & humana: Altera vniuerſalis, quæ & legalis dicitur: Altera particularis. Iuſtitia legalis non eſt vna aliqua virtus, ſed aggregatio omnium virtutum, quæ neceſſariæ ſunt ad leges obſeruádas. Iuſtitia particularis ſpecialis eſt virtus: quæ rurſus diuiditur in Commutatiuam, & Diſtributiuam. 3 *Acceptio.* Matt. 5. Rom. 4.

Denique; Accipitur pro rectitudine interna, qua homo rectè ordinatur erga Deum, & proximum: quæ ſola eſt ſimpliciter abſolute iuſtitia; & dicitur Iuſtitia fidei, quia à fide incipit; & Iuſtitia Dei, quia ab illo donatur. De hac Apoſtolus: *Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt, Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide.* Vbi notandum Iuſtitiam ex lege, quæ opponitur iuſtitiæ ex fide, non eſſe iuſtitiam ex lege, id eſt, iuſtitiam ſcriptam in lege: ſed eſſe iuſtitiam factam ſine auxilio gratiæ, ex ſola cognitione legis. Interna igitur iuſtitia ſedem habet in corde: nam iuſtitia legis eſt in libris; iuſtitia operum in manibus; iuſtitia fidei, ſiue Dei, eſt in animo, id eſt, in volútate, quæ cordis nomine in Script. appellari ſolet. Et ideò in Script. iuſti dicuntur recti corde: *Lætamini iuſti in Domino, & gloriamini omnes recti corde.* Et: *Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia.* Eſt autem hæc iuſtitia duplex: habitualis, & actualis. Cauſſæ autem rerum omnium ſunt quatuor: Finis, Efficiens, Materia, & Forma. 4. *Acceptio.* Philip. 3. Pſal. 31. Pſalm. 96.

Finis iuſtificationis impij eſt gloria Dei, & Chriſti, & ſalus æterna eorum, qui iuſtificantur. Ita docet Concilium Trident. cuius doctrina cum Scripturis ſanctis apertiſsimè congruit. Nam de gloria Dei ſic loquitur Iſaias: *Omnem, qui inuocauit nomen meum, in gloriam meam creaui eum.* Et Apoſtolus: *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ ſuæ.* De gloria Chriſti Apoſtolus: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſsionem conſummare.* Vbi vides propter Chriſtum eſſe omnia, ac per hoc ipſius gloriam finem eſſe totius operis redemptionis humanæ. Quod etiam ex eo poteſt intelligi, quòd, cùm Chriſtus ſit caput omnium iuſtorum, in ipſum redundat omnis gloria iuſtificationis ipſorum. Neque enim dubitari poteſt, quin pulchritudo membrorum pertineat ad gloriam capitis. Denique; Salutem propriam finem eſſe iuſtificationis, docet Apoſtolus: *Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et Petrus. *Vt reportetis finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum.* *Finis Iuſtificationis.* Seſſ. 6. c. 7. Iſa 43. Epheſ. 1. Hebr. 2. Rom. 6. 1. Pet 1.

Cauſſa effi ciens. Cauſſa efficiens primaria eſt bonitas, & miſericordia Dei; effi[illegible]
per modum meriti eſt Chriſti paſsio: efficiens per modum [illegible]
iunĉti eſt ipſa Chriſti humanitas; per modum inſtrumenti [illegible] ver-
bum, & Sacramenta, & qui illa Chriſti nomine adminiſtrant.

Iob 14. De primaria cauſſa efficiente legimus: *Quis poteſt facere m[illegible]*
Iſa. 43. *cóceptũ ſemine? Nónne tu, qui ſolus es?* Et: *Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates t[illegible]*
Rom. 3. *pter me.* Et: *Vnus eſt Deus, qui iuſtificat circũciſionem ex fide, & præputiũ per [illegible]* De-
nique; cùm iuſtificatio impij conſtet ex remiſsione peccati, & [illegible]
tiæ adoptionis filiorum Dei, quis poteſt remittere peccata, id eſt, d[illegible]
tracta cum Deo, niſi ipſe Deus? & quis poteſt adoptare ſeruum, & inim[illegible]
in filium Dei, niſi idem Deus?

Iſa. 53. De cauſſa meritoria Iſaias: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit [illegible]*
Rom. 3. *longæuum, & iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos.* Et Apoſtolus: *Iuſtificati gratis*
per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propi-
1. Pet. 1. *tiatorem,* &c. Et Apoſtolus Petrus: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti*
eſtis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati, & incontaminati, Chriſti. Et Ioan-
1. Ioan. 2. nes: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam [illegible]*
totius mundi.

Notandum autem Chriſtum non eſſe cauſſam meritoriam, quaſi P[illegible]
gratiam Filij nobis peccata remiſerit, quomodo ſæpe Reges in gratiam [illegible]
corum petentium reos abſoluunt: ſed quoniam precium redemptionis [illegible]
perſoluit, & ex rigore iuſtitiæ (vt Theologi loquuntur) pro noſtris o[illegible]
ſceleribus ſatisfecit. Id enim ſignificant Scripturæ, cùm vocabulo [illegible]
Seſſ. 6. c. 7. tionis vtuntur: & hoc idem indicare voluit Concilium Trident. c[illegible]
Chriſtum cauſſam eſſe meritoriam noſtræ iuſtificationis, quia [illegible]
pro peccatis noſtris integrè ſatisfecit, & nobis reconciliationem, gra[illegible]
promeruit.

De cauſſa inſtrumentaria, ſed coniunĉta, loquitur Script. c[illegible]m D[illegible]
Iſa. 53. ratione aſſumptæ naturæ brachium Domini nominat. *Quis [illegible]*
ſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet, ſicut virgultum, [illegible]
tanquam radix de terra ſitienti, non eſt ſpecies ei, neque decor, &c.

De cauſſa inſtrumentaria ſeparata, id eſt, de verbo Dei, & Sa[illegible]
de ipſis miniſtris verbi, & Sacramentorum, Script. diu[illegible]a freq[illegible]
Iac. 1. quitur. De verbo: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Item: *S[illegible]*
1. Pet 3. *bum, quod poteſt ſaluare animas veſtras.* De Sacramentis: *Saluos [illegible]*
Tit. 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis,* &c. De Miniſtris: *Dei a[illegible]*
1. Cor. 3. Et: *Poſuit in nobis verbum reconſiliationis.* Et: *Quorum remiſ[illegible] peccata, [illegible]*
2. Cor. 5.
Ioan. 20. *tur eis,* &c.

Cauſſa materialis. Cauſſa materialis dici poteſt animus hominis, ſiue ipſa eius vol[illegible]
qua iuſtitia, tanquam in ſubiecto, & ſede propria commoratur. P[illegible]
quoque ad materialem cauſſam diſpoſitiones, quæ materiam præ[illegible]
recipiendam formam. Dicuntur autem diſpoſitiones ad iuſtificatio[illegible]
omnes actus gratiæ, & liberi arbitrij, quibus donum ipſum iuſtifi[illegible]
Seſſ. 6. c. 6. quiritur: quales ſunt ex ſententia Concilij Tridentini actus fidei, [illegible]
ſpei, pœnitentiæ.

Cauſſa formalis intrinſeca iuſtificationis eſt habitus gratiæ, ſiue charitatis infuſus. Cauſſa formalis extrinſeca, quæ & exemplaris dicitur, eſt ipſa Christi iuſtitia. *Nam quos præſciuit, eos Deus prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui*, vt Apoſtolus loquitur: qui etiam monet, vt portemus imaginem hominis cœleſtis, id eſt, Chriſti, ſicut portauimus imaginem hominis terreni, id eſt, Adami. Denique, Formalis cauſſa non in habitu, ſed in actu, ſunt ipſa opera iuſta, quæ etiam effectus iuſtitiæ, vel iuſtificationis dici poſſunt. Ex his ſolùm tria in quæſtionem vocantur: diſpoſitiones, cauſſa formalis intrinſeca, & iuſtitia actualis. Cætera enim omnia, vel conceduntur ab omnibus, vel alibi tractata ſunt. *Cauſa formalis.* *Rom. 8.* *1. Cor. 15.*

CAPVT II.

De fide iuſtificante.

VT à diſpoſitionibus, quæ iuſtificationem præcedunt, principium faciamus, Catholici agnoſcunt quidem vocabulum fidei in diuinis litteris non ſemper vno, & eodem modo ſumi. Illic enim: *Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit?* fides pro fidelitate, id eſt, conſtantia in ſeruanda promiſſione, accipitur. Et ibi: *Primam fidem irritam fecerunt*, fides promiſſionem ipſam, votumque ſignificat. Et illic: *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, fides pro cõſcientia ponitur. Et ibi: *Vna fides, vnum baptiſma*, fidei nomine ipſum fidei obiectum deſignari videtur, vt ſenſus ſit; Idipſum omnes credimus, quemadmodum eodem ritu baptizati ſumus: tamen fidem hiſtoricam, & miraculorum, & promiſſionem, vnam, & eandem eſſe docent; atque illam vnam non eſſe propriè notitiam, aut fiduciam, ſed aſſenſum certum, atque firmiſſimum ob auctoritatem primæ veritatis; & hanc vnam eſſe fidem iuſtificantem. Quanquam, quòd attinet ad voces, Catholici non vtuntur nomine fidei hiſtoricæ, ne videantur ſentire res geſtas Sanctorum, quæ referuntur in Script. non credi, niſi propter ipſius hiſtorici auctoritatem: ſed vocant ſimpliciter fidem Catholicam, aut etiam fidem dogmaticam. *Fidei variæ acceptiones.* *Rom. 3.* *1. Tim. 5.* *Rom. 14.* *Epheſ. 4.*

Itaque in tribus rebus ab hæreticis Catholici diſſentiunt. Primùm, in obiecto fidei iuſtificantis, quod hęretici reſtringunt ad ſolam promiſſionem miſericordiæ ſpecialis: Catholici tam latè patere volunt, quàm latè patet verbũ Dei; quin potiùs certam promiſſionem ſpecialis miſericordiæ non tam ad fidem, quàm ad præſumptionem pertinere contendunt. Deinde, in facultate, & potentia animi, quæ ſedes eſt fidei. Siquidem illi fidem collocant in voluntate, cùm fiduciam eſſe definiunt, ac per hoc eam cum ſpe confundunt. Fiducia enim nihil eſt aliud, niſi ſpes roborata. Catholici fidem in intellectu ſedem habere docent. Denique; in ipſo actu intellectus. Ipſi enim per notitiam fidẽ definiunt, nos per aſſenſum. Aſſentimur enim Deo, quamuis ea nobis credenda proponat, quæ non intelligimus. *Tres cum hæreticis controuerſiæ.*

Probo igitur primùm ex diuinis litteris fidem iuſtificantem non eſſe fiduciã

miſericordiæ, ſed ſolùm aſſenſum firmum, ac certum ad ea omnia, quæ Deus credenda proponit.

Fidei definitio. *Heb. 11.* Primum teſtimonium ſumi poteſt ex definitione fidei: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* *Subſtantia* Græcè eſt ὑπόστασις, id eſt, baſis, ac fundamentum. *Sperandarum rerum,* Græcè eſt ἐλπιζομένων, quod ambiguum eſt, & verti poteſt, tum ſperantium hominum, tum rerum ſperatarum, ſiue ſperandarum. Iuxta priorem lectionem ſenſus erit, fidem eſſe ſubſtantiam ſperantium, id eſt, quaſi vitam, & animam, quæ ſuſtentat hominem iuſtum, qui deſpiciens terrena ſperat, atque expectat æterna. Quo ſenſu dictum *Heb. 10.* etiam eſt: *Iuſtus ex fide viuit.* At Baſilius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, OEcumenius hunc locum paſsiuè accipiunt, quos ſecutus eſt antiquus noſter interpres, qui reddidit, *Rerum ſperandarum.* Sed ſententia eſt omninò eadem: nihil enim aliud eſt fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum, niſi, quæ ſperantur, quoniam futura ſunt, non habere vllam ſubſiſtentiam, vel fundamentum, niſi in intellectu per fidem. Itaque fides eſt quaſi vita, & anima rerum, quæ ſperantur, quoniam eas apprehendens, ac menti repręſentans, facit eas quodammodo eſſe menti præſentes, ac viuere, quamuis in ſe reuera non ſint, niſi futuræ. Idem autem eſt, fidem eſſe ſubſtantiam ſperantium, & ſubſtantiam rei ſperatæ: ideò enim dici poteſt ſubſtantia ſperantium, quia eſt ſubſtantia rei ſperatæ; id eſt, ideò fide ſe ipſe ſuſtentat, qui ſperat, quoniam ſubſtantia rei ſperatæ non eſt, niſi fides. Illud autem, quod ſequitur: *argumentum non apparentium,* Græcè eſt, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, id eſt, demonſtratio, ſiue conuictio eorum, quæ non conſpiciuntur. Quæ verba ſic exponunt aliqui, vt velint eſſe repetitionem ſententiæ ſuperioris, vt ſenſus ſit: Fides facit ea quodammodo extare, quæ non ſunt, ſed ſperantur futura, & facit quaſi cerni, & ſpectari res eaſdem, cùm in ſe minimè appareant. Sed non ita eſt: nam idem Apoſtolus explicans paulò pòſt obiectum fidei, non reſtringit illud ad res futuras, quæ ſperantur; ſed extendit ad omnia, quæ Deus reuelare dignatus eſt, ſiue ſint futura, ſiue præterita, ſiue ſperanda, ſiue timenda. Nam dicit fide, nos credere *aptata eſſe ſæcula verbo Dei,* quod prçteritum eſt: & fide S. Noë ob metum diluuij aptaſſe arcam; diluuium autem futurum quidem erat, ſed metuendum, non ſperandum. Verba igitur illa: *argumentum non apparentium,* non referuntur ad res ſperatas, ſed explicant aliam fidei virtutem, quæ eſt conuincere intellectum, atque eum adducere, vt aſſentiatur ijs, quæ non capit, nec intelligit. Itaque definitio fidei ab Apoſtolo tradita duas continet fidei proprietates: vnam, quod faciat in animo ſubſiſtere ea, quę ſperantur futura; alteram, quod intellectum faciat ijs aſſentiri, quæ non intelligit. Ex quo intelligitur fidem Chriſtianam (hanc enim definit Apoſtolus) diſtingui ab omnibus aliis habitibus intellectus. Nam ea particula, *Subſtantia rerum ſperandarum,* diſtinguit fidem Chriſtianam à fide politica, & humana, tum, quia fides humana poteſt eſſe fallax, & ideo non meretur nomen ſubſtantię, id eſt, fundamenti, ac baſis firmæ, ac ſolidæ: tum, quia nomine rerum ſperandarum intell[illegible]a diuina, & cœleſtia, ad quæ fides humana non peruenit. Ea vox *argumentum,* ſiue conuictio, diſtinguit fidem Chriſtianam ab opinione, ſuſpicione, & dubitatione. Iſta enim non conuincunt, neque cogunt intellectum ad aſſenſum.

De[illegible]-

Denique; Duæ illæ voces, *Non apparentium*, diſtinguunt eandem fidem à ſcientia, & intellectu, quę non patiuntur obſcuritatem, ſed lumen, & euidentiam requirunt. Oſtendamus nunc falſam eſſe aduerſariorum ſententiam de notione fidei iuſtificantis. Nam, quod Apoſtolus hoc loco definiat fidem iuſtificantem, negari non poteſt: cùm enim extremo dixiſſet: *Iuſtus ex fide viuit: quòd ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ. Nos autem non ſumus ſubtractionum filij in perditionem ſed fidei in acquiſitionem animæ*: continuò ſubiungit nullo interpoſito verbo: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*, &c. Vbi vides, definiri eam fidem, ex qua iuſtus viuit, & ex qua placemus Deo, & cuius filij ſumus in acquiſitionem animæ, & à qua qui ſe ſubtrahit, in perditionem ruit. Denique; In reliquo capite non ſemel Apoſtolus repetit hanc eſſe fidem, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & per quam ſancti omnes Deo placuerunt. Heb. 10. Heb. 11.

Quòd autem hæc fides non ſit fiducia, ſed aliquid ad intellectum pertinẽs, probat primò illud verbum, *Subſtantia*. Nam ſubſtantia rei futuræ dicitur fides, quia facit præſentia ea, quę ſunt alioqui futura: at repręſentare non eſt voluntatis, vbi eſt fiducia, ſed intellectus. Ille enim rem apprehendens per ſpeciem ſibi impreſſam facit rem eſſe, antequam ſit. Prob. 1. Fidem non eſſe fiduciam.

Secundò, Idem probat illud verbum, *argumentum*. Nam, ἔλεγχος, id eſt, demonſtratio, & conuictio, ad intellectum pertinet, vt etiam ipſum nomen Latinum, *argumentum*: eius enim eſt conuinci argumentis, cuius eſt aſſentiri, & iudicare.

Tertiò, Accedit illud, quod ſequitur: *Fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei*. Vbi deſcribitur actus fidei per vocem intelligendi, quæ nullo modo ad fiduciam accommodari poteſt.

Quartò, Idem confirmat illud: *Fide Noë metuens aptauit arcam*, &c. Vbi fidei actus non poteſt eſſe fiducia, quia fiducia non gignit metum, ſed expellit: proinde fidei actus in Noë fuit credere certo futurum diluuium; nam ex illo actu credendi metus exortus cauſſa fuit, cur fabricaretur arca.

Quintò denique; Idem probant illa verba: *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Nam accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Vbi ſine dubio per verbum, *credere*, explicantur actus fidei iuſtificantis, neque poteſt vlla ratione ipſum credere detorqueri ad fiduciam. Non enim confidimus Deum eſſe, ſed certò iudicamus, & aſſentimur.

Quod autem fides iuſtificans non ſit propriè notitia, ſed aſſenſus in rem etiam incognitam, probat illud: *argumentum non apparentium*. Hinc enim intelligimus fidei officium non eſſe, efficere, vt obſcuræ res fiant perſpicuæ, ſed vt credantur, etiamſi non appareant. Mirè enim coniunxit Apoſtolus, *argumentũ*, cum, *non apparentium*, vt ſignificaret fidem id facere, quod faciunt alia argumẽta, ſed alio modo. Nam argumenta, & maximè demonſtrationes faciunt, vt intellectus omninò aſſentiatur, ſed hoc faciunt per euidentiam rei intellectũ conuincendo, dum cauſſas ipſas, & proprietates aperiunt. At fides facit quidem, vt intellectus omnino aſſentiatur, ſed non per euidentiam rei, & notitiam cauſſæ, & proprietatum, ſed cedendo auctoritati dicentis. Itaque in fide manet res obſcura, vt anteà erat, ſed creditur propter auctoritatem dicentis: & ita propriè loquendo non eſt notitia, ſed aſſenſus. Quòd autẽ Apoſtolus ait: Prob. 2. non eſſe notitiam.

Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, non ſignificat, fide planè cognoſci creationem ſeculorum, ſed per verbum intelligendi exprimere voluit apprehenſionem, & aſſenſum intellectus. Omnis enim actus intellectus ſignificari poteſt per verbum, *intelligere.*

Prob fidem non reſpicere ſpecialē miſericordiam tantum. Quod fides iuſtificans non habeat pro obiecto miſericordiam ſpecialem, ſed omnia, quæ Deus reuelauit, prob. primum ex illis verbis: *Sperandarum rerum.* Nam ſpecialis miſericordia non eſt res aliqua ſperanda, ſed donum præſens, aut præteritum, vt ipſimet aduerſarij dicunt, qui ad fidem dicunt pertinere, vt vnuſquiſque credat ſibi eſſe remiſſa peccata, ſeque per Chriſtum gratum eſſe Deo, & pro iuſto reputari. Secundò: Idem prob. ex illis verbis: *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo* Dei. Et ex illis: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt,* &c. Denique, ex toto illo capite, vbi fidei tribuuntur plurima, & ſpecialis miſericordiæ nulla fit mentio. Denique; Quòd vna, & eadem ſit fides hiſtorica (ſi tamen hoc nomine appellare fas eſt aſſenſum, quem adhibemus narrationi rerum præteritarum, non ob hominum, ſed ob ipſius Dei, qui reuelauit auctoritatem) fides miraculorum, & promiſsionum, ac per hoc fides iuſtificans nō ſit ſola fides promiſsionum, perſpicuè prob. ex eodem loco: nam eidem fidei, quam definiuit, & quam iuſtificantem eſſe oſtendimus, tribuit Apoſtolus, quòd per eam intelligamus *aptata eſſe ſecula Verbo* Dei, quod ad hiſtoriam pertinet. Item, quòd per eam *ſancti vicerint regna, obturauerint ora leonum, extinxerint impetum ignis,* &c. quæ pertinent ad miracula. Denique; quod per eandem *adepti ſimus repromiſſiones,* quod ad promiſsiones ſpectat.

Prob. 2. fidē non eſſe fiduciam. Rom. 4. Iam verò fidem non eſſe fiduciam, prob. ex alijs Scripturis. Primo ex illo: *Non infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, & emortuam vuluam Saræ: in repromiſſione etiam* Dei *non hæſitauit diffidentia; ſed confirmatus eſt fide dans gloriam* Deo, *pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit* Deus, *potens eſt & facere. Ideo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Vbi loquitur Apoſtolus de fide iuſtificante, vt perſpicuum eſt ex vltimis verbis. Quid autem fuerit illa fides, explicat per propoſitionem negantem, & affirmantem. Per negantem, cùm dicit: *Non conſiderauit corpus ſuum emortuum,* &c. Conſideratio autem ad intellectum pertinet, ad quem non pertinet fiducia. Per affirmantem, cùm ait. *Pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit* Deus, *potens eſt & facere.* Pleniſsimè ſcire, intellectus eſt, non voluntatis: ſicut contrà, fiduciam habere voluntatis eſt, non intellectus. Porrò vox Græca, πληροφορηθεὶς, ſignificat propriè, pleniſſimè perſuaſus, ſiue, pro certo habens, quæ omnia ad intellectum pertinent. Neque mouere nos debet illud: *Non hæſitauit diffidentia*: nam diffidentia poſita eſt ibi pro incredulitate, in Græco eſt, ἀπιςία.

1. Cor. 13. Secundò prob. ex illo loco: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas.* Vbi diſtinguit Apoſtolus fidem à ſpe, & ita facit duo quædam diuerſa: manifeſtum autem eſt fiduciam nihil aliud eſſe, quam

Iob. 8. ſpem roboratam. Vnde dicitur: *Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela araneæ fiducia eius.*

Pſal. 39. Et pro eo, quod dixit Dauid: *Beatus vir, cuius eſt nomen* Domini *ſpes eius,*

Ierem. 17. dixit Ieremias: *Benedictus vir, qui confidit in* Domino, *& erit* Dominus *fiducia eius.* Itaque fiducia ex fide quidem oritur, ſed non poteſt idem eſſe cum fide, niſi confundere velimus, quæ tam apertè Apoſtolus ipſe diſtinxit.

Tertiò

Tertiò prob. ex illo: *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium* 2. Cor. 10.
Chriſti. Vbi B. Paulus per fidem dicit intellectum captiuum duci in obſequiũ Chriſti, quia cogitur credere, quod non intelligit. Proinde fides manifeſtè ad intellectum, non ad voluntatem pertinet.

Quartò prob. ex illis verbis. *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia* Epheſ. 3.
per fidem eius. Quod ſi habemus acceſſum ad Deum in confidentia, ſeu fiducia per fidem, certè ſequitur, quòd fides non ſit fiducia, ſed fiduciæ cauſſa. Alioqui ſenſus huius loci eſſet: habemus acceſſum in confidentia per confidentiã; quod abſurdũ eſſe non eſt dubiũ. Non diſsimiliter diſtinguitur fides à fiducia Matth. 9.
ibi: *Confide, filia, fides tua te ſaluam fecit*. Vbi excitatur ad fiduciã concipiendã illa mulier, quæ iam ex fide ſanata fuerat. Et: *Qui bene miniſtrauerint, gradum bonũ* 1. Tim. 3.
ſibi acquirent; & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto. Vbi fiducia in fide acquiri dicitur, quia poteſt eſſe fides ſine tali fiducia.

Quintò, Accedant omnia illa loca, quæ docent obiectum fidei iuſtificantis eſſe omnia illa, quæ Deus reuelauit: quæ adferentur infra. Neque enim fiducia tam latè patere poteſt, cùm ſolùm bona, & ea futura reſpiciat.

Sextò: Accedant etiam illa loca, vbi actus fidei dicitur eſſe credere: *Credi-* Rom. 4.
dit Abraham Deo, &c. Nam, ſi Script. diuina per fidem intelligeret fiduciam, actum eius explicaret per verbum, fidere; non per verbum, credere. Quòd ſi aduerſarij contendant ipſum etiam (credere) vſurpari in ſacris litteris pro eo, quod eſt (fidere) aut (confidere) cogentur abſurdiſsimè, atque ineptiſsimè loca quædam explicare. Vt exempli gratia, cùm dicitur: *Non creditis, quia ego in* Ioan. 14. Act. 8.
Patre, & Pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite. Et: *Credo filium Dei eſſe Ie-* Rom. 10.
ſum Chriſtum. Et: *Corde creditur ad iuſtitiam*. Et ſuprà: *Si in corde tuo credideris, quia Deus eum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris*.

Secundò, fidem non eſſe notitiam, ſed aſſenſum, prob. ex diuinis litteris. Prob. 2. Fidẽ non eſſe notitiam.
Nam Iſaias apertè proteſtatur: *Niſi credideritis, non intelligetis*: Vbi videmus, fidem non eſſe intelligentiam, ſed viam, & gradum ad intelligendum. Quod Iſa. 7.
etiam dixit de rebus naturalibus Philoſophus: *Addiſcentem oportet credere*. Item, Apoſtolus diſtinguit notitiam myſteriorum à fide, tanquam duo diuerſa dona: *Si habuero omnem ſcientiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem fidem*. Et enu- 1. Cor. 13.
merans dona Dei, dicit alij dari ſermonem ſapientiæ, alij ſermonem ſcientiæ, 1. Cor. 12.
alij fidem, id eſt, eximiam fidem, quæ montes etiam transferre poſsit.

Rurſus; Dicit ſe per Euangelij prædicationem in captiuitatem redigere 2. Cor. 10.
omnem intellectum in obſequium Chriſti. At certè non eſſet neceſſe captiuare intellectum, vbi eſt notitia veritatis. Quo etiam pertinet obedientia fidei, de qua tam ſæpe idem Apoſtolus concionatur. Quorſum enim obedientia in credendo opus eſſet, ſi per fidem notitia haberetur?

Eadem etiam eſt ſententia veterum Patrum.

Denique; in eo, qui credit duo ſunt; apprehenſio, & iudicium, ſiue aſſen- Prob 3. & 4.
ſus: ſed apprehenſio non eſt fides ſed aliquid fidem præcedens. Poſſunt enim etiam infideles apprehendere myſteria fidei. Prætere a; Apprehenſio non dicitur propriè notitia, ſi ſit rudis, & confuſa; diſtincta autem, & perſpicua non neceſſariò requiritur ad fidem. Nam poteſt accidere, vt Philoſophus Ethnicus apprehendat non ſolùm confuſè, ſed etiam diſtinctè myſterium Trinita-

tis,

tis, & ſubtiliſsimè intelligendo diſcernat eſſentiam, & relationes, atque alia id genus; & tamen non credat: contrà autem Ruſticus Catholicus non apprehendat, niſi confuſè, tria illa nomina, & tamen verè credat. Iudicium autem, ſiue aſſenſus, duplex eſt. Alter enim ſequitur rationem, & euidentiam rei, alter auctoritatem proponentis. Prior dicitur notitia: poſterior fides. Nam myſteria fidei, quæ rationem ſuperant, credimus, non intelligimus: ac per hoc fides diſtinguitur contra ſcientiam, & melius per ignorantiam, quàm per notitiam definitur.

Prob. 2. Fidē non reſpicere ſpecialem miſericordiā tātùm. Denique; Fidei iuſtificantis obiectum non eſſe ſpecialem miſericordiam, ſed omnia, quæ Deus reuelauerit, prob. primùm ex Euangelijs. Nam fides certè, quàm Chriſtus exigebat, & in cuius confirmationem miracula faciebat, fides erat iuſtificans. Huius rei cauſſa fidem prædicabat, & confirmabat, *Luc. 19.* vt per eam homines ſaluarentur. *Venit enim quærere, & ſaluum facere, quod perierat.* *1. Tim. 1.* Et: *Venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.* Et ideò Pater *ſic dilexit mun-* *Ioan. 3.* *dum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Videamus igitur, quam fidem Chriſtus exigeret, quam laudaret, quam hortaretur, quam denique ſignis, & prodigijs comprobaret. *Matth. 9.* Dominus cæcis petentibus lumen: *Creditis,* inquit, *quia hoc poſſum facere vobis?* Illis reſpondentibus: *Vtique Domine*; ait: *Secundum fidem veſtram fiat vobis.* Vbi Dominus fidem omnipotentiæ, ac diuinitatis ſuæ, non miſericordiæ ſpecialis *Matth. 16.* exigit. Cùm S. Petrus confeſsionem fidei ſuæ illis verbis edidiſſet: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: eam fidem ita Dominus commendauit, vt diceret: *Beatus es Simon Bar Iona, quia non reuelauit tibi caro, & ſanguis, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Eandem S. Petri fidem omnes Patres miris laudibus extulerunt, vt quæ perfecta fides fuerit. Similis fuit confeſsio fidei in Centurione, quam Chriſtus ita mi- *Luc. 7.* ratus eſt, vt diceret: *tantam fidem ſe non inueniſſe in Iſraël.* Neque enim aliud ſe credere Centurio ille profeſſus eſt, niſi Chriſti omnipotentiam, & diuinitatem, dicens: *Dic tantum verbo, & ſanabitur puer* meus. Et, cùm Nathanaël dixiſſet: *Rabbi, tu es Rex Iſraël, tu es filius Dei:* Dominus fidem eius approbans ait: *Ioan. 1.* *Quia dixi, vidi te ſub ficu, credis.* Et cùm Dominus longa oratione ad fidem hortatus fuiſſet Iudæos, & illi non credentes abirent, Apoſtolos interrogauit, an *Ioan. 6.* & ipſi vellent abire? reſpondit autem Petrus nomine omnium: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, quia tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ex quo intelligimus hanc ipſam fuiſſe fidem, quam Dominus requirebat. Et cùm dixiſſet Marthæ: *Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, non morietur in æternum.* *Ioan. 11.* *Credis hoc?* Reſpondit illa: *Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.* Et, Dominus docens, quod ſit obiectum fidei, *Ioan. 14.* quam in nobis requirit: *Non creditis*, inquit, *quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite.* Et, cùm Thomas aliquandiu incredulus, tandem viſo Domino exclamaſſet: *Dominus meus, & Deus meus*: ſubiunxit Dominus: *Ioan. 20.* *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Vbi certè beati dicuntur, qui credunt, Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, & Dominum, *Ibid.* ac Deum eſſe. Id enim eſt, quod Thomas credidit. Denique; *Hæc ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* Hæc igitur fides, quæ reſpicit Chriſti diuinitatem, ipſa eſt, quæ & iuſtificat,

& vi-

& vitam æternam tribuit. Atque hæc teſtimonia probant, fidem iuſtificantem habere pro obiecto aliquid aliud, præter miſericordiam ſpecialem.

Sed addamus alia teſtimonia, quibus probemus, non ſolùm fidem iuſtificantem alia obiecta reſpicere; ſed etiam fidem eſſe iuſtificantem, quamuis non reſpiciat miſericordiam ſpecialem, & non eſſe fidem iuſtificantem, ſi eam miſericordiam fortè reſpiciat. Leproſo dicenti: *Domine, ſi vis, potes, me mundare*: Dominus ait: *Volo mundare*. Leproſus iſte de voluntate Domini, ac per hoc de miſericordia ſpeciali, ſine dubio ambigebat: alioqui non dixiſſet: *Si vis, potes*. Et tamen, quia non defuit illi fides omnipotentiæ, & diuinitatis, impetrauit, quod petijt. Ex quo intelligimus, fidem eius fuiſſe talem, qualem Dominus exigebat, & in cuius confirmationem miracula faciebat: quamuis deeſſet illi certitudo de miſericordia ſpeciali. Phariſæus confidebat ſe eſſe iuſtum, & ideò orans dicebat: *Gratias tibi ago, Domine, quia non ſum, ſicut ceteri homines, &c.* Contra: *Publicanus non audebat oculos ad cælum leuare, ſed à longè ſtans, & pectus percutiens orabat: Deus propitius eſto mihi peccatori*. Et tamen *deſcendit hic iuſtificatus ab illo*, id eſt, præ illo. Itaque Phariſæus habuit fidem ſpecialis beneuolentiæ, & tamen repulſam paſſus eſt: Publicanus caruit fiducia illa, & cum timore, ac tremore ad Deum acceſsit, & iuſtificatus eſt. Neque dici poteſt habuiſſe Phariſæum fidem, vel fiduciam beneuolentiæ ob propria merita, quaſi iuſtitiam ſuam ex ſe habere ſe crederet. Nam agebat gratias Deo de ſua iuſtitia; proinde à Deo ſe habere eam credebat. Non igitur iuſtificatur, qui iuſtum ſe eſſe confidit, ſed qui cum metu, & tremore ſalutem ſuam operatur. Accedat vltimò illud: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Cùm hoc dixiſſet, mox adiunxit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent*, &c.

Prob 3.
Mar. 1.
Luca 18.
Mar. vlt.

Vbi apertiſsimè videmus fidem miraculorum vnam, & eandem eſſe cum fide iuſtificante, & ſaluante: certum autem eſt fidem miraculorum non reſpicere, tanquam obiectum, ſpecialem miſericordiam remiſsionis peccatorum, ſed omnipotentiam, & diuinitatem filij Dei. Non diſsimilia his addi poſſunt ex Actis, & epiſtolis Apoſtolorum. Narrantur enim in Actis conciones Petri, & Pauli, quibus explicatio, & doctrina fidei continetur. In ijs autem nullum eſt verbum de ſpeciali miſericordia, ſed totæ conſumuntur in explicanda, & perſuadenda reſurrectione, & diuinitate Chriſti.

Act. 2. 4. 10. 13. & 17.

Item; Cùm Philippus ab Eunucho Baptiſmum poſtulante quæſiuiſſet, crederetne ex toto corde, reſpondit ille: *Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*. Atque hoc reſponſo Philippus contentus, Eunuchum continuò baptizauit. Eſt igitur fides verè iuſtificans, nõ qua credimus Deum nobis eſſe propitium, alioqui perperam egiſſet Philippus, qui ſine tali fide Eunuchum baptizaſſet; ſed qua toto corde, id eſt, ſine vlla hæſitatione credimus Ieſum eſſe Chriſtum, ac filium Dei, ac per hoc etiam Deum. Apoſtolus Paulus explicans fidem Abrahæ, quæ reputata eſt illi ad iuſtitiam, non dicit eum credidiſſe ſibi per miſericordiam ſpecialem remiſſa fuiſſe peccata; ſed patrem ſe futurum multarum gentium ex filio, quem ſibi centenario vxor nonagenaria, & ſterilis præter ſolitum ordinem curſumque naturæ paritura eſſet.

Act. 8.
Rom. 4.

Id enim credere nihil aliud erat, niſi credere Deum, qui promiſerat, omnipotentem, ac fideliſsimum eſſe. Itaque Abrahæ fides ideò tanto præconio ab Apoſtolo laudatur, & in exemplum omnibus fidelibus ponitur, *quia* (vt ipſe dicit) *in repromiſsione Dei non hæſitauit, neque conſiderauit corpus ſuum emortuum, & emortuam vuluam Saræ, ſed dedit gloriam Deo, pleniſsimè perſuaſus, quoniam, quæ promiſit Deus, potens eſt, & facere.*
Rom. 10. Item: *hoc* (inquit idem Apoſtolus) *eſt verbum fidei, quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quia Deus eum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris.* Hic quoque apertiſsimè videmus, obiectum fidei iuſtificantis, & ſaluantis, eſse reſurrectionem Filij Dei.
1. Cor. 13. Idem coniungit fidem, qua montes transferri poſsunt, quam illi vocant fidem miraculorum, cum ſpe, & charitate, vt intelligamus, fidem miraculorum non eſse aliam, quam fidem, quæ cum ſpe, & charitate iuſtificat.
1. Cor. 15. Idem: *Notum vobis facio* (inquit) *Euangelium, quod prædicaui, in quo ſtatis, per quod & ſaluamini, niſi fortè fruſtrà credidiſtis. Tradidi enim vobis inprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas,* &c. Vbi ſine dubio fidei ſaluantis obiectum explicatur; nec tamen dicitur: Tradidi vobis, vt vnuſquiſque ſe certè credat per Chriſtum eſse iuſtificatum; ſed, Tradidi vobis credendam paſsionem, & ſepulturam, & Reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Denique, S. Ioannes:
1. Ioan. 5. *Omnis,* inquit, *qui credidit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Et infrà: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt filius Dei?*

Prob. 4. & 5. Prob. etiam obiectum fidei iuſtificantis ex traditione Eccleſiaſtica.

1. Ratio. Denique, prob. rationibus. Prima ratio: Fides in nihil aliud collimare debet, niſi in verbum Dei. Non enim poteſt eſse certa, & infallibilis, niſi eius auctoritate nitatur, qui nec falli poteſt, nec fallere. At in verbo Dei nuſquam reperitur annunciata ſalus, vel remiſsio peccatorum mihi, aut illi in particulari, exceptis quibuſdam paucis, vt Paralitico, cui dictum eſt: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et peccatrice, de qua dictum eſt: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et fortè adultera, cui dictum eſt: *Vade, & iam ampliùs noli peccare.* Et Zachæo, de quo dictum eſt: *Hodie ſalus huic domui facta eſt, eò quòd & ipſe ſit filius Abrahæ.* Et latrone, cui dictum: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Non igitur poſsunt reliqui homines credere, niſi omninò temerè, tanquam ex verbo Dei, ſibi peccata eſſe remiſſa.

Matth. 9. Luc. 7. Ioan 8. Luc. 19. Luc. 23.

2. Ratio. Secunda ratio: Fides iuſtificans præcedere debet iuſtificationem. Fides autem ſpecialis miſericordiæ ſequitur iuſtificationem. Igitur fides ſpecialis miſericordiæ non eſt fides iuſtificans. Propoſitio huius argumenti certiſsima eſt. Nam fides eſt cauſſa iuſtificationis: cauſſam enim ſignificant illæ præpoſitiones, *ex*, &, *per*, cùm dicitur: *Iuſtificati ex fide.* Et: *Qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Omnis autem cauſſa prior eſt effectu. Quocirca S. Auguſtinus hunc ordinem ſtatuit inter actus Iuſtificationis, vt primo loco ſit lex, per quam eſt cognitio peccati: ſecundo fides, quæ gratiam impetrat contra peccatum: tertio gratia, quæ à peccato iuſtificat. Aſſumptio eiuſdem argumenti nullo negotio demonſtratur. Nam, ſi fides illa ſpecialis non ſequitur iuſtificationem, falſa eſſe conuincitur. Quomodo enim vera fides eſt, qua credo

Rom. 5. Rom. 3. L. de ſpiritu, & littera, c. 30.

credo mihi eſſe remiſſa peccata, ſi, dum ita credo, nondum ſunt remiſſa peccata, ſed ſunt per hunc ipſum actum poſtea remittenda? Deinde; Si obiectum huius fidei eſt illa propoſitio: Mihi ſunt per Chriſtum peccata remiſſa; certè prior debet eſſe remiſsio, quàm fides, cùm omnis actus pendeat ab obiecto, non contrà, obiectum ab actu.

Tertia ratio: Fides illa ſpecialis, quam aduerſarij fingunt, tollit è medio orationem, ſacramenta, opera bona, & quidquid aliud ad ſalutem noſtram Deus inſtituit. Non igitur fides iuſtificans, ſed fides iuſtificationē impediens, & in exitium, ac perditionem adducens iure nominari poteſt. Nam, ſi certò, atque ex fide credere debeo, mihi peccata eſſe remiſſa per Chriſtum, quomodo poſſum cum Publicano dicere: *Deus, propitius eſto mihi peccatori?* aut cum Apoſtolis, & Eccleſia vniuerſa: *Dimitte nobis debita noſtra*; niſi hæſitem in fide, & Deum mendacem efficiam? Cur enim, ſi precarer à Deo, vt Verbum ipſius caro fieret in vtero Virginis, infidelis iudicarer, & non ſimiliter infidelis iudicabor, ſi petam à Deo remiſsionem peccatorum, cùm non minùs certa fide credere debeā mihi remiſſa eſſe peccata, quàm Verbū carnem in vtero Virginis iam factum? Deinde; Quid opus eſt Baptiſmo, ſi per fidem, quæ Baptiſmū præcedere debet, certus ſum mihi iam remiſſa eſſe peccata? Idem de Sacramento pœnitentiæ, alijſque remedijs peccatorum diuinitùs inſtitutis dici poteſt. 3. Ratio.

Quarta ratio: Tametſi fiducia obtinendæ veniæ, qualis eſſe in homine pœnitentiam agente debet, præcedat iuſtificationem; tamen fiducia, qua quis confidit ſibi eſſe remiſſa peccata, ſeque Deo gratum eſſe, & hæredem regni, de qua loquuntur aduerſarij, pendet à bona conſcientia, & perſeuerantia in dilectione Dei, & bonis operibus; vt perſpicuè tradunt ſacræ litteræ: *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino.* Et: *Dirige viam tuam, & ſpera in illum.* Item: *Et tu ad Dominum Deum tuum conuerteris, miſericordiam, & iudicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper.* Et: *Manete in eo, vt, cùm apparuerit, habeamus fiduciam.* Et: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Et: *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Igitur præexigit iuſtificationem, non illam efficit: ac proinde non eſt fides iuſtificans, ſed aliquid fide iuſtificante poſterius. 4. Ratio. Pſal. 4. Eccliſ. 2. Oſe. 12. 1. Ioan. 2. 1. Ioan 3. 2. Pet. 1.

Quinta ratio propriè Caluinum reſpicit: Fides iuſtificans pacem, & tranquillitatem animi parit, iuxta illud: *Iuſtificati ergò ex fide pacem habemus ad Deum.* At fides illa ſpecialis, quàm Caluinus docet, perturbationem, & deſperationem mentibus adfert. Vult enim Caluinus fide ſpeciali nō ſolùm credi oportere, nobis per Chriſtum remiſſa eſſe peccata, ſed etiam planè cognoſci nos ad numerum prędeſtinatorum certò pertinere, & fidem ſemel habitam amitti non poſſe. At quis, obſecro, talem ſe fidem habere ſperare poteſt? &, ſi hęc ipſa fides, & ſola ipſa iuſtificat, quis iuſtum ſe futurum eſſe, aut vnquam ſe fuiſſe confidet? Falli enim poſse eos, qui ſe prædeſtinatos, aut nunquam lapſuros arbitrantur, docet apertiſsimè experientia. 5. Ratio. Rom. 5.

CAPVT III.

An fides ſola iuſtificet?

Queſt. NOTA quæſtionem iſtam diſputari poſſe de diſpoſitionibus ad iuſtitiam: *An videlicet per modum diſpoſitionis iuſtificet?* Item, de ipſa formali iuſtificatione: An, vt homo ſit formaliter iuſtus, requiratur obedientia legis, ſaltem in habitu; an verò ſufficiat fides apprehendens Chriſti iuſtitiam? Denique, de conſequentibus iuſtitiam: nimirum; Vtrum ad iuſtitiam retinendam, & conſeruandam requirantur opera bona; an fides ſola ſufficiat?

Reſp. Nos hîc tantum primam quæſtionem explicabimus: reliquas in ſequentibus. Cæterum Catholici, ac præſertim Synodus ipſa Tridentina, ſeptem actus *Seſſ.6.c.6.* enumerauit; quibus impij ad iuſtitiã diſponuntur, videlicet fidei, timoris, ſpei, dilectionis, pœnitentię, propoſiti ſuſcipiendi Sacramenti, & propoſiti nouæ vitę, atque obſeruationis mandatorum Dei.

Itaque hominem non ſola fide iuſtificari quinque argumentis principalibus demonſtrare conabimur.

Prob. 1. Hominem non ſola fide iuſtificari Primum eſt ex eo, quòd Script. & Patres tribuunt vim iuſtificandi non ſoli fidei, ſed etiam alijs virtutibus, quas Concilium Trident. inter diſpoſitiones ad iuſtitiam numerauit.

1. Diſpoſitio ad iuſtificationem. Prima diſpoſitio *Fides*, de qua ſuperuacuum eſt oſtendere per eam iuſtificari impium, cùm aduerſarij id non negent. Quare probabimus fidem non tam iuſtificare, quàm iuſtificare, vt initium, & radicem primam iuſtificationis. Hinc enim ſequetur, non ipſam ſolam iuſtificare, ſed ſic eam agere in hoc negotio, quod ſuum eſt, vt etiam cæteris virtutibus locum relinquat. Igitur *Heb. 11.* Fidem eſſe initium iuſtificationis, docet Apoſtolus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*, &c. Vbi tribuitur Fidei prima motio in Deum, per quam is, *Rom. 10.* qui longè erat, iam incipit propinquare. Idem: *Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Sed quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quomodo credent ſine prædicante? Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Vbi hunc ordinem iuſtificationis deſcribit Apoſtolus, vt Primò ſit miſſio prędicatorum; Secundò ipſa prędicatio Euangelij. Tertiò Fides. Quartò inuocatio. Quintò ſalus, id eſt, iuſtificatio, quę eſt ſanitas animę à morbo peccati. Ex quibus miſſio, & prędicatio extra nos ſunt, proinde prima inchoatio iuſtificationis in nobis eſt fides, quam ſequitur inuocatio, & cętera ordine ſuo. S. etiam Ioannes, cùm *Ioan.1.* ait: *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*; apertè docuit, eos, qui per fidem Chriſtum recipiunt, nondum eſſe filios Dei, ſed poſſe fieri, ſi pergant vlterius, vt etiam ſperare, & diligere incipiant. *1. Ioan. 2.* Dilectio enim propriè filios Dei facit, vt idem Ioannes docet.

Prob. eadem veritas etiam teſtimonijs Patrum.

Prob. denique ratione naturali: Nam poteſt aliquis credere, quod non ſpe-

rat,

rat, neque diligit; non poteſt ſperare, aut diligere, quod non credit. Igitur fundamentum ſpei, & charitatis eſt fides; non contra fundamentum fidei ſpes, aut charitas. Rurſus; In corporalibus morbis initium ſalutis eſt, credere ſe ægrotum, & medico curare volenti fidem habere: non tamen ſola illa fides eſt integra ſanitas.

Secunda diſpoſitio eſt *Timor*: quem bonum eſſe, docent ea loca, quę volunt illum concurrere ad iuſtificationem eo ferè modo, quo fides ipſa concurrit. *2. Diſpoſitio.*

Primùm igitur Fidem iuſtificare didicimus ex Apoſtolo, qui ait: *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo*. Sed hoc idem dicitur de Timore: *Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari.* *Heb. 11.* *Eccli. 1.*

Deinde; Fides iuſtificat, quia initium eſt iuſtitiæ, & ſalutis. At *Timor Domini eſt initium ſapientiæ*. Et per *ſapientiam* intelligitur perfecta iuſtificatio, quæ totum hominem componit. Per *Timorem* autem iſtum, qui eſt initium ſapientiæ, intelligunt timorem ſeruilem, qui eſt in peccatore (de quo hîc diſputamus) ferè omnes Patres. *Pſal. 110.* *Prou. 1.*

Præterea; Fides iuſtificat, quia per eam quærimus Deum, atque ad eum accedimus, vt etiam aduerſarij docent: ſed idem facit Timor, quia ſcriptum eſt: *Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum*. Et: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Item; Ad timorem incuſſum à Iona Rex, & populus Niniuiticus rediit ad Deum. Ad hæc; Fides iuſtificat, quia per eam *formatur Chriſtus in nobis*. At de Timore Iſaias ſecundum LXX. *A timore tuo concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis*. Rurſus; Fides iuſtificat, quia *iuſtus ex fide viuit*. Et de Timore ſcriptum eſt: *Timor Domini fons vitæ*. Denique; Fides iuſtificat, quia purgat peccata, vt Apoſtolus docet. At de Timore legimus: *Timor Domini expellit peccatum*. Neque deſunt etiam in hac parte teſtimonia Patrum. Accedat deinde ratio. Natura enim Timoris eſt, vt fugiat mala, & quærat remedia, quibus illa poſsit euadere. Hinc S. Ioannes Bapt. dicebat: *Quis vobis demonſtrauit fugere à ventura ira?* Et nos videmus quotidie, nunquam eſſe homines magis de ſalute æterna ſollicitos, quàm cùm ingens aliquis timor, aut peſtis, aut naufragij, aut tonitruum, aut cœleſtium fulminum ingruit. *Pſal. 77.* *Pſal. 82.* *Iona 3.* *Gal. 4.* *Iſa. 26.* *Habac. 2.* *Prou. 14.* *Act. 13.* *Rom. 3.* *Gal. 3.* *& alibi.* *Eccleſ. 1.* *Matth. 3.*

Tertia diſpoſitio eſt *Spes*, quæ naſcitur ex Fide, non ſecus ac Timor. Eadem enim fides, quæ docet Deum iudicem eſſe iuſtiſsimum, & vindicem peccatorum acerrimum, & ideò gehennam ignis inextinguibilis peccatoribus obſtinatis, & impœnitentibus præparaſſe; docet etiam eundem eſſe Patrem clementiſsimum, & nolle mortem peccatorum, ſed vt conuertantur, & viuant, & ideò Filium ſuum in terras miſiſſe, ac paratum eſſe propter merita Filij ſui peccatores omnes in gratiam recipere, ſi pœnitentiam agere, & ad ſe toto corde redire velint. Hanc igitur Spem obtinendæ veniæ diſpoſitionem eſſe ad iuſtitiam, & remiſsionem peccatorum, docet Sapiens: *Qui ſperat in Domino, ſanabitur*. Et Dauid: *Saluabit eos, qui ſperauerunt in eo*. Et: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum*. Et Dominus: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Priùs enim dixit Dominus, *Confide, fili*, quàm iuſtificauit; &, cùm eum in ſpem ſalutis erectum vidit, adiunxit: *Remittuntur tibi peccata tua*, vt Concilium Tridentinum ſignificat. *3. Diſpoſitio.* *Prou. 28.* *Pſal. 36.* *Pſal. 90.* *Matth. 9.* *Seſſ. 6. c. 6.*

4. *Diſpoſitio.* Quarta diſpoſitio eſt *Dilectio.* Statim enim ac incipit aliquis ſperare ab alio beneficium, incipit etiam eundem diligere, & benefactorem, atque auctorẽ eius boni, quod ſperat. Itaque qui ſperat à Deo iuſtificationem, incipit Deũ diligere (vt Concilium Tridentinum loquitur) vt iuſtitiæ fontem. Porrò dilectionem aliquam eſse priorem remiſsione peccatorum, vel tempore, ſi ſit dilectio imperfecta; vel certè natura, ſi ſit perfecta, & ex toto corde, at-
Eccli. 2. que ad eam diſponere, docet inprimis Eccleſiaſticus. Nam, poſtquam dixerat: *Qui timetis Dominum, ſperate in illo,* ſubiungit: *Qui timetis Dominum, diligite*
Luc. 7. *illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Docet deinde Saluator: *Remiſſa ſunt ei pecca-*
Gal. 5. *ta multa, quoniam dilexit multùm.* Docet quoque Apoſtolus: *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Docet item S.
1. Ioan. 3. Ioannes: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Docet deni-
Can. vlt. que Concilium Arauſicanum.

5 *Diſpoſitio.* Quinta diſpoſitio eſt *Pœnitentia,* dolor videlicet, ac deteſtatio peccati, de qua multa extant in diuinis litteris teſtimonia. Sed nos ea ſolùm adferemus, quæ probant, per eam diſponi homines ad iuſtificationem, & remiſsionem
Act. 11. peccatorum. Tale eſt illud: *Ergò & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et
2. Cor. 7. illud: *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Et
Ezech. 18. illud: *Cùm auertit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam ſuam viuificabit.* Quid clariùs dici poterat? Si pœnitentia datur à Deo ad vitam, id eſt, ad obtinendam vitam: ſi dolor peccati propter Deum ſuſceptus pęnitentiam in ſalutem operatur: ſi is, qui pœnitentiam agit, ipſe animam ſuam viuificare dicitur; quomodo fides ſola iuſtificat? aut quomodo pœnitentia non iuſtificat?

6. *Diſpoſitio.* Sexta diſpoſitio eſt *Propoſitum, ac deſiderium Sacramenti reipſa ſuſcipiendi.* Nam
Ioan. 3. cùm ſcriptum ſit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire*
Ioan. 20. *in regnum Dei:* Et: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:* qui iam didicit, neceſsariam medicinam ad curanda peccata lauacrum eſse Baptiſmi, & poſt Baptiſmum reconciliationis poteſtatem Sacerdotibus eſse conceſsam à Chriſto; certè non poteſt rectè diſpoſitus dici ad iuſtificationem, niſi eiuſmodi media ab ipſo Domino inſtituta deſideret, ac
Act. 2. requirat. Itaque S. Petrus vtrumque coniunxit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.*

7. *Diſpoſitio.* Septima diſpoſitio eſt *Propoſitum nouæ vitæ, & obſeruationis omnium mandatorũ,*
Ezech. 18. de qua Dominus: *Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, & facite vobis cor nouum, et ſpiritum nouum.*

Prob. 2. hominem non ſola fide iuſtificari. Alterum argumentum principale hac ratiocinatione poteſt concludi: Si Fides à Spe, & Dilectione, alijſque virtutibus ſeparetur, ſine dubio iuſtificare non poterit: Non igitur Fides ſola iuſtificare poteſt. Conſeq. prob. Si tota vis iuſtificandi eſset in ſola fide, ita vt cæteræ virtutes, quamuis præſentes adeſsent, ad iuſtificationem nihil omninò conferrent, vt aduerſarij docent, profectò fides ipſa tam iuſtificaret præſentibus illis, quàm abſentibus. Igitur, ſi abſentibus illis iuſtificare non poteſt, efficitur, vt iuſtificandi vis non ſit in ipſa ſola, ſed partim in ipſa, partim in alijs. Anteced. prob. Fides ex doctrina aduerſariorum relatiuè iuſtificat: igitur poſita fide in homine, in eodem temporis puncto ponitur & iuſtitia. Relatiua enim ponuntur ſimul, & ſimul tolluntur,

luntur, cùm non poſsit vnum eſſe, aut intelligi ſine altero. Rurſum; si fides ſola iuſtificat, quia relatiuè iuſtificat, non poteſt eſse in animo hominis, quin ſimul in eodem ſit etiam iuſtitia. At ſine dilectione non poteſt eſse iuſtitia, quoniam *qui non diligit, manet in morte.* Igitur fieri non poteſt, vt fides à dile- *1. Ioan. 3.*
ctione ſeiuncta iuſtificet: ac per hoc non ipſa ſola iuſtificat: quoniam, ſi ſola iuſtificaret, etiam ab omnibus alijs virtutibus ſeiuncta iuſtificaret. Præterea; Si fides à virtutibus cæteris ſeparata iuſtificare poſſet, poſſet etiā id præſtare cū vitijs, quæ virtutibus illis contraria ſunt. Nā, ſicut nihil prodeſt fidei, quòd attinet ad officium iuſtificandi, præſentia aliarum virtutum, quia ipſa ſola iuſtificat: ita nihil oberit ei, quòd attinet ad officium iuſtificandi, præſentia vitiorum, quia per accidens cum ea iunguntur ſiue vitia, ſiue virtutes, & ipſa ſola iuſtificat. At nulla ratione cogitari, aut fingi poteſt, vt ille ſit iuſtus, qui odit Deum, & proximum, quique voluntatem gerit fornicandi, furandi, mētiendi, &c. Eſſet enim iuſtus is, qui non ſolùm non eſt iuſtus, ſed etiam ſceleratus, & iniuſtus.

Porrò veram fidem, & Chriſtianam, quæ per modum diſpoſitionis iuſtifi- *Prob. 1. Fidē*
cat impium, poſſe à dilectione, alijſque virtutibus ſeparari, prob. primò. Nam *poſſe ſeparari*
à charitate.
de Principibus Iudæorū ita ſcribitur: *Veruntamen multi ex Principibus crediderunt* *Ioan. 12.*
in eum, ſed non confitebantur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Hic Euāgeliſta teſtatur in Principibus illis fuiſſe fidem abſque charitate.
Item: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habue-* *1. Cor. 13.*
ro, nihil ſum. Item; S. Iacobus non ſolùm docet, ſed etiam probat, fidem ſine operibus non iuſtificare, & tamen ſine operibus inueniri poſſe. *Quid proderit,* *Iac. 2.*
inquit, *fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare illum?*

Secundò prob. ex illis Scripturis, quæ docent, in Eccleſia eſſe bonos, & *Prob. 2.*
malos: vt eſt ſimilitudo palearum, & tritici in eadem area: ſimilitudo piſciū *Matth. 3.*
bonorum, & malorum in eodem reti: ſimilitudo venientium ad nuptias ſine *Matth. 13.* *Matth. 22.*
veſte nuptiali: ſimilitudo prudentium virginum, & fatuarum; ouium & hœ- *Matth. 25.*
dorum. Quoniam enim, qui ſunt in Eccleſia, fideles ſunt, ſi iidem mali eſſe poſsint, certè ſequitur, fidem, vnde fideles dicuntur, cum peccato, vnde dicūtur mali, poſſe eſſe coniunctam.

Tertiò prob. à ratione propria fidei, & charitatis. Nam, ſi fides, & chari- *Prob. 3.*
tas inter ſe disiungi non poſſent, vel id eſſet, quòd vna eſſet de ratione alterius; vel certè, quòd vna neceſſariò naſceretur ab altera. Neutrū dici poteſt.
Non primum: nam fides, & charitas non ſunt vna virtus, ſed duæ: *Nunc ma-* *1. Cor. 13.*
nent tria hæc; fides, ſpes, charitas. Et: *Finis præcepti charitas de corde puro, conſcientia* *1. Tim. 1.*
bona, & fide non ficta. Et præterea habent diuerſa ſubiecta, actus, & obiecta.
Fides enim eſt in intellectu; charitas in voluntate: Fides credit, vel (vt ipſi dicunt) confidit; charitas diligit. Denique; Fides reſpicit primam veritatem; charitas ſummum bonum. Non item ſecundum: nam tametſi charitas oriatur ex fide, tamen non oritur, vt propria paſsio, quæ neceſſariò fluit à ſubiecto; ſed vt virtus, ad quam alia diſponit, & inclinat. Fides enim dicitur gignere charitatem, quia diſponit, & inclinat eum, qui credit, ad diligendum eum, cui credit. Diſpoſitio autem, & inclinatio non cogit, ſed liberum relinquit.

relinquit hominem,vt diligat,ſi velit,& non diligat, ſi non velit.

Prob. 4. Quartò prob.ab abſurdo, quod ſequitur ex doctrina aduerſariorum. Ipſi enim ideò contendunt, hominem ſola fide iuſtificari, quoniam, ſi iuſtificatio pendet à conditione operum, aut obedientia legis, nemo certus eſſe poſſet, ſe eſſe iuſtificatum:&,quia in hac certitudine iuſtificationem ſitam eſſe credunt, efficeretur,impoſsibilem eſſe iuſtificationem.At,ſi fides neceſſario coniuncta eſſe debet cum dilectione, & operibus bonis, ita vt alioqui non ſit fides, ſed vmbra quædam, & ſpectrum fidei, certè ſequitur, iuſtificationem hoc ipſo, quòd pendet à vera fide,pendere etiam ab operibus,& dilectione,quæ eſt impletio legis:ac per hoc,neminem certum eſſe poſſe, ſe eſſe iuſtificatum, atque eſſe omnino impoſsibilem iuſtificationem. Ita videlicet eſt ſtabile ædificium hæreticorum dogmatum, vt vndique ruinam minetur.

Prob 5. Quintò accedat conſenſus veterum Patrum, quibus nunquam in mentem venit hæc abſurditas,vt non poſsit eſſe fides,vbi non eſt charitas.

Prob.3.Hominem non ſola fide iuſtificari. Tertium argumentum principale, quo probamus fidem non ſolam iuſtificare,ſumitur à remotione cauſſarum, quæ poſsent reddi, cur fides ſola iuſtificet. Omnes enim eiuſmodi cauſsæ ad tria capita reuocari poſsent.

Primum caput eſt auctoritas verbi Dei.

Secundum eſt voluntas Dei iuſtificantis, quia videlicet placuit Deo dare iuſtificationem cum ſola conditione fidei.

Tertium eſt natura ipſius fidei,quia ipſa ſola id habet vt apprehendat iuſtificationem, & nobis applicet,ac noſtram eſse faciat.

Quod attinet ad primum, ſi Scriptura expreſsè alicubi dicat: Sola fides iuſtificat; id ſine dubio credendum erit,etiamſi nulla reddatur cauſſa,cur id fiat. Sed nuſquam hactenus oſtendere potuerunt aduerſarij in Scriptura illam particulam,*Sola*,cùm de fide iuſtificante agitur. Nos autem expreſſum verbū

Iac. 2. proferimus,vbi habetur negatio eius vocis,aut Synonimæ: *Videtis,quia ex operibus iuſtificatur homo,& non ex fide tantum?*

Quod ad alterum caput attinet, non videntur aduerſarij in illo magnam ſpem ponere, quippe qui vt plurimum negare ſolent, Deum nos iuſtificare ob meritum fidei, aut propter noſtræ fidei virtutem. Cæterum, ſi admittant ſolam fidem ideò iuſtificare, quia Deus requirat conditionem ſolius fidei, manifeſtis Script. teſtimonijs repugnabunt. Scripturæ ſiquidem multo apertius exigunt ad iuſtificationem conditionem pœnitentiæ, & Sacramentorum, quam ipſius fidei. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt,vita viuet,&c.* Et: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.*

Ezech. 18. Lucæ 13. Ioan. 3.

Tertium caput etiam facilè refellitur. Primùm enim fides non dicitur propriè apprehendere. Apprehenſio enim, cùm refertur ad intellectum, eſt cognitio rei,prout in ſpecie repræſentatur,& diſtinguitur à iudicio,quod rem apprehenſam diſcernit ac dijudicat,verane ſit,an falſa. Illa autem cognitio apprehenſiua præexigitur quidem ad fidem, ſed non eſt ipſa propriè fides: nam etiam infideles apprehendere poſſunt myſteria fidei, cùm tamen ea non credant. Fides igitur conſiſtit potius in iudicio, quàm in apprehenſione.

Qui

Qui enim iudicat ſiue per ſcientiam, ſiue per fidem, nihil apprehendit, ſed rem apprehenſam diſcernit. Neque ideò res eſt vera, quia intellectus credendo, vel ſciendo iudicat eſſe veram, ſed contrà, ideò intellectus verè iudicat, id eſt, verè ſcit, aut verè credit, quia res eſt vera. Eadem quoque ratio eſt de fiducia, ſi per fidem fiduciam intelligi velint. Confidere enim non eſt apprehendere, ſed firmiter adhærere rei apprehenſæ. Nam, qui ſe doctum eſſe, aut fore confidit, non apprehendit doctrinam ea fiducia, neque incipit eſſe doctus, quia confidit ſe eſſe doctum, ſed opinioni de ſua doctrina conceptæ firmiter adhęret. Sed eſto, apprehendatur aliquo modo iuſtificatio per fidem, certè non ita apprehenditur, vt reipſa iam habeatur, & inhęreat, ſed ſolùm, vt ſit in mente per modum obiecti actione intellectus, aut voluntatis apprehenſi: vt hoc modo apprehendunt etiam amor, & gaudium. Itaque, ſi fides iuſtificat, quia iuſtitiam apprehendit, dum credo, aut confido me eſſe iuſtum; ipſa etiam charitas iuſtificat, dum diligo, & gaudeo me eſſe iuſtum per Chriſtum. Et reuera, ſi per eiuſmodi apprehenſionem iuſtificamur, id tribui deberet maximè charitati, quæ omnia, quantumuis aliena, facit eſſe noſtra.

Quartum argumentum petitur ex modo iuſtificandi ipſius fidei. Nam, ſi aduerſarij perſuaderi poſſent fidem iuſtificare impetrando, aut promerendo, & ſuo quodam modo inchoando iuſtificationem, ſine dubio non negarent id etiam dilectioni, & pœnitentiæ, alijſque bonis actibus conuenire. Probemus igitur fidem veram, & iuſtificantem non eſſe (vt aduerſarij volunt) nudam, & ſolam apprehenſionem iuſtitiæ, ſed eſſe cauſſam, & vim habere iuſtificandi. Poſſunt autem argumenta omnia ad tria capita reuocari. *Prob. 4. Hominem non ſola fide iuſtificari.*

Primum ducetur ab ijs teſtimonijs, quæ docent fidem eſſe cauſſam iuſtificationis in genere. *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem.* Ibidem: *Vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Et: *Iuſtificati ergò ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Et: *Salui facti eſtis per fidem.* In his, & ſimilibus locis præpoſitionem, *per*, &, *ex*, veram cauſſam ſignificare, probamus primò ex contrario. Nam, cùm Apoſtolus ſcribit ſępe, hominem non iuſtificari per opera, aut ex operibus; per legem, aut ex lege; ſine dubio excludit efficientiam, & vim legis, & operum in iuſtificando; non autem ſolam apprehenſionem relatiuam. Nemo enim dubitare poterat, quin lex, & opera non iuſtificarent apprehendendo iuſtitiam relatiuè. Ac per hoc ineptiſsima fuiſſet Apoſtoli ſententia, ſi id ſignificare voluiſſet, iuſtitiam apprehendi fide, non lege, aut operibus. Sicut ineptiſsimè loqueretur, qui diceret, eleëmoſynam apprehendi manu, non calcaneo. Præterea; Ij, quos Apoſtolus reprehendit, cùm affirmat, & probat, hominem non iuſtificari ex lege, aut operibus, non ſomniabant, lege, aut operibus, quaſi manu, apprehendi iuſtitiam: ſed exiſtimabant, merito operum ſuorum, & obſeruationis legis Moyſaicæ ſibi debitum fuiſſe aduentum Chriſti, & iuſtificationis donum; vt perſpicuum eſt ex eadem epiſtola ad Rom. & Galatas. Inde enim cogebant Pſeudo-Apoſtoli Gentiles ad legis obſeruationem, vt ipſi quoque merito obſeruationis legis pertinere poſſent ad Chriſtum, & ad indulgentiam peccatorum, & ad ipſam fidei gratiam. *1. Argumentum. Rom 3. Rom. 5. Epheſ. 2. Rom 3. & 4. Gal 2. & 3. & alibi.*

NNNN n Igitur,

Igitur, cùm idem Apoſtolus fidei tribuit, quod negat operibus, & legi, dicés hominem iuſtificari per fidem, non per legem; ex fide, non ex operibus; ſine dubio tribuit fidei efficientiam, & meritum aliquod reſpectu iuſtificationis, quod tamen meritũ nõ ex nobis, ſed ex Deo eſt, cuius donum eſt fides: & ideò cum fide gratiam adiungit Apoſtolus, dicens nos gratis iuſtificari per gratiam Dei, per fidem Ieſu Chriſti, &c. Secundò probamus ex alijs locis, vbi habetur præpoſitio, *per*, aut *ex*. Nam ſi in omnibus alijs locis ſignificat cauſſam, cur non etiam cauſſam ſignificabit, cùm dicitur homo iuſtificari per fidem, aut ex fide? Omitto loca illa, vbi iuſtificari per Chriſtum, per ſanguinem eius, per mortem ipſius; item ex ipſo, per ipſum, & in ipſo eſſe omnia; & alia id genus, vbi præpoſitionem, *per*, aut, *ex*, cauſſam ſignificare nemo dubitauit vnquam. Illis tantùm locis contentus ero, vbi de ipſa fide agetur. Cùm igitur dicitur:
Heb. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonum*, &c. particula, *per*, non apprehenſionem, ſed veram cauſſam ſignificat. Non enim per fidem apprehenderunt regna relatiuè, ſed reipſa fide armati filij Iſraël obtinuerunt regna Chanaan. Neque Daniel, Dauid & Samſon per fidem apprehenderunt victoriam contra leones, ſed fide muniti, & implorantes auxilium Dei beſtias illas ſuperauerunt. In eodem cap. accipit Apoſtolus pro eodẽ, aliquid fieri per fidem, aut fide, vt omnes concedunt. Cùm igitur dicitur Abel obtuliſſe plurimam hoſtiam, & Noë aptaſſe arcam in ſalutem, & Abraham obediuiſſe, vt exiret in alium locum; & hæc omnia tribuit fidei, apertiſsimè fidem facit cauſſam. Nam Abel fidei, ſeu per fidem obtulit plurimam hoſtiam, quàm Cain, quoniam certò credens, Deum eſſe primum auctorem omnium rerum, & ſummo cultu adorandum, ex ea fide motus eſt, vt offerret id, quod optimum habebat. Itaque fides cauſſa fuit illius precioſę oblationis. Noë quoque fide, ſeu per fidem aptauit arcam, quoniam credens verbis Dei comminantis diluuium, timore concepto, metuens aptauit arcam. Vbi videmus, ex fide natum eſſe timorem, ex timore fabricationem arcæ: proinde fidem veram fuiſſe cauſſam timoris, & conſequenter ipſius arcæ. Denique; Abraham fide, ſiue per fidem obediuit exire in locum, quem neſciebat: quoniam credens Deum omnipotentem, & fideliſsimum, ex ea fide motus eſt, vt promptè obediret, etiamſi neſciret, quò vocaretur. Quare fides cauſſa fuit obedientiæ, & fide obedire nihil eſt aliud, quàm fidem obedientię eſſe cauſſam. Igitur eodem modo fide iuſtificari, vel per fidem iuſtificari, nihil aliud erit, niſi fidem cauſſam eſſe iuſtificationis.

2 Argumentum. Alterum argumentum petitur ab ijs locis, quæ teſtantur, fidem eſſe initiũ iuſtitiæ, ac per hoc eſſe cauſſam formalem inchoatam iuſtificationis. Id imprimis docet Apoſtolus: *Credenti in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad*
Rom. 4. *iuſtitiam.* Vbi ipſa fides cenſetur eſſe iuſtitia, ac per hoc non apprehendit fides iuſtitiam Chriſti, ſed ipſa fides in Chriſtum eſt iuſtitia. Et, ſi quidem ſit viua, & perfecta per charitatem, erit perfecta iuſtitia: ſin minùs, erit ſaltem imperfecta, inchoataque iuſtitia. Item: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id,*
1. Cor. 3. *quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulas, vniuſcuiuſque opus ignis probabit.* Nam per *fundamentum* intelligunt Patres paſsim fidem in Chriſtum.

Conſtat

Conſtat autem fundamentum in quouis ædificio partem, & inchoationem ædificij eſſe, quod per additionem parietum, & tecti perducitur in faſtigium, & perfectionem. Item S. Petrus: *Fide purificans corda eorum*. Vbi fides dicitur *Act. 15.* corda purificare, quoniam liberat hominem à ſordibus errorum & falſarum opinionum de Deo, rebuſque diuinis. Quod quidem facit fides non tam efficienter, quàm formaliter: quomodo lux intrans pellit tenebras, cùm ſimul morari non poſsint lux, & tenebræ. Porrò puritas cordis quid eſt, niſi iuſtitia, vel inchoata, vel perfecta.

Tertium argumentum, quod etiam potiſsimum eſt, ſumitur ab ijs locis, *3. Argumentum.* quæ docent, per fidem impetrari remiſsionem peccatorum, ac per hoc iuſtificari hominem ex fide, non quia fides tantùm reſpiciat promiſsionem, & illam credendo apprehendat, ſed quia remiſsionem impetret, & ſuo quodam modo etiam mereatur. *Fides tua te ſaluam fecit*, ait Dominus mulieri, cui dixerat: *Luc. 7.* *Remittuntur tibi peccata tua*. Non autem rectè diceretur fides ſaluum facere, videlicet à peccatis, hoc eſt, iuſtificare, ſi reuera nihil faceret in ordine ad iuſtificationem, ſed tantùm acciperet indulgentiam. Confirmat hanc efficaciam fidei, quod legimus dictum Chananeæ: *O mulier, magna eſt fides tua*. Et: *Propter* *Matth. 15.* *hunc ſermonem vade, exijt Dæmonium à filia tua*. Hic enim apertè tribuitur fidei ef- *Mar. 7.* ficacia impetrandæ ſanitatis. Neque reſponderi debet, aliud eſſe loqui de iuſtificatione, aliud de curatione morbi corporalis. Nam Dominus ijſdem planè verbis tribuit fidei vtramque ſanitatem. Peccatrici enim dixit: *Fides tua te* *Luc. 7.* *ſaluam fecit*: Et mulieri curatæ à ſanguinis fluxu ſimiliter dixit: *Fides tua te ſal-* *Matth. 9.* *uam fecit*: & cæco illuminato etiam dixit: *Fides tua te ſaluum fecit*. Rurſus: *In* *Mar. 10.* *promiſsione*, inquit Apoſtolus, *non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans* *Rom. 4.* *gloriam Deo, pleniſsimè ſciens, quia, quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere. Ideò & reputatum eſt ei ad iuſtitiam*. Vbi cauſſam reddit Apoſtolus, cur fides Abrahæ ſit reputata iuſtitia, quoniam credendo dedit gloriam Deo. Itaque placuit Deo fides illa, per quam ipſe glorificatus eſt; & ideò merito illius fidei, quæ tamen donum, & gratia ipſius erat, Abrahamum iuſtificauit. Item: *Omnis, qui* *Rom. 10.* *inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergò inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodo credent ſine prædicante?* Vbi B. Paulus, ſicut facit cauſſam fidei prædicationem verbi; ita facit cauſſam inuocationis ipſam fidem, & cauſſam ſalutis, id eſt, iuſtificationis, inuocationem. Ex quo intelligimus, fidem per inuocationem impetrare iuſtificationem. Non igitur fides relatiuè iuſtificat, accipiendo videlicet oblatã iuſtificationem, ſed quærendo, pulſando, petendo, denique inuocãdo, & impetrãdo iuſtificat. Poſtremò (vt alia multa loca prætereã) multis exẽplis Apoſtolus docet per fidem placere homines Deo, ac per *Heb. 11.* hoc fidem apud Deum magni eſſe pretij, ac meriti. De Abele ſcribit, eũ per fidẽ adhuc, quamuis defunctum, loqui: hoc eſt, ſanguinem ipſius clamare ad Deũ, & vindictam impetrare ob meritum fidei ipſius. De Henoch ſcribit, fide tranſlatum fuiſſe, ne videret mortem; hoc eſt merito fidei, per quam placuerat Deo: placuiſſe autem per fidem, quia *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*. Alia id genus multa leguntur in eodem cap. quæ longum eſſet referre. Accedant *Prob. 5. hominem ?* etiam multa teſtimonia S. Auguſtini. *ſola fide ficari.*

Quintum argumentum principale ſumitur ex duobus principijs, quæ in

 ſequen-

ſequentibus demonſtrantur. Vnum principium eſt, cauſſam formalem iuſtificationis non eſſe iuſtitiam, quæ eſt in Chriſto; vel ſolam remiſsionem peccatorum; ſed iuſtitiam in nobis realiter inhærentem; ad quam iuſtitiam Script. & Patres præcipuè charitatem pertinere docent. Ex hoc principio euidenter ſequitur, non ſolam fidem per modum diſpoſitionis iuſtificare. Nam iuſtitia iſta realis, & inhærens non debet apprehendi per fidem, ſed infundi per gratiam. Ad hanc autem infuſionem diſponit quidem actus fidei, ſed diſponit etiam actus timoris, pœnitentiæ, aliarumque virtutum: & præter cæteros actus dilectionis ſine dubitatione diſponit. Illis autem actibus diſponuntur homines ad eiuſmodi gratiam recipiendam, quos Deus in Scripturis ſanctis præexigi, ac prærequiri ſignificat. Prærequiri autem actum fidei, timoris, ſpei, pœnitentiæ dilectionis, ſuprà probatum eſt. Neque aduerſarij, præſertim paulò ſaniores, id negant, ſed interpretantur, eos actus, excepta fide, prærequiri quoad præſentiam, non quoad aprehenſionem iuſtificationis. Quare, ſi talis ponatur iuſtificatio, quæ non apprehenſione, ſed infuſione obtineatur, non erit vlla cauſſa, cur ſoli fidei tribuatur iuſtificationis diſpoſitio. Adde, quòd etiam ipſa natura nos docet, ijs actibus diſponi materiam ad recipiendam formam, qui ſunt eorum ſimiles, qui conſequentur formam. Ligna enim per calorem diſponuntur ad recipiendam formam ignis, quoniam ex igne calor procedit. Itaque ad formalem iuſtificationem, quæ potiſsimum in infuſione charitatis ſita eſt, nihil magis, quàm dilectio, ſiue pœnitentia ex dilectione diſponit. Simile argumentum ducitur ex neceſsitate operum bonorum ad ſalutem; quod eſt alterum principium inferiùs probandum. Nam, ſi fides ſola iuſtificaret impium, certè ipſa etiam ſola ſaluaret: non enim amitti poſſet iuſtitia quibuſcunque malis operibus, niſi amitteretur fides: proinde manente fide, maneret iuſtitia; manente autem iuſtitia, ſalus quoque eſſet in tuto.

CAPVT IV.

De cauſſa formali iuſtificationis.

Seſſ. 6. c. 7. ECCLESIAE Catholicæ ſententia de hac re explicatur à Tridètina Synodo: *Vnica formalis cauſſa eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos impios facit; qua videlicet ab eo donati, renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè nominamur, & ſumus.* Et paulo infrà: *Id in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſsimæ paſsionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem.*

Propoſitio 1. Itaque ſit propoſitio prima: *Iuſtitia noſtra formalis inhærens eſt.*

a Prob. 1. b Rom. 5. Prob. primò ex illis verbis Apoſtoli: *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt*

habunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur, ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Et hoc loco habemus, iuſtificari per Chriſtum non eſſe, haberi, aut pronunciari iuſtos, ſed verè fieri, & conſtitui iuſtos per adeptionem inhærentis iuſtitiæ, & iuſtitiæ non imperfectæ, ſed abſolutæ, & perfectæ. Nam iuſtificare hoc loco eſſe, iuſtum facere, non, pronunciare iuſtum, perſpicuum eſt, tum ex illis verbis: *Iuſti conſtituentur multi*; vbi declarat Apoſtolus ipſe, quid ſit iuſtificari, ac dicit eſſe, iuſtum conſtitui; iuſtum autem conſtitui, & iuſtum fieri, idem ſunt: tum ex antitheſi Adami ad Chriſtum. Scribit enim Apoſtolus, ſic nos conſtitui iuſtos per obedientiam Chriſti, quomodo conſtituti ſumus iniuſti per inobedientiam Adami: conſtat autem per inobedientiam Adami nos iniuſtos eſſe conſtitutos iniuſtitia nobis verè, ac reipſa inhærente; non iniuſtitia Adami nobis imputata. Eſſe autem iuſtitiam, quam per Chriſtum adipiſcimur, veram, abſolutamque iuſtitiam, intelligi poteſt, tum ex eo, quòd Apoſtolus vocat eam *abundantiam iuſtitiæ*: tum ex eo, quòd idem Apoſtolus dicit maius eſſe Dei donum, quàm Adæ pecatum. Inde enim ſequitur, vt, ſi peccatum Adæ veram in nobis, & abſolutam iniuſtitiam poſuit, vt omnium conſenſu poſuit, certè Dei donum veram in nobis, abſolutamque iuſtitiam ponat.

Alterum teſtimonium eſt: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem,* Prob. 2.
quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Hoc lo- Rom. 3.
co ſimul explicantur ferè omnes cauſſæ iuſtificationis: nam iuſtificamur à Deo gratis, id eſt, ex mera eius liberalitate: nullo enim opere noſtro meremur iuſtificari. At hæc Dei liberalitas eſt cauſſa efficiens. Iuſtificamur autem per gratiam ipſius, id eſt, per iuſtitiã ab illo donatam, & infuſam: Et hæc eſt cauſſa formalis. Iuſtificamur item per redemptionem, quę eſt in Chriſto Ieſu: & hęc eſt cauſſa meritoria. Denique; Iuſtificamur per fidem in ſanguine propitiatoris: & hæc eſt cauſſa diſpoſitiua.

Tertium teſtimonium eſt: *Et hæc quidem* (peccatores videlicet) *fuiſtis, ſed ab-* Prob. 3.
luti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & 1. Cor. 6.
in ſpiritu Dei noſtri. Quo loco, vt exponunt Chryſoſtomus, Ambroſius, Theophylactus, & alij, docet Apoſtolus, homines in Baptiſmo per inuocationem nominis Chriſti, & per operationem Spiritus S. purgari, & ſanctificari. Atque hoc ipſum iuſtificari eſt, ita vt iuſtificatio duo illa contineat, purgationem, ſiue ablutionem, & ſanctificationem. Quòd ſi iuſtificatio eſt ablutio, & ſanctificatio, ſequitur, quòd iuſtificatio non ſit ſola peccatorum remiſsio, ſine interna ſanctificatione. Item, ſequitur, quòd iuſtificatio non ſit imputatio iuſtitiæ, vel declaratio, more forenſi. Nam imputatio, & declaratio non egent inuocatione nominis Chriſti, aut virtute Spiritus S.

Quartum eſt: *Cùm apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei non ex* Prob. 4.
operibus, quæ fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum Tit. 3.
regenerationis, & renouationis Spiritus S. quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Ex verbis illis poſtremis: *Vt iuſtificati gratia ipſius, &c.* intelligimus, in verbis

ſuperioribus deſcriptam eſſe iuſtificationem, ita vt ſecundum Apoſtoli ſententiam iuſtificatio ſit regeneratio, & renouatio Dei benignitate, per lauacrum Baptiſmi, & effuſione Spiritus ſancti in nos facta. Hanc auté regenerationé, & renouationé, quę eſt ipſa iuſtificatio, formaliter fieri per donũ aliquod inhęrens, tribus argumẽtis probari poteſt. Primò, ex ipſa natura, & ratione regenerationis: neque enim intelligi poteſt, quemadmodũ regeneretur aliquis ſine vlla ſui mutatione, per ſolam Dei beneuolentiã in ipſo Deo exiſtentem, vel per ſolam extrinſecam iuſtitiæ alterius imputationem. Nam certè regeneratus diligitur, vt filius; cùm anteà odio haberetur, vt inimicus: ergo mutatio aliqua facta eſt. Non potuit autem in Deo fieri: igitur in homine facta eſt. Ac per hoc regeneratio aliquid in ipſo homine ponit, ob quod Filius Dei nominetur, & ſit. Deinde; Idem prob. ex cauſsis huius renouationis, quas hic idem Apoſtolus numerat. Nominatur enim benignitas Dei, quæ eſt efficiens cauſſa: Chriſtus, qui eſt cauſſa meritoria: lauacrum Baptiſmi, quod eſt cauſſa inſtrumentaria: effuſio Spiritus, ſiue Spiritus effuſus, qui eſt cauſſa formalis. Per effuſionem autem Spiritus, ſiue Spiritum effuſum nihil rectius intelligitur, quàm primarium eius donum, quod eſt charitas, quæ idcirco etiam dicitur diffundi in cordibus noſtris. Denique; Idem prob. ex confeſsione aduerſariorum. Fatentur enim etiam ipſi, eſſe in nobis inhærentem aliquam renouationem per Spiritum ſanctum, ſed negant eam propriè eſſe iuſtitiam, aut per eam nos abſolutè iuſtificari, & ideò confugiunt ad Chriſti iuſtitiam imputatam. At Apoſtolus hanc ipſam renouationem, iuſtificationem appellat. *Vt iuſtificati*, inquit, *gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Reddit enim cauſſam, cur nos Deus per lauacrum, & Spiritum ſanctum regenerauerit, ac renouauerit: & ait cauſſam fuiſſe, vt iuſtificati, id eſt, per eam regenerationem, & renouationem iuſtificati hæredes regni, ac vitæ ſempiternæ effici mereamur.

Prob. 5. *Heb. 11.* Quintum teſtimonium eſt, vbi teſtatur Apoſtolus aliquos homines fuiſſe verè, & abſolutè iuſtos. Nam de Abel ſcribit: *Teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus.* De Noë: *Iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.* Iſti certè, & alij eorum ſimiles verè iuſti erant; nec iuſti imperfectè, & inchoatè, ſed abſolutè & perfectè. Neque enim Script. iuſtos abſolutè vocaret eos, qui abſolutè iuſti non *Gen 6.* *Pſal. 118.* eſſent. Quid, quòd etiam perfectos, & immaculatos appellat? *Noë vir iuſtus erat, atque perfectus fuit.* Et: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Porrò hæc eorum iuſtitia non erat iuſtitia Dei inhabitans, aut iuſtitia Chriſti imputata, ſed iuſtitia in illis inhærens, & propria. Nam Apoſtolus oſtendere volens, vnde Abel iuſtitiæ teſtimonium conſecutus eſſet, ait: *Teſtimonium perhibente Deo muneribus eius.* Vbi videmus probari iuſtitiam Abelis ab effectu ipſius iuſtitiæ. Nam, *qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.* Itaque probat Apoſtolus Abelem fuiſſe iuſtum, quia iuſta opera faciebat, cùm Deo ritè ſacrificaret. Iuſti autem operis cauſſa eſt iuſtitia inhærens, non imputatio iuſtitię quę cùm extrinſeca ſit, principium operis eſſe non poteſt. Sic etiam Noë fuiſſe iuſtum, probat idem Apoſtolus, quia credidit Deo, timuit iudicium Dei, obediuit mandatis *Gen. 6.* Dei. Et dicitur fuiſſe iuſtus, quia ambulauit cum Deo. Quomodo etiam pro*Luc. 1.* bat S. Lucas, Zachariam, & Elizabeth fuiſſe iuſtos coram Deo, *quia incedebant*

(marginal: *Heb. 11.* beside "re volens"; *1 Ioan. 2.* beside "ipſius iuſtitiæ")

bant in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini.

Sextum teſtimonium eſt Apoſtoli, vbi dicit iuſtos conformes eſſe imagini Chriſti, & portare imaginem Chriſti: *Quos*, inquit, *praeſciuit, & praedeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui; vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Et: *Sicut portauimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem cœleſtis.* Chriſtus autem non eſt iuſtus per imputationem, neque per ſolam inhabitationem iuſtitiæ increatæ; ſed iuſtus eſt verè, & propriè, etiam vt homo, per creatam, & inhærentem ſibi iuſtitiam, ex qua iuſtiſsima opera faciebat. Igitur & nos, ſi ſimiles, ſi fratres, ſi imagines eius eſſe debemus, iuſtitiam veram, & inhærentem habere neceſſe eſt. Nam, ſi re ipſa iniuſti, & putatiuè ſolum iuſti ſimus, magis Diaboli, quàm Chriſti ſimilitudinem gerimus. Rectius enim denominamur ab eo, quod ſumus, quàm ab eo, quod eſſe putamur. Præterea; Terreni hominis, id eſt, Adami, peccatoris, veram imaginem portauimus, quia peccatum nobis nō putatiuè, ſed verè, & re ipſa inhærebat. Igitur & Chriſti veram imaginem gerimus, ſi iuſtitia nobis non putatiuè, ſed verè ac re ipſa inhæreat. *Prob. 6.* *Rom. 8.* *1. Cor. 15.*

Septimum teſtimonium eſt, vbi Apoſtolus docet, nos per iuſtificationem, qua morimur peccato, & reſurgimus iuſtitiæ, repræſentare Chriſti mortem, & reſurrectionem. Et inter alia dicit: *Qui mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato.* Quod etiam ſignificauit Apoſtolus Petrus: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis.* At Chriſtus non putatiuè, ſed verè mortuus eſt, & verè reſurrexit. Igitur & nos non putatiuè ſed verè morimur peccato, & reſurgimus ad iuſtitiam, cùm per Baptiſmum iuſtificamur. *Prob. 7.* *Rom 6.* *1. Pet. 4.*

Octauum eſt, vbi Apoſtolus ſcribit, *nos iam per Chriſtum accepiſſe ſpiritum adoptionis filiorum Dei*, quoad animam, quæ viuit propter iuſtificationem, quamuis corpus mortuum ſit (id eſt, adhuc mortale ſit) *propter peccatum.* Sed paulò pòſt addit, nos *iam primitias ſpiritus habentes, intra nos gemere, expectantes adoptionem filiorum Dei, redemptionem corporis noſtri.* Nam vt alibi ait: *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Atqui adoptio filiorum, quam expectamus in redemptionem corporis, veriſsima erit, & inhærens in ipſo corpore, id eſt, immortalitas, & impaſsibilitas non putatiua, ſed vera. Igitur adoptio, quam nunc habemus in Spiritu per iuſtificationem, vera etiam eſſe debet, non putatiua. Alioqui, ſicut expectamus redemptionem corporis, ita quoque expectaremus redemptionem animæ. *Prob. 8.* *Rom. 8.* *Philip. 3.*

Propoſitio ſecunda: *Fides non eſt integra formalis cauſſa iuſtificationis.* *Propoſitio 2.*

Prob. primo ex Script. Nam, cùm dixiſſet Apoſtolus: *Nos autem ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus*, ſubiunxit continuò: *Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Vbi illa verba: *Ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus*, duobus modis intelligi poſſunt. Vno modo, vt ſit ſenſus: Ex fide ſperamus vitam æternam, quæ eſt merces iuſtitiæ. Sæpe enim Apoſtolus ponit ſpem pro ea re, quæ ſperatur: *Expectãtes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Itaque ſpes iuſtitiæ erit id, quod iuſtitia ſperat, id eſt, quod iuſtitiæ debetur, videlicet, premium vitæ beatæ. Altero modo, vt ſenſus ſit: Ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus: id eſt ex fide ſperamus, nos poſſe iuſtificari. Poſterior ſenſus ſimplicior eſt, & magis congruens cum præcedentibus; *Prob. 1.* *Gal. 5.* *Tit. 2.*

bus verbis eſſe videtur; & tamen vterque in idem recidit, cùm ex vtroque id manifeſtè colligatur, ex fide, non ex lege, aut operibus ante fidem factis, hominem iuſtificari. At, ne daretur occaſio errandi, explicuit Apoſtolus, quæ fides ſit illa, quæ iuſtificat, cùm ait: *Nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium*: id eſt, nec lex circumciſis data, neque opera Gentilium in præputio facta, iuſtificant: *ſed fides*; non quæcunque autem fides, ſed *quæ per dilectionem operatur*: id eſt, fides, quæ agitur, ac mouetur, formatur, & quaſi animatur per dilectionem. Quòd ſi charitas eſt forma fidei, & fides non iuſtificat formaliter, niſi ab ipſa charitate formata, certè multò magis charitas ipſa iuſtificat. Huc etiam pertinent illa teſtimonia, quæ indicant, vel ſolam fidem non ſufficere: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Et: *Fides ſine operibus mortua eſt*. Et: *Qui non diligit, manet in morte. Et nos ſcimus, quia translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

Gal. 5.
1. Cor. 13.
Iac. 2.
1. Ioan. 3.

Prob. 2. & 3.

Prob. ſecundò ex Patribus, qui docent fide tantùm inchoari iuſtitiam, perfici verò per dilectionem.

Prob. tertiò ratione ducta ex natura ipſius fidei, & iuſtitiæ. Nam iuſtitia res eſt adeò bona, vt cum nullo alio bono pugnet, & ideo adiunctione aliorum bonorum non minuatur, nec deſinat eſse, ſed perficiatur ſemper, & creſcat; vt perſpicuum eſt ex eo, quòd inueniatur in beatis, in Chriſto, & in ipſo Deo. At fides repugnat beatitudini, neque in Deo, aut in Chriſto vnquam fuit; neque in Angelis, aut hominibus manet, cùm beati eſse incipiunt. Non igitur fides eſt formalis iuſtitia, niſi inchoata, & perfecta. Præterea; Iuſtitia facit nos Chriſto ſimiles, & per eam gerimus Chriſti imaginem. At fides non facit nos Chriſto ſimiles, ſed potius aliquo modo diſsimiles, cùm in Chriſto fides non fuerit, quippe qui faciem Patris ſemper viderit. Ad hæc; Iuſtitia virtus eſt, per quam lex diuina completur. At plenitudo legis non eſt fides, ſed charitas. Denique; Iuſtitia non poteſt eſſe informis, & mortua, cùm ſit animæ vita, nec poſsit fieri, vt quis eodem tempore ſit peccator, & iuſtus, id eſt, mortuus ſecundum ſpiritum, & ſecundum ſpiritum viuus. At fides informis & mortua eſſe poteſt. Non igitur ſola fides eſt noſtra integra, formaliſque iuſtitia.

Rom. 13.

Propoſ. 3.

Propoſitio tertia: *Formalis cauſſa iuſtificationis non eſt Dei eſſentialis, ac diuina.*

Prob. 1.

Prob. I. ex Apoſtolo, qui ex propoſito de iuſtificatione diſſerit, & apertiſimè demonſtrat, iuſtitiam, per quam iuſtificamur, eſſe fidem, viuam videlicet, & per dilectionem operantem. Illam enim fidem Deus pro iuſtitia habet. Et, quia Deus non fallitur, eadem fides verè iuſtitia eſt, & iuſtitia fidei nominatur. *Credenti*, inquit, *in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam*. Et infrà: *Dicimus, quia reputata eſt Abrahæ fides ad iuſtitiam*. Et infra: *Signum accepit Circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur illis ad iuſtitiam*. Et ſimilia habentur alibi: *Nos fide ſpem iuſtitiæ expectamus: nam in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur*. Quod ſi fides per dilectionem operans eſt illa iuſtitia, per quam iuſtificamur, certè non iuſtificamur

Rom. 4.
Gal. 5.

per

per iuſtitiam Dei eſſentialem: niſi quis ita deſipiat, vt fidem noſtram iuſtitiam Dei eſsentialem eſſe definiat.

Prob. ſecundò ex S. Auguſtino, qui ſæpiſsimè repetit, & inculcat nos iuſtificari iuſtitia Dei, non qua ille iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit. *Prob. 2.*

Prob. tertiò varijs rationibus. *Prob. 3.*

Prima ratio: Iuſtificatio præcedit inhabitationem Dei: non igitur homo iuſtificatur per iuſtitiam eſſentialem inhabitantem. Propoſitio prob. Nam Sapiens dicit *Spiritum S. non habitare in corpore ſubdito peccatis.* Idem docet S. Auguſtinus. *1. Ratio.* *Sap. 1.*

Secunda ratio: Si eſſemus iuſti iuſtitia Dei eſſentiali nos inhabitante, eſſemus omnes æquè iuſti, atque ipſe Chriſtus. Nam ipſe quoque non aliter iuſtus eſſe poſſet, niſi per iuſtitiam Dei eſſentialem, ſi Deus nullam iuſtitiam acceptat: niſi ſuam eſſentialem. At Script. diſertis verbis teſtatur, *nos omnes de plenitudine Chriſti accepiſſe*: & *vnicuique noſtrum dari gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti*. Non igitur iuſti ſumus iuſtitia Dei eſſentiali, ſed iuſtitia creata, quæ maior, & minor eſſe, & ſub certam menſuram cadere poteſt. *2. Ratio.* *Ioan. 1* *Epheſ. 4.*

Tertia ratio: Script. docet, aliquos homines verè eſſe iuſtos, vt Noë, Zachariam, Abel, & multos alios. At non ab inhabitante, ſed ſolum ab inhærente: alioqui enim, ſi ſatis eſt iuſtitia inhabitans, vt verè iuſti eſſe dicamur, cur nõ dicimur etiam immortales, æterni, beati, omnipotentes, cùm iſta omnia eius attributa nos inhabitent? Et cur nõ dicuntur omnes homines iuſti; immò & omnes lapides, omnia ligna, omnia ſidera, cur non rectè iuſta dicentur, ſi inhabitatio Dei denominationem illam tribuere poteſt? Quamuis enim non inhabitet Deus per fidem, & charitatem omnia, tamen per potentiam, eſſentiã, & præſentiam omnia prorſus inhabitat. *3. Ratio.* *Gen. 6.* *Luc. 1.* *Heb. 11.*

Quarta ratio: Si nullam iuſtitiam Deus acceptat, niſi ſuam eſſentialem, ac propterea per illam nos inhabitat, vt iuſtos efficiat, certè ſequitur, vt Chriſti iuſtitiam, qua is pro nobis Patri ſatisfacere patiendo, & moriendo voluit, Deus non acceptet. Illa enim Chriſti iuſtitia fuit iuſtitia creata, non diuina, & eſſentialis. Quod ſi Chriſti iuſtitia Patri non ſatisfecit, quorſum ille carnem ſuſcepit? quorſum tanta pati voluit? At longè aliud docet nos Iſaias: *Iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos.* Et Paulus: *Reconciliatos* nos dicit *Patri, in ſanguine Filij ſui.* Quid Apoſtolus Ioannes? An non affirmat, ſanguinem Chriſti mundare nos ab omni peccato? & Chriſtum propitiationem eſſe pro peccatis totius mundi? Denique; Nihil frequentius Script. teſtatur, quàm Chriſti paſsionem, & mortem, plenam, & perfectam ſatisfactionem fuiſſe pro peccatis. *4. Ratio.* *Iſa 53.* *Rom 3. & 5.* *1. Ioan 1.* *1. Ioan. 2.*

Propoſitio quarta: *Iuſtificatio noſtra non conſtat ſola remiſsione peccatorum: ſed etiã interna renouatione, ita vt ipſa renouatio iuſtitia dicenda ſit, & non tantum iuſtificationis effectus.* *Propoſ. 4.*

Prob. I. ex Script. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtrã.* Hic Apoſtolus nomen iuſtificationis tribuit potiùs renouationi internæ, quam remiſsioni peccatorũ: ac per hoc docet, iuſtificationẽ nõ modò non conſtare ſola remiſsione peccatorum, ſed neque præcipuè ea conſtare. *Prob 1.* *Rom. 4.*

Neque enim dubitari poteſt, quin Apoſtolus velit, mortem Chriſti fuiſſe exemplar mortis peccatorum, id eſt, remiſsionis,& deletionis peccatorum noſtrorum; reſurrectionem autem, exemplar renouationis, & regenerationis
Rom. 6. internæ, per quam in nouitate vitæ ambulemus. Id enim alibi explicat multis verbis: vbi etiam docet, Baptiſmi cæremoniam, qua mergimur in aquam, & emergimus ex aqua, repræſentare Chriſti mortem, & reſurrectionem, & ſimul mortificationem vitiorum, & nouitatem vitæ. Cùm igitur Apoſtolus dicit Chriſtum traditum eſſe ad mortem propter delicta noſtra, videlicet remittenda, & reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtram, id eſt, vt in vitæ nouitate ambulemus, apertiſsimè demonſtrat, in ipſa renouatione iuſtificationem poſitam eſſe: alioqui dicere debuiſſet: Qui traditus eſt propter iuſtificationem à peccatis, & reſurrexit propter vitæ nouitatem.

Nota. Eſt autem notandum, mortem Chriſti, quæ prætium fuit redemptionis, non ſolùm cauſſam fuiſſe remiſsionis peccatorum, ſed etiam internæ renouationis. Nam ſecundum Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, hæc duo ſeparari nequeunt, cùm vna, & eadem gratia per Chriſti meritum nobis infuſa, atque in nobis inhærens, & peccata deleat, & animam iuſtitia exornet. Sed quamuis hoc ita ſit, tamen ad iuſtificationem noſtram non ſatis erat mors Chriſti, ſed neceſſaria etiam erat reſurrectio. Deus enim ita cõſtituerat, vt primùm Chriſtus ipſe glorificaretur; deinde mitteretur Spiritus ſanctus, Euangeliũ prædicaretur, Gentes conuerterentur, & per fidem, & Sacramenta iuſtificarentur.
Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Et Apoſtolus: *Si Chri-*
1. Cor. 15. *ſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra.* Itaque, cùm tã mors, quàm reſurrectio, ad iuſtificationem neceſſaria eſſet, potuiſſet B. Paulus vtramque partem iuſtificationis, id eſt, remiſsionem peccati, & donum renouationis, tribuere morti Chriſti, vel reſurrectioni: ſed maluit diſtinguere, & morti quidem tribuere remiſsionem peccati; reſurrectioni autem renouationem; propter ſimilitudinem, quam habet extinctio peccati cum morte carnis, & renouatio ſpiritualis cum reſurrectione corporali. Item: Cùm Apoſtolus dixiſſet: *Sicut reg-*
Rom. 5. *nauit peccatum in mortem, ita gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam*: opponit iuſtitiam peccato, & per iuſtitiam intelligit internam renouationem, ex qua procedũt opera vitæ. Id enim requirit antitheſis. Peccatũ enim regnaſſe dicitur in mortẽ, quia operabatur opera mortifera: cõtrà igitur, gratia Dei regnare dicetur per iuſtitiã in vitam, quia per iuſtitiã infuſam operabitur opera vitæ. Quòd ſi renouatio interna, quæ eſt principium operum bonorum, rectè vocatur iuſtitia, procul dubio iuſtificatio in illa renouatione, & non in ſola remiſsione peccatorum conſtituenda eſt. Rurſus; *Neque exhibeatis membra ve-*
Rom. 6. *ſtra arma iniquitatis peccato; ſed exhibete vos Deo, tanquã ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.* Docet enim, in nobis eſſe iuſtitiam loco peccati, & per iuſtitiam intelligit aliquid inhærens, vnde opera procedunt. Nam ideò dicit, nos eſſe ex mortuis viuentes, & membra noſtra eſſe debere arma iuſtitiæ Dei, vt videlicet membris vtamur ad opera iuſtitiæ facienda ad gloriam
Rom. 8. Dei. Item: *Spiritus viuit propter iuſtificationem.* Vel, vt habent Græca: *Spiritus vita* (videlicet eſt) *propter iuſtitiam.* Iuſtificatio enim, ſiue iuſtitia, quæ facit viuere, & per hoc operari, non poteſt eſſe ſola remiſsio peccati, ſed aliquid internum,

ternum, & inhærens. Item: *Si data eſt lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia.* Vbi apertè demonſtrat, iuſtitiam, vnde dicitur iuſtificatio, eſſe aliquid, quod vitam animæ præbeat, eamque in motu, & actione conſtituit. Item: *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Vbi renouare in ſpiritu, explicat Apoſtolus per, induere nouum hominem: nouum autem hominem appellat *creatum in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Gal. 3. Ephes. 4.

Prob. ſecundò teſtimonijs varijs S. Auguſtini. Prob. 2. & 3.

Prob. tertiò ratione naturali. Nam iuſtificatio ſine dubio motus quidam eſt de peccato ad iuſtitiam, & nomen accipit à termino ad quem ducit; vt omnes alij ſimiles motus: illuminatio, calefactio, & cæteri. Non igitur poteſt vera iuſtificatio intelligi, niſi aliqua præter remiſsionẽ peccati iuſtitia acquiratur. Quemadmodum nec vera erit illuminatio, nec vera calefactio, ſi tenebris fugatis, & frigore depulſo, nulla lux, nulluſque calor in ſubiecto corpore ſubſequatur. Deinde; Iuſtificatio non ideo ſolùm nobis cõfertur à Deo, vt gehennæ pœnas euadamus, ſed etiam vt prẹmia cœleſtia acquiramus. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et: *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit; quos vocauit, hos iuſtificauit; quos iuſtificauit, hos & magnificauit.* Vbi ponitur magnificatio effectus iuſtificationis, ſicut eſt ipſa iuſtificatio vocationis, & vocatio prædeſtinationis effectus. Quò etiam pertinet illud: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* At certè ſola remiſsio peccatorum liberat à pœna, non tribuit gloriam. Quod ipſum quotidie in forenſi iudicio videmus. Denique; Iuſtificatio ex inimicis facit amicos, filios, dilectos, ciues Sanctorum, & domeſticos Dei, hæredes regni, vt Scripturæ paſsim loquuntur. Non igitur remiſsione ſola peccatorum conſtat ſed & infuſione virtutum, ob quas homo dignus tam inſignibus appellationibus habeatur. Non enim dignus eſt amore aliquis ob hoc ſolùm, quòd ei debita condonata ſunt, cùm ea diſſoluere non poſſet. Neque continuò efficitur filius, aut ciuis, aut domeſticus, aut hæres, qui pœnam, cui iuſtè adiudicatus erat, iudicis clementia non ſubibit. Rom. 6. Rom. 8. 2. Tim. vlt.

Propoſitio quinta: *Iuſtificatio noſtra non conſiſtit in imputatione iuſtitiæ Chriſti.* Prop. 5.

Prob. primò ex eo, quòd contraria ſententia nullum in Script. aut Patribus teſtimonium habeat. Hactenùs enim nullum aduerſarij omninò locum inuenire potuerunt, vbi legeretur, Chriſti iuſtitiam nobis imputari ad iuſtitiam; vel nos iuſtos eſſe per Chriſti iuſtitiam nobis imputatam. Legimus quidem, beatum eſſe, cui non imputantur peccata, & fidem reputari ad iuſtitiam, & Chriſtum factum eſſe nobis à Deo ſapientiã, iuſtitiam, & redemptionem. Sed, ſicut non legimus nobis imputari redemptionem Chriſti, aut ſapientiã, quaſi nos redemptores haberi debeamus humani generis, vel ipſum Dei verbum, & ſapientiam: ita non legimus nobis Chriſti iuſtitiam imputari. Prob. 1.

Prob. ſecundò ex eo, quòd nulla neceſsitas poteſt adferri eiuſmodi imputationis. Nam, ſi neceſſaria eſſet imputatio illa, ideò potiſsimùm eſſet neceſſaria, quòd homo poſt remiſsionem peccati adhuc ſit verè peccator, peccato ſcilicet tecto, non deleto. At iſta neceſsitatis cauſſa locum non habet, niſi quis Script. euidentiſsimis rationibus repugnare velit. Scriptura ſiquidem vtitur omni genere vocabulorum, quæ excogitari poterant ad veram peccatorum Prob. 2.

remiſsionem ſignificandam, vt ſi quis de induſtria quærat vocabula, quibus
perſpicuè declarat peccatum aliquod verè tolli, & aboleri, non poſsit aliquod
repetire, quod ipſa Script. diuina non occupauerit. Dicit enim peccata tolli:
1. Paral 21. *Obſecro Domine, aufer iniquitatem ſerui tui.* Dicit deleri: *Deleui, vt nubem, iniquitates*
Iſa. 44. *tuas, & quaſi nebulam, peccata tua.* Vbi ſimilitudo nubis, & nebulæ indicat, ne
Ezech. 36. veſtigium quidem veræ culpæ remanere. Dicit mundari: *Effundam ſuper vos a-*
Pſal. 50. *quam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Dicit ablui: *Aſper-*
ges me, Domine, hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Vbi etiam
obiter comparatio illa notanda: *Super niuem dealbabor.* Quomodò enim ſuper
niuem dealbatur: à quo nihil omninò nigredinis, & ſordium aufertur? Dicit
Prou. 15. purgari: *Per miſericordiam, & fidem purgantur peccata.* Dicit remoueri à nobis, &
Pſal. 102. longiſsimè proijci: *Quantùm diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates*
Mich. 7. *noſtras.* Et: *Proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Dicit denique pecca-
Pſal 9. tum fuiſſe, & non eſſe: *Quæretur peccatum illius, & non inuenietur.* Et: *Tota pulchra*
Cant. 4. *es, & macula non eſt in te.* Nec ſolùm in Teſtamento veteri, ſed etiam in nouo
Ioan. 1. phraſes eiuſmodi frequentantur: *Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi.* Et:
Act. 3. *Conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Et: *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni*
1. Ioan. 1. *peccato.* Et: *Ablue peccata tua inuocato nomine ipſius.* Et: *Peccatorum purgationem fa-*
Act. 22. *ciens.* Item: *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et: *Hæc quidē*
Heb. 1. *fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis.* Et: *Eratis aliquando tene-*
Heb. 9. *bræ, nunc autem lux in Domino.* Et ibidem. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam*
1. Cor. 6. *non habentem maculam, neque rugam.* Aliud adhuc argumentum non omittendū,
Epheſ. 5. petitum videlicet ab antitheſi Adam ad Chriſtum: *Sicut per inobedientiam Adami*
Rom. 5. *peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam Chriſti iuſti conſtituuntur multi.* Et
ibidem: *Maior eſt Chriſti gratia, quàm Adami peccatum.* Inobedientia verò Adami
non imputatiuè, ſed verè peccatū in nobis impreſsit: igitur obedientia Chriſti
non imputatiuè, ſed verè, peccata noſtra ſuſtulit, & deleuit.

Prob. 3. Prob. tertiò ex remotione alterius cauſſæ, quam aduerſarij prætexere ſo-
lent pro imputatione iuſtitiæ Chriſti. Dicunt enim, imputationem hanc pro-
pterea neceſſariam eſſe, non ſolùm, quòd verè peccatum in nobis perpetuò
hæreat, ſed etiam quòd iuſtitia noſtra inhærens non tam ſit perfecta, vt ſim-
pliciter, & abſolutè iuſtificet. At iuſtitia inhærens, ſiue renouatio interior, in
fide, ſpe, & charitate potiſsimùm ſita eſſe cognoſcitur. Id enim affirmat Apo-
1. Cor. 13. ſtolus: *Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc.* Quare, ſi probauerimus, fidem,
ſpem, & charitatem in hac vita poſſe eſſe perfectam, probatum quoque erit,
non eſſe neceſſariam imputationem iuſtitiæ Chriſti. Ac de fide quidem, ſi fi-
dès in hac vita non poteſt eſſe perfecta, nunquam omnino poterit eſſe perfe-
cta. Nam in alia vita non perficitur, ſed euacuabitur. Quis autem credat, tam
inſignem virtutem nunquam futuram eſſe perfectā? Deinde; S. Petrus apertè
1. Pet. 1. docet, fidem perfectam eſſe poſſe: *Vt probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro, quod*
per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, in reuelatione Domini noſtri. Sicut
enim aurum perfectum eſt, quod ignem ſuſtinet: ita planè fides perfecta eſt,
quæ in camino tentationis probata pretioſior auro inuenitur. Præterea; Qui
credit ex toto corde, certè perfectam habet fidem: talem autē habuiſſe Eunu-
Act. 8. chum illum, quem Philippus baptizauit, teſtatur S. Lucas. Abrahami fidem
fuiſſe

fuiſſe omninò perfectam, docet Apoſtolus: *Contra ſpem in ſpem credidit, non infirmatus eſt fide, non hæſitauit diffidentia, pleniſſimè ſciens, &c.* Vbi ponitur illud, πληροφορηθεὶς, quod ſummam plenitudinem, perfectionemque deſignat. Idem quoque Apoſtolus non languidam fidem, ſed robuſtiſsimam commendat, cũ ait: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Et S. Ioannes non de languida fide, ſed de perfecta dicit: *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* Et Apoſtolus Petrus: *Cui reſiſtite fortes in fide.* Et Paulus: *In omnibus ſumentes ſcutũ fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Certè enim fides, quæ mundum vincere, diabolo reſiſtere, & omnia eius tela retundere poteſt, nõ imbecilla, nec languida, ſed fortis, & robuſta eſſe debet. Deniq; negari non poteſt, quin Apoſtolus perfectam fidem agnoſcat ibi: *Accedamus cũ vero corde in plenitudine fidei.* Eſt enim vox illa, πληροφορία, quæ aduerſariorũ etiã conſenſu pleniſsimã, ac perfectiſsimã perſuaſionẽ ſignificat. Iam verò de Spe ſatis eſſe debet teſtimoniũ Apoſtoli, qui affirmat, ſpem noſtrã eſſe debere, tanquã anchorã animæ tutam, & firmã. Denique; De charitate, in qua præcipuè iuſtitia noſtra conſiſtit, teſtimonia diuina, vbique occurrunt. Nam Dominus ait: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Conſtat autem plurimos homines, id eſt, omnes Martyres, hanc perfectionem charitatis attigiſſe. Itẽ: *Qui ſeruant verbum eius, in hoc verè charitas Dei perfecta eſt.* Seruari autẽ poſſe verbũ eius, docet idẽ Ioannes: *Et mandata eius grauia nõ ſunt.* Denique; Non deſunt in Script. exempla Sanctorum, qui Deũ toto corde dilexerint. Nam de Dauide ſcribitur: *De omni corde ſuo laudauit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum.* Et promittitur hæc perfectio charitatis populo Dei, cũ dicitur: *Circumdet Dominus cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas eum in toto corde, & in tota anima tua.* His accedit, quod Dominus dicit: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Et Apoſtolus agnoſcit ſe, & alios quoſdam eſſe perfectos, cũ ſcribit: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Et: *Quicunque ergò perfecti ſumus, &c.* Conſtat autem perfectionem in charitate conſiſtere, cùm ſit ipſa *vinculum perfectionis.* Igitur fatendum eſt, charitatem etiam in hac vita poſſe eſſe perfectã.

Rom. 4. Heb. 11. 1. Ioan. 5. 1. Per. 5. Epheſ. 6. Heb. 10. Heb. 6. Ioan. 15. 1. Ioan. 2. 1. Ioan 5. Eccli. 47. Deut. 30. Matth. 5. 1. Cor. 2. Philip. 3. Coloſ. 3.

Prob. 4. veritas, quia fieri nõ poteſt, vt Chriſti iuſtitia nobis imputetur, præſertim eo ſenſu, qui probatur hæreticis. Nã, ſi ſolũ vellet nobis imputari Chriſti merita, quia nobis donata ſunt, & poſſumus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſtris, quoniã Chriſtus ſuſcepit ſuper ſe onus ſatisfaciẽdi pro nobis, noſq; Deo Patri recõciliandi; recta eſſet eorũ ſentẽtia; quamuis modus loquendi in Script. & Patrib. aut nunquã, aut rariſsimè inueniatur: ſed ita imputari nobis Chriſti iuſtitiã, vt per eã formaliter iuſti nominemur, & ſimus, id nos cũ recta ratione pugnare contendimus. Nã tametſi aliquãdo denominatio fiat à forma extrinſeca; quomodo res dicitur cognita per cognitionẽ, quæ eſt in mente; & paries dicitur viſus per viſionẽ, quæ eſt in oculo: tamen, cũ in aliquo duæ ſunt formæ cõtrariæ, vna inhærẽs, altera extrinſeca, ſine dubio denominatio abſoluta ſumitur ab inhærẽte forma potiùs, quam ab extrinſeca. Si quis enim Æthiopẽ candida veſte indueret, non rectè diceretur Æthiops hic eſſe albus; ſed cõtrà, rectè diceretur niger eſſe. Sic igitur, ſi hominẽ verè impiũ, & iniuſtũ per inhærentẽ iniuſtitiã, induas per apprehenſionẽ, & cogitationẽ iuſtitia Chriſti, non rectè pronunciabis eũ iuſtũ, ſed impiũ, & iniuſtum iuſtiſsimè nominabis. Prob. 4.

Prob. 5. Prob. quintò. Nam, ſi verè nobis imputatur Chriſti iuſtitia, vt per eam iuſti haberemur, & cenſeremur, perinde ac ſi propriè noſtra eſſet intrinſeca, formaliſque iuſtitia, profectò non minùs iuſti haberi, cenſerique deberemus, quàm ipſe Chriſtus: & ita dici Redemptores, & Saluatores mundi, atque alia id genus vocabula recipere, & attributa.

Prob. 6. Prob. ſexto. Chriſtus id nobis reſtituit, quod perdideramus in Adam: at in Adam non perdidimus iuſtitiam imputatam, neque eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei per imputationem, ſed veram iuſtitiam inhærentem, per quam verè ſimiles eramus Deo. Igitur per Chriſtum veram iuſtitiam, Deique ſimilitudinem, non extrinſecam tantùm, imputatamque recipimus.

Prob. 7. Prob. ſeptimò, Si per iuſtitiam Chriſti nobis imputatam verè dici poſſumus iuſti, & Filij Dei: ergò poterit etiam Chriſtus per iniuſtitiam noſtram ſibi imputatam dici verè peccator, &, quod horret animus cogitare, filius Diaboli. Nam aduerſarij concedunt, ita Chriſto imputatum fuiſſe peccatū, vt nobis iuſtitia imputatur. At iſta illorum blaſphema, & ſacrilega impudentia toti Script. repugnat. Chriſtus enim in ſacris litteris dicitur ſemel peccatum per tropum, quia hoſtia fuit pro peccato. Item ſemel dicitur maledictū, quia maledictis, & opprobrijs, ac pœnis plurimis ſubiectus fuit. At nuſquam dicitur peccator, impius, ſceleſtus, Diaboli filius; niſi fortè ab inimicis, & infidelibus: ſed vbique ſanctus, innocens, immaculatus, impollutus, iuſtiſsimus prædicatur. Quare, ſi Chriſtus, quia verè in ſe ſanctus erat, quamuis ei noſtra iniquitas imputaretur, non iniquus, ſed iuſtus eſt nominatus: certè eadem ratione, ſi nos verè immundi eſſemus, & impij etiam poſt iuſtificationē, quamuis nobis Chriſti iuſtitia imputaretur, non iuſti, ſed iniqui dicendi eſſemus. At Script. vocat nos iuſtos, & ſanctos, Deique filios, & hæredes poſt lauacrum regenerationis, & renouationis. Non igitur per imputationem iuſtitiæ, ſed per ipſam iuſtitiam inhærentem in nobis, & manentem iuſtificamur.

(Margin: 2. Cor. 5. Gal. 3. Rom 8. Ephes. 1. Coloſ. 3. & alibi.)

Prob. 8. Prob. octauò: Chriſtus comparatur ſponſo, & Eccleſia, ſiue anima iuſtificata comparatur ſponſæ. Dicitur autem ſponſa illa pulcherrima pulchritudine ſibi inhærente, non pulchritudine ſponſi ſibi imputata. Nam idcircò tribuitur ſponſæ pulchritudo propria mulierum, & ſponſo pulchritudo propria virorum, vt intelligamus aliam eſſe pulchritudinem Chriſti, aliam Eccleſiæ, vel animæ iuſtificatæ. Adde, quòd eſſet abſurdiſsimum, ſi ſponſus cœleſtis, & verè pulcherrimus, ſponſam haberet turpiſsimam, & ſolùm ornatam extrinſecùs pretioſa aliqua veſte viri.

(Margin: Cant. 4.)

Prob. 9. Prob. nonò: Per iuſtificationem mundatur cor, vt præparetur ad viſionē Dei. Nam ideò dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et, *Fide purificans corda eorum.* At oculus reipſa immundus, quamuis mundiſsimus habeatur, non poteſt ſolem videre. Igitur neque cor immundum, quamuis mundum reputetur, Deum vnquam videbit.

(Margin: Matth. 5. Act. 15.)

Prob. 10. Prob. decimo: Chriſtus paſſus eſt, *vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum,* vt dicit Apoſtolus. *Et tradidit ſemetipſum pro Eccleſia, vt eam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: & mundaret ſibi populum acceptabilem.* Et ipſe Dominus ait: *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate.* At ſi non verè,

(Margin: Heb 13. Ephes. 5. Tit. 2. Ioan. 17.)

verè, ſed imputatiuè ſolum populum ſuum Chriſtus ſanctificauit, fruſtrà paſſus, & mortuus eſt, & non potuit perficere, quod optabat. Velle enim ſanctificare, & ſanctificare in veritate, non ſignificat ſolùm, velle liberare à pœna peccati; aut, velle, vt habeamur pro ſanctis, quamuis reuera non ſimus: ſed, velle id efficere, vt verè ſancti, mundi, & immaculati ſimus.

Propoſitio ſexta: *Iuſtitia, qua formaliter iuſtificamur, habitualis eſt, non actualis.* Nam actualis, id eſt, opera verè iuſta iuſtificant quidem, vt S. Iacobus loquitur, cùm ait ex operibus hominem iuſtificari, ſed meritoriè, non formaliter. *Propoſ. 6.* *Iac. 2.*

Hæc propoſitio magis conformis eſt Script. Concilio Trident. teſtimonijs Patrum, & rationi. Quod ad Script. attinet, ea teſtimonia nobis hic ſufficere poſſe videntur, quæ docent, nos per Sacramenta iuſtificari: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. Et: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Et: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus S. quem infudit in nos abundè.* At certè Sacramenta non iuſtificant, niſi concurrendo per modum inſtrumenti ad infuſionem iuſtitiæ habitualis. Nam, ſi iuſtificare deberent excitando actualem fidem, & dilectionem, fruſtra adhiberetur Baptiſmus infantibus, & fruſtrà baptizarentur, vel reconciliarentur ij, qui vi morbi alicuius vſum rationis, & ſenſum amiſiſſent. *Prob. 1.* *Ioan. 3.* *Ephes. 5.* *Tit. 3.*

Eſſe etiam hanc propoſitionem conformem rationi, prob. primò; Iuſtitia, qua formaliter iuſtificamur, non eſt ſolùm in adultis, ſed etiam in paruulis baptizatis. At in illis nulla poteſt eſſe iuſtitia actualis. Secundò; Iuſti non tantùm, cùm operantur, ſed etiam cùm ceſſant ab opere, iuſti ſunt: neque enim dormientes deſerit iuſtitia. Tertio; Spiritus S. peculiari modo inhabitat iuſtificatos, non adultos tantùm, ſed etiam paruulos: nec deſinit vnquam inhabitare, donec iuſti ſunt; vt omnes concedunt. At non poteſt intelligi, quomodo Spiritus S. ſemper inhabitet iuſtos, & non inhabitet peccatores, niſi aliquid, atque id permanens, efficiat in iuſtis, quod non efficit in peccatoribus. Id autem eſt gratia iuſtificationis. Quartò; Non dicitur homo peccator, quia malè operatur, ſed quia tranſeunte opere malo manet in illo peruerſio, & macula per modum habitus. Igitur à contrario ſenſu, non dicitur iuſtus formaliter, qui operatur iuſtitiam, ſed qui habet in ſe iuſtitiam, & rectitudinem per modum habitus permanentem. Quinto: Ipſi etiam Philoſophi hoc docent, non poſſe rectè dici iuſtum, qui vnum, aut aliud opus facit iuſtum, ſed qui per habitum ita diſpoſitus eſt, vt poſsit, quando velit, facilè, perfectè, & cum delectatione operari iuſtitiam. *Prob. 2.*

CA-

CAPVT V.

De incertitudine, mutabilitate, & inæqualitate iuſtitiæ.

Certitudo quid. DE certitudine videndum, quid ſit, & quotuplex certitudo. *Certitudo* nihil aliud eſſe videtur, niſi firmitas quædam, & immutabilitas veritatis. Illud enim dicitur certum, quòd explorate, & immobiliter eſt verum.

Certitudinis diuiſio 1. Eſt autem duplex certitudo. Vna obiecti, id eſt, rei cognitæ, vel creditæ: altera ſubiecti, id eſt, hominis cognoſcentis, vel credentis. Prior certitudo eſt immutabilis rei, quæ reuera aliter ſe habere non poteſt, quàm creditur, vel cognoſcitur: qua notione dicimus certum eſſe, Deum eſſe bonum, peccatum eſſe malum. Poſterior certitudo eſt firmitas quædam aſſenſus noſtri ad rem, quæ cognoſcitur, vel credenda proponitur: de qua certitudine loquimur, cùm dicimus; hoc mihi eſt certum; id eſt, ita firmiter inhæreo huic ſententiæ, vt prorſus de illius veritate non dubitem. Oritur prior certitudo vel à neceſsitate ipſius rei, ſi fortè non ſit contingens, ſed neceſſaria: vel à determinatione iam facta, ſi non ſit neceſſaria, ſed contingens. Deum eſſe bonum certum eſt, quoniam in ſe eſt neceſſarium. Chriſtum venturum eſſe ad iudicandos viuos, & mortuos, certum eſt, quia à diuina voluntate determinatum eſt, quamuis alioqui contingens eſſet in ſe, non neceſſarium. Certitudo poſterior naſcitur partim à medio, quo nobis res aliqua ſuadetur; partim ab ingenij bonitate, & voluntatis affecta. Quædam enim ſunt media, quæ vim habent gignendi firmum aſſenſum; quædam ſunt etiam, quæ non habent. Sic etiam aliqui ex bonitate, vel exercitatione ingenij percipiunt planè vim mediorum, & certi redduntur: alij contra, ex ingenij tarditate non aſſequuntur efficaciam mediorum, & adeò certi reddi non poſſunt. Vir doctus, & acutus, certus eſt, Solem multò terra tota eſſe maiorem; quod multi rudes non modo non credunt, ſed etiam ridendos exiſtimant eos, qui credunt. Denique, ipſum affectum non parum valere ad certitudinem ex parte ſubiecti efficiendam, teſtes eſſe poſſunt hæretici rudiores, qui ſæpe neſciunt ipſi, quid credant, & tamen ita firmiter adhærent hæreſibus, vt aliquando malint occidi, quàm illas non credere. Quanquam, ſi propriè loquendum ſit, certitudo vera ex parte ſubiecti nunquam ſeparatur à certitudine ex parte obiecti. Qui enim certò credunt ea, quæ falſa ſunt, non tam certi, quàm perſuaſi eſſe debent. Poteſt tamen certitudo vera ex parte obiecti ſeparari à certitudine ex parte ſubiecti, cùm multa ſint in ſe certa, quæ nobis videntur incerta.

2. Diuiſio Certitudinis. Sed eſt alia etiam partitio certitudinis. Quædam enim eſt certitudo *euidens*; quædam *obſcura*: & in vtraque tres quaſi gradus diſtingui poſſunt.

Certitudo

Certitudo euidens eſt earum rerum, quæ aliquo modo videntur. Cuius certitudinis primum gradum obtinent prima rerum principia, quæ ſolis vocabulis explicatis, ſine alia ratiocinatione, ab omnibus vera eſſe creduntur. vt, nõ poſſe idem eſſe, & non eſſe; totum maius eſſe, quàm partem. Et hæc dicitur certitudo intellectus, ſiue habitus principiorum. Secundum gradum certitudinis euidentis obtinent concluſiones ex principijs primis euidenter deductæ. Atque hæc dicitur certitudo ſcientiæ. Tertium gradum obtinent ea, quæ ſenſibus corporis percipiuntur. Quæ dicitur certitudo experientiæ. *Certitudo euidens.*

Certitudo obſcura eſt earum rerum, quæ ſola fide, vel opinione nituntur. Cuius certitudinis primum gradum habent, quæ propter diuinam auctoritatem certò creduntur. Et hæc eſt certitudo fidei Catholicæ, & diuinæ: eſtque abſolutè, & ſimpliciter certitudo, quia nulla ratione poteſt ei ſubeſſe falſum. Secundum gradum habent ea, quæ creduntur ob auctoritatem humanam, ſed ita confirmatam, & celebrem, vt omnem formidinem prorſus excludat. Qualia ſunt, Ciceronem, & Virgilium fuiſſe inſignes viros, & ſimilia. Atque hæc dicitur certitudo fidei humanæ, ſiue certitudo moralis: quæ, tametſi non tanta ſit, vt ei nullo modo falſum ſubeſſe poſsit (*omnis* enim *homo mendax*) tamen tanta eſt, vt temerarius meritò iudicetur, qui contrà ſentiat, aut diſputet. Tertium gradum habent illa, quæ tot ſignis & coniecturis nituntur, vt ſecurũm hominem reddant, & anxietatem excludant, non tamen formidinem omnem expellant. Atque hæc dicitur certitudo coniecturalis; & opinionis eſt potius, quàm fidei. *Certitudo obſcura.* *Pſal. 115.*

His explicatis fit propoſitio prima: *Non poſſunt homines in hac vita habere certitudinem fidei de ſua iuſtitia, ijs exceptis, quibus Deus ſpeciali reuelatione hoc indicare dignatur.* Neque neceſſe eſt, hoc loco diſtinguere fidem Catholicam à fide diuina ſpeciali: quamuis enim inter ſe differant, quòd fides Catholica non tantùm diuina ſit, ſed etiam omnibus hominibus neceſſaria; fides autem diuina ſpecialis ad eos tantùm pertineat, ad quos reuelatio pertinet: tamen non differunt quantum ad certitudinem, neque ſunt habitus diuerſi, ſed vnus, & idem, cùm eiuſdem æternæ veritatis auctoritate nitantur. Eſt communis ferè omnium Theologorum, & Academiarum, atque etiam Concilij Tridentini. *Propoſ. 1.*

Prob. primò ex teſtimonijs diuinæ Script. Prouerbiorum, Eccleſiaſtæ, Eccleſiaſtici. *Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Notat hoc loco V. Beda, rectè Salomonem non dixiſſe, neminem eſſe mundum corde, & purum à peccato; ſed neminem poſſe dicere: *Mundum eſt cor meum, & purus ſum à peccato.* Nam, niſi poſſent homines per gratiam Dei mundum cor habere, non diceret Dauid: *Cor mundum crea in me Deus.* Et: *Beati immaculati in via.* Sed quoniam illi ipſi, qui mundi ſunt, non poſſunt hoc certò ſcire, neque teſtimonium aliquod infallibile habent de ſua iuſtitia, ideò nemo poteſt gloriari, ac dicere: mundum eſt cor meum. Item: *Sunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen neſcit homo, vtrum odio, vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Item: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adijcias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* *Prob. 1.* *Prou. 20.* *Pſal. 50.* *Pſal. 118.* *Eccle. 9.* *Eccli. 5.*

Hic locus mirificè pungit hæreticos huius tēporis. Ipſi enim propriè illi ſunt, qui, vbi fide ſibi viſi ſunt Chriſti iuſtitiam apprehendiſſe, nullo deinceps metu tanguntur. Et, quamuis adijciant peccatum ſuper peccatum, putant ſibi ſalutem perire non poſſe, quia miſeratio Domini magna eſt, & credentibus non imputat multitudinem peccatorum. Quos ſanè vaniſsimos iudicat Ec-
Eccle. 8. cleſiaſtes: *Sunt impij, qui ita ſecuri ſunt, quaſi iuſtorum facta habeant. Sed & hoc vaniſsimum iudico.*

Prob. 2. Prob. ſecundò propoſitio à teſtimonio & exemplo trium perfectiſsimo-
Iob. 27. rum hominum, Iob, Dauidis, & Pauli. Nam, ſi viri iſti tam inſignes, quorum
Pſal. 25. vnus dicebat: *Non reprehendit me cor meum in omni vita mea:* Alius: *In innocentia*
1. Cor. 4. *mea ingreſſus ſum*: Tertius: *Nihil mihi conſcius ſum*; non audebant ſibi certitudinem gratiæ propriæ arrogare, quis erit ille, qui de propria iuſtitia non formi-
Iob. 9. det? Igitur S. Iob: *Si venerit ad me, non videbo eum. Si abierit, non intelligam.* Item: *Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem me oſtendero, prauum me comprobabit; etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Et infrà: *Vere-*
Iob. 31. *bar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti.* Et: *Quid faciam, cùm ſurrexerit ad iudicandum Dominus?* Et: *cùm quæſierit, quid reſpondebo illi?* S. autē Dauid:
Pſal. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* S. Hieronymus, & S. Bernardus ſententiam huius loci eſſe volunt, neminem eſſe iuſtorum, qui plenè intelligat, careatne peccatis, an non. Et, quamuis hic locus interdum exponi ſoleat de peccatis venialibus, probabilius tamen eſt, extendi ad omnia, cùm ſententia ſit generalis, & nihil ſequatur abſurdi, ſi ge-
1. Cor. 4. neraliter exponatur. Denique, Apoſtolus: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Propoſitum erat Apoſtoli deterrere Corinthios à iudicijs temerarijs, quibus vnus alium, aut iuſtum, aut peccatorem iudicat. Oſtendit autem iudicium de noſtra iuſtitia Deo eſſe relinquendum, cùm ne nos quidē ipſi nos planè cognoſcamus: *Mihi*, inquit, *pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die*; id eſt, non magni facio aliena iudicia de me, quia non ignoro, quàm ſint incerta. *Sed neque meipſum iudico*, id eſt, nec meo iudicio fidere audeo, quoniam etiamſi *nihil mihi conſcius ſim*, tamen *non in hoc iuſtificatus ſum*; id eſt, non ideò iuſtus ſum, quia bonam cōſcientiam habeo. Fortaſſe enim Deus videt in conſcientia mea id, quod ego non video. *Qui autem iudicat me Dominus eſt*; id eſt, ſolus Deus eſt verus iudex, ille ſolus omnia nouit, & tunc verè iuſtum me putabo, cùm Dominus me iuſtum eſſe pronunciabit. *Nolite itaque ante tempus iudicare, quouſque veniat Dominus, qui reuelabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.*

Prob. 3. Prob. tertiò teſtimonijs Prophetarum, & Apoſtolorum, quæ vel requirunt ex parte noſtra varias conditiones, vt iuſtificemur; vel indicant incertū eſſe, an, qui agit pœnitentiam, conſequatur remiſsionem; vel admonent, vt non ſimus nimiùm ſecuri, quaſi certi ſimus de iuſtitia iam adepta.

Deut. 4. Primi generis ſunt hęc teſtimonia: *Cùm quæſieris ibi Dominum* (nimirum poſt varia peccata) *inuenies eum, ſi tamen in toto corde quæſieris eum, & in tota tribulatio-*
2. Paral 6. *ne animæ tuæ.* Et: *Si peccauerint tibi, & iratus fueris*, &c. Et infrà: *Si conuerſi fuerint ad te in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, tu exaudies de cœlo, dimittes populo tuo.* Et:
Iſa. 1. *Quieſcite agere peruersè, diſcite bene facere, quærite iuſtitiam*, &c. *& venite, & arguite*

me,

me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra, ſicut coccinum, ſicut nix dealbabuntur, &, ſi fuerint rubra, ſicut vermiculus, ſicut lana alba erunt. Item: *Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet*, &c. Et: *Vos amici mei eritis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Et: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Et: *Si credis in toto corde, licet.* Hæc, & ſimilia teſtimonia manifeſtè ſignificant requiri aliquid in nobis, vt iuſtificemur. *Ezech. 18. Ioan. 15. Luc. 13. Act. 8.*

Secundi generis ſunt hæc teſtimonia: *Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.* Et: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* Et paulò poſt: *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Item, idem: *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus?* Et: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi.* Hæc, & ſimilia, quæ ſignificant incertitudinem remiſsionis, non faciunt dubias promiſsiones Dei, quibus promiſit verè pœnitentibus indulgentiam; illæ enim certiſsimæ ſunt: ſed reſpiciunt incertitudinem noſtræ diſpoſitionis. Vndecunque autem veniat incertitudo, ſemper probant hæc teſtimonia, non debere hominem ita eſſe ſecurum, vt non ſemper à Deo petat ſeriam pœnitentiam, & peccati remiſsionem. *Dan. 4. Ioel. 2. Ion. 3. Act. 8.*

Tertij generis ſunt hæc teſtimonia: *Beatus vir, qui ſemper eſt pauidus.* Et: *Non enim, qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* At ſi quis certitudine fidei ſciret ſe iuſtum eſſe, poſſet vtique ſe commendare, & probatus eſſet, quia ſine dubio minimè falleretur. Et: *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini.* Et: *in timore incolatus veſtri tempore conuerſamini.* Et: *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* At, ſi per bona opera certitudo vocationis quærenda eſt, certè etiam iuſtificationis. Nam *quos vocauit, hos & iuſtificauit.* Quòd ſi certitudo iuſtificationis ex bonis operibus pendet, non igitur certus eſt homo de ſua iuſtificatione mox atque iuſtificatus eſt. Rurſus; Non igitur ex ſola fide pendet certitudo iuſtificationis. Denique; Non igitur certa eſt iuſtificatio noſtra certitudine fidei quæ infallibilis eſt, ſed certitudine operum, quæ coniecturalis, atque imperfecta certitudo eſt. *Prou. 28. 2. Cor. 10. Philip. 2. 1. Pet. 1. 2. Pet. 1. Rom. 8.*

Prob. quartò propoſitio teſtimonijs SS. Patrum. *Prob. 4. & 5.*

Prob. quintò varijs rationibus.

Prima ratio probat, non poſſe haberi certitudinem fidei de propria iuſtitia hoc modo: Non poteſt aliquid certum eſſe certitudine fidei, niſi aut immediatè contineatur in verbo Dei, aut ex verbo Dei per euidentem conſequentiam deducatur. Fides enim non eſt, niſi diuini verbi auctoritate nitatur. Neque de hoc principio vel Catholici, vel hæretici dubitant. At in verbo Dei non continetur immediatè particularis illa propoſitio: Talis, vel talis homo iuſtificatus eſt: exceptis enim paucisſimis, vt Magdalena, & quodam paralytico, qui ab ipſo Chriſto audierunt: *Remittuntur tibi peccata tua*, cæteri homines in ſacris litteris ne nominantur quidem. Vniuerſales autem promiſsiones conditiones ſuas requirunt, vt ſingulis applicentur. Oportet igitur, vt ex verbo Dei per euidentem conſequentiam id colligat, quiſquis eam certitudinem habere ſe iactat. Id autem fieri non poſſe, probamus hoc modo: Ratiocinatio, qua quis certitudinem fidei de ſua iuſtitia ex verbo Dei concluderet, hæc eſſe deberet: Verbum Dei teſtatur, omnes verè conuerſos ad Deum, & *1. Ratio. Matth. 9. Luc. 7.*

pœnitentiam ſeriò agentes, peccatorum indulgentiam, & gratiam obtinere. Mihi autem euidens eſt mea conuerſio, & pœnitentia: igitur mihi certum eſt certitudine fidei me indulgentiam, & gratiam accepiſſe. Huius argumenti aſſumptionem dico non ſolum falſam, ſed etiam impoſsibilem eſſe, niſi adſit

Ierem. 17. reuelatio. Nam inprimis *prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud?* Deinde, videmus reipſa multos falli, qui ſe putant habere, quod non ha-

Luc. 22. bent. Certè B. Petrus, cùm dicebat: *Tecum paratus ſum in carcerem, & in mortem ire*; ſe paratum eſſe credebat mortem ſubire pro Chriſto, & tamen verè paratus non erat, vt euentus oſtendit: Et Apoſtolus Paulus, cùm in Chriſtianos fureret, magna ſe charitate flagrare arbitrabatur, & tamen ex ignorantia fallebatur. Et quis eſt, qui certus ſit ſe non laborare ignorãtia aliqua non probabili, ſed craſſa, & ex eo peccandi affectum gerere, quem ipſe non videat? Denique; Nulla ſunt clariora ſigna veræ conuerſionis, & gratiæ iam adeptæ, quàm opera charitatis, & præſertim ſi quis animam pro Deo ponat. At hoc ipſum poteſt eſſe ſignum fallax, cùm Apoſtolus dicat, poſſe hominem ſine vera charitate Dei conſumere in cibos pauperum omnes facultates ſuas, & tradere corpus ſuum ita, vt ardeat.

2. Ratio. Secunda ratio probat, neminem teneri ad illam certitudinem habendam, etiamſi fortè poſſet haberi. Nam talis articulus in nullo Symbolo fidei continetur. Et eiuſmodi præceptum in nullo canone Eccleſiaſtico continetur. Percurrantur Symbola, Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Athanaſij, nuſquam reperietur talis articulus: Credo me eſſe iuſtum. Quod autem in Symbolo Apoſtolico dicitur: *Credo remiſsionem peccatorum*, ſignificat, in Eccleſia dari baptiſmum in remiſsionem peccatorũ, vt explicatur in Symbolo Conſtantinop. Porrò in Concilijs Eccleſiaſticis non ſolùm non habetur tale præceptum fidei, ſed habetur etiam expreſſè contrarium in Concilio Trident. id eſt, non teneri homines ad credendum ſibi peccata remiſſa eſſe. Adde quòd, ſi eiuſmodi articulum fidei haberemus, ſequeretur omnem hominem, qui peccat quocunque genere peccati mortalis, continuò fieri hæreticum: atque ita nullum eſſe peccatorem, qui non ſimul eſſet hæreticus: neque enim poteſt, qui voluntariè peccat, credere, ſe iuſtum eſſe, niſi falſum dedita opera credere velit. Et præterea, cùm omnes hæretici ab Eccleſia ſeparentur, & foris ſint, ſequeretur, nullum peccatorem in Eccleſia eſſe poſſe: quæ fuit hæreſis Donatiſtarum. Quid enim ſunt grana, & paleæ in eadem area; boni, & mali piſces in eodem reti; oues, & hœdi in eodem ouili; niſi iuſti, & peccatores in eadem Eccleſia?

3. Ratio. Tertia ratio probat, non expedire, vt homines habeant ordinariè certitudinem de propria gratia. Nam in hoc loco tentationis tanta eſt infirmitas, vt ſuperbiam poſsit generare ſecuritas. Et Dominus per parabolam Phariſæi,

Luc. 18. & Publicani oſtendit eos, qui ſe iuſtos eſſe confidunt, facilè ſe ceteris anteponere, eoſque deſpicere: *Non ſum*, ait, *ſicut ceteri homines, velut etiam hic Publicanus*. Contrà autem ignoratio huius ſecreti humilitatem conſeruat, & auget: facit enim, vt fideles ſuperiores inuicem arbitrentur, & vnus alium honore præueniat.

4. Ratio. Quarta ratio docet, reipſa fidelibus eiuſmodi certitudinem non adeſſe. Nam

Nam inprimis, quibuſdam ſingulari beneficio reuelatum eſſe conſtat, ipſis remiſſa fuiſſe peccata. Id enim teſtatur de S. Anthonio magnus Athanaſius: de S. Galla S. Gregorius: De S. Franciſco S. Bonauentura: nec deſunt alia eius generis exempla. Quorſum autem Deus id certis hominibus reuelaret, quaſi ſpeciali prærogatiua, ſi fidelibus omnibus eſſet notitia iſta communis? Deinde; Non minùs conſtat alios quoſdam, alioqui perfectiſsimos, in obitu ſuo propter hoc incertum non mediocriter trepidaſſe. Refert S. Hieronymus B. Hilarionem in morte dixiſſe: *Egredere, anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? Septuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & mortem times?* Similia exempla trepidantium ſanctiſsimorum Patrum recenſet Ioannes Climachus. Quomodo ergò credibile eſt, omnibus fidelibus certitudinem adeſſe de propria gratia, atque iuſtitia? *In vita S. Anton. l. 4. Dial. c. 13. In vit. S. Franc. c. 3.*

Propoſitio ſecunda: *Non poſſunt homines in hac vita habere certitudinem fidei de prædeſtinatione ſua, atque electione ad gloriam, ſine ſpeciali reuelatione.* *Propoſ. 2.*

Prob. primò ex Script. Nam Apoſtolus Paulus de prædeſtinatione diſputans, refert hoc myſterium inter altiſsima Dei ſecreta, exclamans: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit?* *Prob. 1. Rom. 11.*

Et quamuis hæc altitudo ſecreti præcipuè reſpiciat cauſſam, cur Deus vnum eligat, alterum non eligat, tamen indicat etiam, non poſſe ſciri ſine reuelatione, quem Deus elegerit, & quem non elegerit. Nam ex hoc ipſo, quòd ignoramus, quid moueat Deum, vt hunc potiùs, quàm illũ eligat, & in eius voluntatem rem totam referre cogimur, intelligimus non poſſe alia via cognoſci, quem eligere, & quem non eligere voluerit, niſi per reuelationem ſpecialẽ, qua ſuam ipſe voluntatẽ alicui manifeſtare dignetur.

Secundò; Script. hortatur omnes ad timorem, cùm ait: *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time, ne fortè & tibi non parcat.* Et: *Qui ſtat, videat, ne cadat.* Et: *Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini.* Et: *Tene, quod habes, ne fortè alius accipiat coronam tuam.* Et idem: *Videte, ne perdatis, quæ operati eſtis.* Et: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* *Rom. 11. 1 Cor. 10. Philip. 2. Apoc. 3. 2. Ioan. Pſal. 2.*

Tertiò; Script. diſertis verbis docet ſalutem pendere à conditione operũ. *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Et: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et: *Quòd ſi filij, & hæredes, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Et: *Si commortui ſumus, & conuiuemus.* Et ibidem: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* At concedunt aduerſarij, nullam eſſe poſſe certitudinem ſalutis, ſi ea pendeat à conditione operum: vnde ergò tam confidenter affirmant, ſe de ſalute, & vita æterna eſſe certiſsimos? *Matth. 5. Matth. 19. Rom. 8. 2. Tim. 2.*

Quarto; Script. teſtatur, multos ad tempus credere, & poſteà circa fidem naufragare; & perire, vt patet de ſemine, quod cecidit ſuper petram, quod exponit Dominus de ijs, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis diebus diſcedent quidam à fide.* Et: *Quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Qui autẽ à gratia, & fide exciderunt, nullam certitudinem habent ſuæ reſtitutionis in gratiam: immò Script. dicit *Luc. 8. 1. Tim. 4. 1. Tim. 6.*

2. Tim. 2. hoc planè eſſe incertum, cùm ait: *Ne fortè det illis* Deus *pœnitentiam,& reſipiſcant.*
Ioel. 2. Et: *Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat* Deus? At, ſi multi credentes à veritate poſteà aberrant, reprobi fiant; igitur non erant illi certi ex fide, ſe perſeueraturos; alioqui falſa fuiſſet eorum fides. Non poteſt autem certitudo prædeſtinationis haberi ſine certitudine perſeuerantiæ, cùm perſeuerantia ſit effectus maximè proprius prædeſtinationis, & ſine perſeuerantia non poſsit impleri prædeſtinatio: igitur neque de prædeſtinatione homines illi certi fuerunt ex fide.

Prob. 2.&3. Prob. ſecundò ex teſtimonijs Patrum.

1. Ratio. Prob. tertiò rationibus. Prima ratio: Nihil affirmari debet de his, quæ pẽdent ex ſola Dei voluntate, niſi ex manifeſta reuelatione ipſius: ſi enim nemo certo ſcire poteſt, quid ſit in homine, niſi ſpiritus eius, quantò magis nemo ſcire poterit, quid ſit in Deo, niſi ſpiritus Dei? Pendere autem prædeſtinationem ex Dei voluntate, perſpicuum eſt,
Rom. 9. *quia cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat.* & quos eligit, non ex operibus, ſed miſericordia eligit.

2. Ratio. Secunda ratio: Non poteſt homo certus eſſe ex fide, an ſit dignus odio, vel amore, ſecundum præſentem iuſtitiam, quam in ſe habet. Igitur multò minùs ex fide certus eſſe poteſt, an ſit dignus odio, vel amore, ſecundum æternum decretum, quod in ipſo Deo latet. Neque enim dubitari poteſt, quin facilior ſit notitia præſentis iuſtitiæ, quàm æternæ prædeſtinationis.

3. Ratio. Tertia ratio: Nam vtiliſsimum eſt ad humilitatem conſeruandam, vt non ſciatur in hac vita, quis ad numerum electorum certò pertineat. Et quamuis poſſet Deus alia etiam ratione huic elationis morbo medicinam facere: tamẽ ſic placuit magno illi medico, qui ordinem ſanandi non accipit ab ægroto.

4. Ratio. Quarta ratio: hoc quoque vtiliſsimum eſt propter reprobos. Nam, ſi ſcirentur, qui eſſent prædeſtinati, reliqui omnes deſperantes de ſalute nihil omninò boni peragere curarent.

Propoſ. 3. Propoſitio tertia: *Fides, & iuſtitia non eſt propria electorum, & ſemel habita amitti poteſt.*

Prob. 1. Prob. primò ex Script. Nam tam multa, & tam perſpicua ſunt Script. teſtimonia, vt mirum ſit, potuiſſe in mentes hominum contrarium errorem cadere.
Ezech. 18. *Cùm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Quid clarius? Quomodo, quæſo, auertitur iuſtus à iuſtitia, ſi ſola fide iuſtificatur,
Luc. 8. & fides ſemel concepta extingui non poteſt? Et: *Nam, qui ſuper petram, ſunt, qui cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & hi radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Iſti certè ſuſcipiunt ſemen verbi Dei cum gaudio,
Ioan. 15. & credunt; neque deeſt illis fides, ſed perſeuerantia in fide. Item: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* At palmes eſſe non poteſt, qui aliquando non vixerit in vite: non enim palmites aliunde inſeruntur, ſed naſcuntur ex vite, & non mortui, ſed viui naſcuntur. Sic igitur fideles in Chriſto renaſcuntur, & cùm renaſcuntur, non mortui ſunt, ſed viui, & tamen, ſi, poſtquam renati ſunt, fructum bonorum operum ferre recuſent, areſcunt, præciduntur, & pereunt. Item: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas*
Matth. 24. *tas multorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Ex hoc loco intelligimus, non omnes iuſtos perſeuerare, ac per hoc, non omnes iuſtos ſaluari.

ſaluari. Illud enim: *refrigeſcet charitas*, extinctionem planè ſignificat charitatis: alioqui non opponeretur perſeuerantiæ vſque in finem. Item: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Et: *Euacuati eſtis à Chriſto, qui i lege iuſtificamini, & à gratia excidiſtis.* Quomodo poſſent euacuari à Chriſto, & à gratia excidere, ſi in Chriſto, & in gratia verè nunquam fuiſſent? Et: *Quidam circa fidem naufragauerunt.* Et: *In nouiſsimis diebus diſcedent quidam à fide.* Et: *Quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Et: *Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt; renouari iterum ad pœnitentiam.* Quid hic dici poteſt? Non habuerunt veram fidem, qui diſceſſerunt à fide? Et quomodo naufragauerunt, qui in naui nunquam fuerunt? Num verè iuſtificati fuerant, qui illuminati guſtauerunt donum cœleſte, & participes facti erant Spiritus ſancti, & tamen prolapſi ſunt? Dicit autem Paulus, *impoſsibile eos renouari ad pœnitentiam*; id eſt, difficillimum, & rariſsimum eſſe, vt renouentur. Nam, vt idem ait: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis iam non relinquitur hoſtia pro peccato: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Et Petrus: *Meliùs erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mãdato. Contigit enim illis illud veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Poteratne clariùs explicari vera prolapſio? Nam, qui reuertitur ad ſuum vomitum, certè anteà vomuerat, & vomendo pectus purgauerat: & ſus lota nõ diceretur reuerti ad volutabrum luti, niſi de illo anteà exiuiſſet, & lota verè fuiſſet.

1. Cor. 9. — *Gal. 5.* — *1. Tim. 1.* — *1. Tim. 4.* — *1. Tim. 6.* — *Hebr. 6.* — *Heb. 10.* — *2. Pet. 2.*

Prob. ſecundò exemplis eorum, qui Spiritu ſancto referente, fidem, vel charitatem amiſerunt. Primò; Angeli mali, qui Script. teſte peccauerunt, & ex Angelis Diaboli fieri meruerunt, certè antequam peccarent, iuſti fuerant, vt colligunt S. Patres ex Iſaia, & Ezechiele. Secundò; Primi noſtri parentes ad imaginem, & ſimilitudinem Dei conditi, fide, & gratia ornati erant, etiam aduerſarijs teſtibus, & tamen eos grauiſsimè lapſos eſſe, aduerſarij negare nõ poſſunt. Tertiò; Saul Rex initio bonus, & iuſtus erat, & tamen non ſolùm peccauit, ſed etiam reprobus, & damnatus creditur. Id enim inſinuat Script. & apertè aſſerit S. Auguſtinus, & ante eum Cyprianus. Quartò; Dauid Rex omnium conſenſu iuſtus fuit, cùm de eo diceret Deus: *Inueni Dauid virum ſecundum cor meum.* Et tamen quis negare poteſt eum verè à gratia, & iuſtitia excidiſſe, &, ſecundum aduerſarios, qui fide ſola iuſtificant, à fide excidiſſe? Magnitudinem enim peccati eius teſtatur pœnitentiæ magnitudo, qua lauabat per ſingulas noctes lectum ſuum, & lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat? Quintò; Salomon fuit aliquando verè iuſtus, & à Deo ſingulariter dilectus. Nam dicit de eo Deus. *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Et: *Vocauit nomen eius, Salomon, & Dominus dilexit eum, miſitque in manu Nathan Prophetæ, & vocauit nomen eius Amabilis Domino, eò quòd Dominus diligeret eum.* Hunc autem virum in ſenectute à gratia, & iuſtitia excidiſſe, Script. teſtatur: quæ refert, eum etiam idola omnium concubinarum ſuarum turpiſsimè coluiſſe. Eundem planè reprobum, & damnatum eſſe, indicat S. Cyprianus, & poſt

Prob. 2. — *Iſa. 14.* — *Ezech. 28.* — *1. Reg. 15. & 10.* — *L. 2. ad Simplicianũ q. 1.* — *L. 1. Epiſt. 3.* — *Act. 13.* — *Pſal. 6.* — *2. Reg 7.* — *2. Reg 12.* — *L. 1. Epiſt. 3.*

L. 22. contra Fauſt. c. 88. eum S. Auguſtinus. Sextò; S. Petrus ſine dubio iuſtus erat, cùm ei diceretur à Domino: *Beatus es Simon Bar-Iona.* Et: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.* Et tamen peccauit negando Chriſtum, & negationem periurio confirmando. Septimò; Simon Magus conuerſus à Philippo credidit, & baptizatus Philippum ſequebatur: & tamen hæreſiarcha factus miſerè perijt. Octauò; Iudas proditor, etiamſi ſolus eſſet, exemplo ſuo omnia ora obſtrueret. Nam fuiſſe Iudam aliquando iuſtum, prob. ex illis verbis: *Pater, quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis.* Nam, ſi Pater dedit illum filio, certè bonus erat; &, ſi perijt ex grege, certè antequam periret, in Chriſti grege numerabatur. Conſtat autem Iudam reprobum, & damnatum eſſe, tum ex hoc loco, vbi dicitur *filius perditionis*: tum ex illo: *Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Habemus igitur octo exempla, quorum tria, Adami, Dauidis, & Petri, demonſtrant iuſtitiam poſſe & amitti, & recuperari: alia quinque, Satanæ, Saulis, Salomonis, Simonis, & Iudæ, indicant poſſe aliquos verè iuſtos ita excidere à iuſtitia, vt inter reprobos numerari non ſine ratione credantur: proinde iuſtitiam non ſemper eſſe propriam electorum, ſed cum reprobis aliquando communem.

Matth. 16. Ioan. 13. Act. 8. Ioan. 17. Matth. 26.

Prob. 3. & 4. Prob. tertiò propoſitio traditione, & definitione Eccleſiaſtica.

1. Ratio. Prob. quartò rationibus. Prima ratio: Fides, quæ ſecundum Caluini ſententiam immobiliter hæret in corde hominis ſemel iuſtificati, ſine dubio non eſt actus, ſed habitus. Actus enim non ſemper eſt in corde hominis iuſtificati, vt docet experientia: habitus autem non impedit ex neceſsitate actum contrarium, vt perſpicuum eſt ex ratione, & natura omnium aliorum habituũ, qui inclinant ad ſuum actum, ſed non cogunt. Poterit igitur is, qui habet habitum fidei, facere actum infidelitatis. At ſecundum ſcript. qui facit actum infidelitatis, perdit etiam habitum: nam efficitur ſimpliciter infidelis, & inimicus Dei, & reus mortis æternæ: & ex doctrina aduerſariorum, per omne peccatum excutitur fides iuſtificans, & effunditur ex corde Spiritus ſanctus.

2. Ratio. Secunda ratio: Infantes omnes per Baptiſmum verè iuſtificantur, & fidem accipiunt, etiam teſtimonio aduerſariorum; immò etiam ex ſententia Caluini filij fidelium naſcuntur ſancti. At quis credat omnes filios fidelium, vel certè omnes, qui in infantia baptizantur, eſſe prædeſtinatos, & non poſſe peccare, aut damnari? Nónne videmus, multos in infantia baptizatos, cùm adoleuerint, grauiſsimè peccare? Adde, quòd, ſi hoc paradoxum verum eſſet, Catholici omnes, qui in infantia baptizati ſunt, prædeſtinati eſſent ad vitam, & perire non poſſent, quos tamen iſti pro membris Antichriſti, & infidelibus habent.

3. Ratio. Tertia ratio: Si fides amitti non poteſt, vnde tot ſunt in mundo hæretici? Hoc enim intereſt inter paganos, & hæreticos, quòd pagani fidem nunquam habuerũt. Hæretici habuerunt, & amiſerunt. *Ex vobis ipſis*, inquit Apoſtolus, *exurgent viri loquentes peruerſa.* Et: *Hymenæus, & Philetus à veritate exciderunt.* Et: *Hæreticum deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt*, &c.

Act. 20. 2. Tim. 2. Tit. 3.

4. Ratio. Quarta ratio: Si iuſti peccare non poſſent, quorſum tot admonitiones, & cohortationes Apoſtolorum, & Prophetarum, & omnium ſequentium Doctorum Eccleſiæ, ad populum Dei, vt timeant, vt caueant, vt ſint ſolliciti?

Quor-

Quorſum ipſe Dominus Apoſtolos ſuos, & omnem Eccleſiam orare iuſſit: *Dimitte nobis debita noſtra: & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo?* Matth. 6.
Quorſum pœnitentia, abſolutio, & reconciliatio lapſorum defenditur contra Nouatianos, ſi iuſti peccare non poſſunt?

Quinta ratio: Iſta ſentẽtia aduerſariorũ non ſolũ certitudinẽ nullã adfert, ſed planè deſperationẽ inducit: proinde non modò contraria eſt veræ doctrinæ Catholicorum, ſed etiam ipſorum hæreticorum propoſito, & inſtituto, qui nihil ſæpiùs iactant, quàm ſolidam conſolationem ſe conſcientijs hominum ex certitudine iuſtificationis adferre. Nam, ſi præſens gratia, & iuſtificatio vera eſſe non poteſt, niſi quis certus ſit de perſeuerantia, ita vt vel certò ſciat, ſe nunquam lapſurum, vel ad pœnitentiam rediturum, quomodo fieri poteſt, vt vllus ſani cerebri certò ſperet, ſe verè iuſtum eſſe, cùm de futuris euentibus nihil ſibi certi polliceri, niſi temerè, poſſit? & cùm videat quotidie ſe, & alios in varia peccata labi cõtra conſcientiam? *Ne glorieris in craſtinum* (inquit Sap.) *ignorans, quid ſuperuentura pariat dies.* Et: *Ante mortem ne laudes quenquam.* Et S. Iacobus: *Ignoratis, quid erit in craſtino.* 5. Ratio. Prou. 27. Eccl. 11. Iac. 4.

Propoſitio quarta: *Non omnes iuſti inter ſe pares ſunt.* Eſt contra Iouinianum, qui dicebat, virtutes eſſe pares, & peccata quoque eſſe paria: & contra Lutheranos, qui non negant, hominem poſſe creſcere in fide, ſpe, & dilectione, alijſque virtutibus; ſed ideò negant, vnum alio eſſe iuſtiorem, quia vna, & eadem Chriſti iuſtitia fide apprehenſa, atque à Deo imputata omnes iuſtificari docent. Propoſ. 4.

Atque error Iouiniani quidem euidẽter refellitur his teſtimonijs: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra?* Et: *Non erat vir de filijs Iſraël melior illo.* Et: *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem excelſi.* Et: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem,* &c. Apoſtoli quoque petũt ſibi fidẽ augeri. Et: *Nõ ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Et: *Non inueni tantã fidẽ in Iſraël.* Et: *Remittũtur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ.* Huc pertinent variæ ſimilitudines. Nã Eccleſia cõparatur terræ, quæ pro varia diſpoſitione alicubi reddit fructum tricenũ, alicubi ſexagenũ, alicubi centenũ. Cõparatur etiã corpori humano, in quo ſunt varia mẽbra, & alia ſublimiora, alia inferiora, alia nobiliora, alia viliora. Dicuntur etiã in domo Dei eſſe vaſa aurea, & argentea, lignea, & fictilia: & ſine dubio præſtantiora ſunt aurea, quàm argentea; & argentea, quàm lignea, aut fictilia. Quò etiam ſpectat illa ſimilitudo Apoſtoli de his, qui ſupra fundamentum fidei ædificant aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulas. Denique; Idem probant omnia teſtimonia, quæ docent, præmia in cœlo non eſſe paria: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Et: *Alia claritas Solis, alia claritas lunæ, alia claritas ſtellarum, & ſtella differt à ſtella in claritate.* Prob. 1. Iob. 1. 1. Reg. 9. Eccli. 44. Pſal. 83. Luc. 17. Matth. 11. Matth. 8. Luc. 7. Matth. 13. Rom. 12. 1. Cor. 12. 2. Tim. 2. 1. Cor. 3. Ioan. 14. 1. Cor. 15.

Neque his repugnat, quòd dari videatur idem præmium omnibus operarijs, videlicet denarius quidam diurnus. Nam denarius ille ſignificat æqualitatem æternitatis, non gloriæ, & excellentiæ. Itaque datur omnibus idem denarius, quoniam ſancti omnes ſine fine regnabunt, quamuis non omnes eadem eminentia regnabunt. Sicut etiam commune eſt ſtellis omnibus, perpe- Obiect. Matth. 20. Solut.

tuò fulgere in cœlo, tametſi aliæ alijs clariores micent. Atque hoc modo locũ iſtum exponunt S. Patres.

Prob. 2. Prou. 4. Aduerſus Lutheranos autem primò pugnat illud: *Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Hic enim deſcribitur iuſtitiæ ipſius progreſſus per ſimilitudinem lucis, quę ab aurora progreditur ad meridiem. Sicut enim vera lux eſt, quæ fulget in aurora, & ſemper augetur, & creſcit vſque ad perfectionem meridianam: ſic etiam vera iuſtitia eſt in hominibus iuſtificatis, & ea tamen ſemper magis, ac magis augetur, donec ad perfectionem beatorum in cœleſti beatitudine pertingat.

2. Cor. 9. Secundò, illud Apoſtoli: *Augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Quomodo enim Deus augebit incrementa frugum iuſtitiæ noſtræ, ſi nulla in nobis ſit iuſtitia, niſi Chriſti, quæ augeri non poteſt?

Apoc. vlt. Tertiò, repugnat illud S. Ioannis: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc; &, qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc; &, qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Quis autem dubitat, eos, qui in ſordibus ſunt, verè poſſe adhuc ſordeſcere, & vnum eſſe ſordidiorem alio? cur igitur non concedunt, poſſe etiam iuſtos effici iuſtiores, & vnum alio in iuſtitia maiorem eſſe?

Ioan. vlt. Luc. 7. Ioan. 15. 1. Ioan. 4. Quarto, pugnant omnia loca, in quibus dicitur charitas augeri, & in vno maior eſſe, quàm in alio. *Diligis me plus his?* Et: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et: *Cui minùs dimittitur, minus diligit.* Item: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et: *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Et: *Qui timet, non eſt perfectus in charitate.* Nam ſecundum Scripturam iuſtitia nihil aliud eſt, niſi charitas. Nam Apoſtolus pro eodem

1. Ioan. 3. accipit iuſtum, & diligere: *In hoc,* inquit; *manifeſti ſunt filij Dei, et filij Diaboli. Omnis, qui non eſt iuſtus, non eſt ex Deo. et qui non diligit fratrem ſuum. Quoniam hæc eſt annunciatio, quam audiſtis ab initio, vt diligatis alterutrum.* Et ibidem: *Qui non diligit, manet in morte.* Et: *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.*

Rom. 14. Item, Apoſtolus Paulus; cùm ait: *Regnum Dei eſt iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto*: per iuſtitiam intelligit charitatem, cuius proprij ſunt effectus,

Gal 5. pax, gaudium, iuxta illud *Fructus autem Spiritus ſunt Charitas, gaudium, pax.* Et

Matth. 5. Dominus, cùm admonet, vt iuſtitia noſtra abundet pluſquam Scribarum, & Phariſæorum iuſtitia, præcipuè loquitur de charitate. Scribarum enim, & Phariſæorum iuſtitia erat, diligere amicos, & odio habere inimicos: iubet autem Chriſtus, vt diligamus etiam inimicos, & ſic iuſtitia noſtra abundet plus quam Scribarum, & Phariſæorum. Itaque, cùm aduerſarij non negent diſparitatem charitatis in regeneratis, non poſſunt etiam negare diſparitatem iuſtitiæ.

Quintò, pugnant contra eos omnia loca, quæ docent in cœlo varietatẽ eſſe prẽmiorum, & coronarum, quæ ſuprà citata ſunt contra Iouinianum. Nam

Matth. 25. Philip 3. 2. Tim. 4. prẽmia regni cœlorum propriè iuſtis parata ſunt, vt Dominus ait: *Ibunt iuſti in vitam æternam.* Et Apoſtolus vocat beatitudinem *brauium ſupernæ vocationis.* Et apertiùs vocat *coronam iuſtitiæ, quam reddet iuſtus iudex.* Quare, ſi diuerſitas eſt in cœlo prẽmiorum, ſine dubio diuerſitas eſt in terra meritorũ; & ſi varia eſt corona iuſtitiæ, varia quoque eſt ipſa iuſtitia. Non ſunt igitur omnes regenerati

Prob. 3. æque iuſti. Accedant etiam contra vtrumque errorem teſtimonia Patrum.

CAPVT VI.

De neceſsitate Iuſtitiæ operum, ſeu actualis.

NOtandum eſt Euangelium duobus modis accipi poſſe. Vno modo, pro doctrina, quam Chriſtus, & Apoſtoli prædicarunt, & in libris Euangeliſtarum, alijſque Apoſtolorum ſcriptis continetur. Alio modo pro gratia noui Teſtamenti, quæ & lex ſcripta in corde, & ſpiritus viuificans, & lex fidei dici ſolet: quamuis (vt verum fatear) nomen Euangelij non videatur in Script. vſquam accipi, niſi priore modo, id eſt, pro doctrina. Et quidem, ſi loquamur de gratia noui Teſtamenti, nō diſtinguitur lex ab Euangelio, quòd lex requirat opera, Euangelium non requirat: ſed quòd lex doceat, quid ſit faciendum; Euangelium præbeat vires ad faciendum. Inde enim dicitur lex ſcripta eſſe in tabulis, Euangelium in cordibus. Neque de hac acceptione hic controuerſia eſt: nam ipſi etiam aduerſarij, cùm de diſcrimine legis, & Euangelij diſſerunt, nomine Euangelij non gratiam ipſam, ſed prædicationē Chriſti, & Apoſtolorum intelligunt, quam ideò Euangelium, id eſt, bonum nuncium appellatam eſſe dicunt, quia nihil, niſi conſolationem, annunciat. *Duplex Euangelij acceptio.*

Propoſitio prima: *In Euangelio continentur ea omnia, quæ aduerſarij ſoli legi tribuunt, quæ ſunt præcipuè tria: leges propriè dictæ, comminationes, & promiſsiones cum conditione obedientiæ.* *Propoſitio. 1.*

Quod attinet ad *leges propriè dictas*, id probamus ex eò, quòd Dominus cōfirmat, explicat, & perficit legem MOYSIS de homicidio, adulterio, periurio, & ſimilibus rebus. Nam, quòd reuerà Dominus eam legem, vt à ſe explicatā, velit ſeruari, perſpicuum eſt primò ex modo loquēdi: *Ego autem dico vobis*, &c. quæ verba legiſlatorem propriè decent. Secundò ex eò, quòd Dominus ait: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Si enim nulla eſſet in Euangelio legis obligatio, ſuſtuliſſet Dominus veterem legem, etiam quoad præcepta moralia. Tertiò ex eo, quòd dicitur in fine, *quòd erat docens, ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ, & Phariſæi*: id eſt, ſicut legiſlator, qui ex auctoritate leges interpretatur, vel mutat, vel addit; non ſicut legiſperitus, qui ſolùm ex ſcientia legem explicat. Quartò ex eo, quòd concludit; *Si quis ergò ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Non igitur Dominus ſolum explicat legem veterem, ſed etiam iubet eam ſeruari, quod attinet ad præcepta moralia. Præterea; Si lex vetus moralis ad Chriſtianos non pertineret, quare Dominus tam accuratè illam exponeret, & perficeret? Num Euangelium Chriſti otioſè in rerum inutilium explicatione cōſumi debuit? *Prob. de legibus. Matth. 5. Matth. 7. Matth. 5.*

Quòd ad *comminationes* attinet, quæ maior comminatio intelligi poteſt, quàm illa dominico ore prolata: *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ig-* *Prob de comminatione. Ibid.*

Matth. 7. Matth. 22. 23. & 25. Mar. 9. Luc. 12. Rom. 1. & 2.

nis? Et: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Similes comminationes paſsim habentur in Euangelio. Deinde; Nónne Apoſtolus Paulus ipſi Euangelio tribuit officium terrendi? *Non erubeſco*, inquit, *Euangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primum, & Græco. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Sicut ſcriptum eſt. Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem*, &c. Iſta reuelatio iræ Dei manifeſtè tribuitur Euangelio: reuelatur enim iuſtitia Dei ex fide, vt iuſtificati euadant iram Dei, quam idem Euangelium omnibus impijs comminere teſtatur:

Rom. 2. *In die, cùm iudicabit Dominus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum.* Ad hæc; Nónne Apoſtolus Petrus, in die Pentecoſtes, accepto Spiritu ſancto Euãgelium prædicauit? Quis autem fuerit eius prædicationis effectus, docet S. Lucas:

Act. 2. *His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres?* Euangelium igitur non ſolùm conſolatur, ſed etiam terret: nam compunctio ex terrore naſcitur. Nec ſolum Petrus, ſed etiam Paulus, cùm Euangelium prædicaret, homines terrefaciebat.

Act. 24. Sic enim ſcribit Lucas: *Veniens Felix cum Druſilla vxore ſua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, quæ eſt in Chriſtum Ieſum. Diſputante autem illo de iuſtitia, & caſtitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix, reſpondit, quod ad nunc attinet, vade*, &c. Quid S. Iacobus? An ipſe quoque Euangelium non prædicabat, cum ſcriberet:

Iac. 5. *Agite nunc, diuites, plorate vlulantes in miſerijs, quæ aduenient vobis?* Et frater eius Iudas item Apoſtolus, quid, niſi Euangelium prædicabat, cum ſcriberet:

Epiſt. Iud. *Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum?* Denique; S. Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta:

Apoc. 14. *Vidi*, inquit, *alterum Angelum volantem per medium cæli habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius.* Cùm igitur Chriſtus, & omnes Apoſtoli euangelizando terreant, & in Symbolo Apoſtolico, quod Euangelij ſummam continet, ſit etiam articulus vnus de futuro iudicio, falsò docent Lutherani proprium eſſe legis officium terrere, & ad Euangelium non pertinere.

Prob. de promiſſionibus conditionalis. Matth. 5.

Quòd attinet ad promiſsiones, illas eſſe conditionales, non abſolutas, prob. primò: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, aut Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Hæc certè promiſsio eſt Euangelica, cùm regnum cœlorum comprehendat. Et tamen requirit conditionem iuſtitię, non imputatiuæ, ſed actualis, & operoſæ, quæ in perfecta mandatorum obſeruatione conſiſtit. Explicat enim Dominus, quid ſit iuſtitiam noſtram abundare pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum, cùm dicit, Phariſæorum, & Scribarum iuſtitiam fuiſſe, diligere amicos, non occidere, non mœchari, non peierare: noſtram autem eſſe debere, diligere etiam inimicos, non iraſci ſine cauſa, nõ videre vxorem alienam ad concupiſcendam, non iurare omninò abſque neceſsitate.

Matth. 19. Secundò prob. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Hæc enim apertiſsima promiſsio vitæ æternæ apertiſsimam conditionem exigit obedientiæ. Omnis eſt promiſsio, vbi, cùm is, qui Dominum rogauerat, quid facto opus eſſet ad

vitam

vitam æternam acquirendam, & mandata legis expoſuiſſet, Dominus ait: *Luc. 10.*
Rectè reſpondiſti: hoc fac, & viues.

Tertiò probari poteſt ex doctrina Apoſtolorum, qui paſsim conditiones
operum includunt. *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et ibidem: *Co-* *Rom. 8.*
hæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, &c. Et: *Si commortui ſumus, & conuiue-* *2. Tim. 2.*
mus; ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. Et: *Si tamen legem perficitis regalem.* Et: *Sic* *Iac. 2.*
enim (ſi videlicet *per bona opera certã veſtram vocationem faciatis*) *abundanter mi-* *2 Pet. 1.*
niſtrabitur vobis introitus in regnum æternum Domini noſtri. Et: *Si confiteamur peccata* *1. Ioan. 1.*
noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. Et: *Qui vicerit, dabo ei ſe-* *Apoc. 3.*
dere mecum in throno meo.

Quartò prob. ex doctrina Prophetica. Nam promiſsiones remiſsionis
peccatorum, etiamſi in Prophetis ſint, non ad legem, ſed ad Euangelium per-
tinere, aduerſarij non negant. Sic igitur loquitur Ezechiel: *Si impius auerterit* *Ezech. 18.*
ſe ab impietate ſua, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, &c. Vbi non ſemel,
ſed ſæpius Dominus repetit ſe indulgentiam, & vitam impio donaturum, ſi
tamen pœnitentiam egerit à peccatis, & mandata omnia cuſtodierit: & con-
trà, ſe iuſtum grauiter puniturum, ſi auerterit ſe à iuſtitia, & mandata omnia
non cuſtodierit. Quo loco, ſicut auertere ſe à iuſtitia, & mandata non cuſto-
dire, conditio eſt, à qua pendet comminatio mortis omnium conſenſu, & ne-
mo dicere auderet comminationem mortis non eſſe conditionalem, ſed ab-
ſolutam: ita quoque, auertere ſe à peccato, & facere iudicium, & iuſtitiam,
conditio eſt, à qua pendet promiſsio vitæ, & nemo dicere debet, promiſsio-
nem vitæ non eſſe conditionalem, ſed abſolutam, niſi litteris diuinis apertè
repugnare velit.

Quintò prob. ex conditione fidei, quam requiri ad ſalutem non negant ad-
uerſarij, cùm ſcriptum ſit: *Qui crediderit, ſaluus erit: qui non crediderit condemna-* *Mar. vlt.*
bitur. Ex hac enim fidei conditione ſequitur, vt falſum ſit, quod ipſi dicunt,
promiſsiones Euangelij non eſſe conditionales. Quomodo enim conditiona-
les non ſunt, ſi conditio aliqua, ſcilicet fidei, in omnibus requiritur? Deinde,
vt etiam falſum ſit, non requiri conditionem legis implendæ. Nam, quibus
verbis Script. docet, requiri conditionem fidei ad ſalutem, iiſdem, vel etiam
clarioribus docet requiri conditionem legis implendæ.

Propoſitio ſecunda: *Primum diſcrimen verum inter legem, & Euãgelium eſt, quod* *Propoſ. 2.*
inter doctrinam inchoatam, & perfectam. Continetur enim Euangelium in lege,
vt arbor in ſemine. Tria autem continet Script. vtriuſque Teſtamenti: my-
ſteria, promiſsiones, & præcepta: id eſt, res credendas, ſperandas, & facien-
das, quibus fides, ſpes, charitas reſpondent. Nam ad hęc tria reuocatur ſum-
ma totius doctrinę cœleſtis.

Sed in omnibus tribus longè pręſtat doctrina Euangelica, & Apoſtolica
doctrinę legis, & Prophetarum. Nam, quod attinet ad myſteria fidei, doctri- *Prob. de my-*
na veteris Teſtamenti vnitatem Dei manifeſtè docet; Trinitatem Perſona- *ſterijs.*
rum, & incarnationem verbi non, niſi obſcurè, & imperfectè, vt ea potiùs
adumbret, quàm exprimat: doctrina verò Teſtamenti noui hęc omnia per-
ſpicuè tradit, & prędicat. Itaque ad hoc ſignificandum Moyſes, cùm loque-
retur ad populum, faciem velabat: nobis autem Chriſtus ipſe reuelata facie

locutus eſt, annuncians omnia, quæcunque audiuit à Patre ſuo. Vnde Apo-
2. Cor. 3. ſtolus: *Moyſes, inquit, ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius: nos autem reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.*

Prob. de promiſsionibus. Quod attinet ad Promiſſa, lex, & Prophetæ expreſsè bona temporalia, figuratè autem regnum cœlorum: Chriſtus, & Apoſtoli manifeſtè regnum cœlorum, & vitam æternam pollicentur; bona temporalia adijcienda eſſe dicũt, & ideò non eſſe ſollicitè, & anxiè inquirenda. Et, quoniam promiſsionibus adijci etiam ſolent minæ, lex, & Prophetę comminantur temporalia mala: Chriſtus, & Apoſtoli mortem ſempiternam. *Iſa. 1.* *Si audieritis me*, inquit Dominus per Prophetam, *bona terræ comedetis: quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.* *Matth. 5.* Chriſtus autem: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et infrà: *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.*

Prob. de legibus. Reſtant leges, & mandata, quorum alia criminalia, alia iudicialia, alia moralia erant in veteri Teſtamento. In nouo autem pro Cęremonijs illis Moyſaicis, quę erant propemodum infinitę, inſtituit Chriſtus in Euangelio Sacramenta, numero paucisſima, obſeruatione facillima, ſignificatione pręſtantiſsima, quibus ſocietatem noui populi colligauit. Iudiciales leges in Euangelio Chriſtus non tulit, ſed ferendas reliquit ijs, qui varijs in locis Remp. gerentes pro rerum, perſonarum, & temporum diuerſitate inſtituendas eſſe iudicauerint. Hoc enim intereſt inter populum Hebræum, & Chriſtianum, quòd ille vnam gentem, & vnam regionem, eamque ſatis exiguam continebat: iſte autem orbem terrę complexus eſt, vbi regiones ſunt, & regna vaſtiſſima, mores, & conſuetudines diuerſiſsimę, temperamenta, ingenia, habitus animorum, & corporum, infinitis modis variantes. Hinc igitur facilè poterat Hebręus populus ijſdem iudicijs regi; non poteſt autem populus Chriſtianus vlla ratione ijſdem particularibus ritibus, & legibus gubernari. Morales leges, quę perpetuę ſunt, eaſdem ferè habent lex, & Euangelium: ſed in hoc pręſtat Euangelium legi, quòd quędam grauiora quę à Iudęis propter infirmitatem ipſorum non exigebantur in lege, à Chriſtianis in Euangelio exiguntur; vt patet de libello repudij, & polygamia: quædam etiam expreſsiùs leguntur in Euangelio, quæ obſcuriùs habebantur in lege.

Expoſitio ſermonis Domini in monte Sed vt planè intelligatur, quemadmodum Dominus in Euangelio legem moralem non ſuſtulerit, ſed perfecerit, exponam paucis ſummam ſermonis Domini in monte, qui omnibus præceptis, quibus vita hominis formari poteſt, eſt perfectus. Initio igitur ſermonis ſui Dominus, quaſi loco procemij, diuino prorſùs artificio ſimul explicat finem vltimum hominis, & virtutum, *Ibid.* atque operum bonorum vtilitatem proponit, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum:* & quæ ſequuntur. Quoniam enim vltimus finis principium, & fundamentum eſt totius doctrinę moralis, ideò primo loco exponi debuit; ſimul autem adiungi par fuit vtilitatem virtutis, vt diſcipuli attentiores efficerentur.

Deinde, quaſi procemio explicato, accedit Dominus ad præcepta tradenda, & primùm inſtruit Doctores, deinde auditores; Doctores admonet, eos ſalem

ſalem terræ, & lucem mundi eſſe debere, id eſt, ſapientia, & charitate ita cæteris præſtare, vt alios ſapientes, & ardentes efficere poſsint. Quas duas cõditiones non ſemel repetiuit, cùm præpoſitos Eccleſiæ fideles, & prudentes eſſe debere præmonuit. Aggreditur deinde inſtructionem populorum, eoſque inſtruit, tum quoad ſubſtantiam præceptorum diuinorum, tum quoad finem: nam in vtroque Scribæ, & Phariſæi prauas opiniones induxerant. Quod ad ſubſtantiam attinet præceptorum, improbat Dominus quinque Phariſæorum corruptelas.

Primùm, deprauabant Scribæ, & Phariſæi præcepta grauiſsima de homicidio, & adulterio, docentes, in eiuſmodi præceptis actum externum ſolùm eſſe prohibitum, non autem internum, niſi ſignis exterioribus proderetur. Aduerſus tales corruptelas declarat Dominus legem; *Non occides*, non ſolùm manum, ſed etiam linguam, & animum cohibere: & legem; *Non mæchaberis*, extendi vſque ad concupiſcentiam in ipſa mente conceptam. *Ibid.*

Deinde; Phariſæi repudiabant legem de repudio: quod enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitum dimiſerat, ipſi vt rem abſolutè iuſtam proponebant. Dominus autem docuit, non licere vxorem dimittere, niſi cauſſa fornicationis, & legem de libello repudij penitus abrogauit.

Tertiò; Phariſæi docebant, non eſſe peierandum; tamen frequentare iuramenta, etiam leui de cauſſa, nullum peccatum eſſe ducebant. Contrà, Dominus iubet, non eſſe iurandum omninò, niſi videlicet ſibſit iurandi neceſsitas.

Quartò; Corrumpebant Phariſæi legem illam talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Nam, cùm non animaduerterent eam legem conſtitutam fuiſſe ad iuſtitiam conſeruandam, non ad appetitum vindictæ ſaturandum, docebant, licitum eſſe vindictam appetere. Dominus igitur monet, non eſſe appetendam vindictam, nec malum pro malo reddendum, ſed potiùs paratum eſſe debere hominem probum, ſi opus ſit, percutienti maxillam vnã præbere etiam alteram.

Quintò; Peruertebant Phariſæi primarium dilectionis præceptum. Quoniam enim iuſſerat lex vt hoſtes ſuos occiderent, non odij cauſſa, ſed zelo iuſtitiæ, qua iuſta bella interdum etiam à pijs Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant, diligendos eſſe amicos, odio habendos inimicos. Dominus ergò grauiſsimè admonet, diligendos eſſe inimicos; benefaciendum his, qui nos oderunt; orandum pro perſequentibus, & calumniantibus nos.

His ita explicatis, tranſit ad modum, & docet, cauendam eſſe inprimis vanam gloriam, & non eſſe facienda opera bona ea intentione, vt videantur; & laudentur ab hominibus. Et, quoniam nimis prolixum fuiſſet de ſingulis operum bonorum generibus diſſerere, reuocauit omnia ad tria capita, orationem, ieiunium, & eleëmoſynam: quorum primum erga Deum, alterum erga nos ipſos, tertium erga proximum exhibemus; & vno mentem, altero corpus, tertio bona externa ſacrificamus. Addit poſteà Dominus, ac docet, quæ impedimenta ſint cauenda, & quæ adiumenta quærenda ijs, qui cupiunt ad perfectionem iuſtitiæ peruenire. Impedimenta tria demonſtrat: nimiam ſollici-

Matth. 6. ſollicitudinem in opibus congregandis: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra*: ſuperuacaneam diligentiam in rebus etiam neceſſarijs procurandis: *Nolite*
Matth. 7. *ſolliciti eſſe in craſtinum*: temerarium iudicium de vita, & factis alienis: *Nolite iudicare*. Adiumenta etiam oſtendit, orationem aſsiduam: *Petite, & dabitur vobis*: conatum, & contentionem proficiendi, & ſuperandi omnes difficultates: *Intrate per anguſtam portam*: electionem bonorum magiſtrorum: *Attendite vobis à falſis Prophetis*.

Poſtremò, concludit ſermonem, iterum commendans vtilitatem bonorum operum, vt in prooemio fecerat: *Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilis eſt viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram*, &c. Atque hęc de ſermone Domini in monte. Perficit autem Dominus legem moralem, non ſolùm explicando, & addendo, quæ diximus; ſed etiam adijciendo conſilia quædam ad perfectionem charitatis, quæ finis eſt omnium præceptorum, adipiſcendam aptiſsima. Hoc itaque eſt primum diſcrimen legis, & Euangelij, ex quo manifeſtè colligitur obedientiam legis, atque opera bona non minùs, ſed multò magis in Euangelio, quàm in lege doceri.

Ex hoc diſcrimine tria alia naſcuntur.

1. Diſcrimen legis, & Euangelij Primum: quòd lex Moyſis vni tantùm genti data ſit; lex Chriſti omnibus gentibus. *Quæ eſt alia gens, vt habeat cæremonias, iuſtaque iudicia, & vniuerſalem le-*
Deut. 4. *gem, quam ego ponam hodie ante oculos veſtros?* Et: *Non fecit taliter omni nationi, &*
Pſalm. 147. *iudicia ſua non manifeſtauit eis*. Et: *Quid ergò amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas cir-*
Rom. 3. *cumciſionis? Multùm quidem per omnem modum. Primùm, quia credita ſunt illis eloquia*
Rom. 9. *Dei*. Et: *Optabam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis, ſecundum carnem, quorum*
Matth. vlt. *eſt teſtamentum, & legiſlatio*, &c. At Chriſtus: *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes*.
Mar. vlt. Luc. vlt. Et: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et: *Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ieroſolyma*. Et
Rom. 1. Apoſtolus: *Non erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco*. Oritur diſcrimen hoc ex primo. Lex enim Moyſis poſitiua, id eſt, cæremonialis, & iudicialis, anguſta erat, & ritus, ac iudicia particularia continebat: Euangelium verò lex eſt perfecta, & ritus, ac præcepta, & ſacramenta ita vniuerſalia comprehendit, vt toti mundo eſſent communia.

2. Diſcrimen Secundum diſcrimen, quod ex primo oritur, in eo poſitum eſt, quòd lex vmbram, & figuras rerum futurarum magna ex parte complectatur: Euan-
Ioan. 1. gelium ipſum corpus, & veritatem exhibet. *Lex per Moyſen data eſt: gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*. Lex enim per Moyſen data: per Chriſtum facta eſt gratia, propter infuſionem fidei, & charitatis; facta eſt veritas, propter impletionem omnium figurarum. *Hæc autem in figura facta ſunt noſtri*. Et
1. Cor. 10. paulò poſt: *Hæc autem in figura contingebant illis; ſcripta ſunt autem ad correptionem*.
Heb. 10. Et: *Vmbram habens lex futurorũ bonorum, non ipſam imaginem rerum*. Denique paſſim, in Euangelio legimus, varia in Chriſto myſteria fuiſſe completa, quoniã ſic ſcriptum erat in lege, aut Prophetis.

3. Diſcrimen Tertium diſcrimen, quòd lex Moyſis, adueniente Chriſti lege, mutanda erat; Chriſti autem legi nulla ſuccedere debet alia lex. Oritur hoc diſcrimen etiam ex primo: nam mutanda erat lex Moyſis, quoniam imperfecta erat; omne enim imperfectum perfectiori cedit, & vmbræ, luce apparente, diffugiunt.

giunt. *Lex, & Propheta vſque ad Ioannem.* Et: *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt &* Luc. 16.
legis tranſlatio fiat. Et ibidem: *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatẽ,* Heb. 7.
& inutilitatem. Et: *Dicendo nouum, veterauit prius. Quod enim antiquatur, & ſeneſ-* Heb. 8.
cit, prope interitum eſt. Et: *Quid ergò lex? Propter tranſgreſsionem poſita eſt, donec ve-* Gal. 3.
niret ſemen, cui promiſerat. At Chriſti legem non eſſe finem habituram, perſpi-
cuum eſt ex duobus. Primò, quoniam ſacerdotium Chriſti manet in æternũ,
iuxta illud: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Secundò, Pſal. 109.
quoniam regni Chriſti nullus erit finis. Lex enim cum ſacerdotio, & regno Dan. 2.
ita coniuncta eſt, vt illis manentibus, & ipſa manere debeat: &, quod de ſa- Luc. 1.
cerdotio, & lege docet Apoſtolus, de regno, & lege dubium eſſe non poteſt, Heb 7.
cùm regum proprium ſit, leges ferre, neque vllum ſit regnum, quod proprias
leges non habeat. Denique, Teſtamentum nouum æternum dicitur: *Manda-* Pſal. 110.
uit in æternum teſtamentum ſuum. Et: *Statuam illis teſtamentum alterum ſempiternũ.* Baruch. 2.
Et: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, in ſanguine teſta-* Hebr. 13.
menti æterni, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Eſt autem obſeruandum, legem
Moyſis, quoad præcepta cæremonialia, & iudicialia, ſimpliciter eſſe abroga-
tam: quoad moralia præcepta, & doctrinam fidei, mutatam eſſe, non abro-
gatione, ſed profectu. Non enim ſublata eſt lex moralis, nec fides vnitatis
Dei, ſed aucta, amplificata, perfecta: quomodo mutari ſolet infans in adoleſ-
centem, adoleſcens in virum; & quomodo populus Dei Chriſto adueniente
non perijt, ſed ſtatum mutauit. Lex autem Euangelica ſempiterna dicitur,
non quòd Sacramenta, & omnia eius præcepta, nullum ſint finem habitura;
ſed quoniam vſque ad conſummationem mundi nulla alia lex ſuccedere de-
bet legi Euangelicæ, cùm hæc perfectiſsima ſit: & præterea, quia charitas,
quæ eſt lex noua, & Teſtamentum nouum ſcriptum in cordibus, nunquam
excidit, & ſine fine in omnem æternitatem durare debet.

Propoſitio tertia: *Alterum diſcrimen legis, & Euangelij ſumitur ex annexis. Nam* Propoſ. 3.
lex per Moyſen data eſt, qui fuit legiſlator tantùm: Euangelium per Chriſtum, qui non fuit
ſolùm legiſlator, ſed etiam Redemptor; proinde lex venit ſola; Euangelium non ſolum, ſed
etiam cum gratia. Itaque, qui legem in monte Syna per Moyſen acceperunt,
doctrinam tantùm acceperunt, vt inſtructi per legem, inter vitia, virtuteſque
diſcernerent: qui verò per Chriſtum Euangelium acceperunt, non ſolùm do-
ctrinam, ſed etiam gratiam acceperunt, vt non modò inter vitia, virtuteſque
diſcernerent, ſed etiam, vt iuſtitiam diligerent, & odio haberent iniquita-
tem.

Hoc diſcrimen prædixerunt Ezechiel, & Ieremias. Ille enim, cùm Bap- Prob.
tiſmum adumbraſſet illis verbis. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabi-* Ezech. 36.
mini ab omnibus inquinamentis veſtris; adiungit de ſpiritu gratiæ: *auferam à vobis*
cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, &
faciam, vt in præceptis meis ambuletis. Iſte autem diſertis verbis duo teſtamenta
diſtinguit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda* Ierem. 31.
fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua appre-
hendi manum eorum vt educerem eos de terra Aegypti; pactum, quod irritum fecerunt,
& ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc eſt pactum, quod feriam cum domo
Iſraël poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eo-

 rum

rum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Quam prophetiam de Teſtamento nouo, cuius Chriſtus auctor eſt, exponit Apoſtolus ad
Heb. 8. & 10. Hebræos: & cùm dicit: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſan-*
Rom. 5. *ctum, qui datus eſt nobis.* Significat legem in corde ſcriptam, de qua loquitur Ieremias, & ſpiritum in medio noſtri poſitum, de quo vaticinatur Ezechiel, nihil eſſe aliud, niſi charitatem in corde diffuſam. Tunc enim Deus facit, vt ambulemus in præceptis ſuis, cùm charitatem in cordibus noſtris diffundit.
Rom. 13. *Quoniam, qui diligit, legem impleuit.* Et *Plenitudo legis eſt dilectio.* Porro hoc diſcrimen legis, & Euangelij, tantùm abeſt, vt operum neceſsitatem ab Euangelio remoueat, vt eam potiùs ad Euangelium pertinere demonſtret. Quorſum enim cum Euangelio gratiam bene operandi, & legis ipſius implendæ Chriſtus coniunxit, niſi vt, quod per litteram legis Euangelicæ diſcimus eſſe faciendum, id per ſpiritum, & gratiam impleamus? Quod enim Apoſtolus
2. Cor 3. ait: *Littera occidit, ſpiritus viuificat*; demonſtrat S. Auguſtinus manifeſtiſsima ratione, nõ tantũ intelligi debere de littera legis Moyſaicæ, ſed etiam de littera legis Euangelicæ: vtraque enim occidit, ſi à ſpiritu ſeparetur. Sed ideo
Rom. 4. ſcriptum eſt de lege Moyſis: *Lex iram operatur*: non autem hoc ſcriptum eſt de Euangelio, quoniam, cùm Moyſes legem dedit, nihil, niſi literã dedit; Chriſtus autem, cùm Euangelium dedit, & ſpiritum dedit cum littera.

Ex hoc ſecundo diſcrimine oriuntur etiam tria alia.

1. Diſcrimen legis, & Euangelij. Primum eſt, quòd lex Moyſis non haberet vim iuſtificandi, neque data erat, vt iuſtificaret, ſed vt morbum oſtenderet, & ad quærendum medicum excitaret: Lex autem Chriſti, id eſt, Euangelium, vim habet iuſtificandi, &
Rom. 3. ad hoc ipſum datum eſt, vt ab iniquitate iuſtificet. *Per legem cognitio peccati.* Et:
Gal. 2. *Si per legem iuſtitia, Ergò Chriſtus gratis mortuus eſt.* Et: *Quoniam in lege nemo iuſtifi-*
Gal. 3. *catur, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit; lex autem non ex fide.* Item, ſi data eſſet
Rom. 1. lex, quæ poſſet viuificare, verè ex lege eſſet iuſtitia. At Euangelium *virtus Dei*
1. Cor. 15. *eſt in ſalutem omni credenti.* Et: *Notum vobis facio*, inquit Apoſtolus, *Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, per quod & ſaluamini.* Sed, quod dicimus, Euangelium vim habere iuſtificandi, non ita accipiendum eſt, quaſi ſola littera Euangelij ſalutem adferre poſsit; ſed quoniam cum Euangelij doctrina data eſt etiam gratia fidei, & charitatis, quia legiſlator noſter ſimul etiam redemptor fuit, & ſimul cum lege dedit benedictionem, id eſt, gratiam adimplendi legem, iuxta illud: *Etenim benedictionem dedit legiſlator, ibunt de virtute in*
Pſal. 83. *virtutem.* Quocircà S. Paulus, vbicunque dicit, legem non iuſtificare, non opponit legi Moyſis doctrinam Euangelij; ſed legi opponit fidem, operibus gratiam, & litteræ ſpiritum.

2. Diſcrimen. Alterum diſcrimen eſt, quod ex ſecundo oritur, quòd lex Moyſis lex timoris, & ſeruitutis fuit: Euangelium lex amoris, & libertatis. *Non accepiſtis ſpi-*
Rom. 8. *ritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Et: *Hæc enim duo ſunt teſtamenta, vnum quidem in monte Sina in ſer-*
Gal. 4. *uitutem generans, quæ eſt Agar.* Et infrà: *Itaque fratres, non ſumus ancillæ filij, ſed libe-*
2. Tim. 1. *ræ, qua libertate Chriſtus nos liberauit.* Et: *Non dedit nobis ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis.* Ideò autem lex Moyſis dicitur lex timoris, & ſeruitutis, quia legis mandata ſine gratia Dei, quam Moyſes dare non potuit, reos conſtituit homines,

homines, & pœnæ obnoxios: Euangelium autem Chriſti eſt lex libertatis, & amoris, quia Chriſtus, qui dedit mandata, dedit etiam ſpiritum, per quem in corde diffuſa eſt charitas.

Tertium diſcrimen, quod ex ſecundo oritur eſt, quòd lex Moyſis grauiſſima, & importabilis erat: Euangelium Chriſti iugum ſuaue, & onus leue. 3. *Diſcrimen.* Sic enim de lege loquitur S. Petrus: *Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod nec nos, nec Patres noſtri portare potuimus?* De lege autem ſua Chriſtus: *Tollite iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* *Act. 15.* *Matth. 11.* Oritur hoc diſcrimen ex ſecundo: nam potiſsima cauſſa, cur lex noua ſit leuis, & lex vetus grauis, eſt annexa legi nouæ gratia charitatis. Quod eſt enim durum, & importabile timenti, leue eſt, & facile diligenti. Sunt tamen etiam duæ aliæ rationes, cur lex noua verè dici poſsit facilior vetere. Vna eſt, quòd ſpes retributionis longè ſit maior in lege noua, quàm in vetere, cùm propalata ſit via Sanctorum, & aditus pateat ad regnum felicitatis æternæ. Altera ratio, quòd in lege vetere præcepta cæremonialia, & iudicialia erant plurima, & parum vtilia: in lege noua vtiliſsima ſunt, & pauciſsima: præcepta verò moralia ferè ſunt eadem in vtraque lege. Nam illa quoque, quæ videntur in Euangelio eſſe grauiſsima, de dilectione inimicorum, & de concupiſcentia cohibenda, inueniuntur etiam in lege veteri. Itaque non ait Dominus: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra* pluſquam legis, & Prophetarum, ſed *pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum*, vt videlicet ſignificaret, ſe non tam addere velle ad onera præceptorum legis, quàm tollere de medio corruptelas Scribarum, & Phariſæorum. *Exod. 20.* *Prou. 25.* *& alibi.* *Matth. 5.* Quòd ſi quæ grauiora præcepta addidit, aut certè magis expreſsè tradidit, vt de non dimittenda vxore per libellum repudij, & ſi quæ ſunt alia, non debent illa grauia videri populo Iudæorum. Nam non eſt graue viro forti, quod puero delicato ſolet importabile videri.

Propoſitio tertia: *Homines Chriſtiani, & iuſtificati, non ſunt liberi ab obligatione præceptorum Dei, & Eccleſiæ.* Eſt Concilij Tridentini. *Propoſ. 3.* *Seſſ. 6. can. 19. 20. & 21.*

Prob. primò ex ijs teſtimonijs, quæ docent, Chriſtum verum fuiſſe Legiſlatorem. *Prob 1.* Neque enim negare audebant, ſe legi ſubiectos eſſe, ſi Dominum ſuum legislatorem fuiſſe negare non poſſunt. *Dominus Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter, ipſe ſaluabit nos.* *Iſa. 33.* Ac ne ad tropum aliquem confugiant, audiamus Moyſen: *Prophetam*, inquit, *de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus; ipſum audies.* *Deut. 18.* Hunc Prophetam Chriſtum eſſe, teſtatur Apoſtolus Petrus, & S. Stephanus: ſed apertiſsimè Apoſtolus Paulus Chriſtum cum Moyſe confert, vt legislatorem cum legislatore. *Act. 3.* *Act. 7.* Nam dicit, ſermonem factum per Angelos in manu Moyſis ita firmum fuiſſe, vt omnis inobedientia dignam receperit vindictæ retributionem. *Heb. 2.* Et inde colligit multò magis timendum eſſe nobis, ſi ſermonem filij Dei contempſerimus. Et alibi dicit, Moyſen fidelem fuiſſe in tota domo Dei, tanquam famulum: Chriſtũ autem in domo ſua, tanquam filium. *Heb 3.* Dicit etiam, Chriſtum factum eſſe omnibus *obedientibus ſibi cauſſam ſalutis æternæ.* *Heb. 5.* Obedientia autẽ propriè legislatori debetur. Et tandem ita concludit: *Videte, ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur; multò magis nos, qui de cœlis loquentem nobis auertimus, cuius vox mouit terram tunc, nunc autem repromittit dicens:* *Heb. 12.*

Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolùm terram, ſed & cælum. Præterea; Chriſtum
Pſal. 2. Miche. 5. eſſe Regem noſtrum, omnis Script. teſtatur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab*
Luc. 1. *eo.* Et: *Ex te exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* Item: *Et regni eius non erit*
Apoc. 1. *finis.* Dicitur etiam *Princeps Regum terræ*: item, *Rex regum, & Dominus dominan-*
Apoc. 19. *tium.* At Regis proprium eſt, leges condere. ideo ſiquidem coniungitur, *Legi-*
Iſa 33. *fer noſter,* cum, *Rex noſter.* Item. *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta de-*
Prou 8. *cernunt.* Chriſtus igitur, Rex noſter, legem aliquam ſine dubio nobis dedit, per cuius cuſtodiam obedientiam illi præſtemus.

Prob. 2. Prob. ſecundò propoſitio ex teſtimonijs, quæ docent, Euangelium eſſe
Iſa 2 & Mich. 4. quandam legem. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Quæ verba intelliguntur communiter de prædicatione Euangelica, quæ ab vrbe Ieroſo-
Iſa. 42. lyma per totum mundum propagata eſt. Item: *Ecce ſeruus meus, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus pro-*
Iſa 51. *feret.* Et paulò pòſt: *Et legem eius inſulæ expectabunt.* Item: *Attendite ad me, popule meus, quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet.* Pertinere autem hæc ad Chriſtum, perſpicuum eſt ex verbis ſequentibus: *Prope eſt iuſtus*
Matth. 11. *meus, egreſſus eſt Saluator meus.* Et, cùm Dominus ait. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue*: nônne apertè ſe legem aliquem attuliſſe teſtatur? Neque enim promiſsio, exhortatio, inſtructio, iugum & onus dici poſſunt: ſed lex, quæ obli-
Act. 15. gat, & obligando premit, & grauat, rectè dicitur iugum. Vnde lex Moyſis
Gal 5. iugum ab Apoſtolis appellatur. Præterea; B. Apoſtolus Paulus: *Ijs,* inquit, *qui*
1. Cor 9. *ſine lege erant, factus ſum. tanquam ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in le-*
Gal. 6. *ge eſſem Chriſti.* Et: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Prob. 3. Prob. tertiò ex particularibus, & proprijs Chriſti mandatis. Nam inprimis, mandatum Chriſti in Euangelio contineri de ſuſcipiendo Baptiſmo, &
Ioan 3. Euchariſtia, nemo negare poteſt; cùm tam apertè ſcriptum legamus: *Niſi quis*
Ioan 6. *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* Et: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Deinde; Lex prohibens libellum repudij, & præcipiens, vt vir vxorem non dimittat, neque vxor virum, niſi in cauſſa fornicationis, &, ſi dimiſerint, hac etiam cauſſa maneant innupti, vel coniugibus reconcilientur, propria eſt
1. Cor. 7. Chriſti: de qua ſic loquitur Apoſtolus: *His, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Et: Dominus ipſe aliqua mandaſſe ſe, & ab om-
Matth vlt. nibus eſſe cuſtodienda, teſtatur his verbis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; docentes eos ſeruare omnia quæ mandaui vobis.*

Prob. 4. Prob. quartò teſtimonijs, quæ docent, legem Moyſis, quæ ad mores pertinet, à Chriſto, & Apoſtolis approbatam, & fidelibus ad obſeruandum tra-
Matth 5. 6. & 7. ditam. Nam id inprimis perſpicuum eſt ex Matthæo, vbi Dominus approbare,
Matth 19. & explicat legem Moyſis. Deinde; Idem patet ex alijs locis, vbi Domi[illegible]-
Mar. 10. rum approbat Decalogum Moyſis, & dicit eam legem viam eſſe ad vitam æ-
Luc. 18. ternam. Tertiò idem prob. ex eo, quòd idem Dominus teſtatur, præceptum
Matth. 22. dilectionis eſſe primum, & maximum mandatum, & ab eo legem, Prophetaſque pendere, quippe quod virtute Decalogum, & omnes alias leges, &

præ-

præcepta comprehendit : & hoc ipſum mandatum ita commendat Apoſto-
lis, & per eos Eccleſię vniuerſæ, vt dicat : *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis* Ioan. 15.
inuicem, ſicut dilexi vos. Et rurſùs : *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Item:
Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Vbi nouum appellat, tum quia Ioan. 13.
renouari illud volebat, tum quia illud vnum diligenter ſeruatum, homines
facit nouos. Nec ſolùm Dominus, ſed etiam Apoſtoli mandata Decalogi, &
ipſum dilectionis præceptum, in quo totus Decalogus continetur, fidelibus
omnibus diligenter, aſsiduèque commendant: quod certè non facerent, ſi
decem præcepta non pertinerent ad Eccleſiam Chriſtianorum. *Nemini quid-* Rom. 13.
quam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit.
Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non
concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur : Diliges proximum
tuum, ſicut teipſum. Dilectio proximi malum non operatur : plenitudo ergò legis eſt dile-
ctio. Idem: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in pro-* Epheſ. 6.
miſsione. Apoſtolus quoque Iacobus : *Si tamen*, inquit, *legem perficitis regalem ſe-* Iac. 2.
cundum Scripturas ; Diliges proximum tuum, ſicut teipſum, benè facitis: ſi autem perſo-
nas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quaſi tranſgreſſores. Quicunque au-
tem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. Qui enim
dixerit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem,
factus es tranſgreſſor legis. Vides, quàm apertè Iacobus, Decalogum Moyſis ad
nos quoque pertinere, demonſtrat. Porrò S. Petrus, & S. Ioannes nihil ſæ- 1. Pet. 1.
piùs admonent, quàm vt dilectionis præceptum implere ſatagamus, ſcientes & 4. 1. Ioan. 2.
videlicet, in eo præcepto vniuerſam legem pleniſsimè contineri. & 3.

Prob. quintò ex teſtimonijs illis, quæ docent legem Moyſis moralem non Prob. 5.
eſſe per fidem Chriſti, & Euangelium abrogatum. *Nolite putare, quoniam veni* Matth. 5.
ſoluere legem: non veni ſoluere, ſed adimplere. Quomodo verò ſe impleturum di-
xerit, explicat in ſequentibus, vbi perfectiſsimè ſeruari mandat præcepta le-
gis, *Non occides, Non mœchaberis*, & ſimilia. Et Apoſtolus : *Quid ergo? Legẽ deſtrui-* Rom. 3.
mus per fidem? Abſit: ſed legem ſtatuimus. At, ſi prædicatio Euangelica ſolam fidẽ
ita docet, vt opera non requirat, nec legem vllam propriè dictam admittat,
quidni verum ſit, legem deſtrui per fidem? Quid enim eſt legem deſtruere,
niſi vim obligandi ab ea tollere? Idem quoque Apoſtolus : *Itaque*, inquit, *lex* Rom. 7.
quidem ſancta, & mandatum ſanctum, iuſtum, & bonum. Et ibidem : *Conſentio legi,*
quia bona eſt. Item : *Ego ipſe mente ſeruio legi Dei.* Et : *Deus filium ſuum mittens in ſi-* Rom. 8.
militudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleatur
in nobis. Quis igitur credat, legem illam à Chriſto eſſe ſublatam, quam ſan-
ctam, bonam, & iuſtam appellauit Apoſtolus, & cuius gratia miſit Deus fi-
lium ſuum, & de peccato damnauit peccatum, vt eam ſcilicet ipſo adiuuan-
te adimplere poſſemus?

Prob. ſextò ex teſtimonijs, quæ habent nomen debiti. *Debitores ſumus non* Prob. 6.
carni, vt ſecundum carnem viuamus, &c. Et: *Nos debemus alterutrum diligere.* Et: 1. Ioan. 4.
Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Et: *Nos de-* 1. Ioan. 2.
bemus pro fratribus animas ponere. Et: *Quod debuimus facere, fecimus.* 1. Ioan. 3. Luc. 17.

Prob. ſeptimò ex ijs, quæ docent, Chriſtum eſſe iudicem totius mundi, & Prob. 7.
in vltimo die ſecundum opera vniuſcuiuſque; vel pœnas, vel præmia diſtri-

 buturum.

Matth. 25. Act. 10 & 17. Rom. 2. & 14. 1. Pet. 4. & alibi. buturum. Id enim expreſsè habetur frequenter in Script. At, quale iudicium erit, ſi nullæ ſint leges, ex quarum præuaricatione damnari, & obſeruatione coronari mereamur? Quòd enim quidam ex nouatoribus dicunt, in iudicio extremo examen futurum de ſola fide, manifeſtè pugnat cum verbis Domini, Matth. 25. qui iuſtis dicturum ſe eſſe teſtatur: *Poſſidete paratum vobis regnum: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Iniuſtis autem: *Ite maledicti in ignem æternum: eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Vbi nulla mentio fit fidei, vt intelligeremus Chriſtianis, qui damnantur, non fidem, ſed opera defuiſſe. Id quod 2. Cor. 5. apertiſsimè etiam docet Apoſtolus: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſsit, ſiue bonum, ſiue malum.*

Prob. 8. & 9. Prob. octauò teſtimonijs Patrum.

Vltimò prob. euidentiſsima ratione. Nam vel homo Chriſtianus, & iuſtus peccat, cùm moralia legis veteris præcepta tranſgreditur, vel non peccat. Si peccat: igitur non eſt liber ab eius legis obſeruatione. Quid enim eſt peccatũ, niſi præuaricatio legis? Non autem præuaricatur legem, qui non habet legẽ. Nam vbi non eſt lex, nec præuaricatio: proinde ſi lex illa moralis Teſtamenti veteris non eſt homini Chriſtiano, & iuſtificato, verè lex, non peccat, dum eam non ſeruat: vel, ſi peccat; igitur eſt illi verè lex. Fingi enim non poteſt, quomodo peccet, qui liber eſt à lege. Quod ſi non peccet: igitur falſum eſt, quod ſectarij omnes dicunt, omnia opera hominis iuſti eſſe peccata mortalia. Item, ſi non peccat: igitur vera eſt Libertinorum hæreſis, quòd nihil ſit peccatum, niſi falſa imaginatio, & laxandæ ſunt omnes habenæ, vt vnicuique liceat, quod ei libet.

Propoſ. 4. Propoſitio quarta: *Vera Chriſtiana libertas ex Euangelicis, & Apoſtolicis litteris, tribus in rebus ſita eſſe cognoſcitur: in libertate à peccato, & morte: in libertate à iugo cæremonialis legis, & iudicialis Hebræorum: & à dominio, & reatu legis naturalis, atque moralis.*

Prob. libertas à peccato. Ioan. 8. Rom. 6. De libertate à peccato, & morte, quæ ex peccato ſequitur, loquitur Dominus: *Si vos liberauerit, verè liberi eritis.* Nam paulò antè dixerat: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* De eadem loquitur Apoſtolus: *Cùm ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ: nunc autem liberati à peccato ſerui autem facti Deo, habetis fructum* Rom. 7. *veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* Et hoc rurſus confirmat ſimilitudine mulieris, quæ per mortem viri liberatur à ſeruitute eiuſdem viri, vt poſsit liberè cum alio viro coniungi. Tres enim perſonæ in ea ſimilitudine introducuntur: perſona mulieris, perſona viri morientis, & perſona alterius viri, cui rurſus mulier nubit. Applicando autem ſimilitudinem, per mulierẽ intelligit Apoſtolus homines baptizatos, & iuſtificatos: per virum, cui rurſus mulier nubit, intelligit Chriſtum: per virum morientem, à quo mulier liberatur, intelligit peccatum, & mortem. ſed reddita eſt obſcura ſententia Apoſtolica, quia cùm debuiſſet dicere, peccatum eſſe mortuum, ipſe contrà dixit, nos mortificatos eſſe per mortem Chriſti. Nam in idem recidit, ſiue nos moriamur peccato, ſiue peccatum moriatur nobis. Obſcurior etiam ſententia reddita eſt, quoniam, cùm debuiſſet dicere ſaltem, nos mortificatos eſſe peccato, vel morti, dixit, nos mortificatos eſſe legi, quoniam lex ex occaſione peccatum fouebat, & augebat, & nos ipſi peccato, vt coniugem viro, ſubiectos

iectos tenebat. Quòd autem intentio Apoſtoli fuerit dicere, nos per Chriſti mortem liberatos eſſe à peccato, & in ea ſimilitudine peccatum tenere locũ viri morientis, perſpicuum eſt ex illis verbis: *Itaque, fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Cùm enim in carne eſſemus, paßiones, quæ per legem erant, operabantur in mẽbris noſtris, vt fructificarent morti: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Vbi, ſicut ex eo, quòd dicit, *vt fructificemus Deo*, intelligimus, Deum eſſe ſecundum virum, cui nubit anima, & cui fructificat, proles bonorum operum pariendo: ſic etiam ex eo, quod dicit, vt *fructificarent morti*, intelligimus mortem eſſe priorem virum, cui copulata erat anima, & cui fructificabat, proles malorum operum pariendo. Ex hac prima libertate colligimus aduerſarios grauiter errare, cùm dicunt peccatum in hominibus iuſtificatis ſemper viuere, ſed non imputari. Nam, ſi ita eſſet, non eſſemus verè, & propriè liberati, neque eſſemus peccato verè mortui; ſed adhuc fructificaremus morti, & ſeruiremus in vetuſtate litteræ, non in nouitate ſpiritus.

Ibid.

Iam verò de libertate ſecunda, quæ eſt ab oneribus legis cæremonialis, & iudicialis, extant etiam apertiſsima teſtimonia. Hoc enim eſt, quod clamat Apoſtolus Petrus: *Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec nos, nec patres noſtri portare potuimus?* Et Apoſtolus Paulus: *Nec Titus*, inquit, *compulſus eſt circumcidi, cùm eſſet gentilis: ſed propter falſos fratres, qui ſubintroierunt explorare libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Ieſu, vt nos in ſeruitutem redigerent.* Et: *Quomodo iterum conuertimini ad infirma, & egena elementa, quibus denuò ſeruire vultis?* Et: *State, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt.* Et: *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt et legis tranſlatio fiat.* Et ibidem: *Reprobatio fit præcedentis mãdati propter infirmitatem eius, et inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Vocantur etiam cæremoniæ legis, iuſtitię carnis vſque ad tempus correctionis impoſitæ. Neque de libertate hac vlla iam dubitatio eſt.

Prob. libertas à ceremon. & iudicial. lege. *Act. 15.* *Gal. 2.* *Gal. 4.* *Gal. 5.* *Heb. 7.* *Heb. 6.*

De tertia libertate, quæ eſt à dominio legis diuinæ moralis, id eſt, per quã fit, vt lex nobis non dominetur tanquam ſeruis, imminens flagello, & timorem ſemper incutiens, ſed vt imperet liberis, & liberaliter obtemperare volentibus, non adimendo legi vim obligandi, ſed addendo hominibus charitatem libenter illam implendi, loquitur idem Apoſtolus, cùm ait: *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et: *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Et: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Et: *Iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis, et non ſubditis.* Nam aliud eſt, hominem eſſe ſub lege, aliud eſt, eſſe hominem in lege. Sub lege enim dicitur eſſe, qui à lege agitur, tanquam ſeruus: in lege eſt, qui ſecundum legem agit, vt liber. Quare Apoſtolus dicit, ſe factum eſſe omnia omnibus: ijs, qui ſub lege ſunt, quaſi eſſet ſub lege, cùm verè non eſſet ſub lege: ijs, qui ſine lege ſunt, quaſi ſine lege eſſet, cùm tamen ſine lege Dei non eſſet, ſed in lege eſſet Chriſti.

Prob. libertas à dominio legis moralis *Rom. 6.* *2. Cor. 3.* *Gal. 5.* *1. Tim. 1.*

Addunt aliqui ex Catholicis, in quibus eſt Dominicus à Soto, non ſolùm Chriſtianos liberatos eſſe à lege cæremoniali, & à reatu, & terrore legis moralis, ſed etiam à tota lege ſcripta in libris Moyſis: non, quòd non teneamur ſeruare.

L. 2 de iuſtitia & iure. q. 5. art. 4.

ſeruare legem illam Moyſis, vt eſt naturalis, & quatenus in Euangelio, & epiſtolis Apoſtolorum renouatur, ſed vt eſt ab ipſo Moyſe ſcripta. Non enim Moyſes iam nos obligare poteſt, ſed ſolus Chriſtus: Chriſtiani enim ſumus, non Iudæi. Ceterùm nos veriùs putamus, legem moralem, etiam vt eſt data per Moyſen, & Prophetas, atque vt eſt in libris veteris Teſtamenti ſcripta,
Matth. 5. verè obligare Chriſtianos. Nam, quòd Dominus ait, *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, de lege morali intelligitur: vt patet ex toto illo capite. Adimplere autem non eſt adducere tempus, quo lex illa ceſſare debet, id eſt, per aduentum ſuum illi finem imponere, quandoquidem vſque ad Chriſti aduentum duratura erat: ſed perficere, & ſtabilire remotis corruptelis, quæ per falſas interpretationes illi acceſſerant. Adimpleuit enim Chriſtus legem de homicidio, quia docuit cauendam eſſe etiam iram, quæ eſt via ad homicidium.
Rom. 3. Præterea; S. Paulus, cùm ait: *Nunquid legem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legē ſtatuimus*, loquitur de lege Moyſis: illa enim in Script. intelligitur, cùm abſolutè lex nominatur. Ad hæc; Apoſtoli ſemper allegant verba Teſtamenti veteris, cùm præcepta moralia ſeruanda eſſe docent: *Non adulterabis, Non occides,*
Rom. 13. *Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, Non concupiſces, et ſi quod eſt aliud mandatum*, &c. Et: *Honora patrem, et matrem, quod eſt mandatum primum in promiſſione.*
Ephoſ. 6.
Iac. 2. Et: *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum Script. Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, &c. At cur Apoſtoli hoc facerent, ſi teſtimonia illa ad Chriſtianos non pertinerent? Sane mirum eſt, cur Dominicus à Soto nullum teſtimonium ex libris veteris Teſtamenti quoad vim obligandi adduci poſſe Chriſtianis ſcripſerit: nam non ſolùm Apoſtoli, ſed etiam Patres omnes, immo & Theologi omnes teſtimonia veteris Teſtamenti allegant ad probanda præcepta mora-
Pſal. 14. lia; vt v. g. ad probandum, vſuras eſſe prohibitas, quis non allegat Pſalmū,
Ezech. 18. & Ezechielem? Repetunt etiam Patres crebrò, præcepta moralia data Iudæis obligare etiam Chriſtianos. Et nónne in Catechiſmis, quibus omnis Chri-
Exod. 20. ſtianorum Eccleſia vtitur, ſcribuntur decem præcepta ad verbum ex Exodo deprompta?

Rom. 7. Denique; Lex moralis Teſtamenti veteris non tantùm diuina eſt, ſed etiā
Baruch. 4. ſpiritualis, ſancta, iuſta, bona: præterea immaculata, conuertens animas, &
Propoſ. 5. illuminans oculos: denique, liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in ęternū. Quare nulla eſt ratio, cur non conueniat Chriſtianis, vel cur abrogari debuerit à Chriſto.

Prob. 1. Propoſitio quinta: *Opera bona iuſto homini neceſſaria ſunt ad ſalutem, non ſolùm ratione præſentiæ, ſed etiam ratione efficientiæ, quoniam efficiunt ſalutem, et ſine ipſis ſola fides non efficit ſalutem.* Intelligimus hæc eſſe neceſſaria hominibus rationis vſum habentibus, & qui tam diu poſt adeptam remiſsionis gratiam ſuperuiuunt, donec occaſio implendæ legis occurrat. Non enim negamus, quin infantes, & adulti etiam recens baptizati ſaluentur, ſi continuò ex hac vita diſcedant. Cenſentur enim totam legem implere, qui poſt iuſtificationem adeptam legis præcepta non violarunt, & qui charitatem, quæ eſt legis plenitudo, ſaltem habitualiter in corde gerunt.

Prob. primò neceſsitas operum ad ſalutem ex ijs, quæ dicta ſunt de diſcrimine legis, & Euangelij, & de libertate Chriſtiana. Nam, ſi promiſsio vitæ

æternæ eſt conditionata, certè neceſſarium eſt, implere conditionem, ſi quis ſaluus fieri velit. Et, ſi iuſtus non eſt liber ab obligatione legis diuinæ, certè, niſi eam impleat, non ſaluabitur.

Prob. ſecundò ſpecialibus teſtimonijs. Primum eſt: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt facientes voluntatem Dei reportetis promiſsionem.* Certè patientia opus quoddam eſt, cùm ſit actus virtutis à fide diſtinctæ; immò opus perfectum, iuxta Iacobum: & verbis diſertis neceſſaria prædicatur, & additur, ad quid ſit neceſſaria, *vt reportetis*, inquit, *promiſsionem*. Quod ſignificat, neceſſariã eſſe patientiam, non ſolùm ratione præſentiæ, ſed etiam relationis ad ſalutem. Nam, ſi tantùm neceſſaria eſſet ratione præſentiæ, ſatis fuiſſet dicere: *Patientia vobis neceſſaria eſt*: ſed cùm additur ratio neceſsitatis, & dicitur: *vt reportetis promiſsionem*, apertè ſignificatur relatio aliqua ad acquiſitionem promiſsionis. Id enim videmus in omnibus ſimilibus locutionibus: Cibus eſt neceſſarius, vt nutriamur; aër eſt neceſſarius, vt reſpiremus; vbi ſemper relatio cauſſæ alicuius exprimitur. Prob. 2. Heb. 10. Iac. 1.

Secundum eſt: *Mulier ſeducta in præuaricatione fuit, ſaluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Vbi perſeuerantia non in ſola fide; ſed in fide, dilectione, ſanctificatione, & ſobrietate, ponitur neceſſaria ad ſalutem, vt conditio quædam, ſine qua mulier ſaluari non poteſt. 1 Tim. 2.

Tertium eſt: *Cum metu, & tremore veſtrã ſalutem operamini.* Profectò, ſi actiones bonæ ſalutem operantur, non ſunt neceſſariæ ſolùm ratione præſentiæ, ſed etiam ratione efficientiæ. Philip. 2.

Quartum eſt: *Triſtitiam, quæ ſecundum Deum eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Hic etiam videmus rationem efficientiæ. Nam triſtitia pœnitentiã, pœnitentia ſalutem ſtabilem operatur. Triſtitia enim verè efficit in homine pœnitentiam id eſt, deteſtationem peccati, & propoſitum peccata vitandi. Igitur ipſa etiam pœnitentia verè efficit ſalutem ſtabilem: proinde non eſt neceſſaria ſolùm ratione præſentię, ſed ratione cauſſæ. 2 Cor. 7.

Quintum eſt: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quid apertius dici potuit? Si patiẽtia tribulationis operatur pondus æternę glorię, quis negare poteſt relationem aliquam eſſe inter patientiam, & ſalutem? 2. Cor. 4.

Sextum eſt: *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Vbi mortificationẽ carnalium concupiſcentiarum neceſſariam eſſe ad ſalutem, vt conditionem, & cauſſam, ac per hoc relationem habere ad ipſam ſalutem, primùm demonſtrat particula conditionalis, *Si.* Deinde antitheſis: nam paulò antè dixerat: *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini.* Neque enim dubitari poteſt, quin ſecũdum carnem viuere ſit vera cauſſa mortis ęternæ. *Stipendium* enim *peccati mors.* Quod autem additur: *Gratia autem Dei vita æterna* non ſignificat, vitam æternam non eſſe ſtipendium iuſtitiæ, ſed ipſam iuſtitiam non haberi, niſi ex gratia Dei. Rom. 8. Rom. 6.

Septimum eſt: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Exiſtimo enim, quia non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam.* Hic verò non ſolum cõditionalis particula indicat cauſſam, ſed etiam ratio addita de exceſſu glo- Rom. 8.

rię ad paſsiones. Nam, ſi nullam haberet patientia tribulationum relationem ad ſalutem, fruſtrà Paulus diceret: *Exiſtimo enim, quia, non ſunt condigna*, &c. Iſta enim collatio paſsionum ad gloriam, & exceſſus vnius ad alterum, manifeſtè declarat, eſſe aliquam vim in opere patientiæ ad acquirendam illam gloriam, tametſi abſolutè longè maior ſit futura illa gloria, quàm ſit præſens tribulatio.

Rom. 10. Octauum eſt: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem*. Videmus hoc loco non ſufficere fidem ad ſalutem, quæ vera, & integra in corde eſſe poteſt, niſi acceſſerit etiam externa confeſsio.

Matth. 25. Nonum eſt: *Venite benedicti Patris mei, poſſedite paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Certè reddita ratio luculenter oſtendit opera bona eſſe aliquo modo cauſſam ſalutis.

Iacob. 1. Decimum eſt: *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis; hic beatus in facto ſuo erit*. At quomodo, quęſo, beatus in facto ſuo, ſi facta nullam habent relationem ad beatitudinem, ſed ſolùm pręſentiam ſuam otioſè exhibent? Adde, quod idem Apoſtolus ait: *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides ſaluare eum?*

Iac. 2.

His accedant epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudę, qui intentionem ſuã eò potiſsimùm dirigunt, vt probent, opera bona iuſtificatis hominibus ad ſalutem eſſe neceſſaria, neque fidem ſolam ſufficere, vt quidam eo tempore ex epiſtolis B. Pauli non bene intellectis prędicare cœperant.

Prob. tertiò propoſitio ex traditione Eccleſiaſtica.

Prou. 3. & 4. Prob. quartò ratione. Nam, ſi fides ſola ſaluaret, & opera non eſſent neceſſaria, niſi ratione pręſentię, vt fructus, & ſigna fidei, ſequeretur, fidem ſaluare poſſe, etiamſi careret omni bono opere, & coniuncta eſſet omnibus vitijs, & peccatis. Hoc autem conſequens eſt manifeſtè falſum, & Scripturæ, & rationi repugnat. Igitur fides ſola non ſaluat, & neceſſaria ſunt opera bona, nõ ſolùm ratione pręſentię, ſed etiam ratione alicuius efficientiæ. Propoſitio argumenti, quę conditionata eſt, prob. Non requiruntur opera in actu ſaluandi, niſi per accidens: nullam enim ipſa vim ſaluandi habent, neque addũt fidei, neque tollunt à fide vllam vim, quam habent, ſaluandi, vt aduerſarij cõtendunt. Igitur bonis omnibus operibus ſublatis adhuc fides ſaluaret. Quemadmodum enim, quia ignis ſolo calore calefacit, ſi tollerentur ab igne omnes alię qualitates, quę per accidens ſunt cum calore coniunctę, adhuc ſine dubio calefaceret. Et, quoniam Pater ſola relatione paternitatis refertur ad Filium, ſi ab eo, qui Pater eſt, omnia alia attributa remouerentur, vt ſcientia, [illegible]tas, poteſtas, ſanitas, pulchritudo; & contrà, adderentur ignorantia, obſcuritas, debilitas, ęgritudo, deformitas, & ex prioribus attributis ſola paternitas remaneret, adhuc Pater ille referretur ad Filium. Ita prorsùs, quia Chriſtianus per ſolam fidem ſalutem apprehendit, atque ad eam referretur per aduerſarios, certè ſequitur, vt manente fide ſaluari poſſet, etiamſi nulla habeat opera bona, & multa habeat opera mala. Aſſumptio ab aduerſarijs non negatur, &, ſi negaretur, in promptu eſſet probatio, cùm ſcriptum ſit: *Tribulatio,*

Rom. 2. *& anguſtia in omnem animam operantis malum, Iudæi primum, & Græci: gloria autem, & honor,*

& honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco. Item: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſsidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſsidebunt.* Item: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, &c. quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Denique, vt alia multa prætercam: *Hoc ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei.* Sequitur igitur concluſio, neceſſaria eſſe ad ſalutem opera bona, non ſolùm ratione præſentiæ, ſed etiam alicuius efficientiæ, & non minùs opera, quàm fidem, ad ſalutem ſuo modo referri. 1. Cor. 6. Gal. 5. Ephes. 5.

CAPVT VII.

De veritate Iuſtitiæ operum, ſeu actualis.

QVæſtio eſt: *Vtrum homines iuſtificati gratia Domini adiuuante, poſsint ita legem diuinam implere, vt opera ipſorum non modò non ſint appellanda peccata, ſed etiam verè, & propriè iuſta dici mereantur?* Quæſt.

Propoſitio prima: *Catholici omnes ſumma conſenſione fatentur, legem Dei iuſtis hominibus abſolutè poſsibilem eſſe, non quidem per ſolas vires liberi arbitrij, ſed per auxilium gratiæ Dei, & ſpiritum fidei, & charitatis in ipſa iuſtificatione nobis infuſum.* Propoſ. 1.

Prob. primò ijs teſtimonijs, quibus vtitur Concilium Trident. quæ non ſolùm poſsibilia, ſed etiam facilia teſtantur eſſe mandata. *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Item: *Et mandata eius grauia non ſunt.* Prob. 1. Seſſ. 6. c. 11. Matth. 11. 1. Ioan. 5.

Prob. ſecundò ijs teſtimonijs, quæ docent, mandata ſeruari ab his, qui diligunt, vt etiam Concilium eodem loco argumentatur. *Qui diligit me, ſermonẽ meum ſeruabit.* Et: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Et: *Omnis lex in vno ſermone impletur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* At certè debemus, & poſſumus diligere Deum, & proximum, alioqui non poſſumus eſſe Chriſti diſcipuli, cùm ipſe dicat: *In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Nec poſſemus vnquam amici Chriſti fieri, ſi non poſſemus diligere. Ipſe enim ait: *Vos amici mei eritis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Quid autem præcipiat, explicat ibidem dicens: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Prob. 2. Ioan. 14. Rom. 13. Gal. 5. Ioan. 13. Ioan. 15.

Prob. tertiò ex teſtimonijs, quæ docent, aliquos ſeruaſſe mandata, ac præcipuè de dilectione ex toto corde, & de non concupiſcendo. Dicit Dauid: *In toto corde meo exquiſiui te.* Et de eodem dicitur: *Non fuiſti, ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens, quod placitum eſſet in conſpectu meo.* Et: *Inueni Dauid, filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui omnes voluntates meas faciet.* Et: *Eò, quòd feciſſet Dauid rectum in oculis Domini, & non* Prob. 3. Pſal. 118. 3. Reg. 14. Act. 13. 3. Reg. 15.

declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ.
4. Reg. 23. Item, de Ioſia: *Similis non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni cor-*
2. Paral. 15. *de ſuo, in tota anima ſua, & in vniuerſa virtute ſua.* Item, de Aſa, & populo: *In tota*
Ioſu. 11. *voluntate ſua quæſierunt Dominum, & inuenerunt.* Item, de Ioſue: *Sicut præceperat*
Dominus Moyſi ſeruo ſuo, ita præcepit Moyſes Ioſue, & ille vniuerſa compleuit. Non præ-
teriit de vniuerſis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iuſſerat Dominus Moyſi. Ne-
que dubium eſt, quin ſimilia dici poſsint de Abraham, Moyſe, Samuele, Elia,
Elizæo, Iſaia, Ieremia, aliiſque Prophetis. In Teſtamento nouo legimus de
Luc. 1. Zacharia, & vxore: *Erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, &*
Ioan. 17. *iuſtificationibus Domini ſine querela.* De Apoſtolis Dominus ait: *Tui erant, & mihi*
Luc. 12. *eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt.* Eoſdem etiam vocat amicos: *Dico autem*
Ioan. 15. *vobis amicis meis.* Et: *Vos autem dixi amicos.* Et tamen ibidem iam dixerat, illos
amicos eſſe, qui præcepta cuſtodiunt. Apoſtolus verò Paulus de præcepto,
Rom. 7. *Non concupiſces*, verba faciens: *Quod nolo*, inquit, *facio: ſi autem quod nolo, facio, iam*
non ego operor illud, ſed, quod habitat in me, peccatum. Vbi apertè demonſtrat ſe nõ
peccare, dum inuitus concupiſcit, quia non ipſe illud opus facit, proinde ſer-
uare ſe legem, quæ cùm iubet: *Non concupiſces*, voluntati præcipit, ne velit cõ-
cupiſcere, non ſenſui, qui legis capax non eſt. Vnde ibidem addit: *Ego ipſe mẽ-
te ſeruio legi Dei.* At ſi mente ſeruiebat legi, certè non peccabat: non enim pec-
catum eſſe poteſt, niſi in mente, aut cum aliquo mentis conſenſu. Quod autẽ
de Apoſtolis legimus, ambigi non poteſt, quin etiam de Ioanne Baptiſta dici
Matth. 11. poſsit, cùm *inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Habemus igi-
tur multos ſeruaſſe legem Dei: ex quo euidenter ſequitur, quòd non ſit im-
poſsibilis.

Prob. 4. & 5. Prob. quartò ex traditione Eccleſiaſtica.

1. Ratio. Prob. quintò rationibus. Prima ratio: Poteſt homo plus, quàm Deus pręcipiat; igitur multò magis poteſt implere præceptum. Antecedens prob. Nam
Matth. 19. poſteaquam Dominus dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, & quidam
reſponderat: *Hæc omnia ſeruaui à iuuentute mea*; rurſus eidem ait: *Si vis eſſe perfe-
ctus, vade, vende omnia, quæ habet.*

2. Ratio. Secunda ratio: Si præcepta eſſent impoſsibilia, neminem obligarent, ac per hoc præcepta non eſſent pręcepta. Neque enim fingi poteſt, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitare non poteſt. Quòd ſi non peccet, qui legis tranſgreſſionem vitare non poteſt, profectò nec legem tranſgreditur, nec legem vllam habet. Non enim fieri poteſt, vt legis tranſgreſsio non ſit peccatum, cum nihil aliud ſit peccatum, quàm legis tranſgreſsio.

3. Ratio. Tertia: Si lex Domini eſſet impoſsibilis, ſequeretur, Deum omni tyranno eſſe crudeliorem, & ſtultiorem, quippe qui ab ipſis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo ſoluere poſſet, & leges ferret, quas ſciret a nemine obſeruandas.

4. Ratio. Quarta ratio: Chriſtus paſſus eſt, *vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Item,
Rom. 8. docuit nos orare: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra*: vbi petitur gratia
Matth. 6. implendi præcepta, vt exponunt S. Cyprianus, & S. Auguſtinus. [illegible]
Heb. 5. Chriſtus *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſſa ſalutis æternæ.* At, ſi lex im-
pleri non poteſt, Chriſtus nõ obtinuit, quod voluit; fruſtra nos oramus quo-
tidie,

tidie, & nemo omninò ſaluari poterit. Nam, ſi lex impleri non poteſt, iuſtificatio legis nunquam impletur in nobis, etiamſi Chriſtus venerit in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato, id eſt, victima pro peccato, damnauerit peccatum: nec fit vnquam Dei voluntas in terra, ſicut in cœlo, etiamſi Chriſto Magiſtro hanc orationem aſsiduè frequentamus: nec vnquam verè obedimus Chriſto, ac per hoc nulli noſtrum fit cauſſa ſalutis æternæ.

Quinta ratio: Omnes verè iuſtificati Spiritum ſanctum habent, vt Scrip- 5. Ratio.
turæ paſsim teſtantur. At Spiritus ſanctus fructus ſuos parit, qui numeratur: Rom. 5. & 8.
Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, 1. Cor. 3.
modeſtia, continentia, caſtitas. Qui verò hos fructus habet, non accuſatur à lege, Gal. 3. Tit. 3.
quippe qui eam non præuaricatur, ſed implet. Id enim ſignificat, quod in eo- Gal. 5.
dem loco ſubiungitur: *Aduerſus huiuſmodi non eſt lex*. Nō enim lex habet, in quo accuſet eos, qui ſunt præditi charitate, patientia, &c. Et ideò paulò antè dixe-
rat idem Apoſtolus: *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*. Et: *Lex Spiritus vitæ libe-* Rom. 8.
rauit me à lege peccati, & mortis. Quia videlicet lex in corde ſcripta, id eſt, ſpiritus ſanctus in corde diffuſus, facit implendo legem, vt lex non accuſet amplius, neque occidat, vt præuaricatores. Ergò de primo ad vltimum, qui eſt iuſtificatus, propter ſpiritum, quem accipit, legem omninò implet; & ſi non implet, nec ſpiritum accipit, nec verè iuſtificatus eſt.

Sexta ratio: Omnes iuſtificati ex Deo nati ſunt: *Qui non ex ſanguinibus, neque* 6. Ratio.
ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et: *Niſi quis renatus* Ioan. 1.
fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto. Et: *Quaſi modò geniti infantes*. Et: *Genuit nos verbo* Ioan 3. 1. Pet. 2.
veritatis. Et: *Qui diligit, ex Deo natus eſt*. Et: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum,* Iac. 1.
in quo clamamus, Abba Pater. At qui natus eſt ex Deo, non peccat, nec poteſt peccare, quia 1. Ioan. 4.
ex Deo natus eſt. Qui autem non peccat, non præuaricatur, ſed legem implet: Rom. 8. 1. Ioan. 3.
qui enim legem non implet, hoc ipſo præuaricatur, & peccat. Igitur omnis, qui verè iuſtificatus eſt, implet legem, nec poteſt fieri, vt iuſtificatus maneat, & legem non impleat.

Propoſitio ſecunda: *Opera bona iuſtorum non ſunt peccata, ſed verè iuſta, vt etiam* Propoſ. 2.
iuſtitia actualis dici poſsint.

Prob. primò ex Script. Primum teſtimonium eſt: *In omnibus his non pecca-* Prob. 1.
uit Iob labijs ſuis, nec ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. Vbi Script. reddit te- Iob. 1.
ſtimonium S. Iob, quod in tanta occaſione impatientiæ ne verbo quidem peccauerit.

Secundum ſumi poteſt ex verbis Dauidis: *Iudica me, Domine, ſecundum iuſti-* Pſal. 7.
tiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me. Et: *Exaudi Domine iuſtitiam* Pſal. 16.
meam. De vultu tuo iudicium meum prodeat. Oculi tui videant æquitates. Probaſti cor
meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Et: *Re-* Pſal. 17.
tribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mea-
rum retribuet mihi, quia cuſtodiui vias Domini, nec impiè geſsi à Deo meo. Et: *Iudica* Pſal. 25.
me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. Et: *Feci iudicium, & iuſtitiã,* Pſal. 118.
non calumnientur me ſuperbi. In his locis Dauid non ſolùm opera ſua iuſtitiæ nomine ornanda cenſebat, ſed etiam confidebat, ea in iudicio Dei poſſe cōſiſtere: alioqui petens iudicari ſecundum iuſtitiam ſuam, damnationem pro abſolutione quæſiuiſſet.

Igitur Dauid credebat poſſe hominem cum Dei gratia facere opera verè iuſta.

Matth. 6. Luc. 1. Tertium teſtimonium eſt: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Et: *Si ergò corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarũ, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hoc loco deſcribitur opus perfectè bonum, quod videlicet bonum ſit ex genere ſuo, & ex intentione, aliiſque circumſtantiis. Nam oculus ſimplex eſt intentio recta: corpus lucidum eſt opus bonum, de quo dicitur: *Sic luceat lux veſtra, vt videant opera veſtra bona,* &c. Tale autem opus pronunciat Dominus eſſe lucidum totum, nec vllam habere partem tenebrarum. At, ſi illud opus peccatum eſt mortale natura ſua, vt Lutherani dicunt, magnam haberet partem tenebrarum; immò eſſet tenebroſum totum, vt Dominus ibidem dicit de opere, quod mala intentione fœdatur. Sicut enim mala intentio, ita quodlibet aliud vitium, reddit opus malum, quamuis ex genere ſuo bonum eſſet.

Matth. 5.

1. Cor. 3. Quartum teſtimonium: *Si quis ſuperædificat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam; vniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur,* &c. Quo loco indicantur eſſe quædam opera ſupra fundamentum veræ fidei ædificata, adeò bona, vt nihil omninò habeant vitii. Id enim primùm oſtendit comparatio ad aurum, argentum, lapides pretioſos. Deinde, quod illa opera in igne diuini iudicii manere dicantur, & mercedem accipere. Certè enim peccata nec aurum dici poſſunt, nec in diuini iudicii igne ſubſiſterent, nec mercedem, ſed pœnam, ſuppliciumque perciperent.

Iac. 3. Quintum eſt: *In multis offendimus omnes.* Quare, quæſo, non dixit: In omnibus offendimus omnes? Nam, ſi omnia opera iuſtorum ſunt peccata mortalia, certè non tantùm in multis, ſed etiam in omnibus offendimus. Sed nouerat ipſe, quid diceret: nam diſtinxerat opera bona à peccatis dicens: *Si legem perficitis regalem ſecundum Script. Diliges proximum tuum, ſicut teipſum, bene facitis: ſi autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, quaſi tranſgreſſores.*

Iac. 2.

Pſal. 4. Iſa. 1. Ioan. 5. 1. Cor. 15. 2. Pet. 1. 1. Ioan. 2. Sextum ſumitur ex illis locis, quæ hortantur hominem ad non peccandũ. *Iraſcimini, & nolite peccare. Quieſcite agere peruerſè, diſcite bene agere.* Et: *Noli amplius peccare.* Et: *Euigilate iuſti, & nolite peccare.* Et: *Satagite, vt per bona opera certã veſtram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et: *Hæc ſcribo vobis, vt non peccetis.* Quorſùm enim pertinent hæ cohortationes, vel admonitiones, ſi in omni opere, quantumuis bono, non poſſumus non peccare.

Malach. 3. Sap. 9. Act. 10. 1. Pet. 2. Philip. 4. Septimum ſumitur ex illis locis, quæ docent, opera iuſtorum placere Deo: *Placebit Deo ſacrificium Iuda, & Ieruſalem, ſicut dies ſæculi, et ſicut dies antiqui.* Et: *Sapientia cuſtodiet me in potentia ſua, et accepta erunt opera mea.* Et: *Qui timet Deum, et operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.* Et: *Offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo.* Et: *Repletus ſum acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuauitatis hoſtiam acceptam, placentem Deo.* Atqui Deo nihil placere poteſt, niſi quod eſt verè bonum, & purum ab omni vitio.

Octa-

Octauum ſumitur ex ijs locis, quæ abſolutè iuſtorum opera bona opera nominant: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Et: *Diuitibus præcipe non ſuperbè ſapere, diuites fieri in operibus bonis.* Et: *Curent operibus bonis præeſſe, qui credunt Deo.* Et: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* At, ſi opera omnia iuſtorum eſſent peccata mortalia, dicenda eſſent potiùs mala, quàm bona: nam malum dicitur opus abſolutè, niſi ſit integrè bonum. Matth. 5. 1. Tim. 6. Tit. 3. Epheſ. 2.

Prob. ſecundò propoſitio teſtimonijs Patrum. Prob. 2 & 3.

Prob. tertiò rationibus. Prima ratio: Si opera bona iuſtorum eſſent omnia vitiata, & corrupta, ita vt peccata mortalia ex natura ſua dici deberent, id ſine dubio, vel ex innata concupiſcentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admiſtione peccatorum venialium naſceretur. Iſtas enim cauſſas aduerſarij reddere ſolent. At nihil horum trium contaminare poteſt opera iuſtorum bona. Nam inprimis concupiſcentia ipſa peccatum non eſt, ſed infirmitas, niſi ei conſentiatur. Deinde, etiamſi peccatum eſſet, tamen non ſemper mouetur: ac per hoc opera bona fieri poſſunt aliquando ex charitate, ſine vlla admiſtione cupiditatis. Defectus autem charitatis, quòd videlicet non faciamus opera noſtra tanto feruore dilectionis, quanto faciemus in patria, defectus quidem eſt, ſed culpa, & peccatum non eſt. Vnde etiam charitas noſtra, quamuis comparata ad charitatem beatorum, ſit imperfecta, tamen abſolutè perfecta dici poteſt, vt eam S. Ioannes appellat. Admiſtio denique venialium peccatorum non impedit veram iuſtitiam: tum, quia non eſt neceſſe, vt in ſingulis operibus admiſceatur veniale peccatum; vt Patribus probatum eſt, & experientia teſtatur: tum etiam, quia peccatum veniale non eſt contrarium charitati, nec propriè contra legem, ſed præter legem eſt. Itaque Script. diuina, quamuis dicat: *In multis offendimus omnes.* Et: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus:* abſolutè tamen vocat homines quoſdã iuſtos, ſanctos, immaculatos, perfectos; quod nullo modo faceret, ſi veniale peccatum iuſtitiam impediret. *Noë vir iuſtus fuit, atque perfectus.* Et: *Vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius.* Et: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* Et: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* 1. Ratio. 1. Ioan. 2. & 5. Iac. 3. 1. Ioan. 1. Gen. 6. Epheſ. 1. Philip. 3. Pſal. 118.

Secunda ratio ducitur ab abſurdis. Nam, ſi omnia iuſtorum opera eſſent peccata, etiam opus fidei, quo iuſtificamur, eſſet peccatum: & illa oratio, quã fundimus, cum dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra*, peccatum eſſet. At nónne abſurdiſsimum eſſet, hominem per peccatum iuſtificari, & per peccatũ quærere, & impetrare remiſsionem peccati? Item; Si omnia iuſtorum opera eſſent peccata, qua fronte Apoſtolus dicere potuit: *Nihil mihi conſcius ſum?* Nullumne bonum opus fecerat? aut ignorabat illa ipſa bona opera peccata eſſe mortalia? Et nõne maior adhuc fuiſſet audacia prò eiuſmodi operibus, id eſt, peccatis mortalibus, expectare à iuſto iudice coronam iuſtitiæ? Præterea; Si omnia iuſtorum opera eſſent peccata mortalia, ſequeretur, ipſum Deum mortaliter peccare: *Deus enim eſt, qui operatur in nobis*, cùm bona opera facimus. Item; Fieret ingens iniuria Redemptori, *qui dedit ſemetipſum, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* 2. Ratio. Matth. 6. 1. Cor. 4. Philip. 1. & 2. Tit. 2.

Nam

Nam à nulla nos iniquitate verè redimiſset, nec verè populum ſuum mundaſſet, nec ſectatores nos operum verè bonorum, ſed peccatorum mortalium effeciſſet. Ad hæc; Si omnia opera bona ſunt peccata mortalia, ſequitur, vt aliqua peccata mortalia ſint opera bona, & poſſe fieri hos ſyllogiſmos. Omnia opera bona ſunt facienda: aliqua peccata mortalia ſunt opera bona: igitur aliqua peccata mortalia ſunt facienda. Item: Nullum peccatum mortale eſt faciendum: omnia opera bona ſunt peccata mortalia: igitur nullum opus bonum eſt faciendum. Denique? Quis non videt, opera bona eſſe peccata mortalia, contradictionem implicare, atque inuoluere? Nam erunt opera bona, & non bona, digna præmio, & pœna; & per ea ſeruiemus Deo, & Diabolo; & ſimul erimus filij Dei, & Diaboli.

Propoſ. 3. Propoſitio tertia: *Operibus iuſtis verè homo iuſtificatur, non prima, ſed ſecunda iuſtificatione: qua non facit iuſtos ex impijs, ſed iuſtiores ex iuſtis.*

Prob. 1. Prob. primò ex Script. Primum teſtimonium eſt: *Abraham pater noſter nónne ex operibus iuſtificatus eſt, offerens filium ſuum ſuper altare? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides conſummata eſt? Et impleta eſt Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm? Similiter autem & Raab meretrix nónne ex operibus iuſtificatus eſt, ſuſcipiens nuncios, & alia via eijciens?*
Iac. 2.

Eccli. 18. Secundum teſtimonium eſt: *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis vſque ad mortem iuſtificari.* Vbi monet Sapiens, vt aſsidua oratione iuſtitiam noſtrá augere, atque alere ſtudeamus.

Rom. 6. Tertium eſt: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ſic exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Quo loco illud, *in ſanctificationem*, non ſignificat, ad acquirendam primam ſanctificationem; nam ſanctos, & iuſtos alloquebatur Paulus; ſed ad augendam ſanctificationem. Intelligi autem per *ſanctificationem*, iuſtificationem; & per ſanctitatem, iuſtitiam, perſpicuum eſt ex antitheſi. Opponit enim ſanctificationem iniquitati.

2. Cor. 7. Quartum eſt: *Has ergò habentes promiſſiones, chariſſimi, emundemus nos ab omni iniquinamento carnis, et ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Vbi docet Apoſtolus, per mentis, & corporis puritatem proficiendum eſſe quotidie ad maiorem iuſtitiam, & ſanctificationem.

2. Cor. 9. Quintum eſt: *Multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ.* Docemur his verbis, per eleēmoſynas liberaliter pauperibus erogatas diminui facultates, ſed augeri iuſtitiam. Vbi opportunè etiam Paulus allegat illud
Pſal. 111. Pſalmi: *Diſperſit, dedit pauperibus. iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Pulchrè enim verbo, *diſperſit*, opponitur verbum contrarium, *manet*, quia ſicut diuitiæ corporales per eleēmoſynam diſperguntur: ita ſapientia radicatur, ſtabilitur, & creſcit, vt manere poſsit in ſæculum ſæculi.

Ioan. 14. Sextum eſt: *Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliges eum.* Hæc noua dilectio poſt impleta mandata quid eſt, niſi dilectionis, atque per hoc iuſtitiæ augmentum, quod per obſeruantiam diuinæ legis acquiritur?

Apoc. vlt. Septimum eſt: *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Certè qui magis ſordeſcunt, per mala opera, & noua peccata ſordeſcunt: igitur

igitur & qui magis iuſtificantur, per bona opera, & nouam obedientiam iuſtificantur.

Prob. ſecundò duabus rationibus. Nam, ſi poteſt iuſtus legem diuinam implere, poteſt etiam ſine dubio per opera iuſtificari. Ruſùs: Si poteſt iuſtus opera verè bona facere, quæ nullo vitio polluta ſint, poteſt vtique iuſtitiam facere; & multiplicando opera iuſta, conſequenter augere iuſtitiam. *Prob. 2.*

CAPVT VIII.

An ſit meritum, & quid ſit?

SEquitur efficacia iuſtitiæ actualis, ſeu operum, id eſt, Meritum, de quo quatuor ſunt controuerſiæ principales.

Prima eſt: *Sintne opera iuſtorum meritoria vitæ æternæ?* *Quæſt. 1.*

Antequam ad rem accedamus, probatur nomen meriti in Script. fundari, & proinde non malè conſuluiſſe fidei ſinceritati SS. Patres, qui eo nomine paſſim vſi ſunt: non enim deſunt teſtimonia Script. vbi eiuſmodi nomen vel apertè contineatur, vel vnde facili negotio deducatur. *Prob nomen Meriti ex Script.*

Primum teſtimonium: *Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* *Eccli. 16.*

Secundum eſt: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus.* Vbi paſſiuè vſurpauit interpres vocem, *promeretur:* ſed alioqui rectiſsimè vertit vocem Græcam, εὐαρεστεῖται. Significat enim hoc verbum, delectari, hilariter ſe habere, placari. Itaque ſenſus: Talibus hoſtijs delectatur, ſiue placatur Deus: vel; Talibus hoſtijs placetur Deus. *Heb. 13.*

Alia loca ſunt, vbicunque inuenitur nomen dignitatis. Nam quod nos dicimus mereri, dicunt Græci ἀξιοῦσθαι, id eſt, dignum eſſe, & meritum vocant ἀξίαν. Hæc autem verba frequenter habentur in Script. *Vt digni habeamini in regno Dei.* Græcè eſt: εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ: quòd æque verti poterat: Vt vos mereamini regnum Dei. Et: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt*, id eſt, quoniam id merentur. Et: *Dediſti eis ſanguinem bibere: digni ſunt enim*: id eſt, eiuſmodi pœnam merentur. In his omnibus locis, alijſque per multis ponitur hæc vox, qua Græci meritum deſignare ſolent. *2. Theſſ. 1.* *Apoc. 3.* *Apoc. 16.*

Denique; Plurima ſunt teſtimonia Script. quæ diſertis verbis continent nomen mercedis. *Ego protector tuus ſum, & merces magna nimis.* Et: *Vos ergò confortamini: erit enim merces operi veſtro.* Et: *Seminanti iuſtitiam merces fidelis.* Et: *Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Et: *Non verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Et: *Ecce Dominus veniet, & merces eius cum eo.* Et: *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Item: *Vnuſquiſque propriã mercedem accipiet.* Et: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt.* At merces, & meritum relatiua ſunt: merces enim meritis redditur, ſicut gratia gratis datur. *Gen. 15.* *2. Parab. 15.* *Prou. 11.* *Sap. 5.* *Eccli. 18.* *Iſa. 40.* *Matth. 5.* *1. Cor. 3.* *Apoc. vlt.*

Igitur, cùm tam ſæpe, & tam perſpicuè præmium operum dicatur merces,

dubium eſſe non poteſt, quin ipſa opera ſecundum morem loquendi Script. rectè dicantur merita.

Reſp. ad quæſt. Iam verò, vt ad quæſtionem ipſam accedamus, communis Catholicorum omnium ſententia eſt opera bona iuſtorum verè, ac propriè eſſe merita, & merita non cuiuſcunque præmij, ſed ipſius vitæ æternæ, contra Sectarios omnes.

Prob. 1. Prob. primò ex diuinis litteris.

1. argument. Primum argumentum ducitur ab ijs locis, vbi vita æterna nominatur merces. Nam, ſi ipſa eſt merces, bona opera, quibus illa redditur, ſine dubio
Matth. 5. ſunt merita. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Quid autem ſit hæc merces, paulò ante explicauerat Dominus, dicens: *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Dicit igitur gaudendum, & exultandum in perſecutionibus, quoniam copioſa nos manet merces in cœlo; cùm regnum cœlorum ijs paratum ſit, qui perſecutio-
Matth. 20. nem patiuntur propter iuſtitiam. Item: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Huius autem mercedis nomine intelligi denarium diurnum, ex ipſa eadem parabola perſpicuum eſt. Per denarium verò diurnum ſignificari vitam æternam, communi conſenſu Patres docent.

2. argument. Alterum argumentum ducitur ab ijs locis, in quibus habetur, præmium cœleſte dari hominibus ſecundum menſuram, & proportionem operum, & laborum. Hinc euidenter enim colligitur, in præmio illo conferendo non haberi rationem ſolius promiſsionis, vel liberalitatis, vel indulgentiæ Dei;
Pſal. 61. ſed etiam dignitatis, & efficatiæ ipſorum operum. Loca hæc ſunt: *Reddes vni-*
Matth. 16. *cuique ſecundum opera ſua.* Et: *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum An-*
Luc. 6. *gelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Et: *Eadem menſura, qua menſi*
Rom. 2. *fueritis, remetietur vobis.* Et: *Theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iu-*
1 Cor. 3. *dicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Et: *Vnuſquiſque mercedem recipiet*
Gal. 6. *ſecundum ſuum laborem.* Et: *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et: *Ecce venio ci-*
Apoc vlt. *tò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundum opera ſua.*

3. argument. Tertium argumentum ſumitur ex illis locis, quæ ita vitam æternam reddi teſtantur operibus bonis, vt ipſam rationem, cur detur vita æterna, in ope-
Matth. 25. ribus ponant. Sunt autem hæc loca: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare,* &c. Ibidem: *Quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Et:
Apoc. 7. *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione,* &c. *& ideò ſunt ante thronum Dei.* In quibus locis particulæ, *enim, quia, ideò,* ſunt omnes cauſſales.

4 argument. Quartum argumentum ſumitur ex ijs locis, vbi præmium bonis operibus ex iuſtitia dicitur eſſe reddendum. *Gloriamur in Eccleſijs Dei pro patientia veſtra,*
2 Teſſa. 1. *& fide in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplũ iuſti iudicij Dei.* Et infrà: *Si tamen iuſtum eſt apud Deum, retribuere tribulationem his,*
2. Tim. 4. *qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum.* Et: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ,*
Heb. 6. *quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex.* Et: *Non eſt iniuſtus Deus, vt obli-*
Iac. 1. *uiſcatur operis veſtri.* Et: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam, cùm probatus*
Apoc. 2. *fuerit, accipiet coronam vitæ.* Et: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Huc

ta. Huc etiam pertinent illa: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Et: *Neſci-* *Prou* 19.
tis, quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic 1 *Cor* 19.
currite, vt comprehendatis. Et: *Certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in* 2.*Tim.*
illum diem. Siquidem iniuriam faceret, qui mutuum non redderet, vel brauiũ vincenti non daret, vel depoſitum non reſtitueret. Hæc enim omnia iuſtitiã includunt.

Quintum argumentum ſumitur ex illis teſtimonijs, quæ docent, vitam *5.argumentu.*
æternam promiſſam eſſe operibus bonis. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* *Matth.* 19.
Et ibidem: *Omnis, qui reliquerit domum, vel patrem, &c. centuplum accipiet, & vitã æternam poßidebit.* Et: *Pietas ad omnia vtilis eſt, promißionem habens vitæ, quæ nunc* 1 *Tim.* 4.
eſt, & futuræ. Et: *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* At pro- *Iac.* 1.
miſsio facta cum conditione operis, non ſolùm debitam facit rem promiſſam; qui enim promiſit, ex iuſtitia tenetur promiſsis ſtare: ſed etiam facit, vt, qui opus impleuerit, meruiſſe rem promiſſum, eamque, vt mercedem, iure ſuo exigere poſſe dicatur.

Sextum argumentum ſumitur ab illis locis, in quibus fit dignitatis mẽtio: *6.argumẽt.*
nam dignum eſſe prœmio, & mereri prœmium, idem ſunt, iuxta illud: *Dignus* *Luc.* 10.
eſt operarius mercede ſua. Sunt igitur loca hæc: *Deus tentauit eos, & inuenit eos dig-* *Sap.* 3.
nos ſe. Et: *Vt digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini.* Et: *Qui digni habebuntur* 2.*Teſſ.* 1. *Luc.* 20.
ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis. Et: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni* *Apoc* 3.
ſunt.

Septimum argumentum ab illis locis ſumitur, vbi dicitur Deus iudex iu- *7.argumẽt.*
ſtus, & non acceptor perſonarum: *Non eſt acceptio perſonarum apud Deum.* Et: *Rom.* 2.
Deus perſonam hominis non accipit. Et: *Si patrem inuocatis eum, qui ſine acceptione per-* *Gal.* 2. 1.*Pet.* 1.
ſonarum iudicat ſecundum vniuſcuiuſque opus, &c. Et: *In veritate comperi, quia non* *Act.* 10.
eſt perſonarum acceptio apud Deum. At acceptio perſonarum eſt vitium contrariũ iuſtitiæ diſtributiuæ, cùm videlicet iudex, dat præmium ſine meritis, aut maius præmium minoribus meritis, vel contrà. Deus igitur in retributione prœmiorum merita hominum conſiderat, & pro meritorum diuerſitate vitæ æternæ manſiones aſsignat.

Prob. ſecundò veritas ex traditione Patrum, & Conciliorum. *Prob.* 2.

Prob. tertiò ratione. Demonſtratum eſt enim ſuperiùs, opera bona iuſto- & 3.
rum eſſe verè iuſta, ſatisfacere legi diuinæ, iuſtificare hominem. Hinc autem ſequitur, eſſe verè meritoria. Potiſsima enim ratio, cur hæretici huius temporis merita negent, illa eſt, quoniam exiſtimant, nullum eſſe opus in hac vita verè iuſtum, & quod legi ſatisfaciat, ſed eſſe omnia opera noſtra peccata mortalia ex natura ſua, & ſolùm propter Domini indulgentiam venialia.

Superiori controuerſiæ principali ſunt coniunctæ duæ quæſtiunculæ breuiores.

Prima eſt de fiducia prœmiorum. At Catholica Eccleſia mediam viam in- *Dubitatio.* 1.
greditur, quæ præcipuam quidem ſpem, & fiduciam in Deo ponendam; ali- *Reſp.*
quam tamen etiam in meritis poſſe poni docet.

Sciendum autem eſt, Fiduciam nihil aliud eſſe, niſi ſpem confirmatam, atque perfectam. Aliud etiam eſt fiduciam naſci ex meritis, aliud fiduciam eſſe

ponendam iſti meritis. Poteſt enim fieri, vt quis exiguam, & penè nullam fiduciam in meritis proprijs conſtituat, eò quòd non certò ſciat, an habeat vera merita; & tamen veris, magniſque meritis abundet, & ex illis fiducia in ipſo erga Deum maxima oriatur. Ex qua diſtinctione tota quæſtio abſolui, & varia Script. & Patrum teſtimonia conciliari poterunt.

Propoſ. 1. Sit itque propoſitio prima: *Fiducia Sanctorum, quam in Deo conſtituunt, non ex fide ſola, ſed etiam ex bonis meritis naſcitur: atque ideò ſummo ſtudio merita quærenda ſunt, vt apud Deum fiduciam habere poſſimus.*

Prob. 1.
Tob 4. Prob. primò ex script. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleëmoſyna omni-*
Iob. 11. *bus facientibus eam.* Et: *Si iniquitatem, quæ eſt in manu tua, abſtuleris, & non manſe-*
rit in tabernaculo tuo iniuſtitia, tunc leuare poteris faciem tuam, & habebis fiduciā pro-
Rom 5. *poſita ſpe, & defeſſus ſecurus dormies.* Et: *Tribulatio patientiam operatur, patientia ve-*
1. Tim. 3. *rò probationem, probatio verò ſpem.* Et: *Qui benè miniſtrauerit, gradum bonum ſibi ac-*
Heb. 10. *quiret, & multam fiduciam,* &c. Et: *Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum ve-*
1. Ioan. 3. *ſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram.* Et: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.*

Prob 2 & 3. Prob. ſecundò teſtimonijs Patrum.

Iac. 1. Prob. tertiò ratione. Nam, cùm Deus promiſerit coronam vitæ diligentibus ſe, ex duobus pendet adeptio gloriæ: ex fidelitate Dei, qui præſtat, quod
1. Ioan. 3. promiſit; & ex operibus noſtris. Diligere enim oportet, *non verbo, & lingua, ſed opere, & veritate:* proinde ſicut ſpes certa non eſſet, ſi nos benè operaremur, ſed Deus fidelis non permaneret; ita nec certa eſſe poteſt, ſi Deus quidem fidelis ſit, ſed nos non benè operemur. nec diligamus opere, & veritate.

Propoſ 2. Propoſitio ſecunda: *In bonis meritis, quæ verè eſſe talia compertum ſit, fiducia aliqua collocari poteſt, modo ſuperbia caueatur.*

Prob. 1. Hæc propoſitio exemplis diuinæ Script. confirmari poteſt. Legimus enim Nehemiam virum ſanctum, enumerantem opera bona ſua, & dicentē Deo:
2. Eſd. 5. *Memento mei, Domine, in bonum, ſecundum omnia, quæ feci populo huic.* Item, Dauid
Pſal. 17. dicentem: *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, quia cuſtodiui vias*
Iſa 38. *tuas.* Et Ezechiam orantem: *Obſecro, Domine, memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt, in oculis tuis fecerim.*
Heſter. 14. Et S. Heſter ita orantem: *Tu ſcis neceſsitatem meam, quòd abominer ſignum ſuperbiæ, & gloriæ meæ, quod eſt ſuper caput meum in diebus oſtentationis meæ, & deteſtor illud, ſicut pannum menſtruatæ, & non portem in diebus ſilentij mei; & quòd non comederim in menſa Aman, nec mihi placuerit conuiuium Regis, & non biberim vinum [illegible] num; & nunquam lætata ſit ancilla tua ex quo huc tranſlata ſum, vſque in præſentem diē, niſi in te, Domine, Deus Abraham. Deus fortis ſuper omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam ſpem habent; & libera nos de manu iniquorum.* Denique, Apoſtolum di-
2. Tim. 4. centem: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.*

Prob 2. His exemplis addi poſſunt alia ex teſtimonijs Patrum. S. Hieron. ſcri-
In vita Pauli. bit S. Paulum, primum Eremitam, propinquum morti dixiſſe: *Peracto [illegible]*
In vita Hilar. *ſu ſupereſt mihi corona iuſtitiæ.* Idem refert dixiſſe S. Hilarionem: *Egredere, [illegible] ma mea, egredere, quid times? Septuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & mortem times?*

Scribit

Scribit Sulpitius S. Martinum in exitu diabolo aſtanti magna cum fiducia dixiſſe: *Quid hic adſtas, cruenta beſtia? Nihil in me, funeſte, reperies. Abrahæ me ſinus excipiet.* Denique, S. Bonauentura ſcribit, illa fuiſſe verba extrema S. Franciſci: *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi.* His tot, & tantis exemplis ſatis apparet in bonis meritis nonnullam fiduciam collocari poſſe. Addidi tamen: *Modò ſuperbia caueatur:* quia, ſi quis in proprijs meritis ita confideret, vt ea ſe à ſe, non ex gratia Dei habere crederet, vel ceteros præ ſe deſpiceret, aut maiora ſe merita habere exiſtimaret, quàm reuerà haberet, is non tam in ſpem erigeretur, quàm in ſuperbiæ barathrum præcipitaretur.

Poſſe autem in meritis ſpem aliquam poni, ſi vera ſint merita, & ſobriè id fiat, probari poteſt hac etiam ratione: Nam ſicut miſericordia Dei, ita etiam bona merita ſunt vera ſalutis cauſſa: licet autem confidere in omni vera cauſa, quæ ad finem optatum, & ſperatum conſequendum cognoſcatur idonea. Nam & in rebus corporalibus ægrotus rectè confidit non ſolùm in arte, & induſtria medici, ſed etiam in medicamentorum virtute, & efficacia. Neque hoc eſt confidere in propria virtute, ſed in Deo, & eius gratia, cuius ſunt munera omnia bona merita. *Prob. 3.*

Propoſitio tertia: *Propter incertitudinem propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ vtiliſſimum eſt, fiduciam totam in ſola Dei miſericordia, & benignitate reponere.* Hoc autem non ita accipiendum eſt, quaſi non ſit homini totis viribus ſtudendum operibus bonis, aut non ſit in eis confidendum, quaſi non ſint vera iuſtitia, aut iudicium Dei ſuſtinere non poſsint: ſed hoc ſolùm dicimus, tutius eſſe, meritorum iam partorum quodammodò obliuiſci, & in ſolam miſericordiam Dei reſpicere: tum, quia nemo abſque reuelatione certò ſcire poteſt, ſe habere vera merita, aut in eis in finem vſque perſeueraturum: tum, quia nihil eſt facilius in hoc loco tentationis, quàm ſuperbiam ex conſideratione bonorum operum gigni. *Propoſ. 3.*

Prob. propoſitio teſtimonijs illis, quæ aduerſarij contra merita operum *Prob. 1.* adferre ſolent. Nam, quod ait Daniel: *Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus* *Dan. 9.* *preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis.* Et, quod Dominus admonet: *Cùm feceritis hæc omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſerui inutiles ſu-* *Luc. 17.* *mus:* hoc ſolùm probant, quod nos dicimus, tutum eſſe in ſola miſericordia Dei, & non in operibus noſtris fiduciam collocare. Quod etiam teſtantur publicæ preces, quas Eccleſia Catholica ad altare fundere ſolet. Nam in collecta Dominicæ Sexageſimæ dicit: *Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus,* &c. Et in collecta ſecreta Dominicæ Aduentus: *Vbi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis nobis ſuccurre præſidijs.* Item in Canone poſt conſecrationem *Intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte.* Similia paſsim in Patribus leguntur.

His accedat etiam ratio. Vel enim homo verè habet merita, vel non habet. *Prob. 2.* Si non habet, pernicioſè fallitur, ſeque ipſe ſeducit, dum falſis meritis confidit. Si verè habet, nihil perdit ex eo, quòd ipſe ea non intuetur, & in ſolo Deo confidit. Deus enim ea bene nouit, & intuetur, nec irremunerata eſſe patitur.

Dubitatio 2. Altera quæſtiuncula eſt de intuitu mercedis: *Liceatne operari bona opera intuitu mercedis æternæ?* Reſp. Communis Eccleſiæ ſententia eſt, operandum quidem primùm propter gloriam Dei: deinde etiam propter mercedem felicitatis æternæ. Seſſ.6. c.11. Ita Concilium trident. *Conſtat*, inquit, *eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui ſtatuunt iuſtos peccare, ſi ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio exhortando, cum hoc, vt inprimis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Prob. 1. Prob. ea doctrina primùm ex Script. Nam primò Chriſtus ipſe prædicationem ſuam ita exorſus eſt: Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Matth. 5. Item, inſtructionem Apoſtolicam ita inchoauit: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Matth. 3. A ſimili ſpe regni cœlorum exordium ſumpſit Ioannes Baptiſta. Matth. 10. Ab eodem iuſsit Chriſtus, vt Apoſtoli exordirentur.

Prob. 2. Secundò habemus Chriſti non ſolùm exhortationem, ſed etiam præceptum. Matth. 6. *Primùm quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Luc. 16. Et: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* 1. Cor. 9. Simile eſt Apoſtoli præceptum: *Debet in ſpe, qui orat, orare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.*

Prob 3. Tertiò habemus exempla Sanctorum. Pſal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Neque obſtat, quòd in Hebræo habetur, *legholam glaccheb*, id eſt, in æternum finis, ſiue merces. Nam idem eſt ſenſus: eſt enim, ac ſi dixiſſet: quoniam merces, quam expecto, æterna erit. Quod expreſsit Eccli. Eccli. 18. cùm ait: *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari, quoniam merces Dei manet in æternum.* Itaque non ſolùm LXX. verterunt: *propter retributionem*; ſed etiam Hieronymus reddidit: *propter æternam mercedem.*

Heb. 11. Aliud exemplum: *Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.*

Philip. 3. Aliud exemplum eſt ipſius Apoſtoli: *Ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu.*

Prob. 4. Quartò habemus cohortiones Apoſtoli plurimas: 1. Cor. 9. *Sic currite, vt comprehendatis.* Gal. 6. Et: *Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim ſuo metemus.* Coloſſ. 3. Et: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus, ſcientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.*

Prob. 5. Prob ſecundò ex teſtimonijs Patrum.

& 6. Prob. tertiò rationibus. Prima eſt: Si vita æterna eſt finis fidei, & operum iuſtorum. Rom. 6. *Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam.* 1. Pet. 1. Et: *Vt reportetis finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum*: quis poteſt ambigere, liceatne vitam æternam intueri, atque ad eam opera bona dirigere, cùm certò conſtet, finem ſpectandum eſſe inter operandum, atque ad eum media omnia eſſe referenda? Deinde: Si licet propter metum gehennæ continere manum, & oculos, & cor ipſum à peccato, & mandata legis implere: cur non magis licebit facere propter ſpem felicitatis æternæ? Ad hæc; Non vitiantur pœnitentia, & Sacramentorum perceptio, cùm iſta fiunt cauſſa obtinendæ gratiæ: cur ergò vitiabuntur opera bona, ſi fiant cauſſa obtinendæ beatitudinis,

nis, quæ eſt gratia conſummata, atque perfecta? Poſtremò; Licet omnium conſenſu in operibus temporalibus ſpectare temporalem finem, vt pharmacum ſumere gratia ſanitatis, &c. cur igitur non liceat in opere ſpirituali, in curſu, & certamine ab ipſo Deo propoſito ad brauium ſupernæ vocationis attendere?

Altera quæſtio principalis eſt: *Quæ ſint, et quot neceſſaria conditiones, vt aliquod opus dici poſſit verè, ac propriè meritorium felicitatis æternæ?* *Quæſt. 2.*

Videntur autem ſeptem omninò conditiones requiri, quarum tres conceduntur ab omnibus, aliæ quatuor in controuerſia ſunt. Prima conditio eſt, vt ſit opus bonum. Mala enim opera merentur quidem, ſed pœnam, non præmium: nos autem de bonis meritis hoc loco diſſerimus. Secunda eſt, vt opus illud bonum fiat in obſequium Dei. Meritum enim relationem dicit ad mercedem ab alio accipiendam: proinde, qui meretur, apud aliquem meretur. Tertia vt, qui meretur, ſit viator. Nam in hac vita ſtadium eſt, & prælium: in alia brauium, & corona. Quarta vt opus non ſolùm ſit bonum, ſed etiam liberum. Quinta vt, qui meretur, amicus ſit, & gratus Deo. Sexta vt intercedat promiſsio. Septima vt opus ex charitatis virtute procedat. *Reſp. Conditiones 7.*

Omiſsis tribus prioribus prob. quarta conditio. Primò ex diuinis litteris. Nam, cùm dictum eſſet: *Qui potuit tranſgredi, et non eſt tranſgreſſus, facere malū, et non fecit*, continuò additur meritum: *Ideo ſtabilita ſunt bona illius, et eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia Sanctorum.* Et Apoſtolus: *Si volens*, inquit, *hoc ago, mercedem habeo: ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Et: *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſsitate: Hilarem enim datorem diligit Deus.* *Prob. 1. conditio. 4. Eccl. 31. 1. Cor. 9. 2. Cor. 9.*

Prob. ſecundò ex Patribus. *Prob. 2. & 3.*

Prob. tertiò rationibus. Primùm enim, res multæ, vt Sol, luna, campi, vineæ, horti, iumenta, pecora, maxima nobis commoda præſtant; & tamen non dicuntur propriè de nobis benè mereri, quia non liberè agūt, nec poſſunt aliud facere, quàm quod faciunt. Deinde; Merito debetur merces: debitum autem non oritur, niſi ex eo, quòd vnus dat alteri, quod ſuum erat. Nam, ſi rem non ſuam, ſed alienam daret, nihil ei deberetur. Nihil autem propriè noſtrum eſt, niſi quod pro arbitrio poſſumus facere, vel omittere. Iſta enim in poteſtate noſtra ſunt, & horum dominium propriè habemus. Denique; Mala opera, niſi liberè fiant, pœnam nullam merentur: igitur nec bona opera præmium merebuntur, niſi liberè facta fuerint.

De quinta conditione communis ſententia eſt, & fuit in ſcholis Theologorum Catholicorum, non ſolùm in ſtatu naturæ corruptæ, neceſſarium fuiſſe ad meritum vitæ æternæ, vt homo per iuſtificationis gratiam, & Spiritum inhabitantem adoptaretur in filium, & ad ſtatum quendam ſupernaturalem, & diuinum eueheretur; ſed etiam in ſtatu naturæ integræ. Atque hanc ipſam eſſe ſententiam Concilij Tridentini, ac per hoc Eccleſiæ vniuerſæ, certum eſt: Nam docet, vitam æternam eſſe gratiam miſericorditer filijs Dei per Chriſtū promiſſam, & ſimul mercedem bonis eorum operibus fideliter ex Dei promiſsione reddendum. Declarat etiam, opera meritoria eſſe illa, quæ fiunt à iuſtificatis per gratiam Dei, vt ſunt viua membra Chriſti. *5. Conditio. Seſſ. 6. cap. 16. Can. 32.*

Patet

Patet idem etiam ex Bulla Pij V. Pont. à Gregorio XIII. renouata.

Prob. 1. Prob. hæc ſententia primò ex diuinis litteris: *Reſpexit Deus ad Abel, & ad mu-*
Gen. 4. *nera eius.* Quod ideò dictum eſt, quia Deus non habet gratum offerentem
Ioan. 15. propter munera, ſed munera propter offerentem. Et: *Manete in me, & ego in*
vobis: ſicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic & vos,
niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic
fert fructum multum. Requiritur igitur ad fructum, id eſt, ab bona opera facien-
da, non quæcunque gratia, ſed ea, quæ facit hominem eſſe viuum membrum
corporis Chriſti. Idem enim eſt, eſſe palmitem vitis, & membrum corporis.
Ad hæc; Script. paſsim docet, regnum cœlorum eſſe gloriam, & hæreditatem
Ioan. 8. filiorum. *Seruus non manet in domo in æternum: filius manet in æternum. Quòd ſi vos*
Rom. 8. *filius liberauerit, verè liberi eritis.* Et: *Accepiſti ſpiritum adoptionis filiorum. Si autem*
filij, & heredes. Et infrà: *Et ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in liberta-*
tem gloriæ filiorum Dei. Et: *Itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius: quòd ſi filius, & hæres*
Gal. 4. *per Deum.* Et infrà: *Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam, & filium eius. Non enim*
Epheſ. 1. *erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Similia habentur alibi, vbi vita æterna di-
Coloſ. 3. citur hæreditas, quæ propriè ad filios pertinet. Non igitur, qui ſeruus eſt, vi-
Tit. 3. tam æternam vllis meritis obtinere poterit: non enim hæreditas merces eſt
Heb. 1. ſeruorum, etiamſi annis mille ſeruirent, ſed propria portio filiorum. Quare
1. Pet. 1. ſine dubio neceſſaria eſt conditio ad meritum vitæ ęternę regeneratio, & ad-
& alibi. optio filiorum Dei. Præterea, Script. teſtatur ita fundari meritum in amicitia
cum Deo, vt ſtatim, atque aliquis Deum offendit, amittat omnia bona meri-
Ezech. 18. ta. *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius non re-*
Iac. 2. *cordabuntur.* Et: *Si quis totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt om-*
nium reus. At, ſi merita non penderent à ſtatu, & qualitate perſonæ, ſed à ſola
obedientia legis, non deberet is, qui Deum offendit, amittere bona merita
per obedientiam legis anteà parta. Sicut, qui laborauit in colenda vinea ali-
cuius, certa mercede conductus, non perdit mercedem ſuam, ſi forte inimi-
cus fiat Domino vineæ: non enim meritum illud in amicitia, ſed in ſolo ope-
Ioan. 14. re, & labore fundatur. Igitur meritum vitæ ęternæ, quod ſtatim perditur,
1. Cor. 2. cùm quis Deum ad iracundiam prouocat, non in ſolo opere, ſed etiam in a-
2. Tim. 4. micitia & dignitate perſonæ fundamentũ habet. Atque hinc eſt, quòd Script.
Iac. 1. vitam ęternam diligentibus Deum promiſſum eſſe teſtatur.
& alibi.
Prob. 2. & 3. Prob. ſecundò iſta conditio teſtimonijs S. Auguſtini.
1. Ratio. Prob. tertiò rationibus. Prima ratio: Viſio Dei, in qua propriè vita ęter-
na conſiſtit, res eſt non modò ſupernaturalis, ſed vſque adeò naturam [illegible]
creatam excedit, vt nec agnoſci, nec appeti, nec cogitari poſsit, niſi Deo ipſo
1. Cor. 2. reuelante: *Oculus non vidit,* (inquit Apoſtolus citans Iſaiam) *auris non audiuit,*
in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Atqui ad hanc
ſupernaturalem, & diuinum requiruntur opera ſupernaturalia, & diuina,
pręſertim cùm Deus omnia ſapienter, ſuauiterque diſponat. Non poteſt au-
tem diuina, & ſupernaturalia opera facere, niſi priùs ipſe diuinus, & ſuper-
naturalis efficiatur. Debet igitur homo per gratiam inhęrentem, & ſpiritum
inhabitantem euehi ad conſortium diuinæ naturę, vt opera diuina, id eſt, vi-
tę ęternę meritoria facere valeat.

secunda

Secunda ratio: Si merita non penderent à ſtatu, & dignitate perſonę, ſed *2. Ratio.*
ſolùm ab ipſo opere, ſine legis obedientia, certè merita Chriſti non eſſent in-
finiti pretij, neque multò eſſent maiora, quàm cęterorum iuſtorum: nam v-
bi ſolùm ſpectatur opus, nihil intereſt, vtrum qui operatur, ſit rex, an miles,
nobilis, vel ignobilis, probus, an improbus. At certum eſt, opera Chriſti fuiſſe
infiniti pretij, quandoquidem propitiatio fuerunt pro peccatis totius mundi,
& copioſa fuit apud eum redemptio. Igitur dignitas perſonę plurimùm con-
fert ad valorem meriti. Et confirm. hęc ratio: nam de Chriſto nullus Catho-
licus negare audebit, quin eius merita fuerint maximi pretij, propter digni-
tatem perſonę. Nam (vt alia nunc omittam) extat epiſtola decretalis Cle-
mentis VI. quę incipit, Vnigenitus, in qua docemur, guttam vnam ſanguinis
Chriſti, propter infinitam perſonę dignitatem, ad totius mundi redemptio-
nem ſufficere potuiſſe. At non diſsimilis eſſe debet ratio meriti in capite, & in
membris. Igitur ſicut meritum Chriſti, ita etiam iuſtorum merita aliorum
vim habent à dignitate perſonæ.

Tertia ratio: Si non requiritur ad meritum adoptio, & regeneratio, certè *3. Ratio.*
poterit homo ad remiſsionem peccati, per auxilium Dei ſpeciale, mereri vi-
tam ęternam: id verò, tametſi ab aduerſario concedatur, non ſolùm eſt fal-
ſum, ſed etiam repugnantiam continere videtur. Nam idem ipſe merebitur
vitam ęternam, & ęternam mortem. Reus enim erit mortis ęternę, propter
peccata olim admiſſa, & nondum remiſſa; & ſimul ius habebit ad vitam ęter-
nam, propter bona merita per legis obedientiam acquiſita. Mereri autem ſi-
mul vitam ęternam, & mortem ęternam repugnantiam includit: quoniam
mors æterna carentiam ſignificat vitæ ęternæ; proinde, qui talis eſſet, deberet
viuere in ęternum, & non viuere in ęternum; mori in ęternum, & non mori
in ęternum.

Quarta ratio: Si poſſet, qui nondum regeneratus eſt, vitam ęternam ope- *4. Ratio.*
ribus ſuis verè mereri, certè poſſet etiam gratiam iuſtificationis propriè me-
reri. Nam, ſi mereri poteſt gloriam, quæ eſt gratia conſummata, cur mereri
non poterit gratiam, quę eſt gloria inchoata? At gratiam iuſtificationis, id eſt,
iuſtitiam ipſam, per quam formaliter iuſtificamur, non cadere ſub meritum
propriè dictum, Theologi omnes conſentiunt, & ipſum Concilium Triden- *Seſſ. 6. c. 8.*
tinum diſertis verbis affirmat.

De ſexta conditione, ſcilicet requiri ad meritum promiſsionem, ſiue pactū *Prob. 1.*
liberale, atque gratuitum, prob. ex Concilio Trident. *Benè operantibus*, inquit, *Conditio 6.*
vſque ad finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs *Seſſ. 6. cap. vlt.*
Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſ-
ſione bonis ipſorum operibus et meritis fideliter reddenda. Et: *Si quis dixerit, iuſtos non* *Can. 18.*
debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerunt facta, expectare, et ſperare æternam retribu-
tionem à Deo per eius miſericordiam, et Ieſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, et diuina
mandata cuſtodiendo vſque in finem perſeuerauerint, anathema ſit. Hic habemus &
promiſsionem, & gratuitam, & Chriſti merita reſpectu vitæ æternæ nobis,
tanquam filijs, donanda.

Prob. etiam rationibus ex Script. depromptis. *Prob. 2.*

Prima ratio ſumitur ex parte ipſorum operum, quæ, ſi conſiderentur ex *1. Ratio.*

VVVVu natura

natura ſua, remota promiſsione, & dignitate principij operantis, nullam ha-
bent proportionem ad beatitudinem illam ſupernaturalem; proinde non eis
debetur ex iuſtitia merces ęternæ vitæ, ſi ex natura ſua tantummodo conſi-
Rom. 8. derentur. Atque hoc eſt, quod dicit Apoſtolus: *Exiſtimo, quòd non ſunt condignæ*
2. Cor. 4. *paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et: *Quod in præ-
ſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternũ
gloriæ pondus operatur in nobis.* Hæc enim non docent opera bona non eſſe meri-
toria vitæ ęternæ, ſed non eſſe meritoria tanti prœmij ex natura ſua, ſed aliũ-
de; nimirum ex promiſsione, & dignitate principij, &c. Huc etiam pertinẽt
teſtimonia Patrum.

2. Ratio. Secunda ratio ſumitur ex parte Dei, qui nulla re indiget, & cuius ſunt
omnia iure creationis. Hinc enim ſequitur, vt non teneatur Deus acceptare
opera noſtra ad prœmium iure reddendum, niſi ipſe ſua promiſsione liberè
Iob. 35. ſe anteà obligare voluerit. Hinc enim Iob: *Si iuſtè egeris, quid donabis ei? aut quid*
Rom. 11. *de manu tua accipiet?* Et Apoſtolus: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nam ex ip-
ſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Deinde: Vel debet Deus vitam ęternam red-
dere bonis operibus ex iuſtitia commutatiua, vel diſtributiua. Si ex commu-
tatiua: igitur requiritur pactum, ſiue promiſsio. Neque enim opus, quantũ-
uis eximium, & æquale mercedi, poteſt ex iuſtitia commutatiua alterum o-
bligare, niſi conuentio, & pactum anteà præceſſerit. Nam, ſi quis forte non
conductus, ſed ſponte ſua vineam alterius colat, non poteſt iure mercedem
exigere, vt omnes nouerunt, etiamſi alioqui opus eius mercede dignißimum
iudicari poſſet. Itaque in parabola vineæ, operarij quidam tota die ocioſi in
foro ſedere malebant, quàm ad laborandum in vinea, niſi prius conduceren-
tur, accedere; & Dominus vineæ conuentionem feciſſe legitur cum operarijs
ex denario diurno. Si verò ex iuſtitia diſtributiua Deus reddit prœmia labo-
rantibus, tunc neceſſaria quoque eſt promiſsio, atque conuentio. Nam in iu-
ſtitia diſtributiua non ſolet exigi pactum, vel promiſsio ſaltẽ expreſſa, quan-
do Princeps diſtribuit bona communia; ſed planè exigitur, quando propria
bona diſtribuit; vt cùm ad certamen brauium ſponte proponit. Neque enim
debetur velociùs currenti certum prœmium, niſi promiſsio, pactumque prę-
ceſſerit. Deus igitur, qui non diſtribuit bona communia, ſed propria, ſine du-
bio non tenetur prœmia reddere laborantibus, niſi quia redditurum ſe ante
promiſerit.

Dubit. Quod ſi quis fortè hic explicari cupiat: *Vtrum ſecundum iuſtitiam diſtributiuam,
an ſecundum commutatiuam Deus bonis hominum meritis ſit pœmia redditurus?* ſic
breuiter habeat, ſubſtantiam diuini iudicij ſecũdum diſtributiuam fore, mo-
Reſp. dum autem ſecundum commutatiuam iuſtitiam.

Ratio prioris Ratio prioris eſt, quia Deus, vt ſummus iudex, prœmia pro meritis diſtri-
buet. Vnde etiam in ſacris litteris dicitur Deus non eſſe acceptor perſonarum,
quod vitium iuſtitiæ diſtributiuæ eſt contrarium.

Ratio poſte-rioris. Ratio poſterioris eſt, quia Deus non ſolùm conſtituet proportionalem ę-
qualitatem inter merita, & prœmia, vt ille plus habeat prœmij, qui plus ha-
bet meriti, quod proprium eſt iuſtitiæ diſtributiuæ; ſed etiam conſtituet ab-
ſolutam æqualitatem inter opera, & mercedes, vt vnuſquiſque non minorem

habeat

habeat mercedem, quàm iuſto iudicio mereatur: quod eſt iuſtitiæ commutatiuæ. Et ideò Deus in diuinis litteris nunc ſe iudicem fore dicit, qui pręmia, pœnaſque diſtribuat, in parabola de talentis: nunc patrem fam. qui laborantibus mercedem ex conuentione reſtituat, in parabola de conductis ad vineã pro denario diurno. Hoc enim intereſt inter iuſtitiam diſtributiuam, & commutatiuam: quòd commutatiua perfectam æqualitatem conſtituit inter meritum & pręmium: diſtributiua proportionalem, ſiue ſint abſolutè ęqualia, ſiue non ſint. Neque enim iniuſtus diſtributor Princeps erit, ſi officium præſtantiſsimum in hominem cæteris omnibus digniorem conferat, etiamſi ille abſolutè maiore, vel minore dignus eſſet. Cęterùm Deus, qui theſauros bonorum infinitos habet, non ſolùm meliores magis remunerat, ſed etiam ſingulis non minus mercedis tribuit, quàm iuſtorum opera iuſto iudicio merentur: atque ita vtrique parti iuſtitiæ ita plenè ſatisfit, vt nihil omninò in eius iuſtitia deſiderari queat. *Matth. 25.* *Matth. 20.*

Tertia ratio ſumitur ex parte hominum, qui merentur. Nam, cùm ſimus omnes conditione ſerui, & mancipia Dei, non poſſet eſſe iuſtitia inter nos, & Deum, niſi ipſe liberali conuentione operibus noſtris, alioqui debitis, etiamſi nulla merces illis reddenda eſſet præmium conſtituere voluiſſet. Atque hoc ſignificauit Dominus, cùm ait: *Cùm feceritis hæc omnia, dicite: ſerui inutiles ſumus.* 3. *Ratio.* *Luc. 17.*

Quarta ratio ſumitur ex ipſo ſtatu viatorum, qui requiritur ad merendũ. Nulla enim cauſſa reddi poteſt, cur opera bona, quæ fiunt in hac vita, mereantur præmium apud Deum, & non mereantur bona opera, quæ fiunt in alia vita, niſi quia requiritur ad meritum promiſsio Dei liberalis, atque gratuita; placuit autem Deo, vt promiſsionem ſuam non vltra tempus vitæ præſentis extenderet. Alioqui enim multa faciunt SS. Angeli, atque homines in cœlo opera bona, liberè, in obſequium Dei, quibus gloriæ incrementum mereri poſſent, niſi tempus ad merendum præſcriptum præterijſſet. Et tamen ſi lege naturæ, ſiue ex natura rei bonis operibus abſolutè præmium deberetur, nullum certum tempus ad meritum præſcribi poſſet, niſi poſt illud tempus deſinerent eſſe opera bona, quæ ante illud tempus erant opera bona. Eſſe autem certo tempore definitum ſpatium ad merendum, Scripturæ paſsim teſtantur. *Tempus breue eſt.* Et: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Et: *Dum tempus habemus, operemur bonum,* &c. 4. *Ratio.* 1. *Cor.* 7. 2. *Cor.* 6. *Gal.* 6.

Quinta ratio ſumitur à virtute meritorũ Chriſti. Nam, ſi diſtributio præmiorum lege naturę deberetur legis obediẽtię, Chriſtus nobis non meruiſſet vitam immediatè, ſed ſolùm gratiam bene operandi. At contra eſt ratio in diuinis litteris manifeſtè fundata. Nam hoc ipſo, quòd incipimus eſſe filij Dei, incipimus ius habere ad hæreditatem felicitatis ęternæ. *Nam ſi filij, & hæredes,* inquit Apoſtolus. Et: *Quod ſi filius, & hæres per Deum.* Incipimus autem eſſe filij Dei, antequam incipiamus benè operarj. Igitur ius habemus ad ęternam hæreditatem per gratiam regenerationis, antequam incipiamus benè operari: imò etiam baptizati infantes per ſolam eam gratiam, ante omnia opera bona ſaluantur. Meruit igitur Chriſtus nobis ipſam hæreditatem, dum gratiam regenerationis, & adoptionis promeruit. Quod autem voluerit, vt eandem 5. *Ratio.* *Rom.* 8. *Gal.* 4.

etiam nos bonis operibus mereremur, argumentum eſt amplioris gratiæ, & benignitatis ipſius, qui non ſolùm vitam æternam nos habere voluit iure hæreditatis, ſed etiam iure promeritorum, quæ, vt haberemus, ipſe etiam dedit.

Seſſ. 6. cap. 6. Rectè igitur Concilium Trident. concludit, vitam æternam proponendam eſſe fidelibus, & tanquam gratiam Filij Dei per Chriſtum promiſſam, & tanquam mercedem bonis operibus à Deo iuſtè, fideliterque reddendam.

Prob. 1. Conditio 7. Septimam conditionem requiri ad meritum, vt ſcilicet opus bonum ex charitatis virtute procedat, prob. primò. Nam diſertis verbis charitati beatitudo promittitur. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* (Ioan. 14.) Eſſe autem in hac manifeſtatione ſitam beatitudinem, Dominus teſtatur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* (Matth. 5.) Et: *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* (Ioan. 17.) Et Apoſtolus Ioannes: *Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus enim, quia, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt.* (1. Ioan. 3.) Et de præmio charitatis Apoſtolus Paulus: *Oculus non vidit, auris non audiuit, in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* (1. Cor. 2.) Et: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* (1. Cor. 13.) At quo pacto, quæſo, fides priùs, & principaliùs felicitatem meretur, quàm charitas, ſi homo fidem habens ſine charitate nihil eſt? Idem Apoſtolus: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & ijs, qui diligunt aduentum eius.* (2. Tim. 4.) Et S. Iacobus: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* (Iac. 1.)

Prob. 2. Deinde; Argumenta omnia, quibus ſupra probatum eſt, formalem cauſſam iuſtificationis non eſſe fidem ſine charitate, ſed fidem charitate formatam, ita vt principaliter iuſtitia vera, & Chriſtiana in charitate conſiſtat, probant etiam, meritum principaliter ex charitate pendere, quandoquidem præmium vitæ æternæ nihil eſt aliud, niſi merces, & corona iuſtitiæ.

Prob. 3. Prob. tertiò manifeſta ratione. Nam meritum vitæ æternæ ita ex diuina ordinatione depēdet, vt illa ſola opera propriè meritoria vitæ æternæ poſſint eſſe, quæ Deus ad vitam æternam acceptare dignatur. Eſt enim vita æterna veluti brauium quoddam, vt Scripturæ loquūtur: & in libera poteſtate Principis proponentis brauium eſt, vt definiat, quibus operibus, quo curſu, quo certamine brauium obtineri velit. Porrò charitatis opera ad vitam æternam à Deo requiri, perſpicuum eſt: tum ex Scripturis paullò antè citatis: tum etiam ex ratione ſuauis prouidentiæ Dei. Illa enim media Deus ordinare ſolet ad finem, quæ maiorem cum illo proportionem habent, & conformitatē. Non autem eſſe, quod maiorem proportionem, & conformitatem cum æterna felicitate habeat, quàm dilectionē, & opera ex dilectione manantia, ... Nam æterna felicitas eſt conſecutio vltimi finis, atque adeptio ſummi boni: ſola verò charitas eſt, quæ finem vltimum, ſummumque bonum, tanquam obiectum proprium reſpicit, atque ad illud mouet, & ordinat actus virtutum omnium reliquarum.

Inde enim eſt, quòd ipſa ſola vita dicitur, & eſt domina, & regina virtutum, & ipſi ſoli actus virtutum omnium, quaſi proprij eius eſſent, ab Apo-

ab Apoſtolo tribuuntur: *Charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia credit, omnia ſpe-* 1. Cor. 15.
rat, &c.

Quæri autem vlteriùs ſolet: *Vtrum ad meritum vitæ æternæ ſatis ſit, vt opus bo-* Dubit.
num procedat ab homine iuſto, & habitu charitatis prædito: an etiam requiratur, vt actu,
vel virtute ab ipſa charitate procedat?

Et quamuis non deſint grauiſsimi auctores, qui ſentiant, omne opus bo-
num hominis iuſti, & habitu charitatis præditi, vitæ æternæ meritorium eſſe:
nobis tamen probabilius videtur, ad meritum exigi vt opus bonum, vel tũc, Reſp.
cùm fit, actu imperetur à charitate, atque in Deum, vt finem ſupernaturalẽ,
& vltimum referatur; vel certè naſcatur ab actu imperato à charitate, atque
in Deum antè relato; quod eſt virtute, non actu in Deum referri. Porrò non
ſufficit, vt opus virtute referri dicatur in Deum, ſi quis ad initium anni, vel
menſis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia ſua futura
opera in Deum: ſed neceſſe eſt, vt illud ipſum opus particulare referatur in
Deum, quod poſteà faciendum eſt. Tunc dicuntur enim opera virtute in Deũ
relata, cùm intentio præcedens eſt vera cauſſa operum, quæ poſteà fiunt, vt,
ſi quis apud ſe certò conſtituat, aliquam nummorum ſummã propter Deum
pauperibus erogare, & poſteà ſummam illam oblata occaſione eroget, is di-
cetur virtute opus ſuum in Deum referre, etiamſi, dum pecunias illas diſtri-
buit, nihil de Deo cogitet.

Hæc ſententia confirmatur his rationibus. Primò ſcript. teſtatur ita ſe ha- Prob. 1.
bere homines iuſtos ad Chriſtum, vt palmites ad vitem. Conſtat autẽ pal- Ioan. 15.
mites non ferre fructum, niſi ſuccum à vite traxerint. Igitur neque homines
iuſti (vt Concilium Trident. explicat) opera meritoria facere poſſunt, niſi Seſſ. 6. c. 16.
per illam gratiam, quam Chriſtus in ipſos, vt vitis in palmites, influit. Non
igitur meritoria ſunt opera bona tãtùm moraliter, quæ ſine relatione in Deũ,
per actum charitatis à iuſtis fieri poſſunt.

Secundò Dominus, cùm ait: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem* Prob. 2.
habebitis? ſine dubio demonſtrat, poſſe hominem iuſtum facere aliqua bona Matth. 5.
moralia, quale eſt, diligere amicum, quia ab illo diligeris, & tamen non ha-
bere mercedem in vita æterna. Idem non ait: *Qui recipit iuſtum, mercedem iuſti* Matth. 10.
accipiet; ſed. *Qui recipit iuſtum in nomine iuſti*, id eſt, ea intentione, quia ſeruus
Dei eſt. Et cùm diceret: *Omnis, qui reliquerit patrem, vel matrem, &c. centuplum* Matth. 19.
accipiet, & vitam æternam poſſidebit; addere curauit: *propter nomen meum*: vt etiam
alibi ſæpe addit: *propter me*. Et cur Apoſtolus tam ſæpe monet, vt quidquid fa- 1. Cor. 10.
cimus, in nomine Domini, & in gloriam Dei faciamus, ſi omnia opera iuſto- Coloſſ. 3.
rum ex ſe diriguntur in Deum, & meritoria ſunt?

Tertiò: Illa ſolum opera meritoria ſunt vitæ æternæ, quæ ex natura ſua Prob. 3.
charitatem augent. Nam, iuxta communem Theologorum ſententiam,
omne meritum vitæ æternæ ſimul etiam incrementi charitatis meritum eſt.
At charitas non augetur, niſi per actus, qui ex ipſa procedunt: id enim om-
nibus habitibus commune eſt. Igitur illa ſola opera ſunt meritoria vitæ æter-
næ, quæ vel ſunt actus charitatis eliciti, vel ſaltem imperati.

Quartò. Inter omnes conuenit, quòd opus referri debeat in Deum, vt fi- Prob. 4.
nem ſupernaturalem, ſi futurum ſit meritorium vitæ æternæ. At opera vir-

tutum cæterarum non referuntur in Deum, vt finem ſupernaturalem, niſi à charitate imperentur, & dirigantur. Nam, ſi morales ſint, non referuntur ex natura ſua in Deum, niſi vt finem naturalem. Si Theologicæ ſint, reſpiciunt quidem Deum, vt obiectum ſupernaturale; ſed non referuntur in eum, vt finem ſupernaturalem, vel ſummum bonum. Igitur non ſunt meritorij actus virtutum reliquarum, niſi à charitate imperentur, & moueantur.

CAPVT IX.

Quale ſit meritum: & de merito ex condigno.

Quæſt. 3. principalis. QVæſtio tertia principalis eſt: *Quale ſit meritum?* De qua re ſunt tres quæſtiones.

Quæſt. 1. Prima eſt: *Sitne meritum iuſtorum dicendum ex condigno, an ex congruo?*

Reſp. Catholici omnes agnoſcunt, opera bona iuſtorum eſſe meritoria vitæ æternæ. Sed aliqui cenſent, non eſſe vtendum his vocibus, de condigno, & de congruo: communis tamen ſententia Theologorum admittit meritum de condigno. Et quidem, quod ad voces attinet, rectè dicuntur merita noſtra eſſe ex gratia Dei, ſicut etiam rectè dicuntur eſſe munera Dei: tamen non minùs rectè dicuntur eſſe ex iuſtitia, & ex condigno.

Prob. Nam Script. diuina ſatis apertè agnoſcit has voces. *Vt ambuletis dignè Deo.* *Coloſ. 1.* Et: *Vt digni habeamini regno Dei.* *2 Teſſal. 1.* Et: *Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni ſunt.* *Apoc. 3.* Quòd verò ad rem attinet, probant illam omnia argumenta, quæ fecimus ſuprà aduerſus hæreticos. Omnia enim probant iuſto Dei iudicio deberi meritis bonorum operum mercedem vitæ æternæ.

Quæſt. 2. Altera quæſtio eſt: *Vtrùm opera bona ſint meritoria ex condigno, ratione pacti tantùm, an ratione operis tantùm, an ratione vtriuſque?* Neque enim dubitari poteſt, quin meritum ex condigno his tribus modis variari poſsit. Nam, ſi fortè opus aliquod ſit multò inferius mercede ex conuentione præmiſſa; vt ſi Dominus vineæ conduceret operarios, & non denarium diurnum, ſed centum nummos aureos pro mercede promitteret; eſſet eiuſmodi meritum ex condigno ratione pacti, non ratione operis. Contrà vero, ſi opus ſit reuerà æquale mercedi, vel fortè etiam maius, ſed conuentio nulla interuenerit, ſi dici debeat eiuſmodi meritum ex condigno, dici debebit ex condigno ratione operis, non ratione pacti. Et in malis quidem facilè reperiemus meritum pœnæ ex condigno ratione operis, non ratione pacti: quoniam ſine vlla conuentione, qui alteri lædit, ſatisfacere tenetur, atque ad pœnam à iudice compelli poteſt. De bonis autem paulò poſt videbimus. Denique; Si pactum intercedat, & opus ſit verè par mercedi; vt cùm operarij ad vineam ex denario conducuntur diurno; id meritum erit ex condigno ratione operis, & ratione pacti.

Reſp. Nobis itaque media ſententia placuit, quæ docet, opera bona iuſtorum meri-

meritoria eſſe vitæ æternæ ex condigno ratione pacti, & operis ſimul: non quidem, quòd ſine pacto, vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam; ſed quia non tenetur Deus acceptare ad mercedē illam opus bonum, quamuis par, & æquale mercedi, niſi conuentio interueniat. Quam ſententiam conformem eſſe non dubitamus Concilio Trident. & principibus Theologorum. Et quidem opera iuſtorum remoto pacto, vel promiſsione, non eſſe meritoria vitæ æternæ, ex condigno, ſiue ex iuſtitia, ita vt non poſsit Deus ſine iniuſtitia talem negare mercedem, ſuprà probatū eſt. Script. ſiquidem, & Patres, vbicunque dicunt, Deum fidelem eſſe, & iuſtum in reddendo præmio, ſemper, aut ferè ſemper mentionem faciunt promiſsionis. Eſſe autem meritoria vitæ æternæ ex condigno, non ſolùm ratione pacti, & acceptationis, ſed etiam ratione operis, ita vt in opere bono ex gratia procedente ſit quædam proportio, & æqualitas ad præmium vitæ æternæ, prob. his argumentis.

Primò: Vita æterna eſt *gratia pro gratia*, gratia mercedis pro gratia meritorum, ſiue charitas patriæ pro charitate viæ. At inter gratiam, & gratiam ſine dubio magna ſimilitudo, & proportio eſt. *Prob. 1* *Ioan. 1.*

Secundò: Vita æterna eſt *flumen lætificans ciuitatem Dei*. Gratia verò benè operandi eſt *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. At fons proportionem habet ad flumen, immò totum flumen virtute continet. Et præterea, proportio eſt inter deſcenſum, & aſcenſum aquæ: tam enim altè aſcendit, quàm altè deſcendit. *Prob. 2.* *Pſal. 45.* *Ioan. 4.*

Fons autem aquæ viuæ, id eſt, gratia Spiritus ſancti diffuſa in cordibus noſtris de cœlo deſcendit; & ideò debita proportione ſalit in vitam æternam.

Tertiò: Vita æterna eſt denarius diurnus laborantium in vinea. At denarius diurnus iuſtum eſt precium laboris diurni. Ideò enim vocatur denarius diurnus, quia ſolet ordinariè ex communi æſtimatione reſpondere labori diurno. *Prob. 3.* *Matth. 20.*

Quartò: Gratia eſt ſemen gloriæ, iuxta illud: *Semen Dei manet in eo*. At ſemen non eſt quidem æquale rei, cuius eſt ſemen, quoad molem, ſed eſt tamen æquale, quoad virtutem. *Prob. 4.* *1. Ioan. 3.*

Quintò: Vita æterna eſt actio quædam ſupernaturalis ex parte obiecti, & principij, tum efficientis, tum etiam formalis: At meritum, quod in dilectione conſiſtit, eſt etiam actio ſupernaturalis ex parte obiecti, & principij, tum efficientis, tum formalis. Igitur proportionem habent inter ſe, & vnum ad alterum, quaſi recta via, ad ſuum terminum ducit. *Prob. 5.*

Sextò: Deus eſt, qui electos per merita ad vitam æternam, vt brauium, & coronam iuſtitiæ, perducendos eſſe decreuit. Igitur ſine dubio eiuſmodi merita illis donat, quibus verè, & propriè, atque adeò ex condigno perueniant ad coronam. Neque enim poteſtas, vel ſapientia, qua id faceret, Deo deeſſe potuit. *Prob. 6.*

Septimò: Merita noſtra pendent à meritis Chriſti; tum quia nobis ille meruit virtutem merendi; tum quia nos meremur, vt membra viua Chriſti, & per influxum, quem ab illo, vt à capite noſtro recipimus. Igitur detrahitur *Prob. 7.*

de glo-

de gloria Chriſti, ſi merita noſtra ſint ita imperfecta, vt non ſunt merita ex condigno, niſi ratione acceptationis Dei.

Quæſt. 3. Tertia quæſtio eſt: *Num Deus opera bona remuneret ex mera liberalitate ſupra condignum?*

Reſp. Communis Theologorum ſententia conſtanter id affirmat.

Prob. 1. Prob. primò ex diuinis litteris. Nam non ſine cauſſa Dominus ait: *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Et apertiùs: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinus veſtros.* Certè enim iuſta merces eſſe poterat menſura bona: cur autem additur, *conferta, coagitata, ſupereffluens,* ſi nihil additur ſupra condignum? Item: Poſteaquam ſeruus fidelis, qui lucratus fuerat decem Mnas, acceperat prœmium ſuum, id eſt, imperiũ ſupra decem ciuitates; rursùs extraordinario munere datur ei Mna, quæ fuerat ablata à ſeruo infideli, & pigro. Quid autem hoc ſignificare poteſt, ſi Deus in iudicio nulli dabit aliquid, niſi iuſtè, & ex condigno illud mereatur? Ad hæc; In parabola vineæ manifeſtè videmus, multis dari integrum diurnum denarium, cùm tamen non integrum diem in opere poſuiſſent. Atque id non ex iuſtitia, ſed ex liberalitate factum eſſe, indicat Dominus illis verbis: *Volo huic dare, ſicut & tibi. An non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Ex quo etiam intelligimus, id, quòd ſupra condignum additur, non dari ex æquo, nec omnibus. Fortaſſe etiam huc pertinet illud: *Non ſunt condignæ paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis:* quamuis & aliter hoc teſtimonium exponi poſsit.

Matth. 5. Luc. 6. Luc. 19. Matth. 20. Rom. 8.

Prob. 2. Prob. ſecundò ex Patribus. Vtrum autem operibus malis Deus pœnam reddat citra condignum, non videtur ita eſſe certum. Nam nec inueniuntur loca Script. quibus id facilè confirmetur; & S. Auguſtinus hanc ſententiã tolerat potiùs, quàm probat. Placuit tamen multis hæc ſententia, & à S. Auguſtinò minimè refutatur.

Dubitatio. Reſp.

Quæſt. 4. principalis. Quarta quæſtio principalis eſt: *Quænam ſint illa, quæ cadunt ſub meritum de cõdigno?* Sunt autem omninò quinque res, quæ in dubium reuocari poſſunt: vita æterna, gratia iuſtificationis, gratiæ incrementum, reparatio poſt lapſum; & perſeuerantia in fide, & charitate, vſque in finem.

Reſp.

Quæſt. de vita æterna. Primùm de vita æterna ſolùm quæſtio eſt: *Vtrum ipſa vita æterna, an gradus tantùm in ea præſtantiores cadant ſub meritum de condigno?*

Reſp. Prob. Nos exiſtimamus vitam ęternam, tum quoad primum gradum, tũ quoad cęteros, reddi bonis meritis filiorum Dei. Nam Script. paſsim docet, non ſolùm gloriæ incrementum, ſed ipſam gloriam ſimpliciter eſſe prœmium operum bonorum. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Et ibidem: *Qui reliquerit Patrem, vel matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poßidebit.* Et: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Et: *Qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et Apoſtolus ipſam hæreditatem ſcribit reddi bonis operibus: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, ſicut Deo, & non hominibus, ſcientes, quòd à Domino recipietis retributionem hæreditatis. Domino Chriſto ſeruite.* Ex quo intelligimus, illum ipſum gradum gloriæ, qui debetur iure hęreditario, retribui etiam iure mercedis.

Matth. 19 Iac. 1. Gal. 6 Coloſſ. 3.

Non

Non enim eſt abſurdum, eandem rem duplici iure deberi, titulo videlicet hęreditatis, & titulo meritorum. Atque hoc præſtabunt in cœlo adulti infantibus, non ſolùm, quòd illi ampliorem gloriam obtinebunt; ſed etiam quòd ipſam gloriam, & primum eius gradum habebunt infantes ſolo iure hæreditatis; adultis verò gloria illa ſimul erit & patris hæreditas, & corona victoriæ.

Secundò: De gratia iuſtificationis certum eſt, non poſſe obtineri, neque *De gratia*
ex condigno, neque ex congruo, meritis operum, ſolis viribus liberi arbitrij *iuſtificationis.*
effectorum. Item, non poſſe obtineri ex condigno, ſed ſolùm ex congruo, meritis operum ex fide, & auxilio Dei ſpeciali procedentium: vt alibi probatum eſt. Pręterea, non poſſe eandem gratiam obtineri meritis conſequentibus, id eſt, bono vſu gratiæ, prob. quia gratia iuſtificationis ſæpe datur illis, qui ea bene vti non poſſunt, vt infantibus mox à baptiſmo morituris; vel qui non volunt, vt adultis quibuſdam, qui gratiam acceptam abijciunt, & fiunt nouiſsima eorum peiora prioribus: ſæpe etiam non datur illis, qui ea bene vſuri fuiſſent, ſi illam accipiſſent, quod de Tyrijs, & Sydonijs Dominus *Matth. 11.*
ipſe teſtatur.

Ad hæc; Nullum, Chriſto excepto, quamuis iuſtum, & ſanctum, poſſe alijs mereri gratiam de condigno, certa ratio perſuadet. Nullum enim extat pactum, nulla promiſsio de merito alienæ ſalutis; & ſolus Chriſtus, vt Eccleſiæ totius caput, eam gratiam habuit, qua membris omnibus gratiam, & gloriam mereretur. Sed ſicut certum eſt, non poſſe vnum alteri ex condigno gratiam promereri, ita non eſt dubium, poſſe id ex congruo fieri. Quomodo S. Stephanum precibus apud Deum conuerſionem Apoſtoli Pauli, & S. Monicam lachrymis apud eundem conuerſionem S. Auguſtini promeruiſſe, nemo eſt, qui neget. Et in Euangelio legimus: *Videns Ieſus fidem illorum, dixit Para-* *Matth. 9.*
lytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.

Tertiò: De augmento iuſtitiæ, poſſe hominem iuſtum mereri ex *De augmento*
condigno augmentum iuſtitiæ, docet Concilium Tridentinum, & S. Au- *iuſtitiæ.*
guſtinus. *Seſſ. 6. can.*

Quartò & quintò: De reparatione poſt lapſum, & perſeuerantia vſque in *32.* *Tract. 77.*
finem concors eſt ſententia Theologorum, ea non cadere ſub meritum de *in Ioannem.*
condigno. Ac, vt cætera argumenta prætercam, ſi caderent illa duo ſub me- *De repara-*
ritum de condigno, nemo iuſtorum eſſet, qui non etiam eſſet de numero ele- *tione poſt*
ctorum, & prædeſtinatorum ad vitam: qui error fuit Iouiniani, & Caluini. *lapſum; &*
Poſſe autem donum perſeuerantiæ precibus impetrari, ſuprà docuimus. *perſeuerãtia.*
Poſſe verò eum, qui iuſtus eſt, reparationem poſt lapſum mereri ex congruo, prob. optimis rationibus. Nam dictum eſt ad Ioſaphat regem Iuda: *Impio* *2. Paral 19.*
præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcircò iram Domini merebaris. ſed bona opera inuenta ſunt in te. Ex quo intelligimus, S. illum Regem operibus bonis apud Deum obtinuiſſe, vt etiam, cùm peccaret, à Deo non deſereretur, nec pro meritis puniretur. Item; Propheta orat, quod nos etiam orare conuenit: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et certè *Pſal. 70.*
fruſtrà fieret talis oratio, ſi nulla ei reſpondere poſſet impetratio.

XXXXx Ad

Ad hæc; Si poteſt iuſtus mereri de congruo, id eſt, impetrare alteri conuerſionem, cur non & ipſe ſibi poſtulare, & impetrare poſsit, vt, ſi labatur, non deſeratur, ſed ad pœnitentiam reuocetur? Præterea; Poteſt homo nondum reconciliatus per opera pœnitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam iuſtificationis: cur igitur non poterit idem, dum eſt iuſtus & amicus Dei, impetrare? & mereri ex congruo reparationem, ſi fortè labaratur?

DE BONIS OPERIBVS IN PARTICVLARI

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De Oratione in genere.

TRIA eſſe præcipua genera bonorum operum, teſtatur Angelus Raphaël: *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleëmoſyna, magis quàm theſauros agri recondere.*

De *Oratione* ſeptem capita tractanda ſunt. Primum *Quid
ſit Oratio?* Poteſt autem ſic definiri ex S. Thoma: *Eſt actus ra-* 2,2.q.83.
tionis practicæ, voluntatis deſiderium explicantis, & ab alio aliquid ar.1.
poſtulantis. Dicitur, *actus rationis*, quia tametſi tum ratio, tum voluntas ad o- *Oratio quid?*
rationem ex neceſsitate concurrant, tamen propriè actus eſt rationis, non
voluntatis. Nam oratio eſt petitio quædam: petitio autem, cùm ſit intimatio,
ac locutio, ſine dubio ad rationem, & intelligentiam pertinet. Itaque Domi-
nus: *Petite, inquit, & accipietis.* Et: *Quidquid orantes petitis,* &c. Et Apoſtolus: *Matth. 7.*
Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; Spiritus poſtulat pro nobis. Dicimus deinde, eſſe *Mar. 11.*
actum rationis, non theoricæ, ſed *practicæ*, quoniam non ad cognitionem, ſed *Rom. 8.*
ad impetrationem ordinatur. Dicimus tertiò eſſe actum rationis, *explicantis*
deſiderium voluntatis: nam, cùm intellectus, & affectus ad orandum concurrãt;
affectus concurrit deſiderando id bonum, quo caret; intellectus verò deſide-
rium illud explicando, & proponendo. Sicut in rebus corporalibus, cùm re
aliqua indigemus, per appetitum, qui concupiſcibilis dicitur, rem illam deſi-
deramus; per linguam verò, quæ appetitus interpres eſt, rem eandem flagi-
tamus. Dicimus poſtremò, eſſe actum rationis, *ab alio aliquid poſtulantis*: quia
deſiderium voluntatis, ſi eſt in noſtra poteſtate, non exprimitur à ratione per
modum poſtulantis, ſed per modum imperantis: at, ſi non eſt in noſtra po-
teſtate, tum demùm exprimitur per modum poſtulantis. Et ea propriè dici-
tur oratio.

Secundum caput eſt: *Quotuplex ſit oratio?* Triplex eſt orationis partitio. A- *Quotuplex*
lia eſt oratio publica, quæ nomine totius pop. à Sacerdotibus, tanquam mi- *ſit Oratio*
niſtris publicis, in templis potiſsimum ritè celebratur. Alia eſt priuata, quę ad *1. partitio.*
ſingulos pertinet: de qua Apoſtolus: *Volo ergò viros orare, in omni loco leuantes pu-* *1. Tim. 2.*
ras manus, ſine ira, & diſceptatione.

Deinde; Alia eſt oratio tantùm mentalis. Alia mentalis ſimul, & vocalis. *2. partitio.*

Neque debet addi tertium membrum, id eſt, vocalis tantùm: ea ſiquidem nõ eſt vtilis ad placandum Deum, ſed magis ad prouocandum ad iram, iuxta il-
Iſa. 29. lud: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.* Et quidem oratio, quæ ſola mente concipitur, cùm quis priuatim orat, vtiliſsima eſt, & aliquãdo vtilior, quàm ſi etiam vox corporalis addatur. Nam & Deus ſatis intelligit, quid velimus, & quid petamus, etiamſi id ſola mente exprimamus; & nos ipſi nonnunquam toto ictu cordis Dei aures meliùs attingimus, cùm ab omni ſtrepitu corporali vacamus, quàm ſi voce ſimul, & corde orare velimus. Non negamus tamen, quin oratio vocalis ſit interdum vtilis, & aliquãdo etiam neceſſaria. Vtilis enim eſt, quia interdum voce nos ipſos ad deuotionem acriùs excitamus. Deinde, quia ſeruit deuotioni iam excitatæ, quæ erumpere ſolet, & redundare in externum affectum, iuxta illud: *Lætatum eſt*
Pſal. 15. *cor meum, & exultauit lingua mea.* Et: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum*
Pſal. 83. *viuum.* Denique, vt non ſolùm corde, ſed etiam corpore debitæ ſeruitutis Deo
Oſe. vlt. reddamus obſequium, iuxta illud: *Omnem auſer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Neceſſaria etiam eſt vocalis oratio, quando ex præcepto maiorum, vel publicè, vel priuatim, certas preces recitare iubemur.

3. partitio Tertia partitio orationis extat apud Apoſtolum, qui quatuor facit quaſi
1. Tim. 2. genera, ſiue partes orationis: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, o-*
Philip. 4. *rationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,* &c. Et: *In omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deũ.* Hæc partitio ſubobſcura eſt. Primùm autem exiſtimo Apoſtolum loqui, non ſolùm de oratione Sacerdotis ad altare, ſed etiam de oratione priuata cuiuſ-
1. Tim. 2. cunque fidelis. Nam ideò concludit: *Volo ergò viros orare in omni loco &c. Simili-*
Philip. 4. *ter & mulieres in habitu ornato,* &c. Et omnibus dicit: *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione,* &c. Fateor tamen hoc præceptum, quod omnibus datur, ad Sacerdotes præcipuè pertinere, & in illis precibus, quæ fundũtur ad altare, potiſsimum locum obtinere. Exiſtimo præterea, voluiſſe Apoſtolum per has voces partitionem aliquam indicare, non rem eandem pluribus verbis inculcare. Id mihi perſuadet tum communis opinio: nam vno, aut altero excepto, omnes in eo conueniunt, vt Apoſtolus aliquam diſtinctionẽ inter eas voces notari voluerit: tum, quòd eaſdem quatuor voces repetierit in epiſtola ad Philippenſes. Exiſtimo tertiò partitionem hanc Apoſtoli deſumi à materia orationis, quæ eſt res bona, vel mala, præterita, vel futura: vt ſenſus ſit, orandum eſſe Deum pro malis auertendis, & bonis accipiendis, & quidem vtraque poſtulanda eſſe in futurum, & pro iam impetratis gratias exhibendas. Quem ſenſum clariùs oſtendit epiſtola ad Philippenſes, quàm ad Timotheum. Nam, cùm ait ad Philippenſes: *In omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud* Deum; hoc manifeſtè præcipit, vt ſiue bonorum adeptionem, ſiue à malis liberationem cupiamus, & precemur à Deo, ſemper coniungamus petitionem cum gratiarum actione, id eſt, ita petamus futura, vt pro præteritis agere gratias nunquam obliuiſcamur.

Obſecratio-nes. Exiſtimo denique, per Obſecrationes, Græcè δεήσεις, rectè Theodoretum, & Au-

& Auguſtinum accipi voluiſſe deprecationes malorum. Nam vox illa à verbo δέομαι deſcendit, quod eſt indigere. Ille autem maximè indiget ope diuina, qui malo aliquo premitur. Item, per Orationes rectè eoſdem auctores intellexiſſe petitiones bonorum. Non enim eſt in Græco εὐχὰς, vt Caſsianus legiſſe videtur, qui interpretatur, vota; ſed προσευχὰς, quod orationes ſignificat. Nam ideò oratio, qua boni aliquid petimus, dicitur προσευχὴ, quia votum dicitur εὐχὴ: & illi cum fiducia petunt à Deo bona, qui illi anteà boni aliquid deuouerunt. At per Poſtulationes non exiſtimo cum Theodoreto ſignificari hoc locò accuſationem aduerſariorum, ſed cum Auguſtino ſimpliciter poſtulationem. Nam etiamſi vox Græce, ἔντευξις ſignificet interpellationem pro aliquo, vel contra aliquem; tamen quia omnis interpellans petit, imò ideò interpellat, vt petat, rectè Sanctus Auguſtinus monet, vicinitate vocabuli vnum pro alio poni ſolere, neque corrigendum eſſe textum Latinum, qui non habet interpellationes, ſed poſtulationes. Addo, quòd in epiſtola ad Philippenſes, vbi obſecratio, oratio, & gratiarum actio iiſdem Græcis verbis exprimuntur, quibus in epiſtola priore ad Timotheum, ſolùm nomen poſtulationis variatur. Non enim ἔντευξις, ſed αἰτήματα, quod propriè petitionem, vel poſtulationem ſignificat. Vbi videtur Apoſtolus vno in loco explicare voluiſſe id, quod dixerat in alio. Addo etiam, quòd interpellatio contra aliquem comprehenditur in obſecratione, quæ eſt deprecatio malorum: ſicut interpellatio pro aliquo in oratione, quæ eſt precatio bonorum, vt non fuerit opus tria membra diſtinguere, cùm duo ſufficiant. Addo denique auctoritatem Latini interpretis antiquiſſimi, qui non ſine cauſſa verbum ἔντευξις, hic poſtulationes, non interpellationes reddendum eſſe iudicauit.

Orationes.

Poſtulationes.

Epiſt. 59. ad Paulinū q. 5.

Tertium membrum, nimirum neceſsitas, & vtilitas orationis prob: *Oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Item: *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia.* Et: *Sine intermiſsione orate.* Cui ſimile eſt illud: *Non impediaris orare ſemper.* Hæc enim, & alia, quibus plena eſt Script. diuina, apertiſsimè docent, neceſſariam eſſe orationem, neque eſſe committendum, vt alia vitæ huius negotia à ſtudio rei tam neceſſariæ nos impediant. Quòd autem Deus non daret non petentibus, quæ dat petentibus, prob. Nam quod legimus: *Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione, in conſpectu eius:* apertè demonſtrat, ita liberatum fuiſſe populum ab vltimo exitio per orationes Moyſis, vt, ſi Moyſes non oraſſet, vniuerſus populus periturus fuiſſet. Illud etiam, quod ait Dominus: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio*: nónne apertè indicat, beneficia quędam impetrari per orationem, & ieiunium, quæ ſine oratione, & ieiunio minimè impetrarentur? Quòd verò S. Iacobus docet: *Non habetis, propterea, quòd non poſtulatis: petitis, & non accipitis propterea, quod malè petitis.* Certè manifeſtius eſſe non potuit. Nam ſicut Deus iam ab æternitate ſtatuit, quid nobis donare velit; ſic etiam ſtatuit per orationes ea nobis donare. Atque id tam in corporalibus, quàm in ſpiritualibus beneficijs. Quia enim Deus cōſtituit nobis dare frumentum, & vinum, & ſimul cōſtituit id nobis pręſtare per humanos labores, quibus agri vineęq; co-

Neceſsitas Orationis.
Luc 18.
Luc. 21.
1. Theſ. vlt.
Eccl. 18.
Pſal. 105.
Matth. 17.
Iac. 4.

luntur, nemo eſt, qui neget, neceſſarium eſſe arare, ac ſerere, plantare, ac fodere, & alia id genus facere, ſi metere, & vindemiare velimus. Sic etiam Patriarcha Iſaac, tametſi ſciebat ex diuina promiſsione in ſemine ſuo benedicedas omnes gentes, ac per hoc prolem aliquam ſe habiturum dubitare nō poſſet, orauit tamen Deum pro ſterilitate coniugis. Et Elias Propheta, cùm Dei nomine pluuiam promiſiſſet Regi, & certò ſciret, falſum eſſe non poſſe, quod Deus promittit, anxiè tamen Deū precari cœpit pro pluuia impetranda, quia nouerat, pluuiam quidem donandam eſſe à Deo, ſed non, niſi per orationes ſuas, eſſe donandam. Denique; Angelus Raphaël dicit, Saram Tobiæ iuniori à Deo deſtinatam eſſe vxorem, & tamen eundem Tobiam admonuit, vt Deū precaretur, ne ſe à dæmonio illo pateretur occidi, à quo necatos fuiſſe conſtabat alios omnes, qui cum eadem Sara coniugio copulari tentauerant.

Gen. 25. *3. Reg. 18.* *Tob. 6.*

Vtilitas Orationis.

De vtilitate orationis ſciendum, quòd tres ſunt primarij fructus Orationis: Satisfactio, Meritum, Impetratio.

Satisfactio

Satisfactio quidem pro peccato, nam ſi quis concedat, opera bona laborioſa eſſe ſatisfactoria pro peccatis, nunquam negabit, quin ſit oratio inter illa opera numeranda, cùm ſatis conſtet, orationem non tantùm bonam, ſed etiam laborioſam eſſe, atque pœnalem. Quæ cauſſa eſt, vt ferme ſemper ieiunio, & eleēmoſynæ adiungatur, cùm de ſatisfactionibus agitur.

Meritum.

Meritum etiam: nam oratio, ſiue impetret, quod poſtulat, ſiue non impetret, ſemper eſt meritoria maioris gratiæ, & gloriæ, quando ab homine iuſto, & ſicut oportet, funditur. Cuius rei teſtimonium habemus: *Cum oratis, non eritis ſicut hypocrytæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Quo loco Dominus oſtendit, orationem eſſe opus bonum, cui, ſi bene fiat, debetur merces à Deo: ex quo fit, vt etiam ſit meritoria, cùm merces meritò iuſtè, propriè que reſpondeat.

Matth. 6.

Impetratio.

Tertius fructus eſt Impetratio. Ac primùm oratione impetrari remiſsionem peccatorum docemur in oratione dominica: non enim iuberet dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*; ſi remiſsio debitorum per orationem impetrari non poſſet. Quod idem teſtatur parabola Publicani, & Pharizæi: *Publicanus enim orans, & dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, deſcendit in domum ſuam iuſtificatus.* Nec ſolùm remiſsionem peccatorum, ſed multa alia beneficia, imò pene omnia, quæ nobis neceſſaria, vel vtilia ſunt, per orationem à Domino impetramus. Nam, ſicut in rebus corporalibus homo naſcitur nudus, & egens rebus omnibus, ſed habet manus, quæ ſatis appoſitè organum organorum dici meruerunt, quòd per eas reliqua omnia inſtrumenta confici, & cibus, veſtitus, domus, arma, & quidquid humanæ vitæ neceſſarium eſt, facile parari queat: ſic etiam in vita ſpirituali nihil omninò poteſt homo ſine ope diuina, non ſolùm operari, ſed nec loqui, aut cogitare; ſed habet organum organorum, [illegible], orationem, qua ſi benè vtatur, omnia ſine dubio obtinebit.

Luc. 18.

Alii fructus Orationis.

Præter hos tres primarios fructus ſunt etiam alij per multi ſecundarij. Nam oratio frequens illuſtrat mentem: neque enim fieri poteſt, vt aliquis cordis oculos in Deum, qui lux eſt, intentè defigat, quin ab eo aliquo lumine illuſtretur.

illuſtretur. In cuius rei ſignum Moyſes rediens à colloquio Domini frontem gerebat mirifica luce fulgentem. Et Dauid: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Exod. 34. Pſal. 33.
Deinde; Oratio, ſpem, & fiduciam alit: quò enim aliquis cum aliquo frequentiùs loquitur, eò fidentiùs ad eum accedit. Tertio: Inflammat charitatem, & mentem ad maiora dona recipienda capaciorem reddit. Quartò: Auget humilitatem, & caſtum timorem. Nam qui ad orationem accedit, intelligit, ſe Dei eſſe mendicum, ac per hoc humiliter coram eo apparere ſtudet, & diligentiſsimè cauet, ne illum offendat, cuius auxilio in rebus omnibus indiget. Quintò: Gignit frequens oratio in animo orantis contemptum rerum omnium temporalium. Neque enim fieri poteſt, vt non vileſcant, & ſordeant terrena omnia illi, qui cœleſtia, atque ęterna aſsiduè ſpeculatur. Sextò: Parit delectationem incredibilem, cùm per eam fiat, vt incipiat homo guſtare, quàm ſuauis ſit Dominus. Quanta autem ſit hæc ſuauitas, vel ex eo poteſt intelligi, quòd nonnullos non ſolùm pernoctare, ſed etiam dies integros cum integris noctibus in oratione coniungere ſine labore potuiſſe nouimus. Denique; Præter vtilitatem, & voluptatem adfert etiam oratio dignitatem, atque honorem non exiguum oranti. Nam ipſi etiam Angeli animam illam honorant, quam cernunt tam familiariter, & tam crebrò ad colloquium diuinę maieſtatis admitti.

Quartum membrum eſt: *Quid ſit in oratione petendum?* Non poſſumus autem quæſtionem iſtam breuiùs, & pleniùs explicare, quàm ſi Dominicam orationem pleniſsimè exponamus. Pauca tamen de excellentia eius, de numero, & ordine petitionum præfari debemus. *Quid ſit petendum in Oratione.*

Quod ad excellentiam attinet, præſtat oratio Dominica omnibus alijs formis orandi, auctoritate, breuitate, perfectione, ordine, efficacia, & neceſsitate. Auctoritate, quoniam ab ipſa Dei ſapientia condita eſt: proinde non ſolùm nullus hominum, ſed nec vllus Angelorum, meliùs potuit nos inſtituere in ratione orandi, quàm Chriſtus fecerit. Breuitate etiam præſtat, quoniam pro magnitudine, & multitudine rerum, quas continet, non poterat oratio fieri breuior. Eſt autem vtilis hæc ſumma breuitas: tum ad memoriam iuuãdam: tum etiam, vt intelligamus non multis verbis opus eſſe, cùm oramus Deum, qui ſcit, quid velimus, antequam petamus; ſed indigenti deſiderio, & feruenti, affectu. Præſtat quoque perfectione, quoniam omnia comprehendit, quæ à Deo nos petere vel neceſſarium, vel vtile eſt. Eſt etiam quaſi breuiarium Euangelij, quia, dum hanc orationem fundimus, ſimul admonemur, quid ſperare, quid amare, quem colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid contemnere, debeamus. Ordine præſtat, quia diuina planè methodo poſtulare docemur; Primò, quæ ad gloriam Dei; Deinde, quæ ad ſalutem noſtram pertinent; & in ijs. primùm æterna, deinde temporalia. Efficacitate, ſeu vtilitate præſtat, quia nihil poteſt Deum Patrem magis mouere, quàm oratio Filij eius: neque vllus meliùs nouit, quæ ſit oratio efficacior apud Deum, & quibus bonis nos potiſsimùm egeamus, quàm is, quem Deus aduocatum noſtrum, patronumque conſtituit. *Excellentia Orationis Dominicæ*

Denique; Si quidquam petitur in nomine Chriſti, facilè impetratur, vt ipſe dicit: quantò faciliùs impetrabitur, quod non ſolùm in nomine Chriſti, ſed Ioan. 16.

etiam

etiam verbis Chriſti poſtulabitur? Præſtat demum etiam neceſsitate, quia
nulla eſt alia forma precandi, quam omnes Chriſtiani conceptis verbis tene-
L.6.c.25. re, & frequentare iubeantur, niſi iſta. In conſtitutionibus Apoſtolicis monē-
tur Chriſtiani omnes, ter quolibet die orationem hanc fundere. In Concilio
Can. 9. Tolet. IV. iubemur, nullo vnquam die orationem hanc prætermittere, quam
non ſine ratione S. Patres quotidianam vocauerunt. Denique, in Concilio
Cap. 2. Remenſi docemur, non licere homini Chriſtiano Dominicam orationem, aut
non tenere memoria, aut non intelligere, aut non frequentare. Addi poteſt
& alia excellentia, quòd hanc orationem veteres Patres ſummo ſtudio ex-
plicarunt.

Numerus petitionum. De numero petitionum orationis Dominicę, ſeptem eſſe communis habet
ſententia veterum, & recentiorum, paucisſimis tantùm exceptis. Et ratio e-
tiam ſuadet: nam, niſi petitiones ſint ſeptem, non erit oratio Dominica bre-
uisſima, & plenisſima, cùm tamen à breuitate, & plenitudine paſsim à S.
Patribus laudetur. Non erit, inquam, breuisſima, quoniam res eadem bis
Matth. 6. repetetur, videlicet, *Et ne nos inducas in tentationem*, &c, *Libera nos à malo.* Non
eſt autem credibile Dominum, qui paulo antè dixerat: *Orantes nolite multum
loqui*, nunc formam orandi præſcribere, in qua res vna & eadem diuerſis ver-
bis, id eſt, duabus ſententijs ſignificetur. Neque erit plenisſima, quia, ſi idem
prorsùs ſint, *Ne nos inducas in tentationem*, &c, *Libera nos à malo*, non petemus li-
berari à malo præterito, ſed ſolùm à futuro, nec à malo pœnæ, ſed ſolùm à
malo culpæ. Tentatio enim, in quam petimus non induci, non eſt malum
præteritum, ſed futurum; nec malum pœnæ, ſed culpæ.

Adde poſtremò, omninò congruere, vt tot ſint petitiones Dominicæ ora-
tionis, quot ſunt dona Spiritus S. quandoquidem his petitionibus illa dona
reſpondeant.

Ordo petitionum De ordine petitionum S. Auguſtinus docet, tribus petitionibus prioribus
peti res ęternas; tribus poſterioribus temporales. Plenius rem totam expli-
In Enchrid. c. 11. cat Corn. Ianſenius. Scribit enim, primò peti bonorum largitionem ſecun-
Et l. 2. de ferm. Domi. in monte. dò malorum remotionem. Et in bonis, primò bonum Dei: *Sancti[illegible]cetur nomē
tuum.* Secundò, ſummum bonum noſtrum: *Adueniat regnum tuum.* Tertiò, bo-
In concord. Euang. nū noſtrū mediū, id eſt, gratiā implendi mandata: *Fiat voluntas tua.* Quartò,
bonū noſtrū infimū, id eſt, ſubſidia temporalia: *Panem noſtrum quotidianum da
Matth. 6. nobis hodie.* In malis primò peti remotionem mali præteriti: *Dimitte nobis debita
noſtra.* Secundò, mali futuri: *Et ne nos inducas in tentationem.* Tertiò, mali præ-
ſentis. *Sed libera nos à malo.* Plenisſimè S. Thomas ita petitionum ordinem
2. 2. q. 83. art. 9. dirigit. Quoniam oratio interpres eſt deſiderij: deſiderium autem eſt actus
charitatis, qua diligimus Deum in ſe, & nos in Deo: id eò primò petimus
gloriam Dei, vt ſanctificetur nomen ipſius: quæ petitio naſcitur ex amore,
quo diligimus Deum in ſe. Secundo beatitudinem noſtram, quam habebi-
mus, cum adueniet regnum Dei: & hæc petitio oritur ex amore, quo diligi-
mus nos in Deo. Tertiò, medium principale, & per ſe, ad beatitudinem, id
verò eſt obedientia legis: *Fiat voluntas tua*: nam per obedientiam legis mere-
mur beatitudinem. Quartò, medium per ſe, ſed inſtrumentarium, id eſt, pa-
nem, tum ſpiritalem verbi, & Sacramentorum, tum etiam corporalem.

Quinto,

Quintò, medium per accidens, id eſt, remotionem peccati præteriti, quod propriè excludit à regno, & opponitur primo noſtro bono. Sextò, aliud medium per accidens, id eſt, remotionem peccati futuri, ne videlicet ſuperemur à tentatione, quæ impedit, ne Dei præcepta ſeruemus, quod erat bonum noſtrum ſecundum. Septimò, aliud medium per accidens, id eſt, remotionem mali præſentis, omnium ſcilicet huius vitæ miſeriarum, quatenus impediunt ſufficientiam temporalium bonorum, quæ ſuo modo ad vitam æternam conſequendam vel neceſſaria, vel vtilia ſunt. Quare mala iſta, quæ in poſtrema petitione remoueri cupimus, opponuntur tertio noſtro bono, quod in quarta petitione à Domino poſtulamus.

Nunc verba ipſa explicemus: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Hæc pauca verba præfationem continent totius operis breuiſsimam, pulcherrimam, atque vtiliſsimam. Primum enim ſimul nos admonent adoptionis diuinæ, dum dicimus: *Pater noſter*: & peregrinationis terrenæ, dum addimus: *Qui es in cœlis*; vt ſimul intelligamus, nos egere auxilio, quia peregrini ſumus; & fiduciam petendi concipiamus, quia filij Dei ſumus. Deinde, verba illa ſunt quaſi proœmium beneuolentiam captans. Nam, cum dicimus: *Pater noſter*; laudamus bonitatem Dei, qui Pater appellari dignatur à viliſsimis ſeruis. Cùm addimus: *Qui es in cœlis*; laudamus eius potentiam, & excellentiam, qui in cœlo, id eſt, in altiſsimo ſolio præſidet. Quæ duo ſignificari ſolent illis duabus vocibus: *Optimus, Maximus.* Tertiò, excitant illa verba in orante amorem, & timorem, quæ ſunt optimæ ad benè orandum præparationes. Accenditur enim ad amorem, qui cogitat ſe Patrem adire, vt cum eo de rebus ſibi neceſſarijs loquatur: & ſimul ſancto timore concutitur, qui cogitat Patrem illum in cœlo ſedere, & terrena ſimul, ac cœleſtia moderari. Quartò, miro quodam artificio rationem inſinuamus, cur Deus poſsit, & debeat nos audire. Nam, ſi Pater eſt, debet certè filijs, quod iuſtè poſtulant, non negare: ſi in cœlis eſt, vt ſummus rector vniuerſitatis, in manu eius ſunt omnia, & poteſt, quæcunque voluerit, facere. Quintò, nosipſos admonemus, vt meminerimus, nos Patri terreno renunciaſſe, & Patrem in cœlis habere cœpiſſe: & ideo deinceps non terrenam, ſed cœleſtem vitam nobis agendam. & non in terris, ſed in cœlis, patriam, & hæreditatem eſſe quærendam. Sed ſeorſim de ſingulis vocibus pauca dicenda ſunt. *Præfatio Orationis Dominicæ.*

Ac primum de voce, *Pater*, annotandum eſt, ea voce ſignificari primam Perſonam ſanctiſsimæ Trinitatis, atque ad eam dirigi orationem Dominicam: quamuis in Patre inuocentur etiam Filius, & Spiritus S. quorum vna eſt natura, vna poteſtas, vna voluntas, vna diuinitas. Quod idem ſeruari videmus in pleriſque collectis, quæ diriguntur ad Patrem, & cõcluduntur per Filium, qui cum eodem Patre, & Spiritu S. viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. *Pater.*

Solet autem quæri: An hoc loco dicatur Deus eſſe hominum Pater ratione creationis, iuxta illud: *Nonne ipſe eſt Pater tuus, qui fecit, & creauit te?* An ratione adoptionis, de qua dicit Apoſtolus: *Accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater?* *Dubit.* *Deut. 32.* *Rom. 8.*

Cæterum S. Cyprianus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alij affirmant, in hac oratione Deum vocari Patrem, præcipuè ratione adoptionis. Eſt *Reſp.*

enim hæc oratio propria noui Teſtamenti. Iudæi ſiquidem, vt ſerui audierunt
Exod. 20. in monte Sina. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti:* nos, vt filij, orare iubemur: *Pater noſter qui es in cœlis.* Ex quo colligitur, eos, qui filij Dei nec ſunt, nec eſſe volunt, quippe qui voluntariè in peccato mortali perſiſtũt, mendaciter dicere: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Nam, cùm Patrem inuocant, non Deum, ſed diabolum inuocãt: ſiquidẽ ex Patre diabolo ſunt; diabolus autẽ nõ
Prou. 28. eſt in cœlis, ſed in inferis. Ac de tali oratione rectè intelligitur illud: *Oratio eius*
Ioan. 9. *erit execrabilis.* Et illud cæci nati: *Scimus quia Deus peccatores non audit.* Tamen, ſi peccator pœnitentiam agere incipiat, & iam ſpe, ac deſiderio filius Dei ſit, non abſurdè dicere poterit: *Pater noſter.* Nã filius prodigus nondum reconciliatus,
Luc 15. dicit ſe indignum, qui vocetur filius, & tamen patrem appellat, cùm ait: *Pater*
Iſa 63. *peccaui in cœlo, & coram te.* Quomodo etiam Iſaias in perſona pœnitentium ait: *Tu Domine, Pater noſter es, &c.* Porrò ad vocem, *Noſter,* obſeruandũ eſt, ea vo-
Noſter. ce admoneri, diuites, & nobiles, vt non ſe extollant ſupra cęteros, neque pauperes, obſcuroſque deſpiciant, cùm in hac oratione fateantur, ſe pro fratribus Chriſtianos omnes agnoſcere. Item, admoneri fideles vnitatis, & pacis quam cum omnibus habere debemus ſi exaudiri cupimus. Debent enim, qui vnum patrem cõmuniter inuocant, eſſe cor vnũ, & anima vna & quaſi vno ore dicere, *Pater noſter,* quod de tribus pueris legimus: *Tunc hi tres quaſi ex vno ore laudabãt*
Dan. 3. *Deum.* Denique, ex hac voce colligunt Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus meliorem eſſe orationem generalem, quam ſpecialẽ. Ideò enim docemur orare: *Pater noſter,* non, Pater mi. Notat etiam Ambroſius orationẽ generalẽ non ſolùm vtiliorem eſſe alijs, ſed etiam ipſi oranti. Nam, dum ſinguli orant pro omnibus, ſequitur, vt omnes orent pro ſingulis. Itaque, ſi vnuſquiſque diceret: Pater mi, nemo pro me oraret, niſi ego ſolus: at, ſi dicant omnes: *Pater noſter,* omnes omnino, quotquot ſunt in orbe Chriſtiano, pro me orabunt: quę ſanè eſt vtilitas maxima.

Qui es in cœlis. De illis vocibus: *Qui es in cœlis,* quęri poteſt, quid hoc loco propriè ſignificent. Siquidem Cyrillus, Ambroſius, Auguſtinus, per cœlos intelligunt mẽtes Sanctorum, in quibus Deus per gratiam inhabitat. Alij verò, vt Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus, Caſſianus, Bernardus, intelligũt cœlos corporales, & proprie dictos. Quamuis autem vtraque expoſitio pia ſit, & vera, tamen poſterior magis videtur litteræ, ſeu ſententiæ inhærere. Nã in ſcript. paſſim cœlum hoc corporale, quod ſpectamus, ſedes Dei nominatur. *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Et: *Nolite iurare per cœlum, quia thro-*
Iſa. 66. Matth. 5 *nus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum pedum eius.* Dicitur autem Deus eſſe in cœlo, non quod vbique non ſit, ſed quoniam in eo gloriâ præſentiæ ſuæ maximè manifeſtat. Nam & beati in cœlo Deum facie ad faciem vident, & nos, ex cœli conſpectu, quod eſt corporum omnium maximum, & pulcherrimum, potentiam, & ſapientiam Dei maximè intelligimus. *Cœli enim enarrant gloriam*
Pſal 18. *Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentũ.* Porrò aptiſsimè fit mẽtio habitationis Dei in cœlo in principio huius orationis, tum, vt admoneamur ſurſum cor habere, & nihil niſi cœleſtia cogitare debere, cùm ad orandum accedimus: tum, vt intelligamus magno clamore opus eſſe, ſi à Deo exaudiri volumus, cũ nos in profũdo terrarũ, ille in ſummo cœlo ſedem habeat. Quod rectè intelli-

gebat

gebat, qui dicebat: *De profundis clamaui ad te Domine.* Clamor autẽ iſte non corporis, ſed cordis, non vocis, ſed deſiderij, accipiendus eſt. *Pſal. 129.* *Pſal. 129.*

Prima petitio: *Sanctificetur nomen tuum.* Hanc quidam referunt ad ſanctitatem Dei in nobis, vel inchoandam, vel perficiendam, vt videlicet petere intelligamur, vt ſancti ſimus, vel in ſanctitate perſeueremus. Alij referunt ad gloriam nominis Dei, ſed ex noſtris bonis moribus, & operibus conſequentem, iuxta illud: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Sed optima, & litteræ magis inhærens eſt explicatio eorum, qui dicunt, ſimpliciter peti gloriam Dei in nobis, id eſt, vt innoteſcat omnibus nomen Dei, & ab omnibus ſanctificetur. Quod fit quando homines relictis idolis, vel peccatis, agnoſcunt Deum viuum, & verum, illi credunt, in eum ſperant, eum toto corde diligunt, laudant, prędicant, venerantur. Atque ita impletur, quod Malachias futurum aliquando prædixit: *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus.* Superiores enim explicationes, & præſertim tertia, ideò minus probabiles ſunt, quòd hanc petitionem cum tertia ferè confundunt. *1. petitio.* *Matth. 5.* *Malach. 1.*

Secunda petitio: *Adueniat regnum tuum.* In hac petitione recto ordine petimus beatitudinem noſtram, cùm in prima petierimus gloriam Dei. Regnum enim Dei in ſacris litteris triplex inuenitur: regnum gloriæ, regnum gratiæ, & regnum, quod naturæ, vel naturale rectè dici poteſt. Ac, vt à poſtremo incipiamus, regnum Dei naturale dicitur imperium illud, quod naturaliter Deus habet in omnes res creatas, quas pro arbitrio regit, & gubernat. De quo legimus: *Regnum tuum regnum omnium ſæculorum.* De hoc regno nemo eſt, qui petitionem hanc explicandam cenſuerit, quia non eſt opus petere, vt fiant ea, quæ ſemper fiunt, nec poſſunt non fieri. Hoc autem regnum ſemper eſt, fuit, & erit. Et quamuis impij nihil magis moliantur, quàm regnum Dei, id eſt, ordinem diuinæ prouidentiæ perturbare; tamen ſemper fit, quod Deus vult fieri; &, vt Mardocheus ait: *In ditione Dei cuncta ſunt poſita, neque eſt, qui poſſit eius reſiſtere voluntati.* Regnum gratiæ eſt illud, quo Deus regnat in mẽtibus fidelium, de quo dicitur: *Colligent de regno eius omnia ſcandala.* De quo regno exponunt nonnulli hanc petitionem. Sed veriſſima expoſitio eſt de regno gloriæ, quod inchoatur nunc in ſpiritibus beatorum, & perficietur in nouiſſimo die quando beati accepta gloria eius corporum, cum Deo perfectè, fœliciterq́ue regnabunt. Tunc enim tolletur omnis poteſtas dæmonum, & hominum impiorum, & ſolus Deus, & filij eius ſine vlla reſiſtentia vbique regnabunt. Hanc eſſe expoſitionem optimam, perſpicuum eſt. Primò, quoniam in eam conueniunt Tertullianus, Cyprianus, Cyrillus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Caſsianus, Bernardus, & alij ferè omnes. Secundò, quoniam ſuperior expoſitio confundit hanc petitionem cum ſequenti: Hæc autem vnam ab alia commodè, apteq́ue diſtinguit. Tertiò, quoniam niſi ita dicamus, nuſquam in tota oratione petetur beatitudo, quæ tamen inprimis petenda eſſe videtur. Nam, ſicut ante Chriſti incarnationem omnia vota piorum in primum Chriſti aduentum aſpiciebant: ita nunc par eſt, vt aſpiciant in ſecundum. *2. petitio.* *Regnum naturæ.* *Pſal. 144.* *Heſt. 13.* *Regnum gratiæ.* *Matth. 13.* *Regnum gloriæ.*

Quod etiam Apoſtolus monet, cùm ait: *Et ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri.* Et: *Repoſita eſt mihi corona iuſti-* *Rom. 8.* *2. Tim. 4*

iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed etiam iis, qui
Tit. 2. *diligunt aduentum eius.* Et: *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei.* Quarto, quoniam in Scripturis regnum Dei, quod promittitur eſſe venturum, vix vſquam aliter accipitur, quàm pro reſurrectione, & gloria cœleſti.
Luce 13. *Cùm videritis Abraham, Iſaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei; vos autem expelli fo-*
Luce 14. *ras.* Et: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* Et: *Venite, benedicti Patris mei, poſ-*
Matt. 25. *ſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.*

3. Petitio. Voluntas ſigni. Tertia petitio: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.* Rectè diſtinguunt Theologi voluntatem Dei in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti. Ac voluntatem ſigni appellant præcepta, & prohibitiones, quibus Deus ſignificat, quid à nobis agi, vel non agi velit.
Voluntas beneplaciti. Voluntatem autem beneplaciti nominant eam, qua Deus vult abſolutè aliquid fieri: quæ ſemper impletur, & quam nulla vis externa impedire poteſt. De priore intelliguntur ea loca:
Matt. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ille meus frater, & ſoror, & mater*
Ioan 4. *eſt.* Et: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Et: *Hæc eſt enim volun-*
1. Theſſ. 4. *tas Dei, ſanctificatio veſtra.* Et: *Vt voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* De
Hebr. 10. Pſal. 113. poſteriore intelliguntur illa: *Omnia, quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in*
Iſa. 46. *terra.* Et: *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et: *Non eſt, qui tuæ poſſit*
Eſt. 13. *reſiſtere voluntati.* In hac autem petitione tertia conueniunt S. Patres, accipi voluntatem pro voluntate ſigni. Id enim eſt, quod petimus, vt gratia, & auxilium Dei nobis adſit, quo poſſimus, ac velimus diuina implere mandata.

Nota. Notandum autem rectè dictum eſſe: *Fiat voluntas tua;* non autem: Fac in nobis voluntatem tuam; vel: Faciamus voluntatem tuam, vt intelligamus, obedientiam legis, quam Dei ope præſtamus, non eſſe opus ſolius Dei, nec ſolius liberi arbitrij noſtri; ſed vtriuſque ſimul. Quamuis autem hæc petitio præcipuè referatur ad obedientiam legis, & voluntatem ſigni: tamen poteſt etiam aliquo modo referri ad voluntatem beneplaciti, quatenus videlicet nũquam debemus reprehendere beneplacitum Dei, neque de eo ſubmurmurare, etiamſi nos affligi, & premi velit; ſed ei patienter, & libenter etiam acquieſ-
Matt. 26. cere. Nam hoc modo Dominus dixit: *Non mea, ſed tua voluntas fiat.* Et, cùm Diſcipuli non poſſent Paulum retinere, quò minùs in Ieruſalem ad manifeſta pe-
Act. 21. ricula carceris, & vinculorum pergeret, dixerunt: *Voluntas Domini fiat.* Cæterum, non ſemper nobis optandum eſt, vt fiat, quod Deus vult fieri voluntate beneplaciti, tametſi nunquam diſplicere debeat conſilium Dei. Sæpe enim aliud conuenit Deo, vt velit; aliud nobis. Ex quo etiam fit, vt ſæpe homo bona
Luca 23. voluntate non velit, quod Deus vult: vt quando Ioſeph ab Arimathia nolebat Chriſtum occidi, & ideo non erat conſentiens actibus Iudæorum: & ſæpe mala voluntate velit, quod Deus vult; vt cùm Iudæi Chriſtum occidi voluerunt. Hinc etiam intelligimus, non eſſe malum, dolere propter afflictiones Eccleſiæ, aliaque mala, quæ ex beneplacito Dei nobis adueniunt, atque ea etiã deprecari. Sic enim Samuel fleuit Saulem Regem, quem ſciebat à Deo reprobatum; & Dauid fleuit interitum Abſalonis, & Ieremias amariſsimè luxit deuaſtationem Ieroſolymæ; & ipſe Dominus videns ciuitatem, fleuit ſuper eam; & mortem etiam ſuam horrens, orauit ad Patrem, vt, ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora. Denique, omnes Patres in funebribus orationibus deflent

mortes

mortes eorum, quorum vita vtilis Eccleſiæ eſſe videbatur. Summa igitur ſit, voluntati beneplaciti non eſſe obmurmurandum; ſed voluntatem ſigni à nobis eſſe totis viribus perficiendam. Quamuis enim non ſemper velle debeamus quod Deus vult abſolute fieri; ſemper tamen velle debemus id, quod Deus vult nos velle, quod, vt diximus, explicatur nobis per legem, & præcepta. *Nunquid vult Deus holocauſta, & victimas, & non magis, vt obediatur voci Domini?* 1. Reg. 15. Quod autem additur: *Sicut in cœlo, & in terra*, quatuor modis explicatur à Patribus: ſed communis expoſitio, & planè litteralis eſt, vt per cœlum intelligatur cœleſtis Ieruſalem, ſiue Eccleſia triumphans: per terram Eccleſia, quæ militat, & peregrinatur in terris. Id enim optamus, vt, ſicut in cœlo Angeli ſancti promptè, perfectè, atque in omnibus obediunt: ita & nos per Dei gratiam faciamus. *Cœlum. Terra.*

Quarta petitio: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* De qua tres ſunt ſententiæ: ſed probabiliſsima, & communiſsima apud Patres eſt, nomine panis intelligi debere alimenta in genere, id eſt, omnia ſubſidia neceſſaria ad vitam, cum animæ, tum corporis, conſeruandam. Et quoniam ſubſidia vitæ ſpiritualis, vt Sacramenta, conciones, & alia id genus, multo magis ſunt & neceſſaria, & nobilia, quam ſubſidia vitæ corporalis; ideo intentionem orantis ferri debere ad panem ſpiritualem, vt ad id quod primario petitur; ad panem autem corporalem, vt quoddam additamentum. Sed de ſingulis vocibus pauca dicamus. *4. Petitio. Panis.*

Panem. Rectè panem petimus, poſteaquam gratiam, quæ eſt animæ vita, petiuimus. Nihil enim prius appetit, qui viuere cœpit, quam panem. Rectè enim nomine panis ſignificantur omnia ſubſidia vitæ ſpirituali, & corporali neceſſaria. Nam & ſacramentũ altaris, quod eſt vnum ex præcipuis animæ ſubſidijs, panis dicitur: & Verbum Dei, cuius prædicatione etiam paſcimur, dici poteſt etiam panis, cùm dicat Apoſtolus: *Enutritus verbis fidei.* Et: *Guſtauerunt bonum Dei verbum.* Denique, cibum omnem corporalem in Script. panis nomine comprehendi, notius eſt, quam vt ſit neceſſe probari. *Ioan. 6. 1. Cor. 11. 1. Tim. 4. Hebr. 6.*

Noſtrum. Rectè ad omnem panem additur, Noſtrum: tum, vt intelligamus panem Euchariſtiæ eſſe noſtrum, id eſt, proprium filiorum, quem alieni non poſſunt habere: tum, quia non cupimus panem alienum, id eſt, verbum prædicationis hæreticæ; ſed panem noſtrum, id eſt, doctrinam ſanam, Catholicam, Orthodoxam, qualis Eccleſiæ filijs diſpenſatur: tum denique, quoniam etiam panem corporalem non volumus alienum, id eſt, furto, rapina, fraudibus, maliſque artibus acquiſitum; ſed noſtrum, id eſt, proprio labore, & induſtria, vel ex iuſtis, legitimiſque reditibus, Deo benedicente, partum.

Quotidianum. Hanc vocem addere iubemur, Primò, vt intelligamus, non eſſe quærenda ſuperuacanea, & curioſa; ſed ſubſtantialia, ſimplicia, neceſſaria, ſine quibus nullo die viuere poſſumus. Deinde, ne de craſtino ſolliciti ſimus; ſed, tanquam hoſpites, & peregrini, viuamus in diem. Tertiò, quotidianum petimus, ad differentiam panis æterni, quo pane ita fruemur in cœlo, vt ſemel guſtatus æternam adferat ſaturitatem. Quare non erit opus quotidie illum petere, vel accipere.

Da nobis. Quamuis non petamus, neque expectemus, vt Deus pluat Manna de cœlo, vel Sacramenta per Angelos adminiſtret, aut ſapientiam dormientibus infundat; ſed in ſudore vultus noſtri panem noſtrum, tum ſpiritualem, tum corporalem manducare velimus: tamen rectè dicimus: *Da nobis*: tum, quia ſine Dei prouidentia, & auxilio inanes eſſent noſtri conatus: tum etiam, quia cupimus cibum de manu Dei accipere, id eſt, ab illo ſanctificatum, temperatum, dimenſum, vt corpori proſit; & animæ non obſit, ſi de corporali agatur; & contrà, mentem nutriat, & corpus non deſtruat, ſi de ſpirituali tractetur.

Hodie. Hæc vltima vox duobus modis accipi poteſt. Vno modo, vt ſignificet, hoc tempore, id eſt, vitæ huius mortalis: quomodo accipitur ab Apoſtolo: *Adhortamini voſmetipſos, donec hodiè cognominatur*. Altero modo, vt ſignificet præciſè, hoc die. Et quidem, ſi priorem amplectamur, ceſſant multæ quæſtiones, quæ fieri ſolent, cur petamus nobis dari panem Sacramentalem eo die, quo ipſum panem accipere nolumus, aut iam accepimus; & cur petamus panem corporalem ſæpe ſtatim à cœna, vel prandio. Orationem enim Dominicam omnibus horis recitare ſolemus. Sed illæ aliæque ſimiles quæſtiones locum nullum habent, ſi vox, *Hodie*, non hunc diem, ſed totum tempus noſtræ mortalitatis, peregrinationiſque deſignet. Si tamen poſteriorem explicationem ſequamur, ad illas quæſtiones reſpondendum erit nomine panis ſignificari generatim omnia ſubſidia vitæ neceſſaria. Et ideo non ſolùm omni die, ſed etiam omni hora, & omni momento rectè dici poſſe: *Da nobis hodiè*: quoniam nullus eſt dies, nulla hora, nullum momentum, quo in aliqua re ſubſidio Dei non egeamus, etiam ſi non omni die, vel hora Sacramento Euchariſtiæ vel pane corporali indigeamus.

Heb. 3.

5. petitio. Debita.

Quinta petitio: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Nomine debitorum non intelliguntur hoc loco, niſi peccata: non autem debita ſeruandi leges, vota, promiſsiones, & alia id genus. Nam diſertis verbis dicitur: *Et dimitte nobis peccata noſtra*. Et Dominus explicans hanc petitionem, ait: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra*. Porrò peccata dicuntur debita: tum, quia omnis, qui peccat, iniuriam facit Deo, ac per hoc debitor eſt ſatisfactionis: tum, quia omnis, qui peccat, legem Dei præuaricatur: lex autem Dei pœnam habet adiunctam, cuius luendæ fit debitor, qui legem ipſam violat: tum denique, quia commiſit Deus vnicuique noſtrum animam propriam, tanquam vineam excolendam, ex qua fructus expectat temporibus ſuis; deditque nobis talenta naturæ, & gratiæ, vt operaremur in eis: proinde qui negligunt benè operari, debitores fiunt lucri non acquiſiti, & cenſus non redditi.

Luc. 11. Matth. 6.

Solent autem Patres ex hac petitione probare tria dogmata Eccleſiaſtica. Primum eſt, omnes homines, quamuis alioqui iuſtos, & ſanctos, in hac vita non carere peccatis. Omnes enim dicunt quotidiè: *Et dimitte nobis debita noſtra*. Secundum ſequitur ex ſuperiori, eſſe quædam peccata venialia, quæ natura ſua non faciunt hominem inimicum Dei, & cum charitate ipſa conſiſtunt. Tertium eſt, poſt Baptiſmum eſſe adhuc locum pœnitentiæ, & indulgentiæ. Hæc enim oratio propria baptizatorum eſt: & quamuis videatur potiſsimùm

inſtitu-

inſtituta ad peccata venialia delenda; tamen valet etiam ad impetrandã peccatorum mortalium indulgentiam.

Quod verò addimus: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non ideò addimus, vt Deus nos imitetur, atque à nobis miſericordiam diſcat: ſed vt teſtemur, nobis miſericordiam valdè placere, viderique omninò præclarum, donare iniurias, ne fortè ſupplicantibus nobis Deus reſpondeat: Quare tu miſericordiam à me petis, qui miſericordiam odiſti? & cur audes poſtulare, vt tibi parcam, qui turpe tibi ducis, conſeruis tuis parcere?

Exiſtunt autem hoc loco quatuor dubitationes.

Prima eſt: *Quænam debita proximis noſtris dimittere neceſſe ſit, ſi nobis à Deo debita noſtra dimitti velimus?* Sed facilis eſt reſponſio. Non enim iubemur dimittere omnia debita, ſed ſolùm ea, quæ ſunt cum offenſione coniuncta: neque ea omni ex parte, ſed tantùm quoad offenſionem animi, vt videlicet non oderimus proximum, qui nos læſit, neque cum eo inimicitiam geramus. Vnde etiam fiet, vt non cogamus eum reſarcire damnum nobis illatum, ſi fortè id facere ſine maximo ſuo detrimento non poſsit: quomodo Deus, cùm nobis peccata dimittit, condonat iniuriam, atque ad amicitiam ſuam nos reconciliat, neque expetit pœnam æternam, quam ſine ſummo exitio luere non poſſemus; requirit tamen, vt temporalem ſatisfactionem minimè negligamus. Dubit. 1. Reſp.

Secunda dubitatio: *An ſatis ſit dimittere iniuriam proximo veniam poſtulanti, an verò neceſſe ſit dimittere etiam non poſtulanti?* Verius eſt, neceſſe eſſe omnibus dimittere, etiam non petentibus. Dominus enim præcipit: *Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis aduerſus alterum, vt Pater veſter dimittat vobis peccata veſtra.* Ex quo intelligimus, dimittendam eſſe iniuriam homini abſenti, ac per hoc veniam non petenti. Dubit. 2. Reſp. Mar. 11.

Tertia dubitatio: *An, qui ex animo remittit iniurias, & tamen in aliquo alio peccato voluntariè perſeuerat, poſsit hac oratione aliquid impetrare?* Dubit. 3. Reſp.

Reſpon. vel is, qui in peccato voluntariè perſeuerat, cupit ſibi dari gratiam à Deo perfectæ conuerſionis, eamque ſeriò poſtulat; vel non cupit, nec ſeriò poſtulat. Si cupit gratiam conuerſionis, quamuis interim à concupiſcentia victus, peccatum non relinquat, non inutiliter dicit Deo: *Dimitte nobis debita noſtra*; & ſi ex corde dimittat fratri ſuo iniuriam, diſponetur ad gratiam perfectæ conuerſionis adipſcendam. Nam, qui cæpit opus bonum inſpirando illi deſiderium, & petitionem conuerſionis, & donationis iniuriarum, perficiet ſine dubio, ſi perſeueret ille pulſando, & orando, vt Deus adiuuet infirmitatem ipſius; & rebellem ad ſe conuertat propitius voluntatem. Sin autem non cupit gratiam conuerſionis, neque ex animo illam petit, ſed vel ſolis labijs orat ex conſuetudine, vel (quod grauius eſt) vt videatur ab hominibus; is non ſolum nihil impetrat, ſed etiam oratio eius fiet in peccatũ, cùm in ſingulis ferè petitionibus mentiatur. Quomodo enim dicere poteſt: *Pater noſter*, qui non vult eſſe filius? Et: *Sanctificetur nomen tuum*; per quem nomen Dei aſsiduè blaſphematur? Et: *Aduenia regnum tuum*, qui nihil magis, quàm aduentum Domini timet? At: *Fiat voluntas tua*, qui ſuam, non Dei, voluntatem ſemper facit?

Quar-

Dubit.4. Quarta dubitatio eſt: *Rectè ne faciant illi, qui, cùm iniurias condonare nolint, ne mentiantur in oratione ſua Deo, verba illa prætereunt: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris?*

Reſp. Reſp. etiamſi ea verba prætereant, tamen adhuc fruſtra petunt ſibi remitti peccata, cùm Dominus tam apertè dixerit: *Si non remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter remittet vobis peccata veſtra.* Adde, quòd ij, qui neque condonant iniurias, neque cupiunt gratiam à Deo ſibi donari, qua velle incipiant iniurias condonare, etiamſi non mentiantur, dum dicunt. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; mentiuntur tamen, cùm reliquas partes orationis Dominicæ pronunciant.

6 Petitio. Duplex expoſitio. Sexta petitio: *Et ne nos inducas in tentationem.* Duæ ſunt huius petitionis explicationes. Prior eſt eorum, qui docent, his verbis peti à Deo, non quidem, vt non tentemur; ſed ne à tentatore vincamur. Poſterior eſt eorum, qui volunt id peti, vt ſimpliciter non tentemur. Poſterior ſententia videtur nobis aliquanto probabilior. Nam ſecundum modum loquendi Script. non induci in tentationem, non videtur eſſe non vinci a tentatione, ſed in tentationem

Pſal.65. non incidere. Quod enim legimus: *Induxiſti nos in laqueum*, omninò idem eſt, ac ſi dictum eſſet: Induxiſti nos in tentationem? & tamen eo loco non ſignificat Propheta, ſe Dei permiſsione à tentatione deuictum fuiſſe, ſed ſolum tentari, vexarique permiſſum, vt Pſalmus totus, ſi conſulatur, clamat. Simile eſt il-

1.Cor.10. lud: *Tentatio vos non apprehendit, niſi humana.* Idem enim videtur eſſe, apprehendi à tentatione, & induci in tentationem; & tamen non ſignificat Apoſtolus, Corinthios ab humana tentatione fuiſſe ſuperatos, ſed tantùm, fuiſſe Deo permittente tentatos. Adde, quòd, cùm tentatio, quamuis ſit interdum vtilis, ſemper ſit periculoſa propter ambiguam, incertamque victoriam, non ſolùm præſumptio eſt, illam appetere; ſed etiam humilitas, declinare, & à Deo petere, vt nos in certamen eiuſmodi non inducat.

Diſcimus verò ex hac petitione duo vtiliſsima documenta: nos videlicet ſine Dei auxilio eſſe infirmos, & imbecilles; & Satanam ſine Dei permiſsione non ſolum deijcere, ſed ne tentare quidem ſeruos Dei poſſe: proinde neque de viribus noſtris gloriari, neque Satanæ potentiam formidare nos oportere, ſi vt ſerui fideles, & humiles, de Dei auxilio ſemper, & protectione ſperemus.

7.Petitio. Malum. Septima petitio: *Sed libera nos à malo* Græci Patres omnes per malum intelligunt diabolum. Mouet autem eos articulus additus ad nomen: ſic enim legunt: ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. At Latini plerique intelligunt per malum res omnes malas, ac potiſsimum præſentis vitæ calamitates, in quas incidimus per Adę peccatum. Confirmat hanc ſententiam Eccleſiæ auctoritas, quæ in ſacrificio altaris, poſtquam dictum eſt: *Libera nos à malo*, ſubiungi inſtituit hanc veluti explicationem: *Libera nos quæſumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præſentibus, & futuris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti & à peccatis ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.* Vbi illud, *præteritis*, reſpicit petitionem quintam: *futuris* petitionem ſextam: *præſentibus*, petitionem ſeptimam: illud autem: *A peccatis ſimus ſemper liberi*, pertinet ad petitionem quintam & ſextam: illud verò: *Ab omni perturbatione ſecuri*, ad ſeptimam petitionem. Neque verò articulus Græcus multum

tum adiuuat ſententiam priorem. Nam in Script. eadem vox, πονηρός, cum ſuo articulo non raro accipitur pro re mala. *Odientes malum, adhærentes bono.* In *Rom. 12.* Græco pro voce, *malum*, eſt τὸ πονηρόν. Et: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non.* *Matth. 6.* *Quod enim his abundantius eſt, à malo eſt*, id eſt, à corruptione eſt. Græcè habetur, ἐκ τοῦ πονηροῦ.

Quintum caput eſt: *Cuius ſit orare?* Sed res facilis eſt. Non enim conuenit *Cuius ſit orare.* munus orandi, niſi Angelis, & hominibus. Eſt enim oratio actus quidam rationis, quo vnus alteri ſupplicat; inferior videlicet ſuperiori, & pauper diuiti. Ex quo ſequitur, vt nec Deo conueniat orare, cùm ipſe nullum habeat ſe ditiorem, aut ſuperiorem, quippe cui omnes dicunt: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Neque etiam beſtijs, & rebus inanimatis, quæ ſunt rationis, & orationis expertes.

Sextum caput eſt: *A quibus, & pro quibus ſit per orationem petendum?* Sed quia *A quibus, & pro quibus orandum.* duæ illæ primariæ controuerſiæ, De inuocatione Sanctorum, & oratione pro defunctis, alibi explicatæ ſunt; ſolum dubitationem illam expediemus: *Liceatne in ſpecie pro aliquo preces fundere?* Affirmatiua reſponſ. confirmatur exemplis *Dubit.* Script. Legimus enim Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, & ipſum etiam *Prob. reſp.* Chriſtum, ſpeciales orationes fudiſſe: quod nunquam feciſſent, ſi vel illicitæ, vel inutiles eſſent tales preces. Itaque Iſaac orat in ſpecie pro coniuge ſua *Gen. 25.* Rebecca: Dauid orat pro ſalute filij ſui periclitantis: Elias orat pro filio vi- *2. Reg. 12.* duæ: Onias orat pro ſalute Heliodori: Chriſtus orauit pro Petro, vt non defi- *3. Reg. 17.* *2. Mach. 3.* ceret fides eius: Oratio fiebat ſine intermiſſione à tota Eccleſia Ieroſolymi- *Act. 12.* tana pro S. Petro in carcere conſtituto: Apoſtolus Paulus petit ab Eccleſijs, *Epheſ. 6.* vt orent generatim pro omnibus Sanctis, & ſpeciatim pro ſe: Idem orari præ- *1. Tim. 2.* cipit pro omnibus generatim, & in ſpecie pro Rege, & alijs in ſublimitate conſtitutis. Neque vlla ratio eſt, cur non liceat orare pro ſingulis, ſi licet orare pro omnibus; & cur non ſit vtilior oratio, vt ſatisfactoria illi, pro quo fit, ſi pro ipſo tantum fiat, quàm ſi fiat generatim pro omnibus. Quomodo etiam eleemoſyna vtilior eſt illi, cui datur, ſi tota detur ei ſoli, quàm ſi diuidatur in multos.

Reſtat vltimum membrum: *De modo orandi:* ſiue potius, de conditionibus, *De modo orandi.* quæ requiruntur, vt quis certo impetret, quod orando poſtulat.

Sciendũ eſt autẽ primò multũ intereſſe inter meritũ, & impetrationem. *Differunt 1. meritum & impetratio.* Nam meritum requirit charitatem, & charitatem viæ, vt Theologi loquuntur; & ideò nec peccatores, neque beati mereri poſſunt; ſed ſolùm iuſti, qui peregrinantur in terris: impetratio autem non requirit charitatem viæ; immò nec charitatem quidem, ſi abſolutè de impetratione ſit ſermo; proinde non ſolum viatores, ſed etiam comprehenſores, nec ſolum iuſti, ſed etiam peccatores aliquando impetrant.

Præterea; Vt oratio ſit meritoria, non requiritur, niſi vt ab homine iuſto, *Differunt 2.* & ex charitate fiat: at verò, vt ſit infallibiliter impetratoria, multæ conditiones requiruntur. Quamuis enim Script. videatur abſolutè promittere orantibus impetrationem earum rerum, quas poſtulant: *Petite & accipietis.* Et: *Om-* *Matth. 7.* *nis, qui petit, accipit:* tamen promiſsiones iſtæ conditionem includunt, quam *Luc. 11.* expreſsit Iacobus: *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* Itaque interdum *Iac. 4.*

oratio meritoria eſt, & non impetratoria; vt cùm homo iuſtus ex charitate
2. Cor. 12. petit id, quod ſibi fortè non expedit; vt cùm Paulus ter rogauit, vt auferretur
à ſe ſtimulus carnis. Interdum eſt impetratoria, ſed non meritoria; vt cùm
beati pro nobis; vel cùm peccatores pro ſe ipſis orant; vt cùm Publicano
Luc. 18. dixit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*. Interdum eſt meritoria, & impetratoria;
vt cùm iuſti in terris cum omnibus requiſitis conditionibus orant.

Nota. Sciendum ſecundò conditiones ad infallibiliter impetrandum à Sancto
2. 2. q. 8. art. 15. Thoma numerari quatuor: videlicet, vt, qui orat, piè, perſeueranter, pro ſe,
In 4. Sent. & neceſſaria ad ſalutem poſtulet. Sed ipſe idem, cùm eodem loco, tum alibi,
diſt. 15. q. 4. indicat ad piè petendum requiri quinque conditiones: Fidem, ſpem, chari-
art. vlt. tatem, humilitatem, & deuotionem. Itaque omnes conditiones ſimul octo
erunt.

1. conditio, vt oratio ſit impetratoria. Prima eſt *Fides*. De hac enim ſcribit Apoſtolus: *Quomodo inuocabunt, in quem
non crediderunt?* Et Sanctus Iacobus: *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. Et ip-
ſe Dominus: *Quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis*.
Rom. 10. Non requiritur autem fides, qua certò credamus, Deum abſolutè facturum,
Iac. 1. quod petimus: ſed ſolum, vt certò credamus, Deum eſſe potentiſsimum, ſa-
Mar. 11. pientiſsimum, benigniſsimum, fideliſsimum, & proinde poſſe ſcire, & etiam
velle facere, quod petimus, ſi non ſit ex noſtra parte defectus. Nam hanc fi-
Matt. 9. dem quæſiuit Dominus ab illis, quibus dixit: *Creditis, quia hoc poſſum facere vo-
2. Reg. 12. bis?* Eadem fide orauit Dauid pro filio ſuo. Nam non certò crediſſe ſe impe-
2. Cor. 12. traturum, teſtantur illa eius verba: *Quis ſcit, ſi fortè donet eum mihi Dominus?* Si-
mili fide oraſſe Apoſtolum, vt ſtimulus carnis auferretur à ſe, in dubium re-
uocari non poteſt; neque enim aliud ſentire eſt de tanto Apoſtolo: & tamen
non credidit, ſe certò impetraturum, alioqui falſa fuiſſet eius fides; non enim,
quod petijt, impetrauit. Neque alia fide orat Eccleſia vniuerſa pro infideli-
bus, & peccatoribus, vt ad fidem, vel iuſtitiam adducantur: neque enim certò
credit Eccleſia infideles omnes, & peccatores eſſe conuertendos. Denique;
Nulla eſt abſoluta promiſsio Dei, qua certi efficiamur, nos abſolutè, quidquid
petierimus, impetraturos, cùm ſemper intelligatur adiuncta conditio; Si be-
nè petierimus. Igitur falſa eſſet fides, aut certè eſſet diuina, & Catholica fi-
des, ſi certò crederemus, Deum abſolutè, quidquid petierimus, eſſe factu-
rum.

2. Conditio. Secunda conditio, eaque valdè neceſſaria eſt *Spes*, & fiducia impetrandi.
Quamuis enim non oporteat per fidem, quæ eſt actus intellectus, certò ſtatue-
re, nos impetraturos, quod petimus: oportet tamen per ſpem, & fiduciam,
quæ eſt actus voluntatis, firmiter adhærere benignitati diuinæ, & certò confi-
dere, Deum facturum, quod petimus. Hanc conditionem quæſiuit Dominus
Matth. 9. in Paralytico, cui dixit: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Eandem Apo-
Hebr. 4. ſtolus requirit: *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*. Item: *Quæ verè
vidua eſt, ſperet in Deo, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die*. Eidẽ pro-
1. Tim. 5. mittit Deus impetrationem: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum; inuocabit me,
Pſal. 90. & ego exaudiam eum*. Quia verò fiducia naſcitur ex fide, ideò Script. cum re-
quirit fidem in orante, adiungit aliquid pertinens ad fiduciam, vt intelliga-
mus, requiri ad impetrandum non quamlibet fidem, ſed perfectam; quæ gig-
nit fidu-

nis fiduciam; vt ſimul credamus, Deum poſſe facere, quod petimus, & ſimul
certò confidamus, eum id, quod petimus, pro ſua benignitate facturum. Hinc
legimus: *Quicunque dixerit monti huic, tollere, & mittere in mare, & non hæſitauerit* *Mar. 11.*
in corde ſuo; ſed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. Id eſt, Quicunque
imperauerit monti, vt ſeſe transferat in mare, & non habuerit in corde ſuo
vllam diffidentiam, ſed fidem perfectam, quæ maximam etiam gignat fiduciam,
impetrabit ſine dubitatione, quod petit. De qua perfecta fide gignente
fiduciam intelligitur illud: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, &c.* *1. Cor. 13.*
Denique; hæc ipſa fides magna, parenſque fiduciam, eſt illa fides, quæ opera- *1. Cor. 12.*
tur miracula, quæ non omnibus datur, dicente Apoſtolo: *Alteri fides in eodem
ſpiritu.*

Tertia conditio eſt *Charitas*, ſiue Iuſtitia. Charitas enim ipſa eſt Chriſtia- *3. Conditio.*
norum vera perfectaque iuſtitia. Requiri autem Iuſtitiam in orante, vt cer-
tò impetret, Script. non vno in loco teſtatur. *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures* *Pſal. 33.*
eius in preces eorum. Et contrà: *Si aſpexerit iniquitatem in corde meo, non exau-* *Pſal. 65.*
diet me Dominus: Et: *Frange eſurienti panem tuum*, &c. Et mox: *Tunc inuo-* *Iſa. 58.*
cabis, & Dominus exaudiet; clamabis, & dicet: Ecce, adſum. Et contrà: *Cùm* *Iſa. 1.*
multiplicaueritis orationem, nō exaudiam: manus enim veſtra ſanguine plena ſunt. Item:
Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & *Ioan. 15.*
fiet vobis. Et: *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad* *1. Ioan. 3.*
*Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, &
ea, quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Et: *Scimus, quia peccatores non exaudit, ſed, ſi* *Ioan. 9.*
quis cultor eius eſt hunc exaudit.

Quarta conditio eſt *Humilitas*, qua is qui orat, non in ſua iuſtitia, ſed in Dei *4. Conditio.*
benignitate confidat. Vt autem huius conditionis Dominus neceſsitatem
commendaret, parabolam illam Publicani, & Pharizæi narrauit. Direxit *Luc. 18.*
enim eam parabolam ad quoſdam, qui ſe confidebant, tanquam iuſti, & aſ-
pernabantur cæteros. Hinc etiam Dominus: *Ad quem aſpiciam*, inquit, *niſi ad*
pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Et Sanctus Daniel: *Iſa. 66.* *Dan. 9.*
*Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in mi-
ſerationibus tuis multis.* Et: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & non diſcedet, do-
nec altiſſimus aſpiciat.* Et: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Et *Eccl. 35.*
Sanctus Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis.* Denique; *Iac. 4.* *Gen. 18.*
Ratio idem probat. Neque enim dignus eſt accipere, quod petit, qui non ag-
noſcit, ſe re illa, quam poſtulat, indigere. Itaque miſeri, & mendici in no-
ſtris oculis eſſe debemus, ſi miſericordiam, & gratiam impetrare deſideramus.

Quinta conditio eſt, *Deuotio*, Vocatur autem hoc loco deuotio ſtudium *5. Conditio.*
attentè, ſollicitè, diligenter, atque ardenter orandi. Reprehendit enim Do- *Iſa. 29.*
minus populum, qui ſolis labijs orat: & maledictus pronũciatur, *qui facit opus* *Matth. 15.*
Dei negligenter. Oritur autem hæc conditio, vt etiam ſuperiores, ex fide. Qui *Ierem. 48.*
enim attentè, & firmiſsima fide cogitat, quanta ſit Dei maieſtas, quanta vili-
tas noſtra, quàm magna res, quam petimus, vix fieri poteſt, vt non humiliter,
reuerenter, & ardenter ad orandum accedat.

6. Cõditio eſt, *Perſeuerantia.* Hãc Dominus ipſe & verbis, & parabolis perſua- *6. Conditio.*
dere ſtuduit. Nã parabolã narrauit illius, qui ob improbitatẽ aſsiduè petẽdi *Luca 11.*

CAPVT II.

De diuino officio, ſiue horis canonicis.

QVINQVE capita hic tractanda ſunt. Primum de nomine, & definitione diuini officij. Porrò nomen *diuini officij* extat in Concilio Aquiſgran. & in Concilio Laterano. Nomen *Horarum canonicarum* extat apud Bedam, & omnes auctores, qui de horis canonicis tractant. Dicuntur autem hæ preces, & laudes *diuinum officium*, quia in iis continetur id, quod facere debemus erga Deum. Siquidem orare, & laudare Deum, proprium eſt officium Chriſtianorum, & præſertim eorum, qui Clerici, vel Monachi dicuntur. Hinc enim Dominus per Iſaiam ait: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus.* Quod non ſolum de materiali domo, id eſt, de Templis, & Oratorijs, ſed etiam de myſtica domo Dei, quæ ſumus nos, intelligendum eſſe videtur. Hoc enim intereſt inter Chriſtianos, & alias omnes Gentes, quòd, cùm illæ in induſtria, & viribus ſuis confidant, quippe quæ peccatum originis, & naturæ humanæ corruptionem, & infirmitatem ignorant; Chriſtiani de Dei auxilio in rebus omnibus præſumunt, atque ideo in rebus omnibus ad Deum per orationem confugiunt, atque opem, & miſericordiam illius implorant, vt non potuerit breuius Eccleſia definiri, quam domus orationis. Et quamuis officium orandi temporale ſit, nec diutius duraturum, quàm peregrinatio ipſa durabit; tamen officium laudandi ſempiternum erit, iuxta illud: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Dicuntur autem eædem laudes, & preces, *Horæ canonicæ*, quia certis horis recitari debent iuxta canones, & regulas S. Patrum.

De nomine. *Iſa. 56.* *Pſal. 83.*

Porrò, ſi quis definitionem officij diuini fortè deſiderat, ita accipiat: *Diuinũ officium eſt certa ratio publicè laudandi precandiq́ue Deum, mente ſimul, & voce, auctoritate Præſulum Eccleſiæ inſtituta.*

Definitio Officij diuini.

Dicitur primò *certa ratio*, quoniam non quælibet Dei laudatio, vel ad Deũ oratio eſt officium diuinum, ſed certa quædam forma, & ordo Pſalmorum, Hymnorum, & precum, quem omnes ſequi debent, qui diuinum officium ex obligatione perſoluunt.

Additur ſecundò *publicè*, quoniam officium diuinum perſoluitur publico nomine Eccleſiæ totius, pro bono communi, & publico, per publicos, & ſolennes miniſtros. Atque ea cauſſa eſt, cur, etiamſi dicatur interdum ab vno homine, & in priuata domo, tamen non omittuntur voces illæ: *Dominus vobiſcum, Oremus, Benedicamus Domino*, &c. Dicuntur enim toti Eccleſiæ, & nomine eiuſdem Eccleſiæ ipſe ſibi reſpondet: *Et cum ſpiritu tuo, Deo gratias.*

Additur tertiò, *laudandi, precandiq́ue*, quia hæc duo continet officium, de quo agimus; laudes pro beneficijs acceptis, preces pro accipiendis. In quo differt

officium Eccleſię militantis ab officio Eccleſię triumphantis: officium enim Eccleſiæ triumphantis, quando poſt vltimum iudicij diem in omnibus ſuis membris triumphabit, ſolas laudes continebit.

Pſal. 49. Additur quartò, *Deum*, quoniam totum hoc officium propriè ſoli Deo prętatur. Eſt enim ſacrificium labiorum, de quo legimus: *Immola Deo ſacrificium laudis.* Neque mouere nos debet, quòd aliud appelletur officium de Sanctis, aliud de mortuis, aliud de tempore, &c. Dicitur enim de ſanctis, quando offertur Deo in memoriam ſanctorum, & cùm in ſanctis ſuis Deus ipſe laudatur. Dicitur verò de mortuis, quando pro mortuorum refrigerio, & requie Deum precamur.

Denique; ſiue à ſanctis, ſiue à mortuis, ſiue à quacunque alia re officium nominetur, ſemper Pſalmi, Hymni, Collectæ, & cæteræ diuini officij partes diriguntur ad Deum.

Additur quintò, *mente ſimul, & voce*, quia huius officij forma, cùm ex præſcripto, & inſtituto hominum ſit, actum externum neceſſariò poſtulat. Quare muneri ſuo non ſatisfaceret, qui ſola mente orans, & laudans, non etiam voce, verba omnia diſtinctè, integrèque proferret.

Additur poſtremò, *auctoritate Præſulum*, &c. Nemo enim poteſt certam formam prçſcribere, niſi qui præeſt.

Partitio Officij diuini. Alterum membrum eſt de partitione eiuſdem officij: Partes autem diuini officij, Aliæ ſunt Maiores, Aliæ Minores. Maiores ſunt Nocturni, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, Completorium. Minores ſunt Pſalmi, Hymni, Lectiones, Cantica, Antiphonæ, Reſponſoria, Litania, Verſus, Capitula, Collectæ. Et quoniam partes maiores à tempore nomen accipiunt, vt nominum ratio cognoſcatur, neceſſe erit de tempore ſingularum horarum breuiter tractare.

Nota. Sciendum igitur, nomina horarum canonicarum propriè ad eas horas accommodatas eſſe, quę apud veteres erant in vſu; quęque inæquales, vel planetariæ dici ſolent. Initium earum horarum ducitur ab ortu Solis, ita vt hora prima dicatur, quæ eſt prima ab ortu Solis, ſecunda quæ eſt ſecunda ab eodem Solis exortu; & ſic deinceps. Dicuntur autem inæquales, quoniam, cùm per totum annum in duodecim horas diem artificialem veteres diſtribuerent, & in totidem noctem; neceſſario fiebat, vt in æſtate longiores eſſent horæ diurnæ nocturnis; & contra, in Hyeme nocturnæ diurnis. Eiuſmodi horas

Ioan. 11. Matt. 20. Ioan. 1. Ioan. 4. Chriſti tempore in vſu fuiſſe, teſtatur Euangelium: *Nónne duodecim ſunt horæ diei.* Alibi etiam mentio fit horæ primę, tertiæ, ſextæ, nonæ, vndecimæ. Item fit mentio horæ decimæ, & horæ ſeptimæ.

4 Vigiliæ noctis. Sciendum ſecundò, duodecim horas noctis diuidi ſolitas eſſe in quatuor vigilias, quarum prima incipiebat ab occaſu Solis, & terminabatur in horam tertiam noctis: ſecunda incipiebat ab hora tertia, & terminabatur in ſextam: tertia incipiebat à ſexta, & terminabatur in nonam: quarta, quæ propriè dicebatur vigilia matutina, incipiebat à nona, & terminabatur in duodecimam. Meminit harum vigiliarum Chri-

Mar. 13. Luca 12. ſtus Dominus: *Vigilate ergò: neſcitis enim, quando Dominus veniet, ſerò, an media nocte, an galli cantu, an manè?* Quod autem hoc loco dixit: *Media nocte, an galli cantu,*

cantu, alibi dixit: *Si venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit*. Et quod dixit, *manè*, dixit idem Marcus *quartam vigiliam noctis*. Habemus etiam in veteri Teſtamento *initium vigiliarum*: Et *vigilias noctis media*: Et *vigiliam matutinam*. Sicut autem ex 12. horis nocturnis tertia quæque habebatur potiſsima, videlicet tertia, ſexta, nona, duodecima, in quibus nocturnæ vigiliæ terminabantur: ſic etiam ex diurnis, tertia, ſexta, nona, duodecima, ſiue veſpertina, plerumque nominari, & ad celebriora negotia deputari ſolebant, quòd inſigniores eſſent, & diem in quatuor partes æquales diuiderent. His notatis non erit difficile tempus canonicum ſingularum officij diuini partium exprimere. *Mar. 6.* *Thren. 2.* *Iud. 7.* *Exod. 14.*

Ac primùm, quòd attinet ad Nocturnos, varia fuit Eccleſiarum conſuetudo. Alicubi apud veteres tres Nocturni tribus diſtinctis horis, id eſt, tribus vigilijs nocturnis, celebrabantur. Alibi tamen Nocturnos omnes ſimul, ſed præcipuè media nocte celebrare ſolebant iuxta illud: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. Hoc enim tempus diſertis verbis præſcribunt Sancti Patres. Alibi denique Nocturni cum laudibus iunguntur matutinis, & in quarta vigilia, quæ & matutina dicitur, celebrãtur. Diuina autem prouidentia factum eſt, vt, quamuis nulla iam ſit Eccleſia, quæ ſingulis nocturnis vigilijs Deum laudet, tamen aliqua monaſteria nocturnum officium celebrent in prima vigilia, aliqua in ſecunda, aliqua in tertia, & totus ferè clerus in quarta, atque ita, ſi non ab ijſdem, certè à diuerſis hominibus laudes diuinæ ſingulis nocturnis vigilijs celebrentur. *Nocturni horarum.* *Pſal. 118.*

Iam verò Laudes matutinæ, cum quibus iuxta Breuiarij Romani formam nocturni iunguntur, ſine vlla dubitatione in aurora celebrari debent vt tempus canonicum laudum ſit ab initio crepuſculi matutini vſque ad ortum Solis. *Laudes.*

Id quod perſpicuum eſt, tum ex nomine: id enim eſt propriè officium, quod matutinum à veteribus omnibus nominatur: tum ex hymnis, qui in laudibus decantantur; in plurimis enim eorum fit mentio auroræ: tum denique ex communi omnium conſenſu: nulli ſunt enim auctores, qui contrà ſentiant. Atque hæc eſt cauſſa, cur Eccleſia in nocte Natalis Domini ſeiungat nocturnos à laudibus, & Miſſam celebret ante laudes. Quoniam enim vetere inſtituto Miſſa illa circa mediam noctem celebrari debet, nimis præuerteretur tempus laudum, ſi ante mediam noctem laudes canerentur.

Ex quo intelligimus, minus abſurdum eſſe, nocturnos à laudibus ſeparare, quàm totum illud officium ante mediam noctem perſoluere. Neque moueri debemus ex eo, quod in triduo ante Paſcha Eccleſia ipſa publicè nocturnum Officium, & laudes ad veſperam canere ſolet. Nam ratione myſterij, deditaque opera iſta fiunt. Ideò enim tribus illis diebus officium matutinum Sole occidente celebratur, & in tenebras deſinit, vnde & nomen accipit: tum, vt repræſentetur occaſus Solis iuſtitiæ: tum, vt ſignificentur tenebræ gentis Iudaicæ, quæ Dominum abnegauerat, & crucifixerat. Quod idem extinctio candelarum, & alia ſigna mœſtitiæ, quæ in officio illo exhibentur, ſatis apertè demonſtrant.

Officium

Prima. Officium Primæ prima hora diei celebrandum eſſe, ac per hoc tempus eius canonicum eſſe ab ortu Solis vſque ad finem primæ horæ, docet nomen ipſum primæ; docet Hymnus ille: *Iam lucis orto ſydere*; docent Collectæ verba illa: *Qui nos ad principium huius diei peruenire feciſti*; docent auctores plurimi.

Tertia, Sexta, Nona. Officium trium horarum, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, illis ipſis horis celebrandum eſſe, non eſt dubium. Quoniam autem horæ illæ inæquales non ſunt iam amplius in vſu, propterea tempora illa accipienda ſunt, quæ horis illis in noſtra ſupputatione reſpondent. Quod nullo negotio fiet, ſi quis aduertat, in quas horas Solis ortus, & occaſus, & meridies incidant. Nam hora ſexta inæqualis, quæ eſt hora orationis ſexta, ſemper incidit in meridiem. Hora tertia inæqualis ſemper incidit in illud tempus, quod eſt medium inter ortum Solis, & meridiem. Hora nona inæqualis in illud incidit, quod eſt medium inter meridiem, & occaſum.

Dubiũ. Sed exiſtit dubitatio circa tres iſtas horas canonicas: *Sitne tempus legittimum perſoluendi officium horarum, poſteaquam horæ ipſæ finitæ ſunt, an poſteaquam labi cœperunt?*

Reſp. Poſterius eſt veriſsimum. Nam certum eſt, officium laudum matutinarum non eſſe celebrandum hora duodecima completa, id eſt, orto iam Sole, ſed hora duodecima labente, ac per hoc in aurora, vt omnes conſentiunt. Pari ratione officium Primæ ſatis conſtat non eſſe celebrandum hora prima exacta, ſed labente, id eſt, paulò poſt ortum Solis: Cur igitur non idem dicemus de officio tertiæ, ſextæ, & nonæ?

Veſpera. Sequitur Veſpertinum officium, de quo varias video eſſe ſententias: ſed ego mihi omninò perſuaſi, tempus canonicum Veſperarum eſſe horam duodecimam, atque poſtremam totius diei, non quidem exactam, ſed labentem. Nam omnes ferè veteres ſcribunt, Veſpertinum officium celebrandum eſſe in fine diei. His accedat ratio ex proportione, quam habet officium Veſpertinũ cum Matutino, id eſt, cum laudibus: has enim vocant omnes veteres Matutinum. Sunt enim hæc duo officia valdè ſimilia. Nam habent ſæpe Antiphonas eaſdem, eundem Hymnum, idem capitulum, eaſdem commemorationes, eundem numerum, & ordinem Pſalmorum. Igitur par eſt, vt, ſicut Matutinum celebratur paulò ante ortum Solis in extrema hora noctis; ita Veſpertinum celebretur paulò ante occaſum Solis in extrema hora diei. Quod item confirmatur ex illis verbis Hymni: *Iam Sol recedit igneus, infunde lumen cordibus.* Denique ex eo, quod veteres Veſpertinum officium accenſa lucerna celebrandum eſſe dicunt.

Completorium. Reſtat officium Completorij, quod non eſt æquè antiquum, ac officia reliquarum horarum. Tempus autem canonicum Completorij eſt initium noctis ante finem crepuſculi veſpertini. Id enim ſatis apertè colligitur ex omnibus antiquis auctoribus: ad quorum auctoritatem accedit manifeſta ratio. Nam officium Primæ, & Completorij eam inter ſe proportionem, & ſimilitudinem habent, quam Matutinum, & Veſpertinum. Sunt enim officia ſimillima, cùm habeant eundem numerum, & ordinem Pſalmorum, & precum, & præterea ſymbolum, & confeſsionem, &c. Sicut igitur officium Primæ

perſoluitur

perſoluitur prima hora diei; ſic officium Completorij perſolui debet prima
hora noctis. Quemadmodum quia laudes matutinæ celebrantur vltima hora
noctis, veſpertinæ laudes celebrari debent vltima hora diei.

¶ Tertium caput eſt de ipſius officij antiqua, & rationabili inſtitutione. Et *Antiquitas*
quidem, quod ad horas attinet, habemus exempla Prophetarum, & Apoſto- *Officij di-*
lorum. Propheta Dauid *ſepties in die laudem dicebat Deo.* Quod ſi ille in bellis, & *uini.* *Pſal. 118.*
regni adminiſtratione occupatus, ſepties in die ſine intermiſsione Deum pre-
cabatur, & laudabat, cur non Sacerdotes, quorum proprium munus eſt vaca-
re Deo, id faciant? Et quidem de nocturna oratione idem Dauid: *Media nocte* *Ibid.*
ſurgebam ad confitendum tibi. Dominus quoque non ſolùm media nocte orabat, *Luca 6.*
ſed etiam *in oratione pernoctabat.* Et Apoſtolus Paulus, & Silas in ipſo etiã car-
cere *media nocte orantes laudabant Deum.* *Act. 16.*

De laudibus matutinis habemus illud: *Manè exaudiet vocem meam, manè aſta-* *Pſalm. 5.*
bo tibi, & videbo. Et illud: *In matutinis meditabor in te.* Et: *Præuenerunt oculi mei ad* *Pſal. 62.* *Pſal. 118.*
te diluculo, vt meditarer eloquia tua.

De Prima, Tertia, Sexta, Nona, explicat Beda illud: *Legerunt in volumine le-* *2. Eſd. 9.*
gis Domini Dei ſui quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum
ſuum. Item illud: *Tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturq́;* *Dan. 6.*
coram Deo; Exponunt Cyprianus, & Hieronymus de Tertia, Sexta, & Nona.
Eaſdem horas legimus in Actibus Apoſtolorum. Nam hora tertia Apoſtoli
orantes accipiunt Spiritum S. Hora ſexta Princeps Apoſtolorum aſcendit in *Act. 2.*
ſuperiorem ædium partem, vt orationi vacaret. Denique; *Petrus, & Ioannes aſ-* *Act. 10.* *Act. 3.*
cendebant in templum ad horam orationis nonam.

De officio Veſpertino Propheta Dauid: *Veſpere, & manè, & meridie narrabo,* *Pſal. 54.*
& annunciabo, & exaudiet vocem meam. Et: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſ-* *Pſal. 140.*
pertinum. Habemus etiam plurima teſtimonia Patrum: nunquam enim in Ec-
cleſia Chriſtiana non fuit conſuetudo laudandi, precandiq́ue Deum, noctur-
no tempore, & præterea manè, hora tertia, ſexta, nona, & ad Veſperas. Ra-
tiones denique, & cauſſæ huius inſtitutionis variæ adferuntur à Patribus: ſed
tres videntur eſſe præcipuæ.

Prima eſt, vt videlicet in honorem Sanct. Trinitatis tertia quaque hora *1. Ratio*
Deum laudemus. Nam horæ canonicæ antiquiſsimæ ſunt, Tertia, Sexta, *inſtitutionũ*
Nona, Duodecima, quæ totum diem in quatuor ternarios horarum diuidũt; *horarum.*
quibus addebantur quatuor vigiliæ nocturnę, quæ terminabantur hora ter-
tia, ſexta, nona, duodecima noctis, & noctem totam in alios quatuor hora-
rum ternarios diuidebant.

Secunda ratio eſt, vt beneficium creationis commemoremus, & pro eo *2. Ratio.*
conditori rerum omnium gratias agamus. Ideò enim ſunt horæ ſeptem diur-
næ, quia ſeptem diebus creauit Deus cœlum, & terram, & omnia, quę in cœ-
lo, & in terra continentur. Additur autem hora octaua, id eſt, officium no-
cturnum, pro ſpe reſurrectionis, quę per diem octauã ſignificari ſolet. Noctu
autem futuram reſurrectionem Dominus ipſe admonuit: *In illa nocte erunt duo* *Luca 17.*
in lecto vno, vnus aſſumetur, alter relinquetur. Et: *Media nocte clamor factus eſt: ecce* *Matt. 25.*
ſponſus venit, &c.

Tertia ratio, eaq́ue potiſsima, eſt ad memoriam Redemptionis conſer- *3. Ratio.*

uandam. Nam præcipua redemptionis myſteria his horis completa eſſe noſcuntur. Hora veſpertina (inde enim officium Eccleſiaſticum initium ſumit) Chriſtus cœnam cum diſcipulis fecit, pedes eorum lauit, Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, hora completorij poſt orationem in horto, & ſudorem ſanguinis, comprehenſus ab inimicis, atque ad Annam, & Caipham ductus, varijs modis illuſus fuit. Hora matutina in Concilio Pontificum & Phariſæorum initum eſt conſilium de ratione perdendi Chriſtum. Hora prima ductus eſt Dominus ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & rurſus reductus ad Pilatum. Hora tertia crucifixus eſt vocibus Hæbreorum, flagellis cæſus, & ſpinis coronatus à militibus Pilati. Hora ſexta crucifixus reipſa, atque à terra exaltatus, maximũ Deo Patri pro totius mundi ſalute ſacrificiũ immolauit. Hora nona ſpiritum emiſit, ad inferos deſcendit, regnũ Satanæ deſtruxit. Rurſus hora veſpertina de cruce depoſitus, & in ſepulchrũ illatus eſt. Hora cõpletorij dum ipſe quieſceret in tumulo, ſepulchrũ ipsũ ab inimicis ſignatũ, fuit, & militũ cuſtodijs ſeptũ atque munitum. Hora matutina, id eſt, ſub auroram, reſurrexit, redemptionemque perfecit. In cuius rei figuram in vigilia matutina Deus olim Pharaonem cum exercitu ſuo demerſit in mare, & filios Iſraël liberauit. Hora prima apparuit ſanctis mulieribus. Hora tertia deſcendit Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolos. Hora ſexta Sanctus Petrus orans mandatum accepit, vt Gentiles admitteret ad Eccleſiam: & eadem hora coapoſtolus eius Paulus Chriſto ſibi apparente conuerſus, & ad prædicandum Gentilibus deſtinatus eſt. Hora nona primitiæ Gentium, Cornelius Centurio Angelico miniſterio ad Apoſtolum Petrum audiendum miſſus eſt. His rationibus addi poteſt confirmatio ex eo, quòd ſatis conſtat ex Ioanne Caſſiano, non ſolùm humano, ſed etiam Angelico miniſterio, canonicarum horarum ordinem conſtitutum. Item, ex eo, quòd narrat Ado Treuirenſis in Martyrologio, occiſa magna copia Sacerdotum in perſecutione Diocletiani, auditam fuiſſe circa eorum reliquias cœleſtem Pſalmodiam manè, & veſperi, & rurſus hora tertia, ſexta, & nona. Quæ ſanè manifeſta ſunt indicia, quòd hæc religio ſtatis horis Deum laudandi, quam ſancti illi Martyres, dum viuerent, ſemper tenuerant, Deo non mediocriter placeat. Denique; Illud etiam addi poteſt, vſque adeò antiquis temporibus ſtudium celebrandi canonicas horas in Eccleſia floruiſſe, vt Iulianus Apoſtata inuidens Chriſtianis hoc ornamentum, iuſſerit Sacerdotibus Idolorum, vt ipſi quoque ſimilem formam ſtatis horis prædicandi, & laudandi Deos in ſuis fanis inſtituerent.

lib. 2. de inſtitutis Cœnobiorum, c. 4. & 5.

Ad 9. diem Ianuarij.

Nunc de ijs, quæ in ipſis horis canuntur, aut leguntur, breuiter dicendum eſt. Sunt autem hæc: Pſalmi, Cantica, Hymni, Lectiones, Reſponſoria, Antiphonæ, Litania, Capitula, Collectæ, Symbolum, & Confeſsio.

Pſalmi, & Cantica.

Et quidem Pſalmi, & Cantica reprehendi non ſolent, nec poſſunt, cùm omnia habeantur in diuinis litteris, excepto Cantico: *Te Deum laudamus*, &c. Fuiſſe autem in vſu apud Chriſtianos ab ipſo exordio naſcentis Eccleſię, vt in conuentibus Eccleſiaſticis Pſalmodia primum locum haberet, cognoſci poteſt ex illo loco Apoſtoli: *Cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrum Pſalmum habet*. Item ex Tertulliano, & Concilio Loadicæno. Porrò Canticum, *Te Deum laudamus*

1. Cor. 14.

laudamus, non habetur quidem in Scripturis, tamen compoſitum fuit Deo inſpirante, à Sanctis Patribus, Ambroſio, & Auguſtino, qui ſtatim à Baptiſmo eiuſdem Auguſtini, toto populo obſtupeſcente Canticum illud alternatim, & ex tempore cecinerunt. Mox ab vniuerſa Eccleſia frequentari cœpit.

De Hymnis ſuperadditis habemus teſtimonium Apoſtoli, qui Pſalmis, & Canticis Hymnos adiungit. Videtur enim Hymnorum nomine intelligere carmina ſpiritualia, quæ Chriſtiani illius temporis componebant. *Hymni. Coloſſ. 3. & Epheſ. 5.*

Lectiones præcipuè leguntur in officio nocturno, partim ex Scripturis, partim ex homilijs patrum, partim ex vitis ſanctorum. Vſum lectionum antiquiſsimum eſſe in Eccleſia, perſpicuum eſt ex Patribus & Concilijs. Ante lectiones præcedit benedictio: de qua notandum propter humilitatem non petere Lectorem à Sacerdote, vel Pontifice, vt ipſe benedicat, ſed vt iubeat ab alio benedici; Sacerdotem autem, vel Pontificem, vt vicem reddat humilitati, nec per ſe, nec per alium benedicere, ſed benedictionem Lectori, & cæteris omnibus ab ipſo Deo precari. *Lectiones*

Poſt Lectiones ſequuntur Reſponſoria, quæ ab Italicis Eccleſijs primùm inuenta, ad alias Eccleſias diminarunt. Certè Sancti Benedicti tempore iam erant in vſu, vt ex ipſius regula intelligi poteſt. Appellantur autem Reſponſoria, quoniam inchoante vno ab alijs reſpondetur. *Reſponſoria.*

Capitula nihil aliud ſunt, niſi breuiſsimæ Lectiones, quæ in ſingulis horis diurnis dicuntur, & ſemper ex ſacris litteris depromuntur. *Capitula.*

Antiphonæ, vt plurimum, cum Pſalmis coniunguntur, aliquando etiam ſeorſim canuntur. Significat autem Antiphona vocem reciprocam, & per Antiphonam canere nihil eſt aliud, niſi alternatim canere. Porrò vſum Antiphonarum, item, alternatim canendi Pſalmos, ex Angelica admonitione, atque exemplo Sanctum Ignatium didiciſſe, & Antiochenæ Eccleſiæ tradidiſſe, Socrates ſcribit. De alijs alibi dictum eſt. *Antiphonæ. l. 6. hiſt. c. 8.*

Porrò ex omnibus officij partibus nihil eſt, quod magis hæreticis noſtri temporis diſpliceat, quàm Antiphona illa: *Salue Regina*, &c. Oſtendamus itaque ſingulas partes huius Antiphonæ in Beatam Mariam rectiſsimè conuenire. *De Salue Regina.*

Primò dicitur, *Regina*: nam & omnes beati Reges ſunt, quibus dicitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Et: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum.* Et ipſa præterea, cum ſit vera mater Regis Regum, Reginæ appellationem ſingulariter meretur. *Matth. 5. Matth. 25.*

Secundò dicitur, *Mater miſericordiæ*; tum, quia Chriſti mater eſt, per quem miſericordiam à Deo conſecuti ſumus; tum, quia nobis quotidiè à Deo miſericordiam precatur, & impetrat; tum denique phraſi Hebraica, quaſi mater valde miſericors. Quomodo etiam illud accipimus: *Pater miſericordiarũ*, id eſt, Pater ſummè miſericors.

Tertiò dicitur, *Vita*; non quòd ipſa ſit vita per eſſentiam; quomodo eſt Deus; neque quòd ſit principalis cauſſa vitæ; quomodo de Chriſto dicitur: *Auctorem verò vitæ interfeciſtis.* Sed quòd Chriſtum peperit, & per illum facta ſit mater omnium viuentium vita ſpirituali. Sic enim Heua dicta eſt vita: vox enim hebræa, *Hauua*, vitam ſignificat, quia mater erat futura *Act. 3.*

 omnium

omnium viuentium vita animali.

Quartò dicitur, *Dulcedo*; quod nomen optimo iure in Deiparam conuenire teſtantur innumerabilia beneficia, quibus illa ſemper conſolata eſt, & quotidie conſolatur afflictos. Neque enim eſt angulus orbis terræ, in quo non luceat memoria aliqua beneficiorum eius.

Ad Philem. Et ſi potuit Apoſtolus dicere Philemoni: *Ita frater, ego te fruar in Domino*, cùm tamen frui propriè non quadret, niſi in ſummum bonum, & ipſam dulcedinem, quæ per ſe ipſa expetenda eſt: cur non liceat nobis eodem tropo dulcedinem vocare Matrem Dei, per quam non quorundam Sanctorum, vt per Philemonem, ſed omnium omninò viſcera requieſcunt?

Quintò dicitur, *Spes noſtra*; quoniam poſt Dominum in ipſius potiſſimùm interceſsione confidimus. Neque enim ſpes in auctore ſolùm boni reponi debet, ſed etiá in interceſſoribus, & miniſtris. Itaque Dominus, cùm Iudæis ait: *Ioan 5.* *Eſt, qui vos accuſet, Moyſes, in quo vos ſperatis*; non illos reprehendit, quod ſperarét in Moyſe, ſed quòd Moyſi non crederent.

Sextò rectè additur: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Nam certè non minus eſt ſaluare homines, quàm oſtendere illis Saluatorem. Poſſe autem rectè dici ſaluari homines ab hominibus, perſpicuum eſt ex his locis: *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Item: *Et teipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt.* Et: *Qui autem conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ ſaluabit animam eius.* Et: *Illos verò ſaluate de igne rapientes.*
1. Cor. 9. *1. Tim. 4.* *Iac. 5.* *Iud. epiſt.* Iam verò, ſi Apoſtoli non timuerunt dicere, ſaluari homines ab ijs, qui verbo, exemplo, orationibus ſtudent animarum ſaluti; cur Eccleſia timeat dicere Virgini cum Chriſto regnanti, & primum locum in cœlo poſt ipſum obtinenti, vt Ieſum nobis poſt hoc exilium oſtendat? Id enim ſano modo intelligi debere, id eſt, per interceſsionem, nemo Catholicus dubitat.

Sicut & illud: *Da mihi virtutem contra hoſtes tuos*: & ſi quæ ſunt alia.

De modo perſoluendi officium. Quæſt. 1. Reſp. Prob. Luc. 2. Quartum caput eſt de modo ritè officium perſoluendi. Duæ autem de eo quæſtiones ſunt: Vna eſt de genere vocis; *cantúſne, an ſimplex pronunciatio ſit in officio adhibenda?* Nos breuiter conſuetudinem Eccleſiæ, quam in canendo ſeruat, antiquam, & rationabilem eſſe demonſtrabimus.

Habemus primò exemplum Angelorum, qui nato Chriſto magnis vocibus canebant: *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ex quo verba illa Canticum Angelorum nominari cœperunt.

Habemus ſecundò exempla Patrum veteris Teſtamenti, ac præſertim Regis, & Prophetæ Dauid, qui non ſolùm Pſalmos plurimos compoſuit, & choros cantorum inſtituit; ſed etiam hortatur, vt muſicis inſtrumentis Dominum laudemus.

Pſal. 156. Habemus tertiò exemplum à Chriſto ipſo approbatum. Nam, cùm obuiam illi venirent turbæ, & magnis vocibus canerent: *Benedictus, qui venit in*
Matth. 21. *nomine Domini, hoſanna in excelſis*; non tantum non eas prohibuit, ſed etiam Phariſæos, & Scribas volentes prohibere compeſcuit.

Habemus quartò exemplum ipſius Domini, & diſcipulorum eius. Si-
Matth. 26. quidem poſt cœnam. *Hymno dicto exierunt in montem oliueti.* Non enim ſimpliciter

titer pronunciatum ſed verè, propriéque cantatum hymnum illum fuiſſe à Chriſto, & Apoſtolis, colligitur ex ipſa voce Græca, ὑμνήσαντες. Nam ita proprium eſt hymnorum, vt canantur, vt, niſi canantur, hymni vocari non poſſunt.

Habemus quintò exemplum Pauli, & Silæ, qui media nocte orantes hymnos decantabant. Id enim ſignificat illud, προσευχόμενοι ὕμνουν. Clara autem, & elata voce illos ceciniſſe, perſpicuum eſt ex eo, quod audiebantur ab alijs, qui in cuſtodia erant. *Act. 16.*

Habemus ſextò præceptum Apoſtoli, qui monet Chriſtianos, *vt in Pſalmis, & hymnis & Canticis ſpiritualibus ſe exerceant.* *Ephes. 5. Coloſſ. 3.*

Habemus ſeptimò traditionem Eccleſiæ, tum ex primarijs partibus orbis terræ, tum ex ſingulorum Patrum teſtimonijs.

Habemus octauò rationes ductas ab vtilitate eximia, quæ in hoc inſtituto cernitur.

Prima vtilitas, quæ ex cantu percipitur, eſt illa, quòd accendant pia cantica non parum audientium animos. *1. Vtilitas cantus.*

Secunda eſt, quòd faciliùs & libentius Deo laudes perſoluuntur, quando officium diuinum, alioqui prolixum, & graue, quadam cantus iucunditate conditur. Quam enim ob cauſſam Spiritus Sanctus voluit diuinas laudes à Prophetis carmine ſcribi, ob eandem vtile fuit, vt eiuſmodi carmina non ſimplici pronunciatione, ſed cantu celebrarentur. *2. Vtilitas.*

Tertia vtilitas eſt, quòd hac ratione teſtamur Ethnicis, & hæreticis, non erubeſcere nos fidem noſtram, quoniam fidei dogmata, quæ ab Ethnicis, vel hæreticis irridentur, nos cantu, ac verſibus celebrare non dubitamus. *3. Vtilitas.*

Quarta vtilitas eſt, vt Chriſtiani teſtentur, ſibi diuinam legem non eſſe moleſtam, & grauem, ſed iucundam, & ſuauem ſequi eam non ex timore, ſed amore ſeruare iuxta illud: *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* *4. Vtilitas. Pſal. 118.*

Quinta vtilitas eſt, vt Deo noſtro perfectum omni ex parte reddamus obſequium, dum & animo ardentiſsimis votis, & corpore clariſsima voce laudes eius celebrare contendimus. *5. Vtilitas.*

Altera quæſtio eſt de ijs, quæ requiruntur ad officium ritè perſoluendum. Poſſunt autem illa ad ſeptem capita reuocari: videlicet ad integritatem, ordinem, qualitatem, locum, tempus, attentionem, deuotionem. *Quæſt. 2.*

Integritas inprimis obſeruanda eſt, quoad numerum, vt ſeptem horarum diurnarum, & vtrius, vel trium nocturnarum officium integrè perſoluatur. Cùm enim hæ ſint partes officij principales, qui vel vnam ex his partibus ſciens & prudens, & non legitimè impeditus omitteret, lethali crimine ſe obſtringeret. Integritas deinde ſeruāda eſt quoad partes minores, vt Pſalmos, Hymnos, Lectiones, nec non etiam quoad alia ſingula verba. In qua re non leuiter peccant nonnulli qui praua conſuetudine dimidiata verba pronunciant. *Integritas Officij.*

Ordo in eo poſitus eſt, vt ſingula ſuo loco ponantur, & officia, priorum horarum prius, poſteriorum poſterius abſoluantur: quanquam, *Ordo.*

ſi quis fortè ſecus fecerit, non ideò repetere cogatur, quod ſuo loco non recitauit.

Dubit. Reſp. De ordine inter officium horarum, & officium Miſſæ diſputari ſolet. Mihi probabilis videtur ea ſententia, quæ habet, nullum eſſe ordinem eſſentialem inter Miſsam, & horas canonicas: ſed conſuetudo Eccleſiaſtica ſeruat, vt ante Miſſam perſoluantur officia Laudum, & Primæ, quoniã iuxta veteres canones Miſſa celebrari non poterat, niſi hora tertia, vel ſexta, vel nona. Ceterum, ſi quis ante ortum Solis, quod hoc tempore permitti non eſt dubium, Miſſam celebrare velit, rectiùs faciet, ſi officiũm Primæ ſacrificio Miſſæ poſtponat, quàm ſi præponat. Quod Eccleſia ipſa Catholica exemplo ſuo nos docet, cùm in nocte Natalis Domini non alia de cauſſa Miſſas celebrari iubeat ante officium, non ſolum Primæ, ſed etiam laudum, niſi quia media nocte nõ eſt canonicum tempus Laudum, aut Primæ. Quia tamen communis conſuetudo fidelium id habere videtur, vt peccato mortali ſe obſtringere cenſeatur, qui abſque graui neceſsitate Miſſam celebrare præſumit Matutino officio non expleto, & quia id expreſsè præſcribitur in Rubricis Rom. Miſſalis, ſine dubio tutius eſt hoc ſequi, quàm propter probabilem aliquam rationem periculo peccandi ſe exponere.

In principio. & Tit. De defect.

Qualitas Officij. Qualitas officij tunc obſeruatur, cùm & clerici ſuarum Eccleſiarum, & Monachi ſuorum Ordinum formam ſequuntur. Conſtat enim aliam eſſe formam Rom. Breuiarij, aliam Leodienſis, aliam Salisburgenſis, aliam Mediolanenſis, aliam aliarum quarundam ciuitatum: & rurſus aliam Monachorum Sancti Benedicti, aliam fratrum Prædicatorum. Et quamuis Cardinalis Caietanus doceat, non peccare lethaliter Clericos, ſiue Monachos, qui Rom. Breuiarium eligunt, propriæ Eccleſiæ, vel Ordinis Breuiario prætermiſſo, tamen non eſt id vſque adeò certum, vel tutum, niſi fiat de conſenſu Epiſcopi, & totius Capituli, iuxta conceſsionem Pij V.

In Bulla ad initium Breuiarij. Cuius rei duplex eſt ratio. Vna; quia, quemadmodum Clericus, quia Eccleſiæ mancipatus, atque addictus eſt, ad officium Eccleſiaſticum obligatur: ſic etiam, quia tali Eccleſiæ ratione beneficij eſt addictus, talis Eccleſiæ officium recitare debet. Altera; quia Concilium Viennenſe non indulget Clericis, & Monachis, vt officium diuinum recitare poſsint iuxta formam officij Epiſcoporum, vel Cardinalium, cum quibus fortè viuunt, niſi alioqui ex præcepto Eccleſiarum ſuarum, vel ordinum formam officij diuini ſequi teneren-tur. Porrò qui nec certæ Eccleſiæ, nec alicui Ordini Religioſo addicti ſunt, vt nonnulli, qui ad ſolum patrimonij titulum ordinantur, ijs liberum eſt cuiuſcunque Eccleſiæ formam ſequi. Rectè tamen facerent, ſi vſum illius Eccleſiæ ſequerentur, apud quam ordinariè verſari ſolent.

Locus. Locus publicarum precum, & laudum diuinarum proprius eſt Eccleſia. Qui verè priuatim officium diuinum perſoluunt, vbique id facere poſſunt: quamuis deceat niſi neceſsitas cogat, loco turpia, vel minus honeſta vitare.

Tempus. Tempus canonicas horas perſoluendi, vt peccatum mortale vitetur, eſt totum illud ſpacium, quod intercedit inter veſperam vnius diei, & mediam noctem alterius. Itaque ſiquis intra ſpacium illud preces horarias legat, non

peccat

peccat lethaliter, etiam ſi alioqui non obſeruet tempora ſingularum horarum.

Solet autem quæri; Quid hoc loco accipiendum ſit nomine *Veſperæ*, occaſúſne Solis, an tempus illud, quo veſpertinum officium celebrari ſolet? Sed nos exiſtimamus, nomine *Veſperæ* intelligi debere tempus officij Veſpertini: ac per hoc non peccare lethaliter, qui poſt Veſperas, & Completorium continuò recitant officium matutinum ſequentis diei, etiamſi id fiat ante Solis occaſum. Ratio enim, cur Doctores ad integrum officium perſoluendum aſſignent tempus à Veſpera vnius diei vſque ad medium noctis alterius, illa eſt, quoniam officium incipit à primis Veſperis, & terminatur ad Completorium ſequentis diei. Completorium autem celebrari debet ſecundum veterem ritum poſt occaſum Solis, & vſque ad mediam noctem poteſt extendi, quoniam in media nocte incipit tempus canonicum officij Matutini. Vt autem peccatum quodcunque, etiam veniale, vitetur, debent officia ſingularum horarum illis horis celebrari, vnde nomina acceperunt. Intelligendum eſt autem, tunc ſolùm peccatum eſſe, preces horarias non ſuo tempore celebrare, quando et longè receditur à tempore canonico, & abſque vlla rationabili cauſſa id præſumitur: niſi fortè conſuetudo iam multis in locis recepta, & à pijs, doctiſque viris tacito quodam conſenſu approbata excuſet. Cenſetur autem longè recedere à legittimo tempore, qui tunc officium alicuius horæ perſoluit, cùm verba, quæ leguntur, aut canuntur, cum tempore nulla ratione conueniunt. Sed quidquid ſit de rigore iuris, certè dubitari non debet, quin ſit lōgè perfectius, fructuoſius, & facilius, officia ſingularum horarum ſuis temporibus celebrare, quàm multa ſimul officia ſine vlla horarum, & temporum diſtinctione coniungere. Sic enim ſatisfit Eccleſiaſticæ inſtitutioni, quæ ideò in certas horas diurnas, & nocturnas officium diſtribuit, vt in iiſdem horis, atque adeò per omnes totius diei partes Deum laudemus. Sic etiam maxima vtilitas ex officij recitatione ad nos accedit, dum tam crebro ad nos ipſi redimus, & à tumultibus ſeculi ad pacem Dei animum reuocamus. Sic denique labor precum horariarum in tot partes diuiſus ita minuitur, vt leuiſsimus, ac penè nullus eſſe videatur. *Dubit. Reſp.*

Attentio triplex diſtinguitur à Doctoribus. Vna ad verba, Altera ad ſentētiam, Tertia ad ipſum Deum, qui oratur, vel laudatur. Quælibet verò harum trium ſufficit. Neque neceſſe eſt, vt ſemper ſit actualis, modò ita ſit virtualis, vt voluntariè nunquam interrumpatur. *Attentio.*

Deuotio, quam in officio diuino ritè perſoluendo exigit generale Concilium Lateranenſe, partim eſt interna, partim externa. Interna deuotio eſt promptitudo quædam animi ad Deum laudandum, ac precandum. Quam certè non habent, qui cum tædio ad hoc munus accedunt, vel de prolixitate facilè queruntur. Deuotio externa eſt promptitudo ad genua flectenda, ad ſtandum, ad canendum, & alia id genus præſtanda. Proderit autem ad deuotionem excitandam, ſi quis, dum ad officium perſoluendum accedit, breuiter apud animum ſuum reuoluat, vel ſe in precibus cum Deo collocuturum, vel in lectionibus Deum ſibi loquentem auditurum; vel in Pſalmis, & hymnis cum Angelis Deo laudes eſſe dicturum. *Deuotio. c. dolentes de celebrat. Miſſ.*

Quin-

Perſonæ, quæ obligantur ad Officium. Quintum caput de diuino Officio eſt de perſonis, quæ ad hoc officium perſoluendum obligantur. Et quidem non eſt dubium apud Catholicos hoc officium ad Clericos, & Monachos; atque ad Clericos vel ratione Ordinis ſacri, vel ratione Eccleſiaſtici beneficij, propriè pertinere. Extant enim nõ pauci Conciliorum veterum canones, vnde id colligi poteſt.

Dubit. Eſt autem quęſtio, An id rectè fiat, vt ſoli Clerici, & Monachi ad hoc officiũ obligentur? Tribus autem argumentis probabimus id rectè fieri.

Prob. reſp. 1. Primum, exemplo veteris Eccleſiæ vtriuſque Teſtamenti. Nam in Teſtamento vetere non totus populus, ſed Leuitæ ſoli Pſalmos ex officio publicè decantabant. *Dixit Dauid Principibus Leuitarũ, vt conſtituerent de fratribus ſuis Cantores.* Et: *Conſtituítque, coram arca Domini de Leuitis, qui miniſtrarent, & recordarẽtur operum eius, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſraël.* In nouo Teſtamento Apoſtoli primi fuerunt, qui relicta cura temporalium rerum, munus ſuum proprium eſſe dixerunt, verbo Dei, & orationi ſine intermiſsione inſtare. *Nos,* inquiunt, *orationi, & verbo Dei inſtantes erimus.* Ex quo quidem intelligimus, omnium quidem fidelium eſſe, priuatim orare, & alios exhortari; ſed proprium eſſe Sacerdotum publicè populo prædicare, & pro eodem populo aſsiduè orare. Exempla iſta Script. ſecutam eſſe antiquam Eccleſiam, & munus Deum laudandi, ac precandi publicè ſolis Clericis demandaſſe, & Monachis, perſpicuum eſt ex Concilijs.

1. Paral. 15. *1. Paral. 16.* *Act. 6.*

Prob. 2. Deinde, prob. argumento ducto à ſimili. Nam, ſi Reſp. temporalis habet milites ſuos, qui die, noctuque excubant ad cuſtodiam ciuitatis: cur non conueniat, vt Reſp. ſpiritualis, id eſt, Eccleſia, habeat ſuos, qui ſimiliter excubent contra ſpirituales nequitias, eaſque clamando exterreant? *Super muros tuos,* inquit Dominus, *Ieruſalem, conſtitui cuſtodes, tota die, & nocte, non tacebunt laudare nomen meum.*

Iſa. 62.

Prob 3. Prob. tertio ab alio ſimili. Nam, ſi ad cetera omnia munera certi homines deſtinantur, & non omnes ex officio docent, aut iudicant; aut hanc, vel illam artem exercent; cur non par ſit ad munus Deum laudandi, atque aſsiduè precandi, certos homines deſtinari; præſertim cùm reliquus populus alijs rebus occupatus, neque tam frequenter, neque tanta attentione huic ſummo negotio vacare poſsit, quàm dignitas eius, & neceſsitas poſtulat?

Quæſt. 1. Duæ autem ſolent hoc loco quęſtiones tractari. Vna: *Quo iure teneantur Clerici, & Monachi ad horas canonicas perſoluendas, diuinone, an humano?* Ex qua quæſtione pendet alia: Vtrum poſsit in hac re à ſummo Pontifice diſpenſari?

Quæſt 2. Altera eſt: *Vtrum, qui ratione beneficij ad hoc officium obligantur, fructibus beneficiorum carere debeant, ſi diuinum officium non perſoluant?*

Reſp. ad 1. Ad priorem breuiter reſpondemus, iure diuino teneri Clericos, & Monachos ad vacandum precibus, & laudibus Dei, magis quàm cęteros; tamen formam illam precum, & laudum, quæ nunc eſt in vſu, non à iure diuino ſed ab Eccleſiæ determinatione pendere.

Reſp. ad 2. Ad poſteriorem quæſtionem reſpondemus, quiquid olim Doctores aliqui ſenſerint, hoc tempore non dubitari poſſe, quin fructibus beneficiorum carere, &, ſi eos perceperint, reſtituere debeant, vt in eleẽmoſynas pauperum, vel Eccleſiæ fabricam inſumantur, qui diuinum officium non perſoluunt.

CAPVT

CAPVT III.

De Ieiunio.

DE Ieiunio quinque capita tractanda ſuſcepi.

Primum eſt de nomine, & varia acceptione ieiunij. Videtur autem nomen ieiunij abſtinentiam à cibo ſignificare. Græcè enim ieiunare dicitur νηστεύειν, quaſi τὸ ἐσθίειν, id eſt, non edere. Vnde nomen Latinum inedia. Accipitur etiam vox Ieiunium quatuor modis, ex quibus oriuntur quatuor quaſi genera ieiunij: ſpirituale, morale, naturale, & Eccleſiaſticum. *Nomen ieiunij.*

Ieiunium ſpirituale dicitur abſtinentia à vitijs, iuxta illud: *Nónne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes, &c.* Atque hæc abſtinentia metaphoricè ieiunium appellatur. *Ieiunium ſpirituale. Iſa. 58.*

Ieiunium morale eſt parſimonia illa, & temperantia cibi, & potus, quam Philoſophi quoque, duce natura, & ratione approbauerunt, & quam eorum aliqui tenuerunt. *Ieiunium morale.*

Ieiunium naturale vocant Theologi abſtinentiam ab omni prorſus cibo, vel potu, quacunque ratione ſumpto. Dicitur autem ſumptus cibus, vel potus, quando iam ad ſtomachum eſt tranſmiſſus. Si quis enim cibum aliquem deguſtatum continuo expueret, non ſolueret naturale ieiunium. Tale ieiunium non eſt in præcepto, niſi propter communionem corporis Domini. *Ieiunium naturale.*

Ieiunium Eccleſiaſticum, de quo ſolo hic agimus, *definiri ſolet abſtinentia cibi ſecundum Eccleſiæ regulam aſſumpta.* *Ieiunium Eccleſiaſticum definitur.*

Dicitur, *abſtinentia cibi*, quia tria ſunt, quæ per os traijciuntur ad ſtomachũ. Primùm ea, quæ per ſe referuntur ad corpus alendũ: & hi propriè dicuntur cibi; ſiue ſumantur per modum cibi, vt panis, & caro; ſiue per modum potus, vt mel, lac, iuſculum, & ſimilia. Secundò, ea, quæ per ſe referuntur non ad corpus alendum, ſed ad iuuandam cibi digeſtionem, vel ad reſtringendam ſitim: qualia ſunt vinum, aqua, cicera, &c. quorum ſumptio propriè dicitur potus. Tertiò, quæ referuntur per ſe non ad corpus alendum, vel ſitim extinguendam; ſed ad morbos pellendos, vel euitandos. Atque hæc non cibi, vel potus, ſed pharmaca nominantur. Quamuis enim interdum medicamenta vel carnem nutriant, vel ſitim ſedent, tamen diſtinguuntur à cibo, & potu ratione proprij finis, qui eſt morbos impedire, vel tollere. Ieiunium igitur Eccleſiaſticum dicitur abſtinentia cibi, quoniam hoc ieiunium neque potus, neque medicamentorum, ſed ſolius cibi abſtinentiam per ſe requirit.

Addidimus, *ſecundum Eccleſiæ regulam aſſumpta*, quibus verbis non voluimus ſignificare, nullum eſſe ieiunium Eccleſiaſticum, niſi ab Eccleſia indictum: ſcimus enim ieiunium Eccleſiaſticum, aliud eſſe voluntarium, aliud neceſsitatis: & aliud neceſsitatis ratione voti, aliud ratione præcepti: ſed indicare voluimus

luimus ieiunium Eccleſiaſticum eſſe abſtinentiam cibi, non qualemcunque, ſed iuxta regulam ieiunantibus ab Eccleſia, vel conſuetudine, vel lege præſcriptam.

Requiſita ad ieiunium Eccleſiaſticū.

Secundum caput eſt de ijs, quę ad ieiunium ſecundum regulam Eccleſiaſticā requiruntur. Primùm requiritur, vt, qui ieiunat, ſemel tantum in die cibum ſumat. Secundo, vt illa vna refectio ſit cœna, non prandium. Tertiò, vt habeatur ciborum delectus, & præſertim à carnibus ſe abſtineat, qui Eccleſiaſtico more ieiunat.

Prob. vna refectio.

Porrò vnam refectionem, eamque cœnam eſſe debere, non prandium, cùm ieiunio datur opera, facilè probari poteſt. Extant enim exempla Script. teſtimonia Patrum, & perpetua Eccleſiæ conſuetudo. In Teſtamento veteri, cùm de ieiunijs agitur, horæ veſpertinæ ſit mentio. *Ieiunauerunt illa die vſque ad veſperam.* Idem alibi habetur. Ex quo intelligimus, apud Patres veteris Teſtamenti ieiunium fuiſſe, ſemel tantùm, idque ad veſperam, cibum capere. Ex qua cōſuetudine fluxit ſuperſtitioſa obſeruatio Iudæorum, & Saracenorum, qui, cùm ieiunant, non ante cibum capere audent, quàm ſtellam conſpexerint. Chriſtiani autem veteres non ita ſuperſtitioſè ſtellas obſeruabant; ſed tamen ieiunia non ſoluebant, niſi hora nona ab ortu Solis, vel etiam hora veſpertina in Quadrageſima.

Iud. 20. 2. Reg. 1. & 3.

Porrò vnius refectionis illa eſt cauſſa, quòd ieiunium ideò ſit inſtitutum, vt natura dometur, non vt deſtruatur. Domatur autem, & non deſtruitur, ſi aſſueta bis cibum capere, ſemel tantùm ſumat: deſtrueretur enim, ſi nihil ſumeret, & non domaretur, ſi nihil amitteret. Horæ autem nonæ ratio eſt, quoniam, qui ieiunant, carnem ſuam quodammodo crucifigunt, & Chriſto patienti compatiuntur: Chriſtus autem vſque ad horam nonam in paſsione perdurans, illa demum hora à doloribus, & laboribus requieuit.

De ciborum delectu refellitur vna hæreſis. 1. Tim. 4.

De ciborum delectu duæ contrariæ hæreſes Eccleſiam vexarunt. Vna fuit hæreſis, cibos quoſdam natura ſua eſſe immundos, ac per hoc illicitos, ac prohibitos. Aduerſus hanc hæreſin pugnant apertiſsima Script. teſtimonia, ac præſertim illud Apoſtoli: *Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs, qui cognouerunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Pugnat etiam aduerſus eandem hæreſin exemplum Domini, & Apoſtolorum, qui tum alias, tum potiſsimùm in vltima cœna Agnum comederunt, vinum biberunt.

Reijcitur altera.

Altera hæreſis fuit eorum, qui nullos omninò cibos, neque in perpetuum, neque ad tempus, neque omnibus, neque quibuſdam, neque abſolutè, neque certa de cauſſa interdici patiuntur.

Eccleſia non prohibet cibos quaſi immundos.

Et quidem quod Eccleſia cibos non prohibeat, quaſi natura ſua immundi ſint, prob. ex conſuetudine Eccleſiæ.

Primùm enim cibos omnes, etiam carnes, & oua comedunt Catholici extra Quadrageſimam, & alios dies ieiunijs, & abſtinentiæ non deputatos. At, ſi carnes, & oua per ſe immunda eſſe crederet, nullo tempore illa comederet.

tet. Quod enim per ſe immundum eſt, ſemper immundum eſt.

Deinde; Catholici Monachi, antequam Monachi eſſent, carnibus veſcebantur, neque inde ſe inquinari credebant; & poſteaquã Monachi facti ſunt, ſeueriorem quidem illam continentiam colunt, ſed Chriſtianos cęteros, qui carnes comedunt, non iudicant, neque pro Tatianiſtis, vel Manichæis habent; quod certè facerent, ſi carnes per ſe immundas, & prohibitas eſſe cenſerent.

Præterea; In ipſa etiam Quadrageſima, & quibuſcunque alijs diebus ieiuniorum carnes in cibum concedit Eccleſia, tum ægrotis, qui iudicio medicorum eiuſmodi cibo egent; tum etiam valentibus, ſi aliud, quod comedant, non habeant: at, ſi carnes natura ſua eſſent immundæ, & ideo prohiberentur, quia per ſe malæ eſſent; non autem malum, eas comedere, quę ab Eccleſia certo tempore prohibentur, certè nulla ratione vel ægrotis, vel alijs vllis hominibus permitterentur: quomodo non permittuntur adulteria, fornicationes, & alia, quæ per ſe mala ſunt, etiamſi mortis periculum propterea ſubeundum ſit. Præterea; Ebionitæ, Tatianiſtæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ, non ſolum carnes pecorum, & auium, ſed etiam piſcium deteſtabantur. At Catholica Eccleſia carnes piſcium concedit; pecorum, & auium in diebus ieiuniorum prohibet. Non igitur errore hæreticorum, ſed alia ratione ciborum delectum ſeruat Eccleſia. Denique; S. Patres, qui veteres hæreticos reprehendunt propter ciborum delectum, ipſi quoque delectum ciborum in diebus ieiuniorum ſanctè obſeruabant. Non igitur ex eo, quòd ciborum delectu in diebus ieiuniorum vtimur, notari poſſumus tanquam Manichæi, vel Priſcillianiſtæ, niſi veteres Patres eodem crimine teneantur.

Iam verò ad rationem ieiunij, abſtinentiam à certis cibis, atque à carnibus potiſsimùm pertinere, prob. exemplis Script. & Patrum. Siquidem piorum conſuetudo optima eſt interpres Eccleſiaſticarum traditionum, & legum. *Prob. requiri abſtinentiã à certis cibis.* Daniel deſcribens formam ieiunij ſui: *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* *Dan. 10.* S. Ioannes Baptiſta, cuius vita perpetuum ieiunium fuit, nõ ſolùm à lautitijs in genere, ſed etiam in ſpecie ab omni cibo, & potu abſtinebat, pręterquam à locuſtis, & melle ſiluestri. *Matth. 3.* S. Petrus penè ſemper ieiunans nihil aliud ſumebat in cibum, niſi lupinos minuto aſſe veneuntes. S. Matthæus oleribus, baccis, & ſeminibus, non autem carnibus, veſcebatur. S. Iacobus à carnibus, & vino ſe abſtinebat. S. Timothæum à vino ordinariè abſtinere ſolitum fuiſſe, perſpicuum eſt ex illis verbis Apoſtoli: *Noli adhuc aquam bibere, ſed vtere modico vino propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* *1. Tim. 5.* Primi illi Chriſtiani, qui apud Alexandriam à S. Marco erudiebantur, ad veſperam tantùm cibum ſumere, & à carnibus, & vino abſtinere ſolebant. Deinde; Si quis legat vitas Sanctorum, & præſertim Eremitarum, vt Antonij, Hilarionis, & ſimilium, videbit vſum abſtinentiæ à carnibus in ſpecie, & non ſolùm à lautitijs in genere, frequentiſsimum fuiſſe, & maximè probatũ, & laudatum. Denique; Ratio naturalis rem eandem confirmat. Nam finis ieiunij eſt corporis concupiſcentias edomare, & in ſeruitutem redigere. At non poterat certa, & communis regula conſtitui circa quantitatem cibi ſumendi, vel

circa lautitias, & condimenta ciborum: hæc enim infinitis modis variantur, & quod vni eſt multum, alteri eſt parum; quod vni eſt lautum, alteri non eſt lautum. Debuit igitur conſtitui regula penes abſtinentiam ab aliquo genere cibi, qui ex genere ſuo, & vt plurimùm magis nutrit, & magis delectat, qualem eſſe carnem pecorum, & auium omnes concedunt.

Tertium membrum eſt de præcepto ieiunij, tũ diuino, tum humano. Sunt autem de eo duæ quæſtiones.

De præcepto ieiunij. *Quæſt. 1.* *Reſp.* Vna: *Sitne ieiunium diuina lege præceptum?* Veriſsima eſt communis ſententia Theologorum, ieiunium generatim ſumptum habere diuinum præceptum; quamuis in particulari ab Eccleſia determinetur tempus, moduſque ieiunij.

Prob 1. *Ioel. 2.* Primùm enim ſententia illa Domini, quæ pœnitentibus imperat ieiunium cum fletu, & planctu, non eſt propriè cæremonialis, vel iudicialis, ſed planè moralis, & non magis ad Iudæos, quàm ad Eccleſiam pertinet. Item, illa Domini ſententia: *Tu autem, cùm ieiunas vnge caput tuum,* &c. *Matth. 6.* Ita tradit modum ieiunandi, vt præſupponat, aliquando eſſe ieiunandum, & quidem ex diuino præcepto: nam ideò coniungit ieiunium cum oratione, & eleëmoſyna, & ſimul quomodo ſit orandum, ieiunandum, & largiendum præcipit, quoniam eadem eſt ratio horum trium operum.

Idem docet ſententia Patrum.

Prob 2. *& 3.* Accedat etiam ratio, quæ docet ad ipſum ius naturæ ieiunium pertinere. Nam pœnitentiam agere pro peccatis admiſsis, & tentatori reſiſtere, ac peccata vitare, diuini, & naturalis iuris eſſe, nemo negare poteſt. Sæpe autem contingit, vt recta ratio iudicet, non poſſe vinci tentationem ſine ieiunio; vel non poſſe, niſi per ieiunium, pro culpis commiſsis congruè ſatisfieri; vt ſi quis fortè nec orationi inſtare, nec eleëmoſynas largiri poſſet.

Quæ. 2. *Reſp.* Altera quæſtio eſt: *Potueritne Eccleſia legem in conſcientia obligantem de ieiunijs ferre?* Communis totius Eccleſiæ Catholicæ ſententia eſt, legibus ieiuniorum obligari homines in conſcientia.

Prob. 1. Probo primò exemplis, & teſtimonijs Scripturę. In veteri Teſtamento extant exempla.

Ierem. 35. Primum eſt, vbi filij Ionadab laudantur, quod obedierint parenti ſuo, qui interdixerat illis vinum vſque in ſempiternũ. At, ſi potuit Ionadab prohibere filijs, & nepotibus vinum vſque in ſempiternum, & tum illius præceptum, tum filiorum obedientia placuit Deo; cur non poterit mater Eccleſia certos aliquos cibos pro tempore filijs interdicere, ita vt & noſtra obedientia, & Eccleſiæ præceptum Domino placeat?

Heſt. 9. Secundum eſt, vbi ex conſtitutione Mardochæi totus populus ſuſcipit nouum ieiunium, & feſtum diem celebrandum perpetuò, in memoriam liberationis à perſecutione Aman Agagitæ.

Zach. 8. Tertium eſt, vbi mentio ſit quatuor ieiuniorum, quæ dicebantur ieiunia menſium, quarti, quinti, ſeptimi, & decimi, quæ non fuerunt ab ipſo Deo præcepta, ſed ab ijs, qui Remp. Iudaicum regebant, varijs occaſionibus introducta. Ex his enim exemplis intelligimus, in Eccleſia Teſtamenti veteris non ſolùm diuinis legibus, ſed etiam Eccleſiaſticis conſueuiſſe determinari, & ſanciri

ciri ieiunia.

In nouo Teſtamento extat aliud exemplum. Conſtat enim Concilium Apoſtolicum Chriſtianis omnibus interdixiſſe vſum quorundam ciborum, vt ſanguinis,& ſuffocati, non quidem continentiæ cauſſa, ſed vt faciliùs Eccleſia ex Gentibus, & Iudæis coaleſceret, dum ad tempus iubentur Gentes abſtinere ab ijs cibis, à quibus Iudæi vehementer abhorrebant. Quemadmodum igitur Apoſtoli propter bonum finem certos cibos prohibuerunt, quos alioqui Deus non prohibebat; cur, quæſo,non poſsint, qui Apoſtolis ſuccedunt, ieiunia indicere, & certos quoſdam cibos prohibere ad alium bonum finem, nimirum ob carnis petulantiam cohibendam? Fuiſſe autem verum præceptum, illud Apoſtolorum decretum de certis cibis non comedendis,perſpicuum eſt,tum ex illis verbis Lucæ: *Perambulabat, Paulus, Syriam,& Ciliciam, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum*: tum ex eo, quòd præceptum illud per aliquod tempus ita ſeuerè cuſtoditum eſt, vt Chriſtiani mori mallent,quàm ſanguinem deguſtare. *Act. 15.* *Ibid.*

Probo ſecundò teſtimonijs veterum Conciliorum,& Patrum. *Prob. 2. & 3.*

Probo tertiò ratione. Nam poſſunt Eccleſiæ Præſules veras leges ferre: eſt autem commune omni veræ legi, vt actum virtutis non neceſſarium faciat eſſe neceſſarium,cùm illum determinat,ac faciendum præcipit. Igitur actus ieiunandi certis diebus, & abſtinendi à certis cibis Eccleſiaſtica lege præſcriptis,actus eſt virtutis temperantiæ neceſſarius, etiamſi alioqui neceſſarius non eſſet, niſi lege præſcriberetur. Peccat igitur vitio intemperantiæ, qui non ieiunat, quando Eccleſia indicit ieiunia, & qui ab ijs cibis non abſtinet, à quibus Eccleſia præcipit abſtinendum.

Porrò viros perfectos non teneri legibus ieiuniorum, refellunt exempla ſanctiſsimorum hominum, qui ieiunijs aſsiduè operam dabant. Siquidem Sanctus Ioannes Baptiſta,quo maior inter natos mulierum nō ſurrexit, adeò ieiunium coluit, vt diceretur non comedere, neque bibere. Apoſtolus Paulus, *qui raptus fuit in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui,* inter alios ſuos labores numerat ieiunia multa: & ieiunio ſe exercuiſſe contra carnis rebellionem teſtatur: *Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo.* Omitto Mardochæum,Danielem, Dauidem, Iudith, Eſter, Annam, & alios innumerabiles,tum viros,tū fœminas, qui & perfecti dici poterant,& tamen ieiunia ſtudioſè colebant. *Viros perfectos non eximi à ieiunio.* *Matth. 11.* *2. Cor. 12.* *2. Cor. 11.* *1. Cor. 9.*

Tria tamen ſunt,quæ à legibus ieiuniorum excuſant: impotentia,neceſsitas,pietas. Vel enim ex ieiunio læditur corpus, vel ſpiritus, vel ſubſtantia externa. Si corpus læditur, impedimentum excuſans à ieiunio dicitur impotentia: ſi læditur ſpiritus,dicitur pietas: ſi læditur ſubſtantia externa, dicitur neceſsitas. Ac propter impotentiam quidem excuſantur à lege ieiunij ſenes, & pueri, vt aliorum feſſa ſuſtentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Item,ægroti,debiles,prægnantes, & alij,qui Medicorum iudicio non ſine periculo ſalutis corporalis ieiunare queunt. Denique,pauperes,qui non habent,vnde ſumant vnam integram refectionem, ſed nunc emendicant vnū panis fragmentum,paulò poſt aliud. Propter pietatem excuſantur Concionatores,Lectores,Confeſſarij,qui miniſtrant ægrotis,& alij,ſi fortè non poſ- *Tria excuſant à ieiunio.*

Exterminant facies ſuas, vt pareant hominibus ieiunantes: Amen dico vobis quia receperunt mercedem ſuam. Idem prob. teſtimonijs, & exemplis Patrum.

Quintum caput eſt de varijs temporibu. ieiuniorum. Primùm, occurrit Quadrageſima, de qua vera ſententia eſt ab Apoſtolis Domini inſtitutam, atque Eccleſiæ vniuerſæ traditam fuiſſe. Id enim primùm conſtat ex canone Apoſtolorum 68. Deinde, ex teſtimonio expreſſo duorum inſignium Patrum Hieronymi, & Leonis. Tertiò, ex regula illa notiſsima Diui Auguſtini, quæ habet, illa omnia ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendere, quæ in vniuerſa Eccleſia obſeruantur & in nullo Eccleſiæ concilio inſtituta inueniuntur: Tale eſſe Quadrageſimale ieiunium, nullo negotio demonſtrari poteſt. Nam non eſſe inſtitutum in vllo Concilio, perſpicuum eſt, tum ex eo, quod nuſquam extat tale Concilium, in quò primùm Quadrageſima inſtituta eſſe dicatur; tum ex eo, quòd inuenitur mentio Quadrageſimæ in auctoribus, qui omnia Concilia præceſſerunt. Obſeruatum verò hoc ieiunium in Eccleſia vniuerſa ſemper fuiſſe, patet manifeſtè ex Concilijs, & Patribus diuerſorum temporum, & locorum. Nullus enim eſt veterum Patrum, qui Quadrageſimæ, non meminerit.

Prob Quadrageſimam ab Apoſtolis inſtitutam *Lib 4. de Bapt. c. 24.*

De tempore Quadrageſimæ, in Eccleſia Catholica verè omnibus ſæculis, tum apud Græcos, tum apud Latinos ieiunium Paſchale fuit dierum 40. aut ferè 40. id eſt, 36. Id verò perſpicuum eſt primò, quoniam Concilia, & Patres vtuntur nomine Quadrageſimæ, cùm ieiunium Paſchale commendant. Per Quadrageſimam autem non poteſt intelligi niſi numerus 40. dierum, aut prope 40. Quis enim Quadrageſimam vocaret ieiunium dierum 15. aut 20? Deinde; multi Patres dicunt ieiunari Quadrageſimam ad exemplum Chriſti, Moyſis, & Eliæ. At Chriſtus, Moyſes, & Elias 40. dies ieiunarunt. Tertio, Aliqui Patres ſcribunt, Quadrageſimam cõtinere 42 dies, & detractis Dominicis, in quibus non ieiunatur, remanere dies ieiunij 36. quartò aliqui etiam diſertis verbis tradunt, ieiunium, quod ante Paſcha celebratur, eſſe 40. dierum.

Tempus Quadrageſimæ.

7. Autem vidêtur fuiſſe præcipuæ cauſſę inſtituẽdi Quadrageſimalis ieiunij.

Prima eſt, vt Chriſtiani omnes pro negligentijs toto anno commiſsis agãt quaſi communem, & publicam pœnitentiam, & Deum coniũctis ſtudijs, precibus, & lacrymis placare nitantur. *1. Cauſſa Quadrageſimæ.*

Secunda ratio, vt ad communionem ſacram, quam in Paſchate Chriſtianorum nullus debet omittere, ſimul omnes per hoc publicum, & ſolenne ieiunium præparemur. *2. Cauſſa.*

Tertia vt impleatur, quod Dominus ait: *Cùm auferetur ab eis ſponſus, tunc ieiunabunt.* Eccleſia enim Catholica, à Spiritu Sancto edocta, per ablationem ſponſi, paſsionem eius, & mortem interpretatur. Et ideo tunc maiora ieiunia inſtituit, cùm ipſam Dominicam paſsionẽ commemorare aggreditur. *3. Cauſſa. Matth. 9.*

Quarta, vt non ſolùm verba Domini impleantur; ſed etiam vt ad celebrationem paſsionis, & reſurrectionis Domini, quæ ſunt myſteria noſtræ redẽptionis omnium maxima, per hoc ſolenne ieiunium præparemur. *4. Cauſſa.*

Quinta, vt Chriſtiani non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro Catechumenis in Paſchate regnerandis ieiunent, & orent. *5. Cauſſa.*

Sexta.

6. Cauſſa. Sexta, vt quaſi decimas vitæ noſtræ per abſtinentiam Quadrageſimalem Domino conſecremus. Nam dierum totius anni decima pars ſunt dies 36. Tot autem ſunt dies ieiunij Quadrageſimalis propriè dicti. Quadrageſima enim propriè incipit in prima Dominica Quadrageſimæ, vt perſpicuum eſt, tum ex officio Eccleſiaſtico; tum ex eo, quòd ieiunium Quadrageſimæ ſoluitur ad veſperam; ieiunium autem dierum præcedentium primam Dominicam Quadrageſimæ ſoluitur ad nonam.

7. Cauſſa. Septima eſt, vt Chriſtum, qui caput noſtrum eſt, eo modo, quo poſſumus, *Ieiunium feria 4. & 6.* imitemur. Imitamur autem per hoc ieiunium, tum paſsionem Chriſti, quam ipſe hoc tempore pro nobis pertulit; tum etiam illud ipſum ieiunium, quod noſtri cauſſa ſuſcipere dignatus eſt.

Poſt ieiunium Quadrageſimæ, nullum eſt aliud, cuius maior inueniatur mentio apud veteres, quàm feriæ quartæ & feriæ ſextæ. Huius ieiunij vera cauſſa eſt ipſa Dominica paſsio, quam per totum annum his potiſsimùm diebus commemoramus, quòd feria quarta Dominus proditus ac venditus fuerit; feria ſexta crucifixus, & mortuus. Per hoc etiam ieiunium impletur, quod Dominus ait: *Cùm ablatus fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt*. Nam, etiamſi hoc dictum impleatur per Quadrageſimale ieiunium, non eſt tamen abſurdum, ſi per ieiunium quoque ferię quartę & ſextæ impleri dicatur, cùm tam ieiunium Quadrageſimæ, quàm feriæ quartæ & ſextæ, ad paſsionem Domini, per quam ablatus fuit à nobis ſponſus, referatur.

Quæſt. 1. Exiſtunt autem de ieiunio feriæ quartæ & ſextæ duæ quæſtiones. Prior eſt *Reſp.* *Sitne hoc ieiunium lege ſancitum, an potius in arbitrio fidelium poſitum?* Reſp. feria quarta & ſexta ieiunari per totum annũ ex Apoſtolicæ legis præcepto, quoad abſtinentiam à carnibus. Quod autem pertinet ad abſtinentiam à prandio, non ex præcepto legis, ſed paſsiuè, vt Tertullianus loquitur, hoc ieiunium cucurrit.

Quæſt. 2. Poſterior eſt: *Cur in latina Eccleſia non ſeruatur lex, quæ feria quarta abſtinen-* *Reſp.* *tiam à carnibus imperat?* Reſp. videtur in Occidentali Eccleſia magna ex parte mutatum fuiſſe ieiunium feriæ quartæ in ieiunium Sabbathi. Ieiunamus autem Sabbatho, vel à carnibus abſtinemus, primùm, vt longiſsimè a Iudaiſmo recedamus. Iudæi ſiquidem non ieiunant, ſed epulantur in Sabbatho. Deinde, in memoriam humilitatis Domini, qui die Sabbathi iacuit mortuus, & clauſus in ſepulchro. Tum, vt imitemur Apoſtolos, alioſque diſcipulos Domini, qui cum ipſa Deipara, & ſanctis mulieribus, non ſolùm feria ſexta, ſed etiam die Sabbathi in luctu fuerunt, & mœrore. Denique, vt ad celebritatem Dominicæ diei per hoc ieiunium præparemur.

De ieiunio quatuor temporum explicanda ſunt origo, varietas, & ca[illegible].

Origo ieiunij 4. temporu Originem ab Apoſtolica traditione deducimus. Cùm enim in nullo Con- *Epiſt. ad Bened.* cilio Oecumenico, inſtitutum reperiatur, ſequitur, vt ex Apoſtolica traditio- *Act. 27.* ne deſcendere credendum ſit. Deinde, Calliſtus, vicinus Apoſtolorum temporibus affirmat; iam ante ſua tempora conſueuiſſe in Eccleſia ſeruari [illegible] temporum ieiunia; à ſe verò additum quartum ieiunium, ſiue quarti temporis ieiunium. Ex quo ſequitur, vt ieiunia quatuor temporum, ſaltem per figuram intellectionis, id eſt, maxima ex parte, ab Apoſtolis ſint inſtituta. Denique;

nique; De ieiunio decimi menſis, quod eſt vnum, ac præcipuum ex quatuor, videtur mentio fieri in Actis Apoſtolorum in illis verbis: *Incipiebat enim periculoſa eſſe nauigatio, quia ieiunium iam præterierat.* *Act. 27.* Neque enim exponi poteſt hic locus de inedia nauigantium, vt ſit ſenſus: Incipiebat periculoſa eſſe nauigatio, quoniam, qui erant in naui, ob longam inediam, viribus iam deſtituti erant. Nam, ſi S. Lucas id ſignificare voluiſſet, non dixiſſet: *quia ieiunium iam præterierat*; ſed, quia magnum ieiunium iam præceſſerat. Cùm autem abſolutè dicat: *quia ieiunium iam præterierat*, loquitur de alio ſtato, & ſolenni ieiunio, ex quo tempus anni deſcribit. Et confirmari poteſt hæc expoſitio ex collatione cum alio loco in eodem cap. vbi deſcribitur ieiunium profanum ortum ex mœrore nauigantiũ. Ibi enim non dicitur: quia ieiunium iam præterierat; ſed, *cùm multa ieiunatio fuiſſet:* & ipſum ieiunium *ἀσιτίαν* ibi vocat, cùm hic *τὴν νηστείαν* appellet. *Ibid.* Verum quidem eſt, à Chryſoſtomo, & OEcumenio hunc locum exponi de ſolenni ieiunio Hebræorum: ſed certè longè probabilius eſt, eum loqui de ſolenni ieiunio Chriſtianorum. Neque enim Hebræis, ſed Chriſtianis, librum Actorum ſcripſit S. Lucas, & ex ieiunio illis noto deſcripſit tempus Hybernum, in quo periculoſa nauigatio eſſe ſolet. Videtur igitur loqui de ieiunio decimi menſis, quod ſemper apud Chriſtianos celeberrimum fuit, propter ordinationes Clericorum. Apud veteres enim non fiebant ordinationes, niſi in menſe Decembri.

Varietas ieiunij 4. temporum Varietas in hoc ieiunio duplex inuenitur. Primùm enim trium temporum obſeruabatur ieiunium. Deinde, ex decreto Calliſti quartum eſt additum. Præterea: Nonnulli hæc ieiunia ita diſtribuebant, vt primum celebrarent prima hebdomada primi menſis, id eſt, Martij: ſecundum, ſecunda quarti menſis: tertium, tertia ſeptimi menſis: quartum, quarta decimi menſis. Alij verò, idque magis communiter primum tempus conſtituebant in prima hebdomada Quadrageſimæ: ſecundum in hebdomada Pentecoſtes: tertium in tertia hebdomada Septembris: quartum in tertia hebdomada Decembris.

Cauſſa huius ieiunij. Porrò cauſſæ præcipuæ huius inſtitutionis quatuor aſsignari poſſunt. Prima eſt, ne Chriſtiani Iudæis in hac parte remiſsiores viderentur. Conſtat enim, fuiſſe apud Iudæos ſolenne ieiunium quater in anno, id eſt, menſe 4. 5. 7. *Zach. 8.* & 10. Secunda eſt propter ordinationes clericorum. Nam, & ſi primi ſummi Pontifices ſacros ordines non conferrent, niſi menſe Decembri, poſteà tamen creſcente numero ordinandorum, inſtitutum eſt, vt alijs etiam tribus temporibus ſacri ordines conferrentur. Tertia eſt, vt his temporibus ſupplicaremus Deo pro frugibus, & fructibus terræ, & pro iiſdem iam perceptis gratias ageremus. Nam in ijs quatuor temporibus aëris temperies maximè variatur, & fructus omnes, ac fruges, vel ſeruntur, vel naſcuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Quarta eſt, vt ſicut habemus ſolenne ieiunium ſingulis annis, quod eſt ieiunium Quadrageſimæ, & ieiunium ſtatum ſingulis hebdomadibus, quod eſt ieiunium feriæ 4. & 6. vel 6. & Sabbathi: ſic haberemus ieiunium aliquod ſingulis menſibus. Tres autem dies, qui tribus menſibus reſpondent, commoditatis gratia in vnum menſem coniecerunt.

Ieiunium Aduentus. *Aduentum Domini* ieiunio celebrari conſueuiſſe in Roman. Eccleſia, perſpicuum eſt, tum ex Innocentio III. tum ex ipſo ritu Rom. Breuiarij, in quo

CCCCC c preces

c. Conſiliū, de obſeruat. ieiuniorum. preces illæ ad ſingulas horas ponuntur legendæ in ferijs Aduentus, quæ propriæ ſunt eorum dierum, quæ ieiunantur. Hoc autem ieiunium non tam ex præcepto, quàm conſilio, aut voto, à multis, obſeruari Eccleſiæ vſus [illegible] apertè teſtatur.

Ieiunium rogantium. *Ieiunium rogationum* vnà cum litanijs fertur inſtituiſſe Sanctus Mamer[illegible] Viennæ Epiſcopus propter multa incommoda, quæ à terræ motibus, [illegible]rum incurſibus eo tempore Gallia patiebatur. Deinde, idem ieiunium rec[illegible]tum legimus in Cõcilio Aurelianenſi primo. *Cap. 28.* Romæ quoque olim idem ie[illegible]nium ita ſeruabatur, vt cibis ſolum Quadrageſimalibus populus veſcere[illegible]. Videtur tamen non tam præcepti, quàm conſilij fuiſſe eiuſmodi obſerua[illegible], cùm ſatis conſtet, inter Paſcha, & Pentecoſten ex antiquiſsima conſuet[illegible] nulla ieiunia imperari. Sicubi tamen hoc ipſum ieiunium præcepti lege ſe[illegible]uatur, non eſt improbandum.

Ieiunium Vigiliarum. De *ieiuniis vigiliarum, & ſtationibus* ſciendũ, pridie magnorũ feſtorum nõ ſo[illegible]lùm vigilias agi per noctẽ, ſed etiam interdiu ieiunari. Stationis autem no[illegible], partim cum vigilia, partim cum ieiunio conuenit, ita vt ſæpe pro al[illegible]ero accipi videatur. *Statio.* Porrò nihil aliud Statio propriè erat, niſi vigilia d[illegible]rna tempore ſolennis ieiunij. Cùm enim publice, & ſolenniter ieiunabatur, [illegible] in orationibus, & eiuſmodi vigiliæ, & quaſi excubiæ orantium, & [illegible] ſtationes dicebantur, vocabulo deſumpto ex militia. Hoc autem [illegible]intererat inter ſtationem, vigiliam, & ieiunium, propriè loquendo: quod ieiunium propriè fieri poterat noctu, & interdiu, Vigilia ſolùm nocte, ſtatio ſolùm [illegible]. Item, ante omnem Vigiliam, nocturnam videlicet, præcedebat [illegible] & ieiunium: non autem poſt omnem ſtationem, & ieiuniũ ſequebatur Vigilia. Forte autem Sanctus Gregorius primus fuit, qui ſtationes à ieiunio ſeparauit, & in Dominicis Aduentus, & Quadrageſimæ, & in ipſa etiam Dominica Reſurrectionis ſtationes fieri voluit, cùm antea ſolùm in diebus ie[illegible] fieri ſolerent. Vſus autem, qui nunc viget, Eccleſias, vbi ſtatio celebratur, inuiſendi, ac breuiter orandi, ex neceſsitate ortus videtur. Quoniam enim illa Baſilica, ad quã ſtatio fortè indicitur, tantã populi multitudinẽ capere non poteſt, vt omnes tamen ſtationis participes eſſe cupiunt, ideò conſuetudo intro[illegible] eſt, vt nunc iſti, nunc illi locũ ſtationis adirent. Itaque duabus in rebu[illegible] ſtatio huius tẽporis ab antiqua. Primùm enim ijdẽ homines tunc i[illegible] oratio[illegible]nerabãt à ſummo manè vſque ad horã nonã, aut veſperas: nũc au[illegible] alij, atque alij vigilant in orationibus, ſic tam[illegible], vt à ſummo manè vſque ad v[illegible], nunquã deſint, qui in Eccleſia Deum precentur, aut laudent. Deinde, tu[illegible] ſemper cum ieiunio, & oratione iungebant, nec antè ſtatio, quàm ieiun[illegible] ſoluebatur: nunc autem non ſolùm diebus ieiuniorum, ſed etiam in feſ[illegible] Dominicis, nec ſolùm ante cibum ſed etiam poſt cibum ſtatio cele[illegible].

Ieiunia prohibita. Porrò per omnes Dominicas, & ſpacium illud, quod eſt inter Paſca, & Pentecoſten, & in die Natalis Domini ieiunandum non eſſe, commu[illegible] Patres docent. Cauſſa huius prohibitionis fuit, tum ob lætitiam [illegible]tem horum dierum: tum maximè in odium hæreticorũ, qui h[illegible]bus dedita opera ieiunabant. Montaniſtæ enim vnam Qu[illegible] hebdomadam (variæ enim ſunt de hac re ſententiæ) poſt A[illegible], [illegible] &

ni, & aliam poſt Pentecoſten, ieiunabant. Manichæi ieiunabant ordinariè die Dominico, ne viderentur de Chriſti reſurrectione gaudere, quam falſam fuiſſe perſuaſerant. Euſtachius, & Aërius, atque eorum diſcipuli, diem Dominicũ ad ieiunium potiſsimùm deputabant, & contrà, iidem Aëriani Hebdomadam ſanctam conuiuijs, & potationibus celebrabant. Denique, Priſcillianiſtæ die Dominico, & in Natali Domini, ieiunare ſolebant. Alioqui ſi quis vel ad tentationem carnis ſuperandã, vel cauſſa morbi corporalis curandi, vel quia vouit ieiuniũ totius anni, aut integri menſis, non peccabit, ſi illis diebus ieiunet.

CAPVT IV.

De Eleemoſyna.

DE Eleemoſyna octo capita tractanda videntur.

Primum eſt, *Quid ſit Eleemoſyna?* Definiri poteſt. *Opus quo datur aliquid indigenti ex miſericordia.* Eſt enim Eleemoſyna actus miſericordiæ, quæ virtus miſeriam reſpicit, vt tollat eam, ac per hoc relationem habet ad indigentem, & miſerũ. Id perſpicuum eſt primùm ex nomine. Dicitur enim Eleemoſyna à verbo Græco ἐλεῶ, quòd eſt miſereor. Deinde, ex Scriptt. quæ per miſericordiam Eleemoſynam deſcribunt. *Fœneratur Deo qui miſeretur pauperis.* Et: *Peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.* Denique ex communi conſenſu omniũ gentiũ: nemo enim Eleemoſynam vocat id, quod datur nõ egenti. Quamuis autem Eleemoſyna ſit actus elicitus miſericordię, tamen imperatur à charitate, & adiuuatur à liberalitate. *Caritas enim benigna eſt.* Et: *Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Liberalitas autem remouet auaritiam, quæ ſæpe impedit Eleemoſynam, & promptum facit ad dandum, quæ promptitudo facit hilarem datorem, qualem diligit Deus.

Eleemoſyna quid? *Prou. 19.* *Dan. 4.* *1. Cor. 13.* *1. Ioan. 3.*

Secundum eſt de partitione Eleemoſynæ. Docent enim Theologi, Eleemoſynas, alias eſſe corporales, alias ſpirituales: vtrumque autem genus in ſeptem quaſi formas, & ſpecies diuidunt. Primùm igitur omnis humana miſeria, aut ad corpus, aut ad animam pertinet. Quæ pertinet ad corpus, aut in vita toleratur, aut poſt mortem. Quę toleratur in vita, vel eſt carentia earum rerum, quibus omnes egent; vel eſt aliquorum ſpecialis ærumna. Carentia earum rerum, quibus omnes egent, aut eſt interior, vt carẽtia cibi, & potus; aut eſt exterior, vt carẽtia veſtium, & domicilij. Atque his quatuor corporalibus miſerijs reſpondent quatuor genera Eleemoſynæ, paſcere eſurientem, potare ſitiẽtem, veſtire nudũ, excipere hoſpitio peregrinum. Ærumnæ ſpeciales duæ ſunt: Altera interior, vt morbus; altera exterior, vt captiuitas: quibus reſpondent duo genera Eleemoſynæ. viſitare ægrotũ, redimere captiuum. Atque ad eiuſmodi Eleemoſynas reuocãtur omnia ſimilia officia, quę proximis exhibẽtur, ſiue propter internas miſerias depellẽdas; vt dirigere cęcos, ſuſtẽtare claudos, regere paralyticos: ſiue propter externas; vt protegere viduas, & pupillos,

Diuiſio Eleemoſinæ.

 ſolue-

ſoluere debita pauperum, dotem prouidere virginibus, &c. Miſeria poſt
mortem eſt carentia ſepulturæ, cui reſpondet vltimum genus eleemoſynæ
corporalis, quod eſt ſepelire defunctos: cui poſſunt adiungi pompa funebris,
executio Teſtamenti, &c. Iam verò miſeria, quæ pertinet ad animam, aut
culpa eſt, aut pœna. Si culpa, non poteſt ea ſimpliciter à nobis tolli; poteſt ta-
men iuuari, qui in eam incidit, tribus modis. Primò oratione ad Deum. Se-
cundò remiſsione iniuriæ. Tertiò correptione fraterna. Si pœna eſt, aut lædit
intellectum, vt ignorantia, tum theorica, tum practica: aut affectum, vt tri-
ſtitia, ac dolor: aut conſuetudinem cum alijs, id eſt, incommoditas, & diffi-
cultas morum. Et quidem ignorantię theoricę mederi poſſumus per doctri-
nam, practicę per conſilium, triſtitiæ per conſolationem, moroſitati per pa-
tientiam. Et hęc ſunt ſeptem genera eleemoſynæ ſpiritualis, orare pro pecca-
toribus, condonare iniurias, corripere delinquentes, docere imperitos, conſi-
lium imprudentibus dare, conſolari afflictos, tolerare alienam infirmitatem.
Neque deſunt teſtimonia Script. quibus hęc omnia genera eleemoſynę vel
imperantur, vel laudantur. Prima ſex genera eleemoſynę corporalis haben-
Matt. 25. tur apud Matthęum: ſeptimum genus apud Tobiam. Primum genus eleemo-
Tob. 12. ſynæ ſpiritualis habetur ibi: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Se-
Matt. 5. cundum ibi: *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet vo-*
Matth. 6. *bis.* Tertium ibi: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum*, &c. Quartum
Matt. 18. ibi: *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Quintum ibi: *Si*
Matth. 5. *præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in*
Gal. 6. *ſpiritu lenitatis.* Sextum ibi: *Conſolamini puſillanimes.* Septimum ibi: *Supportantes*
1. Theſſ. 5. *inuicem.* Et: *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere.*
Epheſ. 4.
Rom. 15.
3. Fructus eleemoſynæ. Tertium eſt de fructu Eleemoſynæ.

Primò enim Eleemoſyna, ſi ab homine iuſto, & ex charitate fiat, meretur
Matth. 25. vitam æternam. *Percipite regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Eſu-*
riui enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Idem paſsim docent Patres.

2. Fructus. Secundò, Eleemoſyna ſatisfactio eſt pro peccatis: *Eleëmoſyna ab omni pec-*
Tobiæ 4. *cato, & à morte liberat.* Et: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmoſyna extinguit pec-*
Eccli. 3. *catum.*

3. Fructus. Tertiò, Auget fiduciam apud Deum, & gaudium ſpirituale. Quamuis enim
id commune ſit cum omni opere bono, præcipuè tamen conuenit eleëmo-
ſynæ, cùm per eam Deo ſimul, & proximo gratum præſtemus obſequium, &
Tob. 4. ſit opus, quod facilè cognoſcitur eſſe bonũ. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo*
Hebr. 10. *eleëmoſyna omnibus facientibus eam.* Et: *Vinctis compaſſi eſtis: nolite igitur amittere con-*
fidentiam veſtram.

4. Fructus. Quartò, Conciliat beneuolentiam multorum, qui pro benefactoribus Deũ
precantur, eiſque vel gratiam conuerſionis, vel donum perſeuerantiæ, vel in-
crementum gratiæ, & gloriæ impetrant. Nam his omnibus modis intelligi
Luca 16. poteſt, quod Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cùm de-*
Matt. 10. *feceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Huc etiam pertinet illud: *Qui recipit*
iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Id eſt, qui eleëmoſynis ſuis iuſtum
fouet, particeps erit meritorum ipſius. Et quemadmodum S. Petrus Tabitam
corporaliter mortuam, ad preces viduarum, quæ ab ea eleëmoſynas acceperant

rant, excitauit: ita ſæpe Deus ſpiritualiter mortuos excitat ad preces ſanctorum pauperum, qui pro benefactoribus ſuis orant.

Quintò, Eleemoſyna diſpoſitio eſt ad gratiam iuſtificationis, ſi fiat ab eo, qui pœnitentiam agere incipit, & ex Dei motione, & auxilio ſpeciali. *Eleëmoſynis, & fide delicta purgantur.* Et Dominus: *Date eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et cùm Zachæus dixiſſet: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, &c.* Adiunxit Dominus: *Hodiè ſalus huic domui facta eſt.* Denique: *Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Et mitte in Ioppen, & accerſe Simonem, &c.* Ex quo loco probat S. Auguſtinus, Cornelium per eleemoſynas impetraſſe à Deo gratiam fidei Chriſtianæ, & perfectæ iuſtificationis. 5. Fructus. Prou. 15. Lucæ 11. Lucæ 19. Act. 10.

Sexto, Eleemoſyna ſæpe cauſſa eſt maioris abundantiæ bonorum temporalium. *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* Et apertiùs: *Qui dat pauperibus, nunquam egebit.* Idem exemplo ſuo Dominus docere voluit, cùm diſcipulis iuſſit, vt quinque panes, quos ſolos habebant, turbis egentibus apponerent. Nam turbis ſatiatis pro quinque panibus duodecim cophinos panibus plenos diſcipuli retulerunt. Tobias quoque, qui bona ſua cum pauperibus benignè communicabat, ingentes diuitias breui conſecutus eſt. Vidua etiam Sareptana, quæ modicum farinæ, & olei in vſum Prophetæ libenter inſumpſit, id à Deo obtinuit, vt farina, & oleum longo tempore nunquam ei defuerit. 6. Fructus. Prou. 19. Prou. 28.

Quæri ſolet: *Vnde ſumatur eleëmoſynæ magnitudo?* Tria ſunt, quæ maiorem eleemoſynam reddunt: magnitudo rei, quę datur; promptitudo voluntatis ad dandum; & dignitas perſonę, quę eleemoſynam facit. Nam, cęteris paribus, ſemper maior eleemoſyna eſſe cenſetur, & Deo gratior, quo plura, vel precioſiora dantur, quia donum ipſum eſt abſolutè, & ſimpliciter maius. Sic etiam, ceteris paribus, ſemper eleemoſyna maior exiſtimatur, quo maiori promptitudine, & feruore tribuitur. Siquidem in ea promptitudine includitur voluntas plura, & maiora tribuendi, ſi facultas ſuppeteret. Denique, ceteris paribus, eleemoſyna illa pluris à Deo fit, quæ proficiſcitur ab eo, qui iuſtior, ſanctior, & ipſi Deo gratior eſt: *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Ad Abel primùm, deinde ad munera eius. Verùm ſi hæc tria inter ſe conferantur, primum locum obtinebit feruor, & promptitudo voluntatis actualis; ſecundum bonitas perſonæ, ſiue magnitudo gratiæ habitualis; poſtremum, rerum, quę donantur, pretium, vel magnitudo. Hinc videlicet Dominus antepoſuit eleemoſynam duorum minutorum viduæ cuiuſdam egentis, ingentibus donarijs diuitum, quia, cùm illa dederit totum victum ſuum, ſine dubio tanta promptitudine animi dedit, vt parata fuerit multo plura, & maiora dare, quam diuites illi fecerint, ſi, quod dare poſſet, habuiſſet. Hinc etiam S. Patres paſsim anteponunt affectum cenſui. Quæſt. Reſp.

Tertium caput eſt: *Sitne præceptum aliquod de eleemoſyna facienda?* Sed hoc in dubium reuocari non poteſt: non enim in iudicio damnarentur, qui eleemoſynas non fecerunt, niſi pręceptum aliquod violaſſent. Damnari autem perſpicuum eſt ex Euangelio. Deinde, vnum ex primarijs præceptis eſſe: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum,* notum eſt ex ſcriptura. Proximum autem non verbo, & lingua diligere debemus, ſed *opere, & veritate.* Quamuis autem pręceptum De præcepto Eleemoſynæ. Matt. 25. Leuit. 19. Matt. 22. Rom. 13. 1. Ioan. 3.

coptũ Eleemoſynæ proprie ad Decalogũ non pertineat, cùm in Decalogo non ponátur, niſi pręcepta iuſtitię; Eleemoſynę autẽ pręceptũ charitatis eſt nõ iuſtitię: tamẽ ſolẽt Theologi omnia pręcepta moralia aliquo modo ad Decalogũ reuocare. Et alij quidẽ reducunt Eleemoſynæ præceptũ ad illud Decalogi: *Non furaberis*, quia genus furti eſſe videtur, non tribuere pauperibus, quod debemus. Alij verò reducunt ad pręceptũ: *Honora Patrem, & Matrem.* Quæ ſententia probabilior eſt: nam Apoſtolus ait: *Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſsionẽ habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Vbi commendans opera pietatis, quibus proximis ſubuenimus, indicat, ad illud præceptum eiuſmodi officia pertinere, quod habet promiſsionem vitæ. In nullo autem præcepto annexa eſt promiſsio vitæ, niſi in illo: *Honora Patrem*, &c. Deinde; Præceptum Eleemoſynæ ſine dubio eſt affirmatiuũ, non negatiuum. Includitur enim in illo: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* At in ſecunda tabula Decalogi nullum eſt pręceptum affirmatiuũ, niſi vnum illud: *Honora patrem*, &c. Cętera enim pertinent omnia ad mala, quæ cauere debemus, ne proximis inferamus. Itaque omnia bona, quæ proximis debemus, continentur in illis verbis: *Honora patrem*, &c. Sed ideo parentum ſolùm mentionem fecit Scriptura, quia ipſi in proximis primum locum tenent, & magis elucet ratio iuſtitiæ in eo, quod parenti, quam in eo, quod alij cuicunque debemus. Denique; Si præceptum Eleemoſynæ faciendæ non ad quartum ſed ad ſeptimum pręceptum Decalogi reuocaremus, id ſequeretur, vt ad reſtitutionem obligandus eſſet, qui Eleemoſynam nõ feciſſet: quod certè à communi ſententia ſcholarum abhorret.

1 Tim. 4.

Ex quibus ſit facienda Eleemoſyna. De ſuperfluis.

4. Caput eſt: *Ex quibus rebus corporalis Eleemoſyna fieri debeat?* Et primũ de ſuperfluis rebus (ſiue ſint ſuperflue naturę, ſiue perſonę) conuenit inter Theologos, tunc ſaltẽ præcepti neceſsitate ſuperfluum eſſe pauperibus erogandũ, quando occurrunt pauperes, qui extrema, vel graui admodum neceſsitate premũtur.

Dubit.

Sed quęſtio eſt: *An teneantur ſuperflua erogare, quia ſuperflua ſunt?* Et quamuis nõ deſint graues Theologi, qui contra ſentiant, nos tamẽ tutiorẽ, & veriorẽ eam ſententiã arbitramur, quę docet, ſuperfluas opes ſine peccato retineri nõ poſſe.

Reſp.
Prob. 1.
Matth. 6.
Luc 3.
Luc. 12.

Prob. hæc ſententia primò ex Script. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire: Non poteſtis Deo ſeruire, & Mãmonæ.* Seruire mãmonæ nihil eſt aliud, vt docent Chryſoſtomus, & Hieronymus, *in hunc locum*, niſi ſuperuacaneas diuitias cõgregare. Et: *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Vna tunica eſt veſtimentum vnicuique neceſſarium, etſi per hyemem alicui duæ, aut tres neceſſariæ ſint. Duæ ſuperfluum ſignificant. Neque dicit S. Ioannes: Det alteram frigore morienti; ſed, *Non habenti.* Neque eſt hoc conſiliũ, ſed pręceptum. Nam, cùm dixiſſet: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exſcindetur, & in ignem mittetur.* quærentibus turbis: Quid ergo faciemus? reſpondit: *Qui habet duas tunicas*, &c. Item; Diues quidam, cùm haberet bona plurima, cogitare cœpit, vbinã ea recondere poſſet: dictũ eſt autẽ illi: *Stulte, hac nocte repetunt à te animã tuã; &, quæ paraſti, cuius erunt?* Quare nõ ob aliud peccatũ damnatus eſt, niſi quia ſuperflua retinebat. Sicut etiã, quod ſequitur: *Sic eſt omnis, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum diues*: nihil ſignificat aliud, niſi perituros omnes, qui ſtudent augendis opibus non neceſſarijs; cùm potiùs ſtudere deberent, vt diuites fierent apud Deũ meritis bonorũ operũ. Itẽ; Deſcribitur alibi diues ille,

quæ-

qui induebatur purpura,& byſſo,& epulabatur quotidiè ſplendidè, & cùm aleret etiam Luc. 16.
canes,tamen vlceroſo Lazaro non miſerebatur. Nam iſte quoque non alia de
cauſſa damnatus eſt, niſi quia ſuperfluas opes in ſuperfluo cultu, & delicijs
inſumebat,cùm eas pauperibus diſtribuere debuiſſet. Neque Lazarus deſcri-
bitur in extrema neceſsitate,ſed planè talis,quales in plateis,vel ante fores di-
uitũ videmus quotidiè. Ad hæc; *Quod ſupereſt,date Eleemoſynam*. Et quamuis vox Luc. 11.
Greca, τὰ ἐνόντα. ſignificet, quæ adſunt:tamen interpres rectè expoſuit ſenté-
tiam Domini,& vertit,*quod ſupereſt*,id eſt,quod vobis adeſt vltra neceſsitaté.

Probo ſecundo ea ſententia teſtimonijs Patrum. Prob. 2. & 3.

Probo tertio rationibus. Prima ratio: debet vnuſquiſque diligere proxi- 1. Ratio.
mum,ſicut ſeipſum vt omnes concedunt.At hoc fieri nõ poteſt, ſi ne ſuperflua
quidem cum illo egẽte cõmunicare velit. Immò,qui eiuſmodi eſt,in vtroque
extremo verſatur:nam non ſolùm non diligit proximũ quantum oportet;ſed
etiam ſe ipſe diligit plus quàm oportet.

Secunda ratio: Qui diuitias habent, quamuis reuerà Domini ſint opum 2. Ratio.
ſuarum iuſtè acquiſitarum, ſi comparentur ad alios homines; tamen ſi confe-
rantur ad Deum,non tam Domini,quàm diſpenſatores dici debent,vt perſpi-
cuum eſt ex parabola illa de villico iniquitatis,& ex ipſa ratione. Nam Deus Luc. 16.
omnia creauit,& eius prouidentia fiunt homines,aut diuites,aut pauperes: &
Deo ſine dubio de diuitijs ſuis rationem reddituri ſunt. Igitur ſecundum vo-
luntatem Dei diuitias ſuas erogare debent. Non vult autem Deus, qui Pa-
ter eſt omnium,& qui mundum creauit in communẽ omnium vtilitatem, vt
alij ſint ita diuites, vt abundent ſuperfluis; alij ita pauperes, vt careant neceſ-
ſarijs.

De neceſſarijs autem naturæ,vel perſonæ, an ſit eleemoſyna facienda,mul- De neceſſa-
ta diſputant Theologi: nos breuiter aliquod capita attingemus. rijs.

Primùm igitur de neceſſarijs naturæ propriꝭ non videtur Eleemoſyna fieri
debere, niſi fortè publica aliqua perſona, ex qua ſalus Reipub. pendet in ex-
trema neceſsitate verſetur. Id enim exigit ordo charitatis, vt non diligamus
proximum magis,quàm nos ipſos, niſi fortè ex proximi alicuius ſalute ſalus
penderet Reip. vniuerſæ.

Secundo de neceſſarijs perſonæ, vel ſtatus, ſed ſuperfluo naturæ,eleemoſy-
na fieri debet pauperibus, neceſsitatem patientibus. Nam & id poſtulat ordo
charitatis, vt pluris faciamus vitam proximi noſtri, quàm ſtatum, & condi-
tionem noſtram.

Tertio non ſemper eſt neceſſe, donare; ſed tunc ſolùm, quando egenti, ne-
que per mutuum, neque per venditionem, neque alia ratione ſuccurri poteſt.
Nam,ſi quis fortè vno in loco pecunijs egeat,quibus in alio abundet,ſatis erit
ei,pecunias mutuò dare: & hoc ipſum genus eleemoſynꝭ eſt,iuxta illud: *Iucũ-* Pſal 111.
dus homo,qui miſeretur,& commodat. Et: *ſænerare proximo tuo in tempore neceſſitatis* Eccl. 29.
illius. Vbi per vocem, *fænerare*, nihil aliud, niſi mutuare intelligendum eſt.
Itaque Tobias,qui multis pauperibus multa largiebatur, Gabelo tamen egé-
ti,ſed alioqui locupleti, non donauit, ſed ſub chyrographo pecunias mutuò
dedit. Ioſeph quoque Patriarcha in ſumma annonæ caritate ijs,qui pecuniam
habebant,non donauit frumenta,ſed vendidit.

Quarto

Quartò, Dare in eleemoſynam tantum de ſuis rebus, vt non poſſit quis deinceps viuere ſecundum dignitatem proprij ſtatus, vitium eſt: niſi velit is mutare ſtatum, aut occurrat extrema neceſsitas proximi, aut grauis neceſsitas Reip. In his enim caſibus, virtutem eſſe, largiter ſua profundere, exempla Script. & Patrum, id nobis apertiſsimè perſuadent. Nam vidua illa, quæ totum victum ſuum miſit in donaria Dei, non reprehenditur, ſed laudatur à Chriſto. Et Apoſtolus Macedones laudat, quod non ſolùm ſecundum virtutem, ſed etiam ſupra virtutem eleemoſynas fecerint. Ipſe etiam Apoſtolus non ſine aliquo detrimento non ſolùm perſonę, ſed etiam naturæ, donabat populis id, quod iure exigere potuiſſet, ac labore manuum ſe, ac ſuos, vt poterat, ſuſtentabat. S. quoque Martinus, cùm pauperi occurrenti dimidium chlamydis dedit, non ſuperfluum, ſed planè neceſſarium dedit. S. Gregorius Nazianzenus parentem ſuum Gregorium valdè commendat, quod non tantum ſuperflua, ſed etiam, quæ neceſſaria ſibi erant, pauperibus largiri ſolitus eſſet. S. Hieronymus refert Paulam Roman. cùm eſſet alioqui ditiſſima, ita omnia pauperibus erogaſſe, vt ne quidem nummum filiæ dereliquerit. Sanct. Paulinus Epiſcopus Nolæ, cùm omnia, quæ habebat, in captiuorum redemptione, & egentium neceſsitate conſumpſiſſet, ad extremum ſeipſum dedit in ſeruum, vt alium quendam à ſeruitute liberaret. S. Benedictus, cùm videret, Prouinciam, in qua erat, grauiter fame laborare, omnia, quæ in monaſterio reperire potuit, pauperibus erogauit. Ipſe quoque S. Gregorius, cùm aliquãdo pecunias omnes, & veſtes, quas domi habebat, pauperibus dono dediſſet, argenteum etiam vas, quod vnum remanſerat, pauperi petenti dari iuſsit, dicens, malle ſe nihil habere, quàm pauperes ſine conſolatione dimittere. Sanct. Ioannes eleemoſynarius ita liberaliter omnia prorſus, quæ habere poſſet, pauperibus erogauit, vt ipſi accipientes ſępe mirarentur. Quibus ipſe reſpondere ſolitus erat: Frater, nondum pro te ſanguinem fudi, ſicut mandauit mihi Dominus meus, Chriſtus.

Lucæ 21. — *Act. 20. & Cor. 9.* — *In oratione de obitu patris ſui.* — *In vita Paulæ.*

De malè partis.

Porrò de opibus partis, an de ijs eleemoſyna fieri poſsit, aut debeat, facilis eſt reſponſio. Tria enim genera ſunt malè partorum. Sæpe enim ita ſunt malè parta, vt iniuſtitia tantùm ſit eius, qui acquiſiuit; non eius, qui amiſit: vt cùm ex furto, rapina, vſura lucrum accedit. Interdum verò iniuſtitia communis eſt: vt cùm per Simoniam, iudicij ſubuerſionem, vel patriæ proditionem aliquid acquiritur.

Denique, aliquando nec in dante, nec in accipiente iniuſtitia eſt; & ideò lucrum tale non iniuſtum, ſed turpe, ac ſordidum appellatur, quale eſt lenonum ius, meretricum, & hiſtrionum. Igitur ex rebus malè partis primo modo, eleemoſyna fieri non poteſt, niſi in extrema pauperum neceſsitate, quia eleemoſyna ex proprijs fieri debet. Res autem primo modo malè partæ, alienæ ſunt, & reſtitutioni obnoxiæ. Ex *ſubſtantia tua fac eleemoſynam*. Et: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum da ei*. Et: *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*. Et: *Frange eſurienti panem tuum*. De rebus malè partis ſecundo modo, id eſt, cùm lucrum iniuſtum eſt, tam ex parte dantis, quàm accipientis, fieri quidem poteſt eleemoſyna, ac debet, quia lucrum illud ad pauperes pertinet, cùm illud neque poſsit retinere, qui iniuſtè accepit, nec mereatur recipere,

Tob. 4. Prou. 3. Eccli. 34. Ya. 58.

pere,qui iniuſtè dedit: tamen ea propriè non tam eleemoſyna,quàm reſtitutio dici debet. Interdum tamen lucrum Simoniacum Eccleſiæ illi conferendum eſt,in cuius iniuriam Simonia eſt commiſſa.De lucro turpi eleemoſyna quidē fieri poteſt;quamuis Eccleſia iuſtis de cauſſis non admittat Hiſtrionum,Leonum,Meretricum, & ſimilium perſonarum. Id enim facit, tum ob reuerentiā rerum ſacrarum:tum,vt eiuſmodi homines confundātur,& reſipiſcant: tum, ne videatur eorum facta approbare:tum denique ad imitationem Teſtamenti *Deut. 3.*
veteris, in qua lege ſancitum erat, vt non offerretur merces proſtibuli in domo Domini. Nunc autem vt ad quintum & ſextum caput veniamus,ſciendum eſt,licitum eſſe Chriſtianis poſſidere diuitias.

Nemo autem,quod ſciam,in quæſtionem vocauit;An iure Naturæ,& Gētium licitum eſſet habere proprias opes?Non defuerunt tamen,qui lege Euāgelica diuitias, ac rerū proprietatem Chriſtianis interdictas eſſe cōtenderent. *Licitum Chriſtianis poſſidere diuitias.*

Qui error refutatur primo quia Dominus petenti diuiti adoleſcenti , quid *Prob. 1.*
opus facto eſſet ad conſequendam vitam æternam,non ait:abijce omnes diuitias; ſed, *Si vis ad vitam ingredi,ſerua mandata.* Deinde conſilium perfectionis, *Matth. 19. Prob. 2.*
non præceptum neceſſitatis expoſuit,dicens: *Si vis perfectus eſſe,vade,vende omnia,quæ habes,& da pauperibus,*&c.

Secundo,Sanctus Petrus,cùm Ananiæ dixit: *Nónne manens tibi manebat,& venundatus in tua erat poteſtate?* Satis apertè ſignificat liberum fuiſſe Ananiæ,quāuis Chriſtiano, agrum ſuum non vendere, & precium agri iam venundati nō offerre Apoſtolis,neque in commune conferre. *Act. 5.*

Tertio,Sanctus Paulus de diuitibus ita loquitur: *Diuitibus huius ſæculi præcipe,non ſuperbè ſapere,facilè tribuere,* &c. At certè non decipiebat Apoſtolus diuites,& tamen non eis dicebat renunciare diuitijs. *Prob. 3. 1. Tim. 6.*

Quarto, Scriptura paſſim prohibet furta,imperat reddi debita,iubet ſolui tributa,cōmendat eleemoſynam,& laudat mutuātes:quæ certè omnia manifeſtè clamant,à Spiritu Sancto nō improbari proprietatē,& rerū poſſeſſionē. *Prob. 4.*

Quinto,ſemper in Eccleſia fuit vſus collectarū, id eſt,vt Dominicis diebus in conuentu Eccleſiæ à diuitibus colligeretur, quod pauperibus erogaretur; idque pro arbitrio,& voluntate diuitum, vt patet ex Apoſtolo & Patribus. *Prob. 5. 1.Cor 16. 2.Cor. 8. 9.*

Sexto,Patres communi conſenſu docent,conſilium eſſe, non præceptum, abdicare à ſe proprietatem,& dominium rerum ſuarum. *Prob. 6.*

Poſtremò accedat ratio ducta ab vtilitate,vel potiùs neceſſitate diuiſionis rerum,ex qua proprietas orta eſt. Siquidem fieri non poteſt, poſita corruptione generis humani, vt pacificè, ordinatè, & diligenter res adminiſtrentur, niſi vnuſquiſque rerum ſuarum curam ſuſcipiat : nam , ſi omnia eſſent communia,multi vellēt rebus melioribus vti,atque inde rixæ,contētiones,& prœlia orirentur. Quæ fuit cauſſa, cur Abraham ſeparari coactus fuerit à Loth. Item;Si eſſent omnia communia, qui eſſent robuſtiores cęteris, illi ſine dubio præualerent, minus laborarent, & plura conſumerent. Denique; Si eſſent omnia communia, vix inueniretur, qui diligentiam adhiberet agris colendis, & rebus cęteris procurandis. Quis autem credat legem Euangelicam, quæ perfectiſſima eſt, & naturam non deſtruit, ſed exornat, de medio tollere voluiſſe vtilitatem, quæ naſcitur ex diuiſione rerum , & incommoda , *Prob. 7. Gen. 13.*

atque abſurda illa adducere, quæ ex cõmunione, & confuſione naſcuntur.

Quis debeat facere eleemoſinam. Iam verò quintum caput eſt: *Quis eleemoſynam facere debeat?* Siquidem, cùm eleemoſynam facere, diuitum; accipere, pauperum ſit; id ſequitur, vt illi ſoli poſsint, & debeant, qui verè diuites ſunt, id eſt, qui proprietatem, & dominium diuitiarum habent. Qui verò proprietatem, & dominium non habent, vt vxores, quæ ſunt in poteſtate virorum; filij, qui ſunt in poteſtate patrũ, ſerui, qui ſunt in poteſtate dominorum; & Regulares, qui ſunt in poteſtate præpoſitorũ, non debent, nec poſſunt eleemoſynas facere, niſi in extrema neceſsitate, vel ex conſenſu tacito, vel expreſſo ſuperiorum, & in certis alijs caſibus.

Cui facienda ſit. Sextum caput eſt: *Cui ſit eleemoſyna facienda?* De quo vna ſolũ occurrit dubitatio: *Vtrum ſcilicet peccatori eleemoſyna ſit facienda?* Nam ſcriptum eſt: *Da bono, & ne receperitis peccatorem, prohibe panes illi dare,* &c. *Dubitat. Eccl 12.*

Reſp. Sed facilis eſt reſponſio: Nam peccatoribus ea ratione, qua peccatores ſunt, non eſt eleemoſyna facienda, quia hoc nihil aliud eſſet, quàm diligere iniquitatem. Et ſicut, qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet id eſt, vitam ſempiternam: ſic etiam, qui recipit peccatorem in nomine peccatoris, mercedem peccatoris accipiet, id eſt, mortem ſempiternam. Peccatoribus tamen, quia homines miſeri ſunt, facienda eſt eleemoſyna. Nam *ſi eſurierit inimicus tuus, ciba Deum.* Et: *Benefacite his, qui vos oderunt.* Et: *Omni petenti tribue.* Et: *Operemur bonum ad omnes.* Idem docent Sancti Patres. Cæteris paribus tamen anteponendi ſunt boni malis, quando vtriſque ſuccurri non poteſt; tum, quia iuſti ſunt digniores, qui iuuentur; tum etiam quia id vtilius eſt ijs, qui eleemoſynam faciunt. *Rom. 12. Matth. 5. Luc. 6. Gal. 6.*

Septimum caput eſt: *Quomodo ſit eleemoſyna facienda?* Quinque potiſsimum conditiones ex Scriptura, & Patribus colliguntur. *Quomodo facienda.*

Prima vt fiat intentione placendi Deo: non autem ad captandam auram popularem. *Cùm facis eleemoſynam, noli tuba canere,* &c. Et: *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextra tua.* Vbi per dexteram intelligit Sanctus Auguſtinus intentionem operandi propter vitam æternam: per ſiniſtram intentionem operandi propter honorẽ temporalẽ: vt ſententia Domini hæc ſit: Cùm facis eleemoſynam, caue ne intentio fauoris humani ſe admiſceat intentioni vitæ æternæ. *Matth. 6. Tract. 6. in epiſtola Ioannis.*

Secunda vt eleemoſyna fiat prõptè, & non extorqueatur precibus, nec differatur de die in diem. *Ne dicas amico tuo: vade, & reuertere; cras enim dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare.* Sic Abraham hoſpites rogat, vt ad ſe diuertant; non expectat, vt ab ijs rogetur: quod idem facit Loth. Tobias quoque per ſingulos dies diſcurrebat pauperes quærens, quibus eleemoſynam faceret. *Prou. 3. Gen 19. Tob. 1.*

Tertia vt hilariter. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et: *Non ex triſtitia, aut ex neceſsitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* *Eccl 35. 2. Cor. 9.*

Quarta vt humiliter fiat, & exiſtimet, qui dat eleemoſynam, non tam ſe dare, quàm accipere beneficium.

Quinta vt abundanter fiat, pro modo facultatum. *Quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si exiguum tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri ſtude.* Apoſtolus etiam dicit, eleemoſynam dandam eſſe, vt benedictionem; non vt auaritiam: quoniam *qui parcè ſeminat, parcè & metet.* *Tob. 4. 2. Cor. 9*

FINIS.

INDEX CAPITVM
TERTIÆ PARTIS
Demonſtrationis fidei Chriſtianæ,
DE GRATIA.
LIBER I.
De gratia primi hominis:

CAp. I. De gratia animæ primi hominis, ſeu Iuſtitia originali.
II. De gratia corporis, ſeu immortalitate corporis.
III. De gratia loci, ſeu Paradiſo.

LIBER II.
De amiſsione gratiæ, & ſtatu peccati.

I. De peccati definitione, & diuiſione.
II. De diſtinctione peccati venialis, & mortalis.
III. Deum non peccare, nec eſſe peccati auctorem.
IV. De tentatione primorum parentum.
V. De ipſo peccato primorum parentum.
VI. De pœna primi peccati, & pœnitentia primorum parentum.
VII. Sitne aliquod peccatum originis?
VIII. Vnde, ad quos, & quod peccatum trahatur?
IX. Quid ſit peccatum originis?
X. De pœna infantium ſiue Baptiſmo diſcedentium.
XI. De pœna peccati originalis aliquamdiu ſuperuiuentium.

LIBER III.
De gratia, & libero arbitrio.

I. De nomine, & partitione gratiæ.
II. De gratia permanente, ſeu habituali.
III. De gratia gratis data.
IV. De gratia ſufficienti, efficaci; operante, & cooperante.
V. De gratiæ communicatione, & prædeſtinatione.
VI. De nomine, & definitione, ſeu natura liberi arbitrij.
VII. De viribus liberi arbitrij in operibus naturalibus.
VIII. De viribus liberi arbitrij in rebus moralibus.

x. De cooperatione gratiæ, & liberi arbitrij.

LIBER IV.

De iuſtificatione.

I. De nomine Iuſtificationis, Iuſtitiæ, & cauſsis Iuſtificationis.
II. De fide iuſtificante.
III. An fides ſola iuſtificet?
IV. De cauſſa formali Iuſtificationis.
V. De incertitudine, mutabilitate, & inæqualitate Iuſtitiæ.
VI. De neceſsitate iuſtitiæ operum, ſeu actualis.
VII. De veritate iuſtitiæ operum, ſeu actualis.
VIII. An ſit meritum, & quid ſit?
IX. Quale ſit meritum? & de merito ex condigno.

LIBER V.

De bonis operibus in particulari.

I. De Oratione in genere.
II. De diuino officio, ſiue horis canonicis.
III. De Ieiunio.
IV. De Eleemoſyna.

FINIS.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVAE HOC VOLVMINE TRACTANTVR.

A.

Abbas.

ABbas an dare poſsit indulgentias? 335.

Abſolutio.

Abſoluendi probatur auctoritas. 599. 600.

Acolutus.

Acolutorum officium. 223.

Adam.

Adam non fuit creatus, qualis nunc naſcitur, pronus ad malum, infirmus, ignorans, &c. 671. 672.

Adam non quamlibet animi rectitudinem, ſed ipſam etiam gratiam gratum facientem in creatione accepit. 672

Adam iuſtitia originali, & habitu gratiæ gratum facientis ornatus, non eguit auxilio ſpeciali, quo ad bene operandum excitaretur, vel ad vitanda peccata. 673

Rectitudo illa, qua Adam creatus eſt, donum ſupernaturale fuit. Ibid. & ſeq.

Adam an propriè dici poſsit ſeductus? 704. 705

Adam & Euam ſaluos eſſe. 712. 713

Adorare.

Adorationem tres actus complecti. 352. 353

Non eſt dicendum, imagines vllas adorari debere latria. 368

Imago per ſe, & propriè non eſt adoranda eodē cultu, quo exemplar. 369

Anima.

Animas Sanctorum non fuiſſe in cœlo ante aſcenſionem Chriſti. 68.

Animæne aliquæ aliæ liberatæ ſint, præter iuſtorum, quæ erant in ſinu Abrahæ? 70

Animarum loca poſt hanc vitam. 309

An ex locis ſuis egredi poſsint poſt hanc vitam? 310. 311.

Antichriſtus.

Antichriſti nomen ſignificare aliquem Chriſto contrarium. 109. & ſeq.

Antichriſti tempus. 111

Antichriſti ſigna ſex. 111. & ſeq.

Antichriſti nomen. 116

Antichriſti generatio. 117

Antichriſti ſedes. 117. 118

Antichriſti doctrina. 118. 119

Antichriſti miracula. 119. 120

Antichriſti regnum, & prælia. 120

Apoſtata.

Apoſtatas extra Eccleſiam eſſe. 184

B.

Baptiſmus.

BAptiſmi nomen. 440

Baptiſmi definitio. Ibid.

Baptiſmi materia. Ibid. 441

Baptiſmi forma. 441

Baptiſmi neceſsitas. 442

Baptiſmus ante paſſionem Domini inſtitutus eſt. 442

Baptiſmus Chriſti inſtitutus eſt, quando à Ioanne baptizatus eſt. 443

Baptiſmus Chriſti non fuit neceſſarius neceſſitate medij, aut præcepti ante Chriſti mortem. ibid.

Baptiſmus Chriſti cępit eſſe neceſſarius neceſsitate medij, aut pręcepti, in die Pentecoſtes; ibid. 444.

Baptiſmi miniſter. 446

Licere laicis in neceſsitate baptizare. 447

Baptizandos eſſe infantes. 448. 449

Baptiſmo realiter tolli omnia peccata. 452. & ſeq.

Baptiſmus Chriſti neceſſariò percipiendus erat poſt Baptiſmum Ioannis. 455

Cæremoniæ ante Baptiſmum. 456

Cæremoniæ in Baptiſmo. 457

Cæremoniæ poſt Baptiſmum. ibid.

Beatitudo.

Beatos eſſe ſpiritus piorum hominum corpore ſolutos. 345. & ſeq.

Bellum.

Bella Chriſtianis eſſe licita. 283

Belli iuſti conditiones. 284. & ſeq.

DDDDDd 3 Bene-

Benedictio.

Benedicuntur rectè aqua, oleum, panis, cerei, cineres, rami, &c. 383
Benedictis illis rebus rectè vtimur ad effectus ſupernaturales efficiendos, & ſignificandos. ibid. 384.

Bigamia.

Bigamos non poſſe ordinari. 230. 231

Bona Eccleſiaſtica.

Licere Clericis habere bona Eccleſiaſtica dono laicorum, maximè Principum. 235. 236
Non obligantur Clerici propter clericatum dimittere patrimonium. 236. 237

C.

Cardinalis.

Cardinalis nomen, officium. 226. 227
Cardinalium cum Epiſcopis comparatio. 227.

Carolus Magnus.

Caroli Magni felicitas. 147
Caroli Magni ſucceſſio. ibid.

Chaldaica lingua.

Chaldaica lingua editi libri. 3.

Character.

Character quid ſit, & quod eius officium? 423
Character eſt in ſola anima. 424
Character indelebilis eſt. Ibid.
Characterem imprimunt tria ſolum Sacramenta. Ibid.
Characterem non imprimebat vllum Sacramẽtum vetus. 425
Character in Chriſto nullus fuit. ibid.
Characterem eſſe. ibid.

Canonizare.

Canonizandi an ſint Sancti? 349
Canonizare cuius ſit? 350
Canonizatos nondum Sanctos an colere liceat? 351. 352

Cantus.

Cantus vtilitates. 921

Cathecumeni.

Cathecumenos extra Eccleſiam eſſe. 184

Certitudo.

Certitudo quid? 844
Certitudinis diuiſiones. Ibid. 845
Certitudinem fidei de ſua iuſtitia in hac vita non poſſunt habere homines, iis exceptis, quibus Deus hoc reuelauit. 845. & ſeq.
Certitudinem fidei de ſua prædeſtinatione, & electione ad gloriam non poſſunt homines in hac vita habere ſine ſpeciali reuelatione. 849. 850.

Cæremonia.

Cæremonia quid ſit? 432
Cæremoniæ nomen. ibid.
Cæremoniæ partitiones quinque. ibid. 433
Cęremonias aliquas Chriſtus, vel Apoſtoli inſtituerunt, quas ex nulla Scriptura, ſed ex ſola traditione habemus. 433
Cæremoniæ aliquæ vim habent ſpiritualem. ibid.
Cæremoniæ ab Eccleſia inſtitutæ non poſſunt omitti ſine peccato, etiam citra ſcandalum. 435. 436
Cęremonias eſſe vtiles. 436. 437
Cæremonias eſſe meritorias. 437
Cæremonias eſſe partem cultus diuini. ibid.

Cœlibatus.

Cœlibatum ſolo Eccleſiæ decreto annexum eſſe Ordinibus ſacris. 228
Cœlibatum perpetuum rectè annecti Ordinibus ſacris. 229. 230

Chorepiſcopi.

Chorepiſcopi qui? 227.

Chriſma.

Chriſma, quod eſt materia Sacramenti Confirmationis, conſecratum prius, & benedictum eſſe debet. 460
Chriſmatis vnctio ad crucis figuram in fronte baptizati fieri debet. ibid.

Chriſtus.

Chriſtum duas habuiſſe naturas, probatur. 55. 56
Chriſti animam à ſua creatione repletam ſcientia, & gratia. 65. 66
Chriſtum non pertuliſſe pœnas damnatorum. 66 67
Chriſtum verè ad inferos deſcendiſſe. 68. 69
Chriſtum propriè, & reipſa ad inferos deſcendiſſe, non per effectum. 69
Chriſtus ad quæ loca inferni deſcenderit? 70.
Chriſto an pœna aliqua fuerit eſſe in inferno? ibid.
Chriſti deſcenſus ad inferos quid animabus iuſtorum contulerit? ibid.
Chriſtus ſecundum quam naturam Mediator fuerit? 71. & ſeq.
Chriſtus an ſibi aliquid meruerit? 74
Chriſtus an ſoli ſummo Pontifici conſuluerit

ſit iuriſdictionem Eccleſiaſticam immediatè? 230.

Circumciſio.

Circumciſio an iuſtificauerit ex opere operato? 419.& ſeq.

Claues.

Claues Petro datæ quid ſignificent? 90

Clericus.

Clerici nomen. 213.214

Communicatio.

Communicatio idiomatum in Chriſto quid ſit? 61.

Communicatio idiomatum realis in Chriſto negatur. 62.

Cognatio.

Cognationis,& agnationis differentia. 652

Cognationis gradus iure ciuili. 653.

Cognationis gradus iure canonico. ibid.& ſeq.

Cognationis gradus prohibiti lege Moyſis, ciuili,& Eccleſiaſtica. 654 & ſeq.

Ratio ſupputandi gradus cognationis ſecundum canones optima eſt. 655

Concilium.

Concilij origo. 149

Concilij nomen. 150

Concilia Generalia, Nationalia, Prouincialia, Diœceſana. 150

Concilia approbata. 151.152.153

Concilia reprobata. 153.154

Concilia partim approbata, partim reprobata. 154.155

Concilium nec approbatum, nec reprobatum. 155.

Conciliorum cauſa finalis. 156

Conciliorum vtilitas, neceſsitas. 157.158

Conciliorum cauſa efficiens. 158.159.160

Conciliorum materia. 160.161

Conciliorum generalium conditiones quatuor. 162.

Conciliorum forma. 163.& ſeq.

Concilia generalia à ſummo Pontifice confirmata non poſſe errare,nec in fide, nec in moribus. 167.& ſeq.

Concilia particularia à ſummo Pontifice confirmata in fide,& moribus errare non poſſunt. 170.

Concilia à ſummo Pontifice non confirmata an certam fidem faciant? ibid. & ſeq.

Conciliorum, & Scripturæ ſacræ diſcrimina. 174.175

Conciliorum cũ Papa comparatio. 176.& ſeq.

Concilium generale an dare poſsit indulgentias plenarias? 534

Confeſsio.

Confeſsionis neceſsitas probatur. 598.& ſeq.

Confirmatio.

Confirmationem eſſe Sacramentum. 458.

Confirmationis materia eſt Chriſma, ſeu vnctio. 459.

Confirmationis materia eſt oleum mixtum balſamo. ibid.

Confirmationis forma. 460

Confirmationis effectus. ibid.

Confirmationis miniſter. 461

Cæremoniæ ante Confirmationem. 461

Cæremoniæ in Confirmatione. 462

Conſilia.

Differentia Conſilij à præcepto. 246

Conſilia tria Euangelica probantur Deo grata. ibid.& ſeq.

Continentia.

Continentiæ votum Deo eſſe gratum. 259.& ſeq.

Contritio.

Contritio non eſt terror ex minis legis conceptus. 578.579.

Contritio non eſt paſsio, ſed actio libera. 579.

Contritio ad Euangelium maximè pertinet. 580.

Contritio eſt opus bonum, & à peccatis liberat, ac opera bona,& benedictiones adducit. 581

Contritio an haberi poſsit ſine ſpeciali auxilio Dei cor humanum præueniente, & adiuuãte? ibid. 582.

Contritio an includat odium, & deteſtationem peccati præteriti? 582.583.

Contritio an includat propoſitum rectè viuendi? 583.584

Contritio ſaltem imperfecta omnino neceſſaria eſt adultis neceſsitate medij ad remiſsionem peccatorum. 585

Contritionis extat præceptum diuinum. ibid.

Contritio,quæ ſit futura ſufficiens ad remiſsionem peccati, non debet eſſe æqualis magnitudini iræ diuinæ. 586

Contritio debet eſſe dolor ſummus de peccatis, ſaltem appreciatiuè. ibid.

Contritio non debet eſſe dolor ſummus intenſiuè. 587.588

Contritio non requirit certum gradum intenſionis,neque moram vllam temporis. 588

Contritionis etiam non requiruntur tot actus, quot peccata. ibid.

Vtiliſsimum tamen eſt peccata ſingula amariſsimè,& longo tempore deflere. 589

Contri-

Contritionem cauſam eſſe remiſsionis peccatorum. ibid.
Contritio an remittat peccata ante abſolutionẽ Sacerdotalem? 590 591.
Contritio vera an deleat omnia peccata? 592
Contritio orta ex timore ſeruili an ſit bona? 596. & ſeq.

Crux.

Crux Domini qualis fuerit? 371
Crucis lignum venerabile eſſe. ibid. & ſeq.
Crucis imaginem venerabilem eſſe. 373. 374

Cultus.

Cultum minorem diuino, & maiorem merè humano Sanctis deberi. 354 & ſeq.
Colendæ ſunt imagines Chriſti, & Sanctorum etiam per ſe, & propriè. 368
Imagines poſſe coli impropriè, vel per accidens eodem genere cultus, quo exemplar. 369
Cultus, qui per ſe, & propriè debetur imaginibus, eſt cultus quidam imperfectus. 370

D.

Decimæ.

Decimas non eſſe puras eleẽmoſynas. 231. 232.
Decimas etiam malis Sacerdotibus deberi. 232
Decimas etiam deberi diuitibus. ibid.
Decimas quoad determinationem quantitatis non eſſe de iure diuino. ibid. 233
Decimarum ſoluendarum præceptum an poſſit contraria conſuetudine abrogari? 233
Decimas an Laici pauperes teneantur Clericis diuitibus perſoluere? 234
Decimas nullas ſoluentes, vbi non eſt conſuetudo, an à peccato excuſentur? ibid.
Decimarum determinationem Eccleſiæ iuſtam eſſe. ibid. 235

Deus.

Deus vnus eſſe, probatur. 30. 31. 32
Dei filium eſſe verum Deum, probatur. 32. 33. & ſequentibus.
Dei veri nomina. 38. 39. 44
Dei veri attributa. 39. 40. 44
Dei veri propria opera. 41. 45
Deum verum eſſe Spiritum ſanctum, probatur. 44. 45. 46.
Deum non peccare, nec peccati auctorem eſſe. 694. & ſeq.
Nulla in Deo eſſet iniquitas, ſi non ſolum aliquibus, ſed etiam omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem denegaret. 758
Diuitiæ gratiæ, & iuſtitiæ Dei magis oſtendũtur in electione, & reprobatione hominum, quã Angelorum. 761. 769
Deus an ſit verè, ac propriè liberi arbitrij? 779. & ſeq.
Deum eſſe, & eſſe vnum, an poſſit cognoſci lumine rationis, abſque gratiæ ſpeciali auxilio? 782. 783.

Diaconus.

Diaconorum officium. 223. 224

Diſpenſatio.

Diſpenſare nullus homo poteſt circa polygamiam vxoris cum multis viris, quam viri cum multis vxoribus, maximè poſt Euangelium prædicatum. 637
Diſpenſare poteſt Deus circa polygamiam vnius viri cum pluribus vxoribus, non autem vnius vxoris cum multis viris. ibid.
Vt Deus dicatur diſpenſare circa polygamiam, requiritur peculiaris inſpiratio Dei. ibid. 638
Diſpenſatio circa polygamiam radicata eſt à Deo inprimis aliquot Patribus: deinde illorum verbo aut exemplo ad ceteros peruenit. 638
Diſpenſationem illam probabile eſt omnibus conceſſam eſſe, non ſolum Hebræis. ibid.
Diſpenſationem hanc probabile eſt ante Chriſti aduentum ceſſaſſe: aut certum omnino à Chriſto ſublatam eſſe. 639
Diſpenſare poteſt ſummus Pontifex, ſi cauſſa iuſta id poſtulet, cum fideli, vt cum infideli Matrimonium contrahat. 652

Dominica dies.

Dominicæ diei antiquitas, inſtitutio, ritus. 387 389.

E.

Eccleſia.

Eccleſiam rectè Symbolo addidiſſe, Filioq. 53. 54
Eccleſiam ſuper petram ædificari quid ſit? 88 89.
Eccleſia Romana particularis non poteſt in fide errare. 125. 126
Eccleſiæ nomen. 182
Eccleſiæ definitio. 183
Eccleſiam eſſe viſibilem. 192. 193
Eccleſiam non poſſe deficere. 193. & ſeq.
Eccleſiam non poſſe errare. 195
Eccleſiæ Catholicæ nomen. 197
Eccleſiæ antiquitas. ibid. & ſeq.
Eccleſiæ duratio non interrupta. 199. 200
Eccleſiæ amplitudo. 200
Eccleſia habet ſucceſsionem Epiſcoporum ab Apoſtolis. 201. & ſeq.
Eccleſia Catholica conſpirat in doctrina cum antiqua

antiqua Eccleſia. 203. 204
Eccleſia habet vnionem membrorum inter ſe, & cum capite. 204
Eccleſia habet ſanctitatem doctrinæ. 205
Eccleſia habet efficaciam doctrinæ. 205
Eccleſia habet ſanctos auctores, ſiue primos Patres. 206
Eccleſia habet gloriam miraculorum. 206. & ſeq.
Eccleſia habet lumen Propheticum. 209. 210
Eccleſia habet confeſsionem aduerſariorum. 210. 211.
Eccleſiam oppugnantes infeliciter perierunt. 211 & ſeq.
Eccleſia inſtituere poteſt nouas cæremonias, nõ quidem ad iuſtificandum impium, ſed ad alios effectus ſpirituales. 434
Eccleſiam poſſe reddere perſonas habiles, vel inhabiles ad Matrimonium. 643
Eccleſiam ad hoc cauſſam habuiſſe. ibid. 649
Eccleſia rectè olim prohibuit coniugia vſque ad ſeptimum, poſtea verò vſque ad quartum gradum conſanguinitatis. 661. 662

Eleemoſyna.

Eleemoſyna quid? 935
Eleemoſynæ diuiſio. ibid. 936
Eleemoſynæ fructus varij. 936. 937
Eleemoſynæ magnitudo vnde ſumatur? 937
Sitne præceptum aliquod eleemoſynæ faciẽdæ? 937 938
Eleemoſyna corporalis ex quibus rebus fieri debeat? vbi & de malè partis, & ſuperuacaneis, ac de neceſſarijs opibus diſſeritur. 938. & ſeq.
A quo ſit Eleemoſyna facienda? 942
Cui facienda ſit? 942
Eleemoſyna qua ratione, & modo facienda ſit?

Electio.

Electio Epiſcoporum non pertinet iure diuino ad Clerum, ſed ad ſummum Pontificem. 219
Elegendi ratio ſummi Pontificis per ſolos Cardinales eſt omnium optima. ibid.

Epiſcopus.

Epiſcopum maiorem eſſe Presbytero iure diuino, quoad Ordinis poteſtatem. 224 225
Epiſcopum maiorem eſſe Presbytero iure diuino, quantum ad iuriſdictionem. 225. 226
Epiſcopus Princeps eſt in cœtu Presbyterorum. 226.
Epiſcopus an dare poſsit indulgentias? 934

Epiſtola.

Epiſtolam ad Hebræos canonicam eſſe, & S. Pauli Apoſtoli. 6.
Epiſtolas Iacobi, & Iudæ: item ſecundam Petri, ſecundam, & tertiam Ioannis eſſe canonicas. ibid.

Eremita.

Eremiticam vitam Deo eſſe gratam. 265. & ſeq.

Euangelium.

Euangelium dupliciter accipitur. 855
Euangelium continet leges propriè dictas, comminationes, & promiſſiones cum conditione obedientiæ. ibid. & ſeq.
Euangelij, & legis tantum diſcrimen, quantum inter doctrinam inchoatam, & perfectam. 857 & ſeq.
Euangelium per Chriſtum datum eſt, qui Legiſlator, & redemptor fuit: Lex per Moyſen, qui fuit legiſlator tantum. 861. 862

Euchariſtia.

Regulæ de modo loquendi in Euchariſtia. 463. & ſeq.
Præſentia corporis Domini in Euchariſtia probatur ad longum. 465. & ſeq.
Poſſibile eſſe, vt vnum corpus ſit in pluribus locis. 476. & ſeq.
Poſſe Deum facere, vt vnum corpus inuiſibiliter maneat, ita vt locum non repleat 478, & ſeq.
Deum voluiſſe, & feciſse, vt reipſa corpus Domini in Euchariſtia præſens eſſet. 483. & ſeq.
Modus exiſtendi corporis Domini in Euchariſtia. 487. & ſeq.
Tranſubſtantiatio probatur. 490
Panem ritè conſecratum, ſiue corpus Domini ſub ſpecie panis verè, & propriè eſſe Sacramentum. 491. 492
Conſecratio Euchariſtiæ quomodo Sacramentũ dici poſsit? 493
Sumptio Euchariſtiæ quomodo dici poſsit Sacramentum? ibid.
Solæ ſpecies panis, & vini non habent integram Sacramenti rationem. ibid.
Corpus Domini, & ſanguis ſine ordine ad ſpecies, non habet rationem Sacramenti. ibid.
Ratio Sacramenti magis conuenit ſpeciebus, vt continent corpus Chriſti, quàm corpori, vt eſt ſub ſpeciebus. 494
Euchariſtiæ materia an panis azymus ſit, an fermentatus? 494. & ſeq.
An aqua neceſsario vino miſcenda ſit? 499
Quæ verba ad formam Euchariſtiæ pertineant? 500. & ſeq.
Euchariſtiæ Sacramenti quis Miniſter. 502. 503
Euchariſtiæ effectus. 503
An totus Chriſtus ſit in quauis duarum ſpecierum? 505. 506
Euchariſtia, vt pignus amoris eſt, optimè poteſt in quauis ſpecie conſeruari. 507

In vna ſpecie non habetur integrè ratio ſacrificij. ibid.
In vna ſpecie inuenitur tota eſſentia Sacramenti. ibid 508.
Duæ ſpecies Sacramenti, cùm ſimul ſumuntur, non ſunt duo Sacramenta. 509.
Tantum fructus capi ex vna ſpecie, quantum ex duabus. 509.& ſeq.
Nullum præceptum à Chriſto datū de vtraque ſumenda ſpecie. 511.& ſeq.
Potuiſſe Eccleſiam vnam ſpeciem præſcribere. 515.
Rectè Eccleſiam vnam præſcripſiſſe ſpeciem. 516.517.

Excommunicatus.

Excommunicatos extra Eccleſiam eſſe. 186

Exorciſta.

Exorciſtarum officium. 223

F.

Feſtum.

Feſta Chriſtianorum etiam ratione myſterij ritè celebrari. 385.& ſeq.
Feſtorū obſeruatio rectè præcipitur in Eccleſia. 386.
Feſtis diebus non tenemur ex præcepto particulari ad non peccandum, ſiue ad actum contritionis, vel dilectionis Dei. 387.
Feſtos dies colere, pium, & bonum eſt 389.

Fides.

Fidei dogma eſt, Purgatorium eſſe. 304.305
Tria requiri, vt myſteria ſupernaturalia percipiantur à nobis. 798.799.
Fidei acceptiones variæ. 815.
Fidei definitio. 816.
Fidem iuſtificantem non eſſe fiduciam miſericordiæ. 817.& ſeq.
Fidem non eſſe notitiam. 817.& ſeq.
Fidem non reſpicere ſpecialem miſericordiam tantum. 818 & ſeq.
Fide ſola hominem non iuſtificari. 824.& ſeq.
Fides non eſt integra cauſa formalis iuſtificationis. 835.836.
Fides, & iuſtitia non eſt propria electorum, ſed ſemel habita, poteſt amitti. 850.& ſeq.

G.

Gog, & Magog.

GOG, & Magog quid ſignificēt? 121.122.

Gratia.

Gratiæ veras cauſſas inſtrumentales eſſe Sacramenta. 414.& ſeq.
Gratiam ex opere operato non contuliſſe Sacramenta veteris legis. 418
Gratię nomen. 739
Gratiæ acceptiones variæ. Ibid.
Gratiæ diuiſiones variæ. 740
An ſit aliqua Gratia habitualis? 743. & ſeq.
Gratiæ habitus an idem ſit cum habitu charitatis? 746 & ſeq.
Gratia gratis data, an ſit habitus permanens, an motio Dei tranſiens. 751
Gratiæ gratis datæ, an ſeiungi poſſint, vel à ſe inuicem, vel à gratia gratum faciente? 752
Sermo ſapientię, & ſermo ſcientię, an idem ſint, quod ſpiritus ſapientiæ, & ſpiritus ſcientiæ. ibid.
Gratiæ gratis datæ an ſint tantum nouem? 753
Poteſtas conferendi Sacramēta, an ſit gratia gratis data? ibid.
Gratiæ gratis datę an ſint nobiliores, quam gratia gratum faciens? ibid.
Gratia ſufficiens probatur. 754.755
Gratia efficax probatur. 755.756
Gratia operans, & cooperans probatur.
Gratiæ Dei auxilium pręuenit omnia hominum deſideria, & omnem inuocationem. 757
Gratiæ Dei auxilium non æqualiter omnibus adeſt. ibid.
Siue omnibus detur auxilium ſufficiens, ſiue aliquibus tantùm, nos tamen de nullius ſalute in hac vita deſperare debemus. 758
Auxilium ſufficiens ad ſalutem pro loco, & tempore, mediatè, vel immediatè omnibus datur. ibid & ſeq.
Auxilium Dei ſuffiiciēs, & neceſſarium ad reſurgendum à peccato, etſi nulli deſit pro loco, & tempore, non tamen adeſt omnibus momentis. 760 761
Auxilium ſufficiens, ac neceſſarium ad vitanda peccata omnibus, & omni tempore, vel immediatè, vel mediate, à diuina benignitate præſtatur. 761 762
Gratia ſufficiens quamuis omnibus detur, tamen diuinæ prædeſtinationis nulla ratio ex parte noſtri aſſignari poteſt 762
Gratia an indigeamus ad cognoſcendum verum naturale? 782
Actiones naturales, ſiue politicæ, aut mechanicæ, abſtrahendo à malitia, vel bonitate morali, an poſſint à nobis fieri ſolis viribus naturæ? 783.& ſeq.
An viribus naturæ cognoſci poſſit aliquod verū morale, ſcilicet ſine auxilio gratiæ ſpecialis? 788.& ſeq.
Non poteſt homo ſolis naturæ viribus implere omnia mandata moralia ſecundum ſubſtantiā operis. 790 791
Imò nullum omnino pręceptum morale implere poteſt

poteſt homo ſuis ſolis viribus, ſi tentatione vrgeatur. 791.792
Poteſt tamen nulla tentatione vrgente, ſine fide, cum auxilio ſpeciali, & etiam ſine illo, ſuis viribus aliquod bonum morale ita perficere, vt in eo nullum omnino peccatum admittat. 793.794
Neminem poſſe doctrinam à Deo reuelatam credere ſine ſpeciali illuſtratione diuina. 799. 800.
Gratia excitans interna neceſſario præcedere debet hominis conuerſionem, ſiue ab infidelitate ad fidem, ſiue à peccato ad iuſtitiam. 808.
Gratia excitans datur homini ſine vllis meritis præcedentibus, ac ſine vlla præparatione. ibid.
Gratia excitans non datur homini ſine actione ipſius, quamuis ſine cooporatione liberi arbitrij detur. ibid.
Ad aſſentiendum gratiæ excitanti requiritur neceſſario gratia adiuuans. 809.
Ad opera, quæ ſequuntur actum conuerſionis, tā interna, quam externa, non videtur requiri neceſſario noua aliqua gratia, ſed ſolùm continua directio, & protectio, & conſeruatio diuini ſeminis iam concepti, & formati. 810
Habitus gratiæ iuſtificantis á ſolo Deo infunditur, nō tamen ſine præuia diſpoſitione noſtra. ibid.

Græca lingua.

Græcæ editiones ſacræ Scripturæ quot? 9.
Græca interpretatio 70. Seniorum quando facta ſit? 10.
Quorum librorum ſit? ibid.
Quomodo facta ſit? ibid.
Quantæ auctoritatis ſit? ibid.
Græcam illam germanam interpretationē num hoc tempore habeamus? ibid.

H.

Hebraica lingua.

Hebraica Scriptura à Moyſe & Prophetis condita an ad nos vſque peruenerit? 7.
Hebraica editio Scripturæ ſacræ an planè corrupta ſit? 8.

Hæreticus.

Hæreticos eſſe extra Eccleſiam. 184
Hæreticorum libros iure interdici, & exuri. 289. & ſeq.
Hæreticos incorrigibiles poſſe puniri ab Eccleſia. 291. & ſeq.

Hora canonica.

Nocturni horarum. 915.
Laudes, ibid.
Prima, Tertia, Sexta, Nona. 916
Veſperæ, Completorium. ibid.
Horarum inſtituendarum rationes. 917.918.
Pſalmi, & Cantica. 918
Hymni, Reſponſoria, Lectiones, Capitula, Antiphonæ. 919
De Antiphona, *Salue regina.* ibid 920

I.

Ieiunium.

Ieiunij nomen. 925
Ieiunij Eccleſiaſtici definitio. ibid.
Requiſita ad ieiunium ſecundum regulam Eccleſiaſticam. 926. & ſeq.
Ieiunium an diuina lege præceptum ſit? 928
Potueritne Eccleſia legem in conſcientia obligātem de ieiunijs ferre? ibid.
Viros perfectos non excipi à ieiunio. 929
Ieiunij vtilitates variæ. 931
Ieiunium feriæ 4. & 6. 932
An hoc ieiunium lege ſancitum ſit? Ibid.
Cur in Eccleſia Latina non ſeruatur lex imperans abſtinentiam à carnibus feria quarta? ibid.
Ieiunij quatuor temporum origo. Ibid. 933
Ieiunij quatuor temporum varietas. Ibid.
Ieiunij huius cauſſa. Ibid.
Ieiunium Aduentus. Ibid.
Ieiunium rogationum. 934
Ieiunium Vigiliarum. Ibid.
Ieiunia prohibita. Ibid. 935

Imago.

Imaginis, idoli, & ſimulachri differentia. 362. 363.
Imagines an habere liceat. 363.364
Imagines Dei non eſſe prohibitas. 364
Imagines in templis rectè collocari. 365
Imagines Sanctorum extra hiſtoriam vtiles eſſe. ibid.
Imagines Chriſti, & Sanctorum rectè coli. ibid. & ſeq.

Immortalitas.

Mortem pœnam eſſe peccati. 676
Immortalitas primi hominis ſupernaturalis fuit. ibid.

Imperium.

Imperium Carolus Magnus non accepit iure belli 145
Imperium non accepit dono ſolius Dei ibid.
Imperium non accepit ſucceſſione hæreditaria. ibid.
Imperium non accepit donatione Græcorum. 146.
Imperium Saxonum cœpit in Othone magno. 148.

Indulgentiæ.

Indulgentiæ nomen. 319
Indulgentiam propriè eſſe abſolutionem iudiciariam, habentem annexam ſolutionē ex theſauro. 327
Indulgentia concedi poteſt per ſolam ſolutionē, non tamen per ſolam abſolutionem. 328
Indulgentiæ non abſoluunt, nec ſoluunt à reatu vllius culpæ. ibid.
Indulgentiæ non liberant à pœnis naturalibus. ibid. 329.
Indulgentiæ non tollunt pœnas in foro externo debitas. 329
Indulgentiæ liberant homines à reatu pœnæ, non ſolum coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo. ibid.
Indulgentiæ quomodo intelligi debeant quoad remiſsionem pœnæ? 330. 331
Indulgentia tot dierum, vel annorum quid? 331
Indulgentia Quadragenæ quid? 332
Indulgentia plenaria quid? ibid.
Indulgentia in articulo mortis. 333
Indulgentiæ vtilitas. ibid.
Indulgentiarum cauſſæ iuſtæ. 356. & ſeq.
Indulgentias ſuſcipientes an in ſtatu gratiæ eſſe debeant? 339
An carere debent omni culpa veniali? 340
Indulgentiam an percipiat, qui non perficit omnia opera iniuncta? 341
Indulgentiæ an defunctis proſint ex condigno? 342. 343
Indulgentiæ vt defunctis proſint, quid requiratur? 343
Indulgentiæ an proſint omnibus in communi? 344.

Infantes.

Infantes in Baptiſmo non habent fidem actualem. 450
Infantes in Baptiſmo non habent vllos motus nouos, & inclinationes ſimiles actibus fidei, & dilectionis. ibid.
Infantes non iuſtificantur ſine vlla fide. ibid. 451.
Infantibus in Baptiſmo infunditur habitus fidei, ſpei, & charitatis. ibid.
Infantes actu credunt, partim reipſa, dum baptizantur, partim aliena fide. 451

Infernus.

Inferos loca eſſe ſubterranea à ſepulchris diſtincta 67
Infernum damnatorum ſub terra eſſe. 308

Infideles.

Infideles non baptizatos eſſe extra Eccleſiam. 184.
Infideles occultos eſſe in Eccleſia. 190. 191

Ioannes Baptiſta.

Ioannis deſertum. 265
Ioannis veſtis. 266
Ioannis victus. ibid.
Ioannis Baptiſmus non fuit idem Sacramentum cum Baptiſmo Chriſti 434
Ioannis Baptiſmus non habuit eandem vim, & efficaciam, quam habet Baptiſmus Chriſti. 435

Iubileus.

Iubilei nomen. 319

Iudicium.

Iudicia publica exercere, non eſt illicitum Chriſtianis. 282
Iudicium eius, qui canonizat, an ſit infallibile? 351.

Iuriſdictio.

Iuriſdictionem Eccleſiaſticam Apoſtolos accepiſſe immediatè à Chriſto. 131
Iuriſdictionem Eccleſiaſticam Epiſcopos à Pontifice accipere. 132

Ius.

Ius eligendi ſummum Pontificem, ceteroſque Eccleſiæ Paſtores, & Miniſtros, non conuenit populo iure diuino. 218
Ius eligendi ſummum Pontificem quando ad Epiſcopos vicinos, & Clerum Romanum pertinet? 220. 221
Quo iure Epiſcopi elargiri poſsint indulgentias? 335.
Iure diuino non obligant Chriſtianos omnia præcepta, quæ habentur de gradibus in Leuitico. 656 & ſeq.
Iure naturæ interdicta ſunt coniugia in primo gradu conſanguinitatis, tam in recta linea, quā tranſuerſa; & in primo gradu affinitatis in recta linea tantum. 659. & ſeq.

Iuſtificatio.

Iuſtificationis, & iuſtitiæ variæ acceptiones. 812
Iuſtificationis finis. 813
Iuſtificationis cauſa efficiens. 814
Iuſtificationis cauſa materialis. ibid.
Iuſtificationis cauſa formalis. 815
Iuſtificationis diſpoſitiones ſeptem. 824. & ſeq.
Iuſtitia noſtra formalis inhærens eſt. 831. & ſeq.
Iuſtificationis cauſa formalis non eſt Dei eſſentialis ac diuina. 816
Iuſtificatio noſtra non conſtat ſola [illegible] peccatorum, ſed etiam interna ren[illegible]one. 837. & ſeq.
Iuſtificatio noſtra non conſiſtit in [illegible]

iuſtitiæ Chriſti. 839. & ſeq.
Iuſtitia, qua formaliter iuſtificamur, habitualis eſt, non actualis. 843
Iuſti non omnes inter ſe pares ſunt. 853. 854

L.

Laicus.

LAici nomen. 213. 214

Latina lingua.

Latinæ editiones ſacræ Scripturæ quot? 11
Latinæ editionis vulgatæ Teſtamentum nouum ex antiqua verſione habemus. Ibid.
Latinæ editionis vulgatæ Pſalterium ab Hieronymo emendatum habemus. Ibid.
Latinæ editionis libros Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum ex antiqua tranſlatione habemus. 12
Latinæ editionis reliquos libros habemus ex tranſlatione S. Hieronymi. Ibid.
Latinæ editionis auctoritas probatur. Ibid. & 13

Lector.

Lectorum officium. 222

Legatus.

Legatus Apoſtolicus an dare poſſit indulgentias? 334.

Lex.

Lex iuſta quæ? 127
Leges condere licere Principi Chriſtiano. 278. 279.
Legem ciuilem non minus in conſcientia obligare, quam diuinam. 280. 281
Lex Moyſis vni tantùm genti data: lex Chriſti omnibus 860
Lex Moyſis vmbram, & figuras futurorũ magna ex parte complectitur: Euangelium ipſum corpus, & veritatem. ibid.
Lex Moyſis mutanda erat: legi Chriſti nulla alia lex ſuccedere debet. Ibid. & ſeq.
Lex Moyſis non habebat vim iuſtificandi, quam lex Chriſti habet. 862
Lex Moyſis timoris erat, & ſeruitutis: Euangelium lex amoris, & libertatis. Ibid.
Lex Moyſis grauiſſima, & importabilis erat: Euangelium Chriſti iugum ſuaue, & onus leue. 863.

Liber.

Libros Eſther, Baruch, & quædam capita Danielis eſſe canonica. 4.
Libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum eſſe canonicos: item partes Marci, Lucæ, & Ioannis. 5.
Librum Apocalypſis eſſe canonicum. 7.
Libri apocryphi qui? Ibid.

Libertas Eccleſiaſtica.

Liberos eſſe Clericos iure diuino in cauſis Eccleſiaſticis à poteſtate ſecularium Principum. 237.
Clericos non eſſe exemptos ab obligatione legũ ciuilium, quę non repugnant canonibus ſacris, vel officio clericali. 237. 238
Clericos non poſſe à iudice politico puniri, vel vllo modo trahi ad ſecularis magiſtratus tribunal. 238
Bona Clericorum, tam Eccleſiaſtica, quam ſecularia, libera eſſe debent à tributis Principum ſecularium. Ibid.
Exceptio Clericorum in rebus politicis, tam quoad perſonas, quam quoad bona, iure humano introducta eſt. Ibid.

Liberum arbitrium.

Liberi arbitrij acceptiones. 770
Liberi arbitrij definitio. ibid. & ſeq.
Ad liberum arbitrium an requiratur libertas a neceſsitate: an ſufficiat ea, quę eſt à coactione? 771. 772.
Liberum arbitrium non eſt actus. 778
Liberum arbitrium non eſt habitus, ſed potẽtia. ibid.
Liberum arbitrium non eſt potentia vniuerſalis. 775.
Liberum arbitrium non eſt potentia quædã tertia, diſtincta a ratione, & voluntate. ibid.
Libertas formaliter non eſt in ratione, ſed in ſola voluntate. ibid.
An ad obiectum liberi arbitrij pertineant bona, & mala; an ſolum bona? 776
Liberum arbitrium an ſit etiam præſentium, an tantum futurorum? ibid.
Obiectum liberi arbitrij an ſit finis; an id, quod eſt ad finem? 777
Liberi arbitrij ſubiectum. 778
Liberum arbitrium an homo habeat in actionibus illis naturalibus, ſiue ciuilibus, quæ fieri poſſunt cum ſolo generali auxilio Dei? 784. & ſeq.
Sitne homo in ſtatu naturæ lapſæ liberi arbitrij in bono morali eligendo, & malo euitando? 795. & ſeq.
Non poſse hominem ſine ſpeciali gratia Dei aliquid velle, aut facere in ijs rebus, quæ ad pietatem, & ſalutem pertinent. 801
Non poſſe hominẽ ſolis naturæ viribus ad gratiã accipiendã vlla ſe ratione diſponere ibid. 802
Non poſſe Deum ſine ope ipſius diligi, neque vt auctorem naturæ, neque vt largitorem gratię & gloriæ, neque perfecte, neque imperfectè vllo modo. 803. & ſeq

Hominem poſt lapſum eſſe verè liberi arbitrij in ijs rebus, quæ ad ſalutem pertinent. 805. & ſeq

Homo ante omnem gratiam liberum habet arbitrium, non ſolum ad opera naturalia, & moralia, ſed etiam ad opera pietatis, & ſupernaturalia. 807

Homo habet ante omnem gratiam potentiam remotam, & imperfectam ad opera pietatis facienda. ibid.

Non habet homo ante omnem gratiam potentiam proximam, & perfectam ad opera pietatis: & ideo nihil omnino in hoc genere ex ſe facere poteſt. 808

Neque gratia excitans, neque adiuuans imponit homini vllam neceſsitatem, quo minus poſsit libere conſentire, aut diſſentire vocanti Deo. 809.

Fieri poteſt, vt in eadem motione interna duobus adhibita, vnus conuertatur, alius non conuertatur, & vnus magis, alius minus proficiat. 810.

Conuerſio hominis ad Deum, vt etiam quodlibet aliud opus pium, quatenus opus, à libero arbitrio eſt tantùm; quatenus pium, à ſola gratia eſt; quatenus opus pium, à libero arbitrio, & gratia ſimul. ibid.

Homo iuſtus poteſt, quando vult, iuſtitiam tam internam, quàm externam exercere, neque indiget ordinariè noua gratia excitante, ſed ſolù adiuuante. 811

Limbus.

Limbus puerorum, & Patrum probatur. 309

Lotio pedum.

Lotionem pedum non eſſe Sacramentum. 429

M.

Martyrium.

Martyrium rectè dicitur, & eſt quoddam Baptiſma. 444

Martyrium tollere peccatum originale. ibid. 445.

Martyrium, & Pœnitentia peccata remittunt. 440.

Martyrium, & conuerſio ad Deum non ſunt Sacramenta. Ibid.

Matrimonium.

Matrimonium eſſe à Deo. 626

Matrimonium eſſe ſignum rei ſacræ. 637

Matrimonium habere promiſſionem gratiæ iuſtificantis. Ibid. & ſeq.

Matrimonij Sacramenti materia, forma, & miniſter. 631

Licitas eſſe ſecundas nuptias, tertias, quartas, &c. 632.

Illicitam eſſe polygamiam. Ibid. & ſeq.

Patriarchæ quomodo plures vxores habuerint? 635.

Matrimonium infidelium an diſſolui poſſit? 639

Matrimonium fidelium conſummatum poſſe ſolui quoad thorum, & cohabitationem 640. 641.

Matrimonium fidelium conſummatum inſolubile eſſe quoad vinculum. 641 & ſeq.

Matrimonij impedimẽta dirimentia contractũ 642 & ſeq

Matrimonij impedimenta impedientia contrahendum. 645 663

Matrimonium inter filios ſolo conſenſu parentũ celebrari non poteſt. ibid.

Filiorum conſenſus, etiamſi ſolus ſit, ad Matrimonium firmum, & ratum efficiendum ſufficit. ibid. 646

Matrimonia contrahentes filij inſcijs, vel inuitis parentibus ſine iuſta, & rationabili cauſſa peccant. 646

Matrimonia iungere non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hæreticis. 649 650

Matrimonium inter fidelem, & infidelem nõ eſt irritum iure diuino, naturali, vel poſitiuo, vel certa aliqua lege Eccleſiæ. 650. 651

Matrimonium inter fidelem, & infidelem non baptizatum, irritum eſſe ex more populi Chriſtiani vim legis obtinente. 651. 652

Cognatio ſpiritualis, & legalis, publica iuſtitia, & affinitas ex fornicatione merito ab Eccleſia inter Matrimonij impedimenta referuntur. 662.

Matrimoniales cauſſæ quædam ſunt omnino ſpirituales, quædam omnino politicæ, quædam partim politicæ, partim ſpirituales. 664

Matrimonij cæremoniæ. 665

Meritum.

Meriti nomen. 877

Opera bona iuſtorum verè, ac propriè eſſe merita vitæ æternæ. 878 & ſeq.

Fiducia Sanctorum, quam in Deo conſtituunt, non ex fide ſola, ſed etiam ex bonis meritis naſcitur. 880

In bonis meritis, quæ verè eſſe talia compertum ſit fiducia aliqua poteſt collocari, modo ſuperbia caueatur. ibid 881

Propter incertitudinem propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis gloriæ, vtiliſsimum eſt, fiduciam totam in ſola Dei miſericordia, & benignitate reponere. 881

Operandum quidem primum propter gloriam Dei: deinde etiam propter mercedem beatitudinis æternæ.

Meriti conditiones: & quod requirat opus liberum

rum. 883
Meritum requirere amicitiam, & gratiam Dei. ibid & ſeq.
Meritum requirere pactum liberale, atque gratuitum. 885. & ſeq
Meritum requirere, vt opus bonum procedat ex virtute charitatis. 888
Requiritur autem, vt actu, vel virtute ab ipſa charitate procedat. 889
Meritum iuſtorum an dicendum ſit ex condigno, an ex congruo? 890
Vtrum bona opera ſint meritoria ex condigno, ratione pacti tantum, an ratione operis tantū, an ratione vtriuſque? ibid. 891
Deum remunerare opera bona ex mera liberalitate ſupra condignum. 892
Quænam cadant ſub meritum de condigno? ibid.
Vtrum ipſa vita æterna, an gradus tantum in ea præſtantiores cadant ſub meritum de cōdigno? ibid.

Miniſter.

Miniſtrorum Eccleſiæ ordinatio ad ſolos pertinet Epiſcopos. 215
Miniſtrorum Eccleſiæ vocatio, ſeu miſſio ad Epiſcopos pertinet, & potiſſimum ad ſummum Pontificem. 216
Miniſtrorum Eccleſiæ electio nō fit à ſolo Deo. Ibid.
Miniſter Sacramentorum homo eſse debet. 409.410
Miniſter verus Sacramentorum (Baptiſmo, & Matrimonio exceptis) ſolum is eſt, qui ritè in Eccleſia ordinatus eſt. Ibid.
In miniſtro Sacramētorum non requiritur fides, & charitas. 411
Miniſtri intentionem virtualem requiri, & ſufficere ad perfectionē Sacramentalem. 412.413

Miſſa.

Antiquitas vocis Miſſa, & vnde dicta? 518
Miſſæ acceptiones. 519
Miſſam eſſe ſacrificium. 524. & ſeq.
Panis, & vinum aliquo modo in Miſſa offeruntur. 539
Corpus, & ſanguis Domini ſunt id ſacrificium, quod in Miſſa propriè offertur. Ibid.
Panis, & corpus Domini; vinum, & ſanguis Domini vnum ſacrificium ſunt. ibid.
Oblatio panis, & vini conſecrationem præcedens ad integritatem ſacrificij pertinet. ibid.
Oblatio, quæ conſecrationem ſequitur, ad integritatem ſacrificij pertinet. 540
Fractio Sacramenti ad integritatem ſacrificij pertinet. ibid.
Sacramenti conſumptio, vt fit à Sacerdote, eſt pars eſſentialis Sacrificij. ibid.
Conſecratio Euchariſtiæ ad eſſentiam ſacrificij pertinet. 541
Miſſæ ſacrificium eſſe propitiatorium. 543.544
Miſſæ ſacrificium impetratorium eſſe. 544.545
Miſſæ ſacrificium non habet vim ſolum ex opere operantis. 545
Miſſæ ſacrificium non habet vim ex opere operato ad modum Sacramentorum. ibid.
Miſſæ ſacrificium vim habet per modum impetrationis. 546.547
Miſſæ ſacrificij valor finitus eſt. 547.548
Miſſæ ſacrificium pro quibus offerri poſſit, aut debeat? 548.549
Miſſa priuata quot modis dicatur? 552
Genus linguæ in Miſſa. 553.554
Modus vocis in Miſsa. 554
Miſsæ cæremoniæ, de veſtibus nimirum, loco, tempore, hora. 555
Cæremoniæ in actione Miſsæ. 556.557
Varietas, & antiquitas eorum, quæ in Miſſa leguntur. 557

Monachus.

Monachorum habitus. 265
Monachorum tonſura. 269
Monachis licere laborare. 270
Monachos non teneri laborare. 271
Monachis licere viuere ex bonis communibus. 272.
Monachis licere viuere ex bonis relictis, vel donatis. ibid.
Monachis licere mendicare. ibid. & ſeq.

Myſterium.

Myſterium tres habet ſignificationes. 396

N.

Neceſsitas iuſtitiæ operam.

Homines Chriſtiani, & iuſtificati non ſunt liberi ab obligatione præceptorū Dei, & Eccleſiæ. 863. & ſeq.
Libertas Chriſtiana vera ſita eſt in libertate à peccato, & morte: à iugo cæremonialis legis, & iudicialis Hebræorum: & à dominio, & reatu legis naturalis, atque moralis. 806. & ſeq.
Neceſſaria ad ſalutem ſunt opera bona iuſto homini, non ſolùm ratione præſentiæ, ſed etiam ratione efficientiæ, quia ſalutem efficiunt. 868. & ſeq.

O.

Obedientia.

Obedientiæ votum Deo eſſe gratum. 257.258.

Offi-

Officium diuinum.

Officij diuini nomen. 913
Officij diuini definitio. ibid. 9'4
Officij diuini partitio. 914
Officij diuini antiquitas. 917
Officij diuini perſoluendi modus. 920.921
Officij diuini integritas. 921
Officij diuini qualitas. 922
Officij diuini locus, tempus. Ibid. 923
Officij diuini attentio, deuotio. Ibid.
Perſonæ, quæ ad officium diuinum obligantur. 924.

Opus bonum.

Opus bonum meritorium eſſe, & ſatisfactoriũ. 320. 321
Opus bonum, qua parte meritorium eſt, non poſſe alij applicari: poſſe tamen, qua ſatisfactorium eſt. 321. 322

Oratio.

Oratio quid ſit? 895
Oratio quotuplex? ibid. & ſeq.
Orationis neceſſitas. 897
Orationis vtilitas. 898.899
In oratione quid petendum ſit? ibid.
Orationis Dominicę expoſitio. Ibid. & ſeq.
Cuius ſit orare? 900
A quibus, & pro quibus per orationem petendũ ſit? Ibid.
De modo orandi: vbi & conditiones referuntur orationis impetratoriæ. Ibid. & ſeq.

Ordo.

Ordinum numerus. 221
Ordinum antiquitas. 222
Ordinationem eſſe Sacramentum propriè dictũ, 621.
Ordinationem Sacerdotalem, & Epiſcopalem eſſe Sacramentum. 622
Idem de Diaconis, Subdiaconis, & minoribus Ordinibus dicendum. 623
Ordinis materia, & forma. 624.625
Ordinis effectus, miniſter, cæremoniæ. 625

Oſtiarius.

Oſtiariorum officium. 222

P.

Paradiſus.

PAradiſum fuiſſe locum corporeum. 677
De loco Paradiſi variæ ſententiæ. ibid. & ſeq.
An etiam animantia fuiſſent in Paradiſo, ſi homo non peccaſset, 679
Cherubin quid? 680

Lignum ſcientiæ boni, & mali quid? Ibid.
Ligni vitæ efficacia. Ibid.

Paſsio Chriſti.

Paſſionum Chriſti, & martyrum differentiæ variæ. 522.523

Paſcha.

Paſcha Iudæorum, & Chriſtianorum. 388.389

Paupertas.

Paupertatem voluntariam rectè Deo voueri. 256.

Peccatum.

Peccatores non occultos tantum, ſed etiam manifeſtos eſse poſſe in Eccleſia. 188.189
Peccatum in Spiritum ſanctum cur dicatur irremiſſibile? 593. & ſeq.
Peccati definitio. 682
Peccati varię diuiſiones. 683 & ſeq.
Peccati mortalis, & venialis diſtinctionem non eſse tollendam è medio. 685
Peccata venialia non rectè dici omnia peccata prædeſtinatorum: mortalia verò omnia peccata reproborum. 686.687
Peccata venialia non rectè dici, quæ a Deo non imputantur. 687
Peccata illa non rectè dici à Lutheranis, à Deo non imputari, quæ ſimul in homine cum fide conſiſtunt 688
Peccata illa ſola non rectè dici à Lutheranis cum fide conſiſtere, quæ inuoluntaria ſunt. Ibid. 689.
Peccati venialis à mortali diſtinctio probatur. 689. & ſeq.
Peccatum primum, & principale primorum parentum quod? 701. & ſeq.
Quid illud ſit, quòd primi homines de Deo non crediderunt? 703.704
Peccatum primum in ſtatu innocentiæ an potuerit eſse veniale? 705
Vter grauius peccauerit, vir primus, an mulier prima? 706. & ſeq.
Peccatum aliquod originale eſse probatur. 715. & ſeq
Peccatum originale vnde trahatur? 719
Peccatum originale ad quos traijciatur? 720
Quodnam peccatum ad poſteros per generationem traijciatur? Ibid. 721
Peccatum originale quidnam ſit? 721. & ſeq.
Peccatum ſi pro actione ſumatur, prima Adami præuaricatio eſt peccatum originale. 723
Peccatum ſi accipiatur pro eo quod remanet tranſeunte actu, priuatio doni iuſtitiæ originalis, quatenus eſt auerſio mentis a Deo per modum habitus manens, eſt peccatum originale. 724.725.

Pœna.

Pœna peccati originalis. 709
Pœna mulieris. Ibid. 710
Pœna viri. 711
Pœna communis. Ibid.
Pœna ſerpentis. Ibid. 712
Pœna mortis æternæ damnandi ſunt paruuli ſine Baptiſmo decedentes. 726. & ſeq.
Pœna ſenſus non punientur paruuli ſine Baptiſmo decedentes. 728
Probabile eſt, paruulos non baptizatos paſſuros interiorem animi dolorem, quamuis mitiſſimum. 729
Pęnæ variæ peccati originalis aliquamdiu ſuperuiuentium. 729. & ſeq.
Verè mala illa omnia eſſe, quę nos inter miſerias huius vitæ numeramus. 735. 736
Miſerias huius vitæ ex merito peccati prouenire. 736. & ſeq.

Pœnitentia.

Pœnitentia, & perfecta conuerſio Baptiſmum aquæ ſaltem in neceſsitate ſupplet. 445
Pœnitentia an ſit Sacramentum propriè dictum? 564.
Pœnitentiæ Sacramentum an diuerſum ſit à Sacramento Baptiſmi? 565. & ſeq.
Pœnitentiæ diuiſiones ab eſſentia, materia, ritu. 567.
Pœnitentiæ Sacramentum abſurdè ex Baptiſmo, & Abſolutione conſtare dicitur. 568
Nullus eſt ritus à Miniſtro adhibitus, pręter Abſolutionis verbum, qui Sacramenti huius materia ritè dici poſsit. ibid.
Pœnitentis actio, quaſi materia, & verbũ Sacerdotis, quaſi forma, Sacramenti Pœnitentiæ eſſentiam complent. ibid. 569
An Contritio, Confeſsio, & Satisfactio ſint omnes veræ partes Sacramenti? ibid. 570
Terror animo incuſſus ex lege non rectè inter partes Pœnitentiæ numeratur. ibid. 571
Fides non eſt pars Pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam neceſſario requiratur. ibid. 572
Omnia opera poſt iuſtificationem facta non ſunt inter partes pœnitentiæ numeranda. 572.
Mortificatio, & viuificatio, vt à Caluino, & Beza accipiuntur, non ſunt partes Pœnitentiæ. ibid. 573
Tres ſunt partes Pœnitentiæ; Contritio, Confeſſio, Satisfactio. 573. & ſeq.
Pœnitentiæ publicæ, & priuatæ differentia multiplex. 575. 576
Pœnitentiæ ſolennis Cæremoniæ. 576. 577

Pentecoſte.

Pentecoſtes mentio in Scriptura. 389

Peregrinatio.

Peregrinationes ad loca ſancta pias, & religioſas eſſe. 384

Perfecti.

Non perfectos in Eccleſia eſſe poſſe. 188

Perſona.

Perſonarum diſtinctio in Diuinis oſtenditur. 49. 50. 51.
Perſonam Filij diſtingui à Perſona Patris. 51.
Perſonam Spiritus Sancti à Patre procedere. 51. 52.
Perſonam vnam fuiſſe in Chriſto. 56. 57. 58
Hypoſtatica vnio duarum naturarum Chriſti in quo conſiſtat? 58. 59. 60

Petrus Apoſtolus.

Petrum fuiſſe caput Eccleſiæ loco Chriſti. 87. & ſeq.
Petrum fuiſſe petram, ſuper quam fundatur Eccleſia. 88
Petrus duobus modis potuit perſonam Eccleſiæ gerere. 89
Petri prærogatiuæ variæ, & ſingulares. 93. & ſeq.
Petrus comparatur cum Iacobo. 100
Petrus comparatur cum Paulo. 100. 101. 102.
Petrum aliquando Romæ fuiſſe. 103. 104
Petrum Romæ vna cum Paulo mortuum eſſe. 104.
Petrum Epiſcopum Romanum fuiſſe, & eum Epiſcopatum ad mortem vſque retinuiſſe. ibid.

Pontifex.

Pontificis Romani primatus probatur. 105. & ſeq.
Pontifex an iudicari poſsit ab Eccleſia in caſu hęreſis. 107
Pontificis Romani nomina. 108. 109
Pontifex an ſummus iudex ſit in controuerſijs fidei, & morum? 122
Pontifex nullo caſu errare poteſt in his, quæ ad fidem pertinent. 123. & ſeq.
Pontifex non poteſt errare in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ pręſcribuntur. 126
Pontificem, vt particularem perſonam, non poſſe hæreticum eſſe, piè creditur. 127
Pontificem poſſe leges condere, & iudicare in cauſis Eccleſiaſticis. 128. & ſeq.
Pontificem non eſſe Dominum totius orbis. 133.
Pontificem non eſſe Dominum totius orbis Chriſtiani. ibid.

Ponti-

Pontificem non eſſe Dominum merè temporalem vllius Prouinciæ, vel oppidi. 134. 135.
Pontificem habere ſummam poteſtatem temporalem indirectam. 136. & ſeq.
Pontifex Romanum tranſtulit Imperium. 144
Pontifex eſt caput non ſolum omnium Eccleſiarum particularium, ſed etiam totius Eccleſiæ vniuerſalis ſimul congregatæ. 177.178
Pontifice remoto non eſt ſumma poteſtas Eccleſiaſtica in Eccleſia, vel Concilio. 178. & ſeq.
Pontifex abſolute, & ſimpliciter eſt ſupra Eccleſiam vniuerſam, & ſupra Concilium generale. 180. & ſeq.
Pontifex pœniſſimum largitur indulgentias plenarias. 334

Poteſtas politica.

Poteſtatem politicam bonam eſſe, & licitam. 273. & ſeq.
Poteſtatem illam etiam impijs conuenire. 277
Poteſtatem illam teneri inuigilare fidei ſeruandę. 288.289.

Purgatorium.

Purgatoria tria eſſe poſſunt. 294
Purgatorium eſſe probatur ad longum. ibid. & ſeq.
Purgatorium quibus conueniat? 305
In purgatorio non eſſe locum meritis, & peccatis. 305.306
In purgatorio animas omnes de ſalute ſua eſſe certas. 306. & ſeq.
Purgatorij locus. 308.309
Purgatorij pœnæ. 311
Purgatorij ignis an ſit propriè dictus? ibid. & 312.
Purgatorij ignis quomodo in animas agat? 312
Purgatorij pœnæ a quibus miniſtrentur. ibid.
Purgatorij pœna an maior omnibus penis huius vitæ. 312.313

Prædeſtinatio.

Prædeſtinationis definitio. 762
Prædeſtinationis diuinæ nulla ratio ex parte noſtri aſſignari poteſt. 764. & ſeq.

Prædeſtinatus.

Prædeſtinatos ad Eccleſiam pertinere. 187.188

Q.

Quadrageſima.

QVadrageſimam ab Apoſtolis inſtitutam. 932.
Quadrageſimę tempus. ibid.
Quadrageſimæ cauſſæ variæ. ibid. 933

R.

Regimen.

REgiminis formæ tres.
Regimen Monarchicum eſſe præſtantiſſimum. 75 & ſeq.
Regimen temperatum ex omnibus tribus v[...] eſſe. 78.79
Regimen Monarchicum ſecluſis circumſtantijs ſimpliciter excellit. [...]
Regimen Eccleſiæ quale ſit? 8[...]
Regimen Eccleſiæ non eſſe præcipuè penes populum. 80.8[...]
Regimen Eccleſiæ non eſſe penes Principes ſeculares. 82.8[...]
Regimen Eccleſiæ non eſſe pręcipuè penes Epiſcopos. 83.8[...]
Regimen Eccleſiæ præcipuè debere eſſe Monarchicum. 84. & ſeq.

Religio.

Religionis definitio. 24[...]
Religionum varietas. 24[...]
Religionum inſtitutio an egeat confirmatione Pontificis? 24[...]
Religioſam vitam diu cępiſſe ante quartum ſeculum. Ibid. 24[...]
Religioſam vitam non eſſe exortam occaſione perſecutionum, & caſu. 24[...]
Eſſentiam manaſtices eandem eſſe noſtrorum, & antiquorum Monachorum. Ibi[...]

Reliquiæ.

Reliquias Sanctorum piè in venerationæ eſſe [...] 360.361.

Reprobatio.

Reprobos ad Eccleſiam pertinere poſſe. 187. 188.
Reprobatio duos actus comprehendit, alterum negatiuum, cuius nulla eſt cauſſa ex parte hominum; alterum poſitiuum, cuius cauſſa [...] peccati originalis, vel actualis præuiſio. 76[...] 768.

S.

Sabbathum.

SAbbathum Iudæorum, aut alias ferias T[e]ſtamenti veteris obſeruare, nullo mo[do] Chriſtianis licitum eſt. [...]

Sacerdos.

Sacerdotes Chriſtianos non decuit carnali ſu[c]ceſſione propagari. [...]

Sacramentum.

Sacramenti nomen ſeruandum & vſurpandu[m] 393.

Sacr

Sacramenti nomen multas habet ſignificationes. 396.
Ad Sacramentum octo neceſſaria ſunt. 397. & ſeq.
Sacramenti definitiones. 399.400
Ad Sacramentum etiam requiritur, vt efficiat ſanctitatem. 400
Sacramenta veteris legis ſignificabant, & efficiebant ſanctitatem legalem. 401
Sacramentum eſt genus vniuocum ad Sacramenta veteris legis, & nouæ. Ibid.
Illa definitio (ſacræ rei ſignum) conuenit vniuocè omnibus Sacramentis, tam veteribus, quàm nouis. ibid.
Sacramenta veteris legis probabile eſt habuiſſe ſolas res. 402
In Sacramentis omnibus nouæ legis inueniuntur res, vt materia; & verba, vt forma. Ibid.
Sacramentum ipſum totum rectè dicitur conſtare ex rebus, vt materia; & verbis, vt forma. Ibid. 403.
Vt Sacramento conſtent rebus, & verbis, ſatis eſt, ſi aliquid fungatur vice rei, & aliquid vice verbi. 403
In Sacramento omni non eſt neceſſe, vt res, & verba ita coniungantur, ſicut partes eſſentiales eiuſdem rei. 403.404
Non ſolùm in Baptiſmo, ſed etiam in cęteris Sacramentis requiruntur verba in ipſa celebratione myſterij. 404
Non requiritur verbum concionale ad eſſentiā vllius Sacramenti. 405
Ad Sacramēti eſſentiam requiri certam formam verborum, quæ non tam inſtruat circumſtantes, quàm conſecret elementum. 405.406
In Sacramentis res certæ, & determinatæ ab ipſo Deo eſſe debent. 406
Non ſolùm res, ſed etiam verba in Sacramentis nouæ legis à Deo determinata eſſe debent. 407.
Sacramentorum finis neceſſitas. Ibid 408
Sacramentorum nouæ legis Chriſtum auctorem eſſe. 409
Sacramenta vetera (Circumciſione excepta) an iuſtificauerint ex opere operantis? 418.419
Sacramenta propriè dicta eſſe ſeptem. 427.428
Sacramenta non eſſe plura, quam ſeptem. 429. & ſeq.
Sacramentorum ordo, & comparatio. 430.431
Sacramenta ſapientiſſimè in Eccleſia Latina adminiſtrari Latinè. 438.439

Sacrificium.

Sacrificij propriè dicti definitio. 520. & ſeq.
Sacrificij diuiſio in Victimas, Immolationes, & libamenta. 523
Sacrificij diuiſio in holocauſta, hoſtias pro peccato, & hoſtias pacificas. ibid. 543

Sancti.

Sancti non ſunt inuocandi, tanquam auctores gratiæ, & gloriæ. 356
Sancti non ſunt immediati interceſſores noſtri apud Deum. 357
Sancti orant pro nobis, ſaltem in genere. ibid.
Sancti etiam in particulari pro nobis orant. 358.
Sancti piè, & vtiliter à viuentibus inuocantur. 359.
Non repugnat inſtitutioni Cœnæ, vt in ea Sancti nominentur. 550
Non repugnat inſtitutioni Cœnæ, vt in ea Sancti inuocentur. 551

Satisfactio.

Satisfactionum theſaurus ex Chriſti paſsionibus infinitus extat in Eccleſia. 322
Satisfactionum theſaurus ille etiam habet paſsiones Sanctorum. 323 324
Satisfactiones Chriſto, & Sanctis ſuperuacaneas applicari poſſe alijs, qui ſunt rei luendæ pœnæ temporalis. 324
Satisfactionum theſaurum diſpenſandi auctoritas Eccleſiæ Paſtoribus diuinitus conceſſa eſt, ibid. & ſeq.
Satisfactiones Chriſti diſpenſare poſsunt Prælati Eccleſiæ tum per Sacramenta, tum per indulgentias: Sanctorum autem non niſi per indulgentias. 326.327
Satisfactio quid, & quotuplex? 605
Satisfactio imperfecta an locum habeat in Sacramento Pœnitentiæ? 606
An Deus velit, vt peccantibus poſt Baptiſmum remiſſa culpa remaneat debitū luendæ pœnæ? 607.
An ſatisfacere poſsint homines pro expiādo reatu illius pœnæ, qui interdum remanet poſt remiſsionem culpæ? 608.609
An opera laborioſa, quibus pęna peccati redimitur, tum ſponte ſint aſſumenda, tum etiam per Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ iniungenda. 609.610
Satisfactoria opera eſſe res vtiliſsimas, quarum in diuinis litteris extant exempla, promiſsiones, præcepta. 611.612
Satisfactoria opera, quatenus ſponte ſuſcipiuntur ad expianda peccata, eſſe Deo gratiſsima. 612
Opera illa an dicenda ſint propriè ſatisfactoria? 613. & ſeq.

Scriptura ſacra.

Scripturam ſacram eſſe verum Dei verbum, & regulam fidei. 1.
Scriptura ſacra notiſsima eſt, certiſsima, & veriſsima. 2.

Scripturæ ſacræ verè Prophetici, & Apoſtolici libri. 3.
Scripturam non debere publicè in Eccleſia legi vulgari lingua, probatur. 13.14
Scripturam eſſe difficilem, ita vt egeat interpretatione, probatur. 15.16

Sciſmaticus.

Sciſmaticos eſse extra Eccleſiam. 185

Senſus ſacræ Scripturæ.

Senſus literalis, & ſpiritualis. 16
Senſus ſimplex, & figuratus. 17
Senſus allegoricus, tropologicus, anagogicus, ibid.
Senſum ſacræ Scripturæ Eccleſiam explicare debere, probatur. 18.19.20.21

Septuageſima, Sexageſima.

Vnde dicantur illæ?

Sepultura.

Sepulturam corporum bonam, & vtilem eſſe. 317.
Sepulturæ ritus. ibid.
Sepulturæ vtilitas. ibid. 318

Subdiaconus.

Subdiaconorum officium. 223

Suffragia.

Suffragia viuorum an proſint defunctis? 314. 315.
Suffragiorum tria genera. 315
Suffragia à quibus poſsint fieri? 316
Quid ſignificet in indulgentijs illud: *Per modum ſuffragij.* 342

Syriaca lingua.

Syriacæ linguæ, & Chaldaicæ differentia. fol. 9.
Syriacæ qui libri ſcripti? ibid.
Syriacæ editionis ſacræ Scripturæ auctoritas. ibid.

T.

Templum.

TEmplorum forma. 375.376
Templa rectè inſtitui, quibus verbum Dei, & Sacramenta populo miniſtrentur. 376.
Eccleſias Chriſtianorum verè, & propriè templa eſſe. 377
Templa certè ad orandum inſtituta eſſe. Ibid. 378.
Templa non ſolùm Deo, ſed etiam Sanctis rectè ædificari. 378
Templa meritò cum ingenti lætitia dedicari. Ibid.
Templa meritò varijs cæremonijs, & precibus dedicantur. 379.380
Templum conſecratum meritò ſanctum, & venerabile haberi debet. 380.381
Templa ædificare, aut ornare, opus bonum eſt ex genere ſuo. 381.382
Poteſt tamen huiuſmodi opus defectu circumſtantiarum facilè vitiari. 383

Tentatio.

Tentari an potuerint primi parentes ad peccandum? 699
Cur Deus tentari voluerit primos parentes, aut permiſerit, quos ſciebat tentatione vincendos? Ibid.
De tentatore primi parentis, ſerpente ſcilicet. 700.

Timor.

Timor naturalis, & mundanus quid? 596
Timor quaſi ſeruilis, & ſeruilis quid? 597

Tonſura.

Tonſura prima quid. 222

Traditio.

Traditio quid? 22
Traditio quotuplex. Ibid. & 23
Traditionis neceſſitas probatur. 23. 24. 25. 26.
Traditiones aliquas veras eſſe, probatur. 26. 27. 28.
Traditionibus Apoſtolicis cognoſcendis regulæ dantur. 28.29

V.

Vbiquitas.

VBiquitas Chriſti multis refellitur argumentis. 62.63.64

Veritas iuſtitiæ operum.

Legem Dei iuſtis hominibus abſolutè poſsibilè eſse, nō quidē per ſolas vires liberi arbitrij, ſed per auxilium gratiæ Dei, & ſpiritum fidei, & charitatis in ipſa iuſtificatione nobis infuſum. 871. & ſeq.
Opera bona iuſtorum non ſunt peccata, ſed verè iuſta, vt etiam iuſtitia actualis dici poſsint. 873. & ſeq.
Operibus iuſtis verè homo iuſtificatur, non prima, ſed ſecunda iuſtificatione: quæ non facit iuſtos ex impijs, ſed iuſtiores ex iuſtis. 876.

Vigilia.

Vigiliæ feſtorum quid? 389

Voluntas.

Voluntatis electio pendet neceſſario ab vltimo iudicio rationis practicæ. 774

Voluntas etſi ſola ſit formaliter libera, ratio tamen libertatis eius in ratione eſt. 775

Voluntas humana an ſit potentia paſsiua, an actiua? ibid.

Voluntas quid poſsit circa bonum morale. 790.

Votum.

Voti nomen. 250

Voti definitio. ibid. & ſeq.

Omne quod fit ex voto, eſt cultus Dei. 252. 253.

Vota facere commune eſt Chriſtianis. 253

Votũ non eſt promiſſio facta in Baptiſmo. 254. 255.

Vouere quomodo poſſint iuniores? 261. 262.

Vouere an poſſint filij inuitis parentibus? 262.

Vouere an poſſint coniugati ex conſenſu mutuo? 263

Vota ſolennia an ſoluant Matrimonium 264.

Vota poſſe aliquo modo Sanctis nuncupari. 384.

Votum ſimplex impedit Matrimonium contrahendum. 646

Votum ſimplex non dirimit Matrimonium poſt votum ipſum contractum. 647

Votum ſolenne dirimit Matrimonium poſt votum celebratum. Ibid.

Vox.

Voces in diuinis explicantur: Eſſentia, ὁμοούσιος. 46.

Hypoſtaſis, Subſtantia, Perſona, Proprietas, Relatio, Notio. 47. 48

Circuminceſſio, Trinitas. 48

Nomina quinque Religioſorum. 239

Vnctio extrema.

Vnctionem extremam verè, & propriè eſſe Sacramentum. 616. & ſeq.

Vnctionis extremæ materia. 618

Vnctionis extremæ forma. Ibid.

Vnctionis extremæ effectus. 619.

Vnctionis extremæ Miniſter. 620

Vnctionem extremam ſuſcipientes. Ibid.

Vnctionis extremæ cæremoniæ. Ibid.

FINIS.

CENSVRA.

DOCTRINA Roberti Bellarmini, S. R. E. Cardinalis, circa controuerſias fidei Chriſtianæ, opera ac ſtudio V. Patris, F. BALDVINI IVNII, Ordinis Minorum, in tria opuſcula ſummatim, ac compendioſè contracta, nihil continet à fide alienum, quò minùs fructuoſè prælo committatur, atque in lucem edatur.

Franciſcus Henius, S. T. Licentiatus, Cenſor, & Paſtor Eccleſiæ parochialis D. VValburgis, vulgò antiqui Caſtri, Antuerpiæ.

Huic cenſuræ ſubſcribens do facultatem, vt imprimatur.

F. Balthazar Vincent, Miniſter Prouincialis Fratrum Minorum Inferioris Germaniæ.

ANTVERPIÆ,
Excudebat Andræas Baex,
Sumptibus Hæredum Martini Nutij.
1611.

620 012

Errata ſic corrigantur.

PAgina 25.linea 31.eſſe,lege,eſt. Ibid.l.32.quem,l quo. pag,31 l.36.eius,l.ens. pag 53.
l.25.Spiritus,l Spiritum. pag.55.l.16.poſt,Chriſtum,deeſt,per. pag.58.l.16.vnio,l.vniri.
pag.70.l.43. dele,Nec enim Chriſtus ad inferos. pag.71.l 26. agnoſceret, l. ignoſceret
pag 72.l.vlt.Chriſtus,l.Chriſtum pag 88.l.1.Qui,l.Cui pag.101.l. 8.anteponendum,l ante-
ponendus, pag.102.l.14.illis,l.illos:& illos,l.illis. Ibid.l.16.erat,l.erant. pag.102 l 20.Pon-
tanus,l.Pontianus, pag.126 l.36.iubent,l.iubeat. pag 127 l. 15.prouidentia,l prouidentiæ.
p.131.l.31.alij,l.abij.p.158.l.25. controuerſia,l.controuerſiam p.179 l.10.ſubijceret,l ſubij-
cerent,pa.180.l.14.immediatus , l.mediatus, p.216.l.15.rationi,l.ratione p.217.l 2.celeſti,l.
cęleſte,p.224.l.penult.deeſt,iure,p.228.l 13 oppidalis,l oppidulis.p.232 l.2.deprauiſſimos,l.
deprauatiſſimos. pag.238 l.1.prouincia,l prouinciam. Ibid.l.35,dicunt,l.dicuntur. pag.277.
l.30.ratio,l.gratia. pag.291.l.32 rebellis,l.rebelles. pag.292.l 40 mortem,l.morte. pag.
293.l.10.tueri,l.fieri. pag.295.l.16 fuiſses,l.fuiſset, pag.308.l.25 quæ,l.qui. pag 310 l.43.
clauos,l claues. p.335.l.21 ſummis l. ſummus. pag.341 l 18 pęna,l pœnam. Ibid l.36.in-
dulgentia,l indulgentiam, pag.344.l.22.indulgentijs.l indulgentias. pag.357.l.14.alterum,
l.alteram,pag.363.l.43.illidatus l.illibatus. pag.370.l.19.cultum,l.cultus. pag.375.l.16.cō-
uerſus,l.conuerſas pag.380.l.10.qui,l quia. pag.385.l.16.quod,l.quos. pag.387.l.12.poſt,
fidelium,deeſt,4. pag 395.l.22. coniunctione,l . coniunctioni. pag. 399.l.10.mundi ipſi,l.
mundus ipſe. pag 402.l.4.conſecrationi,l. conſecrationis. pag. 404.l.38.poſt,remittuntur,
deeſt,non. pag.407 l.30.eſſet,l.eſsent. pag.417.l.5.nudum,l.nudam. pag.419.l.31 ſine,l.
ſiue. pag.423.l.29.adminiſtranda.l.adminiſtrandi. pag 424 l.11.poſt ſacramentalis.deeſt,in.
Ibid.l.12.animam,l.anima. Ibid.l.Ibid. Accedens,l. Accidens. pag.428.l.22.eis,l.ei pag.
429.l.14.conſtet,l.conſtat. pag.444 l. 42 abſcuſione,l. abſciſſionem. pag.475.l.4 poſt,Pa-
tres,deeſt,in. pag. 488.l.17.ſine,l.ſiue. pag.504.l 35.hiſtoricum,l.hiſtoricam. pag 513.l.
29.inuolutum,l inuolutam. p.519.l.19 acceptionis,l.acceptiones Ibid.l.28.*Mſſiam,l Miſſam.*
p.524 l.3.*benfiecio,l beneficio.* p.525.l.vlt.*ceſſar l ceſſare.* pag. 531.l.4. poſt, Propheta deeſt,
ſacrificium. pag.532.l.vlt qui,l quia. pag.538.l.33.ſeculi, l.ſeculis. pag 544.l.9. &,l.eſt. pag
561.l.23.corrigentur,l.corrigerentur. pag.567.l.32 poſt,ſi,deeſt,in. pag.593.l.21.Patrem,
l.Patre. p.597 l.14.hanc.bonam,l.hunc bonum p 607.l.28.Ad,l.Ac.p.630 .l.2.coniug ,l.
coniugali. pag.654.l.2.&,l.eſt pag.655.l.43.annum,l.gradum. p.674.l.41.partim,l. erte.
p.685.l.12 poſt,aduerſum,deeſt,me. pag.697.l.2,aliam,l.aliquam. pag.754.l.34.cor ium,l.
auxilium.p.755.l.8. Et,l. Eſt. p.762.l. 7 quid,l.quod.p.800 l.5. Euolierunt,l euol rint.pag.
802.l.37.politæ,l.poſita.p.821 l.13.deo,l.ideo p 823.l.26.*ſperare,l ſperate.* p 3.l 4. Et,l.
Ex p.840.l.3.repetire,l.reperire.p.841.l.9.mundam,l.mundum.p.864.l.81 al uem,l.aliquā.
p.883.l.penult reddendum,l.reddendam p.884 l.34 promiſſum,l.promiſſa . pag.890.l.34.
alteri,l.alterum.p 900.l.33.mundata,l mandata. Ibid.l.37.petitionem,l.p itionum. p.903.l.
32.eius,l ſuorum.p 910.l.4. Publicano,l. Publicanus.p.919.l.17.dimin ant,l.dimanarunt. p.
922.l.41.loco,l.loca p.928.l.43.Iudaicum,l Iudaicam. pag 939 l.9. robo,l.Probatur.

2619